9
3-g
19

6
32 L
43

9-3-g-19



SELECTAE HISTORIÆ

RERVM MEMORABILIVM IN ECCLESIA DEI GESTARVM

AVCTORE

AVGVSTINO MANNO

de Canthiano Congregat. Oratorij de Vrbe Preſbytero.

Bibliotheca S. H[illegible]

CVM PRIVILEGIO,

Et superiorum permiſſu.

ROMAE.

Apud Bartholomæum Zannettum

ANN. M.D.C.XII.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO E[illegible]

B. MARIAE VIRGINI, CAELORVM REGINAE.

DVM ex imis hiſce cõuallibus,cęleſtis Regis nobiliſsima Genitrix, admirabilem fulgorem, quo irradias, & diuinæ Charitatis magnitudinem, quæ te facit Angelicis ſplendoribus ſublimiorem,mente reuoluo:atque ornatiſsimam tuarum ſupernarum opum ſupellectilem, quas perpetuis ſtillicidijs ſuper inopiam noſtram effundis, mecum ipſe conſidero; Tibi,cuius venerandæ memoriæ,atque inclitæ tutelæ, Eccleſia, Oratorium,Domus ipſa,paruulaq. mea Congregatio iam ab initio Patrum voto, dedicata ſunt; cuiq. me ipſum in ſeculo laborantem, & ſub aquis curarũ gementem (vt mihi bene ſit) iampridem humili corde deuoui: Tibi,inquam, paruulum hoc opus qualecumque ſit, in Filij tui laudem elaboratum, & Celſitudini tuæ debitum, vltro, alacriq. animo dedico, & quaſi de florido Hortulo contextam coronam, ſtellantibus oculis tuis in tui gratiam profero. Et quamquam,Tu feliciſsima, bonorum meorum non eges, tamen paginas iſtas, qualitercumque exaratas, Tibi ſoli offerendas eſſe, illud in primis perſuaſit, quod in illis hoc ſolum agitur,vt clarificetur Filius tuus, viſcerum tuorum in-

gens partus, & ineffabilis proles, per præclara, quæ fecit, per magnalia, quæ geſsit.

Dum autem ante Te procumbens, lætus offero vniuerſa,quæ manus meæ tibi deſudauerunt,Tu,quæ Fons es diuinarū largitionum hoc tantum mihi,vt rependas obſecro, nec deneges mihi ò Beata, intuitum , ſcilicet , in me tuum, in vno oculorum tuorum,& ſufficit mihi.

Felix fuerim,& nimium felix , ſi de ſtellato ſolio tuo oculos tuos in me cōuerteris,cecideritq.ſuper me,aſpergente te , ſtillula de guttulis , quæ cadunt ſuper terram ex inexhauſto gratiarum tuarum pelago . Tu in altis habitas, pulchra vt Luna , electa vt Sol , & micas inter aſtra, aſtris rutilantior,illuxeruntq. ſemper coruſcationes tuæ Orbi terrarum,animoq. tuo cæleſti inſunt millies millia benedictionum.Quapropter Regina potens, reſpice in me , & intende mihi , & effunde ſuper me vnam ex benedictionibus tuis . Vnam petij à te, hanc requiram, nec dimittam te , donec benedixeris mihi , Virgo glorioſa,& benedicta .

DE RATIONE, SCOPO, ET VTILITATE HVIVS OPERIS

Admonitio ad Lectorem.

IN contexendis libri huius Hiſtorijs (Amice Lector) illud à nobis obſeruatum eſt, vt habito delectu ſcribendarum rerum, non paſſim omnia, quæ obuia fierent, ſed magis præclara, & ſcitu digna, recenſeremus, quæ quidem admirabilis Deus, ab ijs diebus, quibus filium ſuum miſit, in terris operatus eſt, vt timeretur. Sunt autem huiuſmodi: Orbis vniuerſi tenebræ, & caligines inextricabiles, quibus mortales premebantur, priuſquàm filius Dei eas diuino ſuo ſplendore diſſiparet: ſuperborum Dæmonum abominanda præſtigia, & fraudulenta mendacia, & Tyrannica dominatio, & conuulſum eorũ Imperium. Et quâ ratione deinceps Deus ſubuenerit ruinis gentium, cadentemq. mundum erexerit, & ſigna magna, quæ in inſtaurando Orbe facta ſunt, & prodigia inaudita, & miracula ingentia, & Sanctorum virorum excelſæ actiones, tolerata incredibili fortitudine ſupplicia, impiorumq. hominum, qui diuinæ legis contemptores fuerunt, terribiles interitus, plurimarumq. magnarum rerum illuſtres euentus.

Ex huiuſmodi autem enarrationibus ſumi poſſunt præclariſſima exempla ad formandos mores, ad recteq. viuendum accommodata, ex quibus Chriſtianæ fidei inuicta virtus, inſuperabilisq. veritas comprobatur.

Dedimus autẽ operam, vt quæcunq. ſcribenda forent, eligeremus ex probatiſſimis Auctoribus, & teſtibus fide dignis, quibus vnuſquiſque fidem tutò adhibere poſſet, niſi vel it eſſe incredulus, & tardus corde ad credendum.

Contu-

Contulimus etiam quæcumque conferenda fuerunt, cum Annalibus Eccleſiaſticis (glorioſum Cæſaris Baronij, noſtræ Congregationis preſbyteri, & S. R. E. Cardinalis opus,) qui omnium Hiſtoricorum facilè Princeps, omnia ſcrutans, & per omnia tempora perambulans, totam Eccleſiaſticam hiſtoriam ſolus complexus eſt; factus tanquam Oceanus ſpatioſus, vbi reptilia, quorum non eſt numerus; ex quo nos aquas, cum opus fuit, hauſimus cum gaudio, ſcientes quantum vir iſte magnus inſudauerit, vt quæcumque vera, & ſincera fide conſtant, purgata, & ſelecta nobis traderet.

Adhibuimus præterea Cenſuram Antonij Gallonij Sacerdotis Congregationis noſtræ, purgati iudicij viri, qui prouinciam perdifficilem aggreſſus ſcribendi omnes Sanctorum vitas quàm purgatiſſimas, dum eas ſub lima expolit, & eorum, qui à nato Chriſto vſque ad ducentos annos floruiſſent, iam perfeciſſet, in curſu magnificæ ſcriptionis ſuæ, morte præreptus, ad recipiendum pro labore, & bona voluntate mercedem, ad loca Sanctorum, vt piè credimus, profectus eſt.

Sed nos ex ſelectis ſelectiora eligentes, & plurima, quæ apud Hiſtoricos Eccleſiaſticos, vel in Sanctorum actis inuenimus commemoratione digna, recenſentes, illud etiam præſtitimus, vt multa quæ noſtra hac ætate contigerunt, veteribus admixta conſcriberemus, vt noua & vetera in vnum proferentes, conſuleremus omnium vtilitati.

Sed & Oratorij noſtri inſtitutum in primis ſpectatum eſt, in quo cum ſingulis quibuſq. diebus, exceptis Sabbatis, quatuor ex Patribus noſtris ad populum ſermones habeant, poſſint, quicumque dicunt, habere præ manibus exempla, quibus ornent ſermocinationes ſuas, ſicut à Philippo Nerio Beato Patre Noſtro, quaſi pro præcepto, nobis iniunctum eſt, vt ſemper cum fieri poteſt, id quod dicitur, exemplo aliquo fulciatur. Qua occaſione cum multa ad noſtrum vſum tantum collegiſſemus, placuit etiam eadem, quæ priuato calamo conſcripſeramus, alijs communia facere, & publicæ luci prodere, vt omnibus prodeſſe poſſent, & vt, qui populos concionando erudiunt, in promptu haberent, quibus, quæ dicunt, exempli pondere confirmarent.

Sed & recentium exemplorum, cæteram multitudinem, quam collegimus, in poſteriores libros reiecimus, vbi ſtudioſè ea, quæ ſeculo noſtro mirabiliter facta ſunt, commemorabimus, quæ quidem longo à nobis labore conquiſita, & præ grauitate rerum peruetuſtis exemplis non inferiora, ſuis temporibus, annuente Deo, luci tradentur. Vtinam interim aliqui pietatis ſtudio, ſi quæ habent huius argumenti exempla, quæ hoc ſeculo facta ſint, & libris commendata non ſunt, ad nos tranſmitterent, vt arcam noſtram huiuſmodi the-

ſauris

ſauris refertam, adhuc facere poſſemus locupletiorem. Sed proh dolor! dum fragmenta non colliguntur, pereunt, & nulla apparet vtilitas in theſauro abſcondito.

Sed & inter enarrationes geſtarum rerum, cum opportunum viſum eſt, quæ à ſanctiſſimis viris, quorum doctrina fulget Eccleſia, ſapienter dicta ſunt, interſerere placuit, quaſi mel cum lacte miſcentes, quaſi lapillos auro colligantes. Verba enim ſapientum ſunt velut Eccleſ.
ſtimuli, & ſermo opportunus eſt optimus, & lingua ſapientum ornat 12.
ſcientiam. Prou. 15.

Vt nihil deeſſet, quod pertinere poſſet ad commonendum homines, vt ſapiant, & intelligant nihil eſſe melius, quàm timere Deum, ſeruire illi ſoli; & agnoſcere Ieſu Chriſti Domini æternam redemptionem, ab ipſo impenſam, & mundo largitam; nihilq; fide, & iuſtitia eſſe præclarius; nihil perfidia, & iniquitate ſceleſtius; nihil denique reperiri, quod homini in caligine mundi huius habitanti vtilius magis & proficuum ſit, quàm contempto ſeculi apparatu, quærere bonum, vbi ſunt omnia bona; hoc autem eſt Deus noſter, qui eſt laudabilis, & glorioſus, & ſuperexaltatus in ſecula.

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs. Patri Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici.

Cæſ. Fid. Viceſg.

Ex commiſſione Reuerendiſs. P. Mag. F. Ludouici Yſtella Sac. Palatij Apoſt. Magiſtri, vidi & perlegi librum, cui Titulus: Selectæ Hiſtoriæ rerum memorabilium, in Eccleſia Dei geſtarum, Auctore Adm. Reu. Patre Auguſtino Manno de Canthiano, Congregationis Oratorij de Vrbe Presbytero, nihilq. reperi, quod ortodoxæ Fidei; aut bonis moribus aduerſetur; quin vtiliſſimum fore omnibus, præſertim Concionatoribus, & ijs qui priuatos ſermones dictim habent, ad confirmandos fidelium animos præclaris exemplis tùm priſcis, fideliter recenſitis, tùm nouis, ætatis ſcilicet noſtræ, à nullo Auctore litteris huculq. commendatis, arbitror, propereaq. typis cudi poſſe. In quorum fidem ſubſcripſi manu propria.

Ita eſt Benedictus Blancuccius Romanus, Sac. Theol. Doctor.

Imprimatur.

Fr. Thomas Pallauicinus Bonon. Mag. & Reuerendiſs. P. Fr. Ludouici Yſtella Sac. Pal. Apoſt. Mag. Soc. Ord. Præd.

Narrate omnia mirabilia eius. Recordamini mirabilium eius, quæ fecit, ſignorū illius, & iudiciorum oris eius. *1. Paral. 16.*

Viderunt inſulæ, & timuerunt: extrema terræ, & obſtupuerunt. *Iſai. 41.*

Mandauit Deus patribus noſtris nota facere ea filijs ſuis, vt cognoſcat generatio altera. Filij, qui naſcentur, & exurgent, narrabunt filijs ſuis. Vt ponant in Deo ſpem ſuam, & non obliuiſcantur operum Dei, & mandata eius exquirant. *Pſal. 77.*

PRAEFATIO IN SELECTAS HISTORIAS.

POSTQVAM Deus, ſeculorum Rex, ab Orbis origine multiplices rerum naturas condidit, eiſq. vires, motus, ac virtutes elargitus eſt, vt operarentur: multa ſuccedentibus ſeculis in mundo facta ſunt, ſcitu digna, & admiratione plena; partim, quæ natura aſſueta ſemper nouas rerum edere formas, protulit; partim, quæ à creatura rationali proprio ingenio, atque arte, & intelligendi facultate prodita ſunt. Hæc autem omnia, cum aliqui huius Mundi ſpectatores animaduertiſſent, & delectarentur in illis, memoriæ commendauerunt, &, vt ceteri quoque ex narratione illarum rerum, quæ ad ipſorum notitiam non peruenerant, vtilitatē, & delectationem perciperent, litterarum monumentis conſignarunt. Nonnulli enim hominum rerum naturalium narrationem proſecuti, corporum principia, & paſſiones, & temporum ordinatas viciſſitudines litteris tradiderunt; alij herbarum vires, arborumq. naturas; alij terreſtrium animalium, piſcium, volucrumq. hiſtorias proſecuti ſunt; alij, quomodo imbres, grandines, fulgura, venti, terræq. motus, cometæ, niues, pruínæ, maris ſalſedines, metalla, flumiuaq. generarentur, ſcribere maluerunt.

Alij verò præclara hominum geſta, ciuium in pace degentium, in rebus publicis adminiſtrandis ſtudia, & ſapientum conſilia narrauerunt. Alij bellicos labores, ordinatas caſtrorum acies, pugnas, vrbiumq. expugnationes, & fortium virorum facta, obtentaq. temporalium regnorum culmina, propagatos imperij fines, atque ciuium inter ſeſe conflictantium arma, inteſtina diſſidia, & odijs ciuilibus vrbes euerſas conſcripſerunt.

Quarum quidem rerum narrationes, quamquam laude dignæ ſunt, quia rerum latentes proprietates, & hominum dicta, facta, moresq. tum præteritorum temporum reuolutiones, & geſtarum rerum memorias repræſentant, & comperta, notaq. poſteris faciunt, ex quo ſapientes viri multas vtilitates percipere, multam prudentiam haurire ſolent, non tamen omne tulerunt punctum; quia plerique eorum, qui arcana naturæ in libris perquirunt, nimis circa res naturales curioſi effecti, ætatis ſuæ breuitatem non metientes, totos annos in illarum rerum indagatione conſumunt, & poſtquàm cognouerunt, ſiſtentes in illis, neque eas ad illum, qui fecit illas, referentes, euaneſcunt in eis, & facti in pluribus operibus Dei curioſi, ab hac occupatione peſſima non diſcedentes, vanos conſtituerunt dies ſuos. Rom. 1. Eccle. 3.

Alij verò, qui in prophanis ſeculi hiſtorijs perlegendis immorari ſolent, quamquam & ſapientes viri etiam ex harum rerum lectione fructum carpere poſſunt, & ex cæno aurum colligere, tamen legentes magnifica priſcorum gentilium facta, ſiue, quæ in bello, ſiue, quæ in pace geſſerunt, & quo mo-

do rempublicam prudenter adminiſtrauerint; armorumq. vi, limites regnorum propagauerint: illatas iniurias gladio vltore propulſauerint: quomodo æraria argento, & auro repleuerint; thermas immenſas, & theatra, & ſuperbas moles, & ſepulchra, palatiorum æmula, conſtruxerint; peregrinorū, pretioſorumq. marmorum columnas, & ex longinquis regionibus ingentis ponderis pyramides adductas, in ſuis vrbibus erexerint: quomodo ciues, præ diuitiarum magnitudine, militum legiones alerent, ſeruorum multitudine conſtipati incederent, & triumphos de gentibus domitis retulerint, illud, vt plurimum, ſunt conſecuti huiuſmodi rerum lectione, vt mundi huius gloriā in immenſum ſuſpicerent, crederentq. nihil eſſe glorioſius, quàm capere vrbes, ſubigere regna, alienisq. theſauris ſuas locupletare domos, gerere magiſtratus, adminiſtrare rempublicam, imperare multitudini, & placere ſibi in turbis nationum: ſtatimq. illabitur in corda ipſorum appetitus gloriæ, & terrenarum ſenſus cupiditatum, quo tacti intrinſecus, pro acquirendis rerum dominijs, modo ad pugnandi audaciam incitantur, modo ad regnandi libidinem exardeſcunt, modo ad diuitias immenſas parandas, & aliorum iura vſurpanda commouentur; pulchrumq. exiſtimant, in honore eſſe apud plebem, & nullum aliud bonum maius recognoſcunt, quàm in præſenti vita incedere per vrbes ſuper bigas & quadrigas, & curricula, comitante ſamulorum familia; affluere delicijs, frui bonis huius mundi, ædificare excelſas domos, facere ſibi hortos cunctis generibus arborum, atque herbarum conſitos, adducere ad illos flores peregrinos, extraneas plantas, curareq., vt ibi erumpant fontes, aquas ſuas in altum tollentes, vt elegantius & iucundius cadendo refluant, & miro artificio per fiſtulas valido impetu exeuntes, varia, & delectabilia ſpectra oculis obijciant.

Sap. 6.

Hæc enim in prophanis hiſtorijs legentes, videntesq. priſcos mortales per harum rerum adeptionem celebratos fuiſſe, & ab omnibus creditum illos fuiſſe beatos, illis rebus & ipſi plus æquo affecti, eò deducti ſunt, vt non poſſent cogitare meliorem eſſe ſapientiam, quàm vires, & virum prudentem quàm robuſtum, & patientem expugnatore vrbium: ſatiusq. eſſe exiſtimarunt ædificare palatia, arces, & magnificas domos, quàm inſtruere animum virtutibus, magisq glorioſum erigere muros, quàm formare mores: maiorem perniciem, & iacturam exiſtimantes amittere diuitias, quàm virtutem, aurum quàm fidem, prædia & patrimonia, quàm cælorum regna: paulatimq. victi delectatione legendi prophanas iſtas enarrationes, fiunt ſui ipſius amatores, elati, cupidi, alienarum rerum appetitores, in incerto diuitiarum ſperantes, toto corde ſeculi gloriam ſectantes, neque aliquid aliud habentes præ oculis præter figuram huius mundi, quæ præterit, ſicut illi habuerunt, quorum facta lectitarunt: ſi quam tamen prudentiam diſcunt, diſcunt prudentiam mundi, quæ mors eſt.

Ibid.

2. Tim. 3.

1. Cor. 7.

Rom. 8.

Gloriam enim mundi per repetitas illarum hiſtoriarum lectiones contemplantes, & admirantes, tanta concupiſcentia circa eam exardeſcere comperiuntur, vt præter hanc, nihil altum, nihil magnificum, nihil glorioſum exiſtiment, nihilq. vltra expetendum putent.

Cumque cor ſuum hac pompoſa ſupellectile repleuerint, fit, vt ſanctorum virorum facta, imo, & quæ Deus ipſe cum incredibili magnificentia in hoc mundo operatus eſt, quodammodo pro nihilo habeant, & quæ diui-

Iſa. 5.

na virtute geſta ſunt, aut contemnant, aut non conſiderent. Parum exiſtimantes, vincere ſeipſum, concupiſcentiarum rabiem compeſcere, animiq. paſſiones indomitas rationi ſubigere, motus feros & inſolentes ſubdere Deo, iram frangere, manſuetudinem diſcere, libidinis teterrimum incendium reſtinguere, laſciuæq. carnis petulantes inſultus, & pugnas ineuitabiles, modo reſiſtendo, modo fugiendo, aut penitus infringere, aut prudenter declinare, aut ſub fræno continere, angelicamq. vitæ rationem interius conſectari, & quæ ſub luna ſunt, contemnere, vt lutum: patrimonia ſui pretium, magnanimo corde indigentibus elargiri: nuditatem, exilium, carceres ferre beatum exiſtimare: leuare mentem ad cælum, & fidei magnitudine vſque ad thronum Dei pertingere, & æterna bona mundis oculis contemplari, hoſteſq. infenſos magnanima charitate complecti, aliaq. huiuſcemodi facere, quæ virtus excelſa facere ſolet.

Iſti enim, quorum anima infixa eſt limo, & adhæſit fæcibus ſecularium cupiditatum, humi repentes, & non animaduertentes niſi ea, quæ ſub ſole fiunt, pro nihilo ducunt Regnum, quod æternum eſt, & pro nihilo habent deſiderabile cælum; neque apud ipſos in pretio ſunt actiones, in quibus vera gloria conſiſtit; neque æterna, & inuiſibilia bona diligunt, ſed in his, quæ videntur, corrumpuntur, & vbi non ſatiatur oculus viſu, neque auris auditu, anhelant & inſaniunt, & cupiditatibus æſtuant; vnde veræ virtutis ſplendorem, velut veſpertiliones ſolem, aſpicere non valentes, nec verum, & bonum cognoſcentes, inane cor in pectore tumido vſque ad mortem geſtant, cumque dormiuerint ſomnum ſuum, nihil in manibus reperiunt, & in ſepulchris ſuis inglorij iacent, & in tenebris, quas lumine veritatis excutere noluerunt, conticeſcunt. *Pſal. 75.* *1. Reg. 2.*

Enarrationes earum rerum, quas Deus ipſe in terris glorioſe geſſit, vel per ſanctos, & glorioſos viros mirabiliter operatus eſt, eſſe ſemina præclariſſimarum virtutum, & incitationes ad verum, & ſummum bonum acquirendum.

QVapropter & vera & certiſſima bonarum rerum incrementa, & pretioſiſſima verarum diuitiarum, & ſublimium honorum lucra attulerunt hominibus, & ſplendorem ſapientiæ, & nobiliſſimarum virtutum ſemitas, & honeſtarum actionum ſpecimen mortalibus oſtẽderunt, quicumque ſtuduerunt mandare litteris, quæ Deus in terris glorioſè geſſit, & mirabilia magna, quæ fecit, vnde admirabile eſt nomen eius in vniuerſa terra; & quanta prouidentia res humanas adminiſtrauerit, animas ſaluas fecerit, & peccatores præſentibus erudierit flagellis, vel internis, atque externis cruciatibus perterrefecerit; & quomodo reddat mercedem laboris ſanctis ſuis, & deducat illos in via mirabili, & ſit illis in velamento diei, & in luce ſtellarum nocte. Et quomodo ſit adiutor fortis, & domus refugij ſperantibus in illum, & in paucis vexatos, in multis bene diſponat, & tanquam aurum in fornace probet illos; & mercedem iuſtitiæ conſtituat, & qua ratione permittat tenebras aliquando operire faciem abyſſi, eaſdemq. poſtmodum fulgore luminis *Pſal. 8.* *Apoc. 11.* *Sap. 10.* *Pſal. 70.*

ſui diſcutiat, ac diſpergat, cum impiorum iniquitates completæ ſunt.

Nulla enim vnquam fuit ætas, in qua ſæculorum conditor, & rerum opifex Deus, ad magnos aliquos effectus producendos, & vt homines ad ſui nominis timorem perduceret, non fuerit multa,eaq. mirabilia operatus. Licet enim cuncta, quæ facit Deus ordinatis temporum ſucceſſionibus, ſi attente inſpiciantur, magna admiratione digna videri poſſint, tamen quia
Aug.tract. 34. in Io. iſta aſſiduitate videndi vileſcunt, & vt conſueta deſpiciuntur, reſeruauit ſibi Deus aliqua, ab ipſo ſupra naturæ ordinem operanda, quæ nouo,& mirabili modo in eſſe producta, & hominibus inopinate propoſita, poſſent eorum corda trahere ad honorandum, & timendum illum, qui fecit omnia.

Propterea etiã nonnulli Authores ſuſceperunt laudãdos viros glorioſos,& eorum vitas ſummis virtutibus refertas ſcripſerunt, quas in criptis, in ſpeluncis, in ſyluis, inter abrupta montium propter Dei timorem, vel inter hominum multitudines, intra vrbes, intra priuatas domos, intra cœnobia, excelſo animo,mirabili exemplo duxerunt, illaſq. populis ſpectandas tradiderunt; ante oculos omnium proponentes,quæcunque magni viri intra Dei populum prudenter egiſſent,aut fortiter paſſi fuiſſent,aut ſapienter docuiſſent.

Vel hiſtorijs proſecuti ſunt Eccleſiæ Dei agitationes, & quanta ab Imperatoribus paſſa eſt, & a Regibus, Tyrannis Principibus, qui contra eam fremuerunt, & aſtiterunt, & conuenerunt in vnum, & totis viribus eam expugnare, ac ad nihilum redigere inaniter conati ſunt; & quomodo eam Deus per medios fluctus deduxerit, & quantam, & quàm admirabilem fortitudinem inter vincula, inter vulnera, inter cruciatus, & membrorum laniationes, oſſium contritiones, gladiorum aciem, ignis aduſtiones, belluarum furorem, vngularum, laminarum torturas, equuleorum quæſtiones, interq. ſexcenta, eaq. exquiſitiſſima tormenta præſetulerit.

Vix enim fieri poteſt, vt hæc legentes, non recipiant intus ſemina virtutum, ſimulq. concipiant deſideria perfectioris vitæ, animentur ad fugienda noxia, peccata odio habenda, ad iniquitatem denique deteſtandã, & ſtatuant in corde ſuo recedere a malo, & ſequi probitatem, ambulare per vias rectas, & placere Deo.

Vſus namque, & experientia ipſa, vſque adhuc ſatis docuit, quod cum memorabilia facinora, & operationes magnarum virtutum, & quæcunque in mundo iſto miraculis, & prodigijs mirabiliter geſta ſunt, leguntur, & lecta cogitantur, ſtatim animus pro ſubiecta materia, vel ad cognoſcendam Dei bonitatem, iuſtitiam, potentiam, & longanimitatem erigitur: vel ad mundi fallaces dolos euitandos inſtruitur, vel ad ferendas fortiter res aduerſas animatur, vel ad deſpumantis huius maris fluctus declinandos admonetur, modo ad diuitias aureas contemnendas, eaſq. pauperibus elargiendas, & ad ſuperbos honores ſicut lutum calcandos, & ad blandas voluptates ſuperandas impellitur; modo ad contemptum ſeculi; modo ad orationis ſtudium,modo ad corpus inſolens caſtigandum,nunc ad decertandum pro Chriſti fide, pro ſanctis legibus, pro Chriſtiana republica prouocatur, & ad ſui ipſius odium & deſpectum incitatur.

Et ſæpius continget, vt inueteratus peccator, perlecto terribili exemplo ad pœnitentiam flectatur: & timore Dei concuſſus latro, adulter, blaſphemus, ad mutandos deteſtabiles mores ſeſe conuertat. Exempla enim magis

quàm verba, quaſi ſtimulo pungunt acriùs, prouocāt fortiùs, hærent diutius.

Magna igitur factum eſt Dei prouidentia, vt huius argumenti hiſtoriæ à multis conſcriberentur; vt ſcilicet ſuccedentibus ſeculis, apud homines perpetuaret memoria mirabilium, quæ fecit ipſe, & timerent filij hominum nomen eius; *Pſal. 77.* timendo inciperent eſſe ſapientes, & iuſti, caduca bona contemnerent, cæleſtia concupiſcerent, ſeſeq. ex imis ad ſumma erigerent, à longe ſpectantes æterna, & ex terrenarum rerum domicilijs egredientes, ad id, quod eſt, & quod ſemper eſt, quod & nunquam deficit, incommutabile bonum ſe conuerterent. Quarum quidem rerum ſi ſpectes argumentum, nihil ſublimius, ſi lucrum, nihil vtilius; ſi voluptatem, nihil delectabilius reperiri poteſt.

Præclarum enim eſt, mentem hiſtoriarum cognitione inſtructam ac refertam habere. Hiſtoria enim (vt à Sapientibus traditum eſt) conglobata quædam ac coaceruata ſapientia eſt, hominumq. multorum mens, in vnum collecta. *Naz. ad Nicob.* E contra verò pernicioſa res actarum rerum ignorantia, & per omnem modum noxia mortalibus, & non ſolum communi hominum vitæ tenebras quaſdam offundens, ac veri cognitionem obliterans, ſed priuatas etiā ſingulorum rationes perturbans, faciensq. vt homo earum rerum ignarus, in actionibus obeundis, ſicut cæcus medijs in tenebris, ad lapidem pedem impingat. Non ſolum autem præſentium temporum; ſed poſteritatis res agitur, vt exempla diuinarum virtutum litteris conſignentur, quatenus vnuſquiſque breui compendio, certa ratione, arteq. mirabili diſcere poſſit, & quaſi in ſpeculo videre, quid potiſſimum ſit fugiendum in hoc vitæ curriculo, quid amplectendum inter rerum diſcrimina, & in moribus, quid ſit imitatione dignum. Ita vt in rebus humanis nihil ita feliciter agatur, quàm cum aliorum facinora narrationibus præmonſtrantur, vt homines à caducis, & fluxis rebus, ad permanentia conuertantur, videntes per ſpeculum, rerum imagines.

Quicumque enim tradit ſe ad legendum in ſcripturis populorum, quanta viri ſancti paſsi ſunt tormenta, vt fidem tuerentur, vt palmas immarceſcibiles, & coronas incorruptas poſsiderent, ſtatim legentis mens concipit ſemina ſanctarum cogitationum.

Exempla enim, & memorabilia facinora magnorum virorum, litteris mādata cum leguntur, ſtatim per hæc efficitur melior legentis animus; & eleuatur ad Dei in benefaciendo largitatem cognoſcendam; ipſiusq. in tolerando longanimitatem, in operando potentiam, & in puniendo iuſtitiam. Modo autem ad fortia toleranda, & ad decertandum pro Chriſti fide vſque ad ſanguinem, & ad ſuſtinenda atrociſsima tormenta, præ magnitudine amoris, & ad martyrium ipſum ſubeundum animatur; modo ad vendendum quæ poſsidet, & danda pauperibus allicitur, modo ad corpus petulans caſtigandum, & ad ſui ipſius deſpectum excitatur; modo ad orationis, ſeu meditationis ſtudium, & ad diuinas res contemplandas attollitur.

Et negligens, & remiſſus in agendo, tepore relicto, feruorem induit, & præcingit ſe ad opus, quod per auditum doctrinæ, & per rationum argumenta facere neglexit.

Præterea narratio & commemoratio earum rerum, quæ multo retro ſeculis contigerunt, operatur, vt in corde illius, qui illas actas eſſe ignora-

bat, neque in mundo tale quid aut viderat, aut audiuerat, iterum res illæ quodammodo renaſcantur, iterum in paruo cordis mundo repræſententur, & appareant, annoſaq. vetuſtas renouetur, quaſi arbor poſt hyemis inclementiam iterum flores reproducens; quaſi comica repræſentatio, quæ in ſcena ſæpius eandem facti ſpeciem oculis ſpectatorum obijciat; quaſi numiſma vetus, aut aurea ſtatua, vel marmorea columna, quæ per multa ſecula ſub ruinis latitarit, induſtria alicuius inuenta, denuo ſub aſpectu, ad hominum voluptatem reuertatur.

Quæ quidem omnia facere comperta hominibus, & proponere rurſus ante legentium oculos, & renouare illa, eſt quodammodo iterum miracula facere, iterum illuminare cæcos, iterum mortuos ſuſcitare, iterumq. virtutes operari, & honeſtas illas actiones iterum agere: quæ oĩa cum neſcirentur eſſe mundo facta, fiunt ante legentis, & audientis oculos conſpicua, ita vt theſaurus abſconditus pecuniarum antiquarum, qui prius latebat ſub terris, & nulli vtilis erat, eruendo illum ex latebris, manibus tangendus proponatur, ipſoſq. inuentores, & quotquot ex illo participes facti ſunt, faciat locupletiores. Quæ enim vtilitas in theſauro abſcondito? & quæ lucra capiuntur ex illo?

Plurimæ autem res magnæ, olim geſtæ, multitudine ſeculorum decurrentiũ penè obruuntur, & quodammodo in locis, vbi deſcriptæ ſunt, iacent ingloriæ, obſcuræ, & paucis compertæ, & in populorum manus raro, aut nunquam perueniunt; & quoniam id, quod cum laude factum eſt, ſcire ipſis non contingit, magnam faciunt ſapientiæ iacturam. & per immemorabile tempus tranſactæ, & dierum diuturnitatem paſſæ, æque redduntur, ac ſi nunquam factæ eſſent, aut incertæ fiunt, & incompertæ, annorum vaſtitate obliteratæ. Huiuſmodi enim enarrationes nouæ, ſunt antiquarum rerum imagines, & quaſi ipſamet res, quæ facta eſt.

Narrantur ſingillatim pretioſiſſima lucra ſcientiæ & ſapientiæ, quæ contingunt illis, qui in ſciendis mirabilibus, quæ fecit Deus, aut quæ ab hominibus geſta ſunt, operam præſtant.

AD hæc in lectione laudabilium actionum, & ſanctarum operationum, quæ ab illis emanarunt, in quibus perfecta iuſtitia eſt, cognitio ſuimet ipſius certius acquiritur, & humilitas in corde profundius roboratur. Sicut enim cum pauper homo opulenti viri domum omnibus rebus inſtructam ingreditur, cernitq. oculis pretioſam ſupellectilem, vaſa aurea, & argentea, veſtes ſericas, arcas opibus refertas, lectulos molliter ſtratos, cellas vinarias vino plenas, & horrea frumentis onuſta, tunc melius intelligit paupertatem ſuam, quàm cum domi ſuæ deliteſcebat: ſic, cum quis ſcrutatur magnorum virorum virtutes, & vitam honoribus auctam, clariſſimorumq. geſtorum magnitudine, & multitudine decoratam, tunc in ſe ipſum reuertitur, & cognoſcit parum, & prope nihil eſſe id quod ipſe geſſit, ad comparationem eorum, quæ ab illis magnis geſta ſunt, & tunc magis ad virtutem accenditur, & animatur.

Solebant veteres apud Gentiles, vt viros ad magna præclara gerenda accende-

cenderent, in medio foro erigere ſtatuas eorum, qui aliquid præclarum pro Republica, aut in bello, aut in pace geſsiſſent, vt quicumque pertranſirent, & viderent, admirarentur, & ad æmulationem prouocarentur.

Præterea nulla maior pernicies ingreditur in cor hominis, & nihil magis facit titubare greſſus noſtros, & deducere vſque ad ſcandalum, quàm cum videmus aliquando impios ſuperexaltatos, & peccatoribus proſpera cunctá ſuccedere. Sed ab hoc ſcandalo liberamur, cum legimus finem, & nouiſsima eorum, & quomodo Deus expectans conuerſionem ipſorum, tandem eos deleuerit de terra viuentium, & pœnas non ſubtraxit, ſed diſtulit; ibiq. ex facti narratione perſpicimus, quomodo Deus ſtatuto ab ipſo tempore ſuper capita eorum coronam ignominiæ poſuerit, brachia eorum confregerit; proſperantes in via mala, & facientes iniuſtitiam exterminauerit, & impium ſuperexaltatum, peccatoremq. glorioſum in ſterquiliniũ deiecerit, & vexantes viros iuſtos, ſtridentesq. ſuper eos dentibus in perditionem adduxerit; & quomodo mox vt honorificati ſunt, ſicut fumum, fecerit eos deficere, ſemen eorum de terra deleuerit, & ex manibus potentium, impiorumq. Regum, & Tyrannorum iuſtos viros eripuerit, & eruerit à poteſtate peccantium, & ſaluos fecerit illos: & inuadentes aliena bona, Eccleſiarumq. iura vſurpãtes, aſſumentes vetitas poteſtates compreſſerit, & cum furore percuſſerit illos, vulneratos abiecerit, & ad interitum deduxerit. Vt ſic appareat, res mortalium caſu non gubernari; & diſcamus die, qua non credunt, Deum non auferre, ſed reſeruare impijs pœnas, tarditatemq. ſupplicij grauitate compenſare. *Pſal. 72.* *Pſal. 36.*

Sed cum omnes homines, natura ſcire deſiderent, omnesq. bona appetant, cumque ſcientiæ ſint addiſcedæ, non vt ſciamus tantũ, ſed, vt per eas boni efficiamur, certè per exempla propoſita, id fælicius conſequimur, quàm per doctrinas & rationes. Architectus habet pulchrum exemplar in mente, & facit pulchrum palatium in opere: habes recte facti exemplum, & eo inſpecto, facis rectam actionem. Excitant enim exempla ad æmulationem, prouocant ad imitationem, & ad præclarum virtutis ſtudium vrgent.

Inſuper re propoſita, & ſubſequentibus ſignis & prodigijs confirmata fidei inuiſibilis veritas omnium oculis fulget; ſicut albæ margaritæ, & purpurea coralla, quæ ſub marinis vndis latitabant, a piſcatore inuenta, & ab artifice in proſpectum poſita, lucidius ſplendent, & poſtea multorum colla, manus exornant, & delectant obtutus.

Nec prætermittendum eſt ad hoc ipſum comprobandum, quod legum ciuilium lectores per exempla factorum, quæ contingebant, doctrinas iuris ciuilis tradiderunt. Quamquam enim per regulas Iuris, iuſti & iniuſti ſcientia aliquo modo haberi poſſit, tamen certius, & dilucidius per facti ſpeciem, & caſuum contingentiũ figurationem, haberi poteſt, vt experientia docet. Hinc eſt, vt nullus ex veteribus, & ſapientiſſimis Iuriſconſultis aliter, quã per cõtingentis caſus enarrationem Iuris notitiam docere voluerit. Phantaſmata enim ſpeculantes, diſcendi cupidi; cum delectatione & facilitate diſcunt, quod cupiunt. Quam docendi rationem ſacri quoque Canones imitari dedignati non ſunt, vt, quæ ad diſcendum commoda ſit, & ad retinendum memoria non laborioſa, & optimo & eleganti exemplo quiſpiam per alienum factum in medio propoſitum, quid in facto ſuo decernendũ ſit, non ambigat.

2.Reg. 12. Vera autem eſſe, quæ dicta ſunt, patet ex ijs, quæ facta ſunt; quoniam
2.Reg. 14. Nathan, Propheta Domini, Dauid Regem, alias ſapientiſſimum, poſt commiſ-
ſum adulterium, & patratum homicidium, conficto exemplo, ad cognoſcen-
dam peccati admiſſi turpitudinem, & magnitudinem, & ad deteſtandum im-
probum facinus impulit. Inſuper ad parcendum filio ſuo Abſalon, eundem
Regem Ioab dux exercitus, ſimili arte perduxit.

Præterea Chriſtus Dominus noſter, qui Dei ſapientia eſt, qui nouit corda
hominum, & qua ratione facilius afficiuntur, ſæpe locutus eſt in parabolis,
quæ nil aliud ſunt, quàm quædam exempla ficta, ex quibus quis cognoſcit
quid faciendum, quid fugiendum ſit. Sed & exempla vera propoſuit, Laza-
Luc. 16. ri ſcilicet, mendicam vitam agentis, & diuitis opulenti; & illorum qui in Si-
loe turris ruina oppreſſi ſunt. In quorum exemplorum lectione quot corda
palpitauerunt? quot vultus pallidi facti ſunt? quot vel duriſſima corda vſ-
que ad pœnitentiam fracta ſunt?

Volens autem diſcipulos ſuos docere, vt corde humiles eſſent, prouoca-
Matt. 18. uit eos exemplo paruuli, deinde per exemplum in parabola propoſitum, eius
Luc. 14. ſcilicet qui diſcubuit vltimo loco. Nec ſatis ipſi fuit hoc verbis, & alienis
exemplis docuiſſe, ſed proprio ſui ipſius firmauit exemplo, cum ante ipſos
Io. 13. proſtratus altiſſimus Dominus, accepto linteo, diſcipulorum pedes lauit
ſtupente cælo, vt nullum ſubterfugium cor ſuperbum haberet, quin ſeſe hu-
militer deijceret, videns Dominum ante ſeruulos procumbentem, & dicen-
tem: Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ipſe feci, ita & vos faciatis.
Sciebat enim bonus Dominus facilius fore, vt ſui diſcipuli, ceteriq. omnes
per exemplum humilitatis ſuæ, ſpiritum humilitatis addiſcerent, quàm ſi ra-
tionibus dumtaxat eos humiles eſſe debere, oſtendiſſet. Sed & exemplo
Io. 12. crucis ſuæ magis docuit ſectandam humilitatem, ac patientiam, quàm ſi
omnes Cathedræ, omnes ſcholæ, quotquot in orbe vnquam fuerint, hoc do-
cere ſtuduiſſent.

Adeo autem hoc verum eſt, vt non ſolum repræſentationes earum rerum,
quæ vere factæ ſunt, & certiſſime contigerunt, doceant, moueantq. mentes,
delectent & corda, ſed etiam narrationes, quæ fictæ ab Authoribus ſunt, &
fictas eſſe non ignoramus, animos afficiant, vt ſicut antiquorum fabulæ, vel
noſtro ſeculo Romantiorū (quos vocant) figmenta, conficta narrantes bella,
& arma, milites ſtrenuos, & pugnas audaces, & bellatores fortiſſimos,
Gigantes magnos, monſtra ingentia, & huius generis adinuentiones, quæ
tanta auiditate à populis leguntur, vt ab eis diuelli non poſſint: tanta eſt vis
phantaſmatis & ſimulachri, quod imaginationi obijcitur.

Et in illarum rerum lectione, tanta dulcedine capiuntur, vt eas memoriæ
cōmendent, & tenaciter retineant, & carminā, quibus explicata ſunt, vbi-
que cantando recitent. Quod quidem ideo à nobis dictum eſt, vt appareat,
quanta ſit energia, & vis earum rerum, quæ per perſonarum imagines re-
præſentatur, non autem, vt commendemus huiuſmodi ſtudia, & laude di-
gnos dicamus, qui hæc fabuloſa populis tradiderunt. Nam cum huiuſmodi
argumenta, & inuentiones verſentur vt plurimum, circa vetitos mulierum
amores, circa pugnas propter ſeculi gloriam, ſuperbiſſime ſuſceptas; &
cum ibi huiuſmodi infandi amores laudentur, & extollantur illi, qui corpo-
ris viribus, & ſtrictis gladijs, imbecilliores oppreſſerint, & forti manu vno

ictu

ictu plures vulnerauerint, & ad necem deduxerint, eo intuitu vt fortes exiſtimarentur, & gloriam ex facinore acquirerent, fit plerumque, vt huiuſmodi nugarum lectores, numquam ab earum lectione recedant ſine maxima morum corruptione, cum certa caſtitatis, & puritatis iactura, & humilitatis, & moderationis animi detrimento, & bonæ mentis pernicie, quamquam ſciant ea eſſe fabuloſa, & otioſorum hominum commenta, & nihil veritatis continere.

Hoc autem tam graue, & lachrimabile damnum afferunt, propterea quod nefandorum amorum concupiſcentias per exempla, quamquam ficta, recitant; amat enim phantaſia phantaſmata, & imaginatio noſtra incredibiliter delectatur in imaginum ſpectris: ſed cum imago habet coniunctam turpitudinem, fit, vt ſicut captus ſuauitate vini, vbi venenum poſitum fuit, bibendo, mortem cum delectatione ſuſcipit: ſic qui exemplum elegantis caſus legit, vbi turpitudo eſt, & inhoneſtæ actiones, delectatione victus percipit non aduertens vim mentis obrui, & lethali veneno animam ſuam perfundi.

Quod malum, quo communius & vniuerſalius diebus noſtris contingit ex tot libris in hoc argumentum conſcriptis, qui in manibus penè omnium reperiuntur, ſatis eſt lachrimabile, & nulla ratione illi obſiſti poteſt, niſi ex aduerſo, exempla laudabiles actiones continentia, vera, & præclara geſta, ex quibus virtus ipſa hauritur, & ratio bene viuendi deſumitur, lectorum oculis objiciantur.

Hoc præſertim malum, quod totum pene orbem confecit, à comicarum fictionum recitatione incrementum ſuſcepit, vbi delectabiles caſus facti alicuius, vbi vt plurimum, deteſtabiles amores exprimuntur, repræſentantur, hominum, qui in vanitate ducunt dies ſuos, oblectamenta: nos autem videmus, cum Comediæ, & Tragediæ in vrbibus recitantur, vniuerſum ferè populum ad eas audiendas confluere. *Aug. cõfeſ. 6. cap. 8.*

Ceterum vetuſtiſſimi Poetarum, dum multa fingunt, dum adinuentiones excogitant, dum diuina, humanaq. fabulis commiſcent, dũ Deos Deorumq. ſoboles confingunt, dum eorum amores, turpiſſimasq. concupiſcentias, iras, & odia carminibus exprimunt, vno ictu, duabus lethalibus plagis mundum trucidarunt, corruptione ſcilicet morum, & falſa religione.

Hinc factum eſt, vt Homerus, Poetarum princeps, dum multiformia numina, & Deitates excogitat, dum profert Deorum numina, & commemorat geſta eorum, & carminibus ſuis ficta facta Deorum illorum exprimit, totam primum Græciam, deinceps Italiam vniuerſam, tandem totum pene orbem contaminauit, infandum Deorum fictorum cultum vbique diſſeminans. Poſteritas enim elegantium narrationum ſpecie decepta, vera eſſe credidit, quæ Authores Ethnici fabuloſa confinxere.

Neque ſolum Homerus, ſed & alij Poetarum, tàm apud Græcos, quàm apud Latinos, multa diuerſis carminibus, & eleganti artificio contexta fabulati ſunt, quæ omnia commentitia ſunt, & fictionibus plena, ad oblectandũ tantũmodo lectorem excogitata, quæ quamquã à principio vera nõ eſſe, quæ dicebantur ab omnibus, præſertim ſapientibus dignoſcerentur, tum poſtea ſuccedentibus ſæculis ſpeciem veritatis obtinuerunt, & tamquam verè facta fuiſſent, per omnium ora volitarunt. Tantumq. potuit narratio facti, &

pulchritudo elegantis narrationis, vt pleriq. intra conſcientiam veri fidem prementes, maluerint pro vero celebrare, quod pectoribus humanis dulcedo fingentis infuderat.

Magisq. valuerunt ad inducendos animos ad credulitatem, multiplicium Deorum fictæ, & prorſus fabuloſæ Poetarum commentationes, commentitia geſta recenſentes, quàm tot ſapientum rationes, & argumenta ad perſuadendum, quod vnus Deus, & vnus Princeps eſſet, qui mundum regeret. Plebes enim falſarum narrationum adinuentionibus delectatæ, mentes ſuas captiuas in fabulis reliquerunt.

Quod ea ratione pluribus à nobis dictum eſt, vt ſciatur, quod ſi tantum poteſt ficta narratio in legentium animis, quantum poſſint veriſſimorum factorum veræ narrationes, & quæ lucra morum, & incrementa virtutum, per eas contingerent?

Si enim ſcirentur, quæ retroactis ſeculis in orbe Chriſtiano acta ſunt, Deo noſtro diſponente, vt homines ad fidei agnitionem perduceret, faceretq. ſibi populum acceptabilem, bonorum operum ſectatorem, & cæleſtium diuitiarum cupidum, nullus prorſus eſſet, qui cor ſuum non haberet magnitudine ſpei erectum vſque ad cælum, paratum ad ſuſtinenda omnia aduerſa pro Chriſti nomine, mẽtemq. ſuam tam claro fidei lumine perfuſam, vt quæ credenda proponuntur, ita firmiter crederet, vt iam non credere, ſed videre, neque ambulare per fidem, ſed per ſpeciem, & rerum euidentiam ſibi videretur. Teſtimonia enim Dei credibilia facta ſunt nimis, vt nihil amplius quærendum ſit, quam vt celeri curſu accedamus ad eum, qui eſt glorioſus, & benedictus in ſecula.

SELE-

SELECTAE HISTORIAE, ET ENARRATIONES MEMORABILES RERVM IN ECCLESIA DEI GESTARVM.

PER AVGVSTINVM MANNVM de Canthiano Congregat. Oratorij de Vrbe, Presbyterum digeſtæ.

DESCRIBITVR TOTIVS ORBIS CALAMITOſa corruptio, & inextricabilis cæcitas mortalium hominum circa Creatorem ſuum.

Cap. I.

CECIDERAT vſque ab initio humanum genus, & peccatum, & mors (pernicies mortalium)graſſabantur vbique,& peccatorũ procellis agitatus homo, huc , atque illuc miſerè iactabatur,magisq. de die in diem in deteriora ruentibus hominibus eò mundus miſeriarũ deuenerat, vt proprijs ſepultus ruinis, & in ſterquilinio peccatorũ ſuorũ prouolutus, raderet teſtis calamitatis ſuæ, ſaniem inſaniarum ſuarum . Et luxu perditus , perſtansq. in vanitatibus ſuis ita ruebat in moribus,vt occaſum ſui, corruptione peſſima teſtaretur, & crebreſcentibus quotidie malis propinquaret ad ſupremum interitum. Et quamquam veris premeretur calamitatibus , & vlceribus fatigatus,proprio cruentaretur ſanguine,infandis tamen deceptus cupiditatibus vulnera propria lingebat, & diligebat . Præterea inextricabiles tenebræ obcœcati intellectus,operiebant penè vniuerſam faciẽ terræ . Sibi enim, & eorum arbitrio derelicti mortales , Primo quidem Deũ ſuum viuum & verum,omnium bonorum fontem , cæli & terræ conditorem dereliquerunt : deinde vero abominanda Idola, manibus eorum fabrefacta, ſibi conſtituerunt,adorabantq. ea tamquam Deos immortales, tribuentes illis primos , & diuinos honores , adolentes eis incenſa , conſtruentes templa, & ſacrificia offerentes , ita vt nulla eſſet natio, nullus in toto orbe populus , qui peculiares ſibi Deos non conſtituiſſet . Eoq. luxuriatæ fuerant ſuperſtitioſæ Gentes ; vt prætextu pietatis, præter illos Deos , qui paſſim ab omnibus colebãtur,Iouem,ſcilicet Saturnum,Mercurium, Iunonem, Apollinem ,

linem, Neptunum, Martem, Venerem, & huiuſmodi dæmonia, fecerunt ſibi alios innumerabiles Deos, vt nullus eſſet fluuius, nullus fons, nullus hortus, non campi, non ſiluæ, non prata, non lares, qui proprium Deum non haberent. Roma etiam, quæ totius orbis habebat imperium, omni gentium ſeruiebat erroribus, & magnam ſibi videbatur aſſumpſiſſe Religionem, quia nullam reſpuebat falſitatem. Dæmones autem, ſpirituales nequitiæ, moderatores tenebrarum harum, mira arte hominibus illudentes, venerationẽ illam, quam in cælis habere non potuerunt, in terris ſibi temere vſurpabãt. Tota Africa, vniuerſa Europa, atque Aſia, hac caligine premebatur, excepta Palæſtina, quam incolebant Iudæi, notus enim in Iudæa tantum erat Deus, ibiq; ſolum nomen eius inuocabatur. Erat tamen & in Iudæa, tanta morum corruptio, diuinorumq. præceptorum præuaricatio,& in ſacris ſuperſtitio, vt nulla maior eſſe poſſet, & cum Deum cognoſcerent, non ſicut Deum glorificabãt. Quapropter tradiderat illos Deus in paſſiones cupiditatum, & deceptiones ſenſus, & inſipiens cor eorum obſcuratum erat, & euanuerant in cogitationibus ſuis, & dicentes ſe legem Dei habere, vita gentium viuere conuicti ſunt, Dei gloriam in propriam commutantes. Omnes quippe ſtudebant auaritiæ, appetebant primatus, & primos accubitus, facti Dei oſores, pleni inuidia, homicidio, contumelioſi, ſuperbi, inuentores calumniarum, repleti omni malitia, abſque fœdere & miſericordia. Et circa eorum religionem irrepſerant deteſtabiles hæreſes, imo plerique illorum relicto Deo ſuo, abnegata eius diuinitate, & numine, ad ſimulachra gentium colenda ſe tradiderant, & Idola earum adorabant, illiſq. infandum dictu, filios proprios,& filias ſacrificabant. Quod ideo commemorare neceſſe fuit, vt cognito, quàm abalienatus à veritate mundus eſſet, & quanta eſſet veri Dei, qui illas condiderat, apud gentes ignorantia, errorum caligo, & vaſtitas tenebrarum inde clarius innoteſcat, à quibus abyſſis, & cauernoſis profundis, & inextricabilibus malis, ac tenebris, Ieſu Chriſti gratia,mortales homines eripuerit & ſaluos fecerit. Quamobrem non erit præter propoſitum argumentum, aliqua huius ignorantiæ exempla, & teſtimonia in medium adducere.

Quod neceſſaria ſit commemoratio ſuperſtitionem, & errorum circa diuinitatem,in quibus olim gentes verſabantur,vt cognoſcatur immenſitas gratiæ Ieſu Chriſti.

Cap. 2.

OPeræpretium igitur eſt, vt videamus, & enarremus ſingillatim, quantum ſatis eſt, gentilium hominum religionem exſecrabilem, & poteſtatem tyrannidis, quam conſequntæ fuerunt multæ tenebræ, & portentoſi errores circa diuinitatem, in quibus ægri mortales verſabantur, quamquam abalienati erant à veritate ſummi Dei Creatoris eorum. Vix enim credi poteſt, quanta fuerit denſitas tenebrarum illarum, & ignorantia ſummi boni, fœditas & colluuies peſtilentiſſima, & exſecranda myſteriorum, quæ circa ſacra, apud illos per tot ſecula, per tanta mundi ſpatia inualuerat: Ita vt pudeat ſcribere, quæ ipſi facere non erubeſcebant. Hoc enim nequiſſimi Dœmones, & rectores tenebrarum illarum conati ſunt perficere, & abeun-

abeuntibus hominibus in inſanias errorum ſuorum, perfecorunt, vt primum homines à cognitione Dei ſui reuocarent, deinde vero inducerent illos malis artibus ad præſtandos diuinos honores ijs, qui non erant Dij, ſed immunda Dæmonia; atque hoc modo obcæcatos, pertraherent ad turpitudinem morum, ad ſtupra, ad adulteria, ad inceſtus, ad ſacrilegia, ad ſuperſtitioſos errores, & flagitia abominanda. Recitatione etiam harum abominationum fiet exploratiſſimum apud omnes, quanta fuerit Domini Noſtri Ieſu-Chriſti gratia, quantæq. molis fuerit, & cuius virtutis extiterit, abominandam orbis terrarum faciem neſandis maculis conſpurcatam, expiare, & fæculentos Gentilitatis errores, temporum vetuſtate obduratos à mundo propellere, & inueteratas tenebras profligare, veternoſi colubri nequiſſimum caput conterere, Principem huius mundi ſuperbiſſime dominantem eijcere, & tandē trāſferre humanum genus in admirabile lumen: Et pacem, & iuſtitiam, & veritatem à mundo exulantem, & à cordium ſedibus eliminatam, ad humana pectora lōgo quaſi poſtliminio reducere, & regnum Dei conſtituere, & regium populum acquirere, & Chriſtianam condere gentem. Hinc etiam apparebit Chriſtianæ fidei pura, & veneranda veritas, inuincibilis eius virtus, mundicies, & ſanctitudo, quæ omnem reſpuit falſitatem, & portenta errorum diſrumpit, & vectes ferreos perfidiæ confringit, nullamq. admittit labem, nullam tolerat maculam, ſed in claritate cæleſtis luminis obambulat, & pro veritate, & iuſtitia certat vſque ad mortem, & ponit inimicos luminis ſui ſcabellum pedum ſuorum.

Proferamus autem vetuſtum teſtimonium ſupradictæ deteſtabilis corruptionis, & impietatis, & primum ex Scripturis ſanctis, in quibus apud Danielem Prophetam, qui fuit captiuus in Babylone, tale exemplum commemoratur. Cœperunt enim Gentes ab antiquis temporibus abire poſt idola, relictoq. Deo vero conſtituere ſibi Deos infandos, & monſtro ſimiles, ſub tēpore quo venit Filius Dei in mundum, falſus, & deteſtabilis Idolorum cultus omnes ſuperauit ætates.

De abominando Idolo, nomine Bel, quod Babylonij duodecim artabas ſimilæ, & oues quadraginta comedere, & ſex vini amphoras bibere ſingulis quibusq. diebus credebant, cui diuinus cultus à Rege; ceterisq. omnibus præſtabatur. Cap. 3.

ERat Daniel conuiua Regis, & honoratus ſuper omnes amicos eius. Erat quoque Idolum apud Babylonios, nomine Bel, & impendebantur in eo Dan.c.14.
per dies ſingulos ſimilæ artabæ duodecim, & oues quadraginta, viniq. amphoræ ſex. Rex quoque colebat eum, & ibat per ſingulos dies adorare eū: porrò Daniel adorabat Deum ſuum. Dixitq. ei Rex: Quare non adoras Bel? Qui reſpondens ait ei: quia non colo idola manufacta, ſed viuentem Deum, qui creauit cælum & terram, & habet poteſtatem omnis carnis. Et dixit Rex ad eum: Non videtur tibi eſſe Bel viuens Deus? An non vides, quanta comedat, & bibat quotidie? Et ait Daniel arridens: Ne erres Rex: iſte enim intrinſecus luteus eſt, forinſecus æreus, neque comedit aliquando. Et iratus Rex, vocauit Sacerdotes eius, & ait eis; Niſi dixeritis mihi, quis eſt, qui comedat impenſas has, moriemini. Si autem oſtenderitis, quo-

niam

niam Bel comedat hæc, morietur Daniel, quia blaſphemauit in Bel. Et dixit Daniel Regi: Fiat iuxta verbum tuum. Erant autem Sacerdotes Bel Septuaginta, exceptis vxoribus, & paruulis, & filijs. Et venit Rex cum Daniele in templum Belis. Et dixerunt Sacerdotes Bel; Ecce nos egredimur foras, & tu Rex pone eſcas, & vinum miſce, & claude oſtium, & ſigna annulo tuo: & cum ingreſſus fueris mane, niſi inueneris omnia comeſta à Bel, morte moriemur, vel Daniel, qui mentitus eſt aduerſum nos. Contemnebant autem, quia fecerant ſub menſa abſconditum introitum, & per illum ingrediebantur ſemper; & deuorabant ea. Factum eſt igitur, poſtquam ingreſſi ſunt illi, Rex poſuit cibos ante Bel: præcepit Daniel pueris ſuis, & attulerunt cinerem. Et cribrauit per totum templum coram Rege, & egreſſi clauſerunt oſtium, & ſignantes anulo Regis abierunt. Sacerdotes autem ingreſſi ſunt nocte iuxta conſuetudinem ſuam, & vxores, & filij eorum, & comederunt omnia, & biberunt. Surrexit autem Rex primo diluculo, & Daniel cum eo. Et ait Rex? ſaluanè ſunt ſignacula Daniel? qui reſpondit: Salua, Rex. Statimq. cum aperuiſſet oſtium intuitus Rex menſam, exclamauit voce magna: Magnus es Bel, & non eſt apud te dolus quiſquam. Et riſit Daniel, & tenuit Daniel Regem, ne ingrederetur intro, & dixit: Ecce pauimentum, animaduerte, cuius veſtigia ſint hæc. Et dixit Rex: Video veſtigia virorum, & mulierum, & infantium. Et iratus eſt Rex. Tunc apprehendit Sacerdotes, & vxores, & filios eorum, & oſtenderunt ei abſcondita oſtiola, per quæ ingrediebãtur, & conſumebant, quæ erant ſuper menſam. Occidit ergo illos Rex, & tradidit Bel in poteſtatem Danielis, qui ſubuertit eum, & templum eius. Et erat Draco magnus in loco illo, & colebant eum Babylonij. Et dixit Rex Danieli. Ecce nunc non potes dicere, quia iſte non ſit Deus viuens: Adora ergo eum. Dixitq. Daniel: Dominum meum Deum adoro, quia ipſe eſt Deus viuens: iſte autem non eſt Deus viuens. Tu autem Rex da mihi poteſtatem, & interficiam Draconem abſque gladio, & fuſte. Et ait Rex: Do tibi. Tulit ergo Daniel picem, & adipem & pilos, coxit pariter, fecitq. maſſas, & dedit in os Draconis, & diruptus eſt Draco. Et dixit: Ecce, quem colebatis. Quod cum audiſſent Babylonij, indignati ſunt vehementer, & congregati aduerſus Regem dixerunt. Iudæus factus eſt Rex: Bel deſtruxit, Draconem interfecit; ſacerdotes occidit. Et dixerunt, cum veniſſent ad Regem: Trade nobis Danielem, alioquin interficiemus te, & domum tuam. Vidit ergo Rex, quod irruerent in eum vehementer, & neceſſitate compulſus tradidit eis Danielem, qui miſerunt eum in lacũ leonum, & erat ibi diebus ſex. Porrò in lacu erant leones ſeptem, & dabantur eis duo corpora quotidie, & duæ oues, & tunc non datæ ſunt eis, vt deuoraret Danielem. Erat autem Abacuc Propheta in Iudæa, & ipſe coxerat pulmentum, & intriuerat panes in alueolo, & ibat in campum, vt ferret meſſoribus. Dixitq. Angelus Domini ad Abacuc; fer prandium, quod habes in Babylonem Danieli, qui eſt in lacu leonum. Et dixit Abacuc: Domine Babylonem non vidi, & lacum neſcio. Et apprehendit eum Angelus Domini in vertice eius, & portauit eum capillo capitis ſui, poſuitq. eum in Babylone ſupra lacum in impetu ſpiritus ſui. Et clamauit Abacuc, dicens: Daniel, ſerue Dei, tolle prandium, quod miſit tibi Deus. Et ait Daniel, Recordatus es mei Deus, & non dereliquiſti diligentes te. Surgenſq. Daniel

comedit: Porro Angelus Domini reſtituit Abacuc confeſtim in loco ſuo. Venit ergo Rex die ſeptimo, vt lugeret Danielem, & venit ad lacum, & introſpexit: & ecce Daniel ſedens in medio Leonum. Et exclamauit voce magna Rex, dicens: Magnus es Domine Deus Danielis. Et extraxit eum de lacu Leonum. Porrò illos, qui perditionis eius cauſa fuerant, intromiſit in lacum, & deuorati ſunt in momento coram eo. Tunc Rex ait: Paueant omnes habitantes in vniuerſa terra Deum Danielis, quia ipſe eſt Saluator, faciens ſigna, & mirabilia in terra, qui liberauit Danielem de lacu Leonum.

De Serpente Epidauro, Romam aduecto, cui Romani diuinos bonores præſtiterunt. Cap. 4.

Sed non ſolum Babylonios, apud quos tunc temporis Regnum erat florentiſſimum,& excultum in omnem ſapientiam, obtinuerat Dæmon callidiſſimus, vt ſub ſerpente nocentiſſimo animali, & viſu horrendo, & homini infeſtiſſimo pro Deo coleretur, ſed etiam hoc ipſum apud Romanos viros, alioquin ſapientiſſimos, & fortitudine bellica,& prudentia in Republica adminiſtranda præſtantiſſimos obtinere potuit; qui cum per trienniũ peſtilentia afflicti fuiſſent, vt mortali morbo remedium inuenirent, miſerunt legatos Epidaurum,& inde ſerpentem Aeſculapij magna religione deuectum Romã, diuinis honoribus affecerunt. Quam hiſtoriam his verbis enarrat Valerius Maximus.

Sed vt certorum quoque Deorum propenſum huic Vrbi numen exſequamur, triennio continuo vexata peſtilentia ciuitas noſtra, cum finem tanti, tàm diuturni mali, neque diuina miſericordia, neque humano auxilio imponi videret, cura ſacerdotum, inſpectis Sybillinis libris, animaduertit, non aliter priſtinam recuperari ſalubritatem poſſe, quàm ſi ab Epidauro Aeſculapius eſſet accerſitus. Itaque, eo legatis miſſis, vnicam fatalis remedij opem auctoritate ſua (quæ iam in terris erat ampliſſima) impetraturam ſe credidit: neque eam opinio decepit, pari namque ſtudio petitum, ac promiſsũ eſt præſidium: è veſtigioq. Epidaurij, Romanorum legatos in templum Aeſculapij (quod ab eorum vrbe quinque millibus paſſuum diſtat) perductos, vt quicquid inde ſalubre patriæ laturos ſe exiſtimaſſent, pro ſuo iure ſumerent, benigniſſime inuitauerunt. Quorum tàm promptam indulgentiam, numen ipſius Dei ſubſecutum, verba mortalium cæleſti obſequio cõprobauit. Si quidem is anguis, quem Epidaurij raro, ſed nunquam ſine magno ipſorum bono, viſum, in modum Aeſculapij venerati fuerunt, per Vrbis celeberrimas partes, mitibus oculis, & leni tractu, labi cæpit, triduoq. inter religioſam omnium admirationem conſpectus, haud dubiam præ ſe appetitæ clarioris ſedis alacritatem ferens, ad triremem Romanam perrexit; pauentibusq. inuſitato ſpectaculo nautis, eo conſcendit, vbi Q. Ogulini legati tabernaculum erat, inque multiplicem orbem per ſummam quietem eſt conuolutus. Tum legati perinde atque exoptatæ rei compotes, expleta gratiarum actione, cultuq. anguis à peritis excepto, læti inde ſoluerunt, ac proſperam emenſi nauigationem, poſtquàm Antium appulerunt, anguis, qui vbique in nauigio remanſerat, prolapſus in veſtibulo ædis Aeſculapij, myrto frequentibus ramis diffuſæ, ſupereminentem excelſæ altitudinis palmã *Val. Max. lib. 1. c. 8.*

cir-

circumdedit, perq. tres dies poſitis, quibus veſci ſolebat, non ſine magno metu legatorum, ne in triremem reuerti nollet, Antienſis templi hoſpitio vſus, Vrbi ſe noſtræ aduehendum reſtituit, atque in ripam Tyberis egreſſis legatis, in Inſulam, vbi templum dicatum eſt, tranſnauit: aduentuq. ſuo tempeſtatem, cui remedio quæſitus erat, depulit.

Aug. li. 11. Gen. ad literam c. 28 Ecce quam exſecrando cultu tenebantur Romani, vt ſerpentem inſtar numinis colerent. Diabolus enim memor tentationis primorum parentum, cum illos ſub ſerpentis ſpecie in mortem induxiſſet, propter rem bene geſtã, frequenter poſtea ſerpentum miniſterio vſus eſt ad fallendos mortales homines. Hinc tradit Auguſtinus, ſerpentes magis moueri carminibus hominum, quàm vllum aliud animal: gaudent enim Dæmones hanc ſibi poteſtatẽ dari, vt ad incantationem hominum, ſerpentes moueant, vt quolibet modo fallant, quos poſſunt. Hæc autem permittuntur, ad primi facti memoriam commendandam, quod ſit eis quædam cum hoc genere animantium familiaritas. Ferunt Pherecidem Syrum ſcripſiſſe, Dæmones è cælo fuiſſe à Ioue deturbatos, quorum Princeps dictus ſit Ophioneus, ideſt, Serpentinus.

Plin. li. 29. c. 4. Serpentem autem ſupradictum ex Epidauro allatum, ſacroſanctum poſtea fuiſſe apud Romanos, Plinius teſtatur, quem ſuo tempore tradit fuiſſe ſuperſtitem, & ſobole mirifica propagatum. Verba eius hæc ſunt: Atqui Anguis Aeſculapius Epidauro Romam aduectus eſt, vulgo paſcitur, & in domibus, ac niſi incendijs ſemina exurerentur, non eſſet fœcunditati eorum reſiſtere. *Feſtus ver. Inſula Æſculap.* Hunc ſerpentem, quem Plinius Anguem dicit, Feſtus Draconem appellat, quem non niſi Canis vberibus nutriri ſolitum tradit. Quem poſtea extinctum, & vt quidam putant à S. Syluestro, Romani Deo ſuo carere nolentes, ex ligno, aliaue materia fabricarunt, atque in alio ſpecu pariter poſuerunt tamquam viuum atque aſpectu terribilem; qui ſic manſit vſque ad Honorium Imperatorem. Cum iterum per ſanctum monachum impoſtura detecta, atque penitus demolita, caruere penitus ſuperſtitionis alumni auito Deo ſuo. Rem geſtam, quæ ſuo tempore Romæ accidit, S. Proſper ita narrat.

Enarratio Draconis ficti, qui vt Deus colebatur apud Romanos, à Monacho detecti. Cap. 5.

S. Proſper Aquitan. de prædict. par. 3. c. 38. APud Vrbem Romam ſpecus quædam fuit, in quo Draco miræ magnitudinis mechanica arte formatus, gladium ore geſtans, oculis rutilantibus gemmis metuendus ac terribilis apparebat. Huic annuè deuotæ virgines floribus exornatæ eo modo in ſacrificio dabantur, quatenus inſciæ munera deferentes, gradum ſcalæ (quo tota illa Diaboli arte Draco pendebat) contingentes, impetus venientis gladij perimeret, vt ſanguinem funderet innocentem. Et hunc quidam Monachus, bene ob meritum cognitus, Stiliconi tunc patricio, eo modo ſubuertit: bacula manu ſingulos gradus palpando inſpiciens, ſtatim vt illum tangens fraudem diabolicam reſpexit, eo tranſgreſſo deſcendens, Draconem ſcidit, miſitq. per partes: oſtendens & hic, Deos non eſſe qui manu fiunt.

Sed nunc enarremus, quæ antiqui Scriptores, & Patres de illorum temporum cæcitate, & inſania circa falſos Deos tradiderunt.

Enar-

Enarratio Clementis Alexandrini, in qua falſorum Deorum monſtruoſæ Religiones traduntur, & deteſtanda Numina à gentibus inuecta, in quibus Diabolus, colente mundo, vt Deus adorabatur. Cap. 6.

PRoponamus autem teſtimonium Clementis Alexandrini veteris Theologi, qui in oratione adhortatoria ad Gentes, inſanum cultum & abominabilem Gentium religionem circa falſos Deos, hæc profert irridendo Gentes ignorantes verum Deum, Principem, & omnium effectorem, & ipſorum principiorum opificem, egena, & infirma, quæ ad vſum hominum, miniſteriumq. facta ſunt, elementa adorantes.

Tu autem (inquit ille) ſi Deum verè videre deſideras, ſis particeps piaculorum, quæ Deo conueniunt, non ramorum lauri, & quorundam ſertorum factorum ex lana & purpura, ſed iuſtitia redimitus, & continentiæ folijs contectus, ſedulo Chriſtum quæras. Ego, inquit, ſum oſtium, quod diſcere oportet ijs, qui voluerint Deum intelligere, vt nobis omnes ſimul portas cælorum aperiat. Sunt enim rationales rationis, ſeu verbi portæ, quæ aperiuntur claue fidei. Deum nemo nouit, niſi filius, & cui filius reuelauerit. Bene autem ſcio, quod, qui clauſam portam tunc aperit, reuelat poſtea ea, quæ ſunt intus, & oſtendit ea, quæ nec prius poterant cognoſci, niſi ab ijs, qui per Chriſtum ambulaſſent, per quem ſolum Deus cernitur. Impia ergo adyta ne inueſtigetis, nec barathrorum ora præſtigijs plena, aut Lebetem Theſprotæum, aut Tripodem Cirrhæum, aut æs Dodonæum. Gerandryon autem arenis deſertis honoratum, & quod illic eſt oraculum, quod cum ipſa quercu emarcuit, anilibus fabulis relinquatis. Silentio quidem certè mādatus eſt fons Caſtalius, & alius fons Colophonis, & alia ſimiliter perierunt fluenta diuinatoria, quæ certe faſtu plena, ſero quidem, tandem tamen conuicta ſunt, vt quæ vna cum ſuis effluxere fabulis. Narra nobis alia quoque diuinationis, vel inſanæ potius vanitatis oracula, Clarium, Pithium, Didymæum, Amphiaraum, Apollinem, Amphilochum. Quod ſi velis & monſtrorum inſpectores augures, & aruſpices, & ſomniorum coniectores, vna cum eis conſecra. Ad Pithium autem adductos ſimul ſtatue Aleuromantes, & chritomantes, & eos, qui adhuc apud multos ſunt in honore, ventriloquos. Iam vero adyta Aegyptiorum & necromantiæ Hetruſcorum demandentur tenebris. Sunt hæc vere inſana hominum infidelium commenta. Ad harum præſtigiarum mercaturæ ſocietatem adducuntur capræ, quæ ſunt ad diuinationem exercitatæ, & corui, qui ab hominibus docentur dare reſponſa. Quid tibi recenſeam myſteria? Non propalabo quidem, vt aiunt, olim Alcibiadem, ſed per verbum veritatis præſtigias, quæ in eis latent, rectè aperiam, & eos, qui veſtri dij vocantur, quorum ſunt ſacra myſtica, tamquam in vitæ ſcena, veritatis contemplatoribus in medium proferam, & euoluam.

Cle. Alex. in orat. ad Gentes.

Dionyſium Menolen Orgijs Bacchi celebrant, crudarum carnium eſu ſacram agentes inſaniam, & cæſarum carnium peragunt diuiſionem, coronati ſerpentibus, vlulantes Euam, Euam illam, per quam error eſt conſecutus. & ſignum Bacchicorum Orgiorum eſt ſerpens myſterijs initiatus. Iam verò ſi accurate vox ſpectetur Hebraica, nomen Heuia aſpiratum, exponitur ſer-

pens femina. Ceres autem, & filia Proſerpina iam in ſcena actus factæ ſunt, erroremq., & raptum, & earum luctum Eleuſis illuſtrat facibus. Mihi autem videtur oportere dare etymologiam horum vocabulorum, Orgia, & myſteria. Orgia quidem dicuntur, vt eſt apud Græcos, ab ira Cereris in Iouem. Myſteria autem apud eoſdem, ab exſecratione, & abominatione, quæ accidit circa Dyoniſium. Quod ſi etiam à Mœonte quodam Attico, quem dicit Apollodorus interijſſe in venatione, nulla eſt inuidia, veſtra myſteria ſepulchri honore eſſe affecta. Pereat ergo, qui huius fraudis fuit Princeps, & author hominibus, ſiue Dardanus, qui matris Deorum oſtendit myſteria, ſiue Eetion, qui Samothracum ſuggeſſit Orgia, & ſacra myſtica; ſiue Phrix ille Midas, qui didicit ab Odryſo, deinde ijs, qui eius parebant ditioni, fraudem tradidit artificioſam. Non enim Cyprius inſularis Cinyras mihi vnquam perſuaſerit libidinoſa, quæ circa Venerem fiebant orgia, auſus ex nocte diei tradere, dum meretricem ciuem vellet in Deos referre. Melampodem autem, filium Amythaonis, alij dicunt ex Aegypto in Græciam tranſtuliſſe feſtum Cereris. luctum, qui laudibus celebratur. Hos ego dixerim fuiſſe Principes & authores impiarum fabularum, & patres pernicioſæ ſuperſtitionis, qui vitij, & corruptelæ ſemen in vita ſeminarunt myſteria. Iam vero (tempus enim eſt) conuincam hæc veſtra orgia eſſe plena fraude & præſtigijs, & ſi myſterijs eſtis initiati, has veſtras fabulas quæ in honore habentur, magis ridebitis. Aperte autem dico, quæ ſunt occulta, non erubeſcens dicere ea, quæ non pudet vos adorare. Quæ ergo ex ſpuma, & in Cypro eſt genita, Cynaræ amica, Venerem dico, exortam ex genitalibus, ex ſalacibus, inquam, illis genitalibus, quæ cælo abſciſſa ſunt, quæ poſt abſciſſionem fluctui vim attulerunt, tamquam libidinoſis veſtris partibus dignus fructus ſit Venus in ſacris myſticis. Marinæ huius voluptatis generationis indicium, ſalis pugillus, & Phallus traditur ijs, qui in hac mœchandi arte ſunt initiati. Nummum autem ei offerunt ij, qui initiantur, vt amicæ amatores. Cæreris autem myſteria, ſunt Iouis cum matre venerei congreſſus, & ira: neſcio quid deinceps dicam, matris, an vxoris Cereris, qua de cauſa dicitur appellata eſſe Brimo, Iouis preces, & potus bilis, & cordis euulſiones, & dictu nefandæ operationes. Hæc myſtica ſacra peragunt Phryges Atthidi, & Cybelæ, & Corybantibus. Hoc quoque iactarunt, quod cũ Iuppiter ab ariete geminos euulſiſſet coleos, iecit in medium ſinum Cereris, de violento congreſſu falſum pendens ſupplicium, vt qui ſeipſum vtiq. excidiſſet. Hæc ſymbola huius initiationis ſatis ſuperq. adaucta, ſatis ſcio vobis riſum eſſe motura, etiamſi vobis non veniat in mentem ridere, eo quod refellamini. Ex tympano comedi, ex cymbalo bibi, temperatum attuli, ingreſſa ſum thalamum, an non proba ſunt hæc ſymbola? non ridicula myſteria? Quid autem ſi reliqua adiecerim? Vterum quidem gerit Ceres, nutritur autem Proſerpina. Rurſus autem hic Iuppiter, qui genuit, coit cum Proſerpina ſua filia poſt matrem Cererem oblitus prioris ſceleris. Pater, & corruptor Puellæ Iuppiter, & coit factus draco, conuictus, quiſnam eſſet. Sabatiorum certe myſteriorum ſignum eſt ijs, qui initiantur, Deus, qui ſinũ peruadit. Eſt autem ijs draco, qui extrahitur à ſinu eorum, qui initiantur, euidens argumentum Iouis incontinentiæ. Parit autem Proſerpina quoque filium taurina ſpecie. Certè, ait quidam Poeta, cultui Idolorum deditus,

Taurus pater Draconis, & pater Tauri Draco. In monte occultum bubulcus ſtimulum bubulci, vt exiſtimo, ſtimulum, ferulam illam pulchram efficiens, quam Bacchi circumagunt. Vis etiam tibi narrem, quomodo flores collegerit Proſerpina, eiusq. calathum, & raptum à Plutone, & hiatum terræ, & ſues Eubulei, quæ deuoratæ fuerunt à Deabus? propter quam cauſam in Theſmophorijs ſacrificantes, expellunt porcos? Huius fabulæ diem feſtum mulieres variæ concelebrant. Theſmophoria, Scirophoria, multis modis raptum Proſerpinæ tragicè decantantes. Dionyſij enim myſteria ſunt plane inhumana, qué, cum eſſet adhuc puer, motu, qui fit in armis, Curetibus choream ducentibus, dolo autem ſubeuntibus Titanibus, puerilibus quibuſdam ludis deceptum, hi decerpſerunt Titanes, cum adhuc eſſet infans, vt myſterij Poeta dicit Orpheus Thracius.

Pinea nux, trochus, & qui flectunt membra, mouentq.
Ludi, & quæ Hæſperides miſerunt aurea mala.

Inutilia autem huius myſterij ſymbola, non fuerit inutile ad ea condemnanda, adducere, talus, ſphæra, nux pinea, mala, trochus, ſpeculum, Vellus. Atque Minerua quidem, quæ Dionyſij cor ſuſtulit, appellata eſt Pallas, ita à Græcis dicta, à vibrando, ſeu torquendo, eo quod cor vibret, ac torqueat. Titanes autem, qui ipſum etiam diſcerpſerunt, cum quendam lebetem tripodi impoſuiſſent, Dionyſij membra inijcientes, ea prius coxerunt, deinde cõfixa verubus Vulcano impoſita tenebant. Iuppiter autem, cum poſtea apparuiſſet, ſiquidem Deus erat, vt qui aſſarum carnium nidorem fortè ſenſiſſet, cuius præmij ſe eſſe participes veſtri dij confitentur, Titanes punit fulmine, & membra Dionyſi, filio Apollini ſepelire præcipit. Ille autem, non fuit enim Ioui inobediens, deferens in Parnaſſum, deponit illic cadauer lacerum. Quod ſi etiam Corybantum velis Orgia conſiderare, hi cum tertium fratrem occidiſſent, caput mortui purpura contexerunt, & coronatum ſepelierunt, ferentes in clypeo æneo ad radicem montis Olympi. Et hæc ſunt, vt in ſumma dicam, myſteria, cædes, & ſepulchra. Horum autem Sacerdotes, quos Anactoteleſtas vocant ij, quibus vocare curæ eſt, ad calamitatem quædam monſtra afferunt, prohibentes apium cum totis radicibus in menſa apponere: putant enim ex Corybantico, qui effluxit ſanguine, enatum eſſe apium. Sicut certè mulieres etiam, quæ Theſmophoria celebrant, à mali punici granorum eſu ſe abſtinent, exiſtimantes ex guttis ſanguinis Dionyſi germinaſſe mala punica. Cabeiros autem appellantes Corybantes, mortem quoque Cabiricã annunciant. Hi enim duo fratricidæ, cum ciſtam ſuſtuliſſent, in qua repoſitum erat pudendum Dionyſi, eam vexerunt in Hetruriam, egregiarum mercium mercatores, & ibi habitarunt, cum eſſent exules, venerabilem pietatis doctrinam, pudendam, & ciſtam colendam commendantes Hetruſcis. Propter quam cauſam non improbabiliter volunt nonnulli Dionyſium vocari Atim, vt qui ſit priuatus pudendis. Et quid mirum, ſi Hetruſci barbari in tam turpes incidant affectiones, cum etiam Athenienſibus, & alijs Græciæ (pudet me vel dicere) probro ac dedecore plena ſit Cereris fabula? Cum enim erraret Ceres ad quærendam filiam Proſerpinam circa Eleuſinem (is eſt autem locus Atticæ) defatigatur, & mœrore affecta ſedet ſuper puteum. Hoc in hodiernum vſque diem prohibetur ijs, qui initiantur, ne videantur ij, qui ſunt initiati myſterijs, imitari eam, quæ lugebat.

Tunc autem habitabant Eleuſinem Terrigenæ, ſeu Terræ filij. Eorum nomina ſunt, Baubo, & Dyſaules, & Triptolemus, præterea autem Eumolpus, & Eubuleus. Triptolemus erat bubulcus, paſtor autem Eumolpus, Vpilio autem Eubuleus, à quibus Eumolpidarum, & hoc ſacra enuncians præconum genus, Athenis effloruit. Baubo autem (neque enim me continebo, quin dicam) cum Cererem hoſpitio excepiſſet, ei confectum potum porrigit: Cum ea autem recuſaret accipere, & non vellet bibere, vt quæ lugeret, ægre ferens Baubo, vt quæ fuiſſet deſpecta, pudenda aperit, & ea Deæ oſtendit, Ceres autem delectatur viſione, & vix tandem potum accipit, exhilarata ſpectaculo. Hæc ſunt arcana Athenienſium myſteria: hæc etiam deſcribit Orpheus. Adducam autem tibi ipſos verſus Orphei, vt habeas illum ipſum myſtagogum teſtem impudentiæ.

Sic dixit, veſtes tollens, omnemq. figuram
Corporis oſtendit turpem, pueriliq. Iacchus
Tunc ætate fuit, gremio à quo eſt dextera Baubus
Ridente immiſſa, ipſa hilari, ſed tunc Dea mente
Subriſit, varium vas, quod potumq. tenebat
In ciſta accepit.

Arnobij enarratio oſtendens impoſturam, & vanitatem Deorum Gentium. Cap. 7.

Arnob. lib. 5. cont. Gēt. ARnobius, qui ſub Diocletiano Principe in Ciuitate Siccæ in Africa Rhetor & Philoſophus inſignis fuit, quo tempore impietas cōtra Chriſtianam fidem certans, totum mundum chriſtiano ſanguine cruentauit, cum eſſet Ethnicus, & Idola coleret, ſomnijs compulſus, reiectis Dijs, quos adorabat, fidem Chriſti amplexus eſt. Cumque veritate inuenta eā gentibus, quæ non credebant, communicare vellet, ſcripſit aduerſus Ethnicam religionem luculentiſſimos libros, & vt oſtenderet illis impoſturam, & vanitatem Deorum ſuorum, & ad reſipiſcendum induceret, hæc ibi ſcribit, ex quibus, ad qualem inſaniam circa religionem, & mores peruenerint Gentiles, cognoſci poteſt.

Apud Timothæum (inquit) non ignobilem theologorum virum, necnon apud alios æque doctos, ſuper magna Deorum matre, ſuperq. ſacris eius origo hæc ſita eſt ex reconditis antiquitatum libris, & ex intimis eruta (quemadmodum ipſe ſcribit, inſinuatq.) myſterijs.

In Phrygiæ finibus inauditæ per oīa vaſtitatis (inquit ille) petra eſt quædā, cui nomen eſt Agdus, regionis eius ab indigenis ſic vocatæ, ex ea lapides ſūptos (ſicut Themis mandauerat præcinens) in orbem mortalibus vacuum, Deucalion iactauit, & Pyrrha. Ex quibus cum ceteris, & hæc magna, quæ dicitur, Mater, informata eſt, atque animata diuinitus. Hanc in vertice ipſo petræ datam quieti & ſomno, quam inceſtis Iuppiter cupiditatibus appetiuit; ſed cum obluctatus diu, id, quod ſibi promiſerat, obtinere nequiſſet, voluptatem in lapidem fudit victus. Hinc petra concepit, & mugitibus editis multis, prius menſe naſcitur decimo, materno ac nomine cognominatus Acdeſtis. Huic robur inuictum, & ferocitas animi fuerat intractabilis, inſana, & furialis libido, & ex vtroque ſexu vi rapta deuaſtare, diſperdere imma-

immanitas, quò animi duxerat non Deos curare, non homines, nec præ ſe
quidquam potentius credere, terras, cælum, & ſidera contemnere. Cuius au-
dacia quibuſnam modis poſſet, vel debilitari, vel comprimi, ſæpe numero
eſſet Deorum in deliberatione quæſitum; hæſitantibus ceteris, huius mune-
ris curam Liber in ſe ſuſcipit, familiarem illi fontem, quo ardorem fuerat
ſuetus, & ſitiendi lenire flagrantiam, ludo, & venationibus excitatam,
validiſſima ſuccendit vi meri: neceſſitatis in tempore hauſtum accurrit Ac-
deſtis, immoderatius potionem hiantibus venis rapit: vt inſolita re victus,
ſoporem in altiſſimum deprimatur. Adeſt ad inſidias Liber, ex ſetis ſcientiſ-
ſime complicatis vnum plantæ inijcit laqueum; parte altera proles cum
ipſis genitalibus occupat: exaltatus ille vi meri, corripit ſe impetu, & ad-
ducente nexus planta, ſuis ipſe ſe viribus, eo, quo fuerat, priuat ſexu: cum
diſſidio partium ſanguis fluit immenſus: rapiuntur, & combibuntur hæc
terra: malum repente cum pomis ex his punicum naſcitur: cuius Nana
ſpeciem contemplata regis Sangarij fluminis filia carpit mirans, atque in ſi-
nu reponit; fit ex eo prægnans; tamquam vitiatam claudit pater, & curat, vt
inedia moriatur: pomis, atque alijs bacculis Deum ſuſtentatur à Matre,
enititur paruulum, ſed exponi Sangarius præcipit, repertum neſcio quis ſu-
mit formas, lacte alit hirquino: & quoniam Lydia ſcitulos ſic vocat, vel
quia hyrcos Phryges ſuis Atagos elocutionibus nuncupant, inde Atys no-
men, vt ſortiretur, effluxit. Hunc vnicè mater Deum, ore fuerat quòd ex-
cellentiſſimo, diligebat, & Acdeſtis blandus adulto comes, & qua ſolum po-
terat, minus rectis aſſentationibus vinctus, ſaltuoſa ducens per nemora, &
ferarum multis muneribus donans: quæ puer Atys primo ſui eſſe dicebat
laboris, atque operis glorians: per vinum deinde confitetur, & ab Acdeſti
ſe diligi, & ab eo donis ſylueſtribus honorari. Vnde vino, quod ſilentium
prodidit, in eius nefas eſt ſanctũ ſe eſſe inferre pollutis. Tunc Perſinũtius Rex
Mydas alienare cupiens, tàm infami puerum coniunctione, matrimonio eius
ſuam filiam deſtinat, ac ne ſceuus aliquis nuptialia interrumperet gaudia,
fecit oppidum claudi. Verum Deum mater, adoleſcẽtuli fatum ſciens, interq.
homines illum, tamdiu futuro ſaluum, quamdiu eſſet ſolutus à matrimo-
nij fœdere, ne quid accideret meſti, ciuitatem ingreditur clauſam, muris
eius capite ſubleuatis, quod eſſe turritum ratione ab hac cæpit. Acdeſtis ſca-
tens ira conuulſi à ſe pueri, & vxoris ad ſtudium deriuati, conuiuantibus
cunctis furorem, & inſaniam ſuggerit: conclamant exterriti adorandorum
Phryges: mammas ſibi demetit Galli filia pellicis, rapit Atys ſeſtulam, quã
inſtigator ipſe geſtitabat inſaniæ furiarum, & ipſe iam plenus, bacchatus,
iactatus proijcit ſe tandem, & ſub pini arbore genitalia ſibi deſecat, dicens:
Tibi Acdeſti hæc habe, propter quæ motus tantos furialium diſcriminum
concitaſti. Euolat cum profluuio ſanguinis vita, ſed abſciſſa, quæ fuerant,
magna legit Mater Deum, & inijcit his terrã, veſte prius tectis atque inuolu-
tis defuncti fluore de ſanguinis viola flos naſcitur, & redimitur ex hac arbos,
inde natum & ortum eſt, nunc etiam ſacras velarier, & coronarier pinos
Virgo ſponſa, quæ fuerat, quam Valerius Pontifex iam nomine fuiſſe con-
ſcribit, exanimati pectus lanis mollioribus velat, dat lacrymas cum Acdeſti,
interficitq. ſeipſam: purpurantes in violas cruor vertitur interemptæ,
mater ſuffodit, & ſe Deum, vnde Amygdalus naſcitur, amaritudinem ſigni-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ficans funeris ; tunc arborem pinum , ſub qua Atys nomine ſpoliauerat ſe[illegible] viri,in antrum ſuum defert , & ſociatis planctibus cum Acdeſti tundit , & ſauciat pectus pauſatæ circum arboris robur . Iuppiter rogatus Acdeſti,vt Atijs reuiuiſceret, non ſinit,quod tamen fieri per fatum poſſet, ſine vlla difficultate condonat ne corpus eius putreſcat, creſcant,vt comæ ſemper digitorum,vt minimiſſimus viuat,& perpetuo ſolus agitetur,& mota,quibus cōtentum beneficijs Acdeſtim conſecraſſe corpus in Peſſinunte ceremonijs annuis,& ſacerdotum antiſtitibus honoraſſe. Si cōtemptor aliquis numinum,& ſacrilegij pectoris immunitate furioſus , intendiſſet animum maledicere dijs veſtris , auderet in eos quidquam grauius dicere,quam iſta prodit Hiſtoria , quam velut quoddam mirabile commentarij conuliſtis in formulam ? ac ne illam vis temporis , & vetuſtatis obſoleſaceret longitudo perpetuitatis honore mactaſtis . Quid eſt enim de dijs in ea poſitum, quidue conſcriptum , quod non, ſi in hominē dixeris, pudibundis moribus,& diſciplinis honeſtioribus educatum , & contumeliæ reus ſis , & iniuriæ & offenſionis odium ſimultatibus ſubeas inexpiabilibus comparatum ? Ex lapidibus inquiris, quos Deucalion iactauit , & Pyrrha Deum procreata eſt mater .

Cap. 8.

Arnob con. Gent.lib.5.

RVrſus Arnobius ignominiam, & turpitudinem, in qua Gentes prolapſæ fuerant,credendo falſiſſimis & inſanis adinuentionibus,ad vitia, & ſcelera omnia impellentibus recenſet , ita vt admiratione dignum ſit, potuiſſe humanos intellectus tàm captiuare ſeſe ad credendum incredibilia figmenta tàm neſandarum fabularum .

Quoniam Dieſpiter (inquiunt) cum in Cererem matrem libidinibus improbis atque inconceſſis cupiditatibus æſtuaret (nam Genitrix hæc Iouis , regionis eius ab accolis traditur) neque tamen auderet id, quod procaci appetitione conceperat , apertiſſima vi petere , ingenioſas comminiſcitur captiones, quibus nihil tale metuentem caſtitate imminueret genitricem . Fit ex Deo Taurus, & ſub pecoris ſpecie ſubſeſſoris animum , atque audaciam celans, in ſecuram & neſciam repentina immittitur vi furens , agit inceſtus res ſuas, & prodita per libidinem fraude intellectus, & cognitus euolat . Ardeſcit furijs,atque indignationibus mater, ſpumat , anhelat , exæſtuat , neque fremitum continere, tempeſtatemq. irarum valens ex continua paſſione,primo deinceps, vt appellaretur, aſſumpſit,neque alia cordi eſt res ei , quam vt audaciam filij pœnis, quibus potis eſt, perſequatur, Iuppiter ſatagit fractus metu , nec quibus remedijs leniat violatæ animos,reperit : fundit preces , & ſupplicat, obſtructæ ſunt dolentis aures, allegatur Deorum vniuerſus ordo, nullius authoritas tanta eſt, vt audiatur : ad poſtremum filius vias ſatisfactionis inquirens,comminiſcitur remedium tale, Arietem nobilem bene grādibus cum teſticulis deligit , exſecat hos ipſe', & lanato exuit ex folliculi tegmine accedens , mærens & ſubmiſſus ad matrem , & tamquam ipſe ſententia condemnaſſet ſe ſua, in gremium proijcit, & iacit hos eius : virilitate pignoris vita ſumit animum mitiorem, & concipit fætus, reuocatur ad veram, parit menſem poſt decimum luculenti filiam corporis,quam ætas mortalium conſequens, modo Liberam , modo Proſerpinam nuncupauit , quam

cum

cum veruecens Iupiter bene validam, floridam, & ſucci eſſe conſpiceret pleníoris, oblitus paulo ante, quid malorum, & ſceleris eſſet aggreſſus, & temeritatis quantum, redit ad priores actus, & quia nefarium videbatur ſatis, patrem cum filia cominus vxoriæ coniugationi miſceri, in draconis terribilem formam migrat, ingentibus ſpiris pauefactã. colligat virginẽ, & ſub obtentu fero molliſſimis ludit, atque adulteratur amplexibus, fit, vt & ipſa de ſemine fortiſſimè cópleatur Iouis, ſed non eadé conditione, qua mater, nam illa filiam reddidit lineamentis deſcriptam ſuis, at ex partu Virginis tauri ſpecie fuſa Iouialis monumenta pellaciæ. Auctorem aliquis deſiderabit rei? tum illum citabimus Tarentinum notumq. ſenarium, quem antiquitas cauit dicens: Taurus Draconem genuit, & Taurum Draco. Ipſa nouiſſimè ſacra, & ritus initiationis ipſius, quibus ſebadijs nomen eſt, teſtimonio eſſe poterunt veritati, in quibus aureus coluber in ſinum dimittitur conſecratis, & eximitur rurſus ab inferioribus partibus atque imis. Non eſſe arbitror neceſſariũ ſermone quoque hic multo membra ire per ſingula, quantæq. inſint in partibus prauis turpitudinum ſcatebræ, flagitiorumq. monſtrare. Quis eſt enim mortalium, vel exiguæ humanitatis ſenſum ferens, qui non ipſe prouideat, qualia ſunt hæc omnia, quàm ſcelerata, quàm fœda, quantasq. ignominias deferunt ex ipſis myſteriorum ſacris, & ex ſacrorum originibus indecoris? Iuppiter (inquit) exarſit in Cererem. Quid tantum quæſo de vobis Iupiter iſte (quicunque eſt) meruit, quod genus eſt nullum probri, infame, adulterium nullum, quod in eius non caput, velut in aliquam congeratis vilem, luteamq. perſonam? Matrimonij prodidit vis Leda; Iupiter eſſe dicitur auctor culpæ; virginitatem Danaæ cuſtodire nequiuit, furtum eſſe narratur Iouis; ad mulieris nomen properauit Europa; expugnator pudicitiæ idem eſſe iactatur. Alcmena, Electra, Latona, Laodamia, mille aliæ Virgines, ac mille matres, cumque illis Catamitus puer, pudoris ſpoliatus eſt honeſtate. Eadem vbique eſt Iuppiter fabula; neque vllum turpitudinis genus eſt, in quo eius non nomen conſociatis libidinibus conſeratis: vt videatur miſerabilis prorſus vllam non eſſe cauſam ob aliam natus, niſi vt eſſet criminum ſedes, maledictorum materia, locus quidam expoſitus, in quem ſpurcitiæ ſe omnes ſcenarum colluuionibus deriuarent: quæ tamen ſi diceretis cum extraneis habuiſſe commercium feminis, impia res quidem, ſed tolerabilis eſſet maledictionis iniuria: etiamne in matrem, etiamne in filiam efferati pectoris appetitionibus adhinniuit, neque illum ſanctitas, aut reuerentia genitricis, horror etiam pignoris ex ſe ſati, ab imagine potuit tam fœdæ cogitationis abducere, Vellem itaq. videre patrem illum Deorum Iouem? æternam rerum atque hominum poteſtatem, bubulis eſſe cohoneſtatam cornibus, hirſutas agitantem aures, contractis in vngulas greſſibus ruminantem pallentes herbas, & ex parte poſtica caudam ſuffragine, tali molliſsimo perlitum, atque inteſtina proluuie delibutum. Vellem, inquam, videre (dicendum eſt enim ſæpius) torquentem illum ſidera, & qui pallidas nationes fragore perterret, & proſternit, conſectantem veruecum greges, inſpicientem teſticulos arietinos, arripientem hos manu cenſoria illa atque diuina, qua vibrare coruſcos ignes, & ſæuire fulminibus ſuetus eſt; tum deinde ſecreta rimantem feruenti nullas, ſubmotisq. arbitris, circumiectas prolibus diripientem membranulas, feruentiq. adhuc matri velut quaſdam inſulas eliciendæ miſeratio-

nis offerentèm : deductum, pallidum, ſaucium, ſimulantem doloris cruces ; & ad fidem facto faciendam, arietino ſanguine coinquinatum, & mendacia vulneris laneis faſcijs, linteolisq. contectum. Hoccine audiui & perlegi ſub mundi hoc axe? & eos, qui hæc tractant, exiſtimari ſe velle pios, ſanctos, religionumq. cuſtodes? Eſtne aliquod ſacrilegium hoc maius? aut vlla gens inueniri tam irreligioſis poteſt opinionibus prædita, quam quæ talia credit, aut accipit, aut ſacrorum intimis in myſterijs prodit? Iupiter ille (quicumque eſt) ſi ſentiret ſe eſſe, aut ſi vllo ſenſu afficeretur iniuriæ, nonne digna res eſſet, propter quam iratus, & percitus, terram noſtris ſubduceret greſſibus, Solis lumina extingueret, atque Lunæ, quinimo res omnes in antiquæ ſpeciem confunderet vnitatis? Vultis enim conſideremus myſteria, & illa diuina, quæ Theſmophoria nominantur à Græcis, quibus gente ab Attica ſancta illa peruigilia conſecrata ſunt, & Phannicijs ni graue; vultis inquã; videamus, quas origines habeant, quaſve cauſas, vt Athenas etiam probemus ipſas humanitatis artibus, ſtudijsq. pollentes, tàm in Deos dicere contumelioſa quàm dictent alij, nec minora ab eis probra, quàm ceteris obijciãtur, à vobis religionis ſub ſpecie publicari? Quodam (inquiunt) tempore, cum in Siciliæ pratulis purpureos legeret nondum mulier flores, & adhuc virgo Proſerpina, cumque illam per floream meſſem huc atque illuc paſſim lectionis cupiditas auocaret, per profundæ altitudinis ſpeluncam Rex profiliens manium, raptam virginem ſecum vehit, & terrarum abſconditur ſucceſſibus rurſus. Quod cum factum neſciret Ceres, nec filia eſſet, vbinam gentium ſuſpicaretur, intendit animum perditam toto in orbe conquirere; ſumit faces geminas; flãmis onere preſſas Aetneis, quibus ſibi prælucens pergit ire quæſitum terrarum in regionibus cunctis. In iſtius conquiſitionis errore, Eleuſinos etiã peruehitur fines (pagi iſtud eſt nomen regione in Attica conſtituti) qui illud temporis has partes incolebant terrigenæ, quibus nomina hæc fuerant. Baubo Triptolemus capellarum Diſaulis cuſtos Eubo-leus porcorum gregis Lanitij. Eumolpus, à quo gens & fluit Eumolpidarum, & ducitur clarum illud apud Cecropios nomen, & qui poſtea floruerunt Caduceatores Hierophantæ, atque præcones. Igitur Baubo illa, quam incolam diximus Eleuſini fuiſſe pagi, malis multiformibus fatigatam accipit hoſpitio Cererem, adulatur obſequijs mitibus, reficiendi corporis rogat curam, vt habeat; ſitienti ardori oggerit potionem Cynum Cyceonem; quã nuncupat Græcia: auerſatur, & reſpicit humanitatis officia mærens Dea, nec eam fortunam perpetitur valetudinis meminiſſe communis. Rogat illa atque hortatur contra (ſicut mos eſt in huiuſmodi caſibus) ne faſtidium ſuæ humanitatis aſſumat: obſtinatiſſime durat Ceres, & rigoris indomiti pertinaciam retinet. Quod cum ſæpius fieret, neque vllis quiret obſequijs ineluctabile propoſitum fatigari, vertit Baubo artes, & quam ſerio non quibat allicere, ludibriorum ſtatuit exhilarare miraculis: partem illam corporis, per quam ſexus femineam, & ſobolem proderet, & nomen ſolet acquirere genericum, longiore ab incuria liberat, facit ſumere habitum puriorẽ, & in ſpeciem leuigari nondum duri atque ſtriculi puſionis: redit ad Deam triſtem, & inter illa communia, quibus moris eſt frangere, ac temperare mærores, retegit ſe ipſam, atque omnia illa pudoris loca reuelatis monſtrat inguinibus, atque pubi affigit oculos Diua, & inauditi ſpecie ſolaminis pa-

ſcitur,

ſtitur, tum diffuſior facta, per riſum aſpernatam ſumit, atque ebibit potionem, & quod diu nequiuit verecundia Baubonis exprimere, propudioſi facinoris extorſit obſcenitas. Calumniari nos improbe, ſi quis fortè hominum ſuſpicatur, libros ſumat Threijcij vatis, quos antiquitatis memoratis eſſe diuinæ, & inueniet nos nihil, neque callide fingere, neque quo ſint riſui Deum quærere, atque efficere ſanctitates: ipſos namq. in medio ponemus verſus, quos Calliopes filius ore edidit Græco, & cantando per ſæcula iuri publicauit humano.

Sic effata, ſimul veſtem contraxit ab imo,
Obiecitq. oculis formatas inguinibus res,
Quas caua ſuccutiens Baubo manu, nam puerilis
Olli vultus erat, plaudit contrectat amicè.
Tum Dea defigens auguſti luminis orbes
Triſtitias animi paulum, mollita reponit:
Inde manu poclum ſumit, riſuq. ſequenti
Perducit totum Cyceonis læta liquorem.

Conſtructio admirabilis templi Serapis, & quomodo fuerit ſubuerſum, & ortus ſuperſtitionis, quæ in ipſo vigebat. Cap. 9.

EVſebius vero Cæſarienſis in Eccleſiaſtica hiſtoria quam ſcripſit, talia exempla inſipientia Gentilium ad Idola inſanientium, commemorat. *Euſeb. in hiſt. Eccleſ. lib. 11. c. 23* Serapis apud Alexandriam templum auditum quidem omnibus puto, pleriſque vero etiam notum. Locus eſt non natura, ſed manu & conſtructione per centum, aut eò amplius gradus in ſublime ſuſpenſus; quadratis & ingentibus ſpacijs omni ex parte diſtentus, cuncta vero quoad ſummum pauimentum euadatur, opere forniceo conſtucta, quæ immiſsis deſuper luminaribus, & occultis adytibus inuicem In ſemet diſtinctis, vſum diuerſis miniſterijs, & clandeſtinis officijs exhibebant. Iam vero in ſuperioribus extrema totius ambitus ſpacia occupant exedræ, & paſtophoria, domuſq. in excelſum porrectæ, in quibus vel Æditui, vel ij, qui ſe caſtificant, cõmanere ſoliti erant. Porticus quoque poſt hæc omnem ambitum quadratis ordinibus diſtinctæ intrinſecus circuibant; in medio totius ſpacij ædes erat pretioſis edita columnis, & marmoris ſaxo extrinſecus ample, magnificeq. conſtructa. In hac ſimulacrum Serapis ita erat vaſtum, vt dextera vnum parietẽ, alterum læua perſtringeret. Quod mõſtrum ex omnibus generibus metallorum, lignorumq. compoſitum ferebatur. Interiores delubri parietes, laminis primo aureis veſtiti, ſuper has argenteis, ad poſtremum æris habebantur, quæ munimento pretioſoribus metallis forent. Erat etiam quædam ad ſtuporem, admirationemq. videntium, dolis & arte compoſita feneſtra perexigua ab ortu Solis, ita aptata, vt die, qua inſtitutum fuerat, ſimulachrum Solis ad Serapim ſalutandum introferri, diligenter templi foribus obſcratis ingrediente Simulachro, radius Solis per eandem feneſtram directus, os, & labra Serapis illuſtraret, ita vt inſpectante populo, oſculo ſalutatus Serapis videretur à Sole. Erat & aliud fraudis genus huiuſmodi. Natura lapis magnes huius virtutis eſſe perhibetur, vt ad ſe rapiat, & attrahat ferrum.

Signum

Signum Solis ad hoc ipſum ex ferro ſubtiliſſimo manu artificis fuerat fabricatum, vt lapis (cuius naturam ferrum ad ſe trahere diximus) deſuper in laquearibus fixus, cum temperate ſub ipſo ad libram fuiſſet poſitum ſimulachrum, vt naturali ad ſe raperet ferrum, adſurrexiſſe paululum ſimulachrum, & in aere pendere videretur, Et ne hoc lapſu propero proderetur, miniſtri fallaciæ, ſurrexit (aiebant) ſol, vt tale dicens, Serapi diſcedat ad propria. Sed & multa alia decipiendi cauſa à veteribus in loco fuerant conſtructa, quæ nunc longũ eſt enumerare per ſingula. Verum (vt dicere cœperamus) reſcripto recitato parati quidem noſtrorum populi ad ſubuertendum erroris authorem, perſuaſio tamen quædam ab ipſis gentilibus fuerat diſperſa, quod ſi humana manus ſimulachrum illud contigiſſet, terra dehiſcens illico ſolueretur in chaos, cælumq. repente præceps. Quæ res paululum ſtuporem quemdam populis dabat. Cum ecce vnus ex militibus, fide, quam armis magis munitus, correptam bipennem inſurgens omni niſu maxillæ veteratoris illidit. Clamor attollitur vtrorumq. populorum, neque tamen aut cælum ruit, aut terra deſcendit. Inde iterum atque iterum repetens putris ligni fumoſum genium cedit. Quodque deiectum igni adhibito, tam facile, quam lignum aridum conflagrauit. Poſt hæc reuulſum ceruicibus & depreſſum modo trahitur caput. Tum pedes, aliaq. membra cæſa ſecuribus, & rapta funibus diſtrahuntur, ac per ſingula loca membratim in conſpectu cultricis Alexandriæ ſenex veternoſus exuritur. Ad vltimum truncus, qui ſuperfuerat in amphitheatro concrematur, vanæq. ſuperſtitionis & erroris antiqui, ac Serapis, hic finis fuit. De cuius origine diuerſa fertur opinio paganorum. Alij Iouem putant, cuius capiti modius ſuperpoſitus, vel quia cum menſura, modoq. cuncta indicet moderari, vel vitam mortalibus frugũ largitate præberi. Alij virtutem Nili fluminis, cuius Aegyptus opibus, & fœcunditate paſcatur. Quidam in honorem noſtri Ioſeph formatum perhibent ſimulachrum ob dimenſionem frumenti, qua famis tempore ſubuenit Aegyptijs. Alij repertum in hiſtorijs Græcorum veteribus, ferunt Apim quemdam patremfamilias, ſeu Regem in Aegypto Memphis poſitum cum famis tempore frumenta apud Alexandriam defeciſſent, ex proprio affatim ciuibus alimenta præbuiſſe. Quo defuncto in honorem eius inſtituerunt apud Memphim templum, in quo bos, quaſi indicium optimi agricolæ nutritur, habens quædam coloris inſignia, qui ex nomine eius Apis appelletur. Soron vero, ideſt ſepulchrum, in quo corpus eius inerat, Alexandriam deduxerunt, & Soronapis primo ex compoſitione Serapin, poſt vero per corruptionem, Serapin nominatum. Quod verum ſit, aut nihil omnino, de his Deus viderit. Sed ad incæptum redeamus.

Infandæ fraudes Paganorum in templo Serapis, quæ detectæ, & abolitæ ſunt. Cap. 10.

Euſeb. Caſ. hiſt. Eccl. lib. 11. cap. 24.

POſt hæc, capite ipſo Idolatriæ deiecto, ſtudijs vigilantiſſimi ſacerdotis, quæcumque fuerant per totam Alexãdriam portenta potius quam ſimulachra, pari exitu, & ſimili dedecore publicantur. Horret animus dicere, qui miſeris mortalibus laquei à Dæmonibus præparati ſunt. Quæ funera, quæ ſcelera in illis, quæ dicebantur abdita, tegebantur. Quot ibi infantum

deſecta

defecta capita inauratis labris inuenta ſunt, quot miſeriarũ cruciabiles mortes depictæ. Quæ cum proderentur in lucẽ, ac ſub auras prolata ferrentur, licet confuſione ipſa Gentiles & pudore diffugerent, tamen ſi quis adeſſe potuit, mirabatur tot ſeculis ſe illis tam nefarijs, & tam pudendis fraudibus irretitum. Vnde & plurimi ex his condemnato errore & ſcelere deprehenſo, fidem Chriſti, & cultum veræ religionis amplexi ſunt. Nam vt omittam cetera flagitia, quæ in alijs locis vi necatis paruulis, deſpicatisq. ob fibrarum inſpectionem virginibus gerebantur, in vnum ſolummodo, quod in tẽplo Saturni geri, ad omnium venit conſcientiam, memorabo, ex quo etiam cetera, quæ omiſimus prependantur.

Inſignis fraus cuiuſdam ſacerdotis Saturni, qui arte callida adulterium in templo cum mulieribus Alexandriæ committebat. Cap. 11.

SAcerdos erat apud eos Saturni, Tirannus nomine. Hic quaſi ex reſponſo numinis adorantibus in templo nobilibus quibusq. & primarijs viris, quorum ſibi matronæ ad libidinem placuiſſent, dicebat, Saturnum præcepiſſe, vt vxor ſua pernoctaret in templo. Tum is, qui audierat, gaudens, quod vxor ſua dignatione numinis vocaretur, exornatam comptius inſuper, & donarijs onuſtam, ne vacua ſcilicet repudiaretur, coniugem mittebat ad templum. In conſpectu omnium concluſa intrinſecus matrona, Tirannus ianuis clauſis, & traditis clauibus diſcedebat. Deinde facto ſilentio, per occultos, & ſubterraneos aditus intra ipſum Saturni ſimulachrum patulis irrepebat cauernis. Erat autem ſimulachrum illud à tergo exeſum, & parieti diligenter annexum, ardentibusq. intra ædem luminibus, intentæ, ſupplicantiq. mulieri vocem ſubito per ſimulachrum æris concaui proferebat, ita vt pauore & gaudio infælix mulier trepidaret, quod dignam ſe tanti numinis putaret alloquio. Poſteaquam vero, qui libitum fuerat, vel ad conſternationem maiorem, vel ad libidinis incitamentum differuiſſet, numen impurũ arte quadam lineolis obductis, repente lumina extinguebantur vniuerſa. Tum deſcendens obſtupefactæ, & conſternatæ mulierculæ adulterij fucum prophanis commentationibus inferebat. Hæc cum per omnes miſerorum matronas, multo iam tempore gererentur, accidit quandam pudicæ mentis feminam horruiſſe facinus, & attentius deſignantem cognouiſſe vocem Tiranni, ac domum regreſſam, viro de fraude ſceleris indicaſſe. Ille de iniuria coniugis, imo potius ſua, ardentius inflammatus, inſcriptum Tirannum ad tormenta deducit. Quo conuicto, atque confeſſo, ceterisq. fraudibus reuelatis, pudor omnes, & dedecus paganorum peruaſerat domos, adulteris Patribus, incertis patribus, liberis ſpurijs deprehenſis. Quibus diuulgatis & proditis raptim cum ſimulachris, & ædibus excidebantur & crimina.

Euſeb. Cæſa. in hiſt. Ecc. l. 11. cap. 25.

Monſtruoſus error, & ſuperſtitioſum flagitium Sacerdotis Canopi, qui arte callida Deum ſuum aliorum Deorum victorem fecit. Cap. 12.

TVm vero Canopi quis enumeret ſuperſtitioſa flagitia, vbi prætextu ſacerdotalium litterarum (ita etenim appellant antiquas Aegyptiorũ litte-

Euſeb. Caſ. in hiſt. ecclеſ. lib. 11. c. 26.

litteras) magicæ artis erat penè publica ſchola. Quem locum velut fontem quendam, atque originem Dæmonum,in tantum venerabantur Pagani, vt multo ibi maior celebritas, quàm apud Alexandriam haberetur. Sed de huius quoque monſtri errore cuiuſmodi originem tradât, abſurdum non erit paucis exponere. Ferunt aliquando Chaldæos ignem Deum ſuum circumferentes,cum omnium prouinciarum Deis habuiſſe conflictum. Quo ſcilicet, qui viciſſet, hic eſſe Deus ab omnibus crederetur. Reliquarum Prouinciarum Dij,æris, aut argenti, aut ligni, vel lapidis, vel ex quacumque materia conſtabant, quæ per ignem proculdubio corrumperetur. Ex quo fiebat, vt ignis locis omnibus obtineret. Hæc cum audiſſet Canopi ſacerdos, callidum quiddam excogitauit. Hidriæ fieri ſolent in Aegypti partibus fictiles, vndique crebris, & minutis admodum foraminibus patulæ, quibus turbida aqua deſudans,defæcatior, ac purior redditur. Harum ille vnam cera foraminibus obturatis,deſuper etiam varijs coloribus pictam, aqua repletam, ſtatuit, vt Deum. Et exciſum veteris ſimulachri, quod Menelai Gubernatoris ferebatur, caput deſuper poſitum diligenter aptauit. Adſunt poſthæc Chaldæi. Igitur in conflictum circa Hidriam ignis accenditur,cera, qua foramina fuerant obturata,reſoluitur,ſudante Hidria,ignis extinguitur,Sacerdotis fraude Canopus Chaldæorum victor oſtenditur. Vnde ipſum Canopi ſimulachrum pedibus perexiguis attracto collo, & quaſi ſugillato, ventre tumido in modum hidriæ cum dorſo æqualiter tereti, formatur, & ex hac perſuaſione velut Deus victor omnium colebatur. Sed profecerint hæc fortaſſe aliquando Chaldæis. Nunc vero aduentante Sacerdote Dei Theophilo, nullus profuit ſudor, nec ceris fraus obtecta ſubuenit. Vaſtata ſunt omnia, atque ad ſolum deducta.

Maxima Nili fluminis inundatio, poſt deiectum Serapin, quo modo fraudem antiquam teſtata ſit. Cap. 13.

Euſeb. Caſ. in hiſt. Eccleſ ca. 30. lib. 11.

SAne quoniam moris erat in Aegypto, vt menſura aſcendentis Nili fluminis ad templum Serapis deferretur,velut ad incrementi aquarum,& inūdationis authorem. Subuerſo eius ſimulachro, igniq. conſumpto, omnes ſimul negabant Serapin iniuriæ memorem,aquas vltra, & affluentiam ſolitam largiturum. Sed vt oſtenderet Deus, non Serapin, qui multo erat Nilo poſterior, ſed ſe eſſe, qui aquas fluminis, temporibus ſuis iuberet excreſcere, tanta ex eo, & deinceps fuit inundatio, quantam fuiſſe prius ætas nulla meminerat. Et ideo vlna ipſa,ideſt, aquæ menſura, quam Poechim vocant, ad aquarum Dominum in Eccleſia cæpta deferri. Sed vbi hæc geſta religioſo Principi nunciata ſunt, extentis ad cælum palmis, cum ingenti fertur exultatione dixiſſe: Gratias tibi Chriſte,quod abſque Vrbis magna pernicie, tam vetuſtus error extinctus eſt.

Deriſio multiplicium Deorum, qui nefando cultu toto orbe Romano turpiter colebantur, & miſerabilis ſtatus totius mundi. Cap. 14.

Aug. de Ciuit. Dei li. 6. cap. 7.

SEd & Diuus Auguſtinus magis quàm ceteri abſurdam Romanorum impietatem proſequitur, obijciens illis ſtultiſſimam religionem, quæ

apud ipſos vigebat, vbi inter cetera hæc habet.

Reuocatur igitur ad theologiam ciuilem theologia fabuloſa, theatrica, ſcenica indignitatis, & turpitudinis plena. Et hæc tota, quæ merito culpanda, & reſpuenda iudicatur, pars huius eſt, quæ colenda, & obſeruanda cenſetur, non ſane pars incongrua, ſicut oſtendere inſtitui, & quæ ab vniuerſo corpore aliena importune illi connexa atque ſuſpenſa ſit, ſed omnino conſona, & tamquam eiuſdem corporis membrum, conuenientiſſime copulata. Quid enim aliud oſtendunt illa ſimulachra, formæ, ætates, ſexus, habitus Deorum? Nunquid barbatum Iouem, imberbem Mercurium poetæ habent, Pontifex non habet? Nunquid Priapo Mimi non etiam ſacerdotes enormia pudenda fecerunt? An aliter ſtat adorandus in locis ſacris, quam procedit ridendus in theatris? Num Saturnus ſenex, Apollo Ephebus, ita perſonæ ſunt hiſtrionum, vt non ſint ſtatuæ delubrorum? Cur Ferculus, qui foribus præeſt, & Limentinus, qui limini, dij ſunt maſculi, atque inter hos Cardea femina eſt, quæ cardinem ſeruat? nonne iſta in rerum diuinarum libris reperiuntur, quæ graues poetæ ſuis carminibus indigna dixerunt? numquid Diana theatrica portat arma, & vrbana ſimpliciter virgo eſt? Nũquid ſcenicus Apollo cithariſta eſt, & ab hac arte Delphicus vacat? ſed hæc honeſtiora ſunt in comparatione turpiorum. Quid de ipſo Ioue ſenſerunt, qui eius nutricem in Capitolio poſuerunt? Nonne atteſtati ſunt Euemero, qui omnes tales Deos non fabuloſa garrulitate, ſed hiſtorica diligentia homines fuiſſe, mortaleſq. conſcripſit? Epulones etiam Deos paraſitos Iouis ad eius menſam, qui conſtituerunt, quid aliud quam mimica ſacra eſſe voluerunt? Nam paraſitos Iouis ad eius conuiuium adhibitos ſi Mimus dixiſſet, riſum vtique quæſiſſe videretur. Varro dixit: non cum irrideret Deos, ſed cum commendaret, hoc dixit, diuinarum, non humanarum rerum libri, hoc eum ſcripſiſſe teſtantur. Nec vbi ludos ſcenicos exponebat, ſed vbi Capitolina Iura pandebat. Denique à talibus vincitur, & fatetur, ſicut forma humana Deos fecerunt, ita eos delectari humanis voluptatibus crediddiſſe. Non enim & maligni ſpiritus ſuo negotio defuerunt, vt has noxias opiniones humanarum mentium ludificatione firmarent. Vnde etiam illud eſt, quod Herculis æditũuus, otioſus, atque feriatus, luſit teſſeris ſecum vtraque manu alternante, in vna conſtituens Herculem, in altera ſeipſum, ſub ea conditione, vt ſi ipſe viciſſet, de ſtipe templi ſibi cœnam pararet, amicamq. conduceret; ſi autem victoria Herculis fieret, hoc de pecunia ſua voluptati Herculis exhiberet, deinde cum à ſeipſo, tamquam ab Hercule victus eſſet, debitam cœnam, & nobiliſſimam meretricem Iaurentinam Deo Herculi dedit. At illa cum dormiſſet in templo, vidit in ſomnis Herculem ſibi eſſe commixtum, ſibiq. dixiſſe, quod inde diſcedens, cui primum iuueni obuia fieret, apud illum eſſet inuentura mercedem, quam ſibi credere deberet ab Hercule perſolutam. Ac ſic abeunti, cum primus Iuuenis ditiſſimus, Taruntius occurriſſet, eamq. dilectam ſecum diutius habuiſſet, ille hærede relicta, defunctus eſt. Quæ ampliſſimam adepta pecuniam, ne diuinæ mercedi videretur ingrata, quod acceptiſſimum putauit eſſe numinibus, populum Romanum etiam ipſa ſcripſit hæredem, atque illa non comparente, inuentum eſt teſtamentum, quibus meritis eam ferunt etiam honores meruiſſe diuinos.

Hæc ſi Poetæ fingerent, ſi Mimi agerent ad fabuloſam Theologiam dicerentur

rentur proculdubio pertinere, & à ciuilis Theologiæ dignitate ſeparanda iudicarentur. Cum vero hæc dedecora non Poëtarum, ſed populorum, non Mimorum, ſed ſacrorum, non Theatrorum, ſed templorum, idêſt non fabuloſæ, ſed ciuilis Theologiæ à tanto authore produntur, non fruſtra hiſtriones ludicris artibus fingunt Deorum, quæ tanta eſt, turpitudinem, ſed planè fruſtra ſacerdotes velut ſacris ritibus conantur fingere Deorum, quæ nulla eſt, honeſtatem. Sacra ſunt Iunonis, & hæc in eius dilecta Inſula Samo celebrantur, vbi nuptum data eſt Ioui. Sacra ſunt Cereris, vbi à Plutone rapta Proſerpina quæritur. Sacra ſunt Veneris, vbi amatus eius Adonis aprino dente extinctus iuuenis formoſiſſimus plangitur. Sacra ſunt matris Deum, vbi Atys pulcher adoleſcens ab ea dilectus, & muliebri zelo abſciſſus, etiam hominum abſciſſorum, quos Gallos vocant, infelicitate deploratur. Hæc cum deformiora ſint omni ſcenica fœditate, quid eſt, quod fabuloſa de Dijs figmenta poetarum ad theatrum videlicet pertinentia, velut ſecernere ad Vrbem volunt, quaſi ab honeſtis & dignis indigna & turpia? Itaq. potius eſt, vnde gratiæ debeantur hiſtrionibus, qui oculis hominum pepercerunt, nec omnia ſpectaculis nudauerunt, quæ ſacrarum ædium parietibus occulantur. Quid de ſacris eorum boni ſentiendū eſt, quæ tenebris operiuntur, cum tàm ſint deteſtabilia, quàm proferantur in lucem? Et certè quid in occulto agant per abſciſſos, & molles, ipſi viderint. Eoſdem tamen homines infeliciter, ac turpiter eneruatos, atque corruptos minime occultare potuerunt.

Alia Gentilium deliramenta circa Numina ſua, in quibus perſpicitur, quàm obcæcatæ eſſent mentes Gentium, & in quot puteos errorum prolapſæ erant, ex quibus eruit eas Chriſti gratia. Cap. 15.

August. de Ciu. Dei li. 6. c. 9. QVid ipſa numinum officia, tàm viriliter, minutatimq. conciſa, propter quod eis dicunt pro vniuſcuiuſque proprio munere ſupplicari oportere? Vnde non quidem omnia, ſed multa iam diximus. Nonne ſcurrilitati mimicæ magis quàm diuinæ conſonant dignitati? Si duas quiſque nutrices adhiberet infanti, quarum vna nihil niſi eſcam, altera nihil niſi potum daret, ſicut iſti ad hoc duas adhibuerunt deas, Edulicam & Potinam, nempe deſipere, & aliquid mimo ſimile in ſua domo agere videretur. Liberum à liberamento appellatum volunt, quòd mares in coëundo per eius beneficium emiſſis ſeminibus liberentur. Hoc idem in fœminis agere Liberam, quam etiam Venerem putant, quòd & ipſas perhibeant ſemina emittere, & ob hoc Libero eandem virilem corporis partem in templo poni, fœminam Liberæ. Ad hæc addant mulieres attributas Libero & vinum, propter libidinem cōcitandam. Sic Bacchanalia ſumma celebrantur inſania, vbi Varro ipſe confitetur à Bacchantibus talia fieri non potuiſſe, niſi mente commota. Hæc tamen poſtea diſplicuerunt Senatui ſaniori, & ea iuſſit auferri. Saltem hic tandem forſitan ſenſerunt, quid immundi ſpiritus, dum pro Dijs habentur, quid in hominum poſſint mentibus. Hæc certè non fierent in Theatris. Ludunt quippe ibi, non furunt, quamuis Deos habere, qui etiam ludis talibus delectentur, ſimile ſit furoris. Quale autem illud eſt, quod cum religioſum

gioſum à ſuperſtitioſo ea diſtinctione diſcernat, vt à ſuperſtitioſo dicat timeri Deos, à religioſo autem tantum vereri, vt parentes, non vt hoſtes timeri, atque omnes ita bonos dicat, vt facilius ſit eos nocentibus parcere, quàm lædere quemq. innocentem? Tamen mulieræ fœtæ poſt partum tres Deos cuſtodes commemorat adhiberi, ne Syluanus Deus per noctem ingrediatur, & vexet, eorumq. cuſtodum ſignificandorum cauſa tres homines noctu circumire limina domus, & primo limen ſecuri ferire, poſtea pilo, tertio deuerrere ſcopis, vt his datis culturæ ſignis, Deus Syluanus prohibeatur intrare, quia neque arbores cæduntur ac putantur ſine ferro, neque far conficitur ſine pilo, neque fruges coaceruantur ſine ſcopis. Ab his autem tribus rebus tres nuncupatos Deos, Intercidonem à ſecuris interciſione; Pilumnum, à pilo; Deuerram à ſcopis, quibus Dijs cuſtodibus contra vim Dei Syluani fœta conſeruaretur.

Ita contra Dei nocentis ſæuitiam non valeret cuſtodia bonorum, niſi plures eſſent aduerſus vnum, eiq. aſpero, horrendo, inculto, vtpotè ſyluestri ſignis culturæ, tamquam contrarijs repugnarent. Iſtanè eſt innocentia Deorum? iſta concordia? Hæccine ſunt numina ſalubria vrbium, magis ridenda, quàm ludibria poetarum & theatrorum? Cum mas & femina coniunguntur, adhibetur Deus Iugatinus, ſit hoc ferendum. Sed domum eſt ducenda quæ nubit, adhibetur Deus Domiducus. Vt in domo ſit, adhibetur Deus Domitius. Vt maneat cum viro, additur Dea Manturna. Quid vltra quæritur? Parcatur humanæ verecundiæ, peragat cetera concupiſcentia carnis & ſanguinis, procurato ſecreto pudoris. Quid? impletur cubiculum turba numinum, quando & paranimphi inde diſcedunt? Et ad hoc impletur, non vt Deorum præſentia cogitata maior ſit cura pudicitiæ, ſed vt feminæ ſexu infirmæ, nouitate pauidæ, illis cooperantibus, ſine vlla difficultate virginitas auferatur. Adeſt enim Dea Virginenſis, & Deus Pater Subigus, & Dea mater Prema, & Dea Partunda, & Venus, & Priapus. Quid eſt hoc? Si omnino laborantem in illo opere virum ab Dijs adiuuari oportebat, non ſufficiebat aliquis vnus, aut aliqua vna? Nunquid Venus ſola parum eſſet, quæ ob hoc etiam dicitur nuncupata, quod ſine eius vi, femina Virgo eſſe non deſinat? ſi vlla eſt frons in hominibus, quæ non eſt in numinibus, nonne cum credunt coniugati tot Deos vtriuſque ſexus eſſe præſentes, & huic operi inſtantes, ita pudore afficiuntur, vt & ille minus moueatur, & illa plus reluctetur? Et certè ſi adeſt Virginenſis Dea, vt Virgini zona ſoluatur, ſi adeſt Deus Subigus, vt viro ſubigatur; ſi adeſt Dea Prema, vt ſubacta, ne ſe commoueat, comprimatur, Dea Partunda ibi, quid facit? Erubeſcat, eat foras, agat aliquid & maritus. Valde inhoneſtum eſt, vt quid vocatur illa, impleat quiſquam niſi ille. Sed fortè ideo toleratur, quia Dea dicitur eſſe, non Deus; nam ſi Deus maſculus crederetur, & partundus vocaretur, maius contra eum pro vxoris pudicitia poſceret maritus auxilium, quàm fœta contra Syluanum. Sed quid hoc dicam, cum ibi ſit, & Priapus nimis maſculus, ſuper cuius immaniſſimum, & turpiſſimum faſcinum ſedere noua nupta iubebatur, more honeſtiſſimo, & religioſiſſimo matronarum? Eant adhuc & ciuilem Theologiam à Theologia fabuloſa, Vrbes à theatris, templa à ſcenis, ſacra pontificum à carminibus poetarum, velut res honeſtas à turpibus, veraces à fallacibus, graues à leuibus, ſerias à ludicris, appe-

tendas

tendas à reſpuendis, qua poſſunt quaſi conentur ſubtilitate diſcernere.

Rurſus aliæ portentoſæ monſtruoſitates, & nefandus cultus falſorum Deorum omni turpitudine plenus. Cap. 16.

Aug. de ciuit. Dei, l. 7. cap. 26. ITemq. de mollibus eidem Matri Magnæ contra omnem virorum, mulierumq. verecundiam conſecratis, qui vſque heſternum diem madidis capillis, facie dealbata, fluentibus membris, inceſſu femineo per plateas, vicoſq. Chartaginis etiam à populis vnde turpiter viuerent, exhibebant, nihil Varro dicere voluit, nec vſpiam me legiſſe commemini. Defecit interpretatio, erubuit ratio, conticuit oratio. Vicit Matris Magnæ omnes Deos filios non numinis magnitudo, ſed criminis. Huic monſtro, nec monſtruoſitas Iani comparatur: Ille in ſimulachris habebat ſolam deformitatem, iſta in ſacris deformem crudelitatem. Illi membra in lapidibus addita, hæc in hominibus perdita. Hoc dedecus tot Iouis ipſius vitia, & tanta ſtupra non vincunt. Ille inter femineas corruptelas vno Ganymede cælum infamauit, iſta tot mollibus profeſsis & publicis, & inquinauit terram, & cælo fecit iniuriam. Saturnum fortaſſe poſſemus huic in iſto genere turpiſſimæ crudelitatis, ſiue conferre, ſiue præferre, qui patrem caſtraſſe perhibetur, ſed in Saturni ſacris homines alienis manibus potius occidi, quam ſuis abſcidi potuerunt. Deuorauit ille filios ſuos, & vt poetæ ferunt, & phyſici ex hoc interpretantur, quod volunt; vt autem hiſtoria prodit, necauit. Sed quod ei Pœni ſuos filios ſacrificauerunt, non recepere Romani. At vero iſta magna Deorum Mater etiam Romanis templis caſtratos intulit, atque iſta ſæuitiam moremq. ſeruauit credita vires adiuuare Romanorum, exſecãdo virilia virorum, Quid ſunt ad hoc malum Mercurij furta, Veneris laſciuia, ſtupra, & turpitudines ceterorum, quæ proferremus de libris, niſi quotidie cantarentur, & ſaltarentur in theatris? Sed hæc qui ſunt ad tantum malum, cuius magnitudo magnæ Matri tantummodo competebat, præſertim quod illa dicũtur à Poetis eſſe conficta, quaſi Poetæ id etiam finxerint, quod ea ſint Dijs grata, & accepta? Vt ergo cantarentur, vel ſcriberentur, audacia fuit, vel petulantia poetarum; vt vero diuinis rebus, & honoribus eiſdem imperantibus & extorquentibus numinibus adderentur, quid eſt niſi crimen Deorum, immo vero confeſſio dæmoniorum, & deceptio miſerorum.

Eo autem incurrerat apud Romanos mentis cæcitas & in colendis Dijs falſis inſania, vt crederent Deos ſuos, rerum venerearum cupidos eſſe, & libidinibus commoueri, & mulieres hominum more adamare, & amplexus concupiſcere, & concubitus appetere, & adulteria committere, quod apud homines erat ſcelus, Dijs permiſſum arbitrabãtur. Sed enarremus huiuſmodi exemplum, vt clarius ſplendeſcat puritas, & candor Chriſtianæ veritatis.

Cap. 17.

Ioſeph. antiq. lib. 18. cap. 7. IN templo Iſidis, quod Romæ fuerat conſtitutum, factum quoddam turpitudine plenum, opprobrioq. contigit, quod fuit hoc modo. Paulina quædam mulier erat Romæ maiorum dignitate præclara, ſtudio caſtitatis intenta, honeſtatis opinione perſpicua. Erat etiam opum magnitudine

ne locuples, & vultus pulchritudine decora: ætate autem, quando maxime mulieres pudicitia decorantur. Hæc nupta erat Saturnino, etiam ipſi genere, opibus, ceteroq. cultu conſimili. Huius itaque amore detinetur iuuenis quidam; nomine Mundus, ex numero Equeſtri, ſed in gradu iam emerito conſtitutus, & dignitate magna ſublimis, idoneus etiam ad munera largienda, ſumptusq. faciendos. Nam memoratæ quoque mulieri maiora dona promiſerat, quæ illa contemnente, maximo fuerat amore ſuccenſus, vt etiam viginti myriadas drachmarum Atticarum ſe daturum pro vno concubitu ſpopondiſſet. Sed neque ſic illa deflexa eſt. Tum ille nimiam infelicitatem morbi ſuſtinens: ſi quidem neque cibum volebat accipere, morti ſe addixerat, hoc vnum ſibi iudicans tanti mali fore remedium. Et ille quidẽ tale decretum animo infigens, per dies ſingulos hoc agebat, vt celeri morte raperetur. Erat autem eidem Mundo liberta quædam ex parentibus, nomine Ida, omnium malorum & iniquitatum coagulum. Quæ grauiter ferens, quod ille iuuenis ſe damnaret in mortem (nam clarebat omnino periturus) accedens erexit eum: & cœpit eum eo talia fabulari, quæ animum eius bonæ ſpei facerent. Promittebat ſe namque acturum apud Paulinam, vt quinque myriadas accipiens, concederet iuueni, quod volebat. His itaque dictis iuuenem de morte reuocans, ſumpſit ab eo pecuniæ quantum placuerat, ſed non eadem via Paulinam aggreditur, qua fuerat ante tentata: cernens animum mulieris nullo modo capi pecunijs. Sciens vero, quod admodum eſſet illa cultura Iſidis occupata, tale aliquid machinatur. Accedit ad quoſdam ex templo Iſidis ſacerdotes, quibus interpoſitione iuſiurandi fidem ſeruare perſuaſit, dans etiam in præſenti duas myriadas, & dimidiam; promittens etiam aliud tantum, ſi quod vellet, habuiſſet effectum. Tunc cauſam aperit, amorem iuuenis indicat: orat, vt & mulierem quibus poſſent modis, inducerent. Illi autem pecuniarum cupidine capti promittunt quicquid imperaret, protinus impleturos: præſertim autem ipſe Maximus ſacerdotum, vt Paulinam conueniret, ac ſuis verbis impleret, pollicetur. Finxit itaque ſe ex Aegypto veniſſe ab Anubi deſtinatum, quod is grandi circa Paulinam amore teneretur, eumq. Deum ſibi iuſſiſſe, vt Romam veniret, mulieriq. præcepta nũminis apportaret. Libenter illa & exoptabiliter ſucipit, atque ad amicas gloriando denuntiat, quod ab Anubi tali merito digna iudicetur. Hoc etiam indicat & marito, quod ab ea thorum & cœnam Anubis concupiſcat. Ille autem grate conceſſit, pudicitiam coniugis non ignorans. Illa igitur pergit ad templum, & cum cœnaſſet, tempusq. quieſcendi veniſſet, vniuerſæ ianuæ à ſacerdote claudũtur, cuncta quoque lumina ſubtrahuntur: Mundus autem intro latebat occultus. Qui poſtquam ſilẽtium factum eſt, ad mulierem deuenit. Illa autem exiſtimans Deum eſſe, reuerenter accipit: atque ita cum ea Mundus pernoctans, circa viciniam lucis abſceſſit. Illa autem mane facto conſurgens, atque ad ſuum virum veniens, aduentum ad ſe numinis enarrauit. Similiter etiam loquitur ad amicas, magnam ſibi ex hoc glorificationẽ reputans proueniſſe: & quia verba quoque ad illam feciſſet Anubis, indicabat. Sed ex audientibus alij non credebant, naturam inſpicientes rei, alij autem credebant: quidam vero ad miraculum ducebãt, pudicitiam attendentes, dignitatem referentes. Tertia vero die, poſtquam factum eſt; occurrens ei Mundus: O Paulina, inquit, ſaluaſti mihi viginti

C myria-

myriadas, quas potuiſſes familiaribus tuis rebus adijcere, nunc autem nec meis poſtulationibus defuiſti, & damnificatione liberaſti. Nam in tēplo tota nox à te cum Mundo peracta eſt: nec mei nominis intereſt voluptate percepta. Nihil enim ad perficiendum negotium obfuit, quod Anubis vocitatus ſum. Et ille quidem talia locutus abſceſſit. Illa vero in mentem ſuam redigens; tunc primum illud facinus intellexit: & ſciſſis protinus veſtimentis ad virum accurrit, fictionemq. aperuit tàm magni facinoris, deprecata ne ſuam iniuriam negligeret. At ille Imperatori cuncta denuntiat. Tunc Tyberius diligenter cauſam examinās, vniuerſum ſacerdotum ſcelus inuenit: & ipſos quidem cum Ida, quæ cauſa totius iniquitatis extiterat, adegit in cruces: templum autem ipſum funditus euertit, ſtatuamq. Iſidis in Tybrim fluuium iactari præcepit. Mundum autem exilio condemnauit, dignum eum maiore pœna non iudicans, quod amoris vehementia deliquiſſet. Et ea quidem, quæ in templo Iſidis prouenere, tali fine concluſa ſunt.

Sed ne videantur Chriſtiani Scriptores falſo illis tot falſas Deitates imputaſſe, legatur de eodem argumento M. T. Cicero, qui & ipſe Gentilis, hanc Deorum ſuorum inſanam, & monſtruoſam multiplicitatem atque originem enarrat. Cap. 18.

Cic. de Natura Deor. lib. 3.

PIſcem Syri venerantur, omne fere genus beſtiarum Aegyptij conſecrauerunt; iam vero in Græcia multos habent ex hominibus Deos: Alabandū Alabandi: Tenedi Tenem: Leuchotheam, quæ fuit Ino, & eius Palæmonem filium, cuncta Græcia: Herculem Aeſculapium, Tintaridas: Romulum noſtri, aliosq. complures, quos quaſi nouos, & aſcriptitios ciues in cælum receptos putant. hæc igitur indocti. Quid vos Philoſophi, qui meliora? Omitto illa, ſunt enim præclara, ſit ſane Deus ipſe mundus, hoc credo illud eſſe ſublime cādens, quem inuocant omnes Iouem. Quare igitur plures adiungimus Deos? quanta autem eſt illorum multitudo? mihi quidem ſane multi videntur, ſingulas enim ſtellas numeras Deos, easq. aut belluarum nomine appellas, vt Capram, vt Lupam, vt Taurum, vt Leonem, aut rerum inanimatarum, vt Argon, vt Aram, vt Coronam. Sed, vt hæc concedantur, reliqua, qui tandem non modo concedi, ſed omnino intelligi poſſunt? cum fruges Cererem, vinum Liberum dicimus, genere nos quidem ſermonis vtimur vſitato. Sed ecquem tam amentem eſſe putas, qui illud, quod veſcatur, Deum credat eſſe? Nam quos ab hominibus perueniſse dicis ad Deos, tu reddas rationem, quemadmodum id fieri potuerit, aut cur fieri deſierit, & ego diſcam libenter, quomodo nunc quidem eſt, nō video quo pacto ille, cui in monte Oetheo illatæ lampades fuerunt, vt ait Actius, in domum æternam patris ex illo ardore peruenerint: quem tamen Homerus conueniri apud Inferos facit ab Vlyſſe, ſicut ceteros, qui exceſſerant vita, quamquam quem potiſſimum Herculem colamus, ſcire ſane velim. Plures enim tradunt nobis ij, qui interiores ſcrutantur, & reconditas litteras: antiquiſſimum Ioue natum: ſed antiquiſſimo item Ioue: nam Ioues quoque plures in priſcis Græcorū litteris inuenimus. Ex eo igitur, & Lyſito eſt is Hercules, quē concertauiſſe cū Apolline de tripode accepimus. Alter traditur Nilo natus Aegyptius, quem aiunt Phrigias litteras conſcripſiſſe.

fiſſe. Tertius eſt ex Ideis Indigenis, cui inferias afferunt. Quartus Iouis Aſtariæ Latonæ ſororis, quem Tyrij maxime colunt, cuius Carthaginem filiam ferunt: quintus in India, qui Belus dicitur: ſextus hic ex Alcumenia, quem Iuppiter genuit: ſed tertius Iuppiter, quoniam, vt iam docebo, plures Ioues etiam accepimus quando enim me in hunc locum deduxit oratio, docebo meliora me didiciſſe de colendis Dijs immortalibus Iure pontificio & maiorum more capeduncülis his, quas Numa nobis reliquit, de quibus in illa aureola oratiuncula dicit Lælius, quam rationibus Stoicorum; Si enim vos ſequar, dic quid ei reſpondeam, qui me ſic roget: ſi dij ſunt, ſunt ne etiam Nymphæ deæ? ſi Nymphæ: Paniſci etiã & Satyri? hi auté non ſunt; ne nymphæ quidem. deæ igitur: at earũ templa ſunt publice vota, & dedicata, quid igitur? ne ceteri quidẽ ergo dij, quorum templa ſunt dedicata. Age porro Iouem, & Neptunum Deũ numeras; ergo etiam Orcus frater eorum Deus, & illi qui fluere apud Inferos dicuntur, Acheron, Cocytus, Styx, Phlegeton, tum Charon, tum Cerberus Dij putandi? at id quidem repudiandum, ne Orchus quidem igitur: quid dicitis ergo de fratribus? Hæc Carneades agebat, non vt Deos tolleret; quid enim philoſopho minus conueniens? ſed vt Stoicos nihil de Dijs explicare conuinceret. Itaque inſequebatur; quid enim? aiebat, ſi ij fratres ſunt in numero deorum; num de patre eorum Saturno negari poteſt, quem vulgo maxime ad occidentem colunt? qui ſi eſt deus, patrem quoque eius cælum eſſe Deum cõfitendum eſt: quod ſi ita eſt, cæli quoque parentes dij habendi ſunt, æther, & dies, eorumq. fratres, & ſorores, qui à genealogijs antiquis ſic nominantur, Amor, dolus, motus, labor, inuidentia, fatum, ſenectus, mors, tenebræ, miſeria, querela, gratia, fraus, pertinacia, parcæ, heſperides, ſomnia, quos omnes Erebo, & nocte natos ferunt. Aut igitur hæc monſtra probanda ſunt; aut primà illa tollenda. Quid? Apollinem, Vulcanum, Mercurium, ceteros Deos eſſe dices: de Hercule, Aeſculapio, Libero, Caſtore, Polluce, dubitabis? at hi quidem coluntur æquè, atque illi: apud quoſdam etiam multo magis. Ergo hi Dij ſunt habendi mortalibus nati matribus.

Enimuero auctor iſte in eo loco innumeras Deorum ſoboles, & admiratur potuiſſe Gentes tot Deos confingere, & potuiſſe colere numina, quæ ſibi ipſis tam irrationabiliter confinxerãt. Piget autem ſcribere, quæcunque ipſe in eo loco ſcribit, ne nimis lectorem in hoc argumento detineam: ſi cui erit otium illa perlegere, non poterit continere oculos à lachrymis, videns in quales impietatis, & ignorantiæ abyſſos Gentes erant prolapſæ, & laudabit Ieſu Chriſti bonitatem, qui ſic dilexit mundum, vt ab eo tam flagitioſos errores exterminauerit.

Sed ex Templis, & Aedibus in vrbe Romana conſtructis in honorem Deorum vanorum apparebit, quam late regnarent Dæmonia, quæ in templis colebantur apud Romanos, qui & illis offerebant ſacrificia, conſtitutis ad hoc munus Sacerdotibus, & Pontificibus.

Templa, & ædes vrbis Romæ, in quibus Dæmones habitabant, & colebantur vt Dij. Cap. 19.

Publius Victor de regionibus Vrbis Romæ.

Aedes Martis.
Aedes Mineruæ.
Aedes Tempeſtatis.
Area Apollinis.
Area Spei.
Templum Claudij.
Campus Martialis.
Antrum Cyclopis.
Regia Tulli Hoſtilij, templũq. quod is in curiam redegit, ordine à ſe aucto, ideſt, patribus minorum gentium.
Templum Pacis.
Templum Remi.
Templum Veneris.
Templum Fauſtinæ.
Templum Telluris.
Balineum Daphnidis.
Area Vulcani cum Vulcanali, vbi Lotos à Romulo ſata, in qua Area ſanguine per biduum pluit.
Apollo Sandalarius.
Templum Iunonis Lucinæ.
Lucus Fagutalis.
Ara Iouis Viminei.
Minerua Medica.
Iſis Patricia.
Vicus Bellonæ.
Templum Salutis in Colle Quirinali.
Templum Serapeum.
Templum Apollinis & Clatræ.
Templum Floræ, & Circus.
Diuus Fidius in Colle.
Fortuna Publica in Colle.
Templum Quirini.
Lacus Ganymedis.
Nymphæum Iouis.
Templum Solis.
Templum nouum Spei.
Templum nouum Fortunæ.
Templum nouum Quirini.
Sacellum Genij Sangi.
Aedes Victoriæ cum alia ædicula Victoriæ virginis DD. à Portio Catone.
Templum Iulij Cæſaris in Foro.
Victoriæ aurea ſtatua in tẽplo Iouis Opt. Max.
Ficus Ruminalis, & Lupercal Virginis.
Aedes Opis, & Saturni in Vico Iugario.
Templum Caſtorũ ad lacum Iuturnæ.
Templum Concordiæ.
Atrium Mineruæ.
Iani duo celebris mercatorũ locus.
Templum Veſtæ.
Templum Deum Penatium.
Templum Romuli.
Templum Iani.
Aedicula Concordiæ ſupra Græcoſtaſin.
Templum Titi, & Veſpaſiani.
Aedes Veiouis inter arcem, & Capitolium prope Aſylum.
Apollo tranſlatus ex Apollonia à Lucullo xxx. cubitorum.
Delubrum Mineruæ.
Aedicula Iuuentæ.
Templum Carmentæ.
Capitolium, vbi omnium Deorum ſimulachra celebrantur.
Templum Iouis Opt. Max.
Aedes Iouis Tonantis ab Aug. DD. in Cliuo Capitolino.
Templum vetus Mineruæ.
Aedes Herculis victoris duæ, altera ad Portam Trigeminam, altera in foro Boario, cognomine rotunda & parua.
Aedes Matutæ.
Vicus Iugarius, idem & Thurarius, vbi ſunt Aræ Opis & Cereris cum ſigno Vertumni.
Aedes Vertumni in Vico thuſco.
Elephantus herbarius.

Aedes

Aedes antiqua Apollinis cum lauacro.
Aedes Herculi magno, Cuſtodi Circi Flaminij.
Aedes Vulcani in Circo Flaminio.
Iuppiter Pompeianus.
Delubrum Cn. Domitij.
Templum Bruti Callaici.
Campus Martis.
Aedes Iuturnæ ad aquam Virgineam.
Pantheon.
Templum Boni Euentus.
Aedes Bellonæ verſus portam Carmentalem, ante hanc ædem Columna index belli inferendi portus Argonautarum.
Iſeum.
Serapeum.
Mineruium.
Minerua Chalcydica.

Videbitur forſan alicui, pluribus, quam par eſſet, nos oſtendiſſe Dæmonũ fraudes, qui totum orbem dementauerant, & terræ faciem tam denſis tenebris conſperſerant, vt, qui Deum verum, cæli, & terræ Dominum cognoſceret, non eſſet vſque ad vnum. Sed hoc videri non debet ſuperfluum, nam tenebrarum illarum magnitudo, lucis diuinæ gratiam, quæ per Ieſum Chriſtum mundo illuxit, facit clarius ſplendeſcere. Non enim gentes ſatis intelligunt, quantæ virtutis fuerit, tanto veritatis fulgore illuſtraſſe orbem, & præbuiſſe illis ſui Creatoris notitiam, & ſummum bonum, quod apud illam eſt, manifeſtaſſe mortalibus, expulſis prophanis erroribus, confractis ſimulachris, & templis funditus euerſis cum abominatione Idolorum, in quibus Dæmones nequiter latitabant, factiq. mundi huius, & tenebrarum principes, maximã fuerant venerationem conſequuti. Dominus ergo Ieſus Chriſtus alligauit poteſtatem illorum, dominium abſtulit, fregit vires, vt tamquam canis rabidus catena vincti, ad mordendum progredi non poſſint; niſi qui vltrò eorum ſe ingerat faucibus; rugire poteſt, nocere non poteſt, poteſt circuire, vt deuoret, ſed non deuorabit niſi volentem, & Chriſtum non inuocantem.

Audax quidem, & fraudulentum eſt Dæmonis ingenium, & diuinorum honorum cupidiſſimũ, qui cum iam inde à principio concupiuerit eſſe velut Deus, & ſimilis Altiſſimo, quamquam è cælis primum exturbatus, in caligines mundi ſit prolapſus, humi repens velut ſerpens, & deinde à Chriſto Domino victus, vt præualere non poſſit, adhuc tamen fraudibus & mendacijs, ſuiſq; artibus inſurgit, quærit recuperare amiſſos honores, pergens ſuadere hominibus, vt ad ipſius auxilium confugiant, Deum relinquant, imò gaudet, ſi quiſpiam ei offerat qualemcumque cultum, & vocatus, præſto eſt. Cumque hoc aperte facere non poteſt, transfigurat ſe in Angelum lucis, vt ſaltem ſub ſimulata aut Angeli, aut ſancti viri apparitione, honorem recipiat, & imprudentes decipiat. Cuius quidem rei plurima habemus exempla, quæ ſeculo noſtro contigerunt, neque ab re fuerit, hic aliqua eius ſubtexere, cum cetera vberius alibi ſint recenſenda.

Mulier incantationibus operam dans, Diabolum inuocans, videt horribile ſpectrum. Cap. 20.

Contigit hic Romæ, ſuperioribus annis, vt Mulier quædam, iuuenilis ætatis, virum haberet mercatorem, qui mercium gratia Mediolanum

profectus fuerat ; cumque in illa ciuitate moras traheret, neque rediret , ſicut ſponſæ ſpoponderat, mulier moræ impatiens, nimis erat triſtis de viri ſui abſentia. Et cum conquereretur hac de re coram quadã muliere, quam neſciebat eſſe maleficam ; Docebo te (inquit illa) quid agere debeas, vt coniugem tuum, incolumem recipias ; & ſi egeris quod dicam, vir tuus cito erit in foribus tuis. Credidit illa ; & ſicut edocta fuit, ita fecit. Media nocte, lucente Luna, aperit feneſtram quandam, Mediolanum verſus proſpiciens, & diſcincta capillos profert dira quædam carmina, & ſalem, quem iuſſa fuerat accipere, & incantationi adhibere, proiecit in viam . Vix ſal humum tetigerat, cum ecce Canis ingentis magnitudinis, nigerrimis pilis hirſutus , auribus vſque ad terram pendentibus, atque ex oculis horrendis ignem ſpirans , apparet in via, & rapido curſu pergit ad locum, vbi erat ſal , & odorabatur illum , quaſi guſtaret ſuauitatem muliebris impietatis. Quem cum vidiſſet mulier , contremuit , & horribilem aſpectum ferre non valens, deſcendit à feneſtra , obſerat valuas illius , & fugit ad cubiculum, vbi filius eius paruulus manebat . paulo poſt aſcendit thorum , vt cubet , erat enim metu conſternata . Cum ecce audit vehementiſsimo impulſu feneſtræ valuas concuti, & in mille partes diſrumpi, videtq. totum cubiculum ſuum tremendo quodam lumine repleri, ac ſi centum ibi faces accenſæ eſſent. Ipſa autem immenſum illum fragorem, & inſolitum lumen ferre non valens, arreptum puerum ſtrinxit ad pectora , & caput eius ſtragulis obtexit , ne videret horribile ſpectrum , & moreretur . Dæmon autem videns illam fidei ſigno obſignatam , ſignoq. crucis munitam , nocendi illi poteſtatem non habuit , ſed ſtatim euanuit . Mulier noctem illam duxit inſomnem . Cum autem illuxiſſet dies , feneſtræ valuas obſeratas inuenit , vt reliquerat , & omnia diſpoſita vt prius, vt vnuſquiſque videre poſſet, quantum Diabolo nequam , grata ſint quæcumque ſibi offeruntur, & quam cito adſit ad decipiendum , Hæc retulit nobis ipſamet mulier, cum iam ad ſenectutem perueniſſet .

Famoſa meretrix à Dæmone illecta & decepta, Deum, & ſalutem oblita , ab horribili ſue percuſſa , interit miſerabiliter .

Cap. 21.

NOn deſinit veternoſus Coluber , & fraudulentus impoſtor, quia adhuc ſibi permittitur ob hominum ſcelera, rapere oues Dei ab Eccleſia , & mactare , quos Chriſtus viuificauerat .

Mulier quædam Hiſpana, venit Romam, erat autem formoſa nimis . Hæc propter eius pulchritudinem , procurante Diabolo , facta eſt rete Diaboli . Nam occurrebat iuuenibus in ornatu meretricio, garrula, & vaga, & quietis impatiens , ſuper feneſtras , in plateis , vijs , & iuxta angulos inſidiabatur, & pretioſas virorum animas capiebat, nutibus, & blanditijs, labiorum, & oculorum aſpectu , vulnerabat corda . Statim autem incauti adoleſcentes ſequebantur eam, quaſi Agni laſciuientes, & neſcientes , quod Diabolus per illam ſpargebat flammam ignis comburentis, & antiquum morem renouabat , vt homines in lutulentas libidines impingat, & Deum eorũ auferat: ſemper enim hoc egit Diabolus apud Gentiles , vt eas in ſterquilinium libidinum proijceret, & Deum auferret , vt ſic animas perderet . Facta autem

erat

erat domus huius mulieris via inferi, deducens in interiora mortis, feſtinabantq. ad eam libidinoſi iuuenes, quaſi auis ad laqueum, neſcientes quoniam de diſcrimine vitæ ageretur. Cumque plurimos per eam ad interitum perduxiſſet, conatus eſt perdere & ipſam. & immiſit in cor eius Dei obliuionem, vt tàm audacter peccaret, ac ſi Deus non eſſet, neque reperiretur infernus, peccantium cruciator in æternum. Irridebatq. omnes, & ſacerdotes, & religioſos viros, & omnes, qui ei perſuadere conabantur, vt admiſſorum peccatorum aliquando pœnitentiam ageret, ad Deum ſuum reuerteretur plorans, & veniam petens: quia & aliæ famoſæ peccatrices, pœnitentes, apud Dominum gratiam inueniſſent. Tandem Deus, cuius ira lento procedit gradu, ſed tarditatem ſupplicij grauitate compenſat, cum mulier iſta multos vulneratos deieciſſet, & fortiſsimi quique interfecti eſſent ab ea, & nollet acquieſcere, percuſsit eam morbo grauiſsimo, & in diſcrimen vita eius deducta eſt, vt Medici de eius ſalute deſperarent. Quærebat illa medelas, ad morbum profligandum, ſed animæ ſuæ, quæ perierat, nullum remedium petebat. Acceſsit ad illam Parochus, hortabatur illam, vt ſui miſereretur, & ad Deum reuerteretur, qui eſt præſtabilis ſuper malitia, & habet miſericordias magnas nimis, & in quacumque hora peccator ingemiſcit, parcit ingemiſcenti. Illa autem faciem ſacerdotis auerſabatur, & verba ſalutaria audire renuebat; & ne audiret, vertebat ſeſe ad proximum parietem. Cumque pluries Parochus, atque alij pij viri, ne impœnitens moreretur, hortarentur illam ad pœnitentiam, notumq. illi facerent iam proximam eſſe mortem, nihil proficiebant. Interim morbus illi non parcens, ad extremum vitæ perduxerat illam; & tunc in vltimum remedium vocati ad eam ſunt duo Patres ex Miniſtris Domorum Hoſpitalium, qui magna charitate infirmos ad mortem vergentes iuuare ſolent. Qui benignis verbis, vt ſolent, conati ſunt, ſi quomodo potuiſſent, flectere tantam animi duritiem, & perſuadere illi, vt confiteretur peccata ſua, animamq. ſuam ab æternis pœnis redimeret. Cumque & ipſi tempus fruſtra contererent, ecce aperitur videntibus illis magno impetu porta thalami, & ingreditur in eam ſetigera, & lutulenta ſcrofa miræ magnitudinis, quæ dentibus infrendens, huc atque illuc per thalamum curſitans, tandem concito ſaltu tulit ſe ſupra lectum, tot infandis libidinibus commaculatum, & confeſtim ſuper eam inſiluit, roſtroq. horribili ter illam in vmbilico percuſsit, donec exanimata eſt. Inuenta eſt infelix femina poſt mortem nigra ſupra carbones, vt omnibus teſtata relinqueretur, immundi Dæmonis rabies, contra hominem à Deo iuſto iudicio derelictum. Patres, qui hæc viderant, obteſtabantur cuidam, qui nobis retulit ſe metu obriguiſſe, dum tam formidabile ſpectrum ſpectabant, iudicia terribilis Dei conſiderantes, & perhorrentes.

Adoleſcentula D. Franciſcum diligens, à Dæmone ſub habitu D. Franciſci decepta, parat ſe ad ſuſpendium, ſed diuina prouidentia liberatur. Cap. 22.

CVm autem non poteſt aliquem ad carnis ſpurcitias inducere, & auertere à Dei cultu, tunc callidus impoſtor illud curat, vt aſſumat extrinſecus ſanctitatis veſtimentum, & pietatis ſpecimen, obijciatq. oculis fictum

religionis ſimulachrum, vt ſaltem eo modo honores recipiat, & animas interficiat. Superioribus annis erat Mediolani quædam Adoleſcentula (referente mihi Ioanne Paulo Volperto Papienſi ſacerdote, ſatis probo) quæ Deum timebat, & erga D. Franciſcum, nimis ardenter erat affecta. Cuius ſimplices mores conſpicatus Diabolus, aggreſſus eſt decipere illam. Quapropter cœpit ei apparere coopertus ſacco, & ſuccinctus fune, ſtigmata in manibus & pedibus, & latere oſtentans, vt D. Franciſcus putaretur. Lætabatur mulier in apparitionibus eius,& credens illum eſſe B. Franciſcum,venerabatur eum pleno corde, Diabolus autem honores, quamquam ſibi non oblatos, ſe libenter accipere demonſtrabat. Cum autem artibus ſuis ſæpius eò deduxiſſet adoleſcentulam, vt crederet certiſsimè eum eſſe S. Franciſcum, & nihil de hoc ambigeret, & omnia faceret, quæ ab eo dicerentur; tunc Diabolus cœpit illi dicere, ſe rogaſſe altiſsimum, & impetraſſe pro illa peccatorum remiſsionem, vt iam quotieſcumque ipſa moreretur,certiſsime deferretur in cælos ad Virginum choros. Quapropter plurimum ſibi eſſe curandum, vt tam excellentem gratiam, quam apud Deum acquiſiuerat, à mundo decepta, non amitteret. Ita vt illa propter tam magnificam ſponſionem cuperet quamprimum diſſolui, & eſſe in cæleſtibus. Tunc fortius cæpit vrgere virginem, vt quamprimum feſtinaret ad cælum, donec luceret in corde eius lux diuinæ gratiæ, quod ſi diutius in mundo conuerſaretur, futurum eſſe, vt gratiam perderet; mundus enim in maligno poſitus eſt; deditq. illi conſilium,vt vitam præſentem terminaret,ſpopond itq. illi præſentiam ſuam, cum mori diſpoſuiſſet, & iuuaturum illam,vt in Domino moreretur, & poſt mortem ſe ſtatim eam ducturum in Paradiſum. Porrexitq. illi funem, quo erat præcinctus, ſuaſitq. vt cum eo collum cōſtringeret, ſicq. futurum eſſe, vt moreretur, & ſtatim ipſe animam eius portaret in cœlum. Credidit ſimplex puella callido veteratori, ſicut Eua ſerpenti. Cumq. Aurora paulum cœpiſſet albeſcere, venit adoleſcentula ad feneſtram, funemq. ligauit ferro, quod parieti fixum, extra ſuper viam prominebat. Cumq. incipere vellet fune collum cingere, diuina prouidentia factum eſt, vt eo tempore quidam vir illac pertranſiret, qui cum oculos ſurſum ad feneſtram conuertiſſet, vidit mulierem ſatagentem collum fune ligare; cogitanſq. illam aliqua deſperatione motam, eo modo velle ſibi mortem conſciſcere, cœpit altius clamare, vt à feneſtra recederet; & confeſtim arreptis lapidibus, iaciebat illos contra inſanam mulierem, vt eam perterrefaceret. Saxorum ictibus perterrefacta illa, intra cubiculum ſe recepit, re infecta. Cæterum homo ille, qui lapides iecit,ne forſan puella iterum rediret ad ſuſpendium, pulſat ianuam domus, conuocat domeſticos; & refert quid factum fuerit. Concurrunt omnes ad eam: quærunt, quid horrendi facinoris cauſa fuerit? Exponit ipſa omnia per ordinem, fateturq. ſe S. Franciſci perſuaſione rem huiuſmodi aggreſſam. Sed cum circumſtantes omnes aſſererent, Sanctum Franciſcum mortale facinus perſuadere non potuiſſe, ſed Dæmonem vſque à principio mundi homicidam, vt animam eius perderet, & corpus ſuſpendio infamaret, ſub S. Franciſci habitu,talia eſſe machinatum. cognouit adoleſcentula ſerpentis fraudem, & non ſine manifeſta Dei prouidentia, qui eius ſimplicitatem reſpexit, & ope D. Franciſci liberata eſt.

Cum autem non valent Dæmones technis ſuis, & fraudulentis machinatio-

nationibus Chriſti ſeruos decipere, vt ſibi obſequantur,& fruſtra iaciant rete ante oculos pennatorum, tunc conuertunt ſe ad incutiendos timores, & terrefaciendos quoſcumque nouerunt magna fide, & religione ſeruire Chriſto; vt hoc modo à Chriſti ſemitis illos auertant, & paulatim ad vitia conuertant. Sed ij non vincunt, niſi volentes, & ad Chriſti auxilium non confugientes.

Vir ſimplex D. Petri deuotus ſpectra Diaboli audit, videt, & vincit. Cap. 23.

ERat quidã,natione Siculus, nomine Thomas,qui Apoſtolum Petrũ miro amore proſequebatur,& Petri imaginẽ,quam in ſomnis ſe vidiſſe teſtabatur,depictã ſuper tabellam ſemper in pectore ſuo geſtabat, & præ amoris magnitudine erga Apoſtolum cupiebat venire Romam, & viſitare ſanctum Templum, vbi eius reliquiæ aſſeruantur, vt ibi poſſet in Petri honorem, non conſequi id quod vtile, & honorificum eſt; ſed pro ſumma dignitate ducere ſi licuiſſet ei, à Petri Eccleſia verrere puluerem, & mundare pauimentum. Venit igitur Romam, & ſtatim cæpit ambire, quomodo poſſet, pro ſummi beneficij loco,dignitatem hanc verrendi pulueres in dicta Eccleſia obtinere. Et quoniam erat vir bonus, & ſimplex, forte fortuna audiuit Philippum Nereum ſacerdotem apud D. Hieronymi Eccleſiam charitate plenum erga omnes, elegitq. eum in Confeſſarium. Philippus autem, qui Dei ſpiritum habebat, animaduertens viri ſimplicitatem, ſuſcepit eum, mirificeq. lætabatur videre viri huius probitatem, & elargiebatur ei, erat enim pauper, & calceos, & veſtes, & quæcunque erant ei neceſſaria: curauitquè, vt obtineret, quod cupiebat. Qua re lætatus ille videbatur ſibi partem obtinuiſſe in terra viuentium. Tota die à templo non recedens, ſcopebat magna alacritate, & mundabat templi pauimentum, magiſq. ipſe diligebat pulueres illos, quam cupidi aureas diuitias. Nocte etiam pernoctabat ibi, eiuſq. lectulus erat ſuper Altaris cuiuſdam ſcabellum ſuppedaneum: partim orans, partim dormiens.

Diabolus autem videns tantæ pietatis ſtudium in ſimplici homine, cæpit vexare illum nocturnis terroribus. Vnde ſæpius audiebat rumores, & ſonitus formidabiles: & quadam nocte quieſcens audiuit ſonitum grandem, quaſi omnia ſcamna, & ſedes ligneæ, quæ erant in templo, ſuper quas concionum Auditores ſedere ſolebant,caderent à culmine tecti, & omnes ſuper marmoreum pauimentum diſrumperentur. Surgit ille ad videndum tot ſcamnorum fractiones, & reperit omnia optime diſpoſita, nihilq. eſſe fractum. Erant autem iuxta altare, ſuper quod ſacræ pixides continebantur, accenſæ aliquot lampades, quæ tenebras excutiebant;ipſo autem admirante, quæ audiebat, & non videbat, ecce rurſus audit valuas ianuæ, qua ad altare pergebatur, huc, & illuc magno impetu dimoueri, & inuicem ſe collidere: ſuſpicatur audito ſtrepitu, forſan aduentaſſe fures, ad vaſa argentea ſuffurandum. Accedit propius, & obſeratas illas reperit, ſicut prius erant. Dumq. flecteret oculos, ſi fures videre potuiſſet, aſpicit iuxta ſe aſtare magnum Aethyopem, quem cum eſſet intuitus,indignans dixit alta voce, hic eſt inimicus Dei, & nihil timens, confeſtim concitato curſu cucurrit contra

Aethyo-

Aethyopem, & pugno percuſsit illum; ſed non inueniens corporis ſoliditatem, aerem verberauit. Dæmon autem, videns tantam animi fortitudinem, paulatim, ſe in tenebras recepit, ad quas lampadum lumen non pertingebat, & ſic ceſſauit vexatio. Sed huiuſmodi terriculamentis nunquam Diabolus valuit Thomam, Chriſto munitum, ab eius deuotione deijcere: Scuto enim ſuo circundabat eum Dominus, vt non timeret à timore nocturno.

Thomas autem iſte tantum in eo ſeruitio profecerat, quod tam fideliter exercebat, vt cum quotidie corpus puluere coinquinaret, intus cor magis, atque magis puritate purificaret, & cum ſæpius audiret diſpenſationes Eccleſiaſticarum dignitatum, & beneficiorum diſtributiones in Vaticano fieri ſolitas, ipſe tamen eas nihili faciens, pluris æſtimabat pulueres ſuos, quàm honores, & ſuperbas opes.

Hic cum aliquando ægrotaſſet magnis febribus, vix ab illo templo diuelli potuit, vt curaret ægritudinem ſuam; & receptus à pio viro in domum ſuā, cum ibi aliquot diebus permanſiſſet ægrotans, & aliquando vehementius à febre torqueretur, cogitans ſe cito moriturum, nullo ibi aſtante, lectum deſeruit, & præcinxit ſe, & calceauit ſe caligas ſuas, & circumdedit ſibi veſtimentum ſuum, & vt, præ virium imbecillitate poterat, parabat iter ad Templum Petri, vt ibi moreretur: ſed deprehenſus ab hoſpite, & increpatus, vix detineri potuit, quin illuc reuerteretur. cogitabat enim bene ſecum actum, ſi ibi mori potuiſſet. Conualuit tandem ab infirmitate iſta, & reuerſus eſt ad opus ſuum, & cum Domino placuit, in timore Dei perſeuerans, & Diaboli terriculamenta contemnens, à laqueo venantium ereptus, plenus bona ſpe vitæ æternæ, vita mortali functus eſt.

Rabies, & infeſtatio Luciferi, ne turpis caſus eius pingeretur, ſpectandus. Cap. 24.

CONtigit etiam Anno ſalutis noſtræ 1584. vt in Ciuitate Montis Alcini apud Tuſcos, quidam Camillus Marzolius, Cathedralis eccleſiæ Archidiaconus curaret, vt in Altari, quod in Dei honorem, & memoriā S. Michaelis Archangeli erexerat, apponeretur tabula, in qua exprimeretur optimis figuris, quomodo Lucifer cum Angelis ſuis, ſuperba appetitione præſumens eſſe ſicut Deus, ab ipſo Michaele de cæleſtibus ſedibus exturbatus, in ſterquiliniū terrenæ fecis miſerabili caſu prolapſus eſt. Sed mira apparuit Diaboli rabies, turbans omnia, ne per huiuſmodi picturam infamis ipſius caſus oculis hominum proponeretur.

Igitur, cum ad opus hoc perficiendum, electa fuiſſet opera egregij cuiuſdam pictoris Senenſis, qui Franciſcus Vannus appellabatur, cum iam apud Senas opus inchoaſſet, cæpit Lucifer multipliciter impedire pictorem, diuerſas illi inferens moleſtias, & ſuſcitans impedimenta. Cumque tandem picturam perfeciſſet, & ex Senenſi ciuitate ad Montem Alcinum tabulam transferret, in itinere multa paſſus eſt, præſertim autem temporis iniurias, ita vt muli ſæpe vix à præcipitio, Mulionum cura, erepti fuerint. Tandem ad Montis Alcini portam cum peruentum eſſet, in Cathedrali Eccleſia, vbi tabula conſtituenda erat, infeſti rumores auditi ſunt. Præſertim autem ſupra Templi fornices horrendi ſonitus fiebant, vt videretur altus aliquis paries,

vel tectum ipſum corruiſſe. Propter inauditos fragores, formidine plenos; commota eſt vniuerſa ciuitas,& magna populi multitudo templum ingreſſa, excitatos à Diabolis ſtrepitus curioſius auſcultabat. Aliqui dicebant. Quid vultis nefandi? Quid petitis immundi? Alij vero: Vt quid inſolitos ſonitus excitatis, maledictæ turbæ? Nunquid vultis nobis terrores incutere ſicut pueris? Nihil poteſt nequitia veſtra, niſi cum vos adiuuat malitia noſtra. Sed cum altera die, adhuc rumores illi non ceſſarent, decreuere ciues foris perforare parietē, vt ſupra fornices ingredi poſſent; cumque ingreſſi eſſent, nihil inuenerunt. Subſecuti ſunt adhuc quindecim dies, & ſonitus, & ſtrepitus tumultuantium Dæmonum nō ceſſabant. Tunc incæpit populus rogare ſacerdotes templi, vt precibus, & exorciſmis quærerent obtinere à Deo à tanta infeſtatione liberationem. Tandem ſupradictus Archidiaconus, vir eximiæ probitatis, & timens Deum, dum ſonitus illi, deſuper quaſi tonitrua fremerent, & mugitus tremendi obſtreperent, aſtanti populo per templum proceſsionem indixit. Qua abſoluta, proceſsit ad Altare ſanctiſsimi Roſarij, quod erat iuxta aram S. Michaelis, cuius ornamenta tunc perficiebantur, vt ibi Dæmones adiuraret. & cum exorciſmos ibi ſtans ſuper ſcabellum ſuppedaneum inchoaſſet, ecce horridus ab altis fornicibus deſcendit fragor, non ſecus ac fulmen, quod ex nubibus erumpens, montes tangit, annoſas quercus, & excelſos ſagos concutit. Ingrediturq. formidabilis ſonitus ſubtus altaris ſcabellum, quod ſacerdotis pedibus ſubijciebatur. Quapropter ſacerdos exterritus retroceſsit, & populus accurrens ſtatim, ſcabellum ſubleuauit, & inſpexit ſi aliquid videret, & nihil vidit.

Eodem etiam tempore idem rumor in Arca quadam perſonabat, vbi mulieres Societatis Roſarij, vaſa, paramenta, & Calices, & ſacram ſuppellectilem detinebant, vt viderentur, quæcumque intus in arca continebantur, ſciſſa in mille partes eſſe, & lacerata. Cumque Arca aperta fuiſſet, nihil huiuſmodi repertum eſt, ſed omnia in ordine ſuo inuenta: neque ceſſauit infeſtatio, donec in Vigilia feſti S. Michaelis Archangeli, abſolutis auratis ornamentis, tabula, in qua ſuperborum Dæmonum, & Luciferi lapſus egregia arte pictus erat, ſuper altare poſita eſt, in ſublimis Dei honorem, qui deponit potentes de ſede, & ſuperbis reſiſtens humilibus dat gratiam. Sed alibi plura.

His enarrationibus ſubijciamus iam aliqua, quæ temporibus noſtris circa hæreticos à Dæmonibus acta ſunt.

Enarratio de Dæmoniaca infeſtatione Arcis Cronacenſis Noſemberg nuncupata, atque in ditione Bambergenſis Epiſcopi ſita. Cap. 25.

Rem narrabo auditu mirandā, & incredibilem fere, ni totius huius patriæ publicata notitia compobata foret. In famoſo, ac celebri Caſtro noſtro Bambergenſis Epiſcopi, Roſemberg nominato, arte non minus, quàm loci natura munito, quod in prælalti ſupercilio montis, ad celebre eiuſdem ditionis oppidum Cronach ſitum eſt, ab aliquo iam tempore horrenda ſpectra audiebantur, & viſebantur, tàm de media luce, quàm de nocte. Apparebant nonnunquam hirci, aut feroces tauri, non raro in forma equorum,

vel aſinorum, ſimiarum itidem, atque aliarum beſtiarum, aut flammis circundatæ equitum turmæ, ſubinde quoque in forma tetrici cuiuſdam, ac nigri viri, & ſæpiſſime ſub ſpecie nobilis feminæ, cuius tamen facies, aut luto, aut alterius generis ſordibus eſſet conſpurcata. Et omnes quidem in Caſtro degentes, tàm diurnis, quàm nocturnis terriculamentis infeſtabant: neminem verò penitus lædebant, aut percutiebant (quod ita ſæpe factum fuit, vt numerus ſciri nequeat) niſi hæreticos: neminemq. prorſus, niſi hæreticos interfecerũt. Duo è gradibus deiecti, qui cum retuliſſent ſe à nigro quodã ingentis ſtaturæ viro ad lapſum impulſos fuiſſe, paulò poſt animas exhalarunt. Alius ſimili fere mortis genere interijt. Quartus, qui à pedibus erat Capitaneo, cum idem ſpectrum in gradibus obuiam habuiſſet, illud fugiens, ſibi viſus eſt crinibus ab ipſo apprehendi, exinde ad inſaniam redactus, poſt tertium diem illico, ac miſerrimè quidem, in Deum ac Sanctos eius ſtupendas eructans blaſphemias, expirauit. Quinto ancillæ cuidam domeſticæ, meridiano tempore aquæ vas è puteo hauſtæ humeris geſtanti occurrit, ſtatura immani, aſpectuq. ſupra modum formidabili, forma verò, ignotum an humana, an beſtiali: quin etiam literas porrexit, quæ an veræ fuerint, an apparentes, ego quidem neſcio: vero tamen ſimilius alterum iſtud dixerim: ancillæ autem litteras acceptare recuſanti, dextrum fæmur apprehendit, ſtrictiſſimèq. preſſit, territa ipſa dolore percita, aquam ex humeris deiecit, remq. domeſticis omnibus expoſuit, oſtentans enormes quinque plagas quaſi totidem candentibus ferramentis inuſtas, è quibus cum vſque ad viſcera caro putreſcens decidiſſet, tertio ſimiliter die è vita deceſſit. Sextus atque vltimus ſub finem Menſis Auguſti huius anni à Virgineo partu 1601. à ſpectris interemptus, Caluiniſta erat inſignis, qui vbicunque ſalutiferæ Crucis ſignum aſpectui occurriſſet, illud cachinnis, & irriſionibus exſibilabat, & quoſcunque vidiſſet cruce ſignantes ſeſe, aut ſtultos, aut ſuperſtitioſos criminabatur: quin etiam ipſo eodem veſperi, quo à Dæmone, ſeu ſpectro illo è turri 86. cubitis alta præcipitatus eſt, cum à quodam pio viro, & bene Catholico (qui quod nunc recenſeo cum multis alijs præſentibus conteſtatur, grauiterq. aſſeuerat) quando mentio fiebat Dæmonis, Crucis expreſſionem fieri cerneret, in hæc verba procaciſſimè erupit. O ſtulte, quid te iuuat iſthæc geſticulatio? tantumdem eſt (præfata tamen ex me reuerentia) ac ſi plena manu vaccarum ſtercora tibi in faciem inijceres. Quam impietatem cum alij deteſtarentur, ille conuitia conuitijs accumulabat. nec diuina vltio tantum atque inſanum adeò S. Crucis contemptum diu impunitum voluit. Eodem veſperi cum ipſe vnà cum nobili quodam iuuene, cuius ante paucos annos Pædagogus, nunc vero Oeconomus erat, cubitum conceſſiſſet ad lectum vnum eundemq. pœnas dedit impietatis ſuæ. Dormiebant in eodem cubiculo, alio tamen in lecto, duo famuli, & candela nondum extinctà in medio cubiculi lucebat. Intra decimam, ac nonam horas veſpertinas, crepuſculo vix dum finito, præſidiarius miles, qui tunc excubias agebat, extra arcem interiorem in vallo ſtans è regione turris, in qua decumbebat blaſphemus iſte cum ſocijs, ſubitaneum audiuit impetum vehementiſſimi turbinis, ac ſurſum reſpiciens vidit globos quaſi flammeos miræ magnitudinis turrim circumuolitantes, & in medio quendam lachrimabunda, querulaq. voce gementem, atque altiſſima ſuſpiria ducentem,

centem, hinc inde in diuerſas raptari partes: proinde rei nouitate attonitus, benedictum nomen Ieſu, ac Deiparæ Matris Mariæ (erat enim Catholicus) inclamauit, & in momento impius ille cum fragore deiectus eſt. Caſu facto, ingens flamma, non minori ſtridore, inde auolauit verſus ſyluas, quod & alij plures tum in oppido, tum in agris degentes conſpexerunt. Exinde non parum timore perculſus, omnibusq. tremens artubus, bonus ille præſidiarius corruit & ipſe in terram; ſed aliquantulum ſeſe recolligens, ſignoque Crucis muniens, ſocios alios inclamauit; quibus accurrentibus cum lucernis, inuenerunt è turri deiectum blaſphemum illum, ac iam enectum: & quod admirationem huiuſce caſus non parum auxit, nulla pars corporis, exceptis pedum ſoleis, læſa fuit. Extractus verò eſt à dæmonibus, per anguſtiſſimam feneſtram, quæ nec longitudine, nec latitudine palmum vnum aſſequitur, atque à pauimento tàm altam, vt quis eam vix collo tenus poſſit attingere, & inde extra arcem ſit proſpecturus. murus inſuper craſſitiei duorum cubitorum, eoque amplius. Hærebant adhuc in feneſtra hinc inde, & in muro detractæ præ foraminis anguſtia, cutis, ac ſanguinis reliquiæ.

Dæmones quoque, qui nimirum (vt æſtimare licet) inclamatione Nominis Ieſu cadauer illud maledictum, ne auferrent, præpediti ſunt, vnà cum anima blaſphemi ſecum aſportarunt & feneſtellam illam, quam dixi; nullibi enim locorum hactenus ea reperta fuit. Ergo Arcis Capitaneo, alijſque cuſtodibus excitatis etiam, ad cubiculum prædictum accurrerunt vnà omnes, ardebat adhuc candela, & Nobilis, à cuius latere abreptus erat, ac duo ipſius famuli altiſſimo ſopore merſi ſuauiter dormiebant, ſeſeq. nihil penitus inaudiſſe affirmabant. Percrebuerat adeo rumor iſte in tota hac patria, vt nemini fere amplius in Caſtro habitandi ſufficeret animus.

Quin & ipſe Capitaneus ad Reuerendiſſ. & Illuſt. Epiſcopum Bambergenſem conquærendū, conſilijq. petendi cauſa venit: ac ne præcipuum iſtud, munitiſſimum Caſtrum Epiſcoporum Bambergenſium in diſſenſionibus, ac bellorum motibus certiſſimum præſidium, omninò deſerendum eſſet, compellati permulti Sacerdotes, vt eò ferendæ opis cauſa ſeſe conferrent, at omnes rei grauitate perterriti, hoc onus à ſe reicerunt. Fateor culpam meam ac diffidentiam, in eorum numero & ego fui, nec vltimus quidem. Sed Illuſt. noſtro ita grauiter inſtante, ac pro authoritate ferè mihi demandante, vt ſi quid in me conſilij eſſet, id perſanando huic malo adhiberem, morem licet valde inuitus geſſi, vtpotè in huiuſmodi arduis rebus planè rudis, & imperitus. Præmiſſis ergo Ieiunijs, & orationibus, vt fieri par eſt, vnius ac dimidiæ diei itinere (tantum enim Bamberga diſtat) ad locum perueni, omniaq. vt recenſui (omiſſis tamen infinitis propemodum alijs non minori admiratione dignis) ita ſe habere cognoui, adhibitis etiam ad pleraque iuratis Notario, ac teſtibus. Iuſſi ergo mihi in infeſto illo cubiculo vnà cum monacho Dominicano, quem ſocium viæ adhibui, & aſſiſtentem in hoc negotio tàm arduo conficiendo (nemo quippe alius induci poterat) eundem ſterni lectum, è quo blaſphemus ille ſublatus fuerat. Facile eſt æſtimare, quantum quietis illa nocte captare licuerit. Summo mane de licentia Reuerendiſſ. noſtri ſpeciali, aram ſtruxi ad feneſtram illam, quam dixi, & oblata itidem ſalutis noſtræ hoſtia, in quo S. Auguſtinum magiſtrum meum habeo, Dæmones coniurati protinus abſceſſere. Peracto ſacrificio,

& lu-

& luſtrali, alijſq. conſuetis cærimonijs expiari. Quo factum eſt, virtute diuiniſſimi Sacramenti præſertim, & Eccleſiæ ſanctæ ritibus, ac precibus. vt totus locus ſit ab huiuſmodi terriculamentis liber, vt nulla omnino infeſtatio malorum ſpirituum amplius ſentiatur.

Compertum eſt inter alias cauſas, & noſtro multas, & pondere ſuo graues infeſtationem iſtam à Deo dæmonibus permiſſam eſſe, tum propter intolerabiles blaſphemias, ac diras, quibus incolæ ſibi mutuo dæmonem imprecabãtur, eidemq. ſe leuiſſimè ad vnumquodque verbum, pro Germanorum exſecrando more, deuouebant: tum & propter Sãctæ Crucis contemptum ibidem factum. Hæc geſta fuerunt Kalend. Septemb. anni huius M D C I.

Sed vt ſerijs hiſce, alia non minus ſeria, aliquantulum tamen ridicula adiungam: ſtabularios nonnunquam media die, aut etiam noctu turpes cantilenas more ſuo cantillantes aut ſcurriles, horrende verberibus ſpectrum excepit; tametſi ipſi nihil viderent; nonnullos etiam lapidibus petijt è tabulato nemine ſciente, vnde lapides prodirent. Illud vero ſatis lepidum, & iocoſum, quod eo veſperi, quod eò deueni, accidit. Erat audaculus quidam tubicen, homo leuis, & perfrictæ frontis alioquin, qui pignore cum quouis certaturum ſeſe profitebatur, quod media nocte, quicunque tandem dæmon in arce habitaret, impune, & abſque vlla læſione totam arcem vellet perãbulare. Iuuentus ergo qui daleros quatuor depoſuit pignoris loco. Conſtituti quoque arbitri & obſeruatores, qui an condictum exſequeretur ſatis audax facinus, teſtatum facerent. Erant ij partim vigiles, partim præſidiarij milites. Media ergo nocte poſt duodecimam cum aliquot iam conclauia peruagatus eſſet, inclamabat medio ſtans in atrio eos qui tum excubias agebant, hoc eſt: Io, uah, depoſitos quatuor lucratus ſum daleros. Vix verba ea finierat, & ecce aſpectantibus quoque quos iam dixi, excubitoribus, ſpectrum, ſeu Dæmon infeſtans in forma villoſi, igniciſq. flammis circundati Hirci, magno impetu facto in terram eum proſtrauit, & verberibus totum fere exanimauit. Inclamarunt vigiles nomen IESV, quo audito ſpectrum euanuit illico. Exinde miſellus ille pro lucro reportauit inſolitũ tremorem artuum omnium, præter enormes plagas. Facies eius inſuper ita erat liuida, ac ſi toto liquato ſulphure perfuſa eſſet, diſtillatis quaſi liquefactæ picis hinc inde guttulis. Cum ergo conſilij & opis petendæ gratia, quamprimum ibidem appuli, ad me veniſſet, adhibito ſacrorum amuletorum, vt agnorum Dei, Paſchalis cerei, & aquæ benedictæ vſu, paulatim tremor membrorum cum illa faciei fœditate euanuit. Plurima alia prætermittuntur, ne iuſtam hæc narratio breuitatem excedat.

Huiuſmodi contingentis caſus enarratio ad Clementem VIII. Pont. ſummum tranſmiſſa eſt, qui tunc eam Card. noſtro Baronio legendam tradidit: Baronius autem miſit illam ad Patres noſtros, apud quos, dum cœnaretur, pro menſæ lectione recitata eſt anno M D C I. Menſe Decembris.

Dæmoniacos, & lunaticos, qui diuino beneficio, multis retro annis apud Gheelam Brabantiæ, vbi corpus S. Dimnæ requieſcit, tandem liberari conſueuerunt, eo die, quo Martinus Lutherus defunctus eſt, ſuis hoſpitibus ad horas aliquot exoneratos fuiſſe. Cap. 26.

NArrauit mihi Ven. Dominus N. ætate doctrina, & vitæ ſanctimonia cõmendatiſſimus, atque etiamnum ſuperſtes, eo ipſo die, quo mendax Euangeliſta Martinus Lutherus defunctus eſt, vniuerſos dæmoniacos, qui id temporis ad Gheelam Brabantiæ ſpe liberationis, quam apud corpus S. Dimnæ, diuino beneficio plurimi iſtic iam inde à multis retro annis conſequi ſolent, aduecti erant, à teterrimis illis, & horrendis dæmonibus hoſpitibus ſuis liberatos. Poſtridie vero ab ijſdem rurſus obſeſſos, & diſcruciatos fuiſſe. Dæmones vero, cum interrogarentur, vbi pridie delituiſſent? reſpondiſſe: Principem ipſorum, & Archidæmonem præcepiſſe, vt vniuerſi ſpiritus maligni ad ſui prophetæ, & fidelis cooperarij D. Martini Lutheri exſequias confluerent. congruere enim, vt qui quamplurimos ad inferos ipſe duxiſſet, & à quamplurimis ad eoſdem ſolemniter deduceretur. *Collationũ ſacrarũ li. 7. cap. 39. Tilmannus Bredenbachius.*

Hanc hiſtoriam cum in præſentia quorundam honoratorum virorum referrem, quidam magni Principis Conſiliarius ſubiunxit, ſe fuiſſe Iſſebij in ædibus paternis Lutheri, in quibus & defunctus eſt, ibidemq. paulò ante mortem Lutheri, quendam Luthero à multis annis ſeruientem forte è feneſtra cubiculi, in quo id temporis erat Lutherus, fontem riuulos ſuos grato murmure emanantem, voluiſſe conſpicere, in cuius margine mox ille viderit plurimos teterrimos cacodæmones, huc, illuc ſaltitantes; quo viſu cum ille vehementer percelleretur, animoq. & vultu totus mutaretur, rogaſſe Lutherum palloris iſtius, & ſubitæ mutationis cauſam. Quam cum ille celaret, tandem reſumpto ſpiritu, rurſus paululum è feneſtra proſpexerit, ac denuò dæmones terribilibus teterrimarum beſtiarum formis aſpiciens, maiori horrore ac trepidatione concuſſus ſit. cumq. rurſus Lutherus inſtaret, vt quid vidiſſet, ediceret: tandem illum rem viſam Luthero aperuiſſe. Qui cum paulo poſt defungeretur, & cadauer Iſlebio Vuittembergam veheretur, toto illo itinere innumerabilem coruorum horrendum in modum crocitantium multitudinem ſcimus ſuperuolitaſſe, ac Vuittembergam vſque comitatum ſuum præſtitiſſe. Atque hi proculdubio fuerunt iſti (aiebat idem ille Conſiliarius) qui mandato principis, & Archidæmonis ſui, vaſa, quæ prius occuparant, dimittentes, ad exſequias Martini Lutheri confluxerunt, ne quiſquam iſtorum tantis deeſſe videretur ſolemnijs.

Fridericus Staphylus in abſoluta reſponſione contra Iacobum Schmidelinum pag. 404. & Vuilhel. Lindan. Dialogo 3. cap. 1. dubitantij. Martinus Lutherus volens Dæmonem exorcizare, ab ipſo Dæmone in ſummas anguſtias redigitur. Cap. 27.

POſſum ego redigere mihi in memoriam anno 1545. dæmoniacam quandam puellam è Miſniæ ditione adductam Vuittembergam ad Lutherum ea ſpe, *Collationũ ſacrarum li. 7. c. 40.*

ea ſpe, quod Lutherus, ceu tertius Elias, puellam iſtam à malo dæmone liberaturus eſſet. Quamuis autem Lutherus ad hoc admirandũ,& magni momenti opus initio non parum difficilem ſe oſtenderet, at tandem tamen iuſsit puellam duci in Parochianæ Eccleſiæ Vvittembergenſis ſacrarium,illicq. coram alijs pleriſque Doctoribus, & eruditis viris (inter quos ego tum quoque iuuenis magiſter aderam) dæmonem cœpit adiurare, & exorcizare, ſed id tamen more ſuo, non eo, qui apud Catholicos receptus, & vſitatus eſt. Cum autem diu, multumq. ille coniuraſſet dæmonem, cedere ille noluit, ſed eas in anguſtias (ſit venia verbo) Lutheri caligas redegit, vt is quamprimũ è ſacrario ſe proripere vellet. At quid accidit? Malignus ille dæmon vſque adeo fores ſacrarij obſtruxerat, vt neque forinſecus, neque intrinſecus aperiri poſſent. Quæ res Lutherum in maiores etiam anguſtias adduxit, ita vt iam ad feneſtram properaret, ſperans per eam ſe poſſe effugere, & exilire. Verum obſtabant illi cancelli ferrei: ſicq. compulſus eſt vna nobiſcum tantiſper incluſus hærere,donec per cancellos ferreos ab æditituo nobis eſſet oblata ſecuris, mihiq. ceu iuueni viro tradita, vt ea fores effringerem: quod equidem tum conatus ſum, & ad effectum perduxi. Interea vero viſu admirandum erat, vt Lutherus angoribus correptus,ſurſum, deorſumq. curſitaret, atque inſtar ouis parturientis huc, illucq. ſeſe inuerteret.

Maximilianus I. Imperator, videt Dæmonem corporali forma Martini Lutheri humeris inſidentem in comitijs Auguſtanis, prædicens ſe mortuo illum multas turbas in toto imperio excitaturum. Cap. 28.

Collationũ ſacrarum lib.7.c.41. CVm Maximilianus eius nominis I. Imp. fel. recordat. Auguſtæ Vindelicorum anno 1518. Imperialia Comitia, eademq. vltima ſuæ Maieſt. inſtituiſſet, ac patentibus valuis, vti moris eſt, pranderet, ingreſſus eſt cum multis alijs triclinium prandentis Imperatoris Martinus Lutherus. Maximilianus Imperator viſum Lutherum cum exactius paulo, & diutius intueretur, tandem Baronem ex familia Schenck de Erpach M. ſuæ aulicum, & pincernam, alloquitur his verbis: Vade,& aſpicias monachum à vertice capitis, vſque ad plantam pedis, & à planta pedis vſque ad verticem capitis diligentiſsime, & quid videris,referto. Baro Imperatori interroganti reſpõdit, ſe monachum cuculla veſtitum vidiſſe, quid vero pectori, & animo eius inſideat, videre non potuiſſe. Imperator rurſus iiſdem quibus antea verbis, mandat Baroni, monachum denuo colluſtrare. Baro, etiamſi iterata vice adiret, refert ſe nihilo plus quam antea, videre poſſe. Imperator, phraſi ſibi familiari regerebat; amore boni Dei, fac quæ iubeo. Baro obtemperans, vadensq. & rediens eundem ſermonem Imperatori (vti ſupra dictum) interroganti, repetijt. Subiungit protinus Imperator: Si tu nihil vidiſti,nec vides,dicã tibi ego quid videam? Video cacodæmonẽ forma corporea humeris iſtius monachi incubantem, & te quidem ſuperſtite, me vero defuncto, iſte Monachus, turbas, calamitates, & miſerias grauiſsimas in imperio concitabit.

Hæc verba ex ore D. Maximiliani audiuit quidam præcipuus Germaniæ Princeps, ſecularis, cuius nomen conſulto præterimus, qui eo ipſo tempore

menſæ Imperatoris, cum alijs Principibus, Comitibus, Baronibus, & Nobilibus aſtitit. Iſte vero Princeps hæc veraciter contigiſſe, filio ſuo retulit. Qui filius princeps, & hæres, hæc omnia, & ſingula duobus Principum Electorum Conſiliarijs Primarijs, fide dignis recenſuit, quem vtrumque probe nouimus, alter vero illorum adhuc ſuperſtes, hæc & voce, & ſcripto nobis communicauit.

Non abſimile eſt, quod refert Vvilhelmus Bibliothecarius lib. 3. de geſtis Anglorum: cum in extremis poſitum Epiſcopum Carnotenſem Fulbertum multi viſitarent, & ædium capacitas vix confluentibus ſufficeret, ille inter oppoſitas cateruas oculo longe conſpicatus Berengarium nutu quo valuit, expellendum indicauit, proteſtatus, immanem dæmonem prope ipſum conſiſtere, multosq. ad eum ſequendum blandiente manu, & illice anhelitu corrumpere.

Sed non eſt prætereundum, recenſere hic aliqua, ex quibus perſpici poſſit, & facile conijci, quales extiterint Orbis nouiter reperti regiones in manu debacchantium Dæmonum, & quantam animarum internecionem ibi exercuerint, donec venit plenitudo temporis, qua illuminatrix gratia Saluatoris Chriſti ſuper illas gentes cecidit. Recenſebimus autem, quæ religioſiſsimi Patres Societatis Ieſu proprijs oculis viderunt, quorum opera ſingulari, Ieſu iuuante, tenebræ illæ, pene omnes, fugatæ ſunt è regionibus illis.

Beatus Franciſcus Xauerius, vir ſanctitate clarus, de dominio Dæmonum apud Iaponem, hæc, quæ vidit, refert in epiſtolis ſuis, falſa ſcilicet ſimulachra, abominanda ſacrificia, & fraudulenta Diaboli reſponſa. Cap. 29.

IN eadem (inquit ille) naui ſimulacrum vehebatur Dæmonis; cui nautæ, quamquam inuitis nobis, & inſpectantibus, patrio ritu ſacrificabant. Ab eodem etiam, per ſortes de ipſa nauigatione petebant reſponſa, quæ (vt aiebant, credebantq. barbari) modo læta, modo triſtia reddebantur. Centum à Malaca leucas, Sinas verſus prouecti, quandam ad inſulam ſtetimus: ibique aduerſus maris illius ſæuitiam naualibus inſtrumentis, aliaq. materia comparata, poſt multas ceremonias & ſacrificia, quæſitum eſt ab idolo, proſperam deinceps fortunam eſſemus habituri, nec ne. Cum valde proſperam reſpondiſſet, proinde moraremur diutius. Suſtulimus anchoras, velaq. gratulabundi fecimus omnes: illi, ſimulacro, quod in puppi locatum candelarum luminibus, odoramentisq. ex incenſo ligno quodam aquilano venerabatur, nos Conditore cæli terræq. Deo, & eius filio Domino Ieſu Chriſto confiſi, cuius cultum religionemq. amplificandi ſtudio in ea loca deferebamur, cum iam eſſemus in curſu, placuit nautis ab dæmone percontari, vtrum naui, qua vehebamur, Malacam eſſet ex Iapone reditura? Cum in Iaponem quidem peruenturam omnino, ſortilegi retuliſſent, verum ex Iapone Malacam minime reuerſuram; tum vero inſtitutæ nauigationis pœnitere barbaros cæpit, ſatiusq. ijs videri apud Sinas hyemare, & Iaponicam profectionem in alterum annum differre. Noſter autem, quis animus, quis tum eſſet dolor, cogitare vobiſcum poteſtis ipſi, cum de tota itineris noſtri ratione conſuleretur dæmon. Mox in oram terræ, quam Cocincinam vocãt,

de Iaponicis rebus B. Franc. Xauerius epiſt. lib. 2.

delati; duo, vno eodemq. die (qui fuit Mariæ Magdalenæ ſacer) veſpere, ſane quàm aduerſa pertulimus. Etenim exaſperato vehementius mari, ingenteſq. voluente iam fluctus, cum iactis anchoris agitaremur in ſalo, apertum in oſtium ſentinæ vnus è comitibus noſtris Emmanuel Sina forte prætereiens decidit. mortuum credidimus: nam & alte ceciderat, & à capite pene ad vmbilicum obrutus aliquantiſper in aqua iacuerat. verumtamen extractus magno cum labore, exanimis licet, grauiterq. caput ſauciatus, adhibita curatione, paucis diebus, Deo fauente conualuit. Nondum huius plane curatum erat vulnus: ecce tibi eodem ferme caſu, eademq. nauis iactatione, Filia Nauarchi in mare delabitur, & in omnium oculis, fruſtra conatium opitulari, ſubmergitur. Cuius interitum tanti ſunt eiulatus, ac lacrymæ conſequutæ, tanto præterea, quotquot in naui eramus, vitæ in diſcrimine verſabamur, vt admodum digna miſeratione res eſſet. Barbari ad propitiandũ per ſacrificia dæmonem verſi, nulla capta quiete, diem noctemq. totã mactandia idolo auibus, ferculisq. apponendis operam dederunt, per ſortes etiã quæſiere cauſam infortunij. Reſponſum eſt: ſi is qui prius in ſentinam ceciderat Emmanuel fato functus fuiſſet, puellam in mare non fuiſſe lapſurã. Cernitis ipſi profecto, quantum nobis eo reſponſo Dæmon ab ſuis miniſtris crearit periculum: & nobis, quid futurum fuerit, niſi furentis rabiem Dominus compreſſiſſet. Sed me tamen in primis graues illæ in Deum iniuriæ & barbarorum ſacra illa ſacrilega permouebant, itaque fuſus in preces, Deum rogaui ſæpius, vt priuſquam fluctibus operiremur, homines ab ſe ad ipſius imaginem ac ſimilitudinem conditos, tam falſis opinionum erroribus, impijsq. ſuperſtitionibus liberaret; tetrum quippe ſpectaculum, & indignũ eſt facinus, Dei vice ab hominibus, ad vnius Dei laudem factis, adorari perpetuum ipſius humani generis inimicum.

De abominanda ſacerdotum libidine apud Iaponem. *Cap. 30.*

B. Franciſcus Xauerius ibid.

Veterum quorundam, inſtar philoſophorum, maxima pars opiniones ſequuntur. Solem multi: Lunam alij adorant; vt quidque naturæ maxime conſentaneum eſt, ita facillime aſſentiuntur, & acquieſcunt, ſi peccati cuiuſpiam, ratione probabili conuincuntur. Multo minus impuros, & rectæ rationi magis obtemperantes laicos, quam ſacerdotes inuenio, qui ipſorum lingua Bonzij appellantur. ij cum reliquis flagitijs, tum præpoſteræ libidini turpiter adeo dediti ſunt, non modo, vt id non celent, ſed etiã profiteantur palam: & longo iam vſu virorum æque ac mulierum aures callum ad tam nefarij ſceleris nomen obduxerint. Quod tamen vitium nos vulgo cum reprehendimus, & quam ſit graue, Deoq. inuiſum oſtendimus; ceteri ſane lætantur, & approbant, Bonzij, ad quos potiſſimum reprehenſio pertinet, tantum abeſt, vt, aut erubeſcant, aut doleant, vt etiam aperte derideant nos, & illudant. Permultos habent in cœnobijs filios optimatum, inſtituendos litteris, horum ætatis flore abutuntur.

De Bonzijs: quidam ſunt cultu corporis noſtris monachis non abſimiles; veſtibus vtuntur cineritij coloris: tertio vel quarto quoque die capillum, ac barbam penitus videntur abradere: horum laxior etiam eſt diſciplina: mu-

liebres

liebres (quibuſcum viuunt) eiuſdem ordinis habent cætus: quas, fama conſentiens eſt, prægnantes, partum medicamentis abigere: itaq. ob eam rem apud multitudinem admodum audiunt male: nec ſane (quantum egomet, ipſorum aliqua ex parte iam cognitis moribus, iudicare poſſum) iniuria. Hos inter, & alios quos dixi ſacrificulos (ij clericorum ferme vtuntur ornatu) minime conuenit. Duo præcipue in hac terra mihi pene ſtuporem incutiunt. alterum, quàm grauia quamquè nefanda peccata, quam nihili fiant, atque id nimirum accidit maxime patrum culpa, qui traditam ſibi tum à natura, tum aliquam fortaſſe etiam à maioribus normam recte viuendi, corruptam ipſi deinceps, ac deprauatam poſteris reliquerunt: vt ex hoc, obiter illud etiam appareat, quemadmodum in communi vita, naturales igniculi probitatis, pugnãtibus cum natura vitijs paulatim penitus extinguuntur: ſic in vita perfecta, virtutum habitus licet iam conſtitutos, niſi aſsidua, ac diligens cura adhibita ſit, remiſsioribus officijs labefactari ſenſim, ac deſtrui. Alterum eſt, cur hi ſacerdotes, cum nec integritate, nec innocentia ſint cum ſecularibus comparandi, tanto nihilo minus apud eos in honore atque exiſtimatione ſint.

De ſuperſtitioſis ludis apud Meacenſes, & cultu ſacrilego in colendis Manibus mortuorum. Cap. 31.

De Iaponicis rebus Epiſtolarũ lib. III. Gaſpar Vilela.

Reſtat, vt nonnulla de ſuperſtitione, ſacriſq. huius gentis attingam, vt ipſorum cæcitate perſpecta, enixius pro ipſis Dominum deprecemini. Primum Auguſto menſe concelebrant ludos, quos vocant, Gibon (quæ vox hominem ſignificat) quod ij ludi homini ſacri eſſe dicantur, quorum eiuſmodi eſt ratio. Primum in vrbis vicos, opificumq. collegia, pegmata excogitanda, moliendaq. diſtribuunt: inde vbi feſtus dies aduenit, veluti ad ſupplicationem populus coit. Agmen currus quindecim, vel viginti præcedunt ſericis pretioſisq. tapetibus cooperti: in ijs pueri multi pſallentes, vel tympana pulſant, vel tibijs concinunt. Singulos autem currus hominibus tricenis, aut quadragenis impulſos, ſua quemq. artificũ turba ſectatur. Alia deinde ſequuntur vehicula hominibus armatis inſtructa, ſericis item, varijsq. priſcarum rerum monumentis ornata. Hoc ordine, pompa delubrũ præteruehitur, cuius delubri ea celebritas eſt: qua in re matutinum tempus omne conſumitur. Sub veſperam inde binæ lecticæ prodeunt: altera illius, quem colunt Dei, lecticarijs ita compoſitis, vt præſentis numinis pondere valde fatigari, premiq. videantur; alteram eſſe aiunt amicæ cuiuſdam ipſius. nec ita multo poſt, tertia lectica vxoris geſtatur, cui ſimul ac maritus per nuntium ſignificauerit ſe vna cum pellice aduentare; lecticarij ſtatim huc atque illuc lymphati diſcurrunt, itaq. vxoris zelotypiam, inſaniamq. ſignificant. Hic populus magna edit ſigna doloris, atque mæſtitiæ: plorant multi, multiq. ad conſolandum Deæ animum poſitis genibus eam ſupplices venerantur: denique lecticæ coniunctæ ad phanum redeunt: atque ita ludis finis imponitur.

Nec ille minus miſerabilis error eſt, eodem Auguſto menſe biduum tribuunt colendis Manibus mortuorũ. Sub imminentem noctem in ædium foribus lampadas multas accendunt vario genere picturæ, & ornatu: inde

Vrbem tota nocte perambulant, alij religionis, alij etiam ſpectandi cauſa. Magna etiam populi vis, cum adueſperaſcit, ex vrbe, aduentantibus (vt ipſi videlicet opinantur) ſuorum Manibus obuiam prodit, vbi quendam ad locum peruentum eſt, quo loco eos ſibi occurrere arbitrantur, humanis primum verbis excipiunt: Felix (inquiunt) fauſtusq. ſit veſter aduentus. Iam diu aſpectus veſtri fructu caruimus: confidete parumper, ciboq. vos ex itineris defatigatione reficite. Tum orizam, arborum fructus, aliaq. cibaria apponunt: & quibus ea per inopiam non licet, ij aquam calidam ſecum afferunt: ibiq. totam horam morati, quaſi finem epularum expectent, precibus eos in ſuas domos inuitant, aiuntq. ſe præcedere, vt domum inſtruant, parentq. conuiuium. Vt biduum illud effluxit, accenſis funalibus oppido plebs egreditur, lumina deſcendentibus præferens, ne ſcilicet in tenebris offendant, aut quopiam incurrant: inde in Vrbem reuerſi, ædium tecta lapidationibus diligenter excutiunt, ne qui forte ex Manibus (à quibus nimirum aliquod ſibi incommodum metuunt) occulte remanſerint: tametſi eos miſerentur nonnulli, quod paruulos dicant eſſe, &, ſi forte eos in itinere imber oppreſſerit, extingui miſellos. Interrogati Iaponij, cur illis epulum præbeant? reſpondent, eos ad paradiſum tendentes ſuum, qui abeſt leucarum decies millies millena millia, quod iter non minus quam triennio conficitur, feſſos è via, recolligendarum virium cauſſa huc diuertere. Per eos etiam dies omnia ſepulchra diligenter purgant. Bonzij autem videlicet regnant; nemo eſt enim re familiari, quamuis exigua, quin ad expiandos rite ſacrum Manes, Bonzijs munus aliquod afferat. Videtis fratres mihi cariſsimi huius gentis errores, & tenebras, in quibus hæret adeo pertinaciter, vt eam inde ægre admodum eruas. Obſecrate Dominum, vt eos pro ſua bonitate conuertat.

De innumeris templis Dæmoni apud Indos ædificatis, & fraudibus à Diabolo inuentis, vt diuinos honores apud illas Gentes recipiat. Cap. 32.

Gaſpar Vilela lib. 3. Epiſt.

DAemon autem tanto apud hoſce miſeros in honore eſt, vt ei magnificentiſsima phana exſtruantur: in quibus horribili ſpecie ſeſe identidè offerens, cum alibi adoratur à populo, tum præſertim in monte ſuburbàno, in quo fuiſſe quondam aiunt cœnobiorum ſeptem millia, quamuis nunc minus multa viſantur: quorum eſt vnum in primis opulentum, & confluenti omnium ordinum multitudine vſque adeo celebre, vt cum Reges bella geſturi ingentem auri vim ei delubro voueant, & victoria parta perſoluant; tum infima quoque plebs in ſuis difficultatibus, atque periculis eòdem auxilij cauſa confugiat. quibus dæmon per quietem apparens, perſuadet ſe ipſórum religione placatum, eos è periculo eripuiſſe, perindeq. ijs cetera in poſterum ceſſura, vt ipſum rite, negligenterve coluerint. quibus ille artificijs, ita imperium in has gentes exercet, vt magnopere metuatur, obſeruetur, denique adoretur ab omnibus.

Ille quoque deplorandus hominum error eſt, Bonzium quendam Combadaxi nomine, ante octingentos annos ferunt in hac vrbe verſatum, quem equidem exiſtimo hominis forma dæmonem fuiſſe, adeo neſaria ſcelera ab

eo excogitata, ceteriſq. demonſtrata narrantur. hunc tradunt deducere ſtellas è cælo, & futura prædicere ſolitum: Inuentorem etiam litterarum fuiſſe, quibus Iaponij vtuntur, ſibiq. multa eaq. magnifica templa ædificari iuſſiſſe, extremaq. iam ætate ſubterraneum ſibi effodi ſpecum, in quem vltro ſe condidit, cum diceret, ſe iam vitæ huius ſatietate teneri, & in eo ſpecu viuentem velle quieſcere ad annorum decies millies millia, quo tempore fore, vt magnus quidam in Iapone doctor exiſteret, ſeq. tum in lucem hanc eſſe rediturum: eo ſermone habito, ſe intra ſpecum obturato oſtio occludi imperaſſe. magnum eſt eius vbique nomen, & viuere etiamnum creditur, multiſq. ſe per viſum offert, & ab eo plerique ſuppliciter opem implorant. Anniuerſaria vero illius diei ſolemnia, quo die ſeſe in ſpecum abdidit, mirum, quanta remotarum etiam nationum frequentia celebrentur.

Alij præterea diuerſis ætatibus fuere tres, vel quatuor Bonzij ſumma eruditionis exiſtimatione, quibus item magni honores habentur: & vni præſertim, quem ante annum trigeſimum vixiſſe perhibent, authorem ſectæ eius, quam Icoxos vocant: magna apud plebem authoritate: Cui ſectæ Bonzius ſemper cum imperio præſidet; ſtupris, flagitijsq. palam turpiter deditus. quem plebs nihilominus tanta pietate, ac veneratione proſequitur, vt eum ſi modo aſpexerit, vim lachrymarum profundat, ſoluiq. ſe admiſsis noxis ab eo ſuppliciter petat. eidem tantum pecuniæ deferunt, vt magnam Iaponicarum diuitiarum partem vnus obtineat. Feſtos vero eius dies quotannis ita conferta populi multitudo concelebrat, vt in ipſo cœnobij aditu, cum fores aperiuntur, obtriti aliqui ſemper intereant: quibuſcum ita præclare agi putatur, vt nonnulli religionis cauſa ſeſe pedibus irrumpentiũ vltro calcandos, necandosq. ſubſternant. nocte autem, oratio de laudibus eius dum habetur, tanta auditorum comploratio oritur, vt ſi publicè magnum aliquod incommodum, ac vulnus eſſet acceptum.

De celebritate circa Idolum, ſtricto enſe ſuper equum inſidens. Cap. 34.

MVlta vidi poſt meum aduentum memoratu digna, è quibus, ne longior ſim, vnum dumtaxat exponam. Iulio menſe feſtum diem agunt Daimaogini, quem excellenti ſanctitate virum, aſſeclam aiunt fuiſſe priſci cuiuſdam Imperatoris. hunc Sacaienſes adorant, templis compluribus ei dicatis, & ludos eiuſmodi faciunt. Horis pomeridianis viam vrbis longam ad paſſus ducentos tranſuerſis vtrinque ſignis ac tabulatis obſepiunt, ne plebi introſpicere liceat: tum magna hominum multitudo à tribus paſſuum millibus eo contendit. In primo agmine idolum procedit equo inſidens, ſtricto manibus enſe permagno, pueris duobus deinceps comitantibus, quorum alter arcum eius & pharetram, alter accipitrem gerit. pueros multæ equitum turmæ certis inſignibus diſtinctæ ſequuntur, & magna præterea peditum vis, qui voto ſeſe ei celebritate obſtrinxere, ſaltãteſq. concinunt, Xenzairaquu, Manzairaquu, hoc eſt annos mille voluptatis, mille millena millia gaudij. Hanc turbam Bonzij primum candidati pſallentes, deinde vniuerſa nobilitas in equis mitrata, poſtremo quinque vel ſex veneficæ magno mulierum comitatu linteatæ ſequuntur: extremum agmen claudunt ingentes armatorum *Gaſpar Vilela ibid.*

 copiæ

cepiſſe ad excipiẽdam Daiomagini lecticam prodeuntes ad viam, quam clauſam eſſe dicebamus. Lecticam vero ipſam inauratam lecticarij ferunt viginti, qui varias cantilenas velut intercalari quodam carmine concludunt Xenzairaquu, Manzairaquu, eandem, ſimul atque profertur in publicum, iactata ſuppliciter ſtipe, alijsq. ſimilibus veneratus populus. Hanc ego ſuperſtitionem, & alias in hac Vrbe conſpexi, quas Dominus aliquando penitus abolere dignabitur.

De ingenti ſtatua Amidæ, & Templis, & de ſtatua Cacodæmonis turpiſſima figura, quæ adorabatur. Cap. 35.

De Iaponicis rebus epiſtolarum lib. 5. Aloyſius Froes Societ. Ieſu in Sinas.

ET cum eiuſmodi gentis natura, tum illud quoque vel maxime Chriſtianam cauſam adiuuat, quod multæ ſunt ſuperſtitionum ſectæ, non ſolum diuerſæ ac variæ, ſed etiam inter ſe pugnantes, quo facilius eſt diabolica mendacia, fraudesq. conuincere. Circa Meacum in patentibus campis plurima ſunt Idolorum phana, è quibus adij Chriſtianorum ductu nonnulla. In ijs quoddam eſt Amidæ Sacrum, ab vrbe quatuor fere paſſuum millibus, à priſcis Imperatoribus conditum, ac ſubinde renouatum, longitudine vlnarum centum circiter, & quadraginta. Ingentes habet valuas in medio. Ingredientibus obijcit ſeſe ſuggeſtus, in quo Brachmanis habitu, perforatis auribus, mentoq. & capite raſo, ingens Amidæ ſtatua conſidet. Supra ſtatuam quaſi pro vmbraculo pendent excepta catenis multa, magnaq. tintinnabula: circa ludentium ſpecie triginta cernuntur milites, ſtrictis telis armati, ſaltantes Aethyopes, anus venefica, dæmonesq. teterrimi: effingitur etiam certa quadam imagine ventus, horrificoq. aſpectu tonitrua: ad hæc ſeptem gradus ad templi totius longitudinem porriguntur: in ijs ordine certo diſpoſitæ vnius Canonis, Amidæ filij imagines omnino mille, hinc inde quingenæ eadem omnes forma, ore venuſto, egregie factæ, tricena brachia totidemq. manus oſtentant: è quibus duo tantum ad reliqui corporis magnitudinem apta proportione conueniunt, cetera parua ſunt, duo etiam lumbos præcingunt. Singulæ porro ſtatuæ bina tenent iacula, pectus inſignitæ ſeptenis hominum vulticulis, corona capiti impoſita cum diademate radiante. Sunt autem cuncta eius templi non modo ſimulacra, ſed etiam quæ diximus tintinnabula, & ipſæ catenæ magna obrizi auri copia, ſcite admodum ab imo ad ſummum vſque verticem intecta ſic, vt fulgorem intuentes oculi ferre vix poſſint. Locus eſt celeberrimus, multiq. eo longinquis è regionibus religionis cauſa confluunt.

Inde paſſuum interuallo duûm circiter millium collis attollitur, ad cuius radices veterem quandam Academiam multis diſtinctam Cænobijs, tenui fluens aqua riuus circuit amœniſſimus: multa ibi delubra, quorum in aliquibus magno cultu adoratur ſtatua cacodæmonis, facie magis etiam quàm apud nos pingitur, fæda, & horribili, in ſummo autem colle ingentia tria lignea templa, ligneis item columnis mira craſſitudine ſuſpenduntur, infimo pauimento ſtrato laterculis leuigatis. In eorum vno coloſſeum immanis magnitudinis Xacæ ſignum, ſingulas habet ad dextram, læuamq. ſtatuas paulo minores: à tergo autem quoddam quaſi folium exſurgit, ex quo ſigillorum vnius palmi duo circiter millia prominent, infantesq. præterea bimi

fere

fere quadraginta, denique latus vtrumque templi ſpatis armati dæmones bini cuſtodiunt: hæc autem aurata ſunt omnia. Alterum eſt templum probādis, & laurea donandis, veteri Academiarum more ſcholaſticis deſtinatum. In eo pulpitum, vexillis compluribus è ſuperiori parte pendentibus, eminet ligneum, in quod ſcalis tribus aſcenditur: eſt ibi menſa cum cathedra parata magiſtro, qui actibus eiuſmodi præſidet, itemq. ad imum ſuggeſtum, Altera in vſum diſcipuli, qui eo iudicio probandus, inſignibusq. doctrinæ publice decorandus eſt, templum autem ipſum lacertæ, ſeu ſtellioni dicatum eſt, quem vulgo Deum, ac præſidem litterarum, & eruditionis exiſtimant. Huic nulla neque ara, neque ſtatua, vt ceteris Dijs erigitur, in ſummo tantum laqueari, multiplicem conuolutus in ſpiram ingenti orbiculari forma depingitur, vt ſcholaſtici, dum eum ſupplices venerantur, oculos, mentemq. ſimul ad ſuperna cogantur attollere.

Tantum pauca hæc cōmemoraſſe ſufficiat, vt hinc quiſque conijcere poſſit quanta tyrannide, per tot annorum millia, abominandi Dæmones noui orbis gentes poſſiderent, & quot miſerabiles animas ad interitum pertraherent. Donec Inſulæ de longe (quando venit plenitudo temporis, in poteſtate Dei repoſita) audirent verbum Dei, & illuceſceret eis lux magna, gloria Domini ſuper eos oriretur, & fugarentur è regionibus illis Aſpides, & Baſiliſci, Leones, & Dracones. Quod Dei inexplicabilis bonitas, & longanimitas fecit nouiſsimis his ſeculis, opera Chriſtianorum, & Religioſorum virorum, præſertim autem per venerabiles Patres Societatis Ieſu, qui à Deo vtriuſque orbis Apoſtoli conſtituti, docent vbique ſcientiam ſalutis eos, qui in tenebris, & vmbra mortis ſedent.

De Dæmonibus homines ad falſa dogmata propellentibus. Cap. 36.

SEd implacabiles Dæmones, in ſua malitia perſiſtentes, ab illis tam longinquis regionibus pulſi, illuc redire videntur, vnde à Chriſtiana fide fugati fuerant, ad noſtrum ſcilicet orbem, Chriſtiana fide imbutum; & cum rurſus homines ad adoranda falſorum Deorum Idola inducere non poſsint, aliam inuenerunt decipiendi viam, excitando ſcilicet aliquos, non ad deteſtādam Chriſti Domini fidem, quam populus Catholicus inuiolatam ampiectitur, & portæ inferi non poſſunt præualere aduerſus eam, ſed ad recipiendos aliquos errores circa ea, quæ fidei ſunt, & ad negandas aliquas veritates, quæ in Eccleſia Dei traduntur, vt, ſi fieri poteſt, ſaltem hoc modo præualere poſsint, & ad amiſſum reuertantur principatum.

Subijciamus hic aliqua ad hoc argumentum pertinentia.

Impius vir, iterata baptiſmata ſuadens, à ſæuo Dæmone horribiliter in aquis ſuffocatur. Cap. 37.

QVidam vir apud Sarmatas, lucri, & gloriæ cupidus, noua, & inſana dogmata diſſeminabat (vt accepi ab amico meo, fide digno, qui in Polonia diu permanſerat) hic ſuggeſſerat plurimis hominibus in quibuſdam illorum regnorum partibus, vt, qui ſemel baptiſmo à peccatis ablutus eſſet, ſi

deinde millies peccaſſet, iterum ad baptiſmum rediret, vt ablueretur. Cumque errores facillime ab inerudita plebe recipiantur, præſertim ſi habet magiſtrum, qui extra ſanctitatem præferens, apud pleroſque æſtimationem obtineat. Hi enim oſtendentes magnum zelum ſe habere animarum, veroſq; eſſe Dei cultores, & veritatis amatores, nullo negocio incautam plebeculam, Dæmone ſuggerente, in ſuas ſententias pertrahunt. detinent autem, quos deceperunt in erroribus, hoc ſolo prætextu, quoniam Catholici non viuunt ſecundum Euangelium, & in peccatis ſunt toti, & qui præſunt alijs, ſeculi vitam agunt, & ſcandala ſeminant. veruntamen ipſi iactant ſe non eſſe ſicut cæteros, raptores, adulteros, fornicarios, auaros, atque huius farinæ homines, ſed eſſe rectos in corde, & iuſtos in opere, & vt tales habeantur, ſimulatam pietatis imaginem extrinſecus aſſumunt.

Vir autem iſte hoc modo authoritatem conſecutus apud multos, trahebat illos ad credendum impijs ſanctificationibus, & ablutionibus ſuis. Quapropter quadam die indixit omnibus vniuerſale baptiſmum in publico lauacro, ſpondens ſpiritum Dei affuturum, & facturum eſſe ibi magnas ſuæ virtutis operationes. Concurrunt omnes vndique, & feſtinant ad aquas. Cum autem populus numeroſus conueniſſet, magnus ille magiſter, honoris gratia primus voluit baptizari. Quapropter ingreditur lauacrum, vix impias aquas tetigit, ecce infelix homo rapitur ex aquis ab inuiſibili Dæmone, & furſum fertur in aera, & ſtatim refuſo impetu ſub vndis immergitur. Rapitur ſecundo, & tollitur in altum, omnibus admirantibus, & trementibus, & denuo magna vi redditur gurgiti. Cumque tertio in ſublime raptus violenter in lauacrum proijceretur, intrauerunt aquæ vſque ad animam eius, & operuerunt eum, & ſuffocatus interijt, iubente Deo, vt qui Diabolum voluit habere impoſtorem, eundem haberet carnificem & tortorem, temporaliter punitus in aqua, in æternum torquendus in igne. Commemoratur etiam caſus iſte horrore plenus à Thoma Bozio ſacerdote Congregationis noſtræ, in egregio opere, De ſignis Eccleſiæ to. 1. lib. 5. cap. 11.

Quomodo Deus poteſtatem præbet Dæmonibus, vt ſint peccantium tortores. Cap. 38.

PRæterea Deus, qui inordinata, & ſine lege errantia ad ordinem reducere nouit, Dæmones iſtos à cælis delapſos nonnunquam etiam ad inferendas vexationes, & ſupplicia hominibus, quos iuſto aliquo iudicio vexare propoſuit, ordinare ſolet: ſicut Rex, qui lictores habet, & iuſtitiæ miniſtros. Qui Dæmones à Deo poteſtatem nacti, iracunde, & implacabiliter eā contra homines exercent, ipſo Deo ſic permittente, vel, vt homines cruciatibus admoniti reſipiſcant: vel ſi reſipiſcere nolunt, ſit eis præſens caſtigatio æternarum pœnarum initium. Sed præter ea, quæ paulo ante dicta ſunt, referamus hic aliquas immiſsiones, & per Angelos malos inflictas vexationes, vt caueant homines, ne à Deo derelinquantur, & peccato exigente crudeliſſimis tortoribus tradantur, atque iterum diabolicæ poteſtati, quam Chriſtus fregit, ſubijciantur.

Mulier quædam voluptatibus, & delicijs inconceſſis nimis indulgens, deſuper tacta, reſipiſcere nolens, Dæmonibus traditur. Cap. 39.

IN Ciuitate Crotonis, anno Domini 1573. erat Mulier in ætatis flore cõſtituta, in primis nobilis, & diues, & eximiæ pulchritudinis, quæ corporis ſui forma in virorum perniciem abutens, facta erat laqueus totius Ciuitatis: vt quicunque eam videret, ad concupiſcendum eam, iam mœcharetur in corde ſuo. Quapropter parentibus non renuentibus huc, & illuc vagans, & per vias, & feneſtras ſeſe oſtentans, plurimorum corda ad ſui concupiſcentiam rapiebat. Quodam die, mulier iſta, quæ nihil aliud ſomniabat, quam ludos, & ſpectacula & choreas, comicasq. repræſentationes, & incedere pompoſe, & oblectare oculos, & aures, & laſciuientibus obtemperare ſenſibus, omnibus ornamentis ſuis ornauit ſeſe, venuſte comas ſupra frontem erexit, & crines intortos aurea vitta ligatos artificioſe diſpoſuit, & impoſuit ſuper caput eius reticulam ſericam, & auribus candidas appendit margaritas, & cinxit collum monilibus, & veſtes induit diuerſicolores, ignea Diaboli arma, & fœdarum libidinum incitamenta. Cum autem corpus ſuum, hoc modo exornaſſet, feſtinauit cum ancillis ad cuiuſdam diuitis domum, vbi luſus, & iucunda ſpectacula exercebantur, ibiq. plurimi tàm viri quàm mulieres conuenerant, ſicut turbæ ad theatrum. Itaq. mulier hilaris, & iucunda ſine fræno cor ſuum in eodem loco, voluptatibus, & oblectationibus relaxauit. Sed, quoniam extrema gaudij luctus occupat, ecce repente adoleſcentula ingenti laterum dolore corripitur, & conquerens eiulat, & clamoribus omnia miſcet: & voluptatis domum facit luctus, & doloris domicilium. Parens autem eius videns filiam penè dolore exanimatam, eam domum reduci curauit: vbi adhibitis à perito medico idoneis medicamentis, cum adhuc morbus ab inclementia ſua non recederet, & in diſcrimen vitæ eius deducta eſſet, accerſitus eſt Confeſſarius, vt animæ eius mederetur, qui veniens ad ipſam benigno ſermone eam excipiens hortabatur, vt poſthac non duceret in vanitate dies ſuos, ſed totam ſe ad Deum diligendum traderet, in cuius dextera veræ voluptates ſunt: & de præteritis culpis ingemiſcens, veniam peteret, & confiteretur peccata ſua Deo, quoniã eſt bonus, & in ſecula miſericordia eius, conabaturq. oſtendere illi, quam graue crimen eſſet, ducere vitam, totam in vanitate ſenſus expoſitam. Ipſa autem cuius cor vanitatem biberat, ſicut aquam, contulit ſe ad excuſandas excuſationes in peccatis, aſſerens mulierem nobilem, & in ciuitate ſua primariam non dedecere, hæc agere. Reprehenſa de verbo hoc à Confeſſario, quoniam huiuſmodi vanitates, & deliciæ molles, & fucus ſunt deteſtabiles apud Chriſtum: & quoniam mulier in delicijs viuens, non viuens, ſed mortua eſt, illa indignãs, & diabolico agitata ſpiritu reſpondit. Si Chriſtus vult me ipſam, vti ſum: talem me recipiat, ſin minus, dimittat me mihi, nihil motor. Mulieris contemptus diuinam manſuetudinem exacerbauit. Et pertinax propoſitum eius, quod non flectebatur ad pœnitentiam, aures altiſſimi offendit. Quapropter Confeſſarius impœnitenti mulieri pœnitentiæ ſacramentum adminiſtrare non potuit, & dolens mulieris ſortem, receſſit ab ea. Interim pater eius co-

gitans

gitans illam peccata confeſſam eſſe, cum morbus ingraueſceret, admonuit Parochum, vt viaticum de more filiæ deferret: cum autem Parochus cum ſacramento vſque ad ianuam cubiculi perueniſſet, tunc ventus validus, quaſi turbo, portæ valuas impellens terribili impulſu, obſerauit eas, ita vt nullus in cubiculum ingredi poſſet. Dum autem tentarent occluſam aperire portam, audiebatur ſtrepens rumor, qui fiebat in cubiculo ægrotantis mulieris, & palmarum inuicem ſe collidentium triſtis ſonitus, & oris ingens clamor. Tandem valuæ aperiuntur, ingreſſiq. omnes, vident thori papilionem humi proſtratum, thorumq. ipſum euerſum, muliebres veſtes per thalamum diſperſas, calamiſtra, calathos, vaſcula vnguentaria, vittas, faſciolas, omniaq. capitis operimenta, & crepidas, & calceos, totamq. eius fucatam ſuppellectilem diſſipatam: &, quod omnibus terrorem incuſſit, inuenerunt infelicem mulierem intra linteolum miſerabiliter exanimatam: cuius cadauer horribile erat ad videndum. Videntibus autem illis, quæ facta fuerant, Deum in iudicijs terribilem timuerunt. Pater penè dolore confectus, quoniam defunctæ filiæ corpus ſacro loco (canone prohibente) ſepeliri non potuit, vt in littore maris ſepeliretur, mærens mandauit. Quod cum factum eſſet, altera die, idem corpus inſepultum repertum eſt, cumque iterum mandaret pater, vt ſepulturæ traderetur, iterum ſupra arenam inſepultum repertum fuit. Quod pater audiens, & intra ſeipſum fremens, maledixit illam, dixitq. indignans: Si terra eam non vult, Diabolus, qui habuit animam eius, habeat & corpus, & ita factum eſt, nam cadauer illud exſecrabile amplius non comparuit à Dæmonibus ſublatum, vt abiret in locum ſuum. Tremendum hunc caſum retulit nobis Religioſus Pater ex venerabili Capucinorum familia, cũ in Eccleſia noſtra quadrageſimæ tempore conciones haberet, dicebat autem ſe audiuiſſe hæc omnia, à quibuſdam ciuibus Crotoniatis, ibi cum aliquando concionaretur.

Contemptor diei, in qua ſanctiſſimi corporis Chriſti memoria recolitur, terribiliter Diabolo traditur, qui ſub ſerpentis figura deuorauit illum. Cap. 40.

IN quadam regione Poloniæ, quidam vir Diabolo aures accommodans relicta fide Catholica, quam inuiolatam à maioribus acceperat, tranſiuit ad hæreticos. Hic habebat vineam, quam cum certo tempore, neſcio quid cultum vellet in ea, & ſolemnitas diei approximaret, in qua inſtitutio ſanctiſſimi Sacramẽti corporis Chriſti venerationis gratia inter Catholicos recoli ſolet, decreuit eadem die in contemptum eius feſtiuitatis conducere operarios, vt foderent eam. Vxor autem viri huius, in qua nondum plene catholica fides, quam à teneris annis acceperat, exſtincta erat, rogabat virum, ne eo die tam ſolemni, opus illud mechanicum exerceret in vinea. Ille autem lætabatur, quoniam daretur ſibi occaſio contemnendi diem illum: & vxorem ſuam non audiens, illuceſcente ſacro die profectus, conduxit operarios, & duxit in vineam. Sedens autem ſuper gramen, alacri animo operarios ligonibus terram proſcindentes aſpiciebat. Vix operarij opus aggreſſi fuerant, cum repente ecce immanis coluber, repens, & in ſpiris ſeſe colligens, & exiliens, & linguis triſulcis ore micans aduerſus vineæ domi-

num

rum ſinuoſo flexu, ſublato pectore, cerula colla attollens, & veneno tumenti fertur, horrenda ſibila mittens. Cumque perueniſſet ad illum, collum eius iam ſtrictis complexibus circumcinxit, donec ſuperbum contemptorem necauit. Fugerunt operarij à facie colubri, ſed vltor ſerpens, adhuc perſtans ſuper illum, nec morte eius contentus, lethalibus morſibus cæpit eũ deuorare. Vt nulli eſſet dubium in ſerpente illo, aſtitiſſe Diabolum, qui eum, quem prius veneno perfidiæ necauerat, eundem poſtea iubente Deo veneno extinctum, deuoraret in corpore. Semper enim quærit quem deuoret; ſed deuorare non poteſt, niſi eum qui non ſtetit fortis in fide.

Deum, & B. Virginem blaſphemans, à Dæmonibus viuus ad æternos cruciatus defertur. Cap. 41.

Religioſus quidam ex Capuccinis ex Siciliæ inſula cum ſocio ſuo redibat in Italiam. In ea naui, qua vehebatur, erat homo, neſcio an vnus ex Nautis eſſet, qui mala quadam valetudine affectus, eam patienter ferre non valens, maledictionibus, & blaſphemijs erga Deum, & Virginem Dei matrem iaculatis, quærebat ægritudini ſuæ ſolatium. Hoc cum indigne ab omnibus, qui in naui erant, audiretur, & propterea timerent, ne nauis, blaſphemias vlciſcente Deo, mergeretur in profundum, primum Religioſus ille pater hortabatur eum, vt ceſſaret à blaſphemijs illis, & linguam effrænem compeſceret, ne illum Deus exterminaret: ipſe tamen huiuſmodi correptionibus magis exacerbatus, fortius blaſphemabat. Ceteri quoque circumſtantes, acribus verbis virum obiurgantes, & comminantes ei, niſi deſiſteret, ira percitus, & Diabolo ſtimulante, in furorem verſus, in maledicta execrabilem linguam vehementius accendit. Adhuc os contumelioſum eructabat dira verba, & tamquam iacula contorquebat in cælũ, quãdo fumus ater, & nebuloſus egreditur ex quadam ſpelunca, quæ erat ex aduerſo, iuxta loca vnde (ſicut ex Veſuuio monte contingit) ignes nonnunquam erumpere ſolent, & eleuatus in altum, cogitur in grandem nubem, quæ per aerem pergens cæpit deſcendere ſuper nauẽ; cumque ſuper illam incubuiſſet, omnes, qui illa vehebãtur, trepidare metu, percutere pectora, emittere vota, fundere orationes, clamare ad Dominũ: Salua nos, perimus: ſentiebant enim repẽtinum illius nubis aduentum ſuper nauigium, aliquid portendere. Vix horrenda nubes aliquantulum ſuper nauem incubuerat, quando rurſus in aerem tollitur, & auditur in eam clamor hominis blaſphemantis, & petentis auxilium, qui ab inuiſibilibus Dæmonibus raptus intra nebulam ferebatur. Mox prodigioſa nubes æthera ſecans in tenebroſum antrum ingreditur, vnde egreſſa fuerat ſecum ferens miſerabilem hominem, qui vlciſcente numine traditus eſt crudeliſſimis tortoribus, vt per vias mortis ducerent illum ad igneam & æternam carnificinam. Religioſus ipſe, qui interfuit, retulit hæc aliquibus ex Patribus ſuis, à quibus hæc accepimus.

In

In quantam intellectus obſcuritatem, & morum turpitudinem inciderint Philoſophi, qui ſapientiam profitebantur inter Gentes, teſtimonio Pauli Apoſtoli, & Ioannis Chryſoſtomi. Cap. 42.

SEd & illi, qui inter Gentiles ſapientum nomen ſibi vſurpabant, nihilo meliores alijs fuerunt: nam plerique eorum, aut Deum non cognouerunt, & poſt idola abierunt, aut ſi cognouerunt, non ſicut Deum conglorificauerunt (vt Apoſtolus ait) ita vt ſint inexcuſabiles, & euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum, & dicẽtes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt, & mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium. Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum in immunditiam: vt contumelijs afficiant corpora ſua in ſemetipſis. Qui commutauerunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt, & ſeruierunt creaturæ potius, quàm Creatori, qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum. Propterea tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ. Nam feminæ eorum immutauerunt naturalem vſum, in eum vſum, qui eſt contra naturam: ſimiliter autem & maſculi, relicto naturali vſu feminæ, exarſerunt in deſiderijs ſuis in inuicẽ, maſculi in maſculos turpitudinem operantes, & mercedem, quam oportuit erroris ſui in ſemetipſis recipientes, & ſicut non probauerunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, vt faciant ea, quæ non conueniunt, repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia, nequitia, plenos inuidia, homicidijs, contentione, dolo, malignitate, ſuſurrones, detractores, Deo odibiles, contumelioſos, ſuperbos, elatos, inuentores malorum, parentibus non obedientes, inſipiẽtes, incompoſiti, ſine affectione, abſque fœdere, ſine miſericordia, qui cum iuſtitiam Dei cognouiſſent, non intellexerunt: quoniam, qui talia agunt, digni ſunt morte: non ſolum, qui ea faciunt, ſed qui etiam conſentiunt facientibus.

Rom. 1.

Chryſoſtomus diſputans contra Gentes, de Phyloſophis ſic ait: Illa, quæ Græci iactabundi efferunt, Phyloſophis ſuis attribuentes, facile commonſtrarunt vanam gloriam, temeritatem, & puerilis cogitationis opera eſſe. Neque enim temere apud nos, dolio quis accepto ſe ipſe incluſit, neque vili, ac lacero panno obtectus, ſic per forum ingreſſus eſt. Ea enim admirabilia quidem eſſe videntur, laboreq. multo, ac ſumma ærumna plena, ſed indigna tamen ſunt, quæ laudem mercantur. Eſt autem Diaboli aſtutiæ, ſibi ſeruientes laboribus eiuſmodi addicere, vnde qui decepti ab illo fuerint, tum diuellantur, cum riduculi omnibus appareant. Labor enim is, ex quo nullum lucrum manat, nullam prorſus laudem meretur. Etenim exiſtunt etiam hodie perditi quidam homines, nullis non flagitijs pleni, qui multo maiora iactitant, quam Phyloſophus ille. Alij enim acutos clauos comedunt; alij calceos mandunt, & deglutiunt; alij ad alia his longe flagitioſiora malè conſulti ſe conferunt; opera porrò huiuſmodi multo ſunt admirabiliora, quã vel dolium illud, vel panni illi viles, ac laceri: ſed ea tamen minime probamus, ſicuti neque illa, quinimmo & iſtos, & omnes item, qui ſimilibus præſtigijs mirabiles ſunt, æque, ac philoſophum eundem damnantes deploramus.

Io. Chryſoſ. lib. contra Gentil. t. 3.

ramus. Hæc Chryſoſtomus. Qui alijs huiuſmodi pluribus enarratis, paulo poſt ſubdit: Vides nunc me non iactabunde, non temere paulo ante dixiſſe philoſophorum veſtrorum miracula à Babyla pueriiis ſenſus opera reddita fuiſſe. At temperans, inquit, fuit, continentemq. vitam egit Sinopenſis ille, vt qui etiam legitimas nuptias non ſuſtinuerit. Sed adde obſecro, temperãtiæ, ac continentiæ illius modum. Tu vero nequaquam addes, quin libentius temperantiæ laudes illi detraxeris, quam temperantiæ eius modum prodideris, adeo certe ille infamis, ac magno dedecore plenus. Percurrerem hoc loco, & ceterorum nugas, ſtultum, ac vanum ſtudium, denique turpitudinem: vbi enim quæſo, vtile à feminis humani guſtu non temperare? id quod faciebat Stagyrites: quale commodum cum matribus, ac ſororibus miſceri? quod quidem Philoſophus Stoæ præfectus lege ſanxit. Percurrerem etiam Academiæ principem, illiusq. diſcipulum, item, & eos, de quibus maior eſt admiratio, his, quos nominaui, obſcæniores fuiſſe demonſtrarem: obſcænum quoque puerorum amorem ab illis in honeſtatis, ac philoſophiæ parte annumeratum, omni retecta allegoria denudarem, niſi tum nobis ad alia properantibus oratio longior hac ratione fieret, tum omnium illorum riſus, vno à nobis detecto, ſatis ſuperq. redargueretur. Vbi enim eſt, qui auſteriorem philoſophiæ partem ſequi viſus eſt, quique ceteros, & linguæ libertate, & vitæ continentia excelluit, adeo turpis, adeo ineptus, adeo immoderatus fuiſſe demonſtratus eſt (nam & humanis veſci carnibus indifferens eſſe dixit) quorſum attinet, & de reliquis deinceps verba facere, præſertim vbi, qui ſtudij, ac vitæ inſtituti excellentia ceteris illuſtrior fuit, omnibus tam ridiculus, tam puerilis, tam delirus apparuit. Plura ibi Chryſoſtomus.

Enarratio infeliciſſimi ſtatus, in quo Reſpub. Romana, quæ omnibus Gentibus principabatur, ante aduentum ſummi Regis cæleſtis in mundum, iacebat. Cap. 43.

RVrſus autem operæpretium eſt, videre, & ſingillatim cognoſcere, qualis extiterit Romanæ Reipub. ſtatus, antequam Chriſtus Dominus in mũdum veniſſet, apud quos, & non apud alios, erat ſedem ſuam locaturus, in perpetuum duraturam, contra quam poſtea nullæ potentiæ neque hominum, neque Principum tenebrarum erant præualituræ; vt appareat, quò tendant homines ſine Deo, & ſine cæleſti fidei lumine; & videatur, quod quo magis quærunt homines proprijs viribus ſuam ſtatuere, & producere fęlicitatem, eo magis ab illa diſtent, cognitaq. mundi huius fallacia, humana etiam imbecillitate, Ieſu Chriſti gratiæ, quam mundo attulit, reſplendeat in omnium oculis maieſtas, & ſublimitas regni Chriſti, ad quod homines fidem Chriſti ſequentes perducit, & regnare facit ſuper ſydera per æterna tempora. Sed non omnia breui ſermone deſcribi poſſunt, quæ ab ijs, qui hiſtorias conſcripſerunt, litteris mandata ſunt. At inter multa, & pene innumera, quæ contigerunt, nonnulla afferam, quæ congeſſit Paulus Oroſius in Hiſtorijs ſuis contra Paganos.

Miſerabilis ſtatus Romanæ Reipub. quæ vt à peſte Vrbem liberaret, ludos Scenicos Dijs ſuis decreuit. Cap. 44.

Paulus Oroſius lib. 3. cap. 4.

ANno ab Vrbe condita 384. L. Genucio, & Q. Seruilio Coſſ. ingens vniuerſam Vrbem corripuit peſtilentia. Non vt aſſolet, plus, minuſve ſolito temporum turbata temperies, hoc eſt, aut intempeſtiua ſiccitas hyemis, aut repentinus calor veris, aut incongruus humor æſtatis, vel autumni diuitis indigeſta illecebra, inſuper etiam exſpirata Calabris ſaltibus aura corrumpens, repentinos acutarum infirmitatum afferret tranſcurſus, ſed grauis, diuturnaq. in nullo diſpar ſexu, in nulla ætate diſſimilis, generali cunctos per biennium iugiter tabe confecit. Vt etiam quos non egit in mortem, turpi macie exinanitos, afflictosq. dimiſerit. Sed videndum eſt, quibus remedijs peſtilentes morbos arcere de finibus ſuis conati ſunt Romani viri. Ad Pontifices falſorum Deorum cultores venerunt, petierunt ab ipſis, quid agendum eſſet, vt ira Deorum placaretur, & ſedarentur morbi. Suaſere illi, vt ludi Scenici Dijs appetentibus ederentur. Et ita pro depellenda temporali peſte corporum, accerſitus eſt perpetuus morbus animarum. Quantæ tunc in animis tàm magnorum virorum irrepſerunt tenebræ, & humana ſapientia vbi ceciderat, vt putaretur ira diuina placari poſſe per ludos Scenicos, quaſi quod Dij ſui ludis delectarentur, & recitatione Comediarum per Mimos & Comicos facta, & peſtis Tragædia per ioca, & Comedias pelleretur. Dolendus quidem rerum ſtatus, & omni miſeratione digniſſimus.

Prodigium magnum in Rom. vrbe, in qua terræ vorago facta eſt, in quam vir Romanus vltro ſe præcipitem dedit.
Cap. 45.

Ex Paulo Oroſ. lib. 3. cap. 5.

SEquitur poſt miſeram luem, miſerioremq. eius expiationem proximo anno ſatis triſte prodigium. Repente ſiquidem medio Vrbis terra diſſiluit, vaſtoq. prærupte hiantia ſubito inferna patuerunt. Manebat diu ad ſpectaculum, terroremq. cunctorum patenti voragine impudens ſpecus, nefariamq. viui hominis ſepulturam, Dijs interpretibus, expetebat. Satisfecit improbis faucibus præcipitio ſui Marcus Curtius, vir eques armatus, inieciq. crudeli terræ inopinatam ſocietatem, cui parum eſſet, quod ex tanta peſtilentia mortuos per ſepulchra ſuſciperet, niſi etiam viuos ſciſſa ſorberet. Hoc inſigni prodigio admonebantur Romani, quod falſis Dijs ſeruiẽtes, poſt tot victorias, & regna armorum vi comparata, nil aliud ſibi reliquum eſſe, quam deſcenſus ad inferna loca, ad pœnas æternas ſuſtinendas. Donec veniret, qui deſcendit ad Inferos, & tertia die reſurrexit à mortuis, quẽ ignorabant, in cuius aduentu cæli aperirentur, & vias vitæ oſtenderet, & inferno morſum imponeret, victa morte: iterum putantibus illis, mortis inexhauſtas voragines, & vias perditionis, mortuorum hominum cadaueribus occludere poſſe.

Alia ingentia Prodigia.

Ex Paulo Oroſ. hiſt. lib. 4. c. 4.

Anno ab Vrbe condita 477. obſcæna, & dira prodigia, vel viſa Romæ, vel nunciata ſunt. Aedes Salutis ictu fulminis diſſoluta, pars muri ſub eodem

dem loco de cælo, vt dicunt, tacta eſt, Lupi tres ante lucem ingreſſi Vrbem ſemeſum cadauer intulerunt, ſparſumq. membratim in foro, ipſi ſtrepitu hominum exterriti reliquerunt. Apud Formias, multis ictibus fulminum mœnia vndique ambuſta, & diſſoluta ſunt. Apud agrum Calenum repente flāma ſciſſo hiatu terræ eructata tribus diebus, tribusq. noctibus terribiliter exæſtuans, quinque agri iugera exhauſto penitus ſucco vbertatis, in cinerē extorruit, ita vt non fruges ſolum, ſed & arbores cum imis ſtirpibus abſumpſiſſe referatur. Sequenti ab hinc anno Sempronius conſul aduerſus Picentes duxit exercitum. Et cum directa intra iactum teli vtraque acies conſtitiſſet, repente ita cum horrendo fragore terra tremuit, vt ſtupore miraculo vtrumque pauefactum agmen hebeſceret. Diu attoniti vtrinque populi hæſitauere. Præiudicata inceſti conſcientia, tandem procurſu concito iniere certamen. Triſte adeo id bellum fuit, vt merito dicatur tantum humanum ſanguinem ſuſceptura, etiam cum gemitu horriſono tunc terra tremuiſſe. Romani pauci admodum eo prælio, qui euaſere, vicerunt.

Ingentes calamitates Romanorū, quibus Deus Vrbem affligebat, vt diſcerent temporalia bona non eſſe per ſe expetenda, ſed æterna bona eſſe perquirenda, quæ erat manifeſtaturus Chriſtus Dominus in aduentu ſuo.

Cap. 46.

ANno ab Vrbe condita 480, inter multa prodigia ſanguis è terra, lac viſū eſt manare de cælo. Nam pluribus locis ſcaturiens e fontibus cruor fluxit, & de nubibus guttatim in ſpeciem pluuiæ lacte demiſſo, diri, vt ipſis viſum eſt, terram imbres irrigauerunt. Eo tempore Carthaginenſes dato aduerſus Romanos auxilio Tarentinis, cum à Senatu per legatos arguerentur turpiſſimam rupti fœderis labem, præſumpto accumulauere periurio. Tunc etiam Vulſinienſes Etruſcorum florentiſſimi, luxuria pene perierunt. Nam cum licentia in conſuetudinem prorogata ſeruos ſuos paſſim liberos facerent, conuiuijs alligarent, coniugijs honeſtarent, libertini in partem poteſtatis recepti, plenitudinem per ſcelus vſurpare meditati ſunt, & liberati ſeruitutis iugo, ambitu dominationis arſerunt, & quos Dominos ſubditis æquanimiter dilexerunt, eos etiam liberi, quos Dominos fuiſſe meminerant, exſecrati ſunt. Itaque conſpirantes in facinus libertini (quorū tanta manus fuit, vt ſine controuerſia auſu potirentur) correptam Vrbem ſuo tantum generi vindicant, patrimonia, coniugiaq. dominorum ſibi per ſcelus vſurpant, extorres dominos procul abigunt, qui miſeri, exules, egentesq; Romam deferuntur, vbi oſtentata miſeria querelaq; defleta per Romanorum ſeueritatem & vindicati ſunt & reſtituti.

Anno ab Vrbe condita 481, peſtilentia ingens apud Romam conflagrauit, cuius atrocitatem ſignificare contentus ſum, qui verbis implere non poſſum; ſi enim ſpacio temporis, quo manſit, inquiritur, vltra biennium vaſtando porrecta eſt; ſi depopulatio, quam egerit, cenſus indictus eſt, qui non quantum hominum deperijſſet, ſed quantum ſuperfuiſſet inquireret; ſi violentia, qua affecerit, Sibyllini libri teſtes ſunt, qui eam cæleſti ira impoſitam reſponderunt. Sed ne quem tentata vſurpatio tranſlationis offendat, quod cum Sibyl-

la

la iratos Deos dixerit, nos iram cæleſtem dixiſſe videamur, audiat & intelligat, quod hæc, & ſi plerumque per aereas poteſtates fiunt, tamen ſine arbitrio omnipotentis Dei omnino non fiunt. Eodem tempore Capparonia, Virgo Veſtalis, inceſti rea ſuſpendio perijt: corruptor eius, conſcijq. ſerui ſupplicio affecti ſunt. Ecce continuatim quæ & quanta numeramus accidiſſe annis ſingulis plurima, inter quos certe raro, aut pene nullo nihil triſte geſtum eſt. Et hoc cum ijdem ſcriptores, propoſito ſibi magis laudandi negotio, cauerent numeroſitates miſeriarum, ne eoſdem, quibus hæc, & de quibus ſcribebantur, offenderent, auditoreſq. ſuos exemplis præteritorum, terrere potius, quam inſtruere viderentur. Porro autem nos in vltimo temporum poſiti, mala Romanorum ſcire non poſſumus, niſi per eos, qui laudauere Romanos, ex quo intelligi datur, quanta illa fuerint, quæ ſtudio propter horrorem repreſſa ſunt, cum tanta inueniantur, quæ tenuiter inter laudes emanare potuerunt.

De inexplebili, & extrema diuitiarum cupiditate, in quam Romani ſine Dei veri cognitione prolapſi fuerant, vt templum Hieroſolymis auro expoliarent, & regna auaritiæ gratia diriperent. Cap. 47.

Ex Paul. Oroſ. hiſt. lib. 6. c. 13.

ANno ab Vrbe condita ſexcenteſimo nonageſimo ſeptimo Craſſus in conſulatu collega Pompeij prouinciā ſortitus in Parthos; homo inexplebilis cupiditatis, audita in Hieroſolymis templi opulentia, quam Pompeius intactam reliquerat, in Palæſtinam diuertit, Hieroſolymam adit, templum peruadit, opes diripit, inde per Meſopotamiam tendens in Parthiam, quacunque iter habuit, ſocijs ciuitatibus auxilia indixit, pretia exegit, moxq. vt Euphratem tranſijt, illico Vageſem legatum ab Orode rege Parthorum ad ſe miſſum obuiam habuit, à quo vehementer increpatus eſt, quod contra fœdus Luculli Pompeij auaritia inductus Euphratē tranſierit. Quamobrem ſine mora futurum, vt pro auro Parthico ſerico ferro oneraretur. Itaque cum prope Carnos ventum eſſet, Parthi ſubito ingruentes cum Surena, & Sillace præfectis ſagittis oppreſcere Romanos. Cecidere ibi plurimi ſenatores, aliquot etiam conſulares, & prætorij viri. Craſſus quoque filius Craſſi lectiſſimus iuuenis in acie occiſus eſt. Præterea quatuor cohortes cum Varguntcio legato medijs deprehenſæ campis, & interfectæ ſunt. Surenas rapto equitatu Craſſum proſequi intendit, eumq. circumuentum, ac fruſtra colloquium eius petentem interfecit, quamuis viuum auferre maluiſſet. Pauci noctis beneficio liberati Carros confugerunt. Cognita clade Romanorum, multæ orientis prouinciæ à ſocietate, vel fide Romanorum defeciſſent, ni Caſſius collectis ex fuga militibus paucis, intumeſcentem Syriam egregia animi virtute, ac moderatione preſſiſſet, qui, & Antiochum, copiaſq. eius ingentes prælio vicit & interfecit. Parthos quoque ab Orode in Syriam miſſos, iamq. ingreſſos Antiochiam, bello expulit, ducemq. eorum Oſacem interfecit.

Quomodo Romanis inter tot tenebras, & morum corruptiones conſtitutis, Cælorum regnum, æterna diuitiæ, & pax perpetua prænunciata fuerint ſub typo Cæſaris Auguſti in die Epiphaniæ Mundi monarchiam ſibi aſſumentis, & ſub typo circuli ſolis orbem ambientis, & fontis oleum eructantis. Cap. 48.

ANno ab Vrbe condita 725. ipſo Imperatore Cæſare Auguſto quinquies, & L. Apuleio conſulibus, Cęſar victor ab Oriente rediens, octauo Idus Ianuarias, Vrbem triplici triumpho ingreſſus eſt, ac tum primum ipſe Iani portas ſopitis omnibus, finitisq. bellis ciuilibus, clauſit. Hoc die primum Auguſtus conſalutatus eſt. Quod nomen cunctis antea inuiolatum, & vſque ad nunc ceteris inauſum Dominis tantum orbis licite vſurpatum apicem declarat imperij: atque ex eodem die ſumma rerum ac poteſtatum penes vnum cæpit eſſe & manſit, quod Græci monarchiam vocant. Porro autem hunc eundem eſſe diem, hoc eſt, octauo idus Ianuarias, quod nos Epiphaniã, hoc eſt, Apparitionem, ſiue manifeſtationem Dominici ſacramenti obſeruamus, nemo credentium, ſiue etiam fidei contradicentium neſcit. De quo noſtræ iſtius fideliſſimæ obſeruationis ſacramento vberius nunc dicere, nec ratio, nec locus flagitat, vt, & quærentibus reſeruaſſe, & negligentibus non ingeſſiſſe videamur. Hoc autem fideliter commemoraſſe, ideo par fuit, vt per omnia venturi Chriſti gratia præparatum Cæſaris Imperium comprobetur. Nam cum primum Caio Cæſare auunculo ſuo interfecto, ex Appollonia rediens, Vrbem ingrederetur, hora circiter tertia, repente liquido, ac puro, ſerenoq. die circulus ad ſpeciem cæleſtis arcus orbem ſolis ambijt, quaſi eum vnum ac potentiſſimum in hoc mundo, ſolumq. clariſſimum in orbe monſtraret, cuius tempore venturus eſſet, qui ipſum ſolem ſolus, mundumq. totum, & feciſſet & regeret. Deinde cum ſecundo in Sicilia receptis a Pompeio & Lepido legionibus, triginta millia ſeruorum Dominis reſtituiſſet, & quadraginta quatuor legiones ſolus imperio ſuo ad tutamen orbis terrarum diſtribuiſſet, ouanſq. Vrbem ingreſſus omnia ſuperiora populi Romani debita donanda, litterarum etiam monumentis abolitis cenſuiſſet (in diebus ipſius) fons olei largiſſimus, ſicut ſuperius expreſſi, de Taberna Meritoria per totum diem fluxit. Quo ſigno quid euidentius, quam in diebus Cæſaris toto orbe regnantis, futura Chriſti natiuitas declarata eſt? Chriſtus enim lingua gentis eius, in qua natus eſt, Vnctus interpretatur, itaque cum eo tẽpore Cæſari perpetua tribunicia poteſtas decreta eſt, Romæ fons Olei per totum diem fluxit. Sub principatu Cæſaris, Romanoq. Imperio per totum diem, hoc eſt, per omne Romani tempus Imperij, Chriſtum, & ex eo Chriſtianos, ideſt vnctum, atque ex eo vnctos de Meritoria Taberna, hoc eſt, de hoſpita, largaq. Eccleſia affluenter, atque inceſſabiliter proceſſuros, reſtituendoſq. per Cæſarem omnes ſeruos, qui tamen cognoſcerent Dominum ſuum, ceteroſq. qui ſine dominio inuenirentur, morti ſupplicioq. dedendos, remittendaq. ſub Cæſare debita peccatorum in ea Vrbe, in qua ſpontaneũ fluxiſſet oleum, euidentiſſima his, qui Prophetarum voces non audiebant, ſigna in cæ-

Ex Paul. Oroſ. hiſt. lib.6 c.20.

lo & in terra prodigia prodiderunt. Tertio cum Vrbem triumphans quintũ conſul ingreſſus eſt, eo ſcilicet die, quem ſupra nominauimus, cum & Ianum poſt ducentos annos ipſe clauſit, & clariſſimum illud Auguſti nomen aſſumpſit, quid fidelius, ac verius credi, aut cognoſci poteſt, concurrentibus ad tantam manifeſtationem pace, nomine, die, quam hunc occulto quidem geſtorum ordine ad obſequium præparationis eius prædeſtinatum fuiſſe, qui eo die, quo ille manifeſtandus mundo poſt paululum erat, & pacis ſignum prætulit, & poteſtatis nomen aſſumpſit? Quid autem in quarto reditu, cum finito Cantabrico bello, pacatiſq. omnibus gentibus Cæſar Vrbem repetijt ad conteſtationem fidei, quam expromimus, actum ſit, ipſo ordine melius proferetur.

Omnium regnorum arbitrum eſſe Deum, omnia regna ad Chriſtum regem referentem: & quomodo Abraham ſub 42. *anno primi Regis Nini natus eſt, ex cuius ſemine naſciturus erat Chriſtus: Et quomodo Chriſtus mirabili parallelo*, 42. *anno Auguſti primi Imperatoris natus eſt.* Cap. 49.

Ex Paul. Oroſ. hiſto. lib.7.c.2. Principio ſecundi libelli, cum tempora Romanæ conditionis ſtyli tenore perſtringerem, multa conuenienter inter Babyloniam Vrbem Aſsyriorum tunc principem gentium, & Romam, æque nunc gentibus dominantem compacta conſcripſi, fuiſſe illud primum, hoc vltimum imperium; illud paulatim cedens, at iſtud ſenſim conualeſcens; defluxiſſe illi ſub vno tempore nouiſſimum Regem, iſti primum fuiſſe; illam deinde tunc inuadente Cyro captam velut in mortem concidiſſe; cum iſta fiducialiter aſſurgentem poſt expulſos reges liberis vti cœpiſſe conſilijs; præcipue cum vindicante libertatem ſuam Roma, tum quoque Iudæorum populus, qui apud Babyloniam ſub regibus ſeruiebat, in Sanctam Hieruſalem recepta libertate redierit, templumq. Domini, ſicut à Prophetis prædictum fuerat, reformarit. Præterea interceſſiſſe dixeram inter Babylonum Regnum quod ab Oriente fuerat, & Romanum quod ab Occidente conſurgens hæreditate Orientis enutriebatur, Macedonicumq. Aphricanum regnum, hoc eſt quaſi à meridie, ac ſeptemptrione breuibus vicibus partes tutoris, curatoriſq. tenuiſſe, Orientis & Occidentis regnum Babylonium, & Romanum iure vocitari, neminem vnquam dubitaſſe ſcio. Macedonicum regnum ſub ſeptemptrione eſſe cum ipſa cæli plaga, tum Alexandri Magni aræ poſitæ vſque ad nunc ſub Ripheis montibus docent. Carthaginem vero vniuerſæ præcelluiſſe Africæ, & non ſolum in Siciliam, Sardiniã, ceteraſq. adiacentes inſulas, ſed etiam in Hiſpaniam regni terminos tetendiſſe, hiſtoriarum ſimul monimenta, Vrbiumq. declarant. Dictum eſt etiam vaſtata per Medos Babyloniæ, & irruptæ per Gothos Romæ, pares admodum annorum numeros cucurriſſe. Nunc autem his illud adijciam, quo magis clareat, vnum eſſe arbitrum ſæculorum, regnorum, locorumq. omnium Deum. Regnum Carthaginenſe à conditione vſque ad euerſionem eius paulo amplius quam ſeptingentis annis ſtetit: æque regnum Macedonicum à Carano vſque ad Perſen paulo minus quam 700. vtrumque tamen ſeptenarius ille numerus, quo iudicantur, terminauit omnia. Roma

ipſa

ipſa etiam quàmuis ad aduentum Domini Noſtri Ieſu Chriſti perfecto proueheretur imperio, tamen paulùlum, & ipſa in occurſu numeri huius offendit. Nam ſeptingenteſimo conditionis ſuæ anno, quatuordecim vicos eius, incertum, vnde conſurgens flamma conſumpſit, nec vnquam, vt ait Liuius, maiori incendio vaſtata eſt, adeo vt poſt aliquot annos Cæſar Auguſtus ad reparationem eorum, quæ tunc exuſta erant, magnam vim pecuniæ ex ærario publico largitus ſit. Poteram quoque oſtendere, eundem duplicatum numerum manſiſſe Babyloniæ, quæ poſt mille quadringentos, & quod excurrit annos vltimè à Cyro Rege capta eſt, niſi præſentium contemplatione reuocarer. Illud ſanè libenter adijcio, quia primi illius Regum omnium Nini (quamuis, & pater eius Belus obſcurè primus regnaſſe referatur) illius ergo Nini anno, poſtquam regnare cœperat 43. natus eſt ſanctus ille Abraham, cui dictæ ſunt repromiſſiones, ex cuius ſemine promiſſus eſt Chriſtus: deinde nunc primi iſtius Imperatorum omnium Auguſti Cæſaris (quàuis, & pater eius Cæſar metator imperij potius quàm Imperator extiterit) iſtius inquam Cæſaris, poſteaquam imperare cœpit, immenſo propemodum anno 42. natus eſt Chriſtus, qui Abrahæ ſub Nino primo Rege fuerat repromiſſus. Natus eſt autem ſeptimo Kalend. Ianuarij, quando primum incrementa omnia anni venientis incipiunt. Ita factum eſt, vt cum Abraham 43. anno natus ſit ſub fine 42. natiuitas Chriſti conueniret, vt iam non ipſe in parte tertij anni, ſed in ipſo potius tertius annus oriretur. Qui quidem annus quantis, quam nouis, quam inuſitatis bonis abundauerit, ſatis me non proferente, compertum haberi arbitror. Toto terrarum orbe vna pax omnium, non ceſſatione, ſed abolitione bellorum, incluſæ Iani gemini ianuæ, extirpatis bellorum radicibus, non repreſſis, cenſus ille primus, & maximus fuit, cum in hoc vnum Cæſaris nomen, vniuerſa magnarum gentium creatura iurauit, ſimulq. per communionem ſitus vnius ſocietatis effecta eſt.

Qua ratione Deus prouidentia ſua fugare à liminibus orbis tot tenebras, falſiſſimam Religionem proſternere, tot turpidines ab orbe ſuo eliminare cogitauerit, veramq. Dei cognitionem, verumq. cultum, & honorabiles, & ſplendidas virtutes in mundum reducere. Cap. 50.

DEus omnipotens, cum ſtatuiſſet ad oſtendendam potentiam ſuam, gentium fortitudinem in infirmitate conterere, & opulentias, & quod altum eſt apud illas, paupertate, & humilitate proſternere, & Regna, & Imperia huius mundi Chriſtianis virtutibus ſubijcere: Videnſq. Vrbem Romanam ad ſummum poteſtatis faſtigium perueniſſe, & totum orbem imperio ſuo continere, cogitauit excelſam illam, & ſummam in orbe poteſtatem, ſub pede humilium, & pauperum, & egenorum mirabili modo ſubdere, & figere ibi tamquam petram virtutem poteſtatis ſuæ, quam hominibus volebat facere participatione communem, & fundare ibi æterno fundamento Regnum ſuum, & ponere ibi ſedem Dauid, & domum Iacob, in qua regnaret Vnctus eius in æternum, & ſeruirent ei populi, tribus, & linguæ, & Regni eius non eſſet finis, & ponere montem ſupra montes, & ſuper colles, vt ad eum fluerent populi, & properarent gentes multæ, vt ab ipſo legem, & verbum Do- Iſa.26.

mini acciperent, & ipſe iudicaret populos multos, & gentes fortes vſque in longinquum; ex hoc nunc, vſque in æternum, & conſtituere ibi lapides viuos & domos ſpiritales, & parare ſibi plebem perfectam, genus electum, regale ſacerdotium, gentem ſanctam, & populum acquiſitionis, & CHRISTI ſui vnctione alios creare Reges, alios conſecrare ſacerdotes, & quicũq; vellent, fierent, & agnoſcerent ſe Regij generis, & ſacerdotalis officij eſſe conſortes, & non Diademate, & ſceptro, & purpura refulgentes, neque in exercitibus ferro armandis fortes, neque in tributis exigendis opulentos, & opum ſuperbia elatos, & externis demonſtrationibus Regis ſpeciem præſeferentes, quæ corrumpitur, ſed qui animi virtutes poſſiderent, & in Dei ſummi gloriam bona opera conuerterent, aduerſa pro iuſtitia ſuſtinerent, proprijq. ſenſus ſemper terrena cupientis cupiditates, fræno rationis coercerent? Quid enim tàm regium, quàm ſubditum Deo animum corporis ſui eſſe Rectorem? & quid tàm ſacerdotale, quàm vouere Domino conſcientiam puram, & immaculatas pietatis hoſtias de altare cordis offerre?

1. Pet. 2.

Statuerat autem Deus, diuino decreto, in temporis plenitudine eligere virum, qui Chriſti filij ſui benedicta vnctione vngeretur, & veluti petra ſuper ſeptem Vrbis colles locaretur, & dare illi claues Regni cælorum, & ligandi, & ſoluendi homines Pontificium diſpenſare, & paſcendi gregẽ ſuum poteſtatem concedere, & cæleſti inſpiratione inſtruere illum, ad tanti Regni gubernacula capeſſenda, Regni, quod non videtur, ſed poſsidetur, quod non eſt tantum per ſpatia terrarum diffuſum, ſed in latitudine cordis per charitatem extenſum, quod non terminatur tempore, ſed menſuratur æternitate; Qua poteſtate tradita, Rex ille mentes regeret, in æternum conſuleret, atque in Regna cælorum, credentes, ſperantes, amantesq. diuino ductu perduceret.

Aug. tract. 50. in Io. c. 12. in fi.

Prælegit autem Romam, Vrbium ſcilicet Reginam, quæ multis aucta victorijs ius imperij ſui terra, mariq. protulerat, vt quæ erat mater ſuperbiæ, magiſtra erroris, fieret ancilla humilitatis, & diſcipula Saluatoris.

Leo ſer. 1. in natal. Pet. & Paul.

Deus namq. bonus & iuſtus, & omnipotens, qui miſericordiam ſuam generi humano nunquã negauit, omnesq. ſine acceptione perſonarum mortales ad cognitionem ſui abundantiſſimis ſemper beneficijs erudiuit, voluntariam errantium cæcitatem, & procliuem in deteriora nequitiam ſecretiore conſilio, & altiori pietate miſeratus, Verbũ ſuum, æquale ſibi, & coæternum mittere in terras diſpoſuit, vt illius ad infima inclinatio, noſtra fieret ad ſumma prouectio. Vt autem huius inenarrabilis gratiæ vis non lateret in limitibus Bethlehem, & in ſuburbanis Hieruſalem, ſed eius per totum mundum diffunderetur effectus, Romanum Regnum diuina prouidentia præparauit, vt ibi in Regia Vrbe eſſet Rector populi ſui, Paſtor ouium ſuarum, qui cuſtodiret illas in loco paſcuæ, & deduceret, & adduceret eas ad montes ſanctos, & ad tabernacula Dei.

Placuit autem Deo, & fuit conſilium eius, vt in hac Vrbe, tamquam in Orbis theatro, adduceretur ſumma terrenarum, cæleſtiumq. rerum poteſtas, atque adminiſtratio, vbi beſtiæ impietatis frementes ad pietatem reuocarentur, vbi turbulentæ improbitatis procellæ ſedarentur, vbi Idolorum cultores in oculis omnium deſtruerẽtur, vbi humanæ ſapientiæ opiniones diſſoluerentur, vbi ſapientes, & prudentes huius mundi à paruulis confunderentur, vbi

Dæmo-

Dæmonum fraudes innoteſcerent, omnium ſacrilegiorum impietas diſſolueretur, & inuicta Chriſti fides ibi comprobaretur, in qua diligentiſſima ſuperſtitione habebatur collectum, quidquid vſquã fuerat vanis erroribus inſtitutum; & quanto erat per Diabolum tenacius alligata, tanto per Chriſtum foret mirabilius abſoluta.

Hæc autem Ciuitas, cum penè omnibus dominaretur gentibus, ignorans Regni ſui auctorem, omnium gentium ſeruiebat erroribus, & magnam ſibi videbatur aſſumpſiſſe religionem, quia nullam reſpuebat falſitatem. In cuius arces, cum Crucis trophæum vellet Deus ordinatIs tẽporibus inferre, eamq. domare non ferro, ſed ligno, & vaſtiſſimas illas tenebras ſplendore diuinæ legis ſuæ illuſtrare, & non eripere illi mortalia Regna, ſed donare cæleſtia, diuinis ſuis præordinationibus, & circumſtabat, & anteibat illã, & diſponebat, & paulatim; & ſuauiter concitatos motus ad tranquillitatem perducebat. *Idem Leo.*

Et quoniam hæc ſalus, hæc gloria ex Iudæis ad Romanos erat proferenda, & Chriſtus filius Dei ex ſemine Abrahæ, ex tribũ Iuda, & ex ſtirpe Dauid per Vicarios ſuos, relicta Hieruſalem, & Iudæa incredula, in arces Romanas thronum Regni ſui erat illaturus, & per Principem Apoſtolorum Petrum, ex Iudæa profectus ſupra firmiſſimam petram ibi erat fundaturus Eccleſiam, nullo tempore diſſoluendam, ideo Deus, antequam hoc faceret, Romanos & Iudæos temporali amicitia ſociauit, & coniunxit, vt hac præuia diſpoſitione tempore ſuo facilius, & ſuauius, reiectis nefandis Idolis, Deum verum, & Chriſtum Iudæorum ſanguine natum reciperent. Quod factum eſt Machabæorum diebus, qui paulo ante Chriſtum Dominum floruerunt. Res autem ita recenſetur in libris, vbi prælia ipſorum conſcripta ſunt.

De prima amicitia, & ſocietate inter Pop. Rom. & Iudæos, & quomodo Deus vtrunque populum prouidentiſſimè commiſcuit. Cap. 51.

IVdas enim fortiſſimus Machabæorum, cum audiuiſſet nomen Romanorum, quia ſunt potentes viribus, & acquieſcunt ad omnia, quæ poſtulãtur ab eis, & quicunque acceſſerunt ad eos, ſtatuerunt cum eis amicitias, elegit Eupolemum filium Ioannis, filij Iacob, & Iaſonem filium Eleazari, & miſit eos Romam conſtituere cum illis amicitiam, & ſocietatẽ &c. & abierũt & intrauerunt Curiam, & dixerunt. Iudas Machabæus & fratres eius, & Populus Iudæorum miſerunt nos ad vos ſtatuere vobiſcum ſocietatem, & pacem, & conſcribere nos ſocios, & amicos veſtros. Et placuit ſermo in conſpectu eorum; & hoc reſcriptum eſt, quod reſcripſerunt in tabulis æreis, & miſerunt Hieruſalem, vt eſſet apud eos in memoriale pacis & ſocietatis. Bene ſit Romanis, & genti Iudæorum in mari, & in terra in æternum, gladiusq. & hoſtis procul ſit ab eis. Quod ſi inſtiterit bellum Romanis prius, aut omnibus ſocijs eorum in omni dominatione eorum, auxilium feret gens Iudæorum, prout tempus dictauerit corde pleno, & præliantibus non dabunt, neque ſubminiſtrabunt triticum, arma, pecuniam, naues, ſicut placuit Romanis, & cuſtodient mandata eorum, nihil ab eis accipientes. Similiter, & ſi Genti Iudæorum prius acciderit bellum, adiuuabunt Romani ex animo, prout eis tempus permiſerit. *Machab.I. 1.c.8.*

Machab. l. 1. c. 14. Mortuo autem Iuda & Ionatha, Simon frater eorum iterum cum Romanis renouauit amicitiam, & miſit Romam Numenium habentem clypeum aureum magnum pondo minarum mille, ad ſtatuendam cum eis ſocietatem, & Romani ſtatuerunt ei libertatem, & deſcripſerunt in tabulis æreis, & poſuerunt in titulis in Monte Sion.

Deinde verò Cn. Pompeius magnus, Arabibus ſubactis, in Syriam Palæſtinam proficiſcitur, quod ij populi Phœnicem populati eſſent. Apud eos *Dio li 37. hiſtor.* regnabat Hircanus, & Ariſtobulus fratres, qui (vt ait Dio) de ſui Dei ſacerdotio (ſic eorum regnum eſt appellatum) diffidebant. Igitur Pompeius reliquos facilius deuicit; ſed Hircanum nihili fecit; Ariſtobulum in vinculis habuit. Inde Hieroſolymas obſidet, in cuius Vrbis obſidione vehementer laborauit. Sed recuſantibus Iudæis in die Sabbati pugnare contra Romanos propter diem feſtum, tradebant Romanis murum ad percutiendum, quotieſcumque dies ille recurrebat: itaque cum non reſiſterent, eadem die cuncti capti ſunt, ſed modeſte Pompeius victoria vſus eſt, & omni pecunia direpta, ac Regno Hircano reddito, Ariſtobulum captiuum abduxit.

Hoc autem Deus permittebat eadem præordinatione, vt ſic Romani cum Iudæis commiſcerentur, & hac occaſione Romani diſcerent Deum Iudæorũ, & quod ipſi vnum ſolum Deum adorantes, aliorum populorum Deos omnes negligebant. Cui ſoli, & non alteri, ampliſſimos, & maximos honores deferebant, & quod deteſtabantur ſculptilia, & ſimulachra, & imagines Deorum, aſſerebantq. nullum alium Deum reperiri præter illum, qui fecit cælum & terram, cuius nomen erat ineffabile, cui magnifice præter ceteros homines ſeruiebant, cui denique templũ ampliſſimum, & pulcherrimum ædificauerant, & diem Saturni, quem Sabbatum appellabant, conſecrauerant, & offerebant ſacrificia.

Hoc enim fiebat, vt Romanorum populus paulatim diſponeretur ad lumẽ veri Dei recipiendum, & reſpuendas Idolorum tenebras, audita fama vnius Dei, qui fecerat omnia, quod tempore aduentus Chriſti erat perficiendum.

De trabe aurea, & auro immenſo templi Hieroſolymitani, quod in poteſtatem Craſſi Romani peruenit, & cuius rei hoc eſſet typus. Cap. 32.

Ioſeph. ant. Iud. lib. 14 c. 13. CRaſſus vero cum contra Parthos militiam produceret, ad Iudæam peruenit cum exercitu ſuo, & omnia ſcrutatus, etiam & templum & pecunias templi, quas Pompeius non tetigerat, duo millia ſcilicet talentorum, abſtulit: nec non & totum reliquum aurum, vſque ad octo millia talentorum: tulit etiam trabem auream verſatilem, tercentas minas penſantem, Minæ vero apud eos, & duæ, & ſemis libræ exiſtimantur. Tradidit vero ei hanc trabem cuſtos pecuniarum, Eleazarus nomine Sacerdos, non maleuolo animo, nam iuſtus, & bonus fuerat, ſed dum commiſſa fuiſſet ei cuſtodia velorum templi, quæ mira pulchritudine, vel conſtructione pretioſiſſima reſplendebant, in hac trabe pendentia, & Craſſum vidiſſet templi cunctum aurum velle colligere, veritus, ne templi cunctum ornatum auferret, auream ei trabem pro redemptione omnium præſtitit, dum & iuſiurandum ab eo accepiſſet, nihil aliud à templo tollendum, ſed ſolo contentum eſſe auro ab

eo tradito, quo multa millia pondo poſſet inuenire.

Hanc vero trabem, alia lignea circumdabat, ideoq. latebat. Craſſus vero licet iuraſſet nihil aliud in templo tangere, poſt acceptam tamen trabem tranſgreſſus omne templi aurum diripuit. Nemo tamen miretur, ſi tantæ diuitiæ in templo fuiſſent, dum has omnes per diuerſam terram Iudæi Deum colentes, ibi ex antiquis temporibus obtuliſſent.

Aurum autem templi perueniſſe in poteſtatem Romanorum, typus erat religionem veri Dei, ſuper omnia pretioſam, quæ erat apud Iudæos, Romam eſſe tranſferendam; & trabs illa, aurea intrinſecus, & extrinſecus lignea, recte repræſentabat Chriſti Domini religionem, immo Chriſtum ipſum; nam aurum, quod intus erat, poteſt eius diuinitatem deſignare, quæ latebat; lignum vero, quod extra apparebat, carnem humanitatis ſuæ, quæ videbatur repræſentare, ex qua trabe pendebant vela illa pulcherrima, ſicut ex Chriſto, & lex, & Prophetæ, & figuræ illæ omnes in diuinis ſcripturis de Chriſto contentæ pendebant.

Similiter etiam olim contigit Populo Iudæorum, qui erat in Aegypto, qui aurum Aegyptiorum, hoc eſt, religionem veri Dei, quæ vigebat in medio Aegypti per cultum Iudæorum, quem Deo vero in Aegypto exhibebant, tranſtulerunt in terram Chananæorum.

Aurum autem illud templi, quod in poteſtatem Romanæ Gentis, peruenit, aliæ gentes obtinere non potuerunt, quamquam conatæ eſſent auferre; quia Religio vera primum locum in Vrbe Romæ obtinere debebat. Nam Machabæorum temporibus quidam Simon de tribù Beniamin, Præpoſitus templi conſtitutus, cum vellet aliquid iniquum moliri in Ciuitate, perſuaſit Regi Seleuco, vt aurum templi Hieroſolymis auferret, quod cum per Heliodorum tentaſſet, diuinitus repulſus eſt. Huius autem admirabilis facti enarratio propter exemplum non eſt prætermittenda. Fuit autem huiuſmodi.

Simon de tribù Beniamin, Præpoſitus templi cōſtitutus, contendebat obſiſtēte ſibi Principe ſacerdotum, iniquum aliquid in Ciuitate moliri. Sed cum vincere Oniam non poſſet, venit ad Apollonium Tharſææ filium, qui eo tempore erat Dux Cæleſyriæ, & Phenicis, & nunciauit ei, pecunijs innumerabilibus plenum eſſe ærarium Hieroſolymis, & communes copias immenſas eſſe, quæ non pertinent ad rationem ſacrificiorum, eſſe autem poſſibile ſub poteſtate Regis cadere vniuerſa. Cumque retuliſſet ad Regem Apollonius de pecunijs, quæ delatæ erant, ille accitum Heliodorum, qui erat ſuper negocia eius, miſit cum mandatis, vt prædictam pecuniam tranſportaret. Statimq. Heliodorus iter eſt aggreſſus, ſpecie quidem quaſi per Cæleſyriam, & Phenicis Ciuitates eſſet peragraturus, re vera autem Regis propoſitum perfecturus. Sed cum veniſſet Hieroſolymam, & benigne à ſummo ſacerdote in Ciuitate eſſet acceptus, narrauit de dato indicio pecuniarum, & cuius gratia adeſſet, aperuit. Interrogabat autem, ſi vere ita eſſent. Tunc ſummus Sacerdos oſtendit depoſita eſſe hæc ad victualia viduarum, & pupillorum, quædam vero eſſe Hircani Thobiæ viri valde eminentis in his, quæ detulerat impius Simon; vniuerſa autem argenti talentà eſſe quadringenta, & auri ducenta, decipi vero eos, qui credidiſſent loco & templo, quod per vniuerſum mundum honoratur, pro ſui veneratione, & ſanctitate omnino impoſsibile eſſe. At ille pro his, quæ habebat in mandatis à Rege, dicebat

Machab. l. 2. c. 3.

omni genere Regi ea eſſe deferenda. Conſtituta autem die intrabat de his Heliodorus ordinaturus. Non modica vero per vniuerſam Ciuitatem erat trepidatio. Sacerdotes autem ante altare cum ſtolis ſacerdotalibus iactauerunt ſe, & inuocabant de cælo eum, qui de depoſitis legem poſuit, vt ijs, qui depoſuerant ea ſalua cuſtodiret. Iam vero, qui viderat ſummi ſacerdotis vultum, mente vulnerabatur, facies enim, & color immutatus declarabat internum animi dolorem; circumfuſa enim erat mæſtitia quædam viro, & horror corporis, per quem manifeſtus aſpicientibus dolor cordis eius efficiebatur. Alij etiam gregatim de domibus confluebant, publica ſupplicatione obſecrantes, pro eo qui in contemptum locus eſſet venturus. Accinctæq; mulieres cilicijs pectus per plateas confluebant, ſed & virgines, quæ concluſæ erant, procurrebant ad Oniam, aliæ autem ad muros, quædam vero per feneſtras aſpiciebant: vniuerſæ autem protendentes manus in cælum deprecabantur. Erat enim miſera commixtæ multitudinis, & magni ſacerdotis in agone conſtituti expectatio. Et hi quidem inuocabant omnipotentem Deum, vt credita ſibi ijs, qui crediderant, cum omni integritate conſeruarentur. Heliodorus autem, quod decreuerat, perficiebat eodem loco ipſe cum ſatellitibus circa ærarium, præſens. Sed ſpiritus omnipotentis Dei magnam fecit ſuæ oſtenſionis euidentiam, ita vt omnes, qui auſi fuerant parere ei, ruentes Dei virtute, in diſſolutionem, & formidinem conuerterentur. Apparuit enim illis quidam equus terribilem habens ſeſſorem optimis operimentis adornatus: isq; cum impetu Heliodoro priores calces eliſit, qui autem ei ſedebat, videbatur arma habere aurea. Alij etiam apparuerunt duo iuuenes, virtute decori, optimi gloria, ſpecioſiq; amictu, qui circumſteterunt eum, & ex vtraque parte flagellabant, ſine intermiſsione multis plagis verberantes. Subito autem Heliodorus concidit in terram, eumq; multa caligine circumfuſum rapuerunt, atque in ſella geſtatoria poſitum eiecerunt. Et is, qui cum multis curſoribus, & ſatellitibus prædictum ingreſſus eſt ærarium, portabatur nullo ſibi auxilium ferente, manifeſta Dei cognita virtute: Et ille quidem per diuinam virtutem iacebat mutus, atque omni ſpe, & ſalute priuatus. Hi autem Dominum benedicebant, quia magnificabat locum ſuum, & templum, quod paulo ante timore, ac tumultu erat plenum, apparente omnipotente Domino; gaudio & lætitia impletum eſt. Tunc vero ex amicis Heliodori, quidam rogabant confeſtim Oniam, vt inuocaret Altiſsimum, vt vitam donaret ei, qui in ſupremo ſpiritu erat conſtitutus. Conſiderans autem ſummus Sacerdos, ne forte Rex ſuſpicaretur malitiam aliquam ex Iudæis circa Heliodorum conſummatam, obtulit pro ſalute viri hoſtiam ſalutarem. Cumque ſummus Sacerdos exoraret, ijdem iuuenes eiſdem veſtibus amicti, aſtantes Heliodoro dixerunt. Oniæ ſacerdoti gratias age, nam propter eum Dominus tibi vitam donauit, tu autem à Deo flagellatus, nuncia omnibus magnalia Dei, & poteſtatem. Et his dictis, non comparuerunt. Heliodorus autem hoſtia Deo oblata, & votis magnis promiſsis ei, qui viuere illi conceſsit; & Oniæ gratias agens, recepto exercitu repedabat ad Regem. Teſtabatur autem omnibus ea, quæ ſub oculis ſuis viderat opera magna Dei. Cum autem Rex interrogaſſet Heliodorum, quis eſſet aptus adhuc ſemel Hieroſolymam mitti, ait: Si quem habes hoſtem, aut Regni tui inſidiatorem, mitte illuc, & flagellatum eum recipies,

cipies, ſi tamen euaſerit: eo quod in loco ſit vere Dei quædam virtus: nam ipſe, qui habet in cælis habitationem, viſitator, & adiutor eſt loci illius, & venientes ad maleſaciendum percutit, & perdit. Igitur de Heliodoro, & ærarij cuſtodia, ita res ſe habet.

C. Cæſar multa beneficia contulit in Iudaicum populum. Cap. 53.

RVrſus autem poſt victum à C. Cæſare Pompeium Magnum, C. Cæſar multa beneficia contulit in Iudaicum Populum, honoris, virtutis, & clementiæ cauſa, & Regnum Iudæorum Hircano Alexandri filio, Principi ſacerdotum conceſſit. Præterea idem Cæſar magna animi propenſione erga leges diuinas, & ceremonias ipſorum, & ritus patrios fecit decreta, iuſſitq. aliquos populos gentium, vbi habitant Iudæi, non prohibere illos viuere ſecundum leges patrias. Decretum autem Parianis fuit huiuſmodi. *Ioſeph.ant. Iudaic.lib. 14.c.17.*

Iulius Cæſar Dictator, & Cõſul Romanorum, Magiſtratibus Parianorum, Curiæ, ac Populo ſalutem. Interpellauerunt me Iudæi in Delo, & qui de colonijs Iudæorum, præſentibus veſtris legatis, & demõſtrauerunt decretum, per quod vos eos prohibetis patrijs moribus, & ſacrificijs vti. Ergo mihi non placet in noſtros amicos, & auxiliatores talia fieri decreta, vel prohibere eos ſecundum ſuam viuere conſuetudinem, ſeu pecunias ad conuiuia, & victimas inferre, quando hoc facere, nec Romæ quidem prohiberetur. Nam Caius Cæſar noſter Conſul, dum in ſanctionibus ſuis vetaret collegia per Ciuitates congregari, hos ſolos non prohibuit, nec pecunias conferre, nec conuiuia parare, Et ego quoque alios prohibens, iſtis ſolis permitto ſecundum patrios mores, & leges conuenire. Bene ergo faciris, ſi prolatam ſententiam contra noſtros amicos, propter noſtrum erga eos fauorem, auſertis. Hæc Iulius Cæſar.

Ex quibus apparet mira Dei prouidentia, quæ, cum innoteſcere feciſſet Romanis Principibus legem Iudæorum, inclinauit corda eorum in fauorem ipſius legis, vt ea, quamquam inter gentes alterius Religionis, recipiendum Chriſtum Regem in lege promiſſum alliceret.

Poſt Cæſaris obitum M. Antonius, & P. Dolabella Conſules coacto Senatu in Templo Concordiæ, decretum Cæſaris confirmarunt ex Senatusconſulto.

Præterea Dolobella factus Aſiæ Proconſul pro Iudæis ſcripſit per totam Aſiam, & præcipue ad Epheſinam Ciuitatem primam totius Aſiæ. Litteræ erant huiuſmodi.

Dolobella Imperator, Epheſiorum Curiæ, & Magiſtratibus & Populo ſalutem. Alexander Theodori Legatus Hircani filij Alexandri Principis Sacerdotum, & Rectoris Iudæorum intimauit mihi, quod non poſſint ciues ſui militare, dum nec arma portare poſſint, nec iter facere diebus Sabbatorum, nec alimentorum ſecundum patrias leges copiam habere. Ideo ego ſicut prædeceſſores mei Imperatores, præbeo ei militiæ remiſſionem, & cõcedo patrijs vti legibus, ſecundum ſollemnes & ſacras immolationes, & cõgregare ſicut ſolent, pro ſacrificijs pecunias, & volo vos hæc per ſingulas conſcribere Ciuitates.

Præ-

Ioſeph. ibi. Præterea Lucio Lentulo, & C. Marcello Conſulibus, Lentulus decretum protulit, poſſe Iudæos, ciues Romanos, Sacraria Iudaica facere religionis cauſã.

Hæc autem & plura alia præceſſerant amicitiæ gratia inter vtrumque populum, permittentibus Romanis Iudæos obſeruare ceremonias, & Neomenias, & ſabbatum, ſecundum legem, quam à Deo ſuo acceperant, hæc omnia præordinante Deo, vt apud Romanos perueniret poſt diuturnas & inueteratas tenebras diuinæ veritatis notitia. Sicut poſtea factum eſt.

Dei conſilium, vt longe ante filij eius aduentum, tanta rei ſacramentum Mundo innoteſceret. Cap. 54.

SIc etiam antequam Deus, luminum pater, apud quem non eſt perſonarũ acceptio, terrarum orbem errorum tenebris fatigatum & ſub vmbrã mortis frigeſcentem vnigeniti filij ſui lumine illuſtraret, ne maieſtas lucis ex improuiſo mortalibus repente oculis obiecta imbecillem oculorum aciem opprimeret, & inde læderentur, vnde illuminationem debuiſſent recipere, famam aduentus excellentiſſimæ ſuæ lucis intra gentes, populoſq. nationum præmiſit, & ſubobſcuram quandam lucem, ante ſolis ortum apparere fecit, vt paulatim aſſueſcerẽt homines intuendo lucem ſub caligine & nubibus tectam, ad intuendum plenitudinem luminis in temporum plenitudine apparituram.

Et ſicut populo Iſrael ſub obſcure myſterium hoc admirabile ſub typis & figuris, quaſi per columnam ignis demonſtrauit; ita etiam apud Gentes operatus eſt, vt futura huius ſolis aurora quædam eis præluceret, vnde eas vaticinijs, portentis, prodigijsq. docuit, venturum eſſe diem, quo Rex magnus de cælo deſcenderet; qui mundum ſubigeret, Regesq. potentes atque ſuperbos Regno ſuo ſubderet; non gladio, ſed fide; non viribus corporis, ſed virtute animi; non agendo, ſed patiendo. Cuius exercitus non eſſet turbã robuſtorum, ſed multitudo iuſtorum; qui non caperet oppida, arces, & Ciuitates, ſed mentes, animos, & voluntates; eiusq. arma non eſſent ferrea, ſed ignea; eiusq. theſaurus non eſſet pecunia, ſed ſapientia; cuius milites non ferrent cingulum militiæ, ſed cinctorium fidei, & iuſtitiæ.

Quibus Rex ille admirabilis debellaturus eſſet, non ſolum Reges & populos nationum, ſed Rectores tenebrarum, & ſpiritualia nequitiæ.

Igitur Deus, hæc tempore ſuo facturus, ne diebus illis, quibus futura erãt, eſſent penitus inaudita, & incredibilia, nota fecit illa: Primum quibuſdam mulieribus, quas veteres, Sibyllas, hoc eſt, diuinorum conſiliorum annunciatrices, appellarunt. Nam cum ſcire futura, quæ ex libero hominũ arbitrio facienda ſunt, ſolius Diuinitatis ſit, quæ in ſua æternitate omnium ſeculorum tempora, annorumq. curricula, præſentia habet, Deus prophetiæ ſpiritu afflauit mulieres illas, & docuit futura; aut quia cum eſſent Virgines, propter corporis & mentis mundiciem propius accedebant ad percipiendum, quod arcanum eſt apud Deum; aut quia Deus more ſuo, cum vult aliqua magna fieri in Mundo, eligit infirma; aut vt veritas incredibiliũ rerum minus eſſet ſuſpecta mendacij, & impoſturæ in ore ſimplicium mulierum. Quapropter lumen illis præſtitit, vt in ſpeculo æternitatis viderent

viſio-

viſiones maximorum bonorum, & quæ vidiſſent, immobili veritate prænunciarent: quæque procul ſunt ab humano ſenſu, & inſcrutabilia, propter maximam mentis eleuationem a ſupernaturali lumine factam, tanquam iam geſta eſſent, certa & diſtincta cognitione repræſentarent.

Pertinebat autē ad Deum ad diſponendos homines, quos per fidem rerum arduarum, & à ſenſibus remotarum, volebat perducere ad diuinas veritates ſpectandas, prædicere quæ debebant contingere, & longe ante per lumen ſuum præmonſtrare, vt illa quæ prædicuntur, fundamenta haberent in montibus ſanctis, hoc eſt, in diuinæ & primæ veritatis lumine, quæ mendacium non admittit, & fallere non poteſt, & homines intelligerent, cum illa contingere viderent, non eſſe facta niſi à Deo, quæ à Deo multis retro ſeculis eſſe facienda, prophetarum oraculis prædictum eſſet. Nihil enim tutius & ſecurius credi poteſt eſſe à Deo veritatum patre, quam cum videmus aliquid contingere, quod longe antequam factum ſit, eſſe faciendum, aliquis homo teſtatus ſit, quod neque ipſe, neque alius homo, neque Angelus, neque Dæmon aliqua ratione, vel mentis acumine potuiſſent ſcire eſſe futurum, niſi ſit Deus cum eo, qui ſolus ea quæ contingentia ſunt, & à libero hominis arbitrio dependent, & per ſpatia ſeculorum longiſſime diſtant, videt, & in ſinu æternitatis ſuæ & præterita & futura tanquam præſentia ſpeculatur. Et Dominus noſter dicebat. Amodo dico vobis, priuſquam fiat, vt cum factum fuerit, credatis, quia ego ſum. Iudæi enim ideo Prophetarum libris tantam tribuebant auctoritatē, ſicut libris Moyſis, quia ea, quæ prædicebant, certo euentu contingebant, ſicut prædixerant, ex quo conſtabat Dominum per eos locutum fuiſſe: iuxta illud Deuteronomij [Quod ſi tacita cogitatione reſponderis, quomodo poſſum intelligere verbum, quod non eſt locutus Dominus? hoc habebis ſignum: quod in nomine Domini propheta ille prædixerit, & non euenerit, hoc Dominus non eſt locutus, ſed per tumorem animi ſui Propheta confinxit, & idcirco non timebis eum.

Ioan. 13.

Deut. 18.

Hinc fit, vt omnes abſque periculo errandi poſsint ratiocinari, & dicere audacter: hic, & ille Propheta ſexcentis (puta) ab hinc annis prædixit aliquid eſſe faciendum, & factum eſt poſt ſexcentos annos, ſicut ipſe dixit: ergo illud, quod prædixit, accepit à Deo, quia nullus, qui non ſit Deus, aut cui Deus reuelaſſet, ſcire potuiſſet, quod tot ſeculis poſtea erat faciendum. Hæc enim eſt differentia inter Prophetam verum, qui loquitur veritates reuelatas à Deo, & illum qui loquitur à ſemetipſo, quoniam, quæ dicuntur ab homine, à Deo illuminato, ſicut prædixit, ſic contingunt: quæ vero prædicuntur à Pſeudopropheta, qui loquitur à ſemetipſo, non contingunt, & veritate fruſtrantur.

Hinc cōuincitur, & intellectus noſter, & velit nolit, captiuatur in obſequiū fidei, quia cum ſciamus apud populum Hebræorum multos Prophetas prædixiſſe multa de Chriſto Domino, & de eius admirabili ortu, & de vita illius admiranda, & moribus diuinis, & prædicatione verbi, & virtute illius, de gratia gentibus elargienda, miraculis, & de paſsione eius, & crucis patibulo, & morte, & à mortuis reſurrectione, & aſcenſione in cælum: Et cum ſciamus ea, quæ à Prophetis prædicta ſunt, aliqua fuiſſe prænūciata per mille, aut bis mille annos, antequam facta ſint, aliqua vero per ſexcentos annos, aut quadringentos antequam fierent, & poſtea nouerimus omnia contigiſſe, ſicut

dictum

dictum fuerat ab illis, nullum dubium reſtat, quin quilibet quantumuis tardus corde ad credendum, pro explorato habere debeat, & firmiter credere nihil hæſitans, huiuſmodi reuelationes à Deo factas eſſe, & quod ille qui credit illis, credit Deo, & non errat, quia innititur primæ veritati non erranti.

Hac etiam ratiocinatione demonſtrantur, & conuincuntur eſſe impoſtores omnes illi, qui nouas de Deo religiones introducere in mundũ voluerũt, aut ſibi vſurparunt id, quod diuinum eſt, vt fuerunt illi, qui pro Dijs apud gentes haberi voluerant, vel apud Iudæos, & pſeudoChriſti, vel alij quicunque, vtpote Simon Magus, qui iactabat ſe eſſe magnam Dei virtutem; & ſpurciſsimus Mahumetes, qui ſe finxit prophetam Dei: atque alij omnes, qui ſunt conati perſuadere populis de ſe aliquid diuinum; conuincuntur (tanquam) iſti fuiſſe mendaces, & ſeductores, & vaniloqui: & ea, quæ faciebant, aut dicebant, non ex veritate cordis, ſed ex typo ſuperbiæ, & cupiditate gloriæ, & lucri deſiderio eſſe profecta: quoniam in re tam magna, & tam diuina, vbi ſalus mundi periclitari poteſt, nullum præceſſerat Dei teſtimonium, & vaticinium, quo id quod aſſerebant, comprobaretur: & ſic apparet ex ſemetipſis fuiſſe locutos, & ipſoſmet ſibimetipſis impudenter teſtimonium præbuiſſe, quorum teſtimonium non eſt verum: nulla enim priuſquam in mundum veniſſent, fama ex prophetijs orta, de ipſis præceſſerat ſuo tempore confirmanda, vnde merito tanquam vani & fallaces reijciuntur à ſapientibus viris, qui norunt falſa à veris diſtinguere.

Ioan.8.

Quapropter Deus, cum ſciret pleroſque hominum diuinorum honorum cupidos, & à principio adoratos eſſe vt Deos, & multos multa ſimulaturos, vt apud gentes diuinos honores conſequi poſſent, & ſeducturos eſſe populos, magna prouidentia præordinauit, vt nulli crederetur de ſe diuina iactanti, niſi Dei teſtimonium haberet, per præcedentem prophetiam factam retroactis ſeculis, quibus temporibus impoſsibile erat huiuſmodi teſtes potuiſſe machinari impoſturas, aut ſi machinari eſſent, impoſſibile erat adimpleri, & veritate ſubſequente fulciri, aut per aliquod factum ſubſequens miraculoſum, quod nullus hominum, aut Angelorum facere poſſit, niſi ſit Deus cum illo, vt in Ieſu Chriſto Dei filio factum eſt. Quem cum Deus eſſet miſſurus in Mundum ad mundum inſtaurandum, vt quicunque crederet in illum, non periret, ſed haberet vitam æternam, tot prophetarum teſtimonijs apud populum Iudæorum multo ante præmuniuit, & prænunciauit illi, vt nullus niſi ſtultus ambigere poſſet, eum exijſſe à Deo, & non eſſe aliud nomen in mundo, in quo oporteret homines ſaluos fieri, quam illius, qui ſolus & non alius prælectus fuit à Deo, & promiſſus Prophetis ſuis in Scripturis ſanctis, & diffinitus filius Dei in virtute ſecundum ſpiritum ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum.

Quod cum conſideratur, incredibili lætitia afficitur animus, cognoſcens fidem ſuam fundatam eſſe ſupra firmam petram, imo fundamenta eius eſſe in montibus ſanctis, ideſt apud Deum, ceteros vero aberrare à veritate credendo deceptoribus, & miſere ambulare per ſemitas mortis in æternam perditionẽ.

Et quoniã Deus omnia ſuauiter diſponit, & vult omnes ſaluos fieri, neque apud eum eſt perſonarum acceptio, ideo ſolum apud populum Iſrael, reuelauit priſco tempore prophetis, infundendo eis lumen, vt prædicarent de

Chriſto Domino quæ futura erant, ſed etiam apud Gentes reliquit teſtimonia, & iecit ſemina aduentus ipſius, reuelando multo prius æterni Regis aduentum in orbem terrarum, vt nullus excuſationem haberet, qui non crederet illi, qui à præordinatis teſtibus, tot retro actis ſeculis fuerat prænunciatus, cum neceſſe ſit huiuſmodi reuelationes ipſis factas eſſe à Deo, qui non decipit, cum nullus præter Deum, potuerit ſcire, quæ per tot ſpatia futurorum ſeculorum contingere debebant.

De admirandis priſcarum Sibyllarum reuelationibus. *Cap.* 55.

SEd vt hoc exemplo demonſtretur, operępretium eſt, referre aliquas mirificas Sibyllarum reuelationes, quę apud Patres noſtros iam ab initio conſeruatæ ſunt (ceteræ enim penè omnes perierunt) per quas Gentiles credere nolentes adeo redarguebantur, vt cum lippientibus oculis ſplendorem illius veritatis ferre non poſſent, mortis ſupplicium ab eis conſtitutum fuerit aduerſus illos, qui Sibyllarum aut prophetarum libros legerent, vt per timorem homines abſterrerentur, ne per huiuſmodi libros rerum bonarum notitiam perciperent, quas ipſi nolebant admittere. *Iuſtinus Mart. orat. ad Anton. Pium.*

De oraculis autem ipſarum D. Auguſtinus, chriſtianę fidei propugnator, & in oratione contra Iudęos, & Paganos, & in libro de Ciuitate Dei hæc in medium affert.

Erythręa Sibylla, quædam de Chriſto manifeſta conſcripſit, quę etiam nos in latina lingua, verſibus male latinis, & non ſtantibus, legimus per neſcio cuius interpretis imperitiam, ſicut poſtea cognouimus. Nam vix clariſſimus Flauianus, qui etiam Proconſul fuit, homo facillimæ facundię, multęq. doctrinę, cum de Chriſto colloqueretur, gręcum nobis codicem protulit, carmina eſſe dicens Sibyllæ Erythrææ, vbi oſtendit quodam loco in capitibus verſuum, ordinem litterarum ita ſe habentem, vt hęc in eo verba Græce legerentur, quod eſt Latine, Ieſus Chriſtus Dei filius Saluator. Hi autem verſus, quorum primæ litteræ iſtum ſenſum, quem diximus, oſtendunt, ſicut eos, quidam Latinus extantibus verſibus eſt interprętatus, hæc continent, quę vno lapide vtrorumq. fontes Iudęorum ſcilicet & Paganorum percutiant, vt ſuo gladio, ſicut Goliath, Chriſti omnes percutiantur inimici. *Aug. orat. cont. Iud. & Pagan. ad catheсum. & de Ciuit. Dei lib. 18. cap. 23.*

Iudicij ſignum, tellus ſudore madeſcet.
E cælo rex adueniet per ſecla futurus.
Scilicet in carne pręſens, vt iudicet orbem.
Vnde Deum cernent incredulus atque fidelis.
Celſum cum ſanctis, ęui iam termino in ipſo.
Sic animæ cum carne aderunt quas iudicat ipſe.
Cum iacet incultus denſis in vepribus orbis.
Reijcient ſimulachra viri, cunctam quoque gazam.
Exuret terras ignis, pontumq. polumq.
Inquirens, tetri portas effringet Auerni.
Sanctorum ſed enim cunctę lux libera carni
Tradetur, fontes æternaq. flamma cremabit.

Occul-

Occultos actus retegens, tunc quiſque loquetur,
Secreta atque Deus reſerabit pectora luci.
Tunc erit & luctus, ſtridebunt dentibus omnes.
Eripitur ſolis iubar, & chorus interit aſtris.
Voluetur cælum, lunaris ſplendor obibit.
Deijciet colles, valles extollet ab imo:
Non erit in rebus hominum ſublime vel altum.
Iam æquantur campis montes & cerula ponti.
Omnia ceſſabunt, tellus confracta peribit.
Sic pariter fontes torrentur, fluminaq. igni.
Et tuba tunc ſonitum triſtem demittet ab alto.
Orbe gemens facinus miſerum variosq. labores,
Tartareumq. chaos monſtrabit terra dehiſcens.
Et coram Domino reges ſiſtentur ad vnum.
Decidet è cælo, ignisq. & ſulphuris amnis.

Hæc de Chriſti natiuitate, paſſione, & reſurrectione, atque ſecundo eius aduentu ita dicta ſunt, vt ſi quis in Græco capita horum verſuum diſcernere voluerit, inueniat, Ieſus Chriſtus filius Dei Saluator. Quod & in Latinum tranſlatis eiſdem verſibus apparet, præter quàm quod Græcarum litterarum proprietas non adeo potuit obſeruari. Alios verſus Sibyllinos Chriſti paſſionem apertius demonſtrantes, intentiſſime audiamus.

In manus iniquas, & infidelium poſtea veniet.
Dabunt Deo alapas manibus inceſtis.
Et oribus immundis expuent ſaliuas venenoſas.
Dabit autem in verbera omnino innocens dorſum.
Et colaphos accipiens tacebit, ne quis agnoſcat:
Quod verbum, & vnde venit, vt mortuis loquatur.
Et coronam portabit ſpineam.
In cibum autem fel, & ad ſitim acetum dederunt,
Inhoſpitalitatis hanc monſtrabunt menſam.
Ipſa enim ſtulta, Deum tuum non cognouiſti.
Lucentem mortalibus mentibus, ſed ex ſpinis
Coronaſti corona, horridumq. fel miſcuiſti
Templi vero velum ſcindetur, & die
Media nox tenebroſa nimis tribus horis.
Et mortis factum finiet trium dierum ſomno ſuſcepto,
Et nunc à mortuis regreſſus in lucem venit.
Primus reſurrectionis initium reuocatus oſtendit.

Mirabilis prædictio Sibyllæ Cumeæ apud Virgilium, poetarum nobiliſſimum. Cap. 56.

Illa autem teſtimonia quàm ſint clara, & quàm certa manifeſtatione futura prædixerint, & ſicut prædicta fuerunt, ita facta ſint, vnuſquiſque videre poteſt, qui vti ratione velit, ita vt ſicut de Iſaia Propheta dici ſolet, magis ſcripſiſſe Euangelij hiſtorias, & res à Chriſto geſtas, quàm illas prophetico ſermone, qui ſubobſcurus eſſe ſolet, prænunciaſſe. Neque tenebræ

poſſunt

poſſunt ſe à tanto defendere lumine, niſi forſan dixerit quiſpiam, hæc non ante, ſed poſt Chriſtum natum eſſe conſcripta. Quod ne quis incredulus temere aſſerere auderet, non ſine Dei prouidentia factum eſt, vt Virgilius, nobiliſſimus poetarum, cuius excellentia carmina per totum orbem diſſeminata erant, ante Chriſtum natum illa ſcriberet, quæ ipſe in Sibyllinis libris *Virg. Ecl. 4* perlegerat de Chriſto Domino, & eius regno, & eius deſcenſu de cælo in mundum, & natiuitate ex Virgine, & innouatione mundi, cum homines torpentes in obſcuritate tenebrarum, & obduratione vitiorum, per gratiam Ieſu Chriſti ex ferreis aurei facti ſunt, & naſceretur gens aurea, quæ manifeſta eſt Eccleſia Chriſti, hoc eſt, congregatio populorum credentium in Dei filium, qui deſcendit de cælo, quæ gens ſuper omnes eſt nobilis: ſunt enim filij Dei, gens ſancta, gens regia, & electa ſicut aurum, ceteri turbis ignobilibus computantur, viles, ſicut ferrum inter metalla.

Quo tempore alius factus eſt ſeculorum ordo, & noui incæperunt eſſe dies, & magni procedere menſes. Venit enim plenitudo temporis, cum Do- *Gregor.* minus noſter veniens in mundum, noua præcepta dedit mundo, & vitæ in vitijs enutritæ contrarietatem oppoſuit nouitatis ſuæ; cum cæleſtis medicus contraria oppoſuit medicamenta peccatis, vt lubricis continentiam, tenacibus largitatem, iracundis manſuetudinem, elatis præcepit humilitatem, & emittens ſpiritum ſuum, creauit corda munda, & ſpiritum rectum innoua- *Pſal. 50.* uit in viſceribus hominum, & renouauit faciem terræ.

Et Iſaias de Chriſto: Ecce ego facio noua, & nunc orientur. ne memi- *Iſa. 43.* neritis priorum, & antiqua non intueamini.

Quod etſi Virgilius didicerat in Sibyllarum libris, tamen ipſe, cum eſſet gentilis, & idolorum cultor, non potuit aſſequi, quo verba illa tenderent, & quando eſſent verificanda, ſed nihil aliud cogitare potuit, quàm illa adimplenda eſſe in Auguſto, cui ipſe placere ſatagebat, vnde optabat, vt ille puer feliciter naſceretur, qui tot bona erat illaturus gentibus, & poſt eum erant venturi magni illi menſes, ideſt, quibus omnia ſcelera noſtra fieri debebant irrita, ideſt, erant delenda per Chriſtum. Idem prædixit Daniel, cum dixit: *Dan. c. 9.* Abbreuiatæ ſunt ſeptuaginta hebdomadæ, vt conſummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iuſtitia ſempiterna: & terra erat liberanda perpetua formidine, ideſt, metu mortis æternæ, vt ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati ſeruiamus illi, in ſanctitate & iuſtitia omnibus diebus vitæ noſtræ; vt Simeon quoque de hoc ipſo prophetauit: & quod beatus ille puer debebat accipere deorum vitam, hoc eſt, debebat eſſe Deus, & homo, quo nihil clarius poterat dici; quod in terra debebat viuere aliquis homo, qui eſſet Deus, & quod apud Romanos debebat eſſe noua Deorum ſoboles, ideſt, ſanctorum virorum, qui in Chriſtũ credentes, debebant recipere Dei admirabilem gratiam, qua efficiuntur Dei filij, habentes conſortium diuinæ naturæ, vt factum eſt; qui (ſubdit Virgilius ex Sibylla) Diuisq. videbit permixtos heroas, & ipſe videbitur illis, quod aperte dicitur de Chriſto, qui futurus erat caput ſanctorum, & debebat conuerſari cum illis, & videre eos, & videri ab illis, vnde ipſe dicebat: Beati oculi, qui vident quæ vos videtis. Multi Reges, & Prophetæ volue- *Luc. 10.* runt videre, quæ vos videtis, & non viderunt. Ecce Dominus veniet, & omnes Sancti eius cum eo, & erit in die illa lux magna. Et Iob inter gentes, *Iob 7.*

hoc

hoc lumine ita fuit eleuatus, vt ſperaret, ſe in carne ſua viſurum eſſe oculis ſuis Deum ſaluatorem ſuum, quem (inquit) viſurus ſum ego, & non alius.

Pacatumq. (ſtatim ſubdit) reget patrijs virtutibus orbem. hoc quod dicit Sibylla apud Virgilium, concordat cum eo, quod ſcribit Dauid in 2. Pſalmo ex perſona Chriſti: Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius, prædicans præceptum eius. Dominus dixit ad me, filius meus es tu: ego hodie genui te. Poſtula à me, & dabo tibi gentes hære-

Iſai. ditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ. Et Iſaias: Orietur in diebus eius iuſtitia, & pax.

Subdit Virgilius à Sibylla doctus

> Ipſæ lacte domum referent diſtenta capellæ
> Vbera, nec magnos metuent armenta Leones:
> Ipſa tibi blandos fundent cunabula flores,
> Occidet & ſerpens, & fallax herba veneni.
> Occidet Aſſyrium vulgo naſcetur amomum.

Iſa. 55. Pro ſaliuncula aſcendet Abies, & pro vrtica aſcendet Myrtus.

Iſa 60. De lacte idem prænunciauit Iſaias. Lac gentium ſuges Hieruſalem, &

Iſa. 61. mammilla regum lactaberis. Stabunt alieni, & paſcent pecora veſtra.

Et erit in die illa nutriet homo vaccam bouum, & duas oues, & præ

Iſa. 7. vbertate lactis comedet butyrum. Butyrum, & mel manducabit omnis homo.

In illa die ſtillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lac & mel.

Iſa. 9. Quod dicit: Nec magnos metuent armenta leones. idem eſt ad litteram cum eo, quod dicit Iſaias futurum in aduentu Chriſti, dicens: Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit, vitulus, & leo, ouis ſimul morabuntur, & puer paruulus minabit eos. Vitulus & vrſus paſcentur, ſimulq. requieſcent catuli eorum, & leo quaſi bos comedet paleas.

Iſa. 35. De floribus Iſaias ait: Lætabitur deſerta, & exultabit ſolitudo, & flore-

Cant. 2. bit quaſi lilium. Flores apparuerunt in terra noſtra. Ego flos campi, & li-

Iſa. 35. lium conuallium.

Quod dicit: Occidet & ſerpens, & fallax herba veneni: Occidet Aſſyrium vulgo naſcetur amomum. Idem eſt cum eo, quod ſubdit ibi Iſai. Et delectabitur infans ab vbere ſuper foramine aſpidis, & in cauerna reguli, qui ablactatus fuerit manum ſuam mittet, non nocebunt, & non occident.

Iſa. 35. In cubilibus, in quibus prius Dracones habitabant, orietur viror calami, & iunci.

Marc. 16. Serpentes tollent, & mortiferum ſi quid biberint, non eis nocebit.

Et duræ quercus ſudabunt roſcida mella. Et Iſaias idem penitus. In illa die ſtillabunt montes mel: in montibus enim quercus ſunt.

Et fallax herba veneni.

Iſa. 7. Et omnes montes qui in ſarculo ſarmentur, non veniet illuc terror ſpinarum.

Et ſicut terra profert ſemen ſuum, & ſicut hortus ſemen ſuum germinat: ſic Dominus germinabit iuſtitiam, & laudem coram vniuerſis gentibus.

Et illud: Aggredere ò magnos (aderit iam tempus) honores.

Chara Deum ſoboles, magnum Iouis incrementum: Concordat cum Si-

Pſal. 44. bylla Dauid. Accingere gladio ſuo ſuper fæmur tuum, potentiſſime: Specie

tua, & pulchritudine tua, intende, proſpere, procede, & regna.
Chara Deum ſoboles, magnum Iouis incrementum. Mirabilis prophetia, quod Chriſtus eſt filius Dei, Deus de Deo.

Multa alia conſiderari poſſent in carminibus illis, quæ Virgilius ſine dubio ex vaticinijs Sibyllarum excerpſit, & conſona reperiuntur cum Prophetarum noſtrorum vaticinijs. Sed hæc ſatis.

De Prodigijs, & Portentis factis apud Romanos, vbi Chriſtus erat regnaturus, & ſedem ſuam poſiturus. Cap. 57.

DAbo prodigia in cælo & in terra, ſanguinem, & ignem, & vaporem fumi: ſol conuertetur in tenebras & luna in ſanguinem, antequam veniat dies Domini magnus. inquit Ioel Propheta. *Ioel c.2.*

Præceſſerant igitur Sibyllarum oracula, quæ cæleſtis Domini aduentum in terris, & magnificentiam regni eius inter gentes magnificis atteſtationibus prænunciabant; ceterum cum eius aduentus multo ante prænunciatus iam inſtaret, voluit Deus prodigijs & portentis excutere illis ſomnum, atque erigere animos eorum in admirationem, quid illa, quæ tam admirabiliter fiebant, portenderent. Vt paulatim lentoq. quodam lumine, oculos tenebris obſitos, ad futura myſteria intelligenda diſponeret, vt Roma fortunata, ſub hoc cæleſti principe per totum orbem regnatura, antequam aduenifſet dies carnis Domini, vaticinijs, ſignis, & prodigijs præmoneretur de aduentu illius, vt cum aduenifſet, & factum eſſet, crederet. Non enim Gentiles, ſicut Iudæi, ſciebant futuræ Redemptionis myſterium, venturumq. eſſe regem cæleſtem cum decore & fortitudine, qui gladio oris ſui percuteret terram: & reges terræ, qui eius diſciplinam non apprehenderent, eiuſq. eruditionem contemnerent, virga ferrea correpturus, & tamquam vas figuli potentiam ipſorum confracturus; Eis vero, qui eum audirent, legemq. eius reciperent, & ſeruirent ei cum lætitia, & exultarent ei cum tremore, fideq. eius reciperent, cæleſtia & æterna regna largiturus. Quapropter aliquo modo admonendi erant, & ſignis aliquibus ante erigendi, quæ ſi non præſtarent intellectum, ſaltem traherent ad admirationem, donec lucidum eius prædicationis verbum plenius affulſiſſet, & ſequentibus ſignis adducerentur ad credendum, & obediendum verbis fidei, ita vt omnes, excuſſa vetuſtate tenebrarum, non amplius adorarent Deos ſuos, quos per tot ſecula coluerant, & incenſa & ſacrificia, & libamina obtulerant, & templa conſtituerant, quibuſq. & victorias, & quæcunque proſpera adueniebant, adſcribebant, & quos putabant conſulere & prouidere vitæ hominum; præterea & fruges & reliqua, quæ terra parit, & tempeſtates ac temporum varietates, cæliq. mutationes operari, & eſſe Mundi Rectores: ſed ſpretis falſis hiſce numinibus, eorumq. ſimulachris contritis, reciperet vnum ſolum, & adorandum numen, ſummũ ſcilicet & ſempiternum Deum, qui fecit cælum, & terram, & quem miſſurus erat Ieſum Chriſtum Saluatorem mundi, & aliquando Vrbem ſuperbam toti orbi dominantem, calcaret pes pauperum greſſus egenorum, & quæ fuit mater erroris, foret filia Saluatoris, neque amplius orbem ferro domaret, ſed fide firmaret. *Pſal.2.*

De Prodigio horribilis fulminis, & confractione ſimulachrorum, & obliteratione legum Romanarum in Capitolio cælitus facta. Cap. 58.

EX ijs igitur, quæ à Sibyllis prędicta erant apud gentes, ſiue ab oraculis prophetarum apud Iudęos, rumor vbique inualuerat venturum eſſe Regem, qui dominaretur orbi; id quod Romanos ignaros myſterij Chriſti Domini, exterruit per plures annos, vſque ad Veſpaſianum, imo vſque ad Adrianum principem.

Tacit. ann. lib. 21. Qua de re hęc Tacitus: Pluribus perſuaſio inerat, antiquis ſacerdotum litteris contineri, fore, vt valeſceret oriens, profectiq. Iudęa, rerum potirētur. *Suet. in Veſpaſian. c. 4* Et Suetonius idem conteſtans inquit, Percrebuerat oriente toto vetus & conſtans opinio, vt eo tempore, Iudæa profecti, rerum potirentur. & alibi *Sueton. in Octa. Auguſt. c. 94.* Auctor Iulius Maratus: Ante paucos, quam naſceretur Octauius, menſes, prodigium Romæ factum publice, quo denunciabatur Regem populo Romano naturam parturire, Senatum exterritum cenſuiſſe, ne quis illo anno genitus educaretur. Quod prodigium Dio his verbis enarrat.

Dio Roma. hiſt. lib. 37. Ante paucos, quam Octauius Auguſtus naſceretur menſes, in Capitolio multę ſtatuæ de cęlo tactæ, liquefactęq. fluxerant, omniaq. ſimulachra deiecta, & confracta, pręſertim vero ſimulachrum Iouis columnæ inſiſtens: pręterea vero imago lupę, cum Remo ac Romulo conſecrata ceciderant: litteræ etiam in columnis, in quibus leges ſcribebantur, confuſę atque oblitteratę fuerant. Hęc Dio. Anno ab Vrbe condita ſexcenteſimo nonageſimo. Quod quamquam ipſi rerum futurarum ignari ad aliud traherent, tamen quid aliud pręſignare poterat, quam voluiſſe Deum in vrbe Roma in Capitolio coram populo orbis Domino, per ignem de cælo miſſum, per ſtatuarum, & ſimulachrorum confractionem, præſertim Iouis, quem ſummum credebant, per legum ſcriptarum in columnis oblitterationem, aduenisse *Iſa. c. 2.* tempus iam olim ab Iſaia prædictum, cum inquit: Et erit in nouiſsimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur ſuper colles & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent; Venite, aſcendamus ad montem Domini, ad domum Dei Iacob; & docebit nos vias ſuas, quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Hieruſalem; & iudicabit gentes, & arguet populos multos. Impleta eſt terra eius idolis, quos fecerunt digiti eorum, opus manuum ſuarum adorauerunt. Exaltabitur autem Dominus ſolus in die illa, quia dies Domini exercituum ſuper omnem ſuperbum, & excelſum, & omnem arrogantem & humiliabitur; & ſuper omnes cedros Libani ſublimes & erectas, & ſuper omnes quercus Baſan, & ſuper omnes montes excelſos, & ſuper omnes colles eleuatos, & ſuper omnem turrim excelſam, & ſuper omnem murum munitum, & ſuper omnes naues Tharſis, & ſuper omne, quod viſu pulchrum eſt. Et incuruabitur omnis ſublimitas hominum, & humiliabitur altitudo virorum, & eleuabitur Dominus ſolus in die illa, & idola penitus contererentur? Quod ideo Romæ in Capitolio factum eſt, vt ſciretur imperium Romanorum, viribus corporis & ferro munitum, & per totum terrarum orbem propagatum, iam iam iugo Regis Chriſti colla daturum, & oblitteratis priſcis legibus, &

mori-

moribus, legem Chriſti & ſpiritum eius recepturum, & reiectis infandis idolorum imaginibus, & lethali cultu falſorum Deorum, Dei veri & ſummi, cæli, & terræ conditoris religionem amplexaturum, quod paulo poſt mirabiliter factum eſt, & perſeuerat vſque in hodiernum diem.

De Apollinis oraculo obmuteſcente, & de Ara primogeniti Dei ab Auguſto erecta. Cap. 59.

PRoxime autem ante Chriſti Domini aduentum, illuſtriſsimũ illud, totoq. orbe celeberrimum, Apollinis Delphici Oraculum occluſum erat, nec vltra vſitata reſponſa dabat, horreſcente Dæmone, vt qui optime noſſe poterat, mala ſua annunciari non tantum per oracula Sibyllina, ſed & Prophetarum prædictionibus; De quo perbelle hæc Ethnicus Orator: Sed, inquit, quod caput eſt: cur iſto modo iam Oracula Delphis non eduntur, non modo noſtra ætate, ſed iam diu iam, vt nihil poſsit eſſe contemptius? Hoc loco cum vrgentur, euanuiſſe aiunt vetuſtate vim loci eius, vnde anhelitus ille terræ fieret, quo Pythia mente incitata Oracula ederet. De vino, aut ſalſamento putes loqui, quæ euaneſcunt vetuſtate? hæc Cicero. Cui ſi audientes Gentiles fuiſſent, de falſitate, ac vanitate Deorum (dicam cum Arnobio) perorata cauſa fuiſſet. Sed quænam eſſet cauſa tanti ſilentij Apollinis obmuteſcentis, idem ipſe, licet inuitus, aliquando effari coactus eſt. Cum enim Auguſtus Apollinis ſtudioſiſsimus, vt qui crederetur Apolline genitus, quique in cœna illa, Δωδεκάθεος vulgo dicebatur, pro Apolline ornatus ſolebat accumbere, cui & templum in Palatio erexerat, eidem ſacrificaſſet Hecatombem, hæc tandem ab eo reſponſa, vt ferunt, elicuit:

> Me puer Hebræus, diuos Deus ipſe gubernans,
> Cedere ſede iubet, triſtemq. redire ſub Orcum.
> Aris ergo dehinc tacitus abſcedito noſtris.

Ad hæc addunt, Auguſtum Romam reuerſum, Aram in Capitolio erexiſſe hac inſcriptione notatam: ARA PRIMOGENITI DEI. hæc Nicephorus, ac Suidas, quibus ceteri fidem adhibuerunt. Putatur hic ille eſſe locus in Capitolio, è regione rupis Tarpeiæ, vbi nobiliſsimum templum antiquitus erat Iouis Capitolini: ſed eo proſtrato, eodem in loco erecta eſt baſilica in memoriam Dei Genitricis MARIAE, atque dicta ex cauſa, ARA COELI, titulo nuncupata: vel quod aiunt, DEI genitricem MARIAM infantem in vlnis habentem, monente Sibylla, ſublimem in aëre ab eodem Auguſto illic eſſe conſpectam. Quod tamen ita velim intelligant, qui ei rei maioré fidem adhibendam putant, quàm his quæ ex Græcis authoribus recenſuimus; non quòd Sibylla aliqua Auguſti temporibus, quæ illum hæc docuerit, ſuperſtes fuerit: ſiquidem Cumæa, quæ nouiſſima omnium fuiſſe traditur, quinquageſima Olympiade (auctore Solino) vixit, temporibusq. Tarquinij Regis Romæ fuit: ſed ſic accipiendum, vt ea ipſa Auguſtus a Sibylla, hoc eſt, Sibyllinis carminibus, quæ Sibyllæ nomine citari à maioribus conſueuerunt, acceperit, non autem a Sibylla, quaſi adhuc viuente vate, quæ diximus, ei oſtenſa fuerint. Auguſtum namq. multum fuiſſe in cognoſcendis, ſcrutandis, expurgandiſq. carminibus Sibyllinis, tradunt Tacitus, & Suetonius.

Cic. lib. 2. de Diuin.
Arno. adu. Gent. lib. 3.
Sueton. in Octa. c. 94. 70. 29.
Niceph. hiſ. lib. 1. c. 17.
Suid. in hiſt. verb. Auguſtus.
Cedren. in comp. hiſt.
Solin. Poly. hiſt. c. 8.
Tacit. lib. 5 Annal.
Sueton. in Oct. Aug. c. 31.

De prodigijs apud Romanos. Cap. 60.

PRæterea, & illud magnum extitit futurarum rerum prodigium, cum in Italia agro Romano paulo ante Chriſti aduentum in mundum, flumina quædam conuerſa ſunt retrorſum, ſicut de Iordane memorant ſcripturæ in tranſitu populi Iſraelitici.

Dio lib. 47. ad f. Et cæperunt refluere verſus fontem, Aquæ enim quæ in mare fluebant, contrario curſu recurrentes ad fontem reuertebantur: quædam autem flumina penitus exaruerunt.

Quæ portenta, vt inquit Dio, exiſtimabant Romani exitus bellorum, & caſus Reipublicæ demonſtrare, quod eam Deus optimus maximus in meliore ſtatu, & conditione regni eſſet collaturus. Sed Deus non id ſolum curabat dare Romanis rerum Dominis Regem in ſeculo, & temporaliter dominantem, ſed dare eis Regem Regum, cuius regnum eſſet æternum, & inchoaretur in terris, & in cælis poſtmodum latius durationem ſuam vſque in ſpatia æternitatis extenderet.

Romani, & totus orbis eorum ſeruiebant Dijs, qui non erant Dij, ſed nequiſſimi ſpiritus, qui in cælis principatum ſuperbiſſime appetentes, à cæleſtibus illis ſedibus vindicante Deo deturbati, intra mundi caligines habitantes, regnum quod amiſerant in cælis, mendicabant in terris, & decipiendo fraudulentis illuſionibus homines, honores diuinos ſibi paſſim vſurpabant apud homines fraudis ignaros.

Et cum hoc modo à Deo ſuo vero abalienati eſſent, & in mare æternæ damnationis excurrerent; tandem per Ieſum Chriſtum ad Deum ſuum bonorum omnium fontem reuerſi ſunt. Nam Deorum illorum cultus penitus per eius gratiam ſublatus eſt, & penitus exaruit, corda autem ipſorum, & animi cupiditates, & deſideria ingentia, quibus ad mundi gloriam, & diuitias comparandas, currebant, retorſerunt ad Deum, qui eos fecerat, gloriam eius quærentes, propriam contemnentes, & diuitias non in mundo, vbi putreſcunt, acquirentes, ſed apud Deum fontem omnium bonorum.

De alio prodigio, Solis intra tres circulos effulgentis. Cap. 61.

Dio hiſtor. Rom. li. 5. Iulius obſeq. in lib. de prodig. c. 128. PRæterea Hircio & Panſa Coſſ. viſus eſt ſol intra tres circulos effulgere, quorum vnum corona ſpicarum ignita circumdaret.

Quod quidem admirabile ſignum ſatis perſpicuum eſt, ad oſtendendum, non quod Romani in tenebris dormiétes in peius ſomniabant, ſed quod Deus omnipotens & miſericors ſtatim erat facturus, videlicet manifeſtaturus ſacramentum, & arcanum adhuc inter homines non cognitum, ſummæ Trinitatis & incarnationis filij Dei, quod arcanum inſcrutabile penitus quidem erat, abſconditum apud gentes, quæ Deum ignorabant, & idolis ſeruiebant; apud Iudæos vero non omnino incognitum, ſed tamen figuris & inuolucris inuolutum, & obuelatum. Manifeſtatio autem diuinarum perſonarum, hoc eſt, Patris, Filij, & Spiritus ſancti, Diuinitatis myſterium, Chriſto Domino reſeruata erat, tamquam aliquid ſummum, & perfectum, in cuius cognitione vita æterna poſita erat.

Chri-

Chriſtus autem ſolus, qui à cælis erat, & de cælis deſcendebat, ipſe erat annunciaturus nobis, non per prouerbia, & ęnigmata, ſed palam, & in manifeſto.

Deum enim nemo vidit vnquam: Vnigenitus autem filius, qui in ſinu Patris eſt, ipſe enarrauit. Et quoniam res diuinas & cæleſtia arcana, & fulgorem diuinitatis, & ſummæ Trinitatis claritudinem, quantum fas erat, & humanus oculus ferre potuiſſet, erat oſtenſurus orbi, tantorum myſteriorum ignaro, ideo ſcriptum eſt: His qui iacebant in tenebris, & vmbra mortis, lux orta eſt eis.

Ecce tenebræ operient terram, & caligo populos: ſuper te autem orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur. Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in ſplendore ortus tui. *Iſa. 60.*

Hanc inter gentes futuram gloriam ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, tamquam præſentem videbant Angeli, cum inceſſabili voce clamarent alter ad alterum dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum, plena eſt omnis terra gloria eius. *Iſa. 6.*

Ita vt per hoc myſticum lucis præludium oſtenderetur, non longe eſſe tempus, quo populus, qui ambulabat in tenebris infidelitatis, & idololatriæ, viſurus eſſet lucem magnam, & habitantibus in tenebris, & vmbra mortis inſolita lux eſſet oritura, ſole ſcilicet intra tres circulos corruſcans, hoc eſt, Diuinitas in tribus perſonis effulgens, cogniturusq. eſſet gloriam ſummi Dei, & veneraturus non amplius falſorum Deorum ſimulachra, ſed vnius Dei Patris, & Filij, & Spiritus ſancti diuinitatem adoraturus. Vnde Iſaias ait: Propter Sion, inquit, non tacebo, propter Hieruſalem non quieſcam, donec egrediatur vt ſplendor iuſtus eius, & Saluator eius vt lampas accendatur, & videbunt gentes iuſtum tuum, & cuncti Reges inclytum tuum, & vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit. *Iſa. 62.*

Sed myſtica quadam, & occulta ratione factum eſt, vt vnus ex tribus circulis ignita ſpicarum corona circumdaretur, ad denotandum vltra Trinitatis myſterium, Incarnationis quoque diſpenſationem in perſona filij Dei, qui à Prophetis quoque, frumentum electorum dictum eſt, & eius humanitas panis noſter facta eſt. Vnde dicebat Dominus de ſeipſo: Ego ſum panis qui de cęlo deſcendi, ſi quis manducauerit ex hoc pane, viuet in ęternũ. & ob id ſub panis ſpecie dat ſe nobis ad manducandum. Et quoniam ſub pane humanitatis, latet diuinitas, hinc ſpicę illę, quę circulum ambiebant, erant ignitę. Deus enim charitas eſt, qui lucet, & ardet, ignemq. ſui amoris in hominum corda diffundit, per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis, quod in ſacramento conſecrati panis, quem voluit credentibus dari ad mãducandum, mirabiliter perficitur, vbi manducantes ignitum & diuinum amorem eliciunt. *Ioan. 8.*

Cuius rei figura eſt illud, quod olim iuſſum eſt à Domino, vt in Phaſe Domini ſolemnitas eſſet panum azimorum, quos per ſeptem dies comedebant, & eodem tempore offerebant ſacrificium in igne Domino per ſeptem ſimiliter dies. *Exod. 12.*

Et paulo poſt iubentur, quod in ingreſſu terrę promiſſionis, metant ſegetem, & ferant manipulos ſpicarum ad ſacerdotem, qui eleuabit faſciſculum coram Domino, & eodem die, quo manipulus conſecratur, cędetur agnus

immaculatus, anniculus, in holocauſtum Domini, odoremq. ſuauiſſimum. Quę quidem omnia ſatis aperte ſignificabant futurum ſacramentum benedicti panis.

De reſtitutione ſeruorum, & debitorum remiſſione facta ab Auguſto, & de Prodigio admirabili fontis olei, qui Romæ per totum diem fluxit. Cap. 62.

ACceſſit etiam ſuperioribus præſagijs (vt multa alia omittam, quæ ab Hiſtoricis memoriæ mandata ſunt) illud quod magnam cunctis intulit admirationem.

Oroſ. hiſtor. lib. 6 c. 20. circa fin. Euſeb. in chronic. Auguſtus Cæſar, cum ſecundo in Sicilia receptis à Pompeio & Lepido legionibus, triginta millia ſeruorum Dominis reſtituiſſet, & quadraginta quatuor legiones ſolus imperio ſuo ad tutamen orbis terrarũ diſtribuiſſet, ouanſque vrbem ingreſſus, omnia ſuperiora populi Romani debita donanda, litterarum etiam monumentis abolitis, cenſuiſſet, in diebus illis, fons olei largiſſimus, de Taberna Meritoria per totum diem ſine intermiſſione fluxit. Erat autem hæc Taberna Meritoria trans Tyberim. Meruit locus ille nobiliſſima memoria illuſtrari, Eccleſia nimirum ampliſſima Dei Genetricis titulo, à Caliſto Pontifice, prima omnium, quarum extet memoria, olim erecta.

Habitabant Auguſti tempore qui erant Romæ Iudæi trans Tyberim (vt author eſt Philo lib. de leg. ad Caium) permiſſi more maiorum viuere, quod & Ethnici ſcriptores teſtantur, vnde vnus ex ipſorum poetis Iudæum hominem Tranſtyberinum ambulatorem appellat, cum ait.

Hoc qui Tranſtyberinus ambulator
Qui pallentia ſulphura fractis

Permutant vitris. Sed quamuis viles atque abiecti eſſent, tamen quoniã ex Iudæis ſalus ventura erat, regio vbi regnarent, eo meruit miraculo illuſtrari.

Quod prodigium cum paulo ante Chriſti aduentum, Romæ oſtenſum fuerit, quid aliud poterat indicare, quàm id quod paulo poſt futurum fuit, ſcilicet venturum eſſe Chriſtum, ideſt Vnctum, Dominum, Regem, & ſacerdotem, qui cæleſtibus vnctionibus benedicturus erat mundum, & ſacramentis ſuis, per oleum conficiendis, ſanaturus vulnera peccatorum, & quĩ ab vnctionibus erat denominandus iuxta illud: Oleum effuſum nomen tuũ, *Cant. 1. Pſ. 44.* qui & ſupra ceteros, ſpiritus vnctione cælitus fuit inunctus, iuxta illud: Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis?

Quod ſigno (inquit Oroſius) quid euidentius, quàm in diebus Cæſaris toto orbe regnantis futura Chriſti natiuitas declarata eſt? Chriſtus enim lingua gentis eius, in qua natus eſt, Vnctus interpretatur. Itaque cum eo tempore, quo Cæſari perpetua Tribunitia poteſtas delata eſt, Romæ fons olei per totum diem fluxit ſub principatu Cæſaris, Romanoq. imperio per totum diem, hoc eſt per omne Romani tempus imperij, Chriſtum, & ex eo Chriſtianos, ideſt Vnctum, & ex eo vnctos de Meritoria Taberna, hoc eſt, de hoſpite largaq. Eccleſia affluenter atque inceſſabiliter proceſſuros, reſtituendoſq. per Cæſarem omnes ſeruos, qui tamen cognoſcerent Dominum ſuum, ceteroſq. qui ſine Domino inuenirentur, morti ſupplicioq. dedendos, remittendaq. ſub Cęſare debita peccatorum in ea Vrbe, in qua ſpontaneum fluxiſſet

ſet oleum ; euidentiſſima his , qui Prophetarum voces non audiebant , ſigna in cælo , & in terra prodigia prodiderunt . hæc Oroſius .

De pace , quam præſtitit Deus orbi terrarum, propter inſtantem Chriſti aduentum, regnante Auguſto principe , qui clauſit Iani portas in die Epiphaniæ , ſumma rerum potitus : & de Prodigio arcus cæleſtis ſolem ambientis . Cap. 63.

SEd videamus alia prodigia, quæ Deus ſuper terram poſuit, auferens bella vſque ad finem terræ, ad excitandos gentium animos .

Anno ab Vrbe condita (inquit Oroſius) 725. Imperatore Cæſare Auguſto quinquies , & L. Apuleio Conſulibus Cæſar victor ab Oriente rediens, octauo Idus Ianuarias Vrbem triplici triumpho ingreſſus eſt, ac tunc primũ ipſe Iani portas , ſopitis omnibus finitisq. bellis ciuilibus clauſit . Hoc die primum Auguſtus conſalutatus eſt . Quod nomen cunctis antea inuiolatum, & vſque ad nunc ceteris inauſum Dominis , tantum orbis licitè vſurpatum apicem declarat imperij , atque ex eodem die ſumma rerum ac poteſtatum penès vnum cæpit eſſe & manſit , quod Græci Monarchiam vocant . Porro autem hunc eundem eſſe diem , hoc eſt , octauum Idus Ianuarias , quo nos Epiphaniã; id eſt, Apparitionẽ, ſiue manifeſtationẽ Dominici ſacramenti obſeruamus , nemo credentium , ſiue etiam fidei contradicentium neſcit . De quo noſtræ iſtius fideliſſimæ obſeruationis ſacramento vberius nunc dicere , nec ratio , nec locus poſtulat : vt & quærentibus reſeruaſſe , & negligentibus non ingeſſiſſe videamur . Hoc autem fideliter commemoraſſe ideo par fuit, vt per omnia venturi Chriſti gratia præparatum Cæſaris imperium comprobetur .

Nam cum primum Caio Cæſare auunculo ſuo interfecto , ex Apollonia rediens , Vrbem ingrederetur, hora circiter tertia, repente liquido , ac puro ſerenoq. die, circulus ad ſpeciem cæleſtis arcus orbem ſolis ambijt ; quaſi eum vnum ac potentiſſimum in hoc mundo , ſolumq. clariſſimum in orbe monſtrans , cuius tempore venturus eſſet, qui ipſum ſolem ſolus, mundumq. totum & feciſſet , & regeret .

Sed ſignificantius (vltra Oroſium) arcus ille cæleſtis circa ſolem , videtur portendere, adeſſe iam tempus , quo ſol ſempiternus Dei filij venturus erat, & mundo appariturus, circumdatus carne humana, ad Dei iram placandam, & mundum redimendum ; caro enim humana, quam ipſe aſſumpſit, & qua ſe ipſum circumcinxit , fuit inſtrumentum , & organum , quo iram Dei erga genus humanum propter peccata Deo inimicum, placauit . Et meritò ab arcu cæleſti fuit deſignata caro illa : quia ſicut antiquitus , cum omnis caro corrupiſſet viam ſuã, & multa malitia hominum eſſet in terra , & Deus victus ſceleribus hominum, aquarum diluuio homines cum animantibus deleuiſſet , & diſperdidiſſet , ſtatuit Deus pactum cum hominibus , promittens illis, quod nequaquam vltra interficeretur omnis caro aquis diluuij , deditquè ſignum fœderis inter ipſum, & omnem animam viuentem vſque in generationes ſempiternas , dicens : Cum obduxero nubibus cælum , apparebit arcus meus in nubibus, & recordabor fœderis mei vobiſcum, & cum omni anima viuente, quæ carnem vegetat , & non erunt vltra aquæ diluuij ad de-

lendam vniuerſam carnem. Eritq. arcus meus in nubibus, & videbo illum, & recordabor fœderis ſempiterni, quod pactum eſt inter Deum & omnem animam viuentem vniuerſæ carnis, quæ eſt ſuper terram.

Sic etiam cum eo tempore, quo filius Dei venturus erat in mundum, totus orbis vias ſuas iterum corrupiſſet, iterumq. malitia multa eſſet ſuper faciem terræ, & coram Deo terra repletà eſſet iniquitate, & gentes Deum ſuũ ignorantes, horrendos Dæmones pro Deo colerent, & vbique ita regnaret peccatum, vt & Iudæorum gens, apud quam ſolam Deus notus erat, magis quàm ceteri, præter aliquos paucos iuſtos, infandis vitijs premeretur, propter quod Dei iuſtitia debuiſſet iterum mundum peccatis corruptum diſperdere, recordatus eſt tamen Dominus miſericordiæ ſuæ, & pacti ſempiterni, vt non ſolum non deleret homines aquis diluuij, ſed magis aquis baptiſmi ad ſalutem reuocaret; poſuitq. Arcum ſuum non in nubibus, ſed in ſole cunctis gentibus ſpectandum, ad pranuntiandum, ſe nolle amplius mundum ſceleſtum tanquam iratus ſubuertere, ſed tanquam placatus illuminare, inſtaurare, & ſaluum facere, qui perierat: & ideo tempore Auguſti ponere voluit in ſole Arcum cæleſtem ſignum fœderis ſui, vt hinc ſignificaret, paulo poſt ſe eſſe miſſurum in terras filium ſuum, iuſtitiæ ſolem, & circumdare illum arcu carnis; quam Cruci expoſitam, & morti traditam propter ſcelera mundi, quotieſcumque Deus illam inſpiceret circa filium ſuum, toties recordaretur miſericordiæ ſuæ, & placaretur erga homines parcens illis, & ſaluos faciens à peccatis eorum, & à morte, quæ per peccatum in mundum erat ingreſſa, vt meritò arcus ille ambiens ſolem; & incarnationis Verbi, & placationis Dei eſſet præclariſſimum indicium.

Quod Cyrus Perſarum Rex, & Auguſtus Romanorum Imperator typum Chriſti expreſſerint. Cap. 64.

Iſa.45. ET quemadmodum Cyrus Rex Perſarum, apud Iudæos Chriſti typum expreſſit, dicente Iſaiâ: Hæc dicit Dominus Chriſto meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, vt ſubijciam ante faciem eius gentes, & dorſa regum vertam, & aperiam coram eo ianuas, & portæ non claudentur. Ego ante te ibo, & glorioſos terræ humiliabo; & dabo tibi theſauros abſconditos, & arcana ſecretorum, vt ſcias; quia ego Dominus, qui voco nomen tuum, Deus Iſrael per ſeruum meum Iacob, & Iſrael electum meum. Et vocaui te nomine tuo, aſſimilaui te, & non cognouiſti me, vt ſciant hi, qui ab ortu ſolis, & qui ab occidente, quoniam abſque me non eſt Deus. Expreſſit autem typum Chriſti, quatenus liberauit populum Iſrael de captiuitate, & reſtitui iuſſit Templum; ſic & Auguſtus apud Romanos, gentium dominos, typum quoque Chriſti geſsiſſe non eſt ambigendum; ſi penſemus multa, quæ circa ipſum facta commemorantur.

Oroſius. Nam cum per ducentos annos Romani bellis fatigati fuiſſent, Auguſtus tandem bellis finem impoſuit. Vnde cum Vrbem triumphans, quintum Cõſul ingreſſus eſt, eo ſcilicet die, quem ſupra nominauimus, ideſt octauo Idus Ianuarias, qui apud nos dies Epiphaniæ eſt, Iani templum quod apertum per annos ducentos fuit, quod erat indicium perſeuerantium bellorum, ipſe clauſit, quod erat indicium pacis per vniuerſum orbem. Cum enim pax

vbique

vbique vigebat, Romani Iani templum claudebant, quam pacem attulit Auguſtus orbi.

Et hæc pax tempore Auguſti oborta in mundo, fuit typus pacis, quã Chriſtus mundo erat allaturus, de qua Propheta quidam: Et percutiam cũ eis fœdus in die illa cum beſtia agri, & cum volucre cæli, & cum reprili terræ, & arcum, & gladium, & bellum conteram de terra, & dormire vos faciam fiducialiter. *Oſee 2.*

Cum igitur anno ab Vrbe condita 752. Cæſar Auguſtus ab oriente in occidentem à ſeptentrione in meridiem, ac per totum Oceani circulum, cunctis gentibus vna pace compoſitis, & rempublicam, quam bello quæſiuerat, pace enutrire & amplificare ſtuderet, leges plurimas ſtatuit, per quas humanum genus libera reuerentia diſciplinæ morem gereret. Domini appellationem, vt homo declinauit, & grauiſsime corripuit edicto, qui ſe Dominum appellarent: & cum ingrediente illo ad ſpectandos ludos populus acclamaſſet: O Dominum æquum, & bonum: ſtatim ille manu & vultu indecoras adulationes repreſsit. Eo autem anno, quo veriſsimam, firmiſsimamq. pacem ordinatione Dei Cæſar compoſuit, natus eſt Chriſtus, cuius aduentui pax iſta famulata eſt, in cuius ortu audientibus hominibus exultantes Angeli cecinerunt: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Eodemq. tempore hic, ad quem rerum omnium ſumma conceſſerat, Dominum ſe hominum appellari non paſſus eſt, imo non auſus, quo verus dominus totius generis humani inter homines natus eſt.

Eodem quoque anno tunc primum idem Cæſar, quem his tantis myſterijs prædeſtinauerat Deus, cenſum agi, ſingularum vbique prouinciarum, & cẽſeri omnes homines iuſsit, quando & Deus homo videri, & eſſe dignatus eſt. Tunc igitur natus eſt Chriſtus, Romano cenſui ſtatim aſcriptus, vt natus eſt. Hæc eſt prima, illa & clariſsima profeſsio, quæ Cæſarem omnium principem, Romanosq. rerum Dominos ſingillatim cunctorum hominum edita aſcriptione ſignauit, in qua ſe & ipſe, qui cunctos homines fecit, inueniri hominem, aſcribiq. inter homines voluit. Quod nunquam penitus ab Orbe condito, atque ab exordio generis humani in hunc modum, ne Babylonico quidem, vel Macedonico, vt non dicam minori cuiquam regno, conceſſum fuit.

Nec dubium, quin omnium cognitioni, fidei, inſpectioniq. pateat, quod Dominus noſter Ieſus Chriſtus, hanc Romæ Vrbem, nutu ſuo auctam, defenſamq. in hunc rerum apicem prouexerit, cuius potiſsimum voluit eſſe, cum venit; dicendus vtique ciuis Romanus, cenſus profeſsione Romani, vt hac inaudita humilitate, magisq. poteſtate maieſtatis, exaltaretur ſuper omnes excelſos, Dominumq. ſe conſtitueret illorum, quorum ſe ſeruum fecerat.

De prodigijs factis apud Iudæos. Cap. 65.

HIs atque ſimilibus prodigijs curauit Deus, qui diſponit omnia ſuauiter, excitare Gentes, quæ infixæ erant in limo profundi, ad contemplandã futuram virtutem. Sed non minori excitamento indigebant Iudæi, qui quãquam oracula habuerunt Prophetarum, tamen viuebant & ipſi vita gentiũ,

à Deo

à Deo abalienati, & præſentia tantum conſiderantes, grauiq. ſomno demerſi, nihil niſi quæ mundi erant, ſomniabant, Vnde & ipſos Deus prodigijs terruit, & commonuit, paulo antequam Chriſtus adueniſſet. Ad quæ prodigia conſideranda, quæ in aduentu CHRISTI erant futura, inuitat nos Dauid, dum dicit: Venite, & videte opera Domini, quæ poſuit prodigia ſuper terram, auferens bella vſque ad finem terræ: arcum conteret, & confringet arma, & ſcuta comburet igni. Vacate, & videte, quoniam ego ſum Deus, exaltabor in gentibus, & exaltabor in terra: Dominus virtutum nobiſcum, ſuſceptor noſter Deus Iacob. Iudæi enim, niſi ſigna & prodigia viderent, non facile credebant.

Pſal. 45.

Io. c. 4.

De prodigio terræmotus, facto apud Iudæos. *Cap. 66.*

CVm igitur Gens Iudæorum in barathrum abominationum corruiſſet, omneſq. à Sacerdote vſque ad populum, abijſſent poſt cupiditates rerum ſecularium, ſtudentes auaritiæ, amantes primos accubitus, & gloriam huius mundi, ſpeciem tantum pietatis extra in oculis hominum præſeferentes; intus autem ſicut ſepulcra tenebras, & tineas, & fœtorem intolerabilem peccatorum circumferentes, & non Dei populum, ſed congregationem iniquitatis, & malitiæ repræſentantes, & Dei promiſſa, & Chriſti Domini aduentum pro nihilo habentes, & profanis moribus ſacra omnia contaminantes, Deus illos terribili terræmotu concuſſit. De quo hæc Ioſephus antiquitatum Iudaicarum ſcriptor.

Ioſeph. de bello Iuda. lib. 1. c. 14.

Sed dum Herodes inimicos perſequitur, incurrit ei diuinitus alia calamitas ſeptimo Regni anno, & Attiaco bello feruente. Namq. veris initio, terra mota infinita quidem pecorum, 30. vero hominum millia peremit, cum exercitus manſiſſet incolumis, quoniã ſub diuo tenebatur, ibique Arabes in maiorũ audaciam fama ſuſtulit, triſtibus nuncijs grauius ſemper aliquid affingens. Vnde velut omni ſubuerſa Iudæa terræ obtinentes ſpẽ, quia neminẽ ſupereſſe credebant, in eã irruunt, legatis prius interfectis, qui ad ſe venerant à Iudæis.

Hoc autem prodigioſo terræmotu, qui paulo ante Chriſti aduentum contigit, videtur voluiſſe Deus perterrefacere populum illum ſceleſtiſsimum, vt relinqueret corruptiſsimos mores, & vitam illam ſceleribus commaculatam, quæ erant ſibi futura impedimento, quo minus cognoſcerent, quem Deus miſſurus erat ad ſaluandum populum ſuum; quod ſignum & prodigiũ repetitum fuit illis, cum Chriſtum Dominum non cognoſcentes, terribili illum, & inaudito ſcelere ſuper crucem occiderunt; tunc enim iterum terræmotus factus eſt magnus, & petræ ſciſſæ ſunt, vt ſaltem per repetitam toties terrę concuſsionem ſaperent, & intelligerent illum, quem crucifixerunt, fuiſſe Dominum eorum, quem in tenebris iacentes non comprehenderunt: de quo per alium terræmotum admoniti, vt erigerent animos peccatorum onere prægrauatos, noluerunt intelligere, & aduertere, quid portenderet vox illa Domini concutientis terram, cum terra contremiſceret ab ira Domini, & concuterentur columnæ eius. Illuxerunt enim corruſcationes orbi terræ: commota eſt, & contremuit terra.

Pſal. 76.

Erat autem apud Iudæos magna excitandi animi ad inſtantis aduentus Chriſti cogitationem occaſio, orbis commotio, & Templi, quod erat in Hieruſalem

ruſalem magnificentia, & auguſta celſitudo. Nam Aggæus Propheta de *Aggæus 2.*
aduentu Meſsiæ, ſecundi Templi temporibus hæc habet.

Hæc dicit Dominus exercituum. Adhuc vnum modicum eſt, & ego cõ-
mouebo cælum & terram, & mare, & aridam, & mouebo omnes gentes, &
veniet deſideratus cunctis gentibus, & implebo domum iſtam gloria, dicit
Dominus exercituum. Magna erit gloria domus iſtius nouiſsimæ plus quam
primæ, dicit Dominus.

Nam orbis commotio magna & incredibilis facta eſt temporibus illis,
quibus inſtabat aduentus Chriſti in mundum, quam etiam Dauid prædixerat: *Pſ. 95.*
Commoueatur à facie eius vniuerſa terra, dicite in gentibus, quia Dominus
regnauit. Quaſi dicat: Gaudeat, & obſtupeſcat terra tanti Regis aduentu;
norint omnes hunc eſſe, qui redempturus eſt genus humanum, & regnaturus
à ligno; eo enim tempore res admirabiles, & nouæ futuræ ſunt, quarum
conſideratione admirabuntur, & commouebuntur mortales.

Quod etiam in tranſitu de Aegypto ad terram à Deo promiſſam, quaſi per
figuram, ſimiliter factum eſt, vt aſſerit Dauid: Deus, cum egredereris in *Pſ. 67.*
conſpectu populi tui, cum pertranſires in deſerto, terra mota eſt, hoc eſt, ad-
miranda, & inuſitata ſunt & prodigioſa, quæ contigerunt. Et alibi: Montes
exultaſtis, ſicut arietes, & colles, ſicut agni ouium. A facie Domini mota *Pſ. 113.*
eſt terra, à facie Dei Iacob: & in alio Pſalmo: Lætentur cæli, & exultet *Pſ. 95.*
terra, commoueatur mare, & plenitudo eius, gaudebunt campi, & omnia,
quæ in eis ſunt.

Commota etiam terra eſt eo tempore propter prodigia multa, quæ vidit
in cælo, de quibus dicturi ſumus: & iterum commota eſt propter Verbum
Domini, cum venit, quem cum voce ſua commouiſſe terram, tradit Apo- *ad Heb. 12*
ſtolus ad Hebræos.

Præterea tantus in orbe bellorum rumor tunc exortus eſt, & gentes ad-
uerſus gentes, & Regna aduerſus Regna ita commota ſunt, vt nulli poſsit
eſſe dubium, tunc commotum eſſe, & Mare & Aridam: totus enim orbis
incendio bellorum exarſit, & interfectorum ſanguine mundus cruentus fa-
ctus eſt. Tunc enim indignatio Domini facta eſt ſuper omnes gentes, & fu-
ror ſuper vniuerſam malitiam eorum: interfecit enim eos, & dedit illos in
occiſionem. Interfecti eorum proiecti ſunt, & ex cadaueribus ipſorum
aſcendit fœtor; contabuerunt montes à ſanguine ipſorum, donec malitia
eorum deflueret, ſicut defluit folium de vinea.

Nam Iudæa in primis miſerandis bellorum calamitatibus vexata eſt, miſ-
ſis enim Machabæorum pugnis, quibus per multos annos commota eſt, ſuc-
ceſſerunt cuncta bella Alexandri cum Antiocho & Areta, & Alexandræ Iu-
dææ feminæ contra Damaſcum, & turbationes filiorum eius. Rurſusq. in-
ſtitit bellum Hircani cum Arabibus. & Alexandri contra Hircanum & Ari-
ſtobulum. Et Antipatri contra Mitridatem, & Herodis contra Hircanum,
& Parthorum contra Herodẽ, & Herodis contra latrones & contra Hieroſo-
lymam, quam cæpit: contra Antigonum quẽ ſecure percuſſit, tantaq. Anti-
goni exercitus ſtrages facta eſt, tantaq. cadauerum per omnes vias multitu-
do congregata eſt, vt iam victoribus ipſis tranſitus obſtrueretur: rurſusq.
Herodis contra Arabes. Quid dicemus & de ingenti terræmotu, vbi triginta
millia hominum perierunt?

Et

Et de diſſidijs Herodis cum proprijs filijs,vltra Pompei bellum contra Iudæos, cum & ipſe cæpit Hieruſalem,& omnia cæde Iudæorum compleuit;& Gabinij contra Alexandrum, & deinde contra Ariſtobolum, & innumera alia bella, & ſeditiones, & calamitates Iudæorum, ita vt ſi vnquam Iudæorum terra commota eſt,illis diebus id factum ſit. Et cælum quoque commotum eſt, vt infra latius dicetur. Vltra vero Iudæam totus Romanus orbis ingentibus bellorum commotionibus agitatus eſt Nam præter bella quibus diuerſæ gentes afflictæ ſunt, Iulius Cæſar, & Cn. Pompeius, & alij Romanorum Principes, vel quæ alij mundi Reges, vel contra Romanos, vel intra ſe geſſerunt, illud fuit omnium maximum, quod omnes mundi partes commouit, quando diffidente Pompeio & Cæſare,totus orbis in ſe diuiſus contra ſe ipſum ſub horribili & cruentiſſimo bello certauit. Deinde inter Auguſtum,Lepidum,& Marcum Antonium,contra Brutum & Caſſium, alioſq. Cæſaris interfectores, ſanguinolentis pugnis & horrenda proſcriptione cõtra Romanos ciues concertatũ eſt,& vbiq. ſanguis effundebatur & Auguſtus contra varias nationes gladium protulit; tandemq. M. Antonium cum Cleopatra Regina, nauali prælio apud Actium ſuperauit, quo bellorũ tumultu & Mare & Inſulæ motæ ſunt, & omnes gentes,donec tandem pacato orbe, & in ſeruitutem Romanorum redacto,pax maxima conſecuta eſt, quam Iſaias & Michæas prædixerunt,vt homines tot portentis admoniti magnum quippiam & inſolitum expectarent, eum ſcilicet, qui erat deſideratus gentium: in cuius diebus oritura erat in mundo iuſtitia & abundantia pacis, & boni & felices nuncij de rebus maximis erant afferendi apud omnes nationes, ex quibus Populi ad magnã animi lætitiam commouendi erant, propter aduentum Saluatoris, qui erat facturus cælos nouos & terram nouam, & vniuerſa, ſiue in cælo, ſiue in terra ornaturus, & inſtauraturus, ſicut factum eſt.

Ioſeph. de antiq. Iud. lib. 14 c. 8. 10. & 13.

De Templi ſecundi Hieroſolymitani magnificentia, amplitudine, & gloria ſupra Templum primum Salomonis, quod Chriſti Domini inſtantem aduentum indicabat. Cap. 67.

Erat autem illis diebus Templum illud magnificum, & maieſtate plenum, & propter ſtructuram miraculo proximam,ſatis glorioſum; quod exploratum eſt ex eo,quod dictum eſt à diſcipulis Domini,& Apoſtolis eius, poſtquam veniſſet in terris. Nam cum Dominus ex Templo egrederetur, vnus ex Diſcipulis eius cum de tam excelſa mole obſtupeſceret, oculos tollens in ſublimes templi parietes, conuerſus ad Dominum præ ſtupore dixit: Magiſter, aſpice, quales lapides,& quales ſtructuræ? quod Dominus comprobauit inquiens: Vides has omnes magnas ædificationes? non relinquetur lapis ſuper lapidem,qui non deſtruatur: non negauit templi magnificentiam, ſed vaticinatus eſt ruinam.

Mar. 3.

Templum enim illud, nõ quale à filijs captiuitatis extructum eſt,ſed quale poſt multos annos ab Herode eſt reædificatum. Erat ſane magnificentia plenum, & ſuperabat magnitudine Templum primum à Salomone conſtructum, & magna erat gloria domus illius nouiſſimæ, magis quam primæ: Non tantum autem, quia in illud venit poſtea Chriſtus Dominus, & numi-

nis ſui præſentia, & prædicatione diuina, & miraculis in excelſum eleuauit, quo nihil poteſt cogitari glorioſius,& hac ſola re Templi Salomonis honoré, quod nebulæ gloria tantum impleuit, in infinitum ſuperauit, ſed etiam propter ipſius ædificij magnificentiam, & excellentem pulchritudinem. Multa enim habuit ex primo Salomonis, multa ex ſecundo præter illa, quæ Herodes regia ambitione in templi ſecundi reſtaurationem contulit. quod exploratum fiet, ſi alterum cum altero conferatur.

Templi primi longitudo ſeptuaginta cubitorum fuit,addito veſtibulo, ſeu porticu, vt ſcribitur libro Regum: longitudo templi Herodis fuit centum cubitorum, vt Ioſeph Hebræus teſtatur. conſtabat autem ſtructura ex lapidibus candidis, firmiſſimaq. magnitudine vigintiquinque cubitorum in longum, octo in altum, latitudine autem cubitorum duodecim. vnamq. & eandem menſuram habebant omnes lapides à fundamento ædificij vſque ad ſummitatem eius. *3.Reg.6. Ioſeph. 15. antiq.c.14. & lib. de bel.iud.c.6*

Et quoniam parietes primi Templi intrinſecus auro tecti erant, quantam auri copiam in hoc Herodis intus fuiſſe exiſtimabimus? cum de exteriori templi facie,hæc memoriæ prodiderit Ioſephus. Exterior facies nihil, quod animus, aut oculi mirarentur, non habebat. Cruſtis enim aureis grauiſſimis vndique tecta ad primos ortus igneo ſplendore lucebant, vt cum intuerentur oculis, quaſi ſolis radijs auerterentur. Hoſpitibus quidem adeuntibus procul monti niueo ſimilis videbatur, nam vbi deauratum non erat templum, candidiſſimum erat. In ſummo autem aureis verubus horrebat acutiſſimis, ne ab inſidentibus auibus pollueretur. Nonnullorum autem ſaxorum eius longitudo quadraginta quinque cubitorum erat, altitudo ſex. *Ioſeph.li.6. de bell.iud. c.6.*

De veſtibulo autem hæc ibi: Prima eius porta ſeptuaginta cubitis alta erat, & viginti quinque lata, neque fores habebat, cælum enim vndique conſpicuum, lateq. patens ſignificabat. Erantq. totæ frontes inauratæ, at prima ædes omnis perlucebat extrinſecus, auroq. circum interiorem Fani partem ſplendida cuncta cernentibus occurrebat. Interior vero porta tota inaurata erat, & circum eam auratus paries. Deſuper autem habebat aureos pampinos, vnde racemi ſtatura hominis dependebant. *Ioſeph.ibid.*

Fecit etiam Rex columnas argenteas, & baſes earum argenteas,capita autem earum fecit aurea. Fecit item vitem de auro mundo, & poſuit in ſummitate columnarum, cuius pondus erat mille talentorum aureorum. Erat vitis ipſa facta opere ingenioſo, habens ramos perplexos, cuius folia & germina facta erant ex rutilanti auro, botri autem ex auro fuluo, & grana eius, acini, atque folliculi facti erant ex lapidibus pretioſis, totumq. opus erat fabrefactum opere vario, vt eſſet mirandum ſpectaculum, & gaudium cordis omnibus intuentibus ipſum.

Fores autem habebat aureas quinquaginta & quinque cubitis altas, ſexdecim vero latas. Et ad hæc Aulæum longitudine pari,hoc eſt,velum Babylonicum hyacinto & byſſo, & cocco, & purpura variatum,mirabili opere factum, neque contemplationis expers colorum permixtione, ſed velut omnium rerum imaginem præferens. Cocco enim videbatur ignem imitari, & byſſo terram, & hyacinto aerem, ac mare purpura, partim quidem coloribus,byſſo autem ac purpura origine, quoniam byſſum quidé terra, mare autem purpurã gignit, eratq. in eo præſcripta omnis cæli ratio præter ſigna

Intro-

Introgreſſos autem interior pars excipiebat, cuius altitudo habebat quidem ſexaginta cubitos, & longitudo totidem, ac latitudo viginti, rurſus autem quadraginta cubiti diuiſi erant. Et prima quidem pars ad quadraginta cubitos aulſa, hæc tria mirabilia, & prædicanda opera cunctis hominibus habebat candelabrum & menſam, & thuribulum. Septem vero lucernæ ab ipſo candelabro oriebantur. Duodecim vero panes in menſa erant poſiti. Thuribulum autem per tredecim odores, quibus replebatur ex mari & inhoſpito & inhabitabili, deſignabat omnia Dei eſſe, Deoq. ſeruire.

Ioſeph. lib. 7. de bello Iud. c. 24. Menſa autem illa aurea erat ponderis talenti magni. Et candelabrum ſimiliter quidem auro factum, ſed opere commutato.

Ara autem pro templo quindecim cubitis alta, lata vero & longa cubitis quadragenis, quadrataq. ſtans, veluti cornutis angulis eminebat, & à meridie aſcenſus in eam clementer arduus reſupinabatur, ſine ferro autem conſtructa erat, nec eam vnquam ferrum tetigerat. Templum autem aramq. cingebat ex pulcherrimo ſaxo lorica gratiſſima, vſque ad cubitum ſurgens, quæ Populum à ſacerdotibus ſegregabat.

Conſtruxit etiam Herodes porticum interiorem, & poſuit eam in facie latitudinis templi, addiditq. duos parietes, opere artificioſiſſimo & connexuit eam foris ferro; nec eſt homo, qui amplius ſciat artificium illius operis. Erant & aliæ porticus, quæ ingentibus columnis ſuffulciebantur. In illis enim porticibus ſtabant paribus interuallis, quatuor columnarum ordines, quorum quartus intextum habebat lapideum parietem: craſſitudo autem cuiuſque columnæ, quantum poſſent tres homines confertis inter ſe brachijs complecti, longitudo viginti ſeptem pedum numerus vniuerſarum fuit, centum ſexaginta duo, capitellis ſculptis opere corynthio, pulchris vſque ad miraculum.

Totum autem ſub Dio ſpatium, ideſt, quod extra porticum erat, omnium generum lapidibus ſtratum variabatur.

Porticus externæ pares erant, vnaquæque triginta pedes latitudinis habebat, pluſquam quinquaginta altitudinis, ſtadium longitudinis, mediæ vero latitudo erat, ſeſqui altera, altitudo dupla: eius enim connexitas altius ſurgebat excitato ſuper epiſthilia pariete lapideo politiſſimo columnis inſertis diſtincto, ita vt eſſent hæc incredibilia audientibus, cum ſtupore autem ſpectabilia ijs, qui aderant. In hoc latere meridiano ſpectaculum erat, ſi vllum aliud ſub ſole memorabile. Nam cum Vallem haberet in immenſum dehiſcentem, ita vt caligarent deſpicientium oculi; deſuper exſtructa erat præalta porticus, cuius tecto conſcenſo, ſi quis vtramque altitudinem

Ioſeph. lib. 15. coniunctam contemplaretur, abſquevertigine id non poterat, viſu deficiente ob nimiam profunditatem, priuſquam ad imum pertingeret.

Quatuor autem erant in circuitu templi porticus, & harum ſingulæ propriam ſecundum legem habuere cuſtodiam. In exteriorem ingredi licentia fuit omnibus, etiam alienigenis, mulieres tantum modo menſtruatæ tranſire prohibebantur. In ſecundam vero porticum cuncti Iudæi ingrediebantur, eorumq. coniuges cum eſſent ab omni pollutione mundæ. In tertiam maſculi Iudæorum mundi exiſtentes & purificati. In quartam autem ſacerdotes ſtolis induti ſacerdotalibus, in aditum ſoli Principes ſacerdotum propria ſtola circumamicti. Nimis oratio excreſceret, ſi quis omnem templi il-

lius

lius magnificentiam, & amplitudinem vellet enarrare, quæ apud Ioſephum & Egeſippum videri poteſt aliosq. Auctores.

Illud autem poteſt oſtendere, quanta eſſet eius magnitudo, ſi conſideret quis, quod tempore quo Titus paulo poſt illud obſedit, in ipſo templo duo exercitus ſibiipſis contrarij habitarent abſque violatione tertiæ eiuſdem partis, quæ dicebatur Sancta Sanctorum. Cuius templi excellentiſſimum opificium, & præclaram ædificationem, & ſupra quam cogitari poſſit, admirabilem ſtructuram Titus in conflagratione Vrbis Hieroſolymæ conſpicatus, & nobiliſſimi omnium Templi miſeratus, iuſſit milites à templi excidio temperare, ſed renuente Deo, obtinere non potuit.

Quantæ autem diuitiæ eſſent in Templo tunc tẽporis, non eſt facile enarrare; quamquam enim Craſſus Romanus ex eo trabem auream, totumq. reliquum aurum, cuius ſumma accedebat ad octo talentorum millia ſuſtuliſſet, tamen poſtea Iudæi ex diuerſis orbis partibus magnas opes in illud contulerunt, quod ex eo conijci poteſt, quoniam Titus ipſe opima, & pretioſiſſima ſpolia ex templo ſublata duxit in triumphum, & præter Menſam aureã ponderis talenti magni, de qua ſupra, & candelabrum auro factum, aſportauit Romam vaſa ingentia inæſtimabilis valoris, vna cum alijs ornaméntis, quorum viſendorum ſtudio per totum orbem, qui ante nos fuerunt (inquit Ioſephus) vagabantur, quomodo aliud apud alios ſitum eſſet videre cupientes, his ſe Titus magnifice efferens: quæ in templo pacis poſita ſunt, excepta lege, & penetralium velis purpureis, quæ in palatio condita ſeruari præcepit. *Ioſeph. lib. 7. c. 24. de bel. iud.*

Ex quibus, omiſsis innumeris alijs rebus, quæ ad amplitudinẽ templi pertinebant, quæ apud Ioſephum, & Philonem, & Egeſippum videri poſſunt, ſatis manifeſtum efficitur, ingenti & inæſtimabili diuitiarum gloria, templum illud ſecundum fuiſſe locupletatum, tum Iudæorum, tum externorum magnificis largitionibus, tamquam admirabile opus, nullius diuitijs fieri potuiſſe, niſi illius, qui dixit: Meum eſt aurum, & meum eſt argentum, & ſine dubio templi primi gloriam ſuperaſſe. Quod cogitans Hieronymus dixit, iuxta Aggæum Prophetam: Veniet deſideratus cunctis gentibus, Dominus noſter, atque Saluator. Tunc implebo domum illam gloria maiore, quam priorem, & ſemper vobis addam. Et ne forte ſponſorem putetis infirmum, meum eſt argentum, meum eſt aurum, & meæ ſunt cunctæ opes, ego in ornamentum templi aurum, argentumq. donabo, vt maior fiat huius domus gloria, quam prioris. *Hieron. in Aggæum Prophet.*

Quapropter Iudæi videntes temporibus illis Templum eorum in tantam excreuiſſe magnificentiam, ſatis aperte admonebantur, iam inſtare tempus ab Aggæo Propheta prædictum, quo iuxta Dei diſpoſitionem neceſſe erat Dominatorem Meſſiam, quem quærebant Iudæi, & Angelum teſtamenti, quem volebant, in mundo naſci, & venire ad templum ſanctum ſuum, & ipſi ſuſcepturi miſericordiam ſuam in medio templo ſuo, vt eſſet laus eius in omnes fines terræ. Et ſicut audiuerant, ita viderent in Dei ſui Ciuitate, in monte ſancto eius. *Malach. 3.* *Pſal. 47.*

De

De Stola Pontificis. *Cap. 68.*

PEr latus autem Aquilonis,turris alta anguloſa, munita valde fuerat,quã ante Herodem,Reges & ſacerdotes generis Aſmonæorum conſtruxerant, & Barin denominauerant, vt illic ſacerdotalem ſtolam deponerent, qua cum opus habuiſſet,vt immolaret princeps ſacerdotum, ingrediebatur enim templum ſtola hac indutus, & ſolus ea vtebatur, ſed quando exibat in ciuitatem,priuatis indumentis vtebatur. Hanc turrim à Machabæis conſtructam, Herodes poſtea munitiorem reddidit ad tutelam Templi, & in memoriam M. Antonij Romani amici ſui, vocauitq. Antoniam.

Ioſeph. de antiq. iud. lib.18.c.9. Quæ ſtola ſacerdotalis, deinde peruenit in poteſtatem Romanorum,neque licebat Pontifici ea vti, niſi ex permiſſione Romanorum, per dies autem feſtos ad vſum Pontificum tradebatur: tranſacta vero feſtiuitate iterum in Antonia reponenda reddebatur, & per tres vtique feſtiuitates, ſingulis quibuſque annis, & per ieiunia dabatur, & reddebatur. Quamquam poſtea aliquando Romani Principes ex priuilegio conceſſerint ſtolam iſtam poteſtati Pontificum.

Hæc autem ſtola Pontificia,cum ante Chriſti natiuitatem perueniſſet in poteſtatem Romanorum, & reponeretur in Arce, Antonio Romano honoris gratia ab Herode dedicata, & cuſtodiretur ibi, & Romani eo tempore regnum temporale Iudæorum obtinuiſſent, ſatis manifeſte indicabat, & typo prænunciabat, apud Romanos in Vrbem Romæ, in qua reſidebat principatus imperij, eſſe transferendam ſummam Regni cum ſacerdotio, ſicut poſtea per Chriſtum Dominum, Dauid Regnum,quod æternũ futurum eſſe ſcripturæ teſtabantur, & ſumma ſacerdotij orbi dominantis, tranſlatum eſt, & nos ab eo tempore vſque ad dies noſtros, ſcimus, & oculis noſtris ſpectamus hoc regnum in hac Vrbe, & vnuſquiſque pro certo habet Dominum poſuiſſe in vrbe Romæ ſedem Dauid patris ſui, & ædificaſſe ibi domum Iacob, *Luc.2.* ideſt, Eccleſiam,in qua per mille & ſexcentos annos glorioſe regnauit,& in futurum regni eius non erit finis.

De admirabili commotione aquæ, quæ prodigio magno cum commoueretur, ſanabat ab omnibus infirmitatibus apud Hieruſalem. *Cap. 69.*

SEd ſicut Deus Iudæorum populos, vt reſipiſcerent, & oculos ad cælum tollerent, per terræmotũ admonuit, vt dictum eſt, ita etiam per aquæ admirabilem commotionem excitare non ceſſauit, vt vox Domini audiretur per aquas, cum Deus maieſtatis intonuit. De qua hæc Ioannes Euangeliſta: *Ioan.5.* Eſt autem Hieroſolymis probatica piſcina, quæ cognominabatur hebraice Bethſaida, quinque porticus habens. In his iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum. Angelus autem Domini deſcendebat ſecundum tempus in piſcinam, & mouebatur aqua, & qui prior deſcendiſſet in piſcinam, poſt motionem aquæ ſanus fiebat, à quacumque detineretur infirmitate.

Id, cum eſſet quiddam inſolitum, & nunquam amplius auditum,

N3 & in

& in media Vrbe, ita vt nulli notum non eſſet, debebant omnes in magnam trahere admirationem, cur Deus medijs Hieroſolymis aquis illius piſcinæ, tunc talem præſtaſſet virtutem, vt ſanaret non ab vna, (vt quædam ſalutares aquæ ſolent) ſed ab omnibus infirmitatibus, & non niſi commota, non à quocumque, ſed ab Angelo, & quæ præberet ſanitatem non cunctis, ſed ei qui prior deſcendiſſet, cum aqua moueretur. Cuius prodigioſæ aquæ magnalia ſi attento corde ſcrutati eſſent, intellexiſſent per hæc admirabilia voluiſſe illis Deum præmonſtrare diuinos effectus ſalutaris aquæ baptiſmatis à CHRISTO inſtituendi ad peccatorum infirmitates ſanandas. Vt cũ audirent Chriſti baptiſmum delere peccata, foriſq. abluere corpus, intus liberare animam à quacumque detineretur iniquitate, & non eſſe ab hominibus, ſed è cælo, & gratiã è cælo deſcendere in ſuſcipientem & conferre gratiam illam in [illegible]motione aquæ, ideſt per præſentiam Spiritus ſancti, non omnibus, ſed illi tantum, qui fide comitatus accederet.

Statim potuiſſent conijcere non eſſe à veritate alienum vim regeneratiuã ineſſe aquis baptiſmi à Chriſto inſtituti, & ſalutem afferr e credentibus culpam remittendo peccatorum, & ſanando vulnera culparum; & recipi in anima, cum admouetur aqua corpori, Spiritus ſancti gratiam. Cum hæc omnia in typo præceſſiſſent in aquis piſcinæ illius. Quod ſatis aperte perſpicitur, cum altera aqua cum altera confertur. Prodigium huius piſcinæ, quando incæperit, & quando ceſſauerit, certo ſciri non poteſt, quoniam nulla mentio de ea habetur apud hiſtoriarum ſcriptores, poteſt tamen conijci, incæpiſſe circa Chriſti aduentum, & deſijſſe, poſtquam diſcipulos miſit in vniuerſum mundum ad ſaluandos homines per lauacrum baptiſmatis, quia per Ioſephum, Iudaicarum rerum ſcriptorem, nulla de illa ſit mentio.

De ijs, quæ admirabiliter geſta ſunt in Templo Hieroſolymitano, & prodigioſa conceptione, & Natiuitate Ioannis Baptiſtæ.

Cap. 70.

SEd accedamus propius ad ea, quæ admirabiliter fecit Deus gentibus Iudæorum, vt illi leuarent capita ſua, & iam naſcituri ſolis matutinum lumen proſpicerent, quo confortati, maioris luminis præſentiam non refugerent: igitur illis hæc aurora præfulſit.

Cum in Hieruſalem regnaret Herodes Idumæus alienigenã, qui ſub Auguſto Regnum in Iudæos acceperat, defeciſſetq. longa ſucceſſio Regum, & Ducum ex Iudæorum ſanguine natorum, quæ vſque ad iſtud tempus à Saule Rege vſque ad Hircanum, & Ariſtobulum, quos Herodianus gladius ſuſtulit, perdurauerat; & tempus, quod à Iacob vetuſtiſſimo Patriarcha prænunciatum fuerat, cum dixit: Non auferetur ſceptrum de tribu Iuda, & Dux de fœmore eius, donec veniat, qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium, ex inſperato adueniſſet, memor Deus promiſſorum ſuorum, nuncium inſtantis aduentus Meſſiæ Regis præmittere voluit, & prænunciare illis futura bona, & vt teſtimonio nuncij, quem mittebat, præſtaretur fides, hæc admiranda & inaudita de cælo in Vrbe Regia, in Templo toto orbe celeberrimo facta ſunt ad præparanda corda Iudæorum ad futura myſteria.

Luc. 1. Fuit quidam igitur Sacerdos, nomine Zacharias, ſiue ille ſummus inter Sacerdotes, aut ex minoribus fuerit, qui in Templo miniſtrabant, erat autem de vice Abiæ, & vxorem duxerat, quæ ex Aaron ſummo Sacerdote genus ducebat: erat autem non ſeculari poteſtate ſublimis, ſed religionis ſucceſſione venerabilis. Cum autem tam ipſe, quam vxor eius, nomine Eliſabeth, eſſent iuſti in conſpectu Dei, qui ſcrutatur omnia, & incederent in omnibus mandatis, & iuſtificationibus Domini ſine querela, cumq. ambo proceſſiſſent in diebus ſuis vſque ad ſenectam & ſenium, & non eſſet eis proles, quia
Exod. 30. Eliſabeth ſterilis erat, factum eſt, fungente Zacharia ſacerdotio in ordine vicis ſuæ ante Deum, ſecundum conſuetudinem Sacerdotalis miniſtrationis, ſecundum quam mane, & veſpere in priori tabernaculo thus adolebatur, nõ ſine conſilio diuino ſorte contigit, vt ipſe deberet incenſum ponere; cumq. ingreſſus eſſet in templum Domini ad incenſum adolendum, & penetraſſet in primum tabernaculum & in Sanctum Sanctorum, omnis populi multitudo, quæ non habebat acceſſum ad Sancta, dum adoleretur incenſum, ſtabat foris orans.

Cum autem Zacharias Domini Sacerdos eſſet iuxta altare, & vnà cum incenſo orationem ſuam in cõſpectu Domini dixiſſet, pro ſe, pro domo ſua, & pro vniuerſo cætu Iſrael; Ecce Gabriel, Princeps inter Angelos, à Deo electus & ad ſacrum munus obeundum miſſus, oranti Sacerdoti rutilans apparuit, ſtans à dextris altaris, vbi odoriferum thus de more adolebatur. quem cum conſpexiſſet Zacharias, vt naturalis mos eſt hominum in conſpectu ſuperioris naturæ timere, turbatus eſt, & timor irruit ſuper eum, & quoniam proprium eſt ſpiritualis naturæ, & Angelicæ bonitatis pauentes de aſpectu ſuo mortales, mox blandiendo ſolari, ait ad illum Angelus; Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita eſt deprecatio tua, nam vxor tua Eliſabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem, gratia Dei tibi datum, vt non ſolum tibi & domui tuæ domeſticum gaudium & priuatam exultationẽ afferat, ſed etiam publicam & communem omni populo lætitiam in natiuitate eius conferat, & erit magnus coram Domino inter natos mulierum, ſobrius, temperatus, abſtinens, ita vt ſiceram, & vinum non bibat, & Spiritus ſancti gratia affluenter replebitur, antequam exeat ex vtero matris ſuæ, & ſpiritu repletus, multos filiorum Iſrael conuertet ad Dominum Deũ ipſorum, & ipſe præcedet ante illum in ſpiritu & virtute Eliæ, ad parandam Domino plebem perfectam, & conuertens corda patrum ad filios, & corda filiorum ad patres, & incredulos ad prudentiam iuſtorum. Et dixit Zacharias ad Angelum. Vnde hoc ſciam? dubito de veritate verborum tuorum. Ego enim ſum ſenex, & vxor mea ſterilis proceſſit in diebus ſuis vſq; ad ſeniũ, ita vt filium in vtero concipere impoſſibile ſit. Cui Angelus reſpondens ait; Quid de veritate meorũ verborũ addubitas? Ego enim ſum Gabriel, qui aſto ante Deum, & miſſus ſum loqui ad te, & hæc nunciare tibi læta nuncia; & pro eo, quod non credidiſti verbis meis, quæ ſuo tempore ſunt implenda, eris tacens, & non poteris loqui vſque in diem, quo hæc fiant. Quo dicto Zacharias, qui Angelo non credidit veritatem, amiſit loquendi facultatem, & qui fuit tardus corde ad credendum, inuentus eſt infirmus ore ad loquendum, & qui intus recuſauit credere, iuſte foris verbũ non potuit exprimere.

Dum hæc in ſanctuario gererentur, populus extra Tabernaculum expectabat

ſtabat Zachariam, & mirabantur, quod tardaret in Sanctuario. Cum ecce egreditur foras, & cum vellet, non poterat loqui ad illos, ſed annuebat tantum. Cognouerunt autem ex his, quod viſionem aliquam vidiſſet, ipſe autem permanſit mutus. Et factum eſt, vt impleti ſunt dies officij eius, redijt in domum ſuam. Poſt hos autem dies concepit Eliſabeth vxor eius, ſicut ab Angelo dictum eſt, vt hinc appareret Ioannem, non humana, ſed diuina virtute naſciturum, & meritò ante filium Virginis præmitti filium ſterilis, vt præco Iudicem, lucerna diem, vox verbum, ſeruus Dominum præcederet, vt præambulo hoc lumine commouerentur Iudæi ad quærendum CHRISTVM ſuum.

Qui Ioannes, vt in vtero inciperet eſſe admirabilis, in vtero ſupra naturam gaudio magno exultauit de Domino ſuo abſcondito in vtero Virginis.

Eliſabeth autem cū impletum eſt tempus pariendi, peperit illum, de cuius natiuitate multi gauiſi ſunt, & laudabant Deum, quoniam magnificauit miſericordiam ſuam cū illa. Apertum eſt autem illicò os Zachariæ, & lingua eius, & loquebatur benedicens Deum, & qui prius credere renuens, officium loquendi amiſit, credendo poſtmodum Dei laudes pronunciauit, & mirati ſunt vniuerſi: & factus eſt timor ſuper omnes vicinos eorum, & ſuper omnia montana Iudææ diuulgabantur omnia verba hæc, & poſuerunt omnes, qui audierant in corde ſuo dicentes: Quis putas puer iſte erit? Etenim manus Domini erat cum illo.

Ex his autem ſignis & prodigijs factis Hieruſalem, in Regia Vrbe, in ampliſſimi Templi ſanctuario, cum apparitione cæleſtis Angeli, coram ſacerdote magno, iuxta altare ſanctum, vbi ſacrum thus ad Deum dirigebatur, & orationes ad cælum eleuabantur, & cum populi celebritate, qui extra Sancta Sanctorum, vbi accedere fas non erat, pronus orabat ad Deum, & ex manifeſtatione diuinarum gratiarum, & ex miraculo ſterilitatis, filio inſperato lætantis, & ex punitione incrudelitatis, & de exultatione infantis in vtero, & natiuitate eius, & recuperatione amiſſæ loquelæ, ſatis poterant intelligere Iudæi, Deum ipſorum per hæc admiranda voluiſſe excitare illos, vt animos à terrenis erigerent, & dirigerent vias ſuas coram Domino, qui incæpit viſitare plebem ſuam.

Ceterum Zacharias, qui hæc Dei magnalia animi celſitudine conſiderabat, cum lætitia, quæ ex Spiritu Sancto oritur, occupaſſet cor eius, & mentem illius cæleſti lumine perfudiſſet, qui mutus non credendo euaſerat, credens, magniloquo ore, tam magnificam emiſit vocem, vt eius ſonitus totum orbem peragrans, & per omnia ſecula percurrens, peruenerit poſt mille & ſexcentos annos ad aures noſtras, & quotidie audimus Zachariam benedicentem Deum, qui viſitare dignatus eſt plebem ſuam, quaſi longa infirmitate tabeſcentem, quam venditam ſub peccato, vnici filij ſui incarnatione redemit. Nam & clerici, & ſacerdotes, & religioſi viri, quotquot terras incolunt in generationibus ſuis, vice ipſius, ſingulis quibuſque diebus ſine intermiſſione, verba ipſius repetentes proclamant: Benedictus Dominus Deus Iſrael, quoniam viſitauit, & fecit redemptionem plebis ſuæ.

De admirabili opificio Mariæ Virginis, & Matris filij Dei. Cap. 71.

POſt Chriſtum Dominum, qui omnes admirationes vno ſtupore complexuit, fecit Deus in terris Mulierem tot, & tam ſublimibus, & ſupra humanas opiniones ſeſe ferentibus gratiarum ornamentis, & diuinis benedictionibus inſignem, & cæleſtibus ſplendoribus rutilantem, & ſupra miraculum eleuatam, vt mundus totus pulchritudinis eius magnitudinem in ſuis generationibus admirans, diuinarum virium potentiam in ea perpetuo collaudauerit.

Deus enim ante ſecularia tempora contuens oculis ſuis hominē, excelſum manuum ſuarum opus, quem inexterminabilem fecerat, in mortis pœnam prolapſum, cogitauit tempore conſtituto formare Mulierem, quæ carnem ſua benedictione plenam mutuaret ſublimiſſimo Verbo, æterno Dei filio, ſub cuius tegumento latitaret ipſe, qui æterna vita erat: vt quotquot ſub diuinis ſacramentis carnem illam deificatam & benedictam reciperent, ex mortis vinculis erepti, ad vitam redirent æternam.

Quod tēpore ſuo, ſtupente mūdo, admirante natura factum eſt. Nam cum mulier hæc vitam æternam incarnatam generaſſet, gentes ad carnem illam ſub ſacris myſterijs manducandam, tamquam ad cęleſtem panem accedentes, vitam æternam inuēnerunt; vnde merito Mulier iſta, quæ æterno verbo, in quo vita erat, miraculo magno & inaudito, carnis humanæ ſubſtantiam ſubminiſtrauit, Mater omnium, æterna vita viuentium nuncupata eſt. quo quid illi potuit contingere glorioſius? nobis, quid potuit obuenire beatius? in mundo, quid potuit fieri mirabilius?

Pertinuit autem ad Dei ſapientiam, quæ omnia ſuauiter diſponit, dare huic mulieri ſublimiſſima dona, & decorare illam excellentiſſimis ornamentis, & præclariſſimis virtutibus, & ſuper genus hominum, & ſuper cæleſtium ſpirituum dignitatem eleuare illam, quam ad altiſſimum, & nobiliſſimum munus obeundum, quod hominum, & Angelorum æſtimationes longe ſuperat, conſilio inſcrutabili elegerat.

Quapropter inter plurimas electa eſt, factaq. eſt magni Patris opificium, atque excellentiſſimum diuinitatis organum, pretioſis donata monilibus, & vt eſſet templum & ſanctuarium & thalamus ipſius Dei, ſanctorumq. mater, & ſponſa cæleſtis admirandæ pulchritudinis, quæ conſurgeret ſicut aurora, pulchra eſſet ſicut luna, electa ſicut ſol, delicijs affluens, innixa dilecto. Quæ aſcenderet per deſertum, ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij. *Cant. 2. Cant. 5.*

Sicut autem principes armarium conficiunt, vt auri & argenti vaſcula in eo recondant, ſuamq. poſtmodum gloriam & diuitias cunctis oſtendant, ita, & iſta à Deo facta eſt, vt in ea reconderet theſaurum ingentem ad maieſtatis ſuæ gloriam mortalibus omnibus demonſtrandam.

Chryſoſt. hom. in hypopātis Domini. Magnum reuera mulier hæc miraculum exſtitit orbi, vt ipſa maius aliquid atque ſublimius inueniri non poſſit, ſolaq. cælum & terram magnitudine ſuperet. Non Prophetæ, non Apoſtoli, non Martyres, non Patriarchæ, non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Cherubim, non Seraphim,

non aliud denique quippiam inter creatas res viſibiles, aut inuiſibiles, vna hac maius, aut excellentius inueniri poteſt, tanta Deus eam cæleſtium bonorum opulentiâ locupletem fecit.

Non æquanda mulieribus cunctis; hæc eſt, quæ genuit Maieſtatem; Plurimum erat à ceteris differens, cui natura communicabat, non culpa. Erat illi proprium priuilegium, quod nulla mulierum, nec ante, nec deinceps meruit obtinere, vt eſſet ſimul Mater & virgo, mirabilibus titulis inſignita. Vnde & Matri plenitudo debebatur, & Virgini abundantior gloria, quæ carnis & mentis integritate inſignis, ſpirituali & corporali intus, & extra ſublimiſſimi filij præſentia frueretur. Magna quidem & excelſa, quæ velut Mons, celſitudine pergens ad ſydera, ad conceptionem æterni Verbi pertingens, meritorum verticem ſupra ſpirituales Intelligentias, vſque ad ſolium Deitatis erexit.

Cyprian. li. de ſingularit. cler. & ſer. de nat. Chriſti.

Greg. lib. 2. reg. c. 1.

Igitur illam Deus, & primi luminis fulgoribus illuſtrauit, caput enim eius radiantibus ſtellis circumcinxit, lunamq. ipſam pedibus eius ſubiecit, tantoq. lumine perfuſa profundiſſimum diuinæ ſapientiæ vltra quàm credi valeat, adeo penetrauit abyſſum, vt quantum ſine perſonali vnione creaturæ conditio patitur, luci illi inacceſſibili videretur immerſa. Ita vt & animas Sanctorum & Angelicos ſpiritus ſuperexcedens, & merita ſingulorum, & omnium titulos antecedat. Sicut enim quantumlibet ſtellæ aliæ reluceant, luna tamen illis præeminet magnitudine ſplendoris, ſic & ipſa vtramque naturam ſingulariter exſuperat, & immenſitate gratiæ, & fulgore virtutum, quo lumine plena, & toto cælo coruſcans, tàm hominum quàm Angelorum ſuperat dignitatem.

Bernard. in ſer. Signum magnum.

Talis enim debebat eſſe illa, quam Deus elegit, vt eſſet fidelium fax; & incircumſcripti (ſi ita loqui fas eſt) circumſcriptio, ſpecioſiſſimi floris radix, Creatoris Mater, Nutrixq. omnia nutrientis, & cuncta continentis, & comprehendentis comprehenſio, geſtatrix illius, qui verbo ſuo portat vniuerſa, Porta nobilis per quam in carnem ingreſſus eſt Deus, & purificantis carbonis forceps, Sinus illius, qui ſinu ſuo omnia complectitur, Vellus cæleſtis roris, Aqua vitæ refocillatrix, ex qua immortalitatis poculum mortalibus emanauit. Quæ Deo ſuo, nullius rei indigo, carnem, quam non habebat, mutuata eſt, vt omnipotens id quod eſſe dignatus eſt, homo appareret, & ſempiternum Deum corpore, tamquam decenti quadam panoplia, indueret, per quam ipſe facile caperetur, & cerneretur, & homo ad illam haberet acceſſum, vbi ſunt omnia bona. Erat ſimilis arcæ fœderis, ſiquidem arca intrinſecus portabat teſtamenti tabulas, Maria ipſius teſtamenti portabat hæredem; illa intra ſe met legem, hæc Euangelium retinuit: Illa Dei vocem habebat, hæc Verbum: Arca intus foriſq. auri nitore radiabat, ſancta intus foriſq. virginitatis ſplendore fulgebat.

Methodius Martyr & Epiſc. in catalog. ſcrip. Eccleſ. in orat. habita de hypopanti Domini.

Hiſtoria feliciſſimi ortus B. Mariæ ex clariſſimis parentibus, & de eius ſancta educatione. Cap. 72.

Voluit autem Deus præclariſsimam hanc mulierem ad ſublime officiū præparatam, naſci ex antiquo ſanguine Abrahæ, ex nobiliſſima Tribu Iudæ, & ex regia ſtirpe Dauid fortiſsimi Regis, vt in ſuo ſtemmate quatuor-

Pet. Dam. in feſto nat. B. Virg.

 decim

decim Reges atque Duces, Patriarchas, Prophetas in Iſraele, longa ſerie computaret. Neque ſolam eam generoſa Patrum ſtirpe progenitam eſſe voluit, vt nobilis eſſet, ſed incomparabiliter multo magis voluit eam trahere excellentiſſimæ nobilitatis genus ab eo, qui de illa eſt nouo naſcendi genere ortus, & per clariſſimam ſobolem omnem humani ſtemmatis excederet gloriam. Clara proauorum titulis, ſed clarior generoſitate prolis, filia ſiquidẽ Regum, ſed Mater Regis Regum. Vt duplici ornamento decoraretur, & generis claritate, & virtutis ſplendore: & ſicut fulgentes gemmæ, quæ annulo aureo inſeruntur, magis fulgent, ſic naturæ, & animæ dotes in Virgine iſta, ita reſplenderent, vt vtrarumque commercio ipſa rutilantior redderetur.

Beatiſſima autem hæc adoleſcentula, vt ex traditionibus Patrum notum eſt, modo quodam extraordinario, & gratia plena mundo genita eſt.

Io. Damaſ. de fide orthod. lib. 4. c. 15. Hippolitus Martyr apud Niceph. lib. 2. c. 3.

Fuit autem pater eius Ioakim ex ſtirpe Dauid. Leui enim genuit Melchi, & Pantherem, Panther genuit Barpanterem, cognomento Iacob, Barpanther rurſus genuit Ioakim, & Ioakim denique genuit ſanctam hanc Dei genitricem ex Anna, quam inter mulieres ſelectiſſimam, ac ſummis laudibus dignã ſibi matrimonio copulauerat. Fuerunt autem tres ſorores, ex Bethlehem vbi natus eſt Chriſtus, oriundæ, filiæ Mathan ſacerdotis, & Mariæ coniugis eius, ſub Cleopatræ & Caroperis Perſæ regno, ante Herodis Antipatris filij regnum, primæ Mariæ, ſecundæ Sobæ, tertiæ Annæ nomen erat. Nupſit prima in Bethlehem Maria, & peperit Salomem obſtetricem. Nupſit quoque ſecunda itidem in Bethlehem Sobe, & genuit Eliſabeth. nupſit poſtrema & tertia Anna in terra Galilæa, & protulit Mariam Dei genitricem, ex qua nobis natus eſt Chriſtus.

Io. Damaſ. vbi ſupra.

Verum quemadmodum priſca illa Anna cum ſterilitatis morbo laboraret, per orationem, & promiſſionem, Samuelem procreauit, eo modo hæc etiam per obſecrationem, & promiſſionem, Dei Genitricem à Deo accepit, vt ne hic quidem cuiquam ex illuſtribus matronis cederet: itaq. gratia, nam & id ſonat Annæ vocabulum, Dominam parit, id enim Mariæ nomine ſignificatur, cuius ortus arcana quædam, & occulta hiſtoria veris traditionibus prodita eſt. Fuit autem huiuſmodi.

Hiſtor. hæc libris Hieronymianis inſerta.

Igitur Pater Mariæ Ioakim, vxor eius Anna dicebatur, Domus paterna ex Galilæa, & ciuitate Nazareth, maternum autem genus ex Bethlehem erat. Vita eorum ſimplex, & recta apud Dominum, & apud homines ſine reprehenſione & querela: nam omnem ſubſtantiam ſuam trifariam diuidebant, vnam partem templo, templiq. miniſtris impendebant: Aliam peregrinis & pauperibus erogabant. Tertiam ſuæ familiæ vſibus, & ſibi reſeruabant. Ita iſti Deo chari, & hominibus, per annos circiter viginti caſtum domi coniugium, ſine liberorum procreatione exercebant. Vouerunt tamen, ſi forte Deus donaret illis ſobolem, eam ſe Domini ſeruitio mancipaturos.

Ioakim autem velut indignus habitus, qui cum fœcundis maritis locum honeſtum teneret, quandoquidem in prouectam ætatem vſque ſine liberis vixerat, à ſacerdotibus repulſam tulit.

Ipſe vero ſeceſſit in deſertum, vbi Deum aſſiduis precibus precabatur pro ſobole; conſenuerat enim, & vxor eius ad liberorum procreationem apta non erat. Anna vero in horto precabatur, vt auferretur à ſe opprobrium ſterilitatis: Mater enim à lege honorem habebat, cuius honoris ſteriles non

erant

erant participes: & ſæpe ingreſſa templum orabat, ne legum beneficio priuaretur, quæ in legem non peccaſſet, ſed mater fieret, promittens ſe Deo conſecraturam, quod peperiſſet. Fuit autem & Ioakim in deſerto ab Angelo de conceptione prolis facta promiſsio, & Anna vxor nutu diuino de eo confirmata: tunc autem ab Angelo inſtructus Ioakim diuinitus rediјt ex deſerto in domum ſuam, vt à Deo acciperet, quod per preces obtinuerat. *Epiph. hæreſ. 79.*

Tandem iuxta Angeli promiſſum veneranda Anna grauida facta eſt, & in eius vtero mirabilis Deus tanquam in ſacro gazophylacio, theſaurum inæſtimabilem, precioſum ſupra aurum & topazion recondidit, qualem numquam alia mulier ſuo gremio complexa eſt. Concepit autem Mariam, quæ vt eſſet, ſancta, pura, illibata, & prorſus immaculata tota ſe ei gratiæ plenitudo infudit, propter cuius conceptionem, omnem ſibi creaturam obſtrinxit.

Conueniebat autem, vt is per quem omnia, & in quem omnia, vtpote naturæ Dominus, in auia ſua nouum miraculum deſignaret, & eam quæ ſterilitate laborabat, matrem redderet: atque ita deinde in matre leges naturæ immutaret, ac Virginem matrem efficeret, & virginitatis ſignacula obſignaret. *Io. Damaſc. orat. de Maria natiuit.*

Iſti igitur, Ioakim ſcilicet, & Anna, Mariæ parentes fuerunt, qui quidem propter eximium vitæ meritum Deo placuerunt, atque fructum huiuſmodi germinarunt ſanctam Virginem Mariam, Templum ſcilicet & Matrem Dei. Ioakim porro, & Anna, & Maria, hi tres Trinitati palam ſacrificium laudis offerebant. Ioakim enim interpretatur præparatio Domini, eo quod & illo præparatum ſit templum Domini, nempe Virgo. Anna rurſum ſimiliter gratia interpretatur: propterea quod Ioakim & Anna gratiam acceperunt, vt accedentibus precibus talem fructum germinarent. *Extat t. 7. Biblioth. Sancta à Margar. collect.*

Nata cum eſſet, vt ferunt, in Nazareth, trimula, quod parentes vouerant, in Templum præſentata, ac Deo oblata, ibi in Sanctis Sanctorum traduxit annos vndecim; deinde vero ſacerdotum manibus, Ioſeph ad cuſtodiam eſt tradita, apud quem, cum menſes peregiſſet quatuor, ab Angelo lætum accepit nuntium. *Nicep. hiſt. 2. c. 3. ex Euodio.*

Erat autem lege diuina tàm maſculis quàm feminis Deo dicatis, votoq. promiſſis, ſtatuta redemptio, vt tot per annos ſingulos quiſque ſiclos perſolueret ſacerdotibus, quæ tamen redemptio libera erat, ita vt ex arbitrio vouentis, ſi vellet potius in templo ſeruire Deo, quàm annuam pecuniam ſoluere, in ipſius voluntate poſitum eſſet, vt à Samuele factum eſt, qui à tenerrima ætate miniſtrauit in templo, nullo à parentibus perſoluto pretio redemptionis. *Leuit. 27.*

Quapropter ad illos excipiendos, qui ſe redimere noluiſſent, in circuitu templi locus erat, vbi præſertim feminæ, quæ ſe Deo vouerant, abſque aliqua labe vel nota ſuſpicionis, ſimul agerent, & Deo ſeruirent. Erant autem ampliſſimæ illæ cellæ, vbi degebant, in exteriore parte templi.

Hic autem B. Maria Virgo, cum eam redimere pecunia parentes noluiſſent, permanſit, Deo toto corde, & animi viribus, diu noctuq. deſeruiens.

Cum autem ibi permaneret, tantus illi puritatis amor in corde obortus eſt, vt voto nuncupato perpetuam Virginitatem Domino conſecraret. Cum autem pater eius ſecundum legem diuinam potuiſſet votum Virginis irritare, & contradicere eius ſponſioni, credendum tamen eſt parentes eius cum *Numer. 30.*

ſciuiſſent, non fuiſſe diſſentientes, conceperant enim ipſi magnam de puellæ ſanctitate exiſtimationem.

Greg. Niſſ. oratione de Sancta Chriſti natiuit. Cum autem creuiſſet puella, & adulta eſſet, ſacerdotes conſilium agitare cæperunt, ne quid de ſacro illo corpore ſtatuentes in Deum peccarent, quod non ſine diuino conſilio fiebat. Nam ſubiugare illam legi naturæ, & addicere quaſi ſeruam, ſi quis eam in matrimonium duceret, res longe abſurdiſſima, minimeq. decora videbatur. Sacrilegium enim prorſus exiſtimabatur, ſi homo ius ac poteſtatem in donarium, quod Deo conſecratum eſt, & dedicatum, haberet, quoniam legibus ſancitum erat, vt vir poteſtatem habeat in vxorem: vt autem intra templum vnà cum ſacerdotibus mulier verſaretur, & in ſanctis conſpiceretur, neque conſuetum, neque vſitatum erat; & ſimul grauitas, & honeſtas rei non aderat. Deliberantibus eis igitur ſuper hac re, diuinitus incidit conſilium, vt darent eam cuidam viro nomine deſponſationis, is autem ad cuſtodiendam virginitatem eius eſſet idoneus. Inuentus eſt igitur Ioſeph talis, qualem ratio conſilij exigeret, ex eadem cum virgine familia, & tribu, isq. de conſilio ſacerdotum ſibi puellam deſpondet: coniunctio autem non ſponſalia progrediebatur, ſed propter legem quidem vir ipſius vocatus eſt. Iuxta conſequentiam vero ex Iudæorũ traditione oſtenditur, quod non coniunctionis gratia ipſi tradebatur virgo, ſed quo conſeruaretur in teſtimonium futurorum, quod non ſpuria diſpenſatio aduentus in carne acceſſit, ſed quæ teſtimonia haberet in veritate extra ſemẽ viri, in Spiritu ſancto deſponſata in veritate. Habuit autem & Ioſeph cum Maria coniuge eius communem virginitatem membrorum, quia de Virginis membris virtus naſcitur Angelorum. Vt Maria eſſet ſponſa Chriſti in carne ſua, virginitate ſeruata, & Ioſeph eſſet & ipſe pater Chriſti, cura caſtitatis, & honorificentia virginitatis, vt de virgineis membris genitricis, ſeculis Chriſtianis nulla eſſet zelotypia. Qui ſolus meruit, virginalem affectum poſſidere coniugij, quia per meritum virginitatis, ita ſeparatus eſt à complexu vxoris, vt pater diceretur Saluatoris. *Aug. ſerm. 4. in Nat. Domini.*

Igitur Deus, qui ante omnia ſecula ante mundi conſtitutionem ſecundum altiſſimum, & inſcrutabile animi ſui conſilium, & iuxta ſapientiæ ſuæ propoſitum ſtatuerat, vt vnigenitus eius filius, ante ſecula natus, per Mariæ vterum caro efficeretur, homines lapſos in interitum mortis, hac admirabili arte & adinuentione diuina ad vitam, quæ in æternitate eſt, noua, & inaudita regeneratione produceret, hanc mulierem prælegit, vt ipſa & non alia, eſſet thronus Dei, tabernaculum Altiſſimi, ſolium Diuinitatis, palatium æterni Regis, & ex ipſa procederet ſpecioſus forma præ filijs hominum, tanquam ſponſus de thalamo ſuo. Quã tandem ardentibus & diuturnis Ioakim & Annæ parentum eius, vt dictum eſt, precibus mirabiliter obtentam, dedit mundo, Anno, vt ferunt, ab orbe condito ter milleſimo nongenteſimo quadrageſimo ſeptimo, à tranſmigratione Babylonica quingenteſimo ſeptuageſimo ſexto, ab Vrbe condita ſeptingenteſimo trigeſimo octauo, vigeſimo ſecundo regnantis Auguſti, hebdomada iuxta Danielem ſexageſima quarta, cum Herodes Idumæus alienigena regnum Iudæorum obtinuiſſet, & conaretur regium Dauidis genus extinguere.

Cuius ortus æque ad Iudæos, & gentes omnes pertinuit, eius enim natiuitas gaudium præſtitit vniuerſo mundo.

De

De admirabilibus virtutibus eius. *Cap. 73.*

NAta autem excellentiſſimum viuendi genus oculis hominum prætulit, & in ſe ipſa tanquam in ſpeculo lucido, & immaculato oſtendit formam præclariſſimarum virtutum, vbi homines, & mulieres ſumerent exempla viuendi; & tanquam in exemplari haberent expreſſa magiſteria probitatis, agnoſcerentq. quid vnuſquiſque fugere, quid corrigere, quid tenere, & imitari deberet, vt primus diſcendi ardor, nobilitas eſſet Magiſtræ.

Erat igitur Mulier iſta, amicta ſole, circumfuſa lumine omnium virtutum tanta plenitudine, vt nihil ea eſſet ſplendidius. Sed nos radios aliquos, & fauillas ſplendoris eius proponemus nobis ad oculos delectandos. Virgo fuit non ſolum corpore, ſed etiam mente, quæ nullo doli ambitu ſincerum adulteraret affectum. Corde humilis, verbis grauis, animi prudens, loquẽdi parcior, legendi ſtudioſior, non in incerto diuitiarum, ſed in prece pauperis ſpem reponens. Intenta operi, verecunda ſermone; arbitrum mentis ſolita, non hominem, ſed Deum quærere: nullum lædere, bene velle omnibus, aſſurgere maioribus natu, æqualibus non inuidere, fugere iactantiam, rationem ſequi, amare virtutem. Nunquam hæc vultu læſit parentes, nunquam diſſenſit propinquis, nec faſtidiuit humilem, nec contempſit debilem, aut vitauit inopem, eos ſolos ſolita cætus virorum inuiſere, quos miſericordia non erubeſceret, neque præteriret verecundia. Nihil toruum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inuerecundum. Non geſtus fractior, non inceſſus ſolutior, non vox petulantior, vt ipſa corporis ſpecies ſimulachrum fuerit mentis, figura probitatis. Bona quippe domus in ipſo veſtibulo agnoſcitur; vt primo prætendat ingreſſu, nihil intus latere tenebrarum, vt mens nullis repagulis corporalibus impedita tanquam lucernæ lux intus poſita, foris luceat. Frugali vtebatur ciborum parſimonia; et ſi quando reficiendi ſucceſſiſſet voluntas, cibus plerumque obuius, qui mortem arceret, non delicias miniſtraret. *Ambr. lib. 2. de virginib.*

Dormire non prius cupiditas, quam neceſſitas fuit, & tamen cum quieſceret corpus, vigilaret animus, qui frequenter in ſomnis, aut lecta repetit, aut ſomno interrupta continuat, aut diſpoſita gerit, aut gerenda prænunciat. Egredi domo neſcia, niſi cum ad Eccleſiam conueniret, & hoc ipſum cum parentibus, aut propinquis. Domeſtico operoſa ſecreto, forenſi ſtipata comitatu, nullo meliori tam ſui cuſtode quam ſe ipſa, quæ inceſſu, affectuq. venerabilis, non tam veſtigium pedis tolleret, quam gradum virtutis attolleret.

Intendebat Maria omnibus, quaſi à pluribus moneretur: ſic implebat omnia virtutis officia, vt non tam diſceret, quam doceret: ſtabat ſæpius in penetrabilius ſine comite, ne quis intentionem abrumperet, ne quis obſtreperet, neque enim comites feminas deſiderabat, quæ bonas comites cogitationes habebat. Aures habebat religioſas, oculos verecundos, manus miſericordes, pedes feſtinantes ad obſequia; mentem habebat affectam ad pietatem, cor propenſum ad charitatem, vbi magnalia Dei, quæ videbat, & audiebat, conſeruabat, & quæ Deum peperit, Deum tamen ſcire cupiebat.

Ibat ad Templum in ſolemni & Feſto die, ibat cum Ioſeph eius ſponſo,

nec

O ıX

nec vnquam ad illud ſine pudoris ſui cuſtode proceſſit. omnes in vna virgine virtutum ſpecies emicabant: ſecretum verecundiæ, vexillum fidei, deuotionis obſequium, virgo intra domum, comes ad miniſterium, mater ad templum.

Cum conueniret cum alijs, tacebat, cum tempus poſtulabat, ſed tacendo plus loquebatur, loquebatur cum neceſſe erat, loquendo non ſe oſtentabat, non iactabat magna, quæ fecerat cum ea is, qui potens eſt; ſed inſtruebat, & ædificabat, & ea quæ erant ſalutis communicabat. *Cant.4.* Fauus diſtillans labia eius, mel & lac ſub lingua eius, emiſſiones eius paradiſus malorum punicorum, cum pomorum fructibus, cyprus cum nardo, nardus & crocus, fiſtula & cinnamomum, cum vniuerſis lignis Libani; myrrha, & aloe cum omnibus primis vnguentis, fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano.

Præclarum exemplum Maria ſapientium oculis, quæ diuinas opes tam cupide recondebat, tam fideliter conſeruabat, tam prudenter diſpenſabat; pretioſum parabat theſaurum in corde diligenter repoſitum; vt dum illum diſpenſaret, intus magis retineret.

Habuit autem iſta parentum ſuorum excellentium inſtitutionem; qui, vt erant ſapientiſſimi, quicquid pertinebat ad optimam virginis educationem, non prætermittebant. *Hieron. ad Latam de inſtit. filiæ & ad Gaudent. de infantulæ educatione.* Docebant autem parentes optimi, magiſtri morum Virginem adoleſcentulam audire; nihil loqui, niſi quod ad Dei timorem pertineret: turpia verba non intelligere, cantica mundi ignorare; ſurdam eſſe ad organa; tibia, lyra, cythara cur facta ſint, neſcire. Non habere oculos ad ſpectandum illecebroſa carnis tractamenta; ſpernere bombicum telas, ſerum vellera, & aurum in fila leteſcens. Non egredi cum Dina, vt velit videre filias regionis alienæ: non ludere pedibus, nec trahere tunicas, non veſci in publico, ideſt, in parentum conuiuio, ne videat cibos, quos deſideret, & vinum non bibere, in quo eſt luxuria. Nunquam exire foras, ne inueniant eam, qui circumeunt ciuitatem, ne percutiant, & vulnerent, & auferant theriſtrum pudicitiæ. Suadebant, vt illi placeret coma non compta, neque formoſa atque laſciua, quæ liquido gutture carmen dulce modulatur, ſed grauis, pollens, ſordidata, ſubtriſtis, probæ fidei, ac morum & pudicitiæ Virgo veterana. Admonebant, vt aſſueſceret ad orationes, & pſalmos, nocte conſurgere, mane hymnos canere, tertia, ſexta, nona hora ſtare in acie, quaſi bellatrix fortis, accenſaq. lucerna reddere ſacrificium veſpertinum, vt ſic dies tranſeat, ſic nox inueniret laborantem, & orationi lectio, lectioni ſuccederet oratio. Hortabantur diſcere lanam facere, tenere colum. ponere in gremio calathum, rotare fuſum, ſtamina pollice ducere, habere pro cibo oluſculum, & cimilia, rarosq. piſciculos: ſic comedere vt ſemper eſuriret, vt ſtatim poſt cibum poſſet legere & pſallere. Docebant teneram adhuc linguam pſalmos dulci reſonare murmure, pro gemmis & ſerico diuinos codices amare. Illorum tractatibus, illorum delectari ingenijs, in quorum libris pietas fide non vacillaret. In cubiculoq. ſuo totas delicias habere. Neſcire præterita, fugere præſentia, futura deſiderare. Honorem & venerationem omnibus exhibere, & conferre beneuolentiam, & colere humilitatem.

Quæ omnia à beata Maria & tempore & loco obſeruata eſſe, & in praxim

xim deducta nullus dubitare debet. Nulla vnquam tam bene inſtituta eſt virgo, nulla vnquam extitit, quæ ſub magiſtris vel nutricibus tales in omni virtute progreſſus fecerit. Hæc ſola pleno iure ſibi vendicat, quod in eius perſona teſtatur Eccleſia; Cum eſſem paruula, placui Altiſſimo. Non placuiſſet autem niſi acceptum ingentem gratiarum theſaurum ſedulo conſeruaſſet, niſi omnis iuſtitiæ fuiſſet eſurientiſſima, & cum creuiſſet ætate, creuiſſet etiam cum ætate ſapientia.

Et quanquam omnis gloria eius eſſet ab intus, correſpondebat tamen moribus ſanctis virginei corporis ſpecies & pulchritudo. Quam ferunt fuiſſe huiuſmodi. Erat Maria ſtatura mediocri, colore triticum referens ſubfuſca, fuluo crine, naſo mediocri, capillo flauo, oculos habens fuluos, acres, & pios, cordis nuncios, ſubflauos, & tanquam oliuæ colorem pupillas in eis habentes. Supercilia ei erant inflexa, & decenter nigra; labia florida, & verborum ſuauitate plena, facies non rotunda, & acuta, ſed aliquanto longior, manus ſimiliter & digiti longiores. Veſtimentis natiui coloris contenta fuit id quod etiamnum ſanctum capitis eius velamẽ oſtendit. Didicit hebraicas litteras viuente adhuc Ioakim parente. Erat docilis, amans doctrinam, & circa ſacram Scripturam perſeuerabat. Opus vero manuum eius erat lanæ, & lini. Erat expeditæ obedientiæ, mundæ conuerſationis, ſine audacia, ſine riſu, ſine turbatione, ſine ira, maxime benigne ſalutans, cuius loquelam homines mirabantur. Erat in rebus omnibus honeſta, & grauis, pauca admodum, eaq. neceſſaria loquens; ad audiendum facilis, & perquam affabilis, honorem ſuum, & venerationem omnibus exhibens: decenti dicendi libertate aduerſus homines omnes vtebatur: Erat faſtus animi expers, ſimplex, minimeq. vultum fingens, nihil molliciei ſecum trahens, ſed humilitatem præcellentem colens, &, vt paucis dicam, in rebus eius omnibus multa diuinitus inerat gratia. Fuit in perſecutionibus, & afflictionibus hilaris, in penurijs & indigentijs non querula, Deo fidens, erga inimicos placida, & officioſa, in re læta æqualis & modeſta: miſeris & afflictis commiſerationis affectum præſtitit, ac impigre illarum ſubuenit neceſſitati; fidei, & conſcientiæ magiſtra, & omnium pietatis operum apud fideles miniſtra: tantæq. apud omnes & venerationis & admirationis fuit, vt multi eam velut cæleſte prodigium, ſacrumq. ſpectaculum reuerenter inuiſere, & ſecretiora quædam ex illa, tamquam fidei magiſtra, percunctari ſolerent. Tota igitur erat pulchra, & macula non erat in illa, pulchra corpore, pulchra facie, pulchra mente.

Epiphan. presb. apud Niceph. lib. 1. Eccl. hiſtor. c. 23. Cedren. in Compend. hiſtor.

Vere igitur de illa dici poteſt, quod ab omnibus perpetuo decantatur, quod fuerit ſacrarium Spiritus ſancti, quæ ſola Domino ſine exemplo placuit, cuius vita inclyta cunctas illuſtrat Eccleſias.

Hoc eſt miraculum magnum, quod Deus ſeculo illo oſtendit, mundo, & nobis datum in exemplum, vt amplectamur veſtigia eius, quantum nobis fas eſt, & curramus in odorem vnguentorum ſuorum; ipſa enim, & non alia fuit virtutum omnium operatrix, ac totius ſanctæ magiſtra religionis, qualem numquam oculus vidit vſque ab initio, quando Eua facta eſt, nec inuenietur alia ſimilis ſibi, & perfecta, ſicut ipſa eſt in cogitationibus ſuis, in verbis ſuis, in factis ſuis, in omni odore ſuauitatis, in omni flore, & fructu honoris, & honeſtatis.

De Aduentu ſummi Regis cæleſtis in terrarum Orbem. Cap. 74.

DEus temporum, & ſeculorum inſpector, præclara ſigna, & magnifica prodigia & facta omni admiratione maiora prælucendo mortalium tenebris, & caligines eorum diſpergere volens, ante apparitionem, & aduentum ſummi luminis, præmiſit apud Romanos, apud Perſas, Arabes, & apud Iudæos; vbi erat notus, & magnum nomen eius, ibi mirabiliter illuminauit à montibus æternis. De cælo autem auditum fecit, & commouit terram, vt ſaluos faceret manſuetos terræ; anticipauerunt lumina ipſius oculos eorum, vt præpararetur veritas eius in eis: Confeſſi ſunt cæli, & terra mirabilia eius, vt veritas, quæ eſt in circuitu eius, eſſet in Eccleſia multorũ, & qui notus tantum in Iudæa erat, impleret fulgore ſuo orbem terræ & plenitudinem eius, & ab occidente, ab oriente, & à deſertis montibus, ab aquilone, & mari palam fieret redemptio eius, quæ à ſeculo eſt.

Et cum reliquum eſſet, vt poſt auroram inciperet dies, & opus ſuum adimpleret Deus; notumq. faceret illud in medio annorum, vt ſcilicet, Rex magnus progrederetur ab Auſtro, & ſanctus de monte Pharàn; & operiret cælos gloria eius, & ſplendor eius vt lux eſſet, & ante faciem eius fugeret Mors, & Diabolus egrederetur ante pedes eius, ſtaret, & metiretur terram, & ſubijceret eam, & diſſolueret populos, contereret Reges fortes, incuruaret colles mundi ab itineribus æternitatis eius, in fremituq. conculcaret terram, & in furore ſuo obſtupefaceret gentes, & percuteret impium ſpiritu labiorum ſuorum, & deponeret potentes de ſede, mente cordis ſui, & eſurientes impleret bonis, erigeret manſuetos in ſalutem, & humiles ſpiritu ſaluos faceret, pauperes cum principibus collocaret, & credentibus daret regna cælorum, & egrederetur tandem in ſalutem populo ſuo, ſtatuit mittere in terrã, quem miſſurus erat, cuius gratia tot oracula, tot prophetiæ, tot ſigna, tot prodigia præceſſerant. Quod mirabiliter factum eſt.

Deus enim, qui fecit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros eius ignem vrentẽ, conſpicatus Angelorum myriadas inceſſabili voce clamantes, Sanctus, Sanctus, Sanctus: Et proſpiciens cælum, pulchritudinem, & magnitudinem Vrbis illius & plateas auro mundo: & palatia coruſcantibus gemmis constructa, lucidiſſimas ſedes, innumerabiles manſiones, cæleſti artificio elaboratas, Regnum illud inſuperabile, & magnificentia plenum; Ciuitatem illam ſublimem, quam gloria & ſuperbæ opes illuſtrant. Videnſq. non eſſe ibi habitatorem quietis, & nullum hominum (quorũ gratia tantum opus ſummi opificis manu conſtructum fuerat) ad ea loca per tot ſecula accedere potuiſſe; aſtareq. ante paradiſum voluptatis, Cherubim, flammeum gladium atque verſatilem gerentem, ad cuſtodiendam viam vitæ, ne quis ingrederetur ad illum. Videnſq. fruſtrari diuinum opus, & magnificentiſſima Dei opificia, & tot diuitias tanta ibi largitate congeſtas, nulli hominum vſui inſeruire, nullius cor lætificare; nullius mentem beatam facere.

Et deinde oculos in terrarum orbem ex alto conuertens, ac proſpiciens omnem carnem corrupiſſe viam ſuam; nec tamen eſſe aliquem qui faceret bonum, malitiamq. inhabitantium eſſe completam; terram corruptam &

reple-

repletam iniquitate, finis quidem vniuerſæ carnis venit ante eum; ſed recordatus fœderis ſui, quod fecit cum Noe, & filijs eius, & cum omni anima viuente, quæ carnem vegetat, dixit: Nequaquam vltra maledicã terræ propter homines; ſenſus enim, & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua. Non igitur percutiam vltra omnem animam viuentem, ſicut feci; & tactus amore cordis intrinſecus, dixit: Nunquid vane conſtitui omnes filios hominum? Faciam igitur, & ædificabo hominem, qui ſit Deus, Primogenitum omnium creaturarum, hæredem vniuerſorum, vt ſecundum rationem virtutis ſuæ inſtauret vniuerſa. Flabit ſpiritus eius, & fluent aquæ miſericordiæ meæ: Emittet verbum ſuum, & creabuntur, & renouabit faciem terræ, & germinabit germina iuſta.

Deſcendat igitur in terras Vnigenitus meus, qui in ſinu meo eſt, qui eſt ſplendor gloriæ & figura ſubſtantiæ meæ, & qui ſedet ad dexteram Maieſtatis; immenſus & omnipotens, faciat ſemetipſum paruulum, formam ſerui accipiat, & habitu inueniatur vt homo, & adorent eum omnes Angeli eius, & in nomine ipſius omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum. In omnibus primatum teneat, quia complacuit mihi in ipſo plenitudinem diuinitatis inhabitare, & per eum purgationem peccatorum facere, reconciliare mihi omnia in ipſo; vt factus obediens vſque ad mortem, pacificet omnia, quæ in cælo ſunt, & in terra.

Cumque vidiſſet Deus, quod bonum eſſet Deum fieri hominem propter ſalutem hominum, dixit: Fiat Deus homo, vt Homines ſint ſicut Dij. Tunc miſſus eſt à Deo Angelus Gabriel in Ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Ioſeph, de domo Dauid, & nomen Virginis Maria. Carpit iter Gabriel, & aureum lumen præferens per medios tranat cælos, perque æthera migrans, ſcindit nebulas, ſecat aerem.

Peruenitq. celeri curſu ad Ciuitatem Galilææ Nazareth, vbi ſub paupere tecto, humili in thalamo manebat pudica Virgo, cæleſtibus cogitationibus intenta, voluens in pectore vrentes curas de mundi ſalute. Ingreditur ad Virginis conſpectum facie rutilanti; aſpectus eius ſicut fulgur, veſtimentum ſicut nix. Quam intuens, & veneratus, ſtatim ex ore ſalutauit, dicens: Aue gratia plena: Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus.

Timuit Virgo ad Angeli affatum, & turbata eſt, & oculis humi defixis cogitabat, qualis eſſet iſta ſalutatio? Cui Angelus: Ne timeas Maria, inueniſti enim gratiam apud Deum. Ecce concipies, & paries filium, & vocabis nomen eius Ieſum. Hic erit magnus, & filius Altiſſimi vocabitur. Et dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & Regni eius non erit finis.

Subſtitit Virgo audiens ſe futuram matrem, quæ virginitatem Deo voto dicauerat, & fixum, & decretum in corde habebat, virum nunquam ſe cognituram. Cui ille: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi; ideoq. & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei, quia non eſt impoſſibile apud Deum omne verbum.

Tunc Maria oculos ad ſydera tollens, plaudentibus Angelis, plaudente mundo, plaudenteq. turba Patrum in ſinu Abrahæ recepta, humili voce, religioſo corde pronunciauit verba, per quæ inſtaurata fuerunt, ſiue quæ in

terris,

terris, ſiue quæ in cælis ſunt: Ecce Ancilla Domini: Fiat mihi ſecundum verbum tuum.

Quo temporis momento propter nos, & propter noſtram ſalutem à regalibus ſedibus is, qui erat vbique, æterna Dei proles, Deus de Deo, lumen de lumine, ſempiternum verbum, deſcendit in vterum Ancillæ Domini, & terra eius benedicta germinauit Saluatorem. Nam dexteræ Dei digitus, virtus Altiſſimi, omnipotentia Spiritus ſancti, ab ea parte, qua Virginis cor ineffabili amore feruebat, puriſſimos attraxit ſanguines, & intra virgineum, & genitale gremium, corpus, quod erat futurum mirabilium operans, & ſacrum diuinitatis organum, animamq. omnium ſpirituum nobiliſſimam, ſupra ſolem ſplendidiſſimam, formauit; dumq. formaretur, eodem prorſus inſtanti, Verbum beatam illam humanitatem inexplicabili modo, indiſſolubili nodo ſibi vniuit: Et Verbum caro factum eſt, & habitauit in vtero Virginis, vt habitaret in nobis. Qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Magna plane gratia, mira dignatio, tanta tantæ maieſtatis exinanitio? Quantum putas exinanitus erat ille immenſus breuiſſimo atque mundiſſimo vnius virginis vtero incluſus?

Conceptus eſt viij. Kalendas Aprilis, eadem die, qua Adam primus homo formatus eſſe creditur, quæ quidem arcana, & diuina conceptio, ita imperſcrutabilis exſtitit, vt nullus eam enarrare poſſit. Ita autem Dei filius, Verbum Patris factus eſt homo; ita ſe ad ſuſceptionem humilitatis noſtræ ſine diminutione ſuæ maieſtatis inclinauit, vt manens quod erat, aſſumensq. quod non erat, veram ſerui formam ei formæ, in qua Deo Patri eſt æqualis, vniret, & tanto fœdere naturam vtramque conſereret, vt nec inferiorem conſumeret glorificatio, nec ſuperiorem minueret aſſumptio. Salua igitur proprietate vtriuſque ſubſtantiæ, & in vnam coeunte perſonam, ſuſcipitur à maieſtate humilitas, à virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas, & ad reddendum noſtræ conditionis debitum, natura inuiolabilis naturæ eſt vnita paſſibili; Deusq. verus, & homo verus, in vnitatem Domini temperatur, vt quod noſtris remedijs congruebat, vnus atque idem Dei hominumq. mediator, & mori poſſet ex vno, & reſurgere poſſet ex altero. Talis ſociatio decuit Dei virtutem, & Dei ſapientiam, qua nobis & humilitate congrueret, & diuinitate præcelleret. Niſi enim eſſet Deus verus, non afferret remedium, niſi eſſet homo verus, non præberet exemplum.

S. Leo ſer. 2. de Nat.

In quo quidem inſcrutabili ſacramento propter ſummam perfectionem, & immobilitatem diuinæ bonitatis, nihil dignitatis Deo deperit ex hoc, quod creatura aliqua ei intimo modo appropinquet: nam approximare diuina & cœleſtia humanis eſt creaturam extollere, & ad dignitatem cæleſtium eleuare. Sicut enim Sol exiſtens in cælo, veniensq. ſuper terram, lumen ſuum & lucis radios, quos ſuper aquas, & caligines, & terras iactat, non coinquinat, propter excellentiam & nobilitatem lucis ſuæ, ſed perficit, aërem purgat, & luminoſum reddit, tantaq. coniunctione ei ſociatur, vt illuminatus aër, ibi cum Solis lumine videatur: & terræ ſimiliter præſtat admirabilem virtutem producendi herbas & arbores, argentum & aurum, ipſum autem lumen ſemper idem reſtat, nec aliquid ei deperit, ſemperq. in

D. Th. contra gentes. l. 4. c. 55.

ſua

ſua excellentia permanet. Sic Deus noſtræ ſeſe carni conſocians, carnem vſque ad participationem diuinitatis ſublimat, præſtatq. ei ſalutares effectus; ipſe autem ſemper idem eſt, & eius altiſſima perfectio in nullo deficit, in nullo patitur detrimentum, ita vt pari dignitate & fulgeat in cælo, & iaceat in vtero.

Nec quia communionem humanarum ſubijt infirmitatum, ideo noſtrorum particeps fuit delictorum. Aſſumpſit enim formam ſerui ſine ſorde peccati, humana prouehens, diuina non minuens. Exinanitio enim illa, qua ſe inuiſibilis viſibilem præbuit, inclinatio fuit miſerationis, non defectio poteſtatis. *S. Leo ſer. 3 de Natiu.*

De largiſſimis fluentis gratiarum Mariæ gratia plenæ: quæ æterno miraculo ab eo tempore, quo ab Angelo gratia plena pronunciata eſt, vſque in hodiernum diem, per tot decurrentia ſæcula in vſus mortalium emanarunt. Cap. 75.

MAria autem facta Dei Mater, facta Regina cælorum, facta Domina Angelorum, exultans, & cordis gaudium foris emittens, angelica ora ſuperans, cecinit Domino canticum nouum, qui mirabilia fecit, magnificauitq. diuini brachij potentiam, & miſerationes, & exultans ſpiritus eius in Deo ſalutari ſuo, diuinoq; lumine afflata, ſerieſq. generationum hominum intuens, dixit illa verba: Quia reſpexit Altiſſimus humilitatē meam, ecce ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Ceterum totum hoc Angeli, & Virginis colloquium, cæli ſcilicet & terræ allocutio, ſuperat humani intellectus vires, & nullus vnquam inter homines ſermo tanta ſapientia, & maieſtate plenus, tantis refertus myſterijs, & arcanis repertus eſt. Quis enim ſapiens, ſicut Angelus Dei? quis prudens, ſicut Mater Domini? quæ res maioris momenti, quam mundi ſalus? Itaque hoc totum, quod inter Mariam & Angelum hic geſtum eſt, eſt illud omne quod præ magnitudine, & dignitate rei, eſt penitus ſenſui humano imperſcrutabile: eſt illud omne, quod natura non habuit, vſus neſciuit, ignorauit ratio, mens non capit humana, pauet cælum, ſtupet terra, creaturaq. omnis miratur terreſtris & cæleſtis.

Aliqua tamen, & hæc admirabilia non ſunt prætermittenda, quæ ex his, quæ dicta & geſta ſunt, ſeſe conſideranda offerunt. Primum autem eſt id, quod Angelus dixit, illam ſcilicet eſſe gratia plenam, & habere Dominum ſecum, & eſſe benedictam inter omnes mulieres. Nam illa gratiæ plenitudo tam magna fuit, vt animalis homo non cognoſcat, ſpiritualis homo non diiudicet. Bonorum enim cæleſtium amplitudinem, diuitiarum theſaurum, & inæſtimabiles margaritas, quas magnifica manus Dei in hac muliere poſuit, vnuſquiſque paruulus eſt ad enarrandum: quicquid enim humanis dicitur verbis, minus eſt eo, quod Angelica lingua excellentius eſt pronunciatum.

Quam gratiarum & cæleſtium donorum confertam, & ſupereffluentem plenitudinem, magnificum Dei munus, & opus magnificentia plenum, &

exquiſitum in omnes Domini voluntates, cum Deus in anima Virginis huius arcana quadam ratione, & inuiſibili operatione occultaſſet vſque ab initio benedictæ eius conceptionis, placuit illi in tempore opportuno cæleſtes diuitias iſtas mundo patefacere, vt humani generis paupertatem honeſtaret.

Quod Deus per Gabrielem Angelum ſuum, diuinitus adimpleuit, cum feliciſſimam adoleſcentulam Mariam ſalutando, eam gratia plenam pronunciauit. Quæ gratia omni lumine ſplendidior, omni pulchritudine pulchrior, prius in anima ipſius fulſit, deinde in aliorum gratiam vſumq. refulſit; prius in ſinu eius feliciter abundauit, poſtea plenius in ceteros redundauit; & quod gratis hauſit à fonte aquarum viuentium, gratis effudit in calamitatibus indigentium. Quod quidem non vno ſolum, aut altero miraculo, neque vno tempore, aut apud vnam tantum gentem, ſed innumerabilibus pene ſignis, per mille & ſexcentos annos, per omnes Chriſtiani orbis partes, apud omnes nationes patefactum eſt. Et nos poſt tot annorum curricula, id, quod audiuimus factum fuiſſe, videmus hodie ante oculos noſtros contingere, & verificari id, quod per Angelum dictum eſt.

Nam poſtquam ille Virginem iſtam, gratia plenam aſſeruit, cæpit illa largiſſimas gratiarum ſuarum aquas, in omnes, qui inuocant eam, effundere; ita vt quotquot ad eius opem implorandam fiducialiter acceſſerunt, in diuerſis humanarum rerum opportunitatibus pro ſe, pro ſuis, pro publicis, pro priuatis rebus, pro ſalute animæ, pro corporis incolumitate, voto, & prece ſua non fuerint fruſtrati.

Alius ex infirmitate conualuit; ipſa præbente opem, alius in pecunia, & egeſtate inuenit cibum, alius ab vlcere ſanatus, alius amiſſum recepit lumē, alius claudicans ambulauit ſicut ceruus, alius liberatus ex carcere, ereptus ex ore leonum, ex impetu fluminis, è profundo maris, è manibus latronum, ex inſidijs inimicorum, è fraude hæreticorum. Alius ereptus eſt ex igne, ex gladio, ex bello, de laqueo venantium, & ad lapidem pedem ſuum non offendit. Alij vicerunt regna, receperunt filios de ſterilitate ſua. Alteri ſuppoſita eſt manus eius, ne caderet; alter cum cecidit ſubleuatus eſt, alius à morte liberatus eſt, alius cum eſſet mortuus, redijt ad vitam.

Quot miſeris opem tulit? quot puſillanimes confortauit? quot flebiles conſolata eſt? non eſt, qui ſe abſconderit à calore eius. Omnes adiutricis Dominæ ſenſerunt iuuamen, experti ſunt benignitatem, & ex plenitudine gratiarum eius omnes acceperunt, vt de celſitudine, & certitudine gratiæ, quam ei Dominus contulit, & teſtimonium de cælo, & experientiam habeamus continuam in terris. Et de admirabili incarnatione filij Dei in vtero Virginis ſit perpetuum & irrefragabile argumentum, quod vel inſanas cogitationes conuincat ad credendum, cum vnuſquiſque ſi ad ipſam bona fide confugiat, ſit vel maximus peccator, infallibiliter obtineat, quod expedit ei ad ſalutem, & quotidie auribus audiat benedictam iſtam Virginem modo vni, modo alteri mortalium hominum, in diuerſis orbis partibus eius auxilium implorantium, elargiri fluenta gratiarum ſuarum, & neminem pene eſſe, qui vel pro receptis, vel recipiendis beneficijs, quotidie ei non texat odorantium orationum ſpirituales coronas, & ſalutet eam angelicis illis verbis, quibus Gabriel eam, gratia plenam teſtatus eſt.

Sed hic referamus nonnulla, quæ poſt tot ſecula, temporibus noſtris.

contu-

cõtulit beneficia Virgo hæc beatiſſima, ſunt pene infinita & numerari nõ poſſunt: ſed pauca hic erunt inſcribenda, cetera aũt loco ſuo cõmemorabuntur.

Si quis autem vnquam Sanctam Virginem, & beatam Dei matrem dilexit, dilexit illam Philippus Nereus puſillæ Congregationis noſtræ ſapiens Inſtitutor, qui toto vitæ ſuæ tempore miris amoribus amantiſſimam Dominam adamauit, docebatq. omnes, quos poterat, vt Reginam, quæ Angelis, & hominibus dominatur, honore & veneratione proſequerentur. Ipſa autem Virgo, quæ diligentibus eam rependit amorem, plurimas in beatum virum contulit gratias. Sed hic vnam aut alteram recitabimus.

Tecti cuiuſdam ruina, multos oppreſſura, B. Virgine opem ferente, impeditur mirabiliter. Cap. 76.

AEdificabat ipſe Sanctiſſimæ Dominæ Eccleſiam nouam, veteri, quæ exigua erat, cum adiacentibus domibus demolita. Relictus tantum fuit locus pro ſacello, in quo omnibus confluentibus ſacramenta miniſtrabantur, & fiebat miſſarum celebratio. Sacellum autem ſuperiore tecto tegebatur. Erat autem Tignum magnum in eo, quod ab altera ex extremis tigni partibus neque trabe, neque muro fulciebatur. Cumque ſtaret ſuſpenſum, neque repagulo aliquo retineretur, non ruebat. Quod cum nemini notum eſſet, noctis tempore Philippus videt in viſu B. Virginem tectum illud manibus ſuſtentantem. Sequenti igitur die Ioannem Antonium Lutium fabricationi Præfectum conuocat, imperatq. vt tecti, quod erat ſupra ſacellum, nulla interpoſita mora demolitionem curet, indicans, quid præcedenti nocte vidiſſet. Habitabat tunc temporis Philippus in domo S. Hieronymi. Ioannes Antonius pergit illicò ad ſacellum trepidus, & ſolicitus iubet fabros cæmentarios demoliri tectum, quod cum facere aggrediuntur, inueniunt tignum, tectum ſuſtinere non fulcimento, ſed miraculo. Obſtupuerunt omnes, & de impenſo beneficio Mariæ, gratia plenæ, gratias egerunt.

Philippus Nereus, dum grauiſſimo dolore torquetur, apparitione B. Virginis diuinitus liberatur. Cap. 77.

AFfligebat Philippum aſperrimi doloris ingens cruciatus diu noctuq. & patientia eius ſub probatione poſita erat. Quamquam autem torqueretur immaniter ſenſus carnis ſuæ, mens tamen eius ab omni impatientia immunis erat; nec enim exterius aliquod, vel leue impatientiæ genus, in tàm vehementi dolore demonſtrauit, dum virtus eius & fortitudo cordis ſicut aurum in fornace examinabatur, ſed bene diſponebatur: ſentiebat tormentũm, & fiebat intus virtutis augmentum. Cumque dolor non intermitteret, atque eo per duodecim ferme horarum ſpatium conficeretur, vrinæq. non fluerent, Medici mortis prognoſticum annunciarunt, omneſquè, qui eum inuiſebant, & miniſtrabant, dicebant eum inter paucas horas vita functurum; erat enim ſenex, infirmitate debilitatus, & diutius ſummi illius doloris cruciatum ferre poſſe, prorſus impoſſibile videbatur.

Cumque magis in mortuorum numero quàm viuorum teneretur, vixq. ſe mouere poſſet, aut loqui, vt audiretur, accidit prodigium magnum. Nam

vigeſima prima diei hora cæpit clamare ex improuiſo. Erat autem tunc præſens Angelus Victorius, Medicus peritiſſimus, qui per multos annos ægros noſtros ſola charitate, nullis premijs curauit, & Rodulphus Silueſter Bononienſis, & ex noſtris, Alexander Illuminatus, Franciſcus Zazzara, & Antonius Gallonius, qui Beati Patris vitam conſcripſit. Clamabat autem dicens: Qui vult aliquid præter Deum, decipitur: qui amat aliud quàm Deũ, errat, & neſcit, quid facit. Cumque hæc verba ſæpius ingeminaret, obſtupeſcebant omnes, qui audiebant; eodemq. tempore, quaſi vires & ſpiritus redijſſent ad artus emortuos, erexit ſe ſupra ſe, & languidum corpus mirabiliter in aërem efferens videbatur pati viſionem magnam ſibi ſoli notam. Cæpit igitur lachrimans præ gaudio earum rerum, quas videbat, clara proſari voce: Domina mea dulciſſima, tu, tu venis ad me? tu, tu veniſti ad tollendos dolores meos? Virgo pulcherrima, Virgo puriſſima, tu me viſitas? O dignatio tua! ò indignitas mea! Domina magna deſcendit ad viliſſimum ſeruulum. non horruit præſentiam peccatoris mater Saluatoris. Fateor, indignus ſum, ſed tu dulcis Domina, non conſideraſti indignitatem meam, ſed reſpexiſti miſericordiam tuam.

Dum hæc diceret, mouebat manus, aperiebat brachia, quaſi Dominæ ſuæ, Angelorum Reginæ pedes complecteretur. Inter hos complexus perſeuerabat dicens: O Sanctiſſima mater, ò pulcherrima Domina. Et rurſus inter verba eleuabatur videntibus omnibus, qui aſtabant, & pergebat adhuc dicere: Mater Dei, mater Dei, rogo te, cur veniſti ad me? complectar te, nec dimittam, niſi benedixeris mihi. Interim aſtantes videbant, quæ fiebant, & audiebant verba, ſed matris Dei aſpectum videre non poterant.

Remanſit ipſe hoc modo in hac ecſtaſi ſua per aliquod ſpatium, nomen B. Dominæ inuocans & collacrimans. Tandem ad ſe reuerſus: Non vidiſtis (inquit conuerſus ad circumſtantes) matrem Domini mei, quæ venit ad viſitandum me, atque abſtulit dolores è corpore meo? Et cum hæc dixiſſet, iterum lacrimans, linteo caput ſuum cooperuit, donec lacrimæ ceſſauerunt.

Poſt huiuſmodi autem admirandam viſionem ſanus illicò, & perfectè repertus eſt. Cum autem hæc ſpargerentur in vulgus, ipſe, qui gloriam, quæ Deo debetur, ſibi vel minimam aſſumere nefas putabat, miris modis rem contegebat.

Vir quidam didicerat deuotionis gratia erga B. Virginem, quolibet die quandã orationem recitare: quam ob rem bis mirabili modo à morte ereptus eſt. Cap. 78.

IN quodam Romanæ Prouinciæ oppido, multi ex ciuibus odio ſe proſequebantur inimicitiarum gratia. Inter ceteros autem erat ibi quidam, nomine Horatius, qui multorum ſibi odia concitauerat: præſertim cum quibuſdam factioſis & ab oppido proſcriptis, grauiſſimas gerebat inimicitias, nil aliud illis quærentibus, quam eius fundere ſanguinem. Habebat hic fratrem, qui appellabatur Mutius, vir bonus, & pacis amator, qui cum Religioſo viro Ordinis Capuccinorum, qui eo tempore in oppido concionabatur, multa erat conſuetudine coniunctus. Hic ſæpe concionatori referebat,

ſtat, quot moleſtias, & diſpendia, & pericula propter fratrem ſuum pateretur. Concionator autem conſolabatur eum, & hortabatur, vt ſub tutelam, & patrociniũ B. Virginis Mariæ confugeret, quæ ſemper, atque omnes, qui ad eius auxilium ſe conferunt, protegit, & valida defenſione tuetur, & contra hoſtes virtutem præbet, quod innumerabilibus experientijs omni tempore probatum eſt. Docebatq. illum, vt hanc cælorum Reginam diligeret, vigilaret ad fores eius, & ad aures oraret, vt inueniret ſalutem & gratiam, & conſueſceret ſæpius in die hoc modo compellare illam: Sub tuum præſidium confugimus, ſancta Dei Genitrix, noſtras deprecationes ne deſpicias in neceſſitatibus, ſed à periculis cunctis libera nos ſemper Virgo beata, & benedicta.

Quæ quidem omnia, ſi facere non recuſaſſet, certo futurum eſſe (dicebat ille) vt re ipſa adiutricem manum experiretur, & videret quàm ſit verum, ipſam eſſe gratia plenam, aut cum opus fuerit & lapſos erigat, & labentes ſuſtentet, ne cadant, omneſq. eius patrocinium ſentiant, qui eam diligunt, & eius commemorationem celebrant. Secutus eſt iuuenis conſilium admonẽtis, & quanto maiori poterat cordis ardore orabat, & ſæpius in die Antiphonam: Sub tuum præſidium confugimus, ingeminabat.

Contigit autem, vt prima Quadrageſimæ hebdomada, hoſtes ſupradicti, qui Horatium, & propter Horatium, Mutium etiam perſequebantur, facerent cuniculos igniuomos ſubterraneos ſubtus Horatij & Mutij domum, vt ex illis ignis erumpens domum & habitatores euerteret. Sed Virgo, miſericordiæ ſuæ memor, deuotum Mutij animum reſpiciens, ab imminenti ruina Mutium, & eius domum eripuit. Nam inſidiator ignis totam domum ſubuerſurus, modicã tantum cuiuſdam parietis partem nocturno tempore dijecit, ita vt aliqui tantum lapides, & calcis fragmenta dum caderent, iuxta cubicula peruenerint, vbi viri, & mulieres & tota domus familia dormiebat. Vt appareret quantam ignis ruinam afferre potuiſſet, ſi prohibitus deſuper non fuiſſet, & vt inimica fraus appareret, ſed non noceret. Cum autem craſtina fulſiſſet hora, trepidi omnes ad Eccleſiam acceſſerunt, ideſt, ad agendas gratias. Mutius autem confeſtim ad Concionatorem feſtinans, narrauit illi, quanta feciſſet Virgo beata pro ſua, ſuæq. domus incolumitate. Quamobrem concionator iterum hortatus eſt illum, vt in deuotione B. Virginis totus eſſet, Antiphonam illam, ſæpius in die frequentans. Ita enim futurum eſſe, vt inimici eius præualere nulla ratione poſſent contra illum, qui tam fortem haberet patronam, & terribilem, vt caſtrorũ aciem ordinatam.

Pauci dies pertranſierant, quando Mutius forte fortuna venerat iuxta quendam lacum, ibiq. ſubſtiterat, vt ferream fiſtulam concinnaret, cui iam rotam extraxerat. Oculos autem conuertens, conſpicit fratris ſui inimicos amaro animo aduerſus ipſum properantes, & pedes velociter conuertentes ad effundendum ſanguinem eius, conſpirauerant enim, vt eum trucidarent. Quos, vt vidit, vt fugeret manus eorum, ingreſſus eſt in nauiculam, quam iuxta littus paratam inuenit. Dum autem remis eam impelleret, ſupradictam orationem: Sub tuum præſidium confugimus, coram B. Virgine dicere non ceſſabat. Hoſtes autem in littore ſtantes, contra fugientem plumbeas glandes à ferrea fiſtula ignis vi, emiſſas iaculabantur. Percuſſit plum-

beus globus peram, quam Mutius geſtabat. Senſit ille ictum: ſed quoniam plumbi laminam habebat in pera, ex qua globulos facere ſolebat, ictus non penetrauit. Ipſe autem eo fidentius in oratione perſeuerans, commendabat ſuam B. Virgini ſalutem, & Antiphonam ingeminabat. Orabat ipſe, ignea tela contra ipſum contorquebant illi: ipſe pulſabat cælum, illi feriebant viſcera eius: Mirabile dictu, ignei globuli crebris ictibus pallium, ſagum, & ſubuculæ manicas vbique perforauerant,& tamen carnem eius tangere, aut aliquo modo lædere non potuerunt. Interim ipſe remis cymbam propellens, ab oculis inimicorum longius receſſit, & elapſus eſt, B. Virgine protegente, quoniam bona, quoniam pia, quoniam in ſeculum gratiæ & miſericordiæ eius.

Vir pauper, fame laborans, & ante imaginem B. Virginis orans, accipit ab ea munus, propter quod calumniam paſſus, mirabili modo a periculo mortis liberatur a Virgine.
Cap. 79.

IN Hiſpania, in Cantabriæ regno, in quadam ciuitate, erat templum inſigne, Virgini Mariæ matri Ieſu Chriſti dedicatum, in quo ipſa gratiarum diuinarum indeficiens fons innumerabiles gratias in vſum mortalium profundebat. Eſt in dicta Eccleſia elegantiſſima B. Virginis imago, anaglypthicum opus, ornata omni lapide pretioſo, habens argenteas in pedibus crepidas precioſiſſimas. Erat autem in regionibus illis vir quidam, ſatis probus, & erga B. Virginem deuotus, qui in paupertate conſtitutus, & nihil habens in bonis, filios, filiasq. ſuas, & reliquam domus ſuæ familiam, præ paupertate alere non poterat.

Conſueuerat hic frequenter ante prædictam imaginem orare, & omni ſtudio ſe ipſum, & familiam ſuam ſanctiſsimæ Virgini in cælis regnanti commendare; oſtendebatq. ei, quæ miſericordiæ mater eſt, quantæ eſſent familiæ ſuæ neceſſitates, quantæ eſſent ipſius Virginis gratiæ, quibus plena ſemper fuit, ſemperq. erit. Contigit autem quodam tempore, vt graui neceſſitate premeretur, ita vt familiola ſua pene fame periret. Cum autem non haberet, ad quem confugeret, confugit ad eam, quæ eſt adiutrix inopum, & refugium pauperum. Venit igitur in dictam Eccleſiam, & genua flectens ante dictam imaginem, fidenti animo, humili oratione, cæleſtem Reginam obſecrauit, vt miſericordes oculos ad ipſum conuerteret, & miſereretur familiæ ſuæ in extrema inopia conſtitutæ, neque pateretur aut fame omnes mori, aut filias ſuas neceſſitate compulſas corporis pudicitiam quæſtui exponere, eodemq. tempore honoris, & animæ iacturam facere. Cum ſic oraſſet, videt ecce imaginem illam alterum extendere pedem, & crepidam argenteam proijcere in terram ante faciem ipſius, geſtibusq. blandis inuitare eum, vt argentum acciperet, venderet, & de pretio eſurientem familiam ſuſtentaret. Accepit ille magnificum munus libens, & gratias agens profectus eſt ad aurificem, vt venderet eam. Sed artifex certo credens hominem illum argenteam crepidam ſacrilega manu ſuffuratum fuiſſe, rem ad iudicē detulit; cuius mandato captus pauper, & in carcerem coniectus, & interrogatus, cum innocentiam ſuam probare non poſſet, condemnatus eſt, vt

more

more latronum vitam ſuſpendio terminaret. Cumque duceretur ad carnificinam, & per viam, vbi B. Virginis manebat Eccleſia, in qua crepidam furatus credebatur, lachrimans rogauit milites ducentes illum, vt ſaltem permitteret ei, vt in hac hora mortis ſuæ ingrediens eccleſiam, oraret aliquantulum ante Virginis imaginem. Quod cum ei conceſſum fuiſſet, ante Imaginem proſtratus, & lachrimis rigans pauimentum, hæc orauit, audiente turba: O Dei mater, ecce, vt vides, ducor ad mortem opprobrio plenam, propter amorem erga me tuum, propter amorem erga te meum: dum enim in te ſperans, & te diligens, neceſsitates meas tibi notas facio, & tu mei miſerans, mihi compatiens denudaſti pedem tuum, vt meam tegeres nuditatem, en morior, & quod largita es ad vitam, operatur ad mortem: ſed nunc Virgo potentiſsima, accinge te, & defende me, oſtende tuam potentiam, & meam innocentiam; eripe animam meam de manu anguſtiæ, quoniam circumdederunt me dolores mortis, & non eſt qui adiuuet. Tibi derelictus eſt pauper, miſero tu eris adiutrix: ne ergo confundas me ab expectatione mea.

Dum hæc miſerabilis vir in conſpectu aſtantis turbæ loqueretur, ecce iterum Imago illa Virginis alterum pedem ad tradendam alteram argenteam crepidam exporrexit, quæ cecidit ante pauperem virum, vt oblato ſecundo munere, primum confirmaretur, & ex noua & euidenti beneficentia, pauperis hominis omnibus appareret innocentia. Sed populus, qui conuenerat, & viderat prodigium magnum, incæpit acclamare, vt liberaretur, & à militibus ad Gubernatorem deductus liberatus eſt. Ciuitatis vero illius Communitas hæc audiens, & admirans, quod factum fuerat, nubiles pauperis filias dotauit, & nuptui tradidit, certumq. prouentum pauperi conſtituit, vt reliquam familiam alere poſſet, & viueret. Verum ipſe tam excellentis gratiæ memor, omnibus diebus vitæ ſuæ propter B. Virginis amorem, illi Eccleſiæ deſeruire voluit.

Referebat hæc ſacerdos Hiſpanus, ob probitatem ſuam fide dignus, qui aſſerebat ſe miraculum vidiſſe: erat enim ex illa Ciuitate oriundus, vbi miraculum factum eſt.

Publica meretrix cum propter B. Virginis reuerentiam die Sabbati nunquam fornicari deliberaſſet, vt nullo die fornicaretur, B. Virgo gratiam ei præſtitit. Cap. 80.

QVædam mulier ſatis formoſa, vitam meretriciam in Vrbe viuebat, quæ cum ſingulis diebus peccare non vereretur, Sabbati tamen diem, propter B. Virginis amorem, nunquam ſe violaturam fornicando propoſuerat. Quod cum diu inuiolabiliter obſeruaſſet, & multis procaciter ſollicitantibus, ſemper conſtantius reſtitiſſet, B. Virgo, miſericordiæ mater, inter media mulieris peccata, illius qualemcumque animi deuotionem non contempſit, ſed illi odium peccandi a Deo impetrauit. Vnde mulier, vt nec ſabbato, nec aliquo die peccare poſſet, monaſterium Conuerſarum meretricum ingredi deliberauit, & cum dotem, quæ monaſterio dari ab ingredientibus conſueuerat, non haberet, ingreſſum retardabat. Interim ingreditur ad eam vir, natione Anglus, qui cum illam rogaret, vt libidini eius obſequeretur, & eſſet Sabbati dies, negauit illa, ſe vnquam die illa peccaturam, immo ſe, vt

nullo tempore Deum offenderet, conſtituiſſe religioſam vitam in Monaſterio Conuerſarum acturam, ſed plurimum triſtari id ſe quamprimum facere non poſſe, cum ſatis dotis non haberet. Quod cum ille audiuiſſet, quamquã libidine feruens, pietate motus, mulieris animum laudans, ſpopondit ſe ſe, quicquid ei deeſſet, libenter daturum, ſi propoſitum adimplere vellet. Accepit illa viri fidem, & obtinens ab eo aureos, quotquot habebat neceſſarios, religionis habitum, & profeſſionem ſuſcepit, anno 1601. in menſe Iunij.

Mirum eſt, quantum peccatoribus ſuffragentur aliquæ deuotiones in Virginis honorem factæ.

Auget admirationem, & confirmat deuotionem, & fidem, quod Domus illa Beata, in qua Angelus Virginem adinuenit, & ſalutauit dicens, eam eſſe gratiæ plenam, ſtupendo, & inaudito miraculo ex proprio ſolo, ideſt ex ciuitate Nazareth a fundamentis exciſa eſt, & ſine dubio a Gabriele ipſo integre in aërem ſublata, & per immenſa aeris ſpatia vecta, in medio Italici ſoli ad Adriaticum litus poſita eſt. Ad quam quotidie ex omnibus orbis regionibus virorum, mulierumq. comitatus, & populorum myriades, & tam plebei, quàm principes viri magna celebritate contendunt, & conueniunt ibi vel ad gratias petendas, vel ad gratias agendas pro receptis beneficijs afferunt munera, ſoluunt vota, ſuſpendunt tabellas, quæ præ multitudine numerari non poſſunt, vt ſint æternum teſtimonium gratiæ, & benignitatis benedictæ Virginis per tot gratiarum effuſiones comprobatũ. Non ſolum autem in hac Aede veneranda, ſed nulla pene Vrbs eſt, nullum oppidum, in quo fidelium deuotio huius Virginis memoriæ, ſacellum aliquod, vel templum non erexerit, vbi quicunque pie accedat, petatq. ab illa, cuncta ſe impetraſſe lætetur, & de acceptis gratijs gratias referat.

Vt nulla orbis regio, nulla natio ignoraret feciſſe illi magna & dediſſe pretioſa qui potens & miſericors eſt erga omnes qui inuocant illum. Sed opportunus hic ſeſe offert locus, vt recenſeantur nonnulla, quæ ſuccedentibus ſeculis, circa præclaram hanc Domum facta eſſe commemorantur.

Admirabilis hiſtoria Domus B. Virginis, & Ieſu Chriſti filij eius, quæ prodigioſa translatione, Angelorum miniſterio facta, primum in Dalmatiam, deinde in Picenum delata eſt.
Cap. 81.

CIrca domum, quæ Gabrielem Angelum excepit hoſpitem, & angelicis verbis Virgo Maria ſalutata eſt, multa ſuccedentibus ſeculis admiratione digna facta ſunt: plurima, ſupra naturam geſta. Noluit enim Deus, Domum illam eſſe ſine honore, vbi Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, vt tam magnæ rei eſſet apud poſteros perpetuum monumentum, & memoria excelſi beneficij ob oculos haberetur.

Annales Flauentibus apud Hieronymum Angelitã.

Igitur Domus iſta, omnibus Regijs, omnibus Baſylicis, Palatijs, & Arcibus excelſior, honorifica in primis fuit apud Nazarenos: ferunt Apoſtolos ipſos eam veneratos eſſe, atque deinceps per temporum longa curricula multam apud plurimos venerationem habuiſſe. Sed quo tempore Chriſtiana Religio poſt largum fuſum ſanguinem propagata eſt, & incæperunt Imperatores Romanorum, fidei collum ſubdere, D. Helena Conſtantini Magni mater, & re-

& religioſa mulier, deſiderio videndi loca, vbi ſteterunt pedes eius, qui fecit cælum, peruenit Nazareth, & ſalutationis Angelicæ domo reperta, perampſum ibi condidit Templum. Quo factum eſt, vt ex Aſia, & Africa, & Europa proficiſcerentur homines ad videndum locum, vbi Angelus è cælis delapſus (mandante Deo) æterna ſalus, æterna vita, ſummum bonum hominibus annunciatū fuit, receptum in Mariæ Virginis auguſtiſſimo throno. Ad hæc loca properabant veteres Romani, viri, & mulieres, præſertim autē ad eā venit Paula, cui B. Hieronymus epitaphium fecit, atque alij, quorum non eſt numerus per decurrentia ſecula. Sed cum cultus in tam ſacro loco tepuiſſet, &, quæ eſt temporum viciſſitudo, quæ veneranda erant, viluiſſent, neque ab indigenis, neque ab exteris populis honorem haberent, Anno 1291. poſt captam Ptolomaidem, Nicolao IV. Pont. Max. (vt Illyrici annales perhibent) B. Virginis Dei Genitricis Domus cubiculum, ſcilicet; ipſius ingenti miraculo in templi formam ab Apoſtolis (vt ferunt) redactum, angelico miniſterio per ingentes terrarum, mariſq. tractus, in Dalmatiam aſportatur; ſpatium amplius vicies centena millia paſſuum, locataque eſt ſupra montem, in cuius ſummitate æquata agri planicies ſedem efficit peramænam, Adriatico imminentē mari. Vt hinc conijci poſſit Mariam Maris eſſe ſtellam, quæ procellarum vim, noſtræ ſcilicet vitæ turbulentos motus, cohibere poſſit & velit.

Niceph. lib. 8. c. 30.

Ex Annalibus Flumentibus apud Hieronymum Angelitā.

Poſtquam autem notum factum eſt, ſupra montem aſtitiſſe Domum, non manibus fabrorum de nouo conſtructam, ſed diuino miraculo adductam, cæperunt primo admirari, deinde venerari. Quapropter religione commoti, & ſtudio videndi quod factum fuerat (erat enim mirabile auribus eorum) concurrunt vndiq. ex vicinis oppidis, & certatim properant ad videndum.

Deſcriptio Domus B. Virginis, quæ ex Nazareth, in Dalmatiam, deinde in Picenum aduecta eſt. Cap. 82.

Erat felix Aedicula faſtigiato tecto, & ſimul camini culmine, ſimul ſublimi tintinnabulo, inſignis, ac nulla re magis, quam antiquitate viſenda. Erat figuræ quadrangulæ oblongæ, e vulgari ſtructa lapide, tectum laquearibus concameratum, quod modicis diſtinctum quadratis cæruleoq. colore obductum, inauratæ ſtellæ velut in Cælo quodam intermicantes, honeſtabant. Sub tecto laqueato eminebant vndique è parietibus modica ſpecie ſemicirculi ſe mutuo cōtingentes: quos medios pictæ adornabant capedines. Parietes cubitali ferme craſſitudine, non ad perpendiculum, neque ad regulam exacti, loricati tamen opere tectorio. Huic ſuperinducta antiquitus pictura, ædis ipſius myſteria referebat, quæ ſupernè multis locis hodie manet, inferne temporis vetuſtate defluxit. Aedis longitudo pedum amplius 40. latitudo 20. altitudo circiter 25. In medio ferme pariete, qui olim (vt reor) faciem obtinebat Domus, Ianua ſatis ámpla, ſed à vulgari vſu haud ſane abhorrens. Pro ſuperliminari trabs rudis ſuperiecta eſt. Ad læuam armariolum miræ ſimplicitatis aſſeruandis fictilibus aptum. Ad dexteram in proximo pariete feneſtra non magna: è regione feneſtræ caminus humilis, tenuiſq. opere, vt cetera, vulgari. Inibi ſublime loculamentum columellis in orbem ſtrictis latera à ingentibus conſpicuū: arcuſq. eiuſ-

Tercellin. li. 1 Laur. hiſt. c. 2.

dem operis, quinque iunctas pariter lunas imitante faſtigiatū. In loculamento B. Mariæ ſtantis, ac puerum Ieſum altera manu medium amplexantis, altera ſuſtinentis effigies cedrina fere bicubitalis, cuius facies electro argentū referente oblita, ſed luminum infuſcata fumo. Ceterum illa ipſa infuſcatio antiquitatis, ac religionis index, impenſe auget virginalis oris Maieſtatem. Gemmata corona ſublimem diſtinguit verticem. Diſcriminati crines Nazarenorum ritu, per nuda colli, & humeros fluunt. Simulacrum ſtola aurea tegit, latiore zona, gentis more ſuccincta, demiſſaq. ad pedes. Palla cærulea ſtolæ ſuperinducta pēdet ex humero: vtraque in eodem trunco cælata, pictaq. Inſiſtit maternæ dextræ puer Ieſus mortali ſpecie auguſtior, diuinæ cuiuſdam maieſtatis indolem vultu præferens. Priores dextræ digitos, bene precantis in morem tollit; ſiniſtra aureum tenet globum. Et ipſe diſcriminato capillo, tunica talari, zonaq. Nazarenum habitum refert. Ante Deiparæ effigiem, ara ſolido è ſaxo quadrato viſitur, ſpirans ſanctitatem.

Quadriennio ſexq. menſibus exactis, rurſus ſacra Domus ex Illirico ſolo in altum tollitur (cauſa incerta eſt) & recedens ex finibus illis in Picenum perlata eſt, nimis precioſum Dei munus Italiæ miſſum. Quæ regio è regione Dalmatiæ ſita eſt interiecto Adriatico ſinu; conſedit autem in loco, quod Lauretum appellant iuxta Recinetenſem Ciuitatem. Anno 1295.

Ex Hieron. Angelita, & Horat. Turſel. Soc. Ieſu in Lauret. hiſtor. lib. 1. c. 2. & ſubſeq.

Tam igitur admirabilis ædes, ortu B. Virginis, & æterni verbi conceptu celeberrima, iuſſu virginis, & Angelorum miniſterio, cum aduecta eſſet in Picenum, ſtupor, & inauditæ rei admiratio commouit accolas ad explorandum, an vetum eſſet, quod factum fuerat, vt agnito cæleſti munere, mente colerent & gratias agerent, & ſe feliciſſimos arbitrarentur.

Igitur miſſi ſunt ſexdecim viri, fide, religione, & authoritate præſtantes, ex omni Piceno electi, qui tanquam exploratores, primum in Dalmatiam proficiſcerentur, deinde in Galilæam, vt rem agnoſcerent. Accedunt ad Dalmatas, rogant, vt oſtendant Aream, cui B. Virginis domus incubuerat, rogati illis oſtendunt Dalmatæ. Picentes menſura, qua ædem in Laureto poſitam menſi fuerant, remetiuntur veſtigia ædis, quæ olim ſolo ſuo inſederat, & ſpatia conuenire deprehendunt. Interrogant de tempore, quo Domus illa diſceſſit ex Illirico, & eodem plane tempore Dalmatis ereptam, & Picentibus datam comperiunt. Diſcedunt hinc, & in Palæſtinam perducuntur, veneratoq. Domini ſepulchro, cum feſtinatione pergunt ad montana, veniuntq. in Nazareth, & à Chriſtianis veris, qualeſcumque ſupererant in medio nationis Mauræ, percunctantur, vbinam eſſet natalis B. Virginis Domus? Qui partim ea, quæ à maioribus acceperāt, partim oculis ſuis viderāt, nota faciunt. Deducuntur ad loca antiquæ Domus, reperiunt aream cum fundamentis auulſæ Domus in ſolo relictis. Qua comperta, alacri ſtudio metiuntur circuitum auulſæ Domus, atque omnia omnino cum Illiricis veſtigijs, ædisq. Lauretanæ forma ac parietibus adamuſſim conuenire comperiunt: admirantur, & inuenta veritate cum magna lætitia reuerſi ſunt in Picenum, magiſtratibusq. ac primoribus ciuitatū a quibus miſſi fuerāt, omnia, prout geſta fuerant, ordine referentes, repleuerunt gaudio corda omnium. Rem omnem in publicas tabulas referre placuit, additis ſexdecim virorum nominibus, qui ad negocium perficiendum miſſi fuerant, vt res poſteris teſtata relinqueretur, & amplius nō ambigeretur. Quæ res deinde ſubſequenti-

bus

bus miraculis comprobata, nullus relictus eſt ambigendi locus, quin hæc ſit Virginis Domus. Hæc autem acta ſunt anno à Virginis partu 1296.

Iterum autem Clemens VII. Pontifex, tempore ſui pontificatus, rem totam intentius explorare voluit, tribus Cubicularijs in Dalmatiam, & Galilæam miſſis, qui menſuris adhibitis, vtrobique omnia conuenire deprehenderunt. Præterea alter ex iſtis Cubicularijs, nomine Ioannes Senenſis, duos inde attulit lapides ex ijs, quibus vulgo Nazarenæ Domus conſtrui ſolerent, qui laterem naturali forma imitabantur, flauentibus venis intermicantes. Reuerſi contulerunt Cubicularij lapides Nazarenos adductos cum lapidibus Lauretanæ Domus, & ſimillimos omnes, & quaſi ex eadem lapidicina repererunt, cum talem lapidicinam in Piceno nullam eſſe conſtaret; quod auxit miraculi fidem, & tanto teſtimonio veritatem rei comprobauit, vt de ea amplius nullus audeat dubitare, niſi qui tardus eſt corde ad credendum.

In hac igitur Domo, in qua Angelus Mariæ ſalutē imprecatus eſt, & plena gratia nominata eſt, Lapides ipſi clamant ita factum eſſe. Namq. lapides ipſis aduenientibus peregrinis in eā, tam ijs, qui prope, quam ijs, qui lōge ſunt, & ad eā peregrinaturos, vouent, & ægris, vexatis à ſpiritibus, alijsq. calamitatibus fatigatis, gratias cōferunt, & ſalutes. Numeraret ſtellas cæli, & arenas maris, quicumque recenſere vellet innumerabiles gratias, & excelſa beneficia, quæ cælitus à B. Virgine collata ſunt ijs, qui B. Virginis amore, eiūs domum viſitare voluerunt.

De magnificentia, & nobilitate Domus Beatæ Virginis. *Cap. 83.*

AEdicula hac, quæ extitit regiæ Virginis, & cæleſtis Regis habitatio, nihil ea hodie humilius, nihil magnificentius in orbe reperitur.

Baptiſta Mantuanus poeta, & inſignis Theologus, his verbis in exordio hiſtoriæ ſuæ eam exaltat. Cum nuper (inquit) veniſſem ad ſacratiſſimæ Virginis Mariæ ſanctum domicilium, vidiſſemq. qualia, & quanta Deus oſtendit in eo loco miracula, & ſuæ virtutis, & clementiæ ſigna manifeſtiſſima, me ſubito horror inuaſit, & viſus ſum audire vocem Domini loquentis ad Moyſen: Non appropinques huc, ſolue calceamentum de pedibus tuis, locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt. & poſt multa encomia: Sed quid plura, inquit, de Domus huius ineffabili dignitate commemorare pergo? libet mihi Iacob Patriarchæ ſermone concludere: Terribilis eſt locus iſte: non eſt hic aliud, niſi Domus Dei, & porta cæli. *Bapt. Mantua. in exordio hiſtor. ſuæ.*

Flauius autem Blondus, hiſtoricus ea ætate haud ignobilis, hæc de illa habet. Recanetum inter, & Adriaticum Mare (inquit) paululum a Muſione reſedit celeberrimum totius Italiæ in aperto, immunitoquē vico ſacellum glorioſæ Virginis Mariæ in Laureto appellatum. Quo in loco preces ſupplicantium à Deo Genitricis ſuæ interceſſione audiri, illud maximum, certiſſimumq. eſt argumentum, quod eorum, qui votis emiſſis exauditi fuerunt, ex auro, argento, cera, pannis, veſte linea, laneaq. appenſa donaria, magno luenda pretio, Baſilicamq. omnem pene complentia, Epiſcopus in Dei Virginisq. gloriam intacta conſeruat. *Flauius Blondus in Piceno.*

Poſtremo Leander Albertus, qui multa cum laude ſcripſit hiſtorias, in libro *Ex Leandro Alberto de Deſcr. Ital.*

ob

bro quem edidit de deſcriptione Italiæ, Picenum deſcribens, perhonorificam facit ædis huius ſacræ mentionem.

Recanetum (inquit) inter, & Adriaticũ mare non longe à Mutione fluuio cernitur in colle templum S. Mariæ Lauretanæ, toto terrarum orbe celeberrimum, quod ſimul cum oppido validis eſt munitum mœnibus: Hic multi ſunt incolæ excipientes hoſpitaliter peregrinos, qui ex omnibus Europæ partibus eo votorum perſoluendorum gratia confluunt cùm omnibus anni temporibus, tùm maxime vere, & autumno. Equidem de tanto templo dicturus, vnde ordiar neſcio: Obuerſatur quippe animo hinc ſumma loci religió, illinc eximia templi opulentia. Enimuero me vires deficiunt conantem dicere de ſanctiſsimo illo, religioſiſſimoq. cubiculo, vbi nata, vbi educata eſt cæli Regina ſemper Virgo, ac Dei parens Maria, eademq. miſerorum mortalium apud filium ſuum Patronã. Vbi Arcangeli Gabrielis nuncio, Dei mater effecta, appellataq. eſt, vbi humanam Deus naturam induit, vt nos ex faucibus inferni Draconis eriperet, cæleſtisq. Regni aditum per tot ſecula, Parentum humani generis vitio clauſum aperiret. Itaque vt dixi, vnde talis loci deſcriptionem ordiar, ignoro. Ceterum, vt pijs pariter, curioſisq. lectoribus ſatisfaciam, pauca dicam. Principio igitur dubitandum non eſt, quin hoc illud ipſum ſit cubiculum, vbi cæli Regina edita in lucem eſt. Nam præter certiſsima litterarum monumenta, quæ Deiparæ Virginis cubiculum ab Angelis huc tranſlatum eſſe fidem faciunt, nemo eſt tam ferus, ac ferreus, nemo tot, tantisq. flagitijs, ac ſceleribus coopertus, qui non ipſo Sacræ Domus ingreſſu, præſenti numinis cæleſtis religione perfuſus, molliri ſuum ſentiat pectus adeo, vt venerabundus B. Mariæ imploret auxilium, ac per eam a Chriſto ſuppliciter oret ſuorum veniam delictorum. Et ſane ad id ipſum humanos animos diuina vis videtur impellere. Ad hæc accedunt prodigia, ac miracula ibi diuinitus edita, beneficiaq. tributa ijs, qui ad Dei parentem ſupplices confugerunt. Id adeo non ſolum litterarum monumenta teſtantur, ſed etiam aurea, argentea, cetea ſimulacra, votiuæ quoque Tabellæ, per multas ætates, ac ſecula congeſta viſuntur. hæc ille.

Hic autem referam vnum, quod magno prodigio a B. Virgine in dicta Domo factum eſt, & deinde nonnulla alia ſubtexam, quæ ibi mirabili modo operata eſt. Nam ſcribere omnia ſigna & grandia miracula, & numerare opitulationes, & gratias, quas in Domo ſua B. Virgo diſperſit, & dedit pauperibus, immenſum opus eſſet.

De Marchione quodam Germano, in cuius brachio incurabiliter obtorto, miraculoſa ſanitas facta eſt ope beatæ Virginis. Cap. 84.

QVidam Medicus, nomine Cordella in Piceno, ex Firmana Ciuitate oriundus, poſtremis annis vitæ ſuæ, Romæ vbi defunctus eſt, medicinæ artem laudabiliter exercebat, erat autem primarius, & famoſus in Vrbe, Pontifexq ſummus eius opera vtebatur.

Cum quodam die (erat enim mei amiciſſimus) incidiſſet inter nos, & alios aliquos aſtãtes ſermo de medicinæ viribus, atque de eo, quod Deus aliquando

do facit ſupra naturam in ægris curandis, dixit ſe multa de hac re ab alijs audiuiſſe, vnum autem tantum vidiſſe ſe ſe, ſupra naturam factum, & admiratione plenum, quod oculis proprijs conſpexit, & obſtupuit. Hoc autem fuit huiuſmodi.

Quodam tempore Maceratenſis ciuitas, quæ à Laureto, vbi Beatæ Virginis domus diuinitus locata eſt, ad decies mille paſſibus, conduxerat operas Medici huius.; ibique medicam artem exercens aliquando percrebuit rumor in ciuitate Germanum quendam, Principem virum, Badæ Marchionem, Lauretum perueniſſe, & brachium ſuum iam olim plumbeo globulo à ferrea fiſtula emiſſo perfoſſum, & poſt ſanatum vulnus, neruisquè confractis, intortum pectori adhærens, vt nulla ratione huc, & illuc extendere, aut dimouere poſſet, niſi ad totius corporis motum, ad Virginem attuliſſe, & quod neque vnguentis, aut oleis, aut balneis, aut vllis peritorum Chirurgorum & Medicorum remedijs per longa tẽpora ad priſtinam integritatem, & ſoliditatẽ perduci potuiſſet, ſola prece in æde Virginis fuſa, ſanum eſſe factum. Quod cum certius affirmaret, Cordella non plene fidem præſtans ijs, quæ dicebantur propter rei magnitudinem, veritatis tamen ſciendæ curioſus, iubet ſtatim famulum ſuum ſternere mulam, & ſedens ſuper eam celeri greſſu ad Lauretum cum perueniſſet, conſpicit totum Oppidulum magna lætitia geſtiens, auditq. omnes vno ore laudantes B. Virginẽ, quæ in ea domo, vbi ab Angelo ſalutata, dictaq. eſt gratia plena, neque in ſuperioribus ſeculis, neque temporibus noſtris ceſſet ſpargere fluenta gratiarum ſuarum, & facere magna, & mirabilia ipſa, quæ potens eſt. Sed exultantis plebis teſtimonio adhuc non contentus, confert ſe ad hoſpitium, vbi Marchio hoſpitabatur, rogatq. famulos eius, vt permitṫat videre, & alloqui Marchionem. Introductus in thalamum, vbi Marchio ſolus erat, accedit ad illum, ſalutat, & alloquitur latinisq. verbis, non enim linguam Italicam Marchio callebat, cauſam ſui itineris exponit, poſtulatq. ne dedignaretur tam inauditæ rei veritatem exponere. Tum Marchio benigno vultu Medicum excipiens, vltro narrauit illi inauditum miraculum factum circa brachium ſuum in oppido Laureti, gratia & opera ſanctiſſimæ Virginis. Res autem hæc mirabilis hoc modo acta eſt, referente Cordella.

Ille Marchio in Colonienſi tumultu Bombardæ ictum exceperat in brachio, cumque mori ſe crederet, poſitus in magno vitæ diſcrimine, quidam famulus Italicus ex ijs, qui illi parebant, perſuaſit ei, vt totius ſalutis ſuæ ſpem in beatiſſimæ Virginis Mariæ auxilio poneret, voueretq. gratiam poſtulatam ſi recepiſſet, viſitaturum ſe Domum eiuſdem Virginis in Italia apud Lauretum in Piceno poſitam, ita enim futurum eſſe dicebat certiſſime, vt euaderet ex imminenti morte, ſicut innumeris alijs contigiſſe aſſerebat. Cogitans autem, quæ à pio famulo dicebantur, quamquam prius huiuſmodi narrationibus fidem præſtare non ſoleret, immo derideret, qui hæc ſuaderet, tamen in illo tam magno vitæ periculo conſtitutus (ægri enim, cum eorum ſalus periclitatur, facile credunt ſpondentibus ſalutem) fidem adhibere non renuit. Igitur vitæ cupidus, quanta potuit animi humilitate rogauit ſanctiſſimam Virginem pro incolumitate vitæ ſuæ, ſpondens cum muneribus ſe eſſe profecturum ad viſitandam domum eius, ſi deſideratam recepiſſet ſalutem. Poſt preces, primum eripitur faucibus mortis, & paulo poſt redditur

ditur ſanitati? Manſit tamen brachium vulnere perfoſſum, obtortum,& tam male diſpoſitum, vt adhæreret immobiliter pectori, & nulla ratione ſe flectere poſſet ad munia obeunda. Quapropter cum plurimum triſtaretur, tentatis plurimis remedijs, quæ Medici in medium afferebant, brachium in ſua immobilitate perſeuerabat. Pius autem famulus, videns integritatem brachij Domini ſui deſperatam, rurſus rogat Marchionem incaſſum illum quærere medicamenta ab hominibus, ſuadetq. vt oculos ſicut prius fide plenos tollat ad cælum, vbi apud filium aſtat ſublimiſſima Mater, in cuius ſinu innumerabilis gratiarum multitudo requieſcit, futurumq. eſſe, vt ſicut prius, plenam & ſolidam brachij ſanitatem recipiat. Quod, vt certius aſſequeretur, conferret ſe in Italiam ad Lauretanum templum, vbi vota perſoluat. Narrabatq. B.Virginis ædem coopertos habere parietes Tabellis, gratias receptas ſignificantibus.

Quod cum audiſſet Marchio, rurſus cor eius accenditur ad fidem, & expertus primam gratiam, non dubitauit de ſecunda. Conuocat aliquot viros, quibus comitatibus peruenit ad illum cũ muneribus: Munera autem quæ attulit, fuerunt iſta: Aureum ſacerdotis amiculum,& ex aureo torque pendens hyacintus eximia magnitudine, & ſpecie. Aurea pyxis, mira vndique arte cælata binos pene palmos circuitu amplectitur, & conchæ marinæ inſtar bipartita, intus Marchionis effigies Virgini ſupplicantis, ſalutisq. per eam partæ monumentum. extrinſecus in altera parte S. Georgij, ex equo Draconem haſta figentis pulcherrime cælata, & diſtincta gemmis imago. In altera ſimulachrum Suſannæ in lauacro à ſenibus deprehenſæ, eodem opere ac ſpecie gratum videntibus ſpectaculum.

Circa vigeſimam tertiam diei horam, moræ impatiens admittitur in beatum cubiculum ſanctiſſimæ Virginis, ſolus: proſtrat ſe humiliter, & vbi Virgo ab Angelo ſalutata fuit, ſalutat ipſe Virginem, memorat antiquas eius miſericordias, laudat infinitam eius bonitatem, rogatque, vt, cum poſſit, velit deſiderium complere ſuum. In illa oratione, in qua, quaſi per horæ ſpatium perſtitit, nil aliud actum eſt circa eum, niſi quod ſenſit exhilarari cor ſuum: redit poſtmodum ad hoſpitium, & poſtquam cœnatum eſt, it cubitũ, deditq. oculos ſomno. Cumque per binas forſan horas dormitaſſet, Mulier candidum ferens veſtimentum, lumine amicta apparet ei, totumq. cubile lumine perfuſum eſt: blandisq. verbis eum compellans, & confidere iuſſo, imperat vt brachium extendat: extendit ille agilitate magna, vti prius, antequam aliquid in eo paſſus eſſet, cumque crederet non ſe viſionem videre, ſed ſomniare, manu palpat brachium, tentat, an verum ſit, cumque certo cognouiſſet illam fuiſſe B. Virginem, quæ apparuit ei, & ſalutem per eam recepiſſe brachij ſui, diſparente illa, cæpit præ lætitia tollere vocem, & bedicere, laudare, prædicare benefactricem ſuam: cumque altius inclamaſſet, audiuerunt famuli Marchionis vocem, accurrunt, & quid rei ſit, explorãt: audiuntq. & vident, mirabile opus, quod actum eſt, repletaq. eſt tota domus lætitia magna.

Referebat autem Cordella, quod poſtquam Marchio retulit, quæ dicta ſunt, vt Medico rei veritatem oſtenderet, & nollet eſſe incredulus, ſed fidelis, denudauit brachium, & oſtendit illi loca, vbi brachium fractum fuerat. Obſtupuit Cordella ad aſpectum rei ſupernaturaliter actæ, & gratias egit

Deo,

Deo, & B. Virginis, quod vidiſſet viſionem illam magnam, & lætus redijt intus & ſæpius hoc quod viderat referebat. didicitq. in ægritudinibus non totam ſpem eſſe in remedijs medicorum locandam, ſed in Deo, & Genitrice Dei gratiarum plena.

Hoc grande miraculum refert etiam Torſellinus in hiſtoria Lauretana, & inquit, quod vbi primum dies illuxit, Lauretano Præfidi totam rem ordine vti geſta erat expoſuit, & ille tantam rem haudquaquam negligendam ratus, miraculum rite conſignandum litteris, ſubſcribendumq. à teſtibus curauit.

Puella, dum gregem paſcit, vidit B. Virginem, & ab ea in domum ſuam adducitur mirabiliter; & deinde virginitatem perpetuo, & laudabiliter coluit. Cap. 85.

SAbino cuidam, ex pago haud ignobili agri Piceni (Roccam Contradam vocant) filia erat ſeptennis, nomine Alexandra, quæ haud longe à pago paternum paſcebat gregem. hæc dum oues paſcerētur, ſub arboribus venerabunda cæleſti numini ſupplicare conſueuerat. Itaq. diuinitus nondum ſeptēnium egreſſa dicauit ſe Deo. Quo magiſtro dum precibus inſtitit, Deiparam enixe colens, repente obtulit ſe illi cæleſti ſpecie Virgo (haud dubie Dei mater fuit) quæ puellam manu prehenſam ſe ſequi iubet. Mira res dictu, triginta millia paſſuum ab eo loco, ipſamet cælitum Regina paruam puellam ad Lauretanam deducit Aedem, & ingenti perfuſam gaudio ex ſui imaginis ac domus aſpectu, reducit ad paſcua. Ibi Alexandram, etiam ſi quæ tandem illa ædes, quæ Virgo eſſet, ignoraret, tamen ingens eius loci, & ſpectaculi deſiderium tenebat. Ergo, vt guſtata ſemel Lauretanæ domus dulcedo ſubibat animum, flens precibus vrgere, ac fatigare Sabinum patrem non deſinebat, vt ad ædem illam tot luminibus illuſtrem (neque enim aliter deſignare nouerat locum) ſe duceret, vbi pulcherrima illa Virgo habitaret. Eludebat filiæ poſtulatum pater, ſiue pueriliter delirare eam ratus, ſiue quem tandem locum illa deſcriberet, ignarus. Ceterum haud multo intermiſſo tempore, euenit vt Sabinus cum vniuerſa familia Lauretum pergeret. Tum vero Alexandra locum agnoſcens, geſtire, & exultare gaudio; ac verſa ad parentem: En pater, inquit, hæc, hæc illa eſt Domus, quo me pulcherrima illa Virgo candida veſte amicta deduxerat; huc ego, redire, hoc ſpectaculo iterum frui expetebam. Obſtupuit ad hæc pater, & eximiā puellæ erga Deiparam religionem animo reputans, ſenſit eam B. Virgini eſſe cordi, vtique cum Dei mater illam ad ſe à primis annis inuſitata quadā ratione pelliceret. Igitur pietatem filiæ fouere non deſtitit. Remq. omnem, nec ipſe tacuit, & Alexandra vbi adoleuit, pijs hominibus ſæpe narrauit, qui deinde alijs, ac mihi ipſi retulerunt. Incidit hoc miraculum in annum ſeculi huius VII. Nec fruſtra hæc fuerunt. Alexandra deinde hoc tyrocinio imbuta virginitatem perpetuo coluit, vitamq; ſanctiſſime egit ad annum nonageſimum, Lauretanam Virginem quotannis reuiſens. Tanta porrò fuit ſanctimoniæ fama, vt in Oppido Montalbodo Virginum cœnobio Antiſtes data ſit, vbi miraculis etiam, non tantum virtutibus floruit.

Turſel. li. 2. Laure. hiſt. cap. 13.

Blaſ-

Blaſphemo in Deum & B. Virginem lingua præciditur, idem deinde rogans B. Virginem, vt daret ſibi facultatem confitendi peccata ſua, mirabili modo linguam exſectam recipit, & loquitur. Cap. 86.

Turſel. lib. Laure. hiſt. 4. c. 11.

SAmnitum Prætor Lauretum petens Ciuitellam diuerterat. Ibi nefarium hominem deprehendit aſſuetum in Deum, ac Virginem Lauretanam, impia ſubinde verba iactare. Ergo infenſus ira, protinus exempli prodendi cauſa, veſanam magniloquentiam, exſecta ſacrilego lingua vindicauit. Neque hoc contentus eundem in cuſtodiam traditum aſſeruari ſedulo iubet, quoad ipſe Laureto regreſſus decerneret, an eſſet pœna grauiori multãdus. Itaque miſer ille ſupplicio ſumpto æger, ſui ipſius ſolicitus aliquando reſipuit, & ſcelere in cultum verſo, dies noctéſq. Lauretanam Virginem placare tacitis precibus, votiſq. inſtitit, obſecrans, vt infenſam ſibi proregis leniret iram, daretq. facultatem animi labes ſacra confeſſione expiandi. Nec ingratæ Virgini, irritæque extiterunt impij hominis reſipiſcentis preces. Haud multo poſt ſpecies Deiparæ illi in ſomnis oblata eſt, iubẽtis eum bono animo eſſe: breui fore, vt cuſtodia emiſſus ad Lauretanam Aedem pergeret: ibique peccata confiteretur, nouæ linguæ ſubſidio. Prædictionem comprobauit euentus. Experrecto quædam quaſi lingua renaſci cæpit, qua haud ſane ægre ſenſa expromeret mentis. Et Prorex Laureto reuerſus, re cognita, parcendum exiſtimauit, cui Virgo ipſa pepercisſet. Confeſtim igitur eum liberum dimittit monitum, vt ſuo poſthac periculo ſaperet. Datiſq. ad pœnitentiarios litteris miraculi teſtibus, Lauretum deſtinat gaudio geſtientem ad vota reddenda. Quo vbi venit, haud magis proregis epiſtola, quam res ipſa miraculi fidem omnibus fecit. Quippe patefacto oris hiatu (mira dictu, mirabilior viſu res) ſimul reciſam linguam, ſimul lingulam quandam ſubnaſcentem videbant, & tamen vbi vellet ille, quamquam bleſo ore, audiebant loquentem. Neque hic ſtetit res. Poſtquam domum reuerſus, ſacris myſterijs bis, terue perceptis noua lingua ad iuſtam magnitudinem nouo excreuit miraculo. Itaque Lauretum denuo ad agendas Deiparæ grates profectus, ijs ipſis, qui exſectam paulo ante linguam viderant (quorum ex numero Raphael Riera fuit, qui hæc memoriæ prodidit) immortali B. Mariæ dono renatam oſtendit, cunctis rei nouitate, atque admiratione attonitis, & tam eximium, tamque illuſtre miraculum B. Virgini gratulantibus.

Præfectus equitum, abreptus Velini fluminis impetu, dum per altarum aquarum præcipitia ruit, ope Virginis, vndis eripitur. Cap. 87.

Turſel. li. 3 Laure. hiſt. c 9.

EST in agro Reatino (Italiæ vmbilicum vocant) lacus haud ignobilis, quem Velinus amnis efficit, à quo nomen trahit. Hinc Velinus emerſus, aliquanto ſpatio lenis, ac placidus fluit. Inde ex altiſſima rupe per ſcopulos, & ſaxa præcipitans in ſubiectam petram ingente fragore, ac ſtrepitu aquarum cadit. Vulgo Pediluci ruinas appellant. Haud procul rupe,

quam

quam dixi, turma equitum Petri Aloyſij Farneſij (is tùm Caſtri Dux erat) forte ducebatur. Turmæ Præfectus (Mareſcallum appellant) Petrus Terenaticus Senenſis erat. Hunc cupido inceſſit ſpectandi propius amnem ex alto cadentem. Igitur duobus equitibus aſſumptis, ad locum, vnde Velinus præcipitat, viſendi ſtudio diuertit: Iamq. potaturus equus flumen intrarat, cum procedens paulatim in profundum gurgitem prouexit incautum. Nec mora ſenſit ſe à profluente abripi in præcipitem locum, quem ſpectaturus aduenerat. Iamq. aquarum impetu ex equo deturbatus, haud procul aberat ab interitu; cum Lauretanam Virginem lachrymabundus implorat. Nec ſurdis auribus preces adhibitæ. Extemplo in ipſa fluminis ruina B. Virgo adeſt periclitanti; porrectaq. dextra præcipitem inter vndas, ac ſcopulos ſuſtinet, tueturque, donec ad ima perueniat: mira dictu res: ex altiſsima rupe deuolutum ſcopulus excepit, reddiditq. innoxium. Igitur confeſtim Lauretum ad vota Deiparæ exſoluenda venit: votiuamq. tabellam, in qua tota res ordine perſcripta eſt, tanti miraculi teſtem exſtare voluit, quæ hodie ad dextram Sacroſancti ſacelli in pila ſuſpenſa viſitur. In tabella inſcriptum: Ego Petrus Terrenaticus eques, & Mareſcallus equitatus Ducis Caſtrorum, & ceteri equites ex Piceno ad Vicum Varronis proficiſcentes, cum Nonis Martias 1543. ad Velinũ lacum perueniſſemus; ego, & duo alij milites, Tiberius ex Grauiſcis, & Antonius Cortonenſis à ceteris equitibus diſceſsimus, vt illum viſeremus locum, quo ſe Velinus in Nar præcipitat. Ac non procul inde, cum equum adaquarem, ego vna cum equo in quaſdam fluminis anguſtias incidi, ex quibus præcipitem altiſsimo caſu, circiter videlicet centum cubitos altum, & Deiparæ Virginis Lauretanæ opem implorantem, quidam me ſcopulus excepit incolumem; & rei miraculo admirabundum, atque attonitum. Quapropter illico votum perſolui beatiſſimæ Virgini, quam tùm præſentem, propitiamq. ſum expertus, teſtibus oculatis duobus Centurionibus Chiancio Vrbeuetano, & Raimundo cum vniuerſa equitum ala. Hanc nos inſcriptionem ad verbum inſeruimus, vt quam teſtatum, certumq. ſit hoc miraculum, magis appareat.

Formoſa adoleſcentula libidini vacans, multas opes lucrata, rediēs in patriam ab itineris comite multis vulneribus confoditur, & pecunijs ſpoliatur, cumque moriens B. Mariæ auxilium imploraſſet, exaudita eſt pro ſua in illam deuotione. Cap. 58.

SIcula puella (cuius nomen ſilentio traditur) meliore forma, quam fama, Venetias perducta multos ſibi annos vulgato corpore quæſtum fecerat. Iam ſatis rem auxerat familiarem, cum icta patriæ deſiderio, domum aliquando redire decreuit. Ergo bonis omnibus in pecuniam redactis, familiari quodam ſuo comite Lauretum petit ea mente, vt derſis inibi confeſſione ſuperioris vitæ ſordibus, ac Lauretana Virgine ſalutata, inde lætior in Siciliam pergeret. Ventum erat ad Rauennatem ſyluam, cum bonus ille familiaris poſtea quam omnia circa tuta vidiſſet, prædæ ſpe ſtimulante, ſtricto ferro inuadit incautam, nec tamen eam penitus ſefellit. Mulier infeſto mucrone ſe peti cernens, Virginem Lauretanam inuocat. At Latro (diffe- *Turſel. l. 3. Laure. hiſt. c. 28.*

rente

rente B. Maria auxilium, quo eſſet illuſtrius) puellam gladio tranſuerberatam è iumento, quo vehebatur, deijcit: deiectam inſequitur, conciditq. plagis, B. Mariæ ſubinde præſidium implorantem. Ad vltimum ne qua ſit reliqua vitæ ſpes, ſeminecem iugulat fœdum in modum: auroque, ac gemmis ablatis, muliere inſuper vulneribus confoſſa, recedit. Illa in ſuo natans cruore iam moribunda luctantem animam B. Virgini commendabat; cum in ipſo articulo haud dubiam patronæ ſuæ experta eſt opem. Repente ei B. Maria in veſte candida ſe offert, cæleſti emicans luce: & bono animo eſſe iuſſam benigne complectitur: moribundamq. gremio fouens, ſimul vulnera corporis tactu ſanat, ſimul ægrum animum cæleſti perfundit gaudio. Deinde caſtæ vitæ admonitam relinquens, ex eius oculis elabitur. Ibi tum mulier velut ex profundo excita ſomno, corpus ſuum perluſtrans oculis recentium vulnerum cicatrices iam obductas videt: mortiferam iuguli plagam perſanatam ſentit explorans manu. Itaq. tam inſigni Dei, ac Deiparæ beneficio admodum læta, ſubmiſſis genibus maximas ſecundum Deum certiſſimę patronæ ſuæ grates agit. Vnum erat, quod liquidam turbabat lætitiam, in ſubucula cruenta, ac lacera à latrone illa relicta fuerat in ſylua. Ceterum haud ſegnius nudæ mulieris pudori Deipara Virgo conſuluit, quam cæſæ cõſuluerat ſaluti. Ecce tibi illa miſtas laudibus grates B. Mariæ impenſius agente, præſto fuere Muliones, qui illac forte tranſibant. Hi cruentæ puellæ, peregrinæq. Lauretum (id ex ipſa cognorant) petentis ſpeciem, nuditatemq. miſerati, illico ſeminudam centone contegunt: muloq. impoſitam deuehunt Anconam Lauretanæ Virginis religioni fauentes. Ibi illa viliore veſtitu emendicato, protinus Lauretum lætabunda contendit. Poſt abſterſas confeſſione vniuerſas vitæ labes, Virgini vota perſoluit: paſſimq. expertem prædicat eius opem, cuius haud dubie poſt Deum, beneficio viuebat, ex media morte ad vitam vtique reuocata. Ad faciendam rei fidem recentem mortiferæ plagæ cicatricem oſtentabat in iugulo. Et acceſſerat diuinitus tanti miraculi haud obſcurum indiciũ. Circa collum cicatrix aurea, monilis in modum fulgebat, vt facile diuina B. Mariæ manu plagam illam tactam, ſanatamq. ſentires. Id vero cunctis qui aſpexerunt (ex quorum numero fuit Raphael Riera, qui rem memoriæ tradidit) ingens non modo miraculi monumentum, ſed etiam miraculum fuit. Porro mulier ſiue Lauretanæ Domus dulcedine capta, ſiue Deiparæ optime de ſe meritæ gratiam relatura, Lauretum prætulit patriæ, quippe annos complures ita inibi vixit, vt diuinis identidem expiata myſterijs Lauretanam inuiſeret Virginem, plures incolarum ad Dei, Deiparæq. obſequium excitans ſingulari innocentiæ, ac pietatis exemplo.

Baſſa Turcarum, B. Virginis ope curatus, oblatis muneribus ei gratias refert. Cap. 89.

Turſel.l.3. Laure.hiſt. c.18.

NOn eſt, qui ſe abſcondat à calore gratiarum Virginis huius, vndique enim fluunt, ita vt nec Barbari ipſi B. Virginis opis expertes fuerint. Corcutus Turcarum Prætor (Baſſam ipſi vocant) anno 1552. Conſtantinopoli cum eſſet, ex graui, occultoq. pectoris apoſtemate ad extremum venerat vitæ diſcrimen. Apud eum ſeruitutem ſeruiebat Chriſtianus vir bonus,

ac pius. Qui Domini periculum ſuæ libertatis occaſionem ratus, Prætorem adit moribundum, & de B. Mariæ Lauretanæ admirabili vi, in morbis cuiuſque generis depellendis edoctũ, bonæ implet ſpei. Igitur haud ægre eum impulit, vt ſecum Lauretanam Virginẽ inuocaret vouens, ſi morbum depuliſſet, ſe in eius gratiam illi ſeruo libertatem daturum. Nec ſeruus Dominum, nec Maria pium ſeruum ſefellit. Protinus dirupto apoſtemate Prætor ſanatur, & extitit ab eo quoque fides. Extemplo ſeruum illum libertate donatum cum litteris, ac muneribus Lauretum ad Virginem deſtinat. Munera fuerunt, mantile egregio opere, ingentes cerei, argenti vis non parua, arcus, & pharetra præclara cum ſagittis, non tam precio, quam donorum nouitate, donantiſq. admiratione grata, & accepta. Erat illa tempeſtate Laureti præſes Gaſpar Doctus Venetus. Is ceteris donis ſuper aram poſitis, arcum, pharetramq. ſuſpendi in ſacroſanctæ Cellæ veſtibulo iuſſit, rei ad poſteros monumentum. Attulerat is, quem dixi, Baſſæ Libertus, miraculi teſtimoniũ, Chirographum patroni ſui. Quod Gaſpar ex Arabico in vernaculam linguam conuerſum ad poſteritatis memoriam aſſeruari voluit. Id autem latine verſum erat huiuſmodi. Quod bonum, fortunatumq. nobis eſſe velit; magnus, ac miſericors mundi Dominus. Cum mihi ipſi diuinitus quiddam euenerit, ego Corcut Baſſa (ne meo deſim officio, tantæq. rei monumentum aliquod poſteris extet) rem omnem ordine exponam. Ortum erat atrox apoſtema nobis in pectore, iamq. haud dubium imminebat exitium; cum deſperata a medicis ſalute, meus me ſeruus adijt, & ſane fidenter: ſi mihi libertatem polliceris (inquit) Dei mei matrem exorabo, vt priſtinam tibi reſtituat valetudinem. Itaque ego confeſtim accerſito tabellione, libertatem ei repromiſi, ſi ipſe promiſſa præſtaret. Extemplo ſeruus poſitis humi genibus, & quædam ſuper ſe ſigna ducens manu, rogitat, vt ſemet verbo præeuntem ſequar. Inde ipſe præire his verbis cæpit. Ego B. Mariæ Lauretanæ opem imploro. Monenti obſecutus, triduo poſt, Deo fauente, conualui. Et ſeruo in libertatem vindicato, hoc Chirographum dedi cum votiuis donis, quæ meæ obſeruantiæ, gratiq. animi monumenta ſint B. Mariæ parenti prææpotentis Dei, qui nos ſaluos velit.

Milites præda cupidi, dum ad diripiendam Virginis ædem irruere cogitant, nec pij Ducis; aut conſilia ſequuntur, aut minas timent, luporum impetu, & inſolita formidine, & nebula coercentur. Cap. 90.

NEc à Barbarorum vi magis, quam ab auaritia Chriſtianorum militum Lauretana domus per idem tempus cæleſti vtique præſidio intacta manſit. Franciſcus Maria Vrbini Dux fortiſſimus, & militari peritia clarus, à Leone decimo ditione exutus fuerat. Qua deinde armis recepta, vltro ipſe Picenum agrum infeſta populatione percurrit, Pontificis, vt ipſe dictitabat, iniuriam vlturus. Exercitum habebat ex multarum gentium colluuione miſtum, quibus nec mos, nec lingua communis, & præda potior religione erat. Proinde neque ducis imperio ſatis regi poterat, neque vlla ratione à rapina prohiberi. Et Præfectorum, centurionumq. pleriq. iampridem Lauretanis theſauris inhiabant. Itaque per internuncios de his diripié- *Torſellin. li. 1. Laur. hiſt. c. 20.*

dis clandeſtina inter ſe conſilia agitarant. Ergo ex compoſito ad montem Filatranum non procul Laureto ſub veſperam ſubſiſtunt, ea mente, vt poſtero die illuceſcente, Lauretanam Aedem defenſore vacuam direptum eant. Haud fefellit pium iuxta, prudentemq; Ducem impius conatus exercitus ſui. Itaque per interpretes deterrere ab ipſo conſilio perditos barbarorum Duces, per Italicas copiasq; nefarium facinus impedire inſtitit: omnia agere, omnia moliri, vt quolibet potius auerteretur incenſa prædæ cupido. Ceterum ſurdæ erant omnium aures obſtrepente auaritia. Ita maior pars, vt plerumque fit vicit meliorem. Luce nondum certa, præmiſſis exploratoribus, agi cæptum eſt agmen. Diſſuadere iterum Dux, ac minas precibus miſcens deprecari ſacrilegam profectionem. Poſteaquam nihil proficiebat, orat; ſi ſtetiſſet animo Lauretum pergere, vt mutata in diuerſum voluntate; pietatis ergo, vt cetteri mortales, ad ſacroſanctam Deiparæ Virginis Cellam accederent; ſi ſecus fecerint, non ſuam modo, ſed cæleſtem quoque intentat iram; recentia Turcarum exempla proponens. At illi animis veſania, auaritiaq. occupatis, nullius ſalubris conſilij patientes ad deuoratam ſpe, & opinione prædam incenſis ſtudijs tendunt. Sequitur exercitum Dux, quem regere nequibat, ſacrilegium, quod impedire non poterat, temperaturus. Sed non defuit Sacroſanctæ Cellæ præſidium Virginis. Præmiſſi exploratores haud procul Laureto aberant: omniaq. tuta eſſe cernentes lætitia geſtiebant; cum ſubito acrium grex luporũ (vt ferinam hominum rabiem feræ comprimerent) è ſaltu proximo erumpunt, ac velut facto agmine in præcurſores impetum faciunt: illorum plerosq. repentino terrore amentes iugulant, laniantque: ceteros in fugam vertunt, ſalutis iam magis, quam prædæ memores. Qui vt ad primum agmen metu, curſu, laſſitudine exanimati peruenere; receptis demũ à pauore tanto animis, effuſæ fugæ, terrorisq. cauſam ſocijs tanti ſceleris aperiunt: monent etiam atque etiam, viderent quid agerent: Aedi Lauretanæ Deum cuſtodem, ac vindicem adeſſe. tantam vim luporum, tam immania corpora belluarum non è nemore illo egreſſam; ſed diuinitus in prædatores emiſſam: nec ipſis tam cum belluarum exercitu, quam cum Deo, cæleſtibuſq. eſſe pugnandum. At veſani exercitus Duces exploratorum terrorem tanquam vanum, militari deridiculo eludentes, nihil minus properabant ad prædam. Verum enimuero, vt ſacra Aedes in conſpectum ſe dedit, repente ingens exercitum pauor inuaſit. cunctiq. lymphatis ſimiles trepidare cæperunt, diuinitus incuſſa formidine omnium pectora percurrente. Tum vero excuſſa veſania, ad ſe redeunt ſceleris Duces: & ſiue diuini ira numinis, ſiue templi religione conterriti, cuncti pariter præmeditato latrocinio deſiſtunt. Ceterum ne ſubinde militares animi ad ingenium redirent, conſternatis nouum miraculum additur. Iam multum diei proceſſerat, cum repente nebulam de cælo lapſam ferunt, quæ paulatim circa templum denſata eius conſpectum ademit; cum tamen cetera circum loca ſole eſſent illuſtria. Ea ſpecies oculis obiecta militum, animos quoque immobiles tenuit. Exinde ingenti horrore perfuſi procumbunt in genua, verſaq. in religionem audacia, ad placandam Dei, ac Deiparæ iram, Lauretum ire pergunt. Quo vt ventum eſt, cuncti, ac præcipue cohortium Duces, Lauretanam Aedem intrant venerabundi: ac poſitis humi genibus, cogitati ſcele-

ris

ris veniam expoſcunt, vltro etiam Virginem, quam diripere deſtinauerant, muneribus colunt. Ita ſuſceptum ab inſano principio iter exitu ſaniore concluſum; Vrbinatium Dux inſperato exitu facinoris mire lætus, Deo ac B. Virgini auerſum ſacrilegium gratulatur: mox detracta ſibi arma in primo auguſtiſſimæ cellæ aditu ſuſpendit tanti miraculi monumentum: ſimul ſe ex agro Piceno exercitum abducturum vouet. Nec votum fefellit. Extemplo formidabiles copiæ abductę; eademq. opera, & Lauretana Aedes, & Picena regio, direptionis metu diuinitus liberata.

Beatam igitur eſſe Mariam omnes generationes pronunciauerunt, & hodie inceſſabili voce proclamant idipſum. Maria autem in medijs laudibus ſuis, vt oſtendat verum eſſe, quod dicitur, & vere ſe eſſe beatam, & gratia plenam, largas in omnes, qui inuocant illam, ſemper effundit opes vſque nunc, gratiæq. eius ſunt guttę iugiter manantes: ſuarumq. gratiarum diffuſiua, facit quod ad beatam pertinet, cuius proprium eſt magis dare, quam accipere. Dat autem, & diſpergit in egenos, & pauperes inexhauſtas diuitias ſuas, & gloria eius manet in ſeculum ſeculi. Sed hic nacta rurſus occaſione, quędam referamus quæ beata Regina largita eſt mortalibus beneficia; cetera alibi magis oportune referenda.

Grande beneficium, quod B. Virgo in virginem puellam contulit, vt ipſius ope, quod natura præſtare non poterat, diuinitus ſit conſecuta. Cap. 91.

SEd quoniam (inquit ille) miracula recentia, cuius teſtes præſentes ſunt, hominum corda magis mouere ſolent; à Chriſtiano lectore peto, ne deſatigetur, ſi ad ea, quę narrata ſunt, alia tria adiunxero, quę cum tam noua ſint, venia ab ijs, ad quos ſpectat, mihi petenda fuit, vt ea ſcribere poſſem. *Aloyſ. Granat. in Cathechiſ. in ſymb. fid. lib. 2.*

Primum autem illud referam tam magnum, tam certum, atque notum, vt ſi gentilis eſſem, ſatis eſſet, quod me ad fidem conuerteret; non aliter, ac ſatis fuit illud, cum Naaman per Prophetam Eliſæum à lepra liberatus fuit. In hac Olyſippi ciuitate habitat quædam nobilis mulier, nomine Catherina de Thaide, Domus Villæuiridis Domina, de cuius virtutibus nihil hic attinet dicere, cum nolint ſancti, vt viuos laudemus, ſed mortuos; tunc enim laus hec laudatos, nec laudantes damnat. Hæc nobilis femina, cum ætatis ſuæ annum ageret decimumtertium, aut quartum, in maximum morbum incidit, & cum ijs ſymptomatibus, quæ illam ad mortem perducebant, tandem eo peruenit, vt quæcunque ad funeralem pompam neceſſaria eſſent, iam paraſſent. Eo tempore illius nutrix, quæ eam educauerat, & ab ea ſuæ vitæ ſubſidium, ſuorumq. filiorum expectabat, ad ſanctiſſimæ Virginis eccleſiam iuit, & multis cum gemitibus & lachrymis pro eius incolumitate orabat; quibus quidem id exoraſſe, ab ipſa Virgine Maria, credendum eſt, & ita paulatim tribus menſibus cum dimidio elapſis conualuit, ſed ita, vt corporis pars ſiniſtra tota paralitica remanſerit, tantoq. cum tremore, vt ſi quis ei brachiũ tenere vellet, ei quoque penitus tremeret. Hoc per nouem menſes perdurauit, cui licet omnes ciuitatis alicuius nominis medici omnia remedia, quæ fieri poterant, adhibuiſſent, nihil tamen illi profuerunt.

Illa tamen ſemper in Virgine Maria ſpem habebat, fore, vt per illam jam deplorato morbo, valetudinem etiam tribueret integram, inquiens, Virginē gratias diuiſas minime facere. Nouem ijs menſibus elapſis, eam ad quoddam cœnobium Carmelitarum perduxerunt, quod in eadem illius terra erat; Eccleſia, dicitur noſtra Domina reliquiarum, & eſt domus multæ deuotionis, & à multis peregrinis frequentata: ipſa autem ante Virginis imaginem abiecta, ſuppliciter anum audiuit poſt ſe, quæ magnopere à Virgine ſuo Filio ægroto valetudinem petebat. Tunc inde occaſionem cæpit, vt & ipſa Virgini preces funderet, inquiens: Domina, ſi huius anus fidem haberem, ſalutem mihi tribueres.

Dum hæc verba diceret, & alia huiuſmodi, quæ illius fidem declarabant, illius Dominæ virtute, & matris miſericordiæ, ſe ſanam eſſe factam ſtatim cognouit.

Quo ſic perterrita fuit, & tanquam attonita, vt vbi eſſet, profectò neſciret. Tandem confeſtim ſurrexit, & ad Comitiſſam ſuam matrem, quæ in eadem Eccleſia erat, ſe ſuis pedibus recepit, quæ pariter admiratione ſtupefacta eſt: & omnes, qui aderant in Eccleſia, qui erant multi, cum dies Dominicus eſſet, cæperunt conclamare miraculum: quod cum Cœnobij patres audirent, Deo gratias agere cæperunt, & cantare: Te Deum laudamus. Poſtridie autem eius diei ſolemnem proceſſionem, propter hanc cauſam omnes illius terræ ſacris initiati fecerunt, in qua, & hæc nobilis femina fuit, ſuisq. pedibus ſemper iuit, cum verum fuerit, quod ſuperioribus nouem menſibus, nunquam ne gradum quidem ſine ferula in altera parte, & ab altera alicuius brachio ſuſtentata ire potuerit. At in poſterum ita ſana fuit, vt dicere ſolita eſſet, valetudinem datam à noſtra Domina, ex lapide, & calce eſſe.

Cuius rei illud argumento eſt, quod nunc quotidie in Eccleſia à ſummo mane, vſque ad horam, aut duas ante meridiem, genibus flexis ſine vlla defatigatione perſeuerat. In cuius beneficij memoriam quotannis, hæc illuſtris femina diem, quo ſanitatem conſecuta eſt, celebrat maxima lætitia in Virginis honorem, quem diem & famuli, & tota familia ſanctificant, vt diem feſtum, vt huius miraculi memoria conſeruetur. Cuius rei omnes illam terram incolentes, & huius Dominæ familia teſtes ſunt, & Patres, qui in illo Cœnobio commorantur.

Huius rei fama, ſtatim multi ex finitimis locis concurrerunt, vt hoc opus viderent, quod fecerat Virgo Domina noſtra, tam diuturnum morbum miſerata. In quo licet videre non ſolum Deum miracula facere ad noſtræ fidei confirmationem, verum etiam vt nonnullis neceſſitatibus, & morbis ſuccurrat, quibus nulla humana induſtria mederi poteſt, vt hic morbus fuit vna cum quatuor ſuperius enarratis.

Præſertim cum vitæ integritas & puritas virginalis vna copulantur cum morbo, ſicut ſuperioribus accidit, cū hæc virtus virginum virgini, & Agno, quam illæ ſequuntur, quocunque eat, tam grata ſit.

Fortis vir à barbaris hoſtibus immaniter cruciatus, Virginem Deiparam inuocans, præſentem inuocationis fructum magno miraculo retulit. Cap. 92.

QVando iam triennio è Creta Conſtantinopolim nauigaſſem, vniuerſam illam vrbem cum Galatæ ſimul in admiratione atque gaudio reperi non paruo propter ſingulare, ac inauditum multis temporibus Andreæ de Chio pro Ieſu Chriſti profeſſione martyrium. Fuit enim paulo ante mirabili conſtantia per gratiam Dei geſtum. Nam ego quidem menſe Nouembri applicui Anno ab Incarnatione Domini 1465. Andreas vero martyr Chriſti precipuus 29. die menſis Maij eiuſdem anni coronam martyrij miſericordia Chriſti conſecutus in cælos aſcendit ad eum, pro quo multos cruciatus ſuſtinuit. Verum, quod admirabilius rite conſideranti videbitur, illud eſt, quod niſi Andreæ martyrium diuinitus deſtinatum diuinæ gratiæ ope tuliſſet, & animos eorum firmaſſet, magna in eos clades, ac ærumna ingens ab inimico generis humani procellæ in morem fuiſſet effuſa. Quidam enim, quem honoris cauſa non nomino, ex Trapezuntana ortus Vrbe, Peripateticorum Philoſophiæ profeſſor, ſiue ſua ſponte, vt multi aiunt, ſiue impulſus neſcio, nec ſi ſciam, dicere auſim, Crucem Domini negauit, & Mahometo adhæſit. Quare Turcarum Rex elatus, virum quemdam, cuius nomen me fugit, ipſumq. Trapezuntium militiæ peritiſſimum in carcerem coniecit, dignum ratus, vt Philoſophum conciuem ſuum volens, nolenſue imitaretur; cupiebant enim eius opera vti in re militari. Cumq. Chriſtiano non conſideret, ad Mahometum intendere cupiebat. At ille animo martyr dicebat: Philoſophus in delicijs educatus maiore ipſarum ſpe, Chriſti Crucem negauit: ego autem qui pro Imperatore meo mortali tot tantoſq. labores cum Scythis bella gerens tuli, vulneraq. excepi (dixit, & aperto pectore cicatrices oſtendebat) pro Imperatore cęleſti mortem timebo? abſit à me tanta inſania. Quæ mens præterea eſſet mea, vel potius quæ ſtultitia, veritatem doloris fugiendi cauſa prodere, ac æterna, cæleſtiaq. regna repudiare, Mahometoq. adhærere, vt bellorum labores ſubeam, pericula magna pro Imperatore mortali ſuſcipiam, gladios in Chriſtianos ipſe natus diſtringam? & denique in mortem ruere, quam fugiendam cenſuit philoſophus, vt in æternam, ac veram mortem deferar præceps? Hæc ille.

Verum dum hæc Conſtantinopoli fierent, Andreas febribus grauiter laborabat, cælibemq. ſe perpetuo fore Reginæ Miſericordiæ Virgini vouit, ſi euaderet. Sedatis illico febribus, paulo poſt quaſi ex morte ſurrexit, & albis ſe veſtimentis induit, vt ſcilicet numquam obliuiſci poſſet mundiciæ corporis, quam Creatoris obtulit Matri. Conſtantinopolim deinde petijt, non vt Mercator, aut vagus quidam magnarum Vrbium viſendarum cupiditate. Summa enim in iuuene viginti & ſeptem annorum grauitas, atque conſtantia illucebat. Raro quis inane verbum ab ore ipſius excidiſſe audiuit: à ioco enim penitus erat alienus. Cur igitur iuit? à gratia Dei, vt ego arbitror, ad martyrium vocabatur, vt & ipſe in cælis Chriſto cum alijs Martyribus aſſiſteret, & omnibus prodeſſet, qui Philoſophi ſiue leuitate, ſiue terrore fuerant conturbati. Statim eum in Vrbe applicuit, accu-

Ex Georg. Trapezuntio referente Pet. Caniſ. lib. 5. c. 19. de Maria Deip.

ſatus fuit, quod cum Chriſtianis conuerſaretur, Eccleſiaſq. viſeret; quaſi Chriſtianus ſumma cum religione, ac deuotione homo, qui Crucem Alexandriæ negauit, conculcauit, ſputis fœdauit, & demum in ſtercora proiecit. Hæc mercatores Aegyptij, qui tunc in Vrbe aderant, ad Iudicem detulerũt, ſeq. ipſos vidiſſe eum negantem, confitentes quod Mahometo adhæreret, audiuiſſe atteſtabantur. Trahitur in iudicium Andreas, iniquum, accuſatione recitata, nunquam ſe à Chio, vbi natus, educatusq. fuit, niſi tunc, receſſiſſe affirmabat, idq. multis teſtibus approbabat, vniuerſamq. Chij Ciuitatem hoc ipſum ſcire aiebat. Iudex iniquus hac in re non eſſe audiendos Chriſtianos cenſebat. Tunc Chriſtianorum multitudo, quæ circumfuſa ſtabat: Si Chriſtianorum teſtimonium in huiuſmodi cauſa refutandum eſt, inquit, Mahometiſtarum quoque ſimiliter non recipiendum. Nam ſicut nos Chriſtianum falſo accuſatum iuſte defendimus, ſic Mahometiſtæ accuſationem ſuorum veram eſſe contendunt. Quare prætermiſſis teſtibus, res ipſa quærenda eſt. Non aliter igitur, quam Iudæi ſecundum Moſaicam legem circumcidi ſuos Propheta veſter iuſſit. Quare ſi genitalia huius membra ſimili nota læſa ſunt, morte iure plectetur; ſin minime cum ipſa re cauſa determinatione ſua, & nihil ambiguitatis hominum animis remanebit. Spoliatur interea Miles Chriſti, nudusq. a tanta multitudine aſpicitur: nullum in eo indicium, nulla circumciſionis macula, nullum Mahometiſtarum apparet veſtigium. Exclamant ex lætitia Chriſtiani. Confunduntur Aduerſarij & victi penitus conſternantur, niſi diabolico aſtu adiuti expoſuiſſent moris eſſe in Aegypto minores homines ætatis circumcidi ſi volunt, ſi vero abhorrent circumciſionem, nullo modo cogi poſſe, quoniam melius ſit lucrari animam hominis ex toto nobis corde adhærentem in ceteris omnibus præter circumciſionem, quam reijcere, quoniam circumciſionem reformidet. His rationibus, vel magis quia ſectæ fauebat ſuæ, confiſus Iudex nullam ſe pronunciare ſententiam velle in re tanta dixit, niſi Regem conſuluerit. Ita enim moris eſt in cauſis ambiguis, atque arduis. Regem igitur, in carcerem coniecto milite Chriſti, conſultum adijt, cui omnia cum retuliſſet, interrogatus de ætate ipſius, habituq. omni corporis, Iuuenis inquit ipſe, animo inuictus, atque magna ſtatura, grandibus oſſibus, atque neruis conuallatus. Rex, qui tales homines in militia habere cupit: Vade, inquit, & primum illi, ſi noſter voluerit eſſe, offerimus Centurionatum in militia noſtra: deinde prout in virtute ipſum valere conſpexerimus, ad maiora prouehemus. Quod ſi beneficijs non commouebitur, minis, atque terrore ipſum concutias, & ſi neutra poteris præualere via, capite plectas.

Altero igitur die producto ipſo, primum Regis pollicitationes proponuntur mirabili cum amplificatione, quod caput ſtatim eris Andrea, centum militum, & à priuatorum tractus conditione cum Principibus connumeraberis, quod facile virtus, & diligentia tua extollet te ad maiora. Verum cum Martyr Chriſti nihil reſpondendo contemnere oblata videretur, qui circumfuſi erant veritatis hoſtes, alij argentum, atque aurum, alij veſtes, alij ſuppellectilem variam pollicebantur. Cumque in ſilentio acrius perſeueraret, quid inquiunt, ne verbis quidem tuis nos dignos putas? Digni quidem (ait) vos eſtis multo maioribus, quam ego dicere, aut excogitare queam: ſed res, quas offertis, nulla reſponſione ſunt dignæ. Quid enim caducam hanc vi-

tam, atque mortalem putatis magni aliquid habere, quo cæleſti ſit præponenda? Erras, ipſi reſpondent: nam nos & ad illam tibi viam aperire ſtudemus, & hanc inſuper tibi felicem reddere conamur. Non cohærent, inquit, caduca æternis, non felicibus miſera, non prophana beatis. ſed quid opus eſt verbis? ego felicitatem huius ſeculi nihili facio: ego crucem, paſſionem, ſepulturamq. Chriſti mei, auxilio illius fretus nunquam negabo, ſtatuite in me quicquid malueritis: vnum rogo, ne me verbis amplius tentetis.

His dictis coniectus illico in carcerem, vinculis catenatus, pedibus atque manibus alligatus, ad meridiem ſequentis diei, qui fuit 20. Maij, iacuit. Poſt meridiem ſtatim pertrahitur, & in partem Vrbis, quæ Orientem ſpectat, prope mare ducitur, vbi ad palum nudus alligatus, flagellis, atque loris cæditur, acriusq. quam dici poſſit, principio flagellorum, & verberum contremuiſſe dicitur, & manibus ad pectus contractis, ac digitis in pugnum compreſſis, magna exclamaſſe voce: Virgo Maria, adiuua me. Inde pedibus altero ad alterum adductis, ſtetit rectus in eiſdem veſtigijs, mirabile dictu, vſque ad Solis occaſum. Interea dum miles Chriſti his cruciatibus exercetur, Trapezuntius ille, de quo ſupra retuli, e feneſtra Turris, in qua fuerat incluſus, prominens clamabat: O felicem Chriſtianum! ò beatam quæ te genuit, Inſulam! ò nobiliſſimam, atque omni laude dignum genus, vnde ortus es! vtinam iſtic eſſem tecum, vt eadem paterer pro Chriſto. Hæc, aliaq. vociferabatur, martyrij coronam, vt arbitror, deſiderans. Carnifices autem Andrea reducto, multis pretioſa membra flagellis, lorisq. fæde dilacerata, vngunt vnguentis, cibum quoque atque potum ad fulciendam in corpore animam, ac Medicorum conſilio, quorum multi ac peritiſſimi aderant, obtulerunt, & aquam, in qua non paruum defecati auri pondus bullierat, conducunt ad bibendum. Id faciebant, quo longior vita eius aliquid ad negationem Crucis afferret; ſimul & oſtenderent, quanti vitam facerent eius; forte etiam, quoniam cum Chriſtianis emitriti, & nonnulli eorum Chriſtiani fuerint. Nec ignorabant, quomodo Martyres Chriſti olim in die cruciabantur, & in nocte conualeſcebant. Quare timentes, ne id diuinitus eueniret, medicamentis ſuis occultare veritatem ſtudebant.

Vigeſimaprima eiuſdem menſis die rurſus producitur, denudatusq. ferreis vnguibus tergora, & quæ pridie eius diei fuerunt flagellata, dilacerantur. Nec quicquam aliud fecit, dixitq. Miles Chriſti, quam quod prius contremuit in principio, manusq. ad ſe adduxit, digitos in pugnos contraxit, pedes in eiſdem veſtigijs tenuit, magnaq. voce clamauit: Virgo Maria, iuua me. Sic Trapezuntius etiam eadem quæ pridie vociferabatur, è turri iterum atque iterum repetebat. Adueniente nocte vnguentis illinitur, ſimiliter & medicamentis, atque aquis, in quibus magna virtus auri fuerat infuſa, ſuſtentatur, quaſi charam Crucis hoſtes ſalutem eius haberent, magnam ijs rebus ineſſe virtutem prædicantes, Spiritus ſancti gratiam in Medicorum peritiam, cibiq. ac potus commoditatem deriuantes. Illuceſcente namque die ſanus omnium Martyr Chriſti apparuit: quæ res medicamentis fieri non poteſt, quæ cum naturaliter agant, longiore indigent tempore, frequentatione q. conueniente, ne digeſta in dubium aliquid conferant, quod tamen minime facere poſſunt, ſi denuo corpus, ac ſæpius exagitetur, ſiue etiam atrocius crucietur, quæ virtus opem afferre poteſt, præter diuinam; profecto nulla.

Vigeſimaſecunda eiuſdem menſis die, producitur ſimiliter poſt meridiem, ac manus, & pedes ſic torquentur, vt ne digitorum quidem articuli, nec cubitus, nec genua in locis ſuis remanerent, ſed locis ſuis omnia ſalirent, qui dolor maximus omnium eſt. Cetera ſimiliter geſta, dictaq. non ab ipſo ſolum, qui tamen nihil aliud, niſi, Virgo Maria, iuua me, in principio dolorum, idq. ſemel clamabat, verum etiam à Trapezuntio illo, qui martyrii ſic expetebat, vt multis etiam Mahometiſtis audientibus ſæpius repeteret, quæ dicta ſuperius ſunt. Medicorum quoque diligentia ſimiliter, imo etiam maior fuiſſe dicitur.

Vigeſimatertia die incolumis, ſanusq. non Medicorum arte, ſed illius primi martyris & Domini omnium Ieſu Chriſti productus Andreas, nouo genere cruciatus vexatur: humeros carnibus per gladios denudant, ſtudentes ſemper ne celerior mors ipſum inuaderet. Sperabant enim, ſi non acerbitate, ac magnitudine dolorum, attamen diuturnitate ſe victuros: ſed deriſi tandem iacuerunt. Declinante die reducitur, ſicuti ſuperioribus diebus, dictis, factiſque, medicamentis quoque non aliter, quam prius adhibitis.

Die vigeſimaquarta eiuſdem menſis eodem modo fiunt omnia, eodemq. in loco, quo in die clunes carnibus nouaculis ſpoliantur non ſubito, ſed cũ mora, vt doloris acerbitas magis ſentiretur. Cetera omnia ſimiliter acta, vt in ſuperioribus diebus, dictaq. eodem modo etiam à Trapezuntio martyre animo, atque voluntate, qui illis diebus, quibus Andreas patiebatur, ſimiliter è turri clamitabat.

Die vigeſimaquinta partes pedum, quæ inter genua, cluneſq. ſunt, carnibus ſimiliter denudantur. Cetera eodem modo, dicta geſtaq. fuerunt. Vigeſimaſeptima die femur, quæque circa ipſum ſunt, corporis partes excoriantur. Vigeſima octaua die totum corpus à capite ad pedes verberibus ceditur, vt doloribus renouatis tandem moreretur. Maxilla quoque vna vno ictu denudata carne fuit, quam Chriſtiani rapientes, ſeruarunt, fuitq. in Monaſterio B. Franciſci, inuſitato fragrans odore atque mirabili.

Vigeſimanona eiuſdem menſis die, anno primo Pontificatus Pauli Papæ ſecundi, vltimo producitur Andreas de Chio Martyr Chriſti præcipuus in locum ſolitum, ad orientalem vrbis partem prope mare ſanus, viuax, vultu læto, decora facie. Mahometiſtæ his rebus moti, medicamentorum virtute ſic factum aſſerebant, & ingratitudinem illius accuſantes: Non vides clamabant, Andrea? tuæ vitæ cura nobis habita eſt, noſtro ſtudio, imo Regis ipſius incolumis es, & virtute medicamentorum, & Mahometi gratia, qui te vult deliramenta Chriſtianorum de Cruce ac paſsione IESV deſpicere. Quæ beneficia quoniam ingratus non ſentis, morte morieris. Non eſt mors ſic mori (ait ille) ſed vita. Quare nolite putare me verbis terreri poſſe; nec medicamenta profuerunt, quippe quæ vel in minimis vulneribus vix poſt multos dies aliquid afferre poſſunt. Me autem Crux Domini noſtri Ieſu Chriſti, & Virgo Maria, ad hunc diem conſeruauit, atque reſeruauit. His dictis, ſecuri caput ſuppoſuit, & ad cæleſtia Regna euolauit. Tunc mortis eius miniſtri, vt Iudex iuſſerat, caput, & truncum corpus trahere velociter ad mare conatur. Exclamant Chriſtiani, qui lachrymis effuſis circumſtabant, quorum magna erat multitudo, ſepeliendum eſſe mortuum, non in mare proijciendum. Illis reſiſtentibus, Regiam aiunt maieſtatem eſſe conſulen-

dam,

dam, ſepelirine velit ipſum iam mortuum, an in mare proijci. Hoc audito ipſe Iudex ad Regem procurrit; nec enim licet Iudicibus, quando Regẽ conſulendum eſſe audiunt, quicquam facere vlterius, niſi Regi prius referant. Sed Chriſtianorum quoque Primates quamuelociter poterant, Regem adeũnt, qui cum percepiſſet, quibus cruciatibus, & quandiu vexatus fuit Andreas, efferbuiſſe ira dicitur, & verbis in Iudicem ſic atrocibus vſus fuiſſe, vt exanimis ne mutiret quidem Iudex iniquus, ſed ea ira, & illæ ingentes minæ ſimul cum verbis euanuerunt. Chriſtianis deinde iubet, vt Andream honorifice, ſicut decet, virum fortem, ſepeliant. Qui appoſito capite corpori ſuo ad Galatam deportarunt. Aderat autem vniuerſus vtrarum Vrbiũ, Galatæ atque Conſtantinopolis populus, viri ſimul ac mulieres, pueri, atque puellæ, liberi, atque ſerui, nec Chriſtianorum ſolum, verum etiam Mahumetiſtarum multi admiratione commoti, non pauciores quàm decies decem millia, qui omnes alij lachrymantes, alij laudes eius prædicantes, & alij cõſtantiam, ac robur animi, alij prudentiam atque grauitatem, alij contemptũ humanarum rerum, multi fidem in Ieſum Chriſtum, in Crucem, & paſſionem eius, & in immaculatam Virginem deuotionem narrantes. Tandem in Galatæ partem extremam verſus Ortum mari contiguam deuenerunt, vbi eſt Eccleſia Virgini Mariæ, ſi recte memini dicata, ibi depoſitus iacet.

His itaq. geſtis, magna Rex exarſit cupiditate Trapezuntij viri illius, de quo ſupra diximus, liberandi: ſed quia honeſte id facere, niſi rogatus, non poſſe indicabat, per quaſdam, vt dicebatur, mulieres effecit, vt vxor illius pro marito ſupplicaret ſuo. Sic mors Andreæ, atque martyrium, illum quidem palam, ſed multos quoque alios à periculo liberauit, multos in fide ortodoxa confirmauit, eos qui ante hoc martyrium quauis ratione, Mahometo adhæſerunt, pudore confudit, mæſtitia affecit, ac inani denique pœnitentia & vexauit, & vexat. His omnibus ego vehementer commotus, ardebam deſiderio videndi corpus eius; ſed niue, frigore, glacieq. detentus, hiemis, mariſq. tempeſtate illic fui vix menſe Februarij; eam mihi oranti gratiam Deus interceſſione Martyris conceſsit. Vndique ipſum iacentem in ſepulchro nimium profundo, ſitu horrido, ea tamen integritate membrorum omnium, & totius corporis colore, & dignitate formæ, tali vultus ſplendore, & habitu, vt non animam expiraſſe, ſed dormire mihi leuiter ſub vmbra videretur. Atque iacebat loco ita humido, vt omnibus iam indumentis, quibus erat inuolutum corpus, putrefactis, nudum totum conſpiceretur, præterquã quod genitales partes fragmento lini obtegebantur. exarſi tamen cupiditate deſcendendi, tangendi, oſculandi pedes, manus, faciem præcipui Martyris, nec tantum loci humiditas, deſcendendiq. difficultas, quantum verba Presbyteri cuſtodis, & ſpes poſſe id me aliàs commodius facere, detinuerunt.

Aleator, Mariam Virginem blaſphemans, punitur horribiliter in ore. Cap. 93.

SI qui autem aliqui reperti ſunt, qui aliquando illam, non beatam prædicauerunt, ſed blaſphemarunt, cæleſtem vltionem experti ſunt, ſicut contigit cuidam ludis dedito, qui cum luderet aleis, & pecuniarum feciſſet

iactu-

iacturam, ſubito ira accẽſus beatam Virginem blaſphemare auſus eſt. Quod cum feciſſet, os eius contortum factum eſt tam fœde, vt monſtro ſimilis eſſet; deciditq. in terram ſemimortuus, qui cum tã immaniter torqueretur in vehiculo poſitus eſt,& conſternatus in Domum eiuſdem magni Prælati, cui ſeruiebat, deductus eſt. Hoc retulit nobis Horatius Alterius nobilis Romanus, cum in Villa Carboniani nobiſcum eſſet, aſſerebatq. eo tempore illum adhuc viuere. Erat autem Aleator iſte vir in ceteris probus,& eleemoſynarum largitor, ſed cum in ludo erat, iracundiam excitans non erat ſui compos, ſed execrabiles blaſphemias eructabat. Hæc autem Patritius iſte proprijs ſe oculis vidiſſe teſtabatur.

Diues & leproſus inuocans B. Virginem, & ad domum Virginis centum aureos mittens in eleemoſynam, lepra mundatus eſt. Sed ingratus, & perſeuerare volens in peccato, reſtitutis aureis, rurſus lepra percutitur, & occiditur. Cap. 94.

IN Ciuitate Theatina, quæ eſt apud Brutios, erat quidã vir ditiſſimus, qui pene maiorem partem facultatũ ſuarum fœnore comparauerat. Hic Deo vlciſcente in corpore, quod in ære male quæſiuerat,lepra percuſſus eſt. Cum autem quadam die grauiſſime hoc morbo torqueretur, B. Virginem inuocans, deliberauit mittere eleemoſynæ gratia centum aureos ad Domum Lauretanam, vt ipſa impetraret ei ab eius filio ægri corporis munditiem, certoq. confidens ipſam ſibi hanc gratiam eſſe præſtaturam, & à lepra eſſe mundandum. Quamobrem centum cepit aureos, & in crumena abſcondit, deditq. famulo ſuo, ad ſanctiſſimam Domum perferendos. Profectus eſt famulus, & pecuniam Domini attulit, numerauit, accepta ab Actoribus fide de numerata pecunia. Et ad Dominum ſuum reuerſus inuenit eum, mirabile dictu, terribili lepra liberatum. Quamobrem Diues accepto cæleſti munere, & tanta ſalute lætatus, cæpit exire de Domo, & conuerſari cum hominibus, qui videbant eum, & ſtupebant. Quadam autem die comitabantur eum duo nobiles viri, qui de impenſa ſibi à Virgine gratia, gratulabantur ei; cumq. illis præ gaudio monſtraret manus ſuas mundas, ſicut pueri, tunc alter ex illis, qui ei amicitia coniunctiſſimus, dixit ad eum cum magna animi benignitate: Domine, admoneo te, quanta poſſum charitate, vt poſtquam tam magnum beneficium tam incredibili miraculo conſecutus es, manus tuas mundas amplius ſolitis fœnoribus non coinquines, ne lepra, quæ ob fœnora te percuſſit, iterum reuertatur in idipſum, aut deterius aliquid tibi forſan contingat. Hæc autem verba, magna animi modeſtia ab illo in fœneratorem prolata ſunt. Tunc Diues ille ad eum ſubridens: Si fœnerari peccatum eſſet, Beata Virgo mecum fœnus non exercuiſſet. Oportuit enim pro ſanitate recuperanda,centum aureos me mittere ad illam. Quod cum audiuiſſent nobiles viri, prorſus ſcandalizati ſunt, & acriter increparunt illum, quoniam tam nefanda verba, & ingratitudine plena dicere auſus eſſet, videnteſq. illum in ſua opinione pertinaciſſimum receſſerunt ab eo. Diues autem totus iracundia commotus, & viris illis

illis infenſus, reuerſus eſt in domum ſuam,& facto veſpere poſtquam cœnauit,turbatus it cubitum. Media autem nocte expergeſactus & clamor ab eo factus eſt tam grandis,vt totam Domum eiulatu impleret,dicens: Hei mihi, hei mihi,ferte quæſo opem, quoniam morior: hei mihi, quoniam euadendi remedium non inuenio. Vxor autem eius tam magno clamore perterrefacta, ſurrexit, & iuit ad virum ſuum, dicens, quænam tanti clamoris cauſa eſſet? Cui ille. Hei mihi, quoniam lepra iterum percuſſus ſum, & magis me torquet, quam prius, ita vt moriar: actum eſt de vita mea: En ſubter renes meos ſentio quaſi titionem igneum, cuius ardore nimis crucior. Tum vxor miſeratione mota cum videre voluiſſet locum, in quo cruciabatur, ibique crumenam cum centum aureis, quos ad Lauretanam Domum tranſmiſerat, inueniſſet, eamq. cum oſtendiſſet viro, exclamauit, ille dicens: Veh mihi miſero, qui damnationem expecto, & video qui rapit, & non eſt, qui eripiat; clauſit Virgo aures, ne amplius audiat vocem meam. Cumq. ita locutus fuiſſet, iuſto Dei iudicio, miſerabili morte conſumptus eſt. Vt B. Virgo virtutem & potentiam ſuam non ſolum miſerando, ſed etiam aliquando caſtigando demonſtraret. Et ſciant non ſolum præterita,ſed ſuccedentia ſecula eam eſſe beatam, & gratia, gloriaq. plenam, & omnia poſſe in filio ſuo, Deo noſtro. Sed hæc hactenus.

De noua admiranda, ac glorioſa ſublimi Diuiniſſimi Verbi Incarnati Natiuitate, quæ ſupra naturæ ordinem ineffabiliter in mundo facta eſt. Cap. 95.

INter omnia mirabilia, quæ poſt orbem conditum in terris geſta ſunt, nihil tam admirabile, tam inſolitum geſtum eſt; nihil ita humanum intellectum præ magnitudine rei ſuperauit, quam cum æternum Verbum, Dei filius, in ſinu Dei patris requieſcens, factus homo inter homines naſci dignatus eſt; cuius quidem Natiuitas ineffabilis prorſus & cæleſtium arcanorum plena eſt, tantiſq. referta myſterijs; & ſacramentis, vt ratio diuini conſilij ſapientibus mundi patere non poſſit, niſi humanæ ignorantiæ tenebras lux veritatis excuſſerit. Et eo magis maieſtas, & dignitas tantæ Natiuitatis occulta eſt, quo exterius ante corporis oculos, nihil niſi humanum, & humile præſefert: ita, vt nullus, niſi qui à Deo eruditur, & ſpiritu eius regitur, auguſtiſſimum hoc ſacramentum dijudicet, qui ſolus, ſecundum lucem à cælo in cor ſuum dimiſſam percipit Ieſum Chriſtum Dominum Dei filium, Deum ante ſecula genitum, & Patri ſempiterna, & conſubſtantiali æqualitate coæternum veniſſe in hunc mundum per vterum Virginis, & propter noſtram ſalutem exinaniuiſſe ſeipſum, & velamine corporis ſplendorem maieſtatis ſuæ,quem homo ferre non poſſet, niſi mori vellet, obtexiſſe. Qua in re ſibi ipſi factus inferior, nihil tamen ſibi hac inclinatione diminuit, in nullo ſempiterna,& excelſa eius gloria carnis aſſumptione diminuta eſt,quia diminutionem & varietatem ſummæ & æternæ eſſentiæ natura non recipit, æqualitatem enim inuiolabilem, quam habet Deitas, non corrumpit humanitas, ſed Creatoris ad creaturam deſcenſio, credentium eſt ad æterna prouectio. Sed ſuper exaltata eſt miſericordia eius, & bonitas ſumma, & diuinarum virium potentia,miſerendo, & conſulendo hominibus in puluere peccatorum

catorum iacentibus oſtenſa eſt, vt noſtram naturam, quam condidit, quæque in primo homine cecidit, ad priſtinos antiquos honores reſtitueret, mortemq. quam non fecit, ſed ſuſtinuit, nouus homo naſcendo, & moriendo deſtrueret; huius autem ſplendoris manifeſtatio facta eſt, cum Chriſtus mundo apparuit. Cum enim omnia inuincibili ſua maieſtate repleret, tum quaſi de remotiſſimo, altiſſimoq. ſecreto ijs, quibus erat ignotus aduenit, cum cæcitatem ignorantiæ ſuſtulit, factusq. eſt nobis gradus, quo ad ipſum per ipſum poſſimus aſcendere. Nam illa eſſentia, quæ vbique ſemper tota eſt, locali diſtinctione non eguit, & tam ei proprium fuit totam homini ineſſe, quàm ei proprium eſt, totam à patre non diuidi. Manens ergo, quod à principio erat verbum, non fuit ei accidens; vt quod eſt, aliquando non fuerit. Nihil hic igitur fidelium cordibus caliginis inferat terrena ſapientia: nec ſe contra altitudinem gratiæ, mox in ima rediturus terrenarum cogitationum puluis attollat. Impletum eſt in fine ſeculorum, quod erat ante tempora æterna diſpoſitum, & ſub præſentia rerum ſignis figurarum ceſſantibus lex, & prophetiæ veritas facta eſt, vt Abraham fieret omnium gentium pater, & in ſemine ſuo daretur mundo promiſſa benedictio; ne ij tantum eſſent Iſrael, quos ſanguis, & caro genuiſſet, ſed in poſſeſſionem hereditatis fidei filij præparata vniuerſitas adoptionis..

Non obſtrepant ineptarum calumniæ quæſtionum, nec effectus diuini operis ratiocinatio humana diſcutiat, ſed quod ratio ſuperba non comprehendit, attingat humilis fides; & audiamus ſanctos Euangeliſtas, teſtes à Deo præordinatos, qui admirabile hoc myſterium mundo aperuerunt.

Cum igitur ſummi Regis aduentũ longa Patriarcharum, Prophetarum, & Regum pompa præceſſiſſet; iam tempus aduenerat, vt miſericordia, & veritas ſibi obuiantes, & iuſtitia, & pax ſeinuicem exoſculantes, cæleſti germine veritas de terra oriretur, iuſtitiaq. de cælo proſpiciente, dante Domino benignitatem, daret terra fructum ſuum, & iam appareret germen Domini in magnificentia, & gloria, & fructus eius ſublimis. Iamq. virga de radice Ieſſe egreſſa, & florem erat paritura; & lapis de monte ſine manibus abſciſſus, mox futurus erat mons magnus; Et cæli roraturi deſuper, & nubes iuſtum pluere feſtinabant, qui deſcenſurus erat ſicut pluuia in vellus, & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram. Iamq. egreſſurus erat ex humili Bethlehem, qui erat dominaturus in Iſrael, cuius egreſſio à diebus æternitatis, & qui quaſi colonus futurus erat in terra, & quaſi viator declinans ad manendum. Iamq. Virgo, quæ conceperat, paritura erat Filium, & Deus nobiſ-
Baruch 3. cum erat futurus, manducans butyrum, & mel, & qui adinuenerat omnem viam diſciplinæ per ſapientiam ſuam, & tradiderat illam Iacob puero ſuo, & Iſrael dilecto ſuo, ſicut illis locutus erat, allaturus de cælo aurum ſapientiæ, in terris videndus erat, & cum hominibus conuerſaturus.

Ecce dies veniebant, quibus Deus, vt promiſerat, ſuſcitaturus erat Dauidi Regi verbum bonum, quod locutus fuerat ad domum Iſrael, & domum Iudæ, & germen iuſtitiæ, & oriturus erat miſerator & iuſtus, qui facturus
Hierem. 23 erat iuſtitiam, & iudicium in terra, vnde Iuda erat ſaluandus, & habitaturus
& 37. confidenter, & hoc erat futurum nomen, quod vocarent eum: Dominus,
Iſa 45. Iuſtus noſter; Deus abſconditus, Deus Iſrael Saluator. Ecce Deus noſter manifeſte erat venturus, & viſura erat omnis caro ſalutare Dei, & notus

futu-

futurus erat in conſpectu omnium gentium, venturus de loco ſancto ſuo.

Iam igitur per nouem menſium ſpatia is, qui nuſquam non eſt, & mundi machinam pugillo ſuſtinet, is cui cælum & aſtra deſeruiunt, cui omnes creaturæ obediunt, & omnia viuunt, latebat infans ſub Virginis gremio, & qui in omnibus creaturis abſconditus erat diuinitate, latebat in viſceribus feminæ, etiam humanitate.

Quando Maria Virgo, conſilij diuini non ignara, intus monente Deo, parabat ſe ad iter capeſſendum, vt Deum, mirabile dictu, in parua Cripta, in foramine petræ, mundo pareret.

Eo tempore cum Auguſtus vniuerſum orbem Imperio ſuo ſubiugatum in pace poſſideret, iuſſit per edictum, vt deſcriberetur vniuerſis orbis. Cum enim orbis bellis ciuilibus & cruentis iam diu afflictatus fuiſſet, rerumq. dominia remanſiſſent incerta, & confuſa, placuit Romanum orbem agris diuidere, deſcribere cenſus, vt poſſeſſio ſua nulli haberetur incerta, & vt deſcriptis hominibus, & opibus, iſta opum portio in ærarium inferretur. Inſuper tributa ordinaria inſtituit, alia in agros, alia in caput, vt capitum, fortunarumq. ſummam, quæ in imperio eſſet, cognoſceret, ac Roma, & Romani ciues oſtenderentur rerum domini. Qua in re non ſine Dei prouidentia factum eſt, vt qui cunctos homines fecit, factus homo, inueniretur inter homines aſcriptus, vt palam fieret, quod Dominus noſter Ieſus Chriſtus ad Vrbem Romam voluntate ſua, in reginam Vrbium eleuatam, & ſublimem apicem euectam, cum natus ſtatim eſſet, voluit pertinere, & fieri ciuis Romanus, cenſus profeſſione Romani, vt iure ſuo in dominatricem Vrbem ſedem ſuam in æternum duraturam collocaret, & Regnum Dauid patris ſui ex perfida Hieruſalem ſublatum, poneret in Vrbe iſta tanta firmitate, vt portæ inferi contra illud non præualerent, tanta diuturnitate, vt nullum finem eſſet habiturum. Quod & factum eſt, & hodie durat. Promulgato edicto, ibant omnes, vt profiterentur, ſinguli in ſuam Ciuitatem, parendi ſtudio. Omnes, quotquot maxima tellus ſuſtinet, & mare complectitur, mittunt nomina ſua.

Suid. in hiſtor.

Sigon. de Iur. antiq. Italia li. 1. c. 21.

Cenſentur Parthi, Medi, & Elamitæ, & habitantes Meſopotamiam, & quos alluit Euphrates, & Araxes, incolæ Cappadociæ, Lyſiæ, Armeniæ, Bithiniæ, & qui habitant Pontum, & Aſiam, Phrygiam, & Pamphyliam, & Aegyptum, & partes Lybiæ, & Aphricæ, Cretes, Arabes, & Thraces. Dat cenſus Illyria, & Burnia, Macedonia, & quicunque trans Alpes incolunt, Galli, Germani, Belgæ, Saxones, & remotiſſimi Britanni, Poloni, Vngari: Siria quoque, Samaria, Iudæa, & finitimæ prouinciæ omnes.

Ioſeph quoque à Galilæa de Ciuitate Nazareth pergit & ipſe in ciuitatem Dauid, vt profiteatur cum Maria deſponſata ſibi vxore prægnante, & portante ſecum eum, qui portat omnia: pergunt per arctos Paleſtinæ calles, & per montana Iudææ: pergunt, non tam ad nomen deſcribendum in tabulis ad obſequium Imperatoris, quàm ad trahendos homines, vt dent nomina ſcribenda in cælis, in honorem Redemptoris; non tam ad cenſum ſoluendum, quam ad mundum redimendum; vt Reges intelligant, & erudiantur Principes terræ, Deum in terris humilem factum, & pauperem, vt pauperes, Reges faciat, & humiles ad ſydera tollat, conſtituatq. eos Dominos, & Iudices vniuerſorum. Ceterum mundi Principes, ſi iugum ſuum detre- *Pſal. 2.*

ctaue-

ſtauerint, virga ferrea corrigat, & confringat ſicut vas figuli.

Cumque peregre proficiſcentes ad Bethlehem perueniſſent, proſpicit Ioſeph, in oppidulum multiplicem virorum, mulierumq. turbam aduentaſſe, & per vias, & plateas, & porticus confuſo ordine diſcumbere gentes, & hoſpitia omnia repleta hoſpitibus, & plena tumultibus, nec ſupereſſe locum, vbi quieſcat, & videns ſub paruæ Vrbis mœnibus aſtare ſpecus ſub rupe magna, & ſub pendentibus ſaxis, cuius latera exeſæ cautes circumcingebant, vbi coloni poſt labores, aliquando ſecedebant cum armentis, & gregibus; tunc ductus à ſpiritu, ad petræ illius foramen ſe recipit cum Maria, vbi ſuper ſtramen Mariam comitem collocat. Sedebat Regia puella ſuper fænum, ſed animo erexerat ſe vſque ad cælum; audiebat circum oues balantes, & boues mugientes, ſed ſpiritu intuebatur ſupra cælos, Angelos laudes Dei canentes.

Dumq. puris animi alienationibus, ſanctiſq. cogitationibus, & præſentia ſua ſpeluncam illam ſanctificat: Nox interim in ſuo curſu medium iter habebat, & tacito motu currebant ſidera, ſilebant ſyluæ, ſilebant volucres, feræ, & piſces, placiduſq. ſomnus ægra mortalium pectora poſſidebat, & Ioſeph longo itinere fractus in gelido antro languidum caput declinauerat. Maria vero ſpiritu Domini afflata, & virtute Altiſſimi circumdata, diuinam lucem antrum illuminantem conſpicit, cæleſteſq. cantus ineffabili dulcedine plenos auribus hauriens, ſupra morem amore ardens, & ſpiritu feruens, mente rapitur ad cælum, potuque diuino inebriatur ab vbertate ſpiritus, ſentitq. pudica ſponſa adeſſe tempus, quo ſponſus cæleſtis procedat de thalamo ſuo, tollenſq. virgineos oculos in cælum exultat gaudio, fruiturq. Deo, animumq. ſuum diuinis conſolationibus explet, nihilq. ſuo cum corde caducum, nil mortale cogitans.

Interim iubente Deo, cæleſtes Angelorum Hierarchiæ, Cherubim, & Seraphim, Throni, & Dominationes, Poteſtates, Virtutes, omnes denique Angelici ſpiritus, habitatoreſq. cæleſtes relinquunt cæleſtia, & in beatam Criptam conuolant, quæ illa hora (mirabile dictu) ſicut cælum, lucida facta eſt.

Tunc Regina Angelorum charitatem cordis ſui, qua æſtuabat, diffundens, & amore tacta in viſceribus ſuis optauit ſempiternum Patrem elargiri mundo ſempiternum filium in vtero ſuo latentem ſub carne, vt veniens in mundum veniret omnia bona pariter cum illo, & cæleſti theſauro hominum paupertatem locupletaret. Quando ſpectante cælo, ſtupente natura, Maria Virgo peperit filium ſuum Vnigenitum opus admirabile, inſuetum, ingens, ſicut roſa profert odorem, ſicut ſtella parit radium ſplendoris, ſicut planta producit florem, ſic alma Dei Virgo ſanctum genuit genitorem, deditq. perdito Mundo Saluatorem. Ille præmiſſus tot legalibus ceremonijs, tot Prophetarum oraculis promiſſus ſponſus Eccleſiæ, de thalamo ſuo egreditur. In vias via ipſa naſcitur, veritas, & Vita.

Exijt Sol, expectatio gentium, de tabernaculo ſuo, exijt, & exeundo virginitatem Matris non minuit, ſed ſacrauit, non ſuſtulit, ſed fœcundauit, ſicut enim claritas ſolis vitrum abſque læſione penetrat, & ſicut ſpecularia purum admittunt ſolem, & lux ipſa pertranſit, tenebras fugat, & diſcutit vmbras: ipſa tamen manet illæſa, non peruia vento, non pluuiæ, ſed peruia ſoli: & vt radius oculorum tranquillo, & claro liquori ſine ſciſſione & diuiſione immergitur, vt vſque ad ima vniuerſa rimetur, ſic Dei verbum adijt

virgi-

virgineum habitaculum, & inde prodijt clauſo Virginis vtero, & qui facile extra Virginem poſſet corpus creare de nihilo, facile potuit corpus acceptū de Virgine, extra ſine carnis ſciſſione traijcere. Neque enim legi naturæ ſe ſubdidit, ſed legem naturæ ſubdidit ſibi.

Grande ſpectaculum, prodigioſum opus, obſtupeſcit natura rerum, Virgo procreat ſobolem, nullum procreandæ ſobolis experta conſortem, & venienti in vitam homini, per vnius miniſterium confertur munus duorum. Creator ex creatura ſua naſcitur, & fructum ventris ſui mater innupta miratur, & femina authoris ſui author efficitur. Quid prius mirer? quidue poſtremum? quod ſine conceptu, ideſt, ſine virili congreſſu eſt collata fœcunditas, an quod per partum magis eſt glorificata Virginitas? *Euſe. Emiſ. vel potius Eucherius hom. 2. de Chriſt. nat.*

Exultat Mater ſalutis humanæ, & prima omnium aduentum ſummi Regis ſuſcipit, inenarrabili gaudio perfuſa intuetur ſpem terrarum, decus ſeculorum, & quod concupiuit Abraham, vt videret, & multi Reges & Prophetæ deſiderauerunt videre, ipſa prima videt. Miratur pulcherrimi infantis alabaſtrina membra, luce puriora, miratur regium caput, fuluos crines ſpectabiles, ſupra aurum micantes. Frontem ſerenam, oculosq. ſyderibus clariores, genasq. candidas, & rubicundas, & in labijs purpureis diffuſam gratiam. Miratur pectus, miratur latera, pario marmore candidiora, miratur & imperium eius ſuper humerum eius, manus tornatiles, & aureas plenas hyacintis, quæ futuræ erant magnarum rerum operatrices; ſpecioſos pedes ſuper maris vndas ambulaturos videt, lætatur, ſtupet, & cum ſpecioſo filio ſupra filios hominum miſcet amorem, præque magnitudine amoris ſe continere non poteſt; quaſi gutta cupit adhærere mari, dumq. certat cum ſummo amore, ſummaq. reuerentia, illo attrahente, vt fruatur tam pulchris; hac ſuadente, ne audeat, ac contingat tam ſacra: vincit tandem amor, quo permota, ſtatim attrectat infantem, amplexatur amantem, & labellis labia admouens iungit oſcula, porrigit mammillas lacte de cælo plenas; & guſtat, & videt, quoniam ſuauis eſt Deus.

Vniuerſus vero Angelorum exercitus, innumerabiles cæleſtium ſpirituum myriades, conuentes rerum Dominum inuiſibilem & immortalem ſedentem ad dexteram Maieſtatis, nunc carne veſtitum, ſecundum præſentiam humanitatis viſibiliter mundo appareuiſſe, & Patrem æternum Filium ſuum primogenitum, ſecundum diuitias bonitatis ſuæ introduxiſſe in orbem terræ, ceciderunt in conſpectu eius in facies ſuas, & adorauerunt illum, dicentes: Benedictio, & claritas, & ſapientia, & gratiarum actio, honor, virtus, & fortitudo Deo noſtro in ſecula ſeculorum; & plenum erat præſepe à Maieſtate eius; & clamabant alter ad alterum: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum, plena eſt omnis terra gloria eius: Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus & immortalis, laudabilis, & glorioſus in ſecula: & commotæ ſunt ſuperliminaria cardinum præſepis illius à voce clamantium, & domus repleta eſt ſplendore. Et ecce denuò facta eſt multitudo militiæ cæleſtis, laudantium, & dicentium: Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Et factum eſt, poſtquam cecinerunt Angeli in ſpelunca, diſceſſerunt, & aſcenderunt in cælum, tunc Bos animal irrationale ad præſepe iacens (audite cæli rem admirabilem, & auribus percipe terra) cognouit Dominum ſuum, & Aſellus iacens cognouit præſepe Domini ſui, *Heb. 1.*

ſui, quaq. potuerunt ratione, dimiſſis auribus, palpitante poplite ſalutauerunt Creatorem ſuum, quem populus eius inſipiens, & tardus corde ad credendum, non intellexit, & non potuit, vt cognoſceret.

Ioſeph vero, cum vidiſſet ſpectacula inaudita, & non amplius viſa in terris, magnum Dominum tam paruulum factum; excelſum, & altiſſimum, & ſuper omnes cælos eleuatum, poſitum ſub antro ſuper paluſtre fænum; adorandum a Principibus cælorum, manere inter media animalia, & rerum omnium Dominum factum egenum, & frigore obrigeſcentem; admirabatur iudicia Dei, & altitudiné conſiliorum ipſius, & diuinam diſpenſationem, animiq. attonitus, & tam ſanctis contemplationibus impar corruit, vultúq. pallentem in vtramque palmam dimiſit, & hæſit immobilis, deinde reſumptis viribus, animoq. ſuſpenſus, incipit diuinum inſpicere vultum, cæleſtemq. lucem; & ferre non potens ſanctum puerum frigore preſſum, accenſo igne, & calente lino tremulas plantulas fouet.

Virgo autem Maria, quamquam altiſſimis intenta cogitationibus; maternum tamen officium non deſerit; ſed teneri infantis mollia viſcera componit, gremio aptat, fouet ſinu, & pannis inuoluit, & alligat, & manus pedeſq. & crura ſtricta cingit faſcia. Decor animarum pannis inuoluitur; En quantum exinanitus eſt ille ſingulariter diues, & ſolus ſibi ſufficiens, vt qui cælos luce induerit, pannis inuolutus ſit! Quantum exinanitus erat omnipotens in teneris infantiæ annis, & membris etiam ſui impotens? Quantũ exinanitum erat illud Angelorum ineffabile gaudium, cum in cunis vagiret, ac primi parentis ærumnam, & ærumnæ cauſam defleret?

Deinde Beatiſſima Virgo & Dei Mater glorioſiſſima, repleta ſcientia Domini, rapitur ſurſus ſupra ſe, menteq. ſurſum erigitur, & in altiſſima contemplatione defigitur; & conuerſa ad patrem Deum toto corde vocem gratiarum, & laudis auditam facit in excelſo, & thus ſuauiſſimum orationis ſuæ Domino adolet.

Moxq. conuertit intuitum in puerum ſuum, & videt intenta genitæ carnis fulgorem fulgentiſſimũ, & ſplendorem ſole pulchriorem, ignemq. diuinum non comburentem, ſed viuificantem: Miratur ſe Virginem, Miratur ſe matrem, Matremq. Dei viui. Auditq. infantem (ſic enim contemplari licet) in ſuſurro leuis auræ loquentem: Ecce elegi te ex omni carne, & inter omnes mulieres te benedixi. Noli timere lactare, quem meruiſti portare. Tum illa: Mi paruule, fili mi, quid igitur: te ne lacte nutriam? an vero, vt Deum colam? Tibine obſequium præſtabo, vt mater, an vt ancilla cultum adorationis impendam? Te ne, vt filium amplectar? an ſupplex Deum inuocabo? Tibine lac porrigam? an offeram thymiama? adorabo te? offeram tibi ſacrificium laudis? Orauit cor meum; ignis ardens, amor flagrans, thus ſuaue, affectus æſtuans, & victima plurima ſint oſcula multiplicia, fili amor, fili dulcior ſuper mel & fauum, conuerte ad me faciem tuam, & nutibus loquacibus, & blandulis ocellis redde mihi lætitiam natiuitatis tuæ. O nate pulcherrime, o Nate Deo, nate ex viſceribus meis, amabilis, ſpectabilis, fulgide, blandule, lepidule, me ſic amore torques? me tanto incendio flagras?

O pulcherrima Dei proles, dulciſſime rerum, & dulce decus matris, vita cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Quid meditaris? quid penſitas?

quo te trahit amor? o dulcedo, o ſuauitas, o amator, quo nihil amantius; o amate, quo nihil iucundius; fruar te, inebriabor ab vbertate dulcedinis tuæ; fruar te Delicate puer, candida proles; reſpice in me, vulneraſti me in vno oculorum tuorum. Mi vnice, inclite infantule, iubilus cælitum, ſpes mortalium, Virtus, decor orbis, infige auida labellula tua papillulis meis, trahe lac de pectore meo: Trahor ego in odorem vnguentorum tuorum, ſicut myrrha electa, ſicut balſamum aromatizans das odorem. Roſa tu bicunda mea tu es, lilium meum candidum es tu, Crocusq. meum, te ſpirante ſpirāt omnia aromata: introduc me, venuſtas mea in cor tuum; ibi te diligam, dulcitudo mea: O ſtupor, o admiratio! o voluptas! quidquid amplector, Deus eſt; quidquid tango, Deus eſt; quidquid oſculor, Deus eſt; hæc labia roſea, hi crines aurei, hæc membra niuea Dei mei ſunt.

O ſpecioſe! pulchræ ſunt genæ tuæ, ſicut areolæ aromatum; oculi tui ſicut ſtellarum: labia tua, ſicut lilia diſtillantia myrrham primam, abſque eo, quod intrinſecus latet.

Da te mihi fruendum blande puellule, quam pulcher, quam pulcher es dilecte mi, bonum mihi eſt adhærere tibi, bonum mihi eſt ſugere labellis tenellulas carnes tuas: caro tua verus eſt cibus, ibi abſcondita eſt dulcedo mea, ſi tetigero carnem tuam, ſalua ero.

Infans paruule mi formoſule, lux fulgidula, ne diſcedas ab vberibus meis, quid ſic meos oculos amore feris, puer candidule? habes in corculo tuo pluſquam tercentos amores, habes intra pectus pluſquam mille charitates ordinatas, habes intus & extra igniculos fulgidulos innumerabiles: pone caput tuum ſuper læuam meam, & dextera mea amplexabitur te. Adiuro te, vt diligas me, dilecte mi: pone me ſicut ſignaculum ſuper corculum tuum, pone me iuxta te, quia ſuauis eſt dilectio tua.

Audit infans, & ſandi neſcius, oculis mirabilia fatur.

Mater mea es tu: ſponſa mea tu mihi es: pulcherrima mulierum, tota pulchra es, & macula non eſt in te: Quam pulchræ ſunt mammæ tuæ genitrix mea: pulchriora ſunt vbera tua vino, & odor vnguentorum tuorum ſuper omnia aromata. Fauus diſtillans ſunt vbera tua, mel & lac in vberibus tuis, & odor veſtimentorum tuorum, ſicut odor thuris. Hortus concluſus tu es, mater mea, ſponſa, hortus concluſus, fons ſignatus vterus tuus, emiſſiones tuæ paradiſus, & lac tuum dulce gutturi meo, memor ero vberum tuorum ſuper vinum. Genitrix mea, ſuauis & decora; ne auertas oculos tuos à me, & diligam te. Columba mea tu es, perfecta mea, vnica mater mea, electa genitrix mea. Videbunt te filiæ Sion, & beatiſſimam prædicabunt, Reginæ, & laudabunt te, quia facta es, quaſi aurora conſurgens, pulchra vt luna, electa vt ſol, amabilis vt Charitas ordinata. Suauis es in delicijs, ſancta mei Genitrix. Floruit vinea tua, & flores fructus parturierunt. Tu es ſpecioſa, ſpecie tua & pulchritudine tua, intende & regna. In Sion firmata es, & in Hieruſalem poteſtas tua, & radicabis in populo honorificato, & in plenitudine ſanctorum erit detentio tua; adiuuabit te Deus vultu ſuo, qui te elegit, & prælegit te, & de medio tui non commouebitur.

Hæc vbi percepit à dilecto mater benedicta, anima eius liquefacta eſt, & ſuſcipiens puerum iterum rapit oſcula mille ex genis, mille ex ore, mille ex gutture, deinde reuolutum pannis, reclinauit illum in præſepio, factaq. eſt

ſtipula, & fænum lectulus eius, puer autem inter arcta conditus præſepia vagijt.

Quod vbi conſpexit ſenior Ioſeph, non remanſit in eo ſpiritus, remq. alta mente repenſans, admiratus eſt diuini conſilij altitudinem imperſcrutabilem, & vias eius in inueſtigabiles, & iudicia eius extimuit, videnſq. incommutabilem & incomprehenſibilem diuinitatem ſub inuolucro carnis, & carnis inuolucrum ſub pannorum inuolucro, & pannorum inuolucrum ſub tegmine fæni, conſiderauit in ſpiritu diuinarum rerum ſupereminentem celſitudinem, & agnouit inacceſſibile lumen non poſſe nobis aliter apparere, quam varietate velaminum circumuelatum. Vidit ibi totam mundi magnificentiam, & rerum temporalium opulentiam ſub pedibus pauperis Dei ſtratam, & agnouit precioſiorem eſſe humilem paupertatem, regum opibus atque ſuperbia; viditq. ibi pauperes factos Reges, & honorificentius iacere in palea, quam diuites in purpura: Vidit diuitias putrefactas, aurumq. æruginatum, & decoloratum argentum, paupertatem autem factam Dominam rerum, totiusq. orbis ſibi poſſeſsionem vendicaſſe, Regnumq. tranquillitatis adeptam, & vſque ad regna cælorum prouectam: Vidit non eſſe glorioſum palatia ingentia, & tecta laqueata, & parietes pictos, & ſellas aureas, & lectulos ſericos habere, ſed honorificum eſſe his omnibus voluntaria paupertate carere: Viditq. ibi algas paluſtres & fænum terræ in auream migraſſe rationem, & ſaxeum tuguriolum margaritis precioſiſsimis contectū & fulgentibus lapillis conſperſum, vileq. pauimentum ſtratum auro mundiſſimo & grādibus ſmaragdis: Vidit pauperculum nudum omnium poſſeſſorem omnia poſſidere, & magnitudine animi nulla re indigere: Et benedixit Deum, qui exaltat humiles & eſurientes implet bonis, & diuites, & ſuperbos dimittit inanes.

Exacta temporis computatio, quo Chriſtus Dominus in terris natus eſt. Cap. 96.

Ecce igitur, quo modo filius Regis æterni, verus Deus de Deo vero, qui eum conſtituit hæredem vniuerſorum, per quem fecit & ſecula, ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius, portanſq. omnia verbo virtus ſuæ, ſedens ad dexteram maieſtatis in excelſis, completis omnibus, quæ de illo prędicta fuerant, carnis caligine ineffabiliter obuolutus venit, & apparuit in terris, & luxit nobis, vt doceret nos viam prudentiæ, ſaluaturus hominem, quem de limo formauerat, & viſus eſt iacens ſuper ſtramen in infimis terræ, nube carnis tectus, ſplendor lucis æternæ, ante luciferum genitus, ſol iuſtitiæ, Rex gentium, & deſideratus earum, & legifer noſter: Venit ſalutis auctor ad redimendum nos: ipſe enim & non alius propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis, & conceptus eſt de Spiritu Sancto, & caro factus eſt, exiſtens perfectus Deus, & perfectus homo ex anima rationali, & humana carne ſubſiſtens.

Anno vero à creatione Mundi, quando ab initio Deus creauit cælum & terram quinquies milleſimo, & centeſimo nonageſimo nono: à diluuio vero, anno bis milleſimo nongenteſimo quinquageſimo ſeptimo: à Natiuitate Abrahæ, anno bis milleſimo quinto decimo: a Moyſe & egreſſu Populi Iſrael

rael de Aegypto, anno milleſimo quingenteſimo decimo: ab vnctione Dauid in Regem, anno milleſimo trigeſimo ſecundo, Hebdomada ſexageſima quinta iuxta Danielis prophetiam: Olimpiade centeſima nonageſima quarta: Ab Vrbe Roma condita ſeptingenteſimo quinquageſimo ſecundo, anno Imperij Octauiani Auguſti quadrageſimo ſecundo, C. Cornelio Lentulo & M. Valerio Meſſalino Conſſ. Herodis Regis anno vigeſimo nono inchoato, toto Orbe in pace compoſito, ſexta mundi ætate, menſe Decembri, die vigeſima quinta, Dum quietum ſilentium tenerent omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet, omnipotens Verbum Ieſus Chriſtus, æternus Deus, æterniq. patris filius, factus ex ſemine Dauid ſecundum carnem, ſecundum ſpiritum ſanctificationis, mundum aduentu ſuo conſecrans, de Spiritu ſancto conceptus, nouem poſt conceptionem decurſis menſibus, in Bethlehem Iudæ natus eſt ex Maria Virgine, & habitauit in nobis.

Et ſic completum eſt, quod prophetæ, tamquam factum perſpexerunt, dicentes: Paruulus datus eſt nobis, & Filius datus eſt nobis, & factus eſt Principatus ſuper humerum eius, & vocatum eſt nomen eius, Admirabilis, Conſiliarius, Deus, fortis, pater futuri ſeculi, Princeps pacis, & multiplicabitur Imperium eius, & pacis eius non erit finis. O Domine quam admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra; tu es Deus, qui facis mirabilia. Ita vt ceteris omnibus relictis mirabilibus Dei, quæ in natura videntur, iam amplius admirari non debeant mortales huius mundi artificium, non terræ ſtabilitatem, cum eam complectatur volubile firmamentum; non ſingulos dies, non lunæ defectus, & incrementum: non ſolem ſemper integrum, & laborẽ eius perpetuum: non temporũ viciſſitudines, in quibus quædam arent, quædam virent, & quę mortua modo videntur, deinde reuiuiſcunt. *Cypria. ſer. de nativ. & alibi.*

Sed illud ab omnibus, relicto rerum naturæ viſibilium ſtupore, admirandum eſt, Deum in vtero Virginis, omnipotentem in cunabulis, carnemquè imam ſummo Verbo adhæſiſſe, incorporeumq. Deum humani corporis tegumentum induiſſe.

In ceteris quodammodo aliquæ ſatisfaciunt rationes, hic ſolus complectitur ſtupor, & Dei opera conſideramus, & expaneſcimus, quoniam nouum fecit Dominus ſuper terram. Nouum prorſus & inauditum, quod in materni anguſtijs vteri circumdedit intra ſe fragilis caro virtutem Altiſſimi, & ordinem rerum, curſumq. naturæ mutauit ſapientia Dei, & vbiq. Diuinitas dilatata plenitudinem ſuam anguſto vaſi infundens, ſic eſt circumdata muliebri vtero, vt vniuerſa ambiret, implens omnia, excedens cuncta, intra ſe omnia continẽs, extra vniuerſa complectens. Nouum quod inuiſibilis, factus eſt Deus viſibilis, comprehenſibilis, paſſibilis, & mortalis: & peregrinum ab eius maieſtate, quod puer in terris ſuxerit vbera, & panniculis fuerit inuolutus: Nouum, quod conuenerit ſimul ſempiterna diuinitas, & temporalis humanitas, & eo tenore vtriuſque naturæ facta ſit vnitas, vt impoſſibile ſit, quod iunctum eſt, ab inuicem ſeparari. Sed & quod factum, inſcrutabili conſilio factum eſt; nam minoratio maieſtatis, fuit prouectio paupertatis, nec altitudinem Dei in aliquo humilitas diſpenſationis dehoneſtauit, ſed Dei bonitatem mirabiliter exaltauit, vt omnis lingua confiteatur: O domine, quam admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra! tu es Deus, qui facis mirabilia ſolus. *Iſa. 28.* *Hierem. 31*

Miraculum, quod contigit in puerperio B. Virginis in ſpelunca, vbi Chriſtus natus eſt. Cap. 97.

IN B. Virginis puerperio fertur accidiſſe miraculum. Nam in eadem ſpelunca, vbi Chriſtus natus eſt, ad ea quæ vſus quotidianus expoſcebat, è petra fluxit aqua, quæ numquam potuit exhauriri, ſed manſit diutius diuinæ virtutis egregium monumentum. Hæc autem ſpelunca tota interius ſpecioſo marmore tecta ſupra ipſum locum, vbi Dominus natus ſpecialiter traditur, Sanctæ Mariæ grandem geſtat Eccleſiam: petra iuxta murum cauata, primum dominici corporis lauacrum de muro miſſum ſuſcipiens, hactenus ſeruat. Quæ ſi qua forte occaſione, vel induſtria fuerit exhauſta, nihilominus cōtinuo dum reſpicis, ſicut ante fuerat, plena redundat.

Beda de locis ſanctis c. 8.

Percelebris ſemper fuit hic locus etiam apud Gentiles; ſed cum Chriſti nomen, qui naſcendo in hoc foramine terræ latuit, totus mundus veneraretur, tunc Chriſtiani præ honore tulerunt lateritium præſepe, poſuerunt argenteū.

Chryſoſt. in Luc. 2.

Strenui militum Duces odio ſe proſequentes & ad ſingulare certamen deſcendere volentes, ingreſſi prius in Bethlehemiticam Eccleſiam, pacis ſpiritum ſuſceperunt, & amici facti ſunt. Cap. 98.

EOdem etiam in loco, vbi Chriſtus natus eſt, & vbi Angelorum chori Angelicum canticum cecinerunt, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis nunciata eſt, contigit aliquid temporibus noſtris memoria dignum. Nam cum in Inſulam Cypri, quæ tunc Venetorum poteſtati ſubdita erat, forte fortuna perueniſſet nobiliſſimus Venetiarum ciuis ex Cornelia familia, qui poſtea à Iulio Tertio propter virtutum merita, Romanæ Eccleſiæ Cardinalis creatus eſt, videns ſe in conſpectu eſſe Terræ Sanctæ, deſiderio ductus videndi loca, vbi Chriſtus Dei filius veſtigia pedum ſuorum impreſſit, deliberauit nauigio peruenire illuc. Dum autem Triremis marinos ſecaret fluctus, duo viri ex ijs, qui eum comitabantur (erant autem ambo ſtrenui militum Duces) verbis minacibus vtrinque contendebant, altercantes, ita vt alter alterum ad certamen prouocaret. Sed cum eſſent in Triremi, vbi ſtricto mucrone congredi vetitum erat, pugnæ congreſſus, donec perueniſſent in terras, dilatus eſt. Peruenit tandem Triremis ad Sanctam Terram, ſtatimq. Cornarius ſuis ſociatus comitibus, primum Eccleſiam Bethlehemiticam viſitare voluit, cum autem ventum eſſet ad illam, & adoraſſent, ſtatim ſpiritus pacis cecidit in corda illorum, qui ſimul confligere conſtituerant, tantaq. pacis dulcedine intrinſecus tacti ſunt, vt vltrò nullo ſuadente alter in alterius rueret amplexum, & mutuis oſculis internæ pacis ſigna darent, vt nullus ignorare poſſet, Eccleſiam illam verum eſſe locum, vbi Angeli cecinerant: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis: poſteaquam in eodem loco Angeli pacis, pacis ſemina inter diſcordantia corda tam mirabiliter diſſeminauerant.

Conſueuerunt Chriſti fideles etiam in diebus noſtris, & in Eccleſijs & priuatis domibus conſtruere præſepiola, vbi pueri Chriſti imaginem ſuper fænum

num collocant, aſtante B. Virgine Matre, & B. Ioſeph cum boue, & aſello. Faciunt autem hæc, vt ſummi Domini excelſam natiuitatem fortius mentibus repræſentent. Sicut autem dubium non eſt, quin eo tempore, quo puer Ieſus natus eſt, multis mnlta contnlerit beneficia, ſicut Reges mundi in filiorum natalibus facere ſolent; ſic etiam poſt Chriſtum natum, vel ſola Natiuitatis eius memoria, puer Ieſus mirabiles confert gratias deuote eam recolentibus. Seculo autem noſtro hæc refert ſacta eſſe in Hiſpania pius Auctor Aloyſius Granatenſis in Cathechiſmo in ſymbolum fidei.

Religioſa Monacha per duodecim annos grauibus, & incurabilibus morbis vexata, puerum Ieſum inuocans, illico ad ſanitatem omnibus admirantibus reducta eſt. Cap. 99.

NEmo, inquit, mihi vitio vertet, ſi in hac miracnlorum relatione, de ijs mentionem fecero, quæ omni diligentia adhibita, mihi compertiſſima fuerunt. *Aloyſ. Granat. in cathec. in ſymbolum fidei lib. 2.*

Mihi enim multi ſunt Auctores tàm antiqui, qnàm recentes, qui miracula ſuis temporibus ſacta diligenter poſteritati conſeruanda cenſuerunt, illud Tobiæ ab Angelo Raphaele dictum memoria tenentes: Bonum eſt (inquit ille) Regum ſecreta tacere, at Dei opera, & mirabilia publicare, maxime laudabile eſt.

Ego igitur id ſpectans, Dei operum, quæ in hoc catholico Luſitaniæ Regno ipſe oculis vidi, in hoc libro teſtimonium adſcribam.

In Euoræ cinitate adeſt Virginum Auguſtiniarum Cœnobium, S. Monicæ appellatum, in quo Ieſu pueri imago eſt. Poſt Natalis feſtum ſolent illæ Virgines, cui datum eſt, illum pnerum ſumere, & in ſuo oratorio collocare, quotidie ante illum aliquas preces fundere; anno vero elapſo aliqua parua veſte eum induere, & ad eum locum referre, vnde ſuſtulerunt.

Tum forte qnædam religioſa omnibus virtutibus ornata, quæ adhuc viuit, & diuerſis, & grauiſſimis morbis duodecim annis afflictata fuit, & primis tribus annis elapſis nerui, qni in poplitibus ſunt, ita contracti fuerunt, vt vel duobus ferulis iret, vel quadrupedaret: hoc autem morbo fere octo annis detenta fuit, cui pene omnes medicinæ, & medicamenta, quæ fieri poſſent, adhibita ſunt, vt illi nerui molliores redderentur, atque diſteuderentur, idq. ſine vllo fructu.

Præterea, ad calidas perducta fuit, quæ ſnnt balnea, in quibus aquæ calidæ ſunt, & ad frigidos morbos ſatis accommodatæ, & ad neruorum attractorum extenſionem, attamen & nihil profuerunt. his omnibus remedijs adhibitis, medici ſibi diffidentes multis ante annis, nullum medicamentum illi adhibebant.

Hæc præterea Virgo alio grauiſsimo morbo laborabat, nam quolibet primo menſium die ita epilepſiæ morbo afficiebatur, vt multæ Virgines magna cum difficultate eam tenere poſſent. Vbi autem S. Natalis feſtum peruenit, eo ſpectabat monacha, vt pueri Ieſu imaginem habere poſſet, vt ei illam pietatem adhiberet, quam ceteræ adhibere ſolebant. Et ante feſtum cæpit de cælo illam procurare medicinam, quam in terris habere minime potuit.

Ex quo eam ſpem conſecuta eſt, fore, vt Deus illam ſanaret, quod cuidã

Monachæ, quæ illius magiſtra fuit, communicauit, quæ quidem illam ſpem minimi fecit. Sacrum feſtum aduenit, dum maior miſſa celebraretur, hæc Monacha apud cancellos inferioris chori ſedebat, cum autem epiſtola legi cœpta eſſet, ſtatim ſe ſanam factam eſſe ſentit, & nihil dixit, ne miſſæ officiũ turbaretur, qua confecta ſurrexit, & Matribus dixit: Ego pueri Ieſu magna bonitate, & miſericordia ſana ſum. Tunc vna ex matribus, quæ manu baculum geſtabat, ei illum porrexit, eam huiuſmodi auxilio egere exiſtimans, vt ambulare poſſet: illa vero manu illum capiens cœpit per chorum proficiſci, & cum videret ſine eo facile ambulare poſſe, eum proiecit.

Tam multæ fuerunt tunc lachrymæ,& ſingultus illarum omnium, & gratiæ, & laudes, quas Deo dabant, tanta admiratio, & timor, cum viderent eam ſuis pedibus ire, quæ octo annos ferulis tantummodo ibat, in toto autem choro tantus motus factus eſt, vt omnes, qui in Eccleſia erant, ſibi narrari vellent quomodo res ſe haberet,& illo die toto attonitæ ibant, in animo ſuo hoc miraculum euoluentes.

Tunc illa, quam ante diximus fuiſſe huius Monachæ magiſtram, ad puerum Ieſum ſe contulit, & in lachrymarum lætitiæ, & pietatis flumen conuerſa manibus ſacrum filium ſuſcepit,& eum oſculari non ceſſabat,inquiens: Domine ſanaſti Creueram, Domine ſanaſti Creueram (ſic enim illa vocabatur) hæc verba ſæpius repetens: ille autem Sanctus puer hac miſericordia non contentus (illius enim opera,& gratiæ perfectæ ſunt) epilepſiæ quoque morbo eam liberauit, qua eam laboraſſe ante dictum eſt.

Nam paulo poſt,primus Ianuarij dies cum appropinquaret, cumque hoc accidens expectaretur, nulla moleſtia affecta eſt, imo eo die matutini hora à ſomno excitata eſt, & haſtulis ſonum fecit, vt ſolebat, & neque illo die, neque in poſterum vſque ad hoc tempus vnquam illum morbũ paſſa eſt. Hoc miraculum ſtatim ad aures omnium ciuium peruaſit, & finitimorum etiam, & per Ordinarium huius rei facta eſt diligens inquiſitio; quam ſcriptam ego legi, neque hoc veritatis argumento contentus, meos oculos huius rei teſtes eſſe volui.

Ad illius enim Cœnobium me contuli, & omnibus Matribus vocatis ad inferiorem chorum, aderat cum illis & hæc virgo, quam rogaui,vt me præſente deambularet, quod fecit tàm bene, quàm ſi nullo vnquam morbo laboraſſet, & hoc tempore viuit, & illius ſanitas huius miraculi teſtimonium perhibet.

Hæc Monacha in illo Monaſterio amitam habebat, loci Abbatiſſam, quæ illi magis mater, quàm amita erat, & ita omnibus illis annis eam multis ſumptibus, magnaq. moleſtia tanquam filiam ſanandam curauerat. Quæ quidem primis diebus illius miraculi pene ſtupefacta, & triſtis ibat, cui reliquæ monachæ dicebant: quid mater! omnes lætæ ſumus propter ea, quæ vidimus, & tu tàm triſtis & ægra proficiſceris? Reſpondit illa: Matres, huius miraculi ſtupore, quod ego vidi, & hoc tanto præmio, quod mihi Deus tribuit, apud me non ſum.

Hæc eſt ſumma illius miraculi,quod factum eſt, quo die puer Ieſus natus eſt. Sed qui illas Virgines audiret, hanc hiſtoriam cum ijs omnibus, quæ vera concurrerunt particulatim narrantes, vt ego audiui, licet ad hæc eſſet durus, ingentem profecto vim deuotionis, & admirationis profunderet.

Hoc autem miraculum non ſolum fuit: nam multa deinde alia conſecuta ſunt.

Ex ijs tamen omnibus vnum tantum animaduerſione omniũ digniſſimum aſcribam, publicum, & quod ſatis probe mihi compertum fuit. Apud hoc Cœnobium quædam mulier morabatur ſatis probe virtutibus ornata, & vt columba ſimplex. Hæc autem quatuor annis cruribus capta, & debilis in lectulo iacebat, & vna cum hoc morbo ſæpe moleſtiſſimis ſimptomatibus laborabat, cum autem hæc ægrota peccata ſua confiteri, & ſanctum altaris ſacramentum ſumere volebat, in illam Eccleſiam in ſella ſedentem deferebatur. Cum igitur illuc quodam die eſſet delata, vt ſolebat, vt primum ſacerdos ſacramentum altaris adminiſtrauit, ei dixit: Hic expectes, vt te puero Ieſu offeras. ſacerdos igitur de altari puerum Ieſum ſuſtulit, & illum ei obtulit, ipſa vero, vbi illius veſtem contigit, ſibi intrinſecus dici viſum eſt: ſurge: cumque ſurgere incępiſſet, illius pater, qui ad illius latus erat, exiſtimans ſolita mala affectione commoueri, eam tenere cæpit. Illa tum reſpondit: Ego ſurgere poſſum: & ita ſurrexit ſana illa, quæ tam debilibus cruribus erat, & ita ſana proprijs pedibus domum reuerſa eſt, & quicunque in Eccleſia erant, attoniti, & ſtupefacti videntes eam per ſe ambulare, quæ ante in ſella deferri ſolebat, eam domum ſuam comitati ſunt; illa autem dicebat, non aliter multos poſt ſe venire, vt hoc miraculum viderent tam nouum, ac ſolent poſt eum, qui ad mortem capite damnatus ducitur. Vniuerſa ergo gens illa huius miraculi teſtis fuit.

Ego autem ab ipſo medico, qui eam curabat, & Fregoſus dicebatur, ſcire volui, quiſnam illius morbus eſſet, qui vt teſtis, qui rem tractauit, tam de annis, quibus illo morbo laborauit, quam de morbi cauſa, me certiorem reddidit: neque eo contentus fui, ſed ter, & quater ad hanc mulierem me contuli, adeo maximam percipiebam voluptatem, & admirationem ex huius miraculi hiſtoria, vna cum annexis illius morbi, & modo ſanitatis: & illud memoria teneo, poſtremo me ad eam iuiſſe, vt ſciſcitarer, nunquid domum reuerſa fuerit baculum manu geſtans, nec ne, ſciens Dei operationes miraculoſas, perfectas eſſe debere: reſponſum mihi fuit, quod non geſtabat.

Alius celebris medicus illius ciuitatis, nomine Ariez Diaz, qui infirmitatis notitiam habebat, maxima admiratione perterritus eam viſit, & ab ea petijt, vt ſe præſente deambularet, vt oculis cerneret, quod fama ad ſuas aures pertulerat; quod factum eſt, & ille medicus Deo gratias agebat, quod tantum miraculum videret.

Virgo religioſa Epilepſia alijſq. morbis incurabiliter afflicta, ad puerum Ieſum, & Matrem eius conuerſa, virtute fidei ſanctitatem meruit, & obtinuit. Cap. 100.

NOlo, vt puer Ieſus longe à noſtris oculis abſit, qui licet infans ſit, ad omnia tamen miracula eſt omnipotens, & illud eſt, quod hic narraturus ſum, quod nondum elapſi ſunt decem anni, ex quo in Cœnobio virginum Ordinis ſancti Bernardi, quod eſt in terra Coz in Aliobazæ finibus accidit.

In eo Cœnobio quædam Virgo duodecim annos nata,& paulo ante monachali habitu induta menſis Octobris initio ægrotare cæpit. Longum eſſet omnia narrare, quæ huic virgini acciderunt, grauiſſima, vt eſt epilepſia, & cetera huiuſmodi, quibus medici nunquam remedium accomodatum inuenire potuerunt.

Quo Monachæ maxima moleſtia afficiebantur, cum viderent, quæ illa puella dies noctesq. pateretur, & nullum remedium, aut leuamen ei reperiri. Hæc moleſtia à feſto S. Martini vſque ad Chriſti Natalia perdurauit. In eodem Cœnobio habebant monachæ in quodam loco ſanctum præſepium, in quo & puer Ieſus cùm ſanctiſſimæ matris imagine erat. Aegrotæ autem dixerunt, num ad infantem Ieſum, qui in eo præſepio erat deduci vellet? quibus ſe velle reſpondit; eam per brachia, quod ipſa per ſe ire non poſſet, ad ſanctum infantulum ſiſtentes, eum in illius manibus poſuerunt.

Tunc illa ad Virginis imaginem oculos conuertens ſic, dicere cæpit:

Domina hunc tibi minime traditura ſum, quoad bonam valetudinem, qua tibi ſeruire poſſim, mihi non tradideris.

Quæ dum ſæpius repeteret verba, monachis ad id eam adhortantibus, & dicentibus: Dic Puella, dic: paulo poſt illa ægrota ſe humi abiecit, & ibi tam diu, tamquam ſi dormiret,ſtetit, quo ad monachæ, quæ aderant, verentes, ne quid mali ei accideret, curarunt, vt ſe ipſa colligeret. Tunc illa. Cur me excitaſtis?

Nunc enim aliam videbam dominam, alium infantem, aliud præſepium, quæ omnia ab his, quæ hic ſunt, longe differunt? Quo dicto mirifica huius infantis virtutem, & illius matris miſericordiæ, qui tantorum laborum in tam tenera ætate, & innocenti miſerta eſt, tam ſana ſurrexit, quam ſi nullo morbo laboraſſet, & monachæ ſtupefactæ ſunt, cum tantum miraculum viderent, & Deo pro ea gratias egerunt. Statim Abbatiſſa iuſſit cuidam monachæ, vt hanc hiſtoriam, vt ſe habuit conſcriberet, quam ego legi, & in mea manu fuit, & duobus ante annis cum ego Aliobazæ eſſem, Sereniſſimus Cardinalis infans D. Henricus, qui nunc Rex noſter dominus eſt, hoc cœnobium viſit, & ibi monachæ ad eum hanc virginem adduxerunt, in qua Deus hoc miraculum operatus eſt, quo die in terris propter noſtram ſalutem naſci voluit.

De Stella prodigio nouiter obortæ apud gentes, & aduentu Regum terræ ad infantem adorandum. Cap. 101.

CVm autem Altiſſimi filius, noua Dei progenies, nouum orbis miraculum in orbe, quem condiderat, natus eſſet, cumq. in formam hominis hominibus apparuiſſet, nihilq. niſi humanum foris oſtenderet, ne tamen inacceſſibile Deitatis lumen, quod in carne latebat,quodq. à viuentibus hominibus videri fas non eſt, niſi mori velint, penitus occultaretur, ſed eatenus per effectus aliquos admirabiles & dignos appareret, quatenus ſatis eſſet humanis cordibus ad fidem diuinitatis habendam, illud inter cetera non ſolito inditio,ſed diuino iudicio patefactum, & ſumma admiratione dignum actum eſt, vt Stella admirabilis fulgoris, amplius in cælis non viſa, ab ea

parte,

parte, qua oriens eſt, tanto lumine fulgeret, vt homines diuinarum rerum ignari admirarentur in cælis, vbi res certo, & immutabili ordine diſponuntur, & poſt tot ſecula ab eo tempore, quo cæli in ſuis orbibus firmati ſunt, nihil in ſupernis illis, & inacceſſibilibus regionibus additum, aut diminutum eſt admirabilem apparuiſſe ſtellam, nequaquam ex illis, quibus cælos ornatos videmus, nec ex illis, quæ ex vaporibus coagmentatis accenſæ in aëre, Cometæ dictæ ſunt, ſed eam, quam manus opificis Dei, mundum nouo lumine illuſtrare volentis nouo miraculo fecit naturæ Iura ſuperantem, & diuinam quandam virtutem præſeferentem, & cetera ſydera quotquot ante fuerunt, immo ſolis rotam decore ac luminis dignitate vincentem. Huius lucidiſſimæ ſtellæ ortus, quoniam inuſitatus, & inſolitus futurus erat in mundo, ideo antequam fieret, reuelatus eſt. Balaam enim vetuſtiſſimis illis temporibus, auditor ſermonum Dei, qui nouerat doctrinam Altiſſimi, & viſiones Omnipotentis videbat, talem protulit prophetiam: Videbo eam, ſed non modo, intuebor illam, ſed non prope. Orietur ſtella ex Iacob, & conſurget virga ex Iſrael: de Iacob erit, qui dominabitur.

Igitur Arabum Reges, Magiæ naturalis ſtudioſi, cum illam ortam conſpexiſſent, & in cælo ſignum ſpectarent, quod diuina, non humana præferret, cepit cupido eorum animos, vt cauſam conquirerent, & quid illud portenderet, viderent; & cum haberent hi ex Balaam prophetiam, quam diximus, quam Moyſes ipſe, vt erat ingenio acer, conſcripſerat, & in hac de ſtella; quod traditur, conſpexiſſent, intellexerunt hominem demigraſſe ad vitam & natum eſſe, quem prophetæ cum ſtellæ indicio iam pridem venturum denuntiaſſent, & cum hunc, vt potiorem, dæmonibus prætuliſſent, qui ſoliti eſſent vanis rerum imaginibus ludificari, in Iudæam eundem adoraturi ſe contulerunt, certiores iam redditi, eſſe Regem aliquem natum, ignari tamen, quale hic eſſet imperium habiturus, & vbinam gentium naſceretur. Vulgatam autem, & perſpectam fuiſſe in illis locis prophetiam illam Balaam, ex eo videri poteſt; quoniam ſicut Moyſes audiens prophetiam illam Balaam, ſacris eam voluminibus inſeruit, multo magis credendum eſt eam ab illis ſuis codicibus inſertam, qui tunc Meſopotamiam habitabant, apud quam magnificus habebatur Balaam, quemque artis ſuæ conſtat habuiſſe diſcipulos. Ex illo enim fertur Magorum genus, & inſtitutio in partibus Orietis viguiſſe, qui deſcripta habentes apud ſe omnia, quæ prophetauerat Balaam, etiam hoc habuerunt ſcriptum, quod orietur ſtella ex Iacob, & exurget homo ex Iſrael. Hæc ſcripta habebant Magi apud ſemetipſos, & ideo quando natus eſt Ieſus, agnouerunt ſtellam, & intellexerunt adimpleri prophetiam, clarius ipſi quam populus Iſrael, qui Sanctorum Prophetarum audire verba contempſit, & ideo adoraturi venerunt, myſterium, agente ſine dubio in eorum cordibus diuina inſpiratione, vt eos tantæ viſionis effuſo fulgore admoneret, de deſcenſu Dei venerabilis ad humanæ conuerſationis, rerumq. mortalium gratiam. Prouidentia namq. miſericordiæ Dei diſpoſitum habens pereunti mundo in nouiſſimis temporibus ſubuenire, ſaluationem omnium gentium præfiniuit in Chriſto, vt quia cunctas nationes à veri Dei cultu impius dudũ error auerterat, & ipſe peculiaris Dei populus Iſrael ab inſtitutis legalibus pene totus exciderat, concluſis omnibus ſub peccato, omnium miſereretur. Deficiente enim vbiq. iuſtitia, & toto mundo in vana, & maligna prolapſo, *S. Leonis Papæ de Epiphania ſermo 3.*

nisi

niſi iudicium ſuum diuina poteſtas differret, vniuerſitas hominum ſententiã damnationis exciperet. Sed in indulgentiam ira tranſlata eſt, & vt clarior fieret exercendæ gratiæ magnitudo, tunc placuit abolendis hominum peccatis ſacramentum remiſsionis afferri, quando nemo poterat de ſuis meritis gloriari. Huius autem ineffabilis miſericordiæ manifeſtatio facta eſt Herode apud Iudæos ius regium tenente, vbi legitima Regũ ſucceſſione ceſſante, & Pontificum poteſtate deſtructa, alienigena obtinuerat principatum, vt veri Regis ortus, illius prophetiæ probaretur voce, quæ dixerat: Non deficiet Princeps ex Iuda, neque dux de femoribus eius, donec veniat, cui repoſitum eſt, & ipſe erit expectatio gentium. De quibus quondam beatiſsimo Patriarchæ Abrahæ innumerabilis fuerat promiſſa ſucceſſio, non carnis ſemine, ſed fidei fecunditate generanda, & ideo ſtellarum multitudini comparata, vt ab omnium gentium patre, non terrena, ſed cæleſtis progenies ſperaretur. Ad creandum ergo promiſſam poſteritatem, hæredes in ſyderibus deſignati, ortu noui ſyderis excitantur, vt in quo cæli adhibitum fuerat teſtimonium, cæli famularetur obſequium. Commouet Magos remotioris Orientis habitatores ſtellis ceteris ſtella fulgentior, & de mirandi luminis claritate, viri ad hæc ſpectanda non inſcij, magnitudinem ſignificationis intelligunt, agente hoc ſine dubio in eorum cordibus inſpiratione diuina, vt eos tantæ viſionis myſterium non lateret, & quod oculis oſtendebatur inſolitum, animis non eſſet obſcurum.

Aduertat lector, hoc infraſcriptum caput 102. fuiſſe ponendum poſt caput 94. quod errore impreſſoris, hoc loco poſtpoſitũ fuit.

De admirabilibus verbis prophetico ſpiritu à B. Maria prolatis, quæ apud omnes orbis partes in omnibus generationibus inceſſabili, & multiplicato miraculo verificata ſunt.

Cap. 102.

Sed illud ſatis ſuperq. admirandum eſt, & omni ſtupore plenum, quod humano ingenio & viribus prorſus impoſſibile fuiſſet, ſi tale aliquid tẽtaſſet, ſed non Deo, apud quem non eſt impoſſibile omne verbum, & qui facit mirabilia magna ſolus.

Cum enim Angelus ſalutationem compleuiſſet, & Dei voluntatem annunciaſſet, cumque illa tandem ineffabili humilitate ancillam ſe Domini recognoſcens ad Matris officium ſuſcipiendum totius cæli & terræ plauſu, conſenſum præbuiſſet, animam ad cælum tollens, & Dei magnitudinem laudans, & ſpiritu exultans, quod in vtero ſuo ſalutem æternam fortiter, & immobiliter erexiſſet, ſe ſupra ſe, & in diuino lumine ſecularia tempora vſque ad mundi interitum contuens, ac ſi ante oculos ſuos orbis reuolutiones, & creaturarum viciſſitudines, & generationum omnium ſucceſſiones, & mentium humanarum cogitationes perſpectas habuiſſet, voce magna proclamauit: Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quæ vox prophetico ſpiritu emiſſa, diuina virtute confortata, impleuit orbem terrarum, & ſtatim auditum eſt: Beata quæ credidiſti, benedicta tu in mulieribus, & beatus venter qui te portauit, & beata vbera quæ lactauerunt æterni patris filium: & deinde ex hoc in hoc, & de tempore in tempus, & per ſeculorum curricula currens vox illa virtute plena, & poteſtate vigens, omnium nationum, omnium populorum cogitationes, omnium

remo-

remotiſſimarum gentium corda peruadens, & in omnem terram exiens ſonus illius, & in fines orbis terræ proſiliens verbum iſtud, contigit, vt ſuccedentibus temporibus, omnis lingua in toto orbe Chriſtiano eam beatam ſemper dixerit, & poſt mille & ſexcentos annos adhuc dicat, & non dubium quin vſque ad Mundi finem ſit dictura.

Mirum eſt Virginem puellam, in humili oppidulo poſitam, ſub humili tecto latitantem, vix vlli notum, auſam fuiſſe dicere, omnes generationes beatam me dicent: Mirum eſt, poſtquam dixit, factum fuiſſe ſicut dixerat. Erat enim res humanis viribus prorſus impoſſibilis. Quis enim hominum huius puellæ nomen ferat per loca, & poſtquam tulerit, quis perſuadeat, vt alij credant, & laudent eam, & beatam dicant? Quis inueniatur vir tantæ apud omnes populos authoritatis, qui perſuadeat tot nationibus, quæ orbem inhabitant vt hoc faciant, illis præſertim quæ colebant deos falſos, & idola adorabant, & quæ barbaræ & feroces erant, & rebus humanis intentæ? Quis inducat vnquam aut ferro & armis, aut arte aliqua & inuentione animos perſtringat, & faciat Aegyptios, Babylonios, Medos, Perſos, Arabes, Elamitas, Græcos, & Italos, Hiſpanos, Gallos, Germanos, & remotos Britannos, Polonos, Dalmatas, ceteroſq. orbis populos, vt confiteri velint, & laudare huius Virginis nomen, & beatam eam prædicare? potuit quis forſan armorum vi eos ad obediendum ſubijcere etiam inuitos: certe adducere illos ad beatam dicendam pauperem puellulam omnibus prius ignotam, & perſuadere, vt libere & ex vero animo prædicent illam eſſe beatam: nullus vnquam vllo modo potuit hoc facere, niſi ſit Deus cum illo.

Et ſi forte contigerit, quòd vnus populus dicat, alius non dicet, & ſi omnes populi illi adducti fuerint in vna generatione vt illud dicant, non dicent in alia, & ſi vſque ad decimam generationem dixerint, non dicent vſque ad centeſimam.

Inſtabiles enim ſunt hominum mentes, mutabiles animi, varia ingenia hominum, qui modo aiunt, modo negant, modo laudes proferunt, modo iactant opprobria.

Qua igitur ratione cogitatio non deterruit Virginis animum ad pronunciandum verbum tam audax? debebat enim cogitare quod illud, quod loquebatur, non poſſet præ impoſſibilitate verificari, & quod ſequentibus generationibus futurum eſſet, vt illam non beatam, ſed mendacem, & audacem dicerent.

Et tamen tota ſecuritate Adoleſcentula omnes generationes illam beatam prædicaturas dixit, & ſicut ipſa dixit, ita factum eſt, ita vt ſuccedentibus temporibus Mundus in ſuis generationibus ſemper eam beatam prædicauerit. Et nos videmus hodie nouiſſimo noſtro ſeculo omnes eam beatam dicere, & religioſos viros per totum orbem diſperſos, ſacerdotes omnes, viros, & mulieres, vbique gentium, ſingulis quibuſq. diebus, mane, meridie, veſpere eam corde & animo beatam prædicare, & ſalutare libenter, & laudare frequenter, & benedicere inceſſanter, offerentes illi ſpiritualium roſarum coronas, pulſantes organa, & cytharas, & cantantes dulces hymnos, & dulcia cantica drammatum, & vix quiſque exit de vtero matris ſuæ, qui à parentibus pijs, dum infans eſt, non doceatur Mariæ fari nomen, ſalu-

tem

tem illi dicere, & beatam prædicare. Ita vt propheticus Mariæ ſermo omnibus diebus, ſingulis horis vbique gentium, ab omnibus populis, à pueris, iuuenibus & ſenioribus, à plebeis, & principibus viris, & mulieribus perpetuo & multiplici miraculo adimpleatur:& quod auget admirationem, etiam indomitus Turcarum populus,quamuis ſeductoris Mahumeti mendacijs deceptus, Mariam & Virginem, & beatam prædicat.

Et quoniam prophetia ea quæ vera eſt, ab ea quæ falſa eſt, tunc certiſſime dignoſcitur, cum id quod prædicitur,ſuo tempore contingit vt fiat; cum Mariæ prædictio de ſe, beata ab omnibus generationibus prædicanda per tot ſecula, per tot linguas, tot teſtimonijs vbique comprobetur, quot ſunt aſtra cæli, & arenæ in littore maris; ſequitur per irrefragabilem euidentiam, per apertam & conſpicuam oculis, & auribus manifeſtationem,nihil verbis Mariæ fuiſſe verius, ſimulq. nihil orbi contigiſſe beatius, quàm eam & felicem, & beatam prædicare, quotidie inceſſabili voce dicendo: Felix es ſacra Virgo Maria, & omni laude digniſsima, quia ex te ortus eſt ſol iuſtitiæ, Chriſtus Deus noſter: Beata Mater, & intacta virgo glorioſa, Regina mundi intercede pro nobis ad Dominum.

De ſapientibus Magis, qui primi inter Gentes Chriſtum natum adorauerunt, eique munera obtulerunt, enarratio.

Cap. 103.

Philip. Boſkierus Ceſarimontanus in lib. Beda in Collect.

MAgi, qui primi omnium ex gentibus Chriſti Saluatoris infantiam, in Bethlehem decimo tertio poſt natiuitatem die adorarunt, tres numero fuiſſe perhibentur: ac, ſi Epiphanio credimus, ex Abraham originem duxerunt, ex filijs eius, quos ex Cethura ancilla ſuſcepit, deſcendentes. Cui nõ repugnat, quod Origenes, & Chryſoſtomus, ad Balaam prophetam gentilem, Magorum originem referunt; nam, & ipſe, ſicuti etiam Regina Saba, ex ijſdem Cethuræ filijs duxit originem.

Ara cæli, in ſ. prima Decad.

Nomina eorum, ætas, & vultus, cuiuſmodi fuerint, & quæ quiſque munera obtulerit, ſicut ex maiorum traditione acceperat, his verbis deſcribit venerabilis Beda. Primus (inquit) dicitur fuiſſe Melchior, ſenex, & canus, barba prolixa, & capillis: tunica hyacinthina,ſagoq. mileno, & calceamẽtis hyacinthino, & albo mixto opere, pro mitrario variæ compoſitionis indutus, aurum obtulit Regi Domino. Secundus nomine Gaſpar, iuuenis imberbis, rubicundus, milenica tunica, ſago rubeo, calceamentis hyacinthinis veſtitus, thure, quaſi Deo oblatione digna, Deum honorauit. Tertius Fuſcus, integre barbatus, Baltaſſar nomine, habens tunicam rubeam, albo vario, calceamentis milenicis amictus, per myrrham filium hominis moriturum profeſſus eſt.

Quod autem vnus eorum niger, & Aethiops depingi ſoleat, vt in multis, ijsq. antiquis apud nos picturis apparet, ex eo profectum videtur, tum quod Beda tertium fuſcum fuiſſe perhibet, tum quod ex Pſal. 71. in die Regum in Eccleſia decantatur: Coram illo procident Aethiopes.

Non obſcuri eos loci, aut ordinis, ſed Principes viros, atque adeo Reges fuiſſe, quod Chriſti gloriam maxime illuſtrat, pium eſt credere: id enim veteris legis figura, quæ in Salamone anteceſſit, & Prophetarum, maxime Da-

uidis,

uidis, & Iſaiæ vaticinijs conſentaneum eſt, quorũ ille inquit: Reges Tharſis, & Inſulæ munera offerent, Reges Arabum, & Saba dona adducent; Poſterior vero: Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in ſplendore ortus tui. Quæ de Magorum vocatione, oblationequè, ab Eccleſia, & Sanctis Patribus intelliguntur. Idẽ ſuadet Herodis, ac totius vrbis Hieroſolymitanæ ad eorum aduentum trepidatio: munera item pretioſa, quæ ex theſauris ſuis depromptiſſe referuntur. De quibus ſic tradit Arnoldus Carnotenſis in opuſculo de laudibus Virginis: Reges Arabum, & Saba ab Oriente egreſſi, ſequuti ſtellam inſoliti luminis, genibus curuatis, & humi purpura defluente, IESVM noſtrum pannoſum adorantes, donis ſacramẽtalibus venerati ſunt. Maiorum denique traditio, ſcriptis, ſermonibus, concionibus, hymnis, & picturis, vt vulgaribus, ſic antiquis prodita confirmat. Nec quicquam ad rem facit, quod Euangeliſta non appellarit Reges, ſed Magos, id enim conſulto factum eſt, quod Chriſti gloria, noſtraq. religio, Magorum, ſiue ſapientium teſtimonio potius, quàm Regum potentia conſtabilienda videretur. *Pſ 71.* *Iſa.c.60.*

Magi autem iſti ſapientes in Aſtrologia fuiſſe commemorantur, qui arte Mathematica (vt Cyprianus loquitur) vim, & diſcurſum nouerant Planetarum, & elementorum naturam, & aſtrorum myſteria certis experimentis obſeruabant. Vnde conuenienter admodum Diuina ſapientia, quæ diſponit omnia ſuauiter, ſtellæ potiſſimum indicio, illos, tamquam aſtrorum peritos, ad ſe pertraxit, accedente tum gratiæ diuinæ lumine, tum hominum ex Scripturis demonſtratione. Nam de loco vbi Chriſtus naſceretur, à Scribis, & Michæa inſtructi ſunt, & ſtellam illam Meſſiæ ortum ſignificare, ex Balaam propheta per maiorum traditionem acceperant. *Cypr. ſerm. de ſtella & Magis.*

Ex Arabia Felice veniſſe (quod Iuſtinus martyr, Tertullianus, Cyprianus, & Epiphanius memoria prodiderunt) veriſimile videtur, cùm quod Arabia reſpectu Iudææ, ad Orientem (Tacito teſte) ſita; tùm, quod auri, thuris, & myrrhæ ferax ſit: demum, quod hæc opinio conſentiat cum Iſaiæ vaticinio: Omnes de Saba (quæ, teſte in eum locum, & libro quæſtionum in Geneſim D. Hieronymo, Arabia eſt) venient, aurum, & thus deferentes. Cum illo item Dauidico: Reges Arabum, & Saba dona adducent. Et rurſus: Dabitur ei de auro Arabiæ. *Iuſt. Dial. cum Tryph. Tert. lib. 3. con. Marci. c. 13. Cypr. vbi ſupra. Epiph. li 3. adu. hæreſ. Tacit. li. 5. Hiſt.*

Porro auri, thuris, & myrrhæ munera Chriſto obtulerunt, quod his rebus Arabia in primis abundaret, & ſuperbiret. Deinde quod Regina Saba, quam ex gente & familia Magorum fuiſſe proditum eſt, ſimilia dona, aurum (inquam) & aromata, quibus gemmas pretioſas addidit, Salomoni Regi in typum Chriſti, donauerit. Adde quod, quæ Cethuræ filijs munera dediſſe Abraham in Geneſi commemoratur, ex Hebręorum traditione, ea Epiphanius refert, veſtes, aurum, thus, & myrrham fuiſſe. Poſtremo non tantum gentis ſuæ morem, & exempla maiorum, verum etiam miſticam rationem ſecuti, hoc, quod cordibus credunt, muneribus proteſtantur. Thus Deo, myrrham homini, aurum offerunt Regi. His ſe inſtruunt donis, vt adoraturi vnum, tria ſe ſimul crediidiſſe demonſtrent, auro honorantes perſonam regiam, myrrha humanam, thure diuinam.

Poſt Chriſti Aſcenſionem, à D. Thoma Apoſtolo, in fide Chriſti plenius feruntur inſtructi, & baptizati, imo Paſtores etiam, & Doctores, in Populo ſuo ordinati ſunt, magnamq. Gentilium turbam ad Chriſtum Regem natum addu-

adduxerunt. Atque ita, vt primitias frugum copioſa meſſis conſequitur, ſic Magos primitias credentium ex gentibus,innumerabilium fides populorum, tanquam vberrima ſeges, eſt ſubſequuta: impletumq. vaticinium Dauidis, qui poſtquam prædixerat:Reges Arabum,& Saba dona adducent; ſubiunxit: Et adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes ſeruient ei; item; Omnes gentes quaſcumque feciſti, venient, & adorabunt coram te, Domine, & glorificabunt nomen tuum.

Poſtquam in ſenectute bona ex hac vita in pace deceſſerunt, corpora eorum primum Helenæ Auguſtæ ſtudio Conſtantinopolim allata, inde Mediolanum ab Euſtorgio, eius Vrbis Epiſcopo, traducta, tandem anno poſt Chriſtum natum 1164. quando Fridericus Imperator Mediolanum occupauit, Coloniam Agrippinam a Reinoldo Archiepiſcopo Colonienſi tranſlata, ibidem in æde D. Petri, depoſita fuerunt.

Agnoſcamus, in Magis adoratoribus Chriſti, vocationis noſtræ fidei primitias,& quem illi Infantem venerati ſunt in cunabulis, nos Omnipotentem adoremus in Cælis. Inuenerunt illi Infantem paruulum, modicis, & vilibus pannis inuolutum, videbant reclinatum duro in præſepio, aut ſinu matris pauperculæ exceptum, & tamen nihil his omnibus, alijsq. rebus offenſi viri Barbari, veræq. pietatis, & fidei rudes adhuc, & ignari, procidentes,adorauerunt eum. Imitemur ſaltem Barbaros,nos, qui cælorum Ciues ſumus,&, qui Chriſti Maieſtatem, potentiam, factaq. admiranda, & Chriſtianæ fidei myſteria cognouimus, fidem noſtram illorum exemplo, confirmemus. Itaq. cum in Eccleſia Catholica, quæ vera Bethlehem, ſeu domus panis eſt, idem Chriſti corpus exterius ſpeciebus, tamquam faſcijs inuolutum, admirabili Dei Omnipotentis virtute, non iam in præſepi, ſed altari proponitur, conſecratur, offertur, ſumitur, aut quouis modo nobis repræſentatur, excitemur animo, horreſcamusq. & quam debemus, quamq. decet, ad tanta myſteria, & animi pietatem, & reuerentiam corporis offeramus. Nihil nos conturbent cogitationum fluctus, nec ſenſuum fallax iudicium, nihil hæreticorum fabulationes moueant, ſed Dei verbum certos faciat, & deuotos, & magna, & admirabilia, quæ ad hanc fidem firmandam, in miraculis & prodigijs per ſuccedentia ſecula operatus eſt Deus, quæ ſuis locis commemorabuntur.

Hoc igitur modo Chriſtus Dei filius ſplendor Patris æternus, exteris illis Magis intra Gentiliũ tenebris habitantibus ſe ipſum manifeſtauit. Proprium enim luminis,& naturale eſt prodere ſe ipſum,& fulgorẽ ſuum, & pulchritudinem lucis alienis oculis obijcere,vt delectentur in illo, & tenebras horrorẽ incutientes fugare faciant. Chriſtus igitur vultus ſui diuini amabilem pulchritudinem offert omnibus, qui in tenebris ſunt, & illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Sed pro hominum moribus vnum ſic, & alium ſic illuminat: illuminat autem, quoniam neſcire Chriſtum tenebra, & mors eſt, noſſe illum vita eſt, & lux; & ſpernere interitus, & ſeruire regnum. Homo enim, qui creatoris ſui, & Redemptoris notitiam non habet,ſimilis eſt bruto animanti, in quo non eſt intellectus. Tam autẽ admirabile eſt hoc diuinæ ſalutis lumen,vt cum primũ menti noſtræ,quaſi quædam aurora præfulſerit, incipit homo quodãmodo diuineſcere, & propius ad incircumſcriptibile lumen accedens fit ſimilis Deo. Pertinet autem ad ſuauem Dei prouidentiam, vt lumen ſuæ agnitionis, largiſſime obſcuratis mortalium men-

mentibus largiatur, vt eximij, & deificantis ſplendoris lucerna ſub modio non lateat, ſed in cordibus hominum lucendo ardeat, quod ſemper à Deo factum eſt.

Referam autem hic aliqua noſtri temporis exempla memoratu digna, in quibus mirum in modum Dei immenſa charitas, & benignitas illuxit in communicando beato lumine ſedentibus in vmbra mortis.

Turca quidam curioſius ſcrutans locum, vbi Chriſti corpus aſſeruabatur, vi coruſcantis ignis ſublatus, & in terram proiectus exclamat ſe velle eſſe Chriſtianum.

Cap. 104.

QVidam Turca captiuus detinebatur in Oppido Tagliacozzi, quod ditioni Principum Columnenſiũ ſubditum eſt. hic cum libere per Oppidũ conuerſaretur, tempore Quadrageſimæ in hebdomada, quam Maiorem, & Sanctam appellamus, in Eccleſiam quandam ingreſſus eſt. Cum autem in quodam ſacello multa luminaria accenſa videret, ſacellum vndique ornatũ, petijt à Chriſtiano viro, quæ ſolemnitas eſſet in loco illo, & quid ibi ageretur? Reſpondit ille: Vides illam capſulam ſupereminentem? in illa Chriſtianorum Deus abſconditus eſt, qui pro hominibus hac die (erat autem feria ſexta) in Cruce mortuus eſt, & ſepultus. Recolunt autem Chriſtiani in hac die hoc myſterium. Turca autem admirabatur, quomodo poſſet Chriſtianorum Deus ibi manere abſconditus, & tacuit. Cum autem eſſet hora prandij, forte fortuna omnes tam viri quam mulieres domum reuerſi fuerant, & cum nullus in ſacello remanſiſſet, ille hoc animaduertens, decreuit accedere ad capſulam, & videre, ſi ibi Chriſtianorum Deus abſconditus eſſet. Acceſſit, & dum temere capſulam aperit, ecce conſurgens ignis magno impetu à capſula erumpens, Turcam in aërem ſuſtulit, & in Eccleſiæ pauimentum longius proiecit. Ille autem ab inſolito, & improuiſo fulgore raptus, timens, ne forte propter eius curioſam indagationem moreretur, cæpit altius exclamare: Viri Chriſtiani, ſuccurrite, ferte opem. Audito clamore, venerunt plurimi, qui eum pene mortuum inuenerunt, quibus ille expoſuit facinus ſuum, & micantis ignis eruptionem in pœnam ſuæ temeritatis. Quo prodigio ſeſe optime cognouiſſe Chriſtum Chriſtianorum eſſe verum Deum, mundiq. Saluatorem: dicebatq. enixe, & millies replicabat, ſe velle eſſe Chriſtianum, ſicut poſtea Dei gratia ſubſequente adimpletum eſt. Ecce quomodo Chriſti benignitas apparet, non quærentibus illum, erudiens eos, vt abnegantes impietatem, & ſeculi deſideria, pie & iuſte viuãt.

Infidelis Turca Chriſtianum ſe eſſe ſimulans, confitetur ægrotans peccata ſua ſacerdoti Chriſtiano, & ſumit Domini corpus: ſed poſtquam manducauit, intus illuminatus, illico Chriſti fidem amplectitur, & baptizatur.

Cap. 105.

COmmunicauit præterea Deus ſui ipſius notitiam hoc modo cuidã ęgroto fide, & genere Turcæ, qui in hoſpitali domo S. Ioannis Laterani de

Vrbe ægrotabat. Erat Turca iſte ætatis annorum viginti, qui cum per aliquod tempus Anconæ cum parente ſuo mercatore mercium gratia permanſiſſet, à patre fugiens Romam ſe contulit; cum autem melior ſibi conditio non contingeret, cæpit deſeruire cuidam Patritio viro, quem ſemper comitabatur quocumque iret; accedebat etiam ad Eccleſias, & diuinis officijs, & Miſſis intererat, & quia callebat Italicum idioma, arbitrabantur omnes eum eſſe Chriſtianum. Poſt aliquot menſes incidit in grauem morbum: Dominus autem iuſſit, vt deferretur in ſupradictum Xenodochium, ibi curandus. Ibi autem decumbens, ab vno ex miniſtris admonitus fuit, vt confeſſionem ſuorum peccatorum faceret, & communionem corporis Chriſti ſuſciperet: hoc enim omnes ægri ad eum locum accedentes pro morborum ſuorum curatione, de more facere ſolebant. Iuuenis Turca veritus, ne ſi ſe Chriſtianum non eſſe fateretur, ab hoſpitali domo expelleretur, promiſit ſe hæc omnia facturum, quod & poſtmodum præſtitit abſque eo quod ſe Turcam eſſe reuelaret. Peracta confeſſione cum Ieſu Chriſti corpus immaculatum ſuſcepiſſet, ſtatim (mirabile dictu) mutatur mens eius, impletur lumine, crebriſq. gemitibus ſacrum baptiſma poſtulat; tantaq. animi propenſione hoc faciebat, vt ſe comprimere non poſſet, vltro affirmans ſe eſſe Turcam Mahumetanæ ſectæ ſectatorem, nunc autem omnino velle ſe eſſe Chriſtianum. Miniſtri ægrotorum audientes illa, quæ ab iſto dicebantur, putabant, illum non eſſe mentis compotem, ſed morbo grauatum in phreneſim incidiſſe. Forte fortuna, Deo ita prouidente, in dicto Xenodochio aderat Pater Lucas Pinellus Societatis Ieſu, venerat enim illuc vna cum alio Religioſo Patre eiuſdem Ordinis, qui diebus feſtis ibidem concionabatur. Miniſtri autem vocarunt illum, vt ad eum ægrotum accederet, & videret quid æger ille tam vehementer poſtulabat. Acceſſit ad eum Pater, & rogans iuuenem, vt diceret, cur ſic clamaret; tunc libere dixit ei, ſe eſſe Turcam: & more Turcarum eſſe circumciſum; ſimulaſſe autem ſe eſſe Chriſtianum, ne foras mitteretur. Et ob id ſimulate etiam ſe confeſſum eſſe peccata, & recepiſſe oblatum panem: ſed poſt manducatam bucellam, apertum ſibi fuiſſe ſenſum, & mirabiliter intus illuminatum fuiſſe, certoq. cognouiſſe Chriſtum Deum Chriſtianorum eſſe Mundi Saluatorem, in cuius nomine, & non in alio ſalui fierent, quotquot ſaluarentur; quapropter petere ſe ardentiſſime, vt ſancto baptiſmate ablueretur, & in Chriſtianorum numerum reciperetur, aſſerens ſe tanto intus ardore inflammari, vt quieſcere non poſſet. Igitur re bene examinata, & perſpecto, quod circumciſus erat, docuerunt illum, quæcumque erant neceſſaria ad Ieſu Chriſti fidem ſuſcipiendam, quod cum factum fuit, baptizatus eſt; ſequenti autem die obdormiuit in Domino, vt ſtatim proficiſceretur ad illum, qui vocauerat eum. Hæc refert prædictus P. Pinellus in pio ſuo libello de meditationibus breuibus, aſſeritq. ibi, ſe ſupradictarum rerum fuiſſe oculatum teſtem.

Turca puella dum obtectum ſub panis accidentibus panem neſciens manducat, Chriſtum agnoſcit. Cap. 106.

Similis plane caſus contigit Genuæ. Ibi enim erat adoleſcentula Turca captiua, quæ cuiuſdam nobili Dominæ ſeruitio mancipata erat: cum autem

autem Domina iſta in die Paſchate ad Parochiam ſuam veniſſet,vt Miſſæ intereſſet, & de more communicaret Chriſti corpori,omnibus ancillis ſuis comitata, acceſſit ad locum, vbi Euchariſtiæ ſacramentum confluentibus miniſtrabatur: acceſſerunt & aliæ ancillæ diſponentes ſe ad diuini corporis communionem ſuſcipiendam. Turca autem puella, cum neſciret, quid ibi ageretur, immiſcuit ſe cum alijs, Domina ſua, atque alijs ancillis non aduertẽtibus. cumque Sacerdos ordinate conſecratum panem ſingulis miniſtraret, eum Turcæ puellæ, neſciens eam eſſe Turcam,obtulit. Cogitante autem illa eſſe communem eſcam, & videntе eam ab omnibus manducari, manducauit & ipſa. Vix eſca illa benedicta in ſtomachum eius ingreſſa fuerat, cum cœpit intus vehementiſſime inflammari,ſimiliter & illuminari; quod admirans, & tanti ardoris flammam ſufferre non valens, aperuit omnibus publice ignẽ ſuum. Domina autem eius ſpiritu turbata accedens ad illam, & interrogans quid pateretur, & cur ad communicandum ſe temere contuliſſet, ipſa inſcia: Reſpondit famula, ſe ignoraſſe Chriſtianorum myſteria, & ſimpliciter ſe ad illam bucellam panis manducandam acceſſiſſe; protinus autem experimento probaſſe cor ſuum ardenti quodam lumine inflammari; Falſam eſſe Mahumeti religionem; veram eſſe Chriſti fidem, quapropter rogare ſe quàm poterat vehementer, vt in numerum Chriſtianorum illam reciperent, vt cunctis diebus vitæ ſuæ Chriſtianorum Domino humiliter ſeruire poſſet, quod poſtea factum eſt.

Quibus prodigijs manifeſtiſſime apparet, quàm libenter, pater luminum Deus, omnibus gentibus, filij ſui mundi Saluatoris notitiam communicet.

Crudeliſſimi Herodis Infanticidium. Cap. 107.

AVdiens natum Chriſtum Herodes cruentus carnifex, audiens eum & Iudæorum Regem futurum, turbatur, atque impiæ mentis furijs agitatur, tremit, pallеſcit, metu concutitur, animo diſſoluitur. Nomen Regis expaueſcit: quia regnandi modum non intelligit. Regnum quippe Iudæorum nec nobilitate obtinuerat, nec probitate meruerat: ſed nobile illud regnum regiæ ſtirpi Iudæ, patriarchæ Iacob vaticinio debitum, tyrannide inuaſerat, crudelitate retinebat. Nato ergo rege Iuſtitiæ, iniuſtitia tremit, regnatura pietate crudelitas fremit. Sed cur impiè ſæuis? quid liuore torqueris? Cur aduentum Saluatoris formidas? Quid ad nomen mitiſſimi,atque humillimi regis trepidas? Non venit vt temporalia tollat, qui æterna militibus ſuis ſtipendia erogat. Terreno regno non indiget, qui cælo præſidet. Depone ergo inanem formidinem, exagitatã compone mentem: & vt ſub eo felicius regnes, fideliter perage, quod ſimulas, regem velis, nolis tuum, ſubiecta ceruice adorans. At doloſa Vulpes, intra tenebroſas perfidæ mentis latebras interim ſe cælat, lætitiam vultu ſimulat, corde dolos fabricat, & adoratum ire ſe ſpondens, inuentum necare parat. Sed fruſtra tentat ſapientiæ Dei humanæ mentis malitia illudere, ſicut & fruſtra nititur in petræ duritia lubricus coluber molli tractu veſtigia figere. Nam Dominus, qui aliud natiuitati, aliud paſſioni ſuæ congruum vtrique myſterio tempus præſcripſerat, non dedignatur in Aegyptum alienis manibus tolli, qui paſſus eſt proprias manus cruci configi, non tam Herodem fugiens, quam myſterium

peragens. Significabat enim iam tunc, nomen ſuum à principibus Sacerdotum, & conclamantis populi inſania, rege ſuo, videlicet Diabolo inſtigante, de Iudæa effugandum; & in fines gentium ore Apoſtolico deportandum. At cruenta bellua, torridis faucibus ſanguinis auida, dum illudere puta, illuſa eſt, quia nati regis guttur ex voto inuadere non potuit, in innoxiũ paruulorum exercitum rabiem effudit, vt dum coetaneos regi ſuo paruulos ſtrãgulat, proſtrato toto exercitu; is qui ſolus, vel maxime appetitur, furentis beſtiæ morſum non euadat. Sternuntur ergo gladijs carnificum corpora paruulorum, ſed deportantur ad æterna manibus Angelorum: ſæuit in terra atrociſſimus carnifex; ſed coronat in cælo ſereniſſimus Iudex.

Dignum eſt, vt Beatiſſimis Infantibus, athletis glorioſiſſimis, gratulãdo hic paulo diutius immoremur, & de illorum triumpho fuſius aliquid proloquamur; qui, & inaudito pugnandi modo decertant, & nouo vincendi genere triumphant. In quibus cum nec ætas noſſe bellandi ſtudium, nec victoriæ poterat voluntas affectaſſe brauium: ſola in his hoſtem expugnat gratia, ſola meretur palmam innocentia. Dico autem beatos illos, ac vere innocentes; qui per Chriſti gratiam, martyrij prius adepti ſunt gloriam, quam poſſent noſſe martyrij cauſam. Fęlices paruuli, qui nomen Chriſti meruerunt, ante ſanguine, quam lingua confiteri. Fęlices paruuli, qui de ſtadio mundi meruerunt ante ad regnum victores ingredi; quam ſcirent cum hoſte congredi. Beati martyres, qui niuea innocentiæ ſtola candentes, atque roſeo cruore vernantes, merentur ſequi quocumque ierit, agnum Dei; Ipſe enim fuit eis cauſa pænæ, ipſe eſt & corona gloriæ. Fęlices, vere beati, qui ante meruerunt vita æterna, quam præſenti perfui: quibus vitæ præſentis ingreſſus, fuit ad æternam tranſitus.

Enarrationes rerum memorabilium, viuente in terris Chriſto Domino geſtarum, quæ in Euangelijs non reperiuntur, ſed à probatis Auctoribus ſcripta ſunt. Cap. 108.

EA autem, quæ Dominus Ieſus, dum in terris eſſet, ſtupore, & miraculo magno, & inaudita poteſtate operatus eſt per ſemetipſum, ſcripta ſunt in euangelijs, vbi videri poſſunt, vt viſis admirandis actionibus, & auditis cæleſtibus verbis; & perſpectis ſupernaturalibus virtutibus, prodigijs, & ſignis, quæ nunquam antea in mundo facta fuerant, & quæ nulla ratione, aut facultate, niſi diuina & omnipotenti fieri poſſunt, ſciant homines Ieſum Chriſtum, verum fuiſſe Dei filium, qui deſcendit de cælo, & factus homo, obijciens hominibus inuolucrum carnis, quam ex Virgine

Io. vlt. ſuſceperat, operatus eſt omnium ſalutem in medio terræ.

Et quoniam Euangeliſtæ non omnia, quæ Chriſtus geſſit (quoniam fuerunt innumerabilia) ſed præcipua aliqua conſcripſerunt, ideo putauimus, non ab re eſſe, ſi nonnulla quæ à probatis Auctoribus litteris mandata fuerunt, hic conſcribantur ex illis, quæ Chriſti Domini temporibus geſta fuere. Sunt autem huiuſmodi.

De Arbore excelſa magnitudinis, quæ proficiſcente Ieſu in Aegyptum, fugiente Dæmone, vltro ſeſe vſque ad terram inflexit. Cap. 109.

CVm Hieroſolymis de nato Chriſto rumor inciperet percrebreſcere, & tam ex ijs, quæ cecinit, & prophetauit Simeon, quam etiam ex Annæ atteſtatione, iam hoc ſpargeretur in vulgus, & in Herodis aures illaberetur, qui nuper de nato Rege Iudæorum, ex relatione Magorum magnum timorem conceperat; his denuo de aduentu Chriſti nuncijs exacerbatus in furorem actus, vtque ſe eo metu liberaret, necem quæſiuit infantis. Sed tanto facinori, per Angelum Ioſeph : monens occurrit Deus, tunc enim accidit, quod poſt Magorum diſceſſum contigiſſe Matthæus Euangeliſta ſcribit his verbis: Cum receſſiſſent, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph, dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Aegyptum, & eſto ibi vſque dum dicam tibi, futurum eſt enim, vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum. Qui conſurgens accepit puerum, & matrem eius nocte, & receſſit in Aegyptum, & erat ibi vſque ad obitum Herodis, vt impleretur quod dictum eſt à Domino per Prophetam dicentem: Ex Aegypto vocaui filium meum. Chriſto vero in Aegyptum cum Matre, & Ioſeph pergente, hæc mirabilia (ſicut tradit Sozomenus) contigerunt. Memorant (inquit ille) arborem eſſe, quæ Perſis dicitur, Hermopoli, quod eſt oppidum Thebaidis, cuius fructus, aut folium, aut particula aliqua corticis ægrotis admota morbos à compluribus depulerit. Nam traditum eſt, Ioſeph cum propter Herodem aſſumptis ſecum Chriſto, & Maria Sancta Deipara fugiſſet, veniſſetq. Hermopolim; atque ſimul vt portæ appropinquarit, ſtatim arborem, licet plane maximam, aduentu Chriſti euſiratam eſſe, atque ad ſolum vſque ſe inflexiſſe, & Chriſtum adoraſſe. Atque hæc quidem de hac arbore, ſicut à multis audiui, à me commemorata ſunt. Quæ quidem, ſi quid ego iudico, vel ſignificabat iam Chriſtum in orbe adeſſe; vel vt eſt veriſimile, arborem, quam incolæ propter magnitudinem, & pulchritudinem lege gentilitia venerabantur, Dæmone iam qui ibi colebatur, ob Chriſtum talium rerum euerſorem, qui in eo loco comparebat, perhorreſcente, ſua ſponte commotam eſſe. Itaque dæmone inde abacto arbor, quo rei geſtæ teſtimonio eſſet, remanſit ibi, fidelesque morbis liberauit. Atque vt Aegyptij, & Palæſtini iſtarum rerum, ſic alij ſinguli aliarum quæ apud ipſos geſtæ ſunt, teſtes locupletes exiſtunt. hactenus Sozomenus.

Luc. 2. | Matth. 2. | Sozomen. hiſt. lib. 5. c. 20.

De ingreſſu Domini in Aegyptum, & commotione ſimulachrorũ. De benedictione ſolitudini in tranſitu data. De loco habitationis Chriſti. De hortulo balſami, & fonte, in quo Virgo filium, & panniculos eius lauit. De lapide, vbi eos exſiccauit, & de mira virtute fontis. Cap. 110.

ILlud quoque mirabile actum eſt in aduentu magni Domini in Aegyptum, vt ſimulachra illius terræ, in quibus Dæmonia pro dijs colebantur, tan-

to numine percuſſa, contremuerint, & commota ſint. Quod aliquando fu- *Iſa.19.* turum eſſe olim prædixit Iſaias: Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem leuẽ, & ingredietur Aegyptum, & commouebuntur ſimulachra Aegypti à facie *Euſeb. de dem. lib.5. c.20.* eius, & cor Aegypti tabeſcet in medio eius. Euſebius Pamphili de his agẽs hæc ait: Hi qui prius incolebant Aegyptum praui, vitioſiq. Dæmones per multa ſecula in ſimulachris latitantes, animaſq. Aegyptiorum omnis ſuperſtitionis errore addicentes, ac ſubijcientes, cum ſenſiſſent nouam quandam, diuinamq. virtutem ad ſe acceſſiſſe, illicò commoti ſunt & fluctuationem ac perturbationem in ſemetipſis pertulerunt, corq. eorum & ius intelligendi intrinſecus ab ipſis conuicta ſunt, ceſſeruntq. & fugati ſunt ab eadem virtute quæ vi effugere compellebat, & ignis inſtar ineffabili quadam ratione adducebat, & tunc quidem inuiſibiliter Dæmones talia paſſi ſunt, cum Saluator noſter in Aegyptum cum viſibili corpore peruenit. hæc Euſebius, Sed & Athanaſius illorum gentilis non tantum commota eſſe, ſed corruiſſe *Athan. lib. de incarn. Ver.* ſimulachra Aegypti teſtatur his verbis. Athan. Quis iuſtorum, aut Regum in Aegyptum deſcendit, & eius deſcenſu Idola in Aegypto ceciderunt? Abrahã deſcendit, nihilominus Idololatria vbiq. viguit: natus eſt ibi Moyſes, æque illic hæſit religionis error. Aegyptiorum enim ſuperſtitio non quieuiſſet, niſi Dominus omnium in corpore, quaſi in nube vectus eo deſcendiſſet, & *Orig. hom. 3. diuerſ.* Idolorum errores compeſcuiſſet. hæc ille. Et Origenes in hunc modum: Euge in Aegyptum, propterea, vt deſtruantur manufacta eorum, & confringantur, & pereant idola ipſorum; propterea, vt Dæmones turbentur, & regum fabricæ in Idolis deſtruantur, vt fiat in aduentu Domini fugitiuorum ſeruorum, & malorum interitus. hæc ille, & alia multa id generis. Eadem alij complures ſanctorum patrum, quæ quidem omnia ſic accipienda eſſe putamus, non vt cuncta, quæ tunc erant in Aegypto corruerint ſimulachra, ſed de his aliqua, non tam in ſignum quod ille adueniſſet, quam quod idolatriam eſſet penitus euerſurus. Demum in vitis Patrum quod opus Euagrij eſſe putatur, hæc ſcripta legũtur: Vidimus & alium ſanctum virum nomine Appollonium apud Thebaidem in finibus Hermopolis, ad quam ciuitatem Saluatorem cum Maria, & Ioſeph de Iudææ finibus veniſſe tradunt ſecundũ prophetiam Iſai. Vidimus ergo ibi & templum ipſum, in quod ingreſſo Saluatore corruiſſe omnia idola in terram, & comminuta eſſe memorabantur, hæc ibi. Sane quidem illinc fluxiſſe in Græcos fontem Idolatriæ; qui Herodotum legerit in Euterpe plane intelliget. Porro non modo Aegyptum Domini præſentia illuſtratam, ſed & ipſam ſolitudinem, per quam tranſiuit, eſſe nobilitatam tradunt; quę tunc quodam modo ſemen benedictionis ſuſcipiens; poſtea ſuo tempore, quod idem ait Propheta: Germinans germinauit, & floruit ſolitudo ſicut lilium, tot Sanctorum monacho- *Chryſ. hom. 8. in Matt.* rum illic quaquauerſum incolentium, produxit ſacra germina: Quam & in Paradiſum quandam amæniſſimam conuerſam docet Chriſoſt. his verbis: Tactu ipſo Domini guſtum quendam ſanctificationis adipiſcitur: vt cum illum audierit ab Apoſtolis prædicari, huius quaſi priuilegij honore decoretur, quod Dominum prima ſuſceperit: & certe ſolius hic Palæſtinæ videbatur eſſe primatus, ſed facta eſt poſtea (Aegyptus ſcilicet) iſta feruentior. Denique ſi quis nunc ad Aegypti veniat ſolitudines, Paradiſo quouis omnem illam videbit Heremum digniorem, & innumerabiles Angelorum cœ-

tus

tus in corporibus fulgore mortalibus, & Populos Martyrum, & choros Virginum, & omnem quidem Tyrannidem diaboli diſſolutam, Chriſti autem regnum coruſcans, & illam Poetarum, & Magorum quondam, hac Philoſophorum parentem, & cuiuſque generis impoſturarum repertricem, quæque etiam ceteris propria inuenta tradiderat, videbit modo piſcatorum magiſterio gloriantem, & contemptis omnibus iam illis, repudiatiſque, publicanum vbique, ac ſutorem pellium circumferentem, atque ad maximam ſuæ fidei gloriam, crucem Domini præferentem. Et hæc omnia bona non in vrbibus ſolum, ſed etiam in deſertis magis florent locis, quam in ipſis vrbibus: eſt enim cernere tota illa regione diffuſum exercitum Chriſti, & admirabilem illum Regium gregem, virtutumq. cæleſtium conuerſationem in terris micantem. Item: Non ita varijs aſtrorum choris, cælum refulget, vt Aegypti heremus innumeris Monachorum, ac Virginum diſtinguitur, & illuſtratur habitaculis. Si quis illam Aegyptum veterem nouit rebellem Deo, ac magnitudine ſuperſtitionum furentem, adorantem irrationales animantes, porros etiam, cæpaſq. pauitantem: hic optime Chriſti poteſt noſſe virtutem, per quem facta eſt tam admiranda mutatio. Hæc Chryſoſtomus.

Non prętermittendũ putamus nobile monumentum habitationis Chriſti in Aegypto; quod traditione piorũ cognitũ, poſteris ab his, qui Religionis ergo ad illa peregrinati ſunt loca, & inter alios ab eo, qui ceteris habetur fidelior, Brocardo, ſic deſcribitur: Inter Helyopolim & Babyloniam, medio ferme loco, eſt balſami hortus: & poſt multa: Irrigatur hortus ille ex paruulo fonte, ſed vbere, in quo fama eſt Beatam Virginem Ieſum paruulum pluries lauiſſe, panniculoſq. eiuſdem mundaſſe, cum eſſet in Aegypto propter metum Herodis: eſt & ibidem lapis, ſuper quem dicitur eoſdem exſiccaſſe: hæc omnia venerãtur à Chriſtianis & Saracenis. Verum quia fons Ieſu paruulus eſt, non ſufficiens irrigationi totius horti, Saraceni alium profundum foderunt puteum iuxta illum, ex quo quatuor boues per Rotam aquam extrahunt; ſperantes ex vicinitate fontis Ieſu aquam alterius fontis fore virtuoſam. At ſe deceptos animaduertentes conſtruxerunt canale, per quod tranſmittunt aquam illã in fontem Ieſu, vt ſic ex eis mixtis fæcundaretur hortus. Nec eos feſellit opinio: nunc enim ſufficienter, & virtuoſe fæcundatur ex aquis ſic mixtis. Hæc, & alia admiranda, quæ auctor oculis ſpectauit, refert, cui, vt diximus, ceteri, qui eiuſdem argumenti libros ſcripſerunt adſtipulantur; qui & addunt locum illum, in quo habitaſſe ferebatur Sancta Deipara, ab ipſis etiam Saracenis, magna veneratione haberi, adeo vt ibi lampadem perpetuo ardentem in memoriam Ieſu illic olim habitantis conſeruent; locumq. illum ab incolis Aegyptijs Matarææm nominari tradunt, & diſtare à Cairo decem millibus paſſuum. Ibi inſuper pretioſas Balſami arbuſculas Ieſu beneficio olim increuiſſe. Putealem fontem adhuc videri, quo ad obſequia Domini Virgo mater vſa fuerat, ex quo peregrini, pio affectu, & hauriunt, & bibunt aquas non inſalubriter.

Brocard. in deſcrip. terra ſancta par. 1. c. 4.

Corn. Ianſ. in Concor. Euang. ca. 11.

De calamitatibus Herodi à Deo immiſſis, videlicet de conſpiratione Antipatri in necem eius, & de iracundia eius in Iudæos, quorum nonnullos, Aquilam auream à templi porta auferentes viuos combuſſit. Cap. 111.

HErodes, quoniam, vt Chriſtum occideret, innoxios infantes apud Bethlehem trucidauit, miris, & portentoſis morbis propter ingens ſcelus, Deo vlciſcente cruciatus eſt, & maximis calamitatibus afflictus: de quibus hæc Ioſephus. Interea (inquit) legati inſtructi mandatis, ac litteris Romam properant: nimirum vt innoteſcat Auguſto Antipatri filij detecta prodicio in patrem, quem veneno comparato necare parauerat, cuius cauſa ille conuictus aſſeruaretur in carcere. Interea morbo Rex correptus teſtamentum condidit, ſucceſſionem Regni relinquens natorum minimo, exaſperatus in Archelaum & Philippum calumnijs Antipatri; Cæſariq. legauit mille talenta, & vxori Iuliæ liberisq. eius amicis, atque liberis, talenta quinquaginta. Suis quoque filijs diſtribuit pecunias, & agros, ac redditus, ſimiliter etiam nepotibus. Salomes etiam ratio eſt habita, quam propter perpetuam, & inconcuſſam beneuolentiam ditauit egregie. Deſperata deinde ſalute, quod iam ad ſeptuageſimum ætatis annum accederet, mirum in modum efferatus, iræ impatiens, & amarulentus in rebus omnibus: in cauſa erat opinio contemptus, quodq. exiſtimaret gentem lætari ſuis infortunijs: quam opinionem confirmauit quorundam apud populum gratioſorum ſeditio mota ex cauſa tali.

Ioſeph. Antiq. lib. 17. c. 8.

Iudas Sariphęi filius, & Matthias Margolothi (doctiſſimi erant Iudæorum & interpretes patriæ legis præſtantiſſimi) ob idq. chari Populo, quod iuuentutem diſciplinis inſtituerent; totis enim diebus eis dabant operā, quotquot cupiebant in virtute proficere. Hi poſtquam cognouerunt morbum Regis eſſe incurabilem, concitauerunt iuuenturem, vt ſublatis operibus, quæ Rex præter patriam conſuetudinem fecerat, propugnatores pietatis ſe oſtenderet, debitum inde expectantes præmium, nam hanc eſſe Regi cauſam cum calamitatum domeſticarum, tum poſtremo præſentis morbi; videlicet quod cōtemptis legibus multa nouare auſus ſit, nam hac parte multis in rebus pietatem Regis hi doctores deſiderabant. Inter cetera ſupra maiorem portam templi dedicauerat donum precioſum, aquilam auream magni ponderis: cū lex noſtros homines vetet imagines ſtatuere, aut conſecrare animantium effigies. Quamobrem hi Doctores auctores erant diſcipulis, vt aquilam illam detraherent: & ſi enim res videatur non carere periculo, tamen etiam iucundæ vitæ præponendum eſſe honeſtum obitum, ſi contemnatur propter tuendas leges patrias: quandoquidem ſempiterna fama nullo ſeculo paſſura ſit gloriam eorum intermori: & alioquin ignauos iuxta ac fortes eundem manere interitum: proinde recte facturos virtutis cultores, ſi ex communi neceſſitate honorem ſibi decerperent, & cum hoc ſolatio de præſenti vita recederent: magnum enim leuamen eſſe honeſtis conatibus immori, & periculi non contemnendum præmium tranſmiſſum ad nepotes ac poſteros, cuius in partem tota cognatio tàm viri quàm feminæ veniant: quo quid eſſe poſſit optabilius? Hac exhortatione accenſis iuuenibus, rumor ſuperuenit

extinctum Regem nuntians, & propenſos iam ad facinus perpulit. Itaquè claro meridie aſcendentes detractam aquilam conciderunt ſecuribus, inſpectante congregata in templum multitudine. Quod vt renuntiatum cognouit Dux Regius, maiorem aliquam conſpirationem metuens occurrit eò cum valida ſuorum manu, cohibiturus demolitores aquilæ, & irruens in vulgus rude, & imparatum, ac conglobatum temere, facile reliquis diſiectis & cedentibus, circiter quadraginta iuuenes reſiſtere auſos comprehendit, cumque his auctores facinoris Iudam, & Matthiam, turpe putantes cedere, omnesq. ad Regem perduxit. Quo rogante, quò freti auſi ſunt ſacratam imaginem demere? aiunt, & deliberaſſe id multò antea, & deliberatum executos, vt fortes viros decuit, nam & honori diuino, inquiunt, ſuccurrimus, & legem, cuius diſcipuli ſumus, vindicauimus. Nec eſt quod mireris, ſi tuis decretis leges præponimus, quas nobis Moyſes auctore & doctore Deo protulit: nec recuſamus mortem, ac ſupplicium quodcumque nobis intuleris, conſcij nos non maleficij, ſed pietatis cauſa hæc perpeti. Hæc illi non minore animo, quàm verbis præferentes fortitudinem æque, tum ad conſtanter patiendum alacres, atque antea ad agendum fortiter fuerant. Eos Rex vinctos miſit Hiericunthem: moxq. accitis Iudæorum primoribus in concionem eorum lectica ob imbecillitatem delatus cæpit commemorare labores ſuos exhauſtos pro republica, tum inſtauratum templum impenſis ingentibus; quale opus per ducentos viginti quinque annos nemo Aſſamoneorum Regum ad honorem Dei valuiſſet perficere: nec extructum id tantum à ſe, verum etiam ornatum vociuis muneribus, ac donarijs templo digniſſimis: & ob hæc facta ſperaſſe ſe vel poſt obitum ſempiternam & memoriam & gloriam. Nunc proh nefas, viuo etiam ac ſuperſtite pro beneficijs reponi iniuriam, & medio die ſpectante multitudine ſua dona ſacrata violari ac detrahi: quæ iniuria licet in ipſum intentata, re tamen vera ad Deum magis pertineat, cuius ſacra compilata ſunt. Tum honoratiores quique veriti crudelitatem eius, ne forte efferatus in ſe quoque grauius animaduerteret, negauerunt hæc facta ex ipſorum ſententia, viderique ſibi admiſſam rem dignam ſupplicio. Ille in ceteris mitior, Matthiæ Pontifici adimit ſacerdotium, quaſi non alieno ab hoc conſilio, eiq. ſucceſſorem dedit fratrem vxoris ſuæ Ioazarum. Huius Matthiæ Pontificatu accidit etiam alium Pontificem ad vnam diem ſubſtitui, qua Iudæi populariter ieiunium celebrant: nam Matthias ea nocte, quæ præcedebat diem ieiunij viſus eſt ſibi per ſomnum cum vxore congredi; & cum ob eam cauſam rem diuinam facere non eſſet idoneus, Ioſephus Elemni filius adiutor Vicarius propter cognationem ei datus eſt. Ceterum Herodes poſt mulctatum Matthiam ſacerdotio, alterum Matthiam ſeditionis auctorem, eiusq. ſocios viuos exuſſit.

Ingentes Herodis plagæ diuinitus inflictæ propter trucidatos infantes. vis morbi, crudele mandatum in Iudæos. occiſio filij proprij, teſtamentum, deſperatio, & mors.

Cap. 112.

HErodi Regi, morbus factus eſt grauiſſimus, pœnam impietatis exigente numine: lento enim calore torrebatur, qui non tam externo ta- *Ioſeph. Antiq. lib. 17. c. 8.*

ctu deprehenderetur, quam intus popularetur viſcera: aderat & vehemens voracitas, cui neceſſe eſſet continuo cibos ſuggerere: ſimulq. vexabatur inteſtinorum exulceratione, & colicis paſſionibus, pedes tumebant plegmate humido, & pellucido, ſimiliterq. inguina: ipſa quoque verenda putrefacta ſcatebant vermiculis, accedente fœda, nec minus moleſta tentigine non ſine fœtore grauiſſimo: ſuper hæc omnia neruorum contractione laborabat, & difficultate anhelitus. Quamobrem conſtans erat inter viros diuinos, & fatidicos opinio, Regem tot modis læſæ pietatis Deo pœnas expendere. Qui tametſi grauius affligeretur, quàm vt videretur poſſe morbo perferendo ſufficere, tamē euaſurum ſe ſperabat accerſendis medicis intentus & medicamentis conquirendis vndique. Profectus etiam vltra Iordanem fluuium calidis aquis ſe fouebat apud Calliroen, quæ præter vim medicam potu quoque iucundæ ſunt. Hæ aquæ in lacum bituminis feracem, effluunt: ibi de medicorum conſilio immiſſus fouendus in refertum oleo ſolium; viſus eſt illis iam agere animam. Quare exorta comploratione familiarium excitatus, & ad ſe reuerſus, nullamq. amplius ſalutis ſpem ſupereſſe intelligens, donatiuum militibus quinquagenas drachmas iuſſit diſtribui: magna denique liberalitate vſus in Duces, & amicos, rurſus Hiericunthem reuerſus eſt: vbi atra bile prægrauante eo immanitatis prolapſus eſt, vt facinus animo conciperet longe atrociſſimum. Nam cum è tota ditione nobiliores Iudæorum ad eum conueniſſent euocati minaci edicto pœnam capitis intentante, non parentibus, infenſus ex æquo, ſiue ſontibus, ſiue innoxijs vniuerſos concluſit in circo. Accita deinde Salome ſorore maritoq. eius Alexa, ait: inſtare ſibi terminum vitæ ſuccūbenti tantis doloribus; quod quidem ferendum eſſe, quando iuxta communem mortalium ſortem accidat: illud permoleſtum eſſe, ſi carendum ſit extremo honore luctus, qui debeatur Regibus: non enim ignotam ſibi Iudæorum mentem eſſe, quod optatam ſuam mortem lætis accepturi ſint animis: quandoquidem vel à viuente non abſtinuiſſent contumelias: ſed illorum eſſe officij leuamen aliquod præſentis huius doloris decernere; nam ſi aſſenſum conſilio ſuo præbeant, fore funus longe quam aliorum Regum honoratius, & manibus ſuis gratius omnibus per totam ditionem non ficte lugentibus. Ergo quamprimum viderint ſe exhalaſſe animam, debere eos clauſam circo nobilium multitudinem cingere militibus, ignorantibus etiamnum ſuum obitum, non prius vulgandum, quam mandatum executi ſint: iubere deinde, vt circum actos vna omnes iaculis configerent. Quibus hoc modo cæſis duplicem ſe eis habiturū gratiam, vel quod mandatorum fuerunt memores, vel quod obitum ſuum publico luctu honorauerint. Hæc ille cum lachrymis lamentabundus cognatos per mutuam fidem, & beneuolentiam, perq. omnia ſacra obteſtabatur, ne ſe extremo hoc honore fraudatum vellent: eis contra pollicentibus daturos ſe operam, vt cuncta iuxta eius mandatum fierent. Dum hæc mandata cognatis dat, ſuperuenerunt à Roma litteræ à legatis miſſis ad Cæſarem, quarum ſumma erat; Acmen ab irato Cæſare occiſam eſſe (parauerat hæc venenum propinandum Herodi) propter locatam Antipatro operam, ipſumq. Antipatrum relinqui arbitrio & Regis, & Patris; ſiue in exilium vellet eum pellere, ſiue capite plectere. His auditis Herodes paululum recreatus eſt, voluptate nuncij pœnæ Acmes, & permiſſæ ſibi poteſtatis liberè

ſtatuen-

ſtatuendi de filio. Mox repetitus graui dolore, cibi tamen auidus malum ſimul & cultellum popoſcit, ſolebat enim & antea per ſe paulatim incidendo comedere: tunc vero circumſpiciebat ferire ſe ipſum cupiens: perpetraſſetq. facinus, ni Achiabus nepos ictum præueniens clamore ſublato cohibuiſſet eius dexteram: moxq. denuo luctus cum trepidatione, ac tumultu occupauit Palatium, quaſi rege iam agente animam: quem ſtrepitum vbi perſentit Antipater, ratum patrem vere vitam finiſſe, ſpem concepit fore vt ſolutis vinculis ſine difficultate regnum acciperet: cæpitq. cum cuſtode carceris, de miſſione agere, multa & in præſens & in futurum poſt acquiſitam poteſtatem pollicens. Ille vero, adeo non paruit, vt mox conatus eius Regi renunciaret, vtque ſolicitatus ab eo ſit oſtentato præmio. Tum Herodes, qui iam ante male affectus erat erga filium, poſtquam audiuit cuſtodem carceris exclamans præ indignatione, & caput ſibimet verberans, quamuis morti proximus; erexit ſe in cubitum, iuſſitq. vnum ex ſatellitio ſine mora eum occidere, & corpus obſcuro funere condi in caſtello Hircanio. Deinde mutata voluntate, mutauit etiam teſtamentum. Antipam enim, quem prioribus tabulis Regni ſucceſſorem deſtinauerat, Galilçæ ſimul, ac Pereæ Thetrarcham conſtituit: Regnum vero Archelao largitus Traconiticam, Gauloniticam, & Bataneam & Paneada Regiones Tetrarchiæ nomine aſſignauit Philippo filio, germano fratri Archelai; Tamnias autem Azotum & Phaſaelida Salomæ ſorori ſuæ tribuit, & argenti ſignati quingenta millia. habita eſt ceterorum cognatorum ratio, abundeq. proſpectum ſingulis legãda pecunia & redditibus annuis. Cæſari quoque legauit argenti ſignati centies centena millia præter eaquè ſua vaſa tam aurea, quam argentea, magnumq. veſtis pretioſæ numerũ. Iuliæ autem Cæſaris Vxori & quibuſdam amicis quinquagies centena millia. His ordinatis quinta die, poſtquam Antipatrum filium occidit, vita functus eſt.

Reditus Chriſti pueri in Nazareth, & habitatio eius in domo Mariæ. Cap. 113.

ANno Chriſti nono ineunte, Ieſus Chriſtus Redemptor noſter, cum ſuperiori anno monitus ab Angelo Ioſeph ex Aegypto receſſiſſet, ſeptima Ianuarij in Palçſtinam reductus, Nazareth habitauit. Memorabilis fuit antiquitus in Eccleſia ea dies, quæ cum in Martyrologio Romano, tum in ceteris anniuerſaria commemoratione recolitur. Eſt Nazareth vbi, Chriſtus egit, inquit Hieronymus, viculus Galilææ iuxta mõntem Thabor, vnde & Dominus Ieſus Chriſtus Nazarenus vocatus eſt; habetq. Eccleſiam in loco, quo Angelus ad Beatam Mariam euangelizaturus intrauit; ſed & aliam, vbi Dominus eſt nutritus. De ijſdem duabus domibus & Beda meminit, cum agit de locis ſanctis.

Matth. 2. *Martyrol. Rom. 7. Ianuar. Bed. Vſua. Ado. eadem die* *Hieron. de loc. Hebrai.*

Porro de Domo iſta nihil attinet hic dicere, cum de ea, & tranſlatione ipſius plurima ſupradicta ſint.

Sed hic poſt tot ipſius Ioſeph labores enarremus aliquã de ſanctiſſimo hoc viro, quia ipſius res geſtæ litteris mandatæ non fuerunt.

De

De Nobilitate precelſa, & ſanctitate magna beatiſſimi Ioſeph ſanctiſſimæ Virginis Mariæ ſponſi. Cap. 114.

MAgnum fuiſſe Virum Ioſeph B. Virginis ſponſum, & excellentiſſimum locum & ſublimiſſimum habuiſſe inter mortales homines,& altiſſima Nobilitate decoratum, ex eo ſatis conſtat, quoniam Euangelij ſacri ſcriptores,primum dixerunt eum ex nobiliſſima tribu Iudæ,& ex regia progenie Dauid ortum habuiſſe; quod ſi nobilitas eſt, ſanguis antiquus, & ſanguis in quo Reges progeniti ſunt, atque viri Principes,vtique B. Ioſeph hanc nobilitatem excellenter ſortitum eſſe nullus dubitabit, qui legerit Euangeliſtas tanta emphaſi, & magnificentia, & ſtudio vetuſtiſſimam eius proſapiam, & præclaram originem, ex Abraham Patrum principe, & Dauid Regum progenitore recenſuiſſe.

Quod ſi dixerimus: quod nobilitas eſt vnica virtus, & quod eſſe nobilem nil aliud eſt, quam clarere virtutibus, certe Ioſephum hanc ſummam, & veram hominis nobilitatem eminentiſſimo modo aſſecutum eſſe, ex eo patet, quoniam atteſtante Euangelica hiſtoria, quæ mentiri non poteſt, ipſe erat vir iuſtus, quo titulo omnibus virtutibus prædıtus, & ſanctiſſimis moribus exornatus certiſſimo teſtimonio demonſtratur.

Quod ſi nobilitas eſt à Principe, & Rege ſapientiſſimo ad magna, & prima in Regno officia obeunda inter omnes totius Regni homines eſſe electũ, vtique S. Ioſeph hac decoratum nobilitate omnis lingua fateri debet, quandoquidem à Deo ſummo, inter omnes homines, quotquot in mundo vniuerſo reperiebantur, ſolus electus eſt ad officium altiſſimum,& munus præclariſſimum, & maximum obeundum, ad quod etiam Angeli ipſi impares ſunt, etenim conſtituit eum Dominus ſuper familiam ſuam, & voluit æternus Pater, vt Filius eius coæternus carnem ſuſciperet in ſanctiſſimæ Virginis Mariæ fœcundiſſimo vtero, & quod hæc mulier Angelorum, hominumq. Regina, quæ ſola, omnes Angelos, hominesq. gratia, virtute, maieſtate,nobilitate, & lumine ſuperat, eſſet eius ſponſa, & ipſe indiuiduam cum illa conſuetudinem in propria domo haberet, & eius curam gereret, & ſocius eius foret in laboribus & in opportunitatibus, & fideliſſimus comes in itineribus.

Et quod omnem ſtuporem ſuperat, voluit vt omnipotens Filius ex Spiritu Sancto conceptus, & natus ex Maria Virgine eſſet ſub tutela eius, & ſubditus illi, & voluit vt ipſe regeret Regem regum, qui regit aſtra,ante cuius conſpectum tremunt Angeli, & Principes procidunt,& illum defenderet,qui viduam & pupillum ſuſcipit, & adiutor eſt pauperis,& eripit egenos ex manu potentis, & conterit brachia peccatorum, & deponit potentes de ſede,& exaltat humiles. Magnificis autem, & honorificentiſſimis iſtis demonſtrationibus mirificauit illum Deus. Præterea autem ad illum Angelos magnarum rerum nuntios deſtinauit, & Angelicis apparitionibus dignum fecit: & aperuit illi ſecreta cæleſtia, & dedit illi claritatem ſanctorum, vt ipſorum innocentiam, & corporis ſanctificationem ſit adeptus, & cordis puriſſimam, & candidiſſimam puritatem diuino beneficio aſſecutus.

Præterea excelſa munia & officia à Deo illi credita fuerunt, & honeſtatus eſt in laboribus, & virtutibus auctus, adeo vt eminenti modo vita ſua, &

rebus

rebus præclariſſime geſtis Sanctorum imaginem expreſſerit.

Nam ſicut olim magnus ille pater Ioſeph, cuius ſanctitatem tota Eccleſia admiratur, & celebrat, fratrum ſuorum inuidiam fugiens, Dei prouidentia pro multorum ſalute in Aegyptum miſſus ſcribitur: Sic iſte Herodianam inuidiam declinans, Chriſtum pro communi ſalute in Aegyptum portauit. Ille domino ſuo fidem ſeruans, Dominæ noluit commiſceri, iſte Dominam ſuam, Domini ſui matrem Virginem agnoſcens, & ipſe continens fideliter cuſtodiuit. Illi data eſt intelligentia in myſterijs ſomniorum; iſti datum eſt conſcium eſſe, & participem cæleſtium ſacramentorum. Ille frumenta ſeruauit non ſibi, ſed omni populo: iſte panem viuum è cælo ſeruandum accepit tam ſibi, quam toti mundo. Adeo vt ſi Patriarchæ Ioſepho, aut alijs ex ſanctis illum compares, ſemper eum, & perfectionis excelſæ, & ſapientiæ eximiæ, & ſanctitatis præcipuæ videas eſſe eminentem. D.Bernar. ho.2. ſuper Miſſus eſt.

Huius ſanctiſſimi viri magnitudo, & res geſtæ non ab alijs quàm à præordinatis teſtibus conſcribi meruerunt, ſed abbreuiato verbo concluſæ ſunt, quoniam aſſerentes eum fuiſſe diuino conſilio electum, vt eſſet ſponſus Mariæ Virginis beatiſſimæ, & ſuper omnes glorioſæ, & immortalis Regis nutritius, & cuſtos, ita in ſublime laudes eius extulerunt, vt eius laudum ſublimitatem nemo aſſequi poſſit, niſi qui potuerit intelligere, quantus ſit ille qui ſedens in dextera Patris æternus & omnipotens, homo in terris natus eſt, & datus hominibus.

Excellentiſſima Viri ſanctiſſimi Ioſeph dignitas ex legatione Angelica, qua ei à Deo demandatum fuit, vt nomen IESV imponeret. Cap. 115.

IOſeph dictum eſt ab Angelo de Chriſto Domino; Vocabis nomen eius IESVM: quod dictum fuerat & MARIAE. Cum autem B. Virgo eſſet vera Chriſti mater, ipſa debuit filio ſuo nomen imponere: imo cum reuera ſola ipſa fuerit parens eius, ad eam ſolam hoc munus pertinere videbatur. Noluit autem Deus ſanctiſſimum Ioſeph, vtpote verum ſponſum, & maritũ Virginis, hac dignitate, & authoritate priuari. Vnde recte Chryſoſtomus, ita introducit Angelum loquentem ad Ioſeph: Non quia ex Spiritu ſancto eſt, idcirco te à miniſterio tantæ exiſtimes diſpenſationis extraneum: nam & ſi nihil habeas in hac generatione commune, tamen, quod eſt proprium patris, quodq. nihil lædit Virginis dignitatem, hoc tibi facile concedo, vt ſcilicet nato nomen imponas. Quamquam enim non ſit filius tuus: tu tamen curam erga illum, & ſollicitudinem oſtendes parentis, & propterea te illi ab ipſa ſtatim nominis impoſitione approprio, familiaremq. facio nato infanti. Hæc Chryſoſtomus. Matt. 1. Suarez in 3.p. D.Th. Hom. 4. in Matth.

Cum ergo æternus Pater ſumma ſapientia, & prouidentia hoc nomen ſibi proprium cum hoc viro communicauerit, ſatis ſignificauit, ad quantam dignitatem eum euexerit, cum nomine ſimul officium, & curam ei paternam, magna ex parte tribuendo.

Nomen IESV impoſuerunt Deus, Angelus, Maria, & Ioſeph: Deus quidem rem nominis præſtando, Angelus prænuntiando, Maria, & Ioſeph exequendo. Impoſitione, ac ſanctiſſimi huius nominis publicatione, ſecre-

tum cæleſte Mundo aperuit Ioſeph: Patris cæleſtis vices geſſit: Spiritus ſancti patefecit arcana.

Anni primordio, Ianuarij prima die, huius ſanctiſſimi Nominis impoſitio
Baron. ad Martyrol. Rom. celebrata eſt. Certe Kalendæ Ianuarij celeberrimæ fuerunt Romanis: Nouis enim Conſſ. Magiſtratum ineuntibus, nouus etiam annus inchoabatur: primitijs autem Chriſti Redemptoris noſtri ſanguinis conſecratæ, & multo præclariori purpura illuſtratæ, nobis ſacroſanctæ ſunt redditæ. At vero ſicut eius diei celebrandi diuerſa fuit cauſa Gentilibus, ac Chriſtianis, ita & diuerſus atque adeo contrarius fuit colendi modus vtriuſque. Vt enim illi multiplicatis victimis, auctis ſuperſtitionibus, indecoris corporis motibus choreas ducentes, dapium publicarum ingluuie, nefandis, cruentisq. ſpectaculis fœdabant potius diem, quàm colebant, ſic iſti è contrario, ſumma illum ſanctitare, ac puritate tranſigere ſtudebant, atque vt illorum ſuperarent impietates, & in Deum iniurias quodammodo vindicarent, propenſiori ſtudio, additis Ieiunijs, & Litanijs, quibuſdam velut expiationis hoſtijs, diuinum
Ser. 2. edit. Rom. offenſum numen placare ſatagebant. Vnde S. Ambroſius de Kal. Ianuarij: Tunc (inquit) nos ſimus ſobrij, atque ieiuni, quo intelligant lætitiam ſuam noſtra abſtinentia condemnari &c. In quam etiam ſententiam hæc ait ſan-
In Pſ. 98. ctus Auguſtinus: Per iſtos dies ad hoc ieiunamus, vt quando ipſi lætantur, nos pro illis gemamus. hæc ipſe. De ieiunio præterea eius diei ab Eccleſia
Ordo Rom. c. 20. olim celebrari ſolito agit Ordo Rom. & Albinus Flac. Litanias etiam eadē ex cauſa ea die celebrandas ſanctos Patres ſtatuiſſe, teſtatur ſecunda Syno-
Alb. Flac. de diu. off. c. 4. dus Turonenſis. Ne præterea ea die lætitiæ canticum caneretur Alleluiah, vetuit Synodus Toletana. Perdurauit eiuſmodi religioſus ritus in Eccleſia, quouſque Gentilium ſuperſtitio permanſit: qua demū abolita, de ea veluti
Synod. Turon. c. 18. Syno. Tolet. c. 10. triumphans Sancta Dei Eccleſia, ſpirituali gaudio exultans (ſecundum illud propheticum) Coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, & pallium laudis pro ſpiritu mœroris accepit. At quoniam praui frutices, quam-
Iſa. c. 61. uis ſemel exciſi, iterum pullulare non deſinunt: vix credi poteſt, quantum laboris inſumpſerint Sancti Patres, vt infauſtos palmites iterum exurgentes, non tantum verbi falce præciderent, ſed, & radicitius prorſus euellerent. Hinc illę ipſorum de Kalendis Ianuarij ad populum declamationes,
Ambr. ſer. 2. vt à S. Ambroſio dictum eſt. itemq. S. Auguſtini, cuius ſermonis tantum habetur fragmentum. S. Maximi Taurinenſis, & S. Petri Chryſologi, qui &
Auguſt. in edit. Lou. to. 10. perbelle deſcribit turpes illos Gentilium ritus nondum plane ea ætate extinctos, quibus quales eſſent dij Gentium, ipſi cultores eorum ſua ſponte facile demonſtrarent. E Græcis Ioannes Chryſoſtomus id ipſum præſtitit
Chryſolog. ſer. 155. homilia in Kalendis habita; idemq. homilia prima de Lazaro cōmendat auditorum pietatem, qui diem kalendarum ſpiritalibus officijs tranſegiſſent,
Synod. Turo. c. 23. aitque: Heſternum diem, cum eſſet feſtum Satanæ, feciſtis feſtum ſpiritus,
Antiſiod. c. 1. & c. Nec tantum Patres pro concione, ſed & in ſacris Concilijs, ea die fieri ſolitas ſuperſtitiones, ſancitis legibus vetuerunt; vt in Synodo Turo-
Suet. c. 34. nen. & in Antiſiodoren. quo pręſertim ſtrenę adhuc vſu retentæ, ſunt pro-
Feſtus in ver. ſtrena. hibitæ, quas etiam à Tiberio Imperatore olim eſſe moderatas ſcribit Suetonius. ac demum à Maioriano Imperatore vetitas eſſe, nouella conſtitit
Martin. Bracarenſ. collect. c. 73. de curialib. edita monſtrat. Quænam fuerint ſtrenę, cur ſic dictę, declarat Feſtus verbo, ſtrenæ. Ex Gręcorū Synodis Martinus Bracaren. recitat, vetitum

eſſe

eſſe Chriſtianis, ea Kalendarum die, viridi lauro, vel alijs virentibus arborum
ramis ornare domos. Romæ Gregorius Tertius inueteratam in ceteris abu- *Ead. 26. q.*
ſionem tollendam curauit, eiuſq. ſucceſſor Zacharias malæ arboris ramos *5. c. non liceat iniqu.*
vſque in Gallias propagatos Apoſtolica falce ſuccidit, vt apparet ex Epi-
ſtola S. Bonifacij Epiſcopi Maguntini ſcripta ad Zachariam Papam, aliaq.
eiuſdem Pontificis ad eundem Bonifacium. Eſt canon pœnitentialis 88. de
obſeruantibus Kalendas Ianuarij, vt annis tribus pænitentiam agant. Porro
non tantum Ianuarij, ſed & Martij Kalendas ijſdem Gentilium ritibus la-
befactatas, ſexta Synodus can. 62. reſtituit, purgauitq. De C. Cæſare Ca- *Suet. lib. 4.*
ligula hæc habet Suet. Edixit & ſtrenas ineunte anno ſe recepturum: ſtetitq. *in Calig.*
in veſtibulo ædium Kal. Ianuarijs ad captandas ſtipes, quas plenis ante
eum manibus, ac ſinu omnis generis turba pendebat. Nouiſſimæ contre-
ctandæ pecuniæ cupidine incenſus, ſæpe ſuper immenſos aureorum aceruos
patentiſſimo diffuſos loco, & nudis pedibus ſpatiatus, & toto corpore ali-
quandiu volutatus eſt. Hactenus Suet. At Chriſtus Dominus Rex ſupremus *Cart. de*
recens mundum ingreſſus, propriam carnem, & ſanguinem magnificentiſſime *Circumc.*
primo anni die nobis donauit. Impius Caligula, vt ſeipſum ditaret, inopes
reddebat ſubditos die prima Ianuarij: Chriſtus autem Saluator, propter nos *2. Cor. 18.*
egenus factus eſt, cum eſſet diues, vt illius inopia nos diuites eſſemus, & ea-
dem die pretium ſanguinis ſui pretioſiſſimi pro nobis exſoluere incæpit. Nó
temporalia bona à nobis pius Redemptor extorquet, ſed & alia plura nobis
ingratis liberaliſſimè donat, vt iure Dauid dixerit: Deus meus es tu, quo- *Pſ. 15.*
niam bonorum meorum non eges. Falſi illi Dij, quibus Idolorum cultores
incenſum adolebant, vt ſacra narrat hiſtoria, ab eis ſanguinem ipſum exige-
bant: Incidebant ſe iuxta ritum ſuum cultris, & lanceolis, donec perfunde- *3. Reg. 18.*
rentur ſanguine: Deus autem noſter, non ſicut Dij eorum, noſtrum exigit,
ſed pro nobis vulneratus proprium ſanguinem in medicinam vulnerum no-
ſtrorum profundit.

Sed Ioſeph hic magnus, qui Domini ſui, & Matris eius ſanctiſſimæ cu-
ram habere meruit, noſtri quoque eſſe ſollicitum, patet ex infraſcriptis
exemplis.

Propter piam exercitationem erga imaginem S. Ioſeph nobilis Venetus præſentiam beatiſſimi Viri in obitu ſuo promeruit. *Cap. 116.*

Didicimus à quopiam viro venerabili, in inclyta Venetiarum Vrbe Ita- *Iſolanus de S. Ioſeph p. 4. c. vlt.*
liæ, nobilem virum quempiam conſuetum per ſingulos dies ante ima-
ginem ſancti Ioſeph in cuiuſdam eccleſiæ pariete pictam, genua flectere,
ſanctumq. Ioſeph precibus venerari. Poſt diu obſeruatam, volenti corde,
& ſincero, & talium precum conſuetudinem, lecto decubuit, graui morbo
preſſus. Hic vidit vigilans, & ſanis oculis, ſanaq. mente, ſanctum Ioſeph:
inſtar præfatæ imaginis, cubiculum ſuum introeuntem, quo viſu mira
contritione ſuorum criminum affectus eſt. Illico autem euocato confeſſore
ſacerdote, confeſſionem criminum ſuorum more catholico peregit. Sicq.
obdormiuit in Domino dignatus præſentia ſanctiſſimi Ioſeph, & ab eo ad
ſuperos (vt pie creditur) inuitatus.

Ex D. Vincentio Ferrerio in ſer. de Natiu. Domini.

Mercator Valentinus quolibet anno in die natiuitatis Domini inuitabat pauperem ſenem, & aliquam mulierem habentem filium paruulum, qui repræſentabat ſibi Virginem cum filio, & Ioſeph. De quo fuit reuelatum, quod in morte apparuerunt ſibi, Virgo cum filio, & Ioſeph dicentes: Quia recepiſti nos in Domo tua, ideo recipiemus nos te in Domo noſtra. Hæc ille.

F. Ioannes à Fano refert de Sancto Ioſeph, vt ſequitur. *Cap.* 117.

CVm duo fratres ex Seraphico Ordine noſtri Patris ſancti Franciſci nauigarent in Flandriam, accidit, vt graui exorta procella nauis ſubmergeretur, & triginta, quos vehebat, homines perirent. Illi autem tabulam quandam arripientes, tribus integris diebus, & totidem noctibus per procelloſum illud mare pererrantes; Diui Ioſephi, cui maxime deuoti erant, auxilium religioſe implorarunt, quorum preces exaudiens in pulchra iuuenili forma eis apparens, & beneuole ſalutans, corroborauit, & incolumes ad portum duxit. Vbi flexis genibus Deo in primis, & ipſi gratias agentes, quiſnam ille eſſet, ab eo enixe petierunt, vt dignaretur id aperire, quibus reſpondit: Ego ſum Ioſeph. Pie autem admodum receptum eſt à pluribus, qui hunc ſanctiſſimum virum dilexerunt, vt in honorem pueri Ieſu, & Mariæ ſponſæ eius, & in ipſius commemorationem, certis quibuſque diebus ſepties orationem dominicam, & ſepties ſalutationem Angelicam precantes recitent, memorando ſeptem graues dolores. quos ipſe pertulit, & gaudia ſeptem, quibus affectus eſt in ſeruitio diuino. Ex qua pia exercitatione mirificus fructus percipitur. Primus autem dolor fuit, cum videns ſponſam prægnantem, voluit occulte dimittere eam. Secundus, cum vidit Chriſtum Dominum infantem in humili ſtabulo iacere, aëris, & frigoris inclementia fatigatum. Tertius in Circumciſione, quando graui eius vulnere percuſſus Dominus ſanguinem fudit. Quartus, cum audiuit verba Simeonis in die Purificationis ad Mariam ſponſam ſuam dicentis: Tuam ipſius animam pertranſibit gladius. Quintus, in fuga in Aegyptum propter Herodianam aduerſus infantem Ieſum perſecutionem. Sextus, quando in reditu ex Aegypto in Iudæam, audiuit Archelaum filium Herodis multo illo crudeliorem regnare. Septimus, cum in itinere in Ieruſalem amiſit puerum Ieſum. Gaudium autem primum fuit, quando mente perplexus, videns grauidam Virginem, Angelus diuinitus miſſus, conſolatus eſt eum, dicens: Ioſeph, fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam; quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt: Secundum, quando vidit Angelos Chriſtum in præſepio iacentem adorare, & diuinas laudes ei concinere audiuit: Tertium, quando impoſuit Chriſto infanti nomen IESVS, quod ei reuelatum fuerat ab Angelo dicente: Vocabis nomen eius Ieſum:. Quartum, cum à Simeone audiuit, futurum, vt Chriſtus Dominus auctor eſſet reſurrectionis, & ſalutis generis humani: in reſurrectionem, & ſalutem multorum: Quintum, quando in egreſſu ab Aegypto vidit Idola, cum præſentiam Chriſti ferre non poſſent, in terram confracta concidere: Sextum, quando admonitus eſt ab Angelo, tempus iam eſſe, vt cum Matre, & Filio in Iu-

dæam

dram rediret: Septimum, quando inuenit Ieſum in templo inter Doctores diſputantem. Hieronymus Gratianus Carmelita in libello de S. Ioſeph; Laurentius Maſſelius Societatis Ieſu, & alij referunt ipſummet Ioſeph hanc piam exercitationem docuiſſe. *In Vita B. Virginis.*

Beata autem Tereſia, mulier ætate noſtra ſanctiſſima, & ardentiſſima orationis amatrix, in opuſculo confeſſionis vitæ ſuæ, quam ipſa deuota humilitate conſcripſit, de beatiſſimo Ioſeph, quem ſibi patronum aſciuerat, admirãda dicit, aſſeritq. ſe quanta potuit deuotione maiori, ſanctum iſtum virum in vita ſua coluiſſe, vitæq. ſuæ incertum curſum beato viro commendaſſe, & re ipſa expertam fuiſſe, melius, & tutius prouidiſſe illum neceſſitatibus ſuis, & à iactura honoris, & interitu animæ fortius liberatam, quam ipſa petere ſciuiſſet. Fateturq. nihil vnquam precibus ab illo poſtulaſſe, quod eius ope non obtinuerit. Plurimumq. admiratur ſe interceſſione iſtius viri ſancti à Domino ſuo tot gratias, & tam magnas, tam ad corporis, quam ad animæ ſalutem pertinentes eſſe conſecutam.

Docetq. alios Sanctos peculiares aliquas gratias, & opitulationes in certis neceſſitatibus, hominibus à Deo vt plurimum impetrare ſolere: Verum Ioſeph glorioſum in impetrandis omnibus gratijs vniuerſaliter eſſe profuſum, nulli eſſe dubium, niſi ei, qui ad ipſum non confugerit: vt hoc modo nos Dominus certiores faciat, quod ſicut dum in terris degebat, ei ſubditus eſſe voluit, & obedire iuſſibus eius, ita in cælis ſimiliter agere velit, quod ille rogauerit.

Dicta autem Beata mulier aſſerit ſe multis alijs hortando perſuaſiſſe, vt ad ſanctiſſimum hunc Mariæ ſponſum, in occurrentibus neceſſitatibus propius accedere precando non vererentur. Quod cum ab illis factum fuiſſet, idem, quod ipſa, expertos fuiſſe, & reuera cognouiſſe, eos qui deuota animi affectione illi addicti ſunt; ſemper re ipſa probaſſe eius auxilium, vt quotidie deinceps in virtutibus acquirendis proficerent, & deuotionis fructum in diuino ſeruitio perciperent.

Solebat autem Beata iſta ſingulis annis in die qua Sancti feſtiuitas celebratur, petere ab illo aliqnam gratiam, aſſeritq. nunquam ſe fruſtratam fuiſſe gratia, quam poſtulabat. Immo ſi forſan poſtulatio eius non penitus recta fuiſſet, ipſum tamẽ, Deo ita moderante, poſtulationem factam in maius ſui ipſius precantis bonum ſemper conuertiſſe.

Huius autem ſanctæ mulieris teſtimonium, magnopere animos noſtros ad beatiſſimum hunc virum venerandum excitare debet.

De venerando ſene Simeone Dei ſuſceptore, qui diuino priuilegio meruit vlnis excipere eum, quem totus non capit Orbis; & de Anna Propheteſſa. Cap. 118.

DE Simeone iuſto pauca ſcripta ſunt in Euangelijs, & tamen magna geſſiſſe, quia magnus erat, non dubitandum eſt. De eo, hæc ſcriptis mandaſſe reperitur Timothæus presbyter Hieroſol. *Timoth. presb. Hieroſ. orat. de Prophetia Sim. Dei ſuſceptore. Luc. 2.*

Age (inquit) dilecti, vltimum iuſtum oratione intueamur: Et quis eſt ille vltimus iuſtus, qui nuper à nobis eſt lectus in Euangelio ſecundum Lucam, nomine Simeon? Hic eſt & primus, & vltimus: vltimus legis, primus gratiæ:

tiæ: Iudæus religione, Chriſtianus gratiarum actione: Chriſtianus lectione, Angelus lingua. Qui ex phariſaica blaſphemia, roſa collectus eſt ex ſpinis, & primus donationis gratiæ inſpiratione cognitus: Simeon, qui eo proceſſit iuſtitiæ, vt in ipſo corpore veluti reſponſum acciperet, non præteriturum, præſentem, quæ eſt ad tempus, vitam, donec videret D. N. IESVM Chriſtũ. Iuſtus ergo, & magnus Simeon, cum ante ſuſceptam carnem deſideraſſet videre Dominum, vidit in carnis ſuſceptione, & animaduertit, & vlnis eſt amplexus, & rogauit vt relaxaretur è cuſtodia corporis, ore ſimili clamans ad omnium Dominum, qui videbatur infans, ſicut audiſtis: Nunc dimittis ſeruum tuum, Domine &c. Vidi gloriam tuam. Soluar ab hac breui vita, in quam cadit interitus. Vidi choream Angelorum, glorificationem Archangelorum, omnem creatam naturam exultantem: cæleſtia, & terreſtria vnum habentia tranſitum.

Nunc abſoluar, ne hic retinear. Spiritus ſanctus eſt in me, & video, quæ tibi euenient. Nunc abſoluar, ne Iudæorum, qui ſunt mei generis; quæ in te eſt futura, videam audaciam. Expectabat Simeon hanc redemptionem ex libris propheticis Chriſtum annunciantibus, & ſpiritus erat ſuper eum, Spi-
Eutym. in c.2. Luc. ritus ſanctus prophetiæ: legens enim quodam tempore prophetias, quæ de Chriſto erant, cum inueniſſet quod Deus incarnandus eſſet, ad ſupernaturale myſterium tamquam homo anhelabat, ideo etiam oraculum, ſiue reſponſum accepit, ſe non moriturũ, donec ipſe Chriſtum oculis videret corporeis.
Timoth. presb. Hieroſ. Sunt qui pie meditati ſunt, Simeonem cum eſſet in templo, vidiſſe quidem multas matres cum ſuis filijs templum ingredientes ad peragendum ſacrificium purificationis; in quarum medio erat quæ portabat venerandum fætũ, & nullis ſordibus contaminatum. Iuſtum autem Simeonẽ huc, & illuc oculos circumferentẽ, poſtquàm vidit multas matres in priuato habitu humanitatis, ſolam autem Virginem diuino lumine circumdatam, ſeparaſſe reliquas matres, clamantẽ, & dicentẽ omnibus: date mihi locum, vt teneam eum, qui deſideratur: vidi eum, qui me præuidit; vnde & meus germinauit ſpiritus. Cur, quæ eſtis ancillæ, cum libera, & domina concertatis? cur infantes veſtros aræ offertis? huc conuertimini, & eos offerte huic puero, qui eſt antiquior Abraham. Vita functus eſt Simeon iſte quidem pluribus annis obſitus, bene confectus: nec tamen à ſacerdotibus poſtremum honorem conſecutus,
Epipha. de prophet. vit. & inter. c. 24. humatus eſt. Cur autem id acciderit, nullam affert cauſam Epiphanius: ſed ea putatur, quod palam Chriſti aduentum annuncians, in ſe ſacerdotum ceterorum inuidiam, & odium concitarit.

Verumenimuero non tantum cum accepiſſet puerum in vlnas ſuas Simeõ, illud de aduentu Chriſti palam Canticum occinuit, & propheticè, quæ de
Luc. 2. illo eſſent ventura, prædixit: ſed, & erat, inquit Lucas, Anna Propheteſſa, filia Phanuel, de tribu Aſer: hæc proceſſerat in diebus multis, & vixerat cũ viro ſuo annis ſeptem à virginitate ſua: & hæc vidua erat vſque ad annos octogintaquatuor: quæ non diſcedebat de templo ieiunijs, & obſecrationibus ſeruiens nocte, ac die: & hæc, ipſa hora ſuperueniens, confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionẽ Iſrael. hæc de ipſa Lucas Euangeliſta. Quomodo autem Anna numquàm è tem-
Cyril. Catech. 10. plo diſceſſiſſe dicatur, vt merito eandem S. Cyrillus Hieroſolymitanus, religioſiſſimam Monialem appellet;

Scien-

Sciendum eſt haberi in Exodo, à Moyſe factum labrum æneum cum baſi ſua de ſpeculis mulierum, quæ excubabant in oſtio tabernaculi. Qui illum locum ſunt interpretati, fuiſſe dicunt mulieres, quæ ſeculi pompæ, atque delicijs renunciantes, ſeſe vna cum ſuis rebus, ijs præſertim, quæ eſſent peccatorum illecebræ, miniſterijs Domini mancipantes, aſſiduis intentæ precibus, excubarent ad oſtium tabernaculi; quod quidem pietatis officium, exſtructo poſtmodum templo, non tantum non ceſſaſſe, ſed magnificè auctum, par eſt credere. Ex harum numero fuiſſe Annam propheriſſam exiſtimant: de qua ſcribit Lucas. Prophetauit itaq. Simeon: prophetauerat copulata coniugio; prophetauerat Virgo: debuit etiam vidua prophetare, ne qua aut profeſſio deeſſet, aut ſexus. Et ideo Anna, & diſpendijs viduitatis & moribus talis inducitur, vt plane fuiſſe credatur, quæ Redemptorem omnium veniſſe nunciaret. *Exod. 38.* *Amb. li. 2. in c. 2. Luc.*

Duos ſibi teſtes, in templo Chriſtus parauit, virum Simeonem, & feminam Annam. At quales teſtes? omni ſanè (vt aiunt) exceptione maiores, ab omni mendacij ſuſpicione maxime alienos. Simeon vir erat iuſtus, & timoratus, & Spiritus ſancti luce illuſtratus, vt ſupra dictum eſt. Anna vero, vt hoc loco aſſerit Euangeliſta, prophetiæ dono adornata, multis annis in viduitate, caſtitatem ſeruauerat: ieiunijsq. & obſecrationibus ſeruiens die ac nocte, à templo non recedebat. Vterque teſtis teſtimonium Chriſto perhibuit egregium, in ipſo templo Hieroſolymitano, coram populo, Leuitis, & Sacerdotibus. Verumtamen, quia pauperem cernebant infantem, ex paupere matre ortum, auditores non tanti teſtimonium fecere, quanti fuerat faciendum. Hoc veraciſſimum par teſtium, cum pari turturum, recte confertur. Pulchrum eſt videre par turturum, ſenem ſcilicet iuſtum, & viduam Annam, vtrumque caſtum, vtrumque deſiderio redemptoris gemebundum, qui vtique ſemetipſos hoſtiam viuam Domino obtulerunt. Pares erant fide, æquales caſtitate, ſimiles deuotione, conſortes prædicatione gratiæ. *Barad. Cicerd. li. 10. c. 3.* *Luc. 2.* *Guer. 2. de purif.*

Hic conſiderandum eſt, quantum deſiderium habebant antiqui ſancti videndi Chriſtum. Sciebant illum eſſe venturum, & omnes qui piè viuebant, dicebant; O ſi hic me inueniat illa natiuitas! ò ſi quod credo in ſcripturis, videam oculis meis! Et vt noueritis quantum deſiderium habebant Sancti, qui nouerant per Scripturas Virginem parituram, ſicut audiſtis, cum Iſaias legeretur: Ecce Virgo concipiet in vtero, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel. Emmanuel quid ſit, Euangelium nobis aperuit dicens, quod interpretatur, nobiſcum Deus. Non tibi ergo ſit mirum quæcumque infidelis anima, non tibi videatur impoſſibile vt Virgo pariens permaneret. Intellige natum Deum, & non mireris Virginis partum. Vt ergo noueritis antiquos Sanctos, & iuſtos optaſſe videre, quod conceſſum eſt huic ſeni Simeoni: Dominus noſter ipſe Ieſus Chriſtus ad Diſcipulos ſuos loquens ait: Multi iuſti & prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt, & audire quæ auditis, & non audierunt. Multum ſenex iſte fuit ad audiendum ſerus, ſed ad videndum maturus. Non expectauit vt Chriſtum audiret loquentem, quoniam agnouit infantem. Et hoc illi conceſſum erat iam decrepito, quaſi deſideranti, & ſuſpiranti, & dicenti quotidie in orationibus ſuis: *Aug. ſerm. 16. de tēp.*

Quando veniet ? quando naſcetur ? quando videbo ? Putas durabo ? putas hic me inueniet ? putas iſti oculi videbunt, per quem cordis oculi reuelabuntur ? Dicebat iſta in orationibus ſuis,& pro deſiderio ſuo accepit reſpóſum, quod non guſtaret mortem, niſi prius videret Chriſtum Domini. Geſtabat eum Maria mater eius infantem, vidit ille, & agnouit. Agnouit Simeon infantem tacentem, & occiderunt Iudæi iuuenem mirabilia facientem. Cum ergo cognouiſſet, accepit in vlnas ſuas, hoc eſt,in brachia ſua, amplexatus eſt eum. Portabat à quo portabatur. Ipſe enim eſt Chriſtus ſapientia Dei attingens à fine vſque ad finem fortiter, & diſponens omnia ſuauiter. Quantus ibi erat; & quàm magnus, quam paruus factus erat ? Paruus factus, paruos quærebat. Quid eſt paruos quærebat ? Non ſuperbos, ſed humiles colligebat. In præſepi dignatus eſt poni, vt eſſet piorum cibaria iumentorum. Accepit eum Simeon in brachia ſua, & dixit: Nunc dimittis Domine ſeruum tuum in pace ? quia viderunt oculi mei ſalutare tuum. Salutare Dei, Dominus Ieſus Chriſtus. Annunciate diem ex die ſalutare eius. Habetis ergo pueri puerum Ieſum: facti ſenes, ſenem Simeonem. Si autem quæritis, vt & coniugatus aliquis vir teſtimonium Domino perhibeat, Zachariam conſiderate. Nemo ergo quærat aliud, fratres mei, Chriſtiani fideles: aut Virgo,aut vidua,aut coniugata, aut puer, aut continens, aut vxoratus, quicquid plus eſſe quis voluerit,non inuenit,quemadmodum ad Chriſtum pertineat. Non inuenimus teſtimonium perhibuiſſe Chriſto adulteros, & fornicatores immundos. Et vt ab huiuſmodi iuſtis ei teſtimonium perhiberetur, ipſe præſtitit, ipſe donauit: non enim quiſquam eſt ſanctus viribus ſuis.

Baron. ad Martyr. 2. Tiberij. In vetuſtis codicibus agitur de feſto Simeonis, & Annæ, quod & appellabatur feſtum occurſus, à Græcis autem Hypapante, ſeu Hypante, quod ſonat, obuiam ire officij gratia, & occurrere: quo verbo vtitur Eccleſia, & rem quoque ipſam explicat in Inuitatorio nocturni officij in feſto Purificationis die 2. Februarij, cum ait: Ecce venit ad Templum ſanctum ſuum dominator Dominus: Gaude, & lætare Syon, occurrens Deo tuo.

Amalar. l. 3. c 43. de Eccleſiaſt. offic. Scriptum eſt in geſtis Pontificalibus, quod Sergius Papa præciperet Litanias fieri in die præſentationis Domini in templo. Ita enim ſcriptum eſt: vt diebus annunciationis Domini, dormitionis, & natiuitatis ſanctæ Dei Genitricis Mariæ, & ſancti Simeonis quod Hypante dicitur græcè, cum Litania exeant à ſancto Adriano, & ad ſanctam Mariam populus occurrat. De qua feſtiuitate dicit Beda ſacerdos, & doctor eximius in libro de temporibus: Secundum menſem Numa dicauit Februo, ideſt, Plutoni, qui luſtrationum potens credebatur, luſtrariq. eo menſe ciuitatem neceſſe erat, quo ſtatuit, vt iura dijs manibus ſoluerentur. Sed hanc luſtrandi conſuetudinem bene mutauit Chriſtiana religio, cum in menſe eodem, die ſanctæ Mariæ, plebs vniuerſa cum ſacerdotibus, ac miniſtris,hymnis modulatæ vocis, per Eccleſias, perq. congrua vrbis loca procedit, datoſq. à pontifice cereos manibus geſtat ardentes, & augeſcente bona conſuetudine, idipſum in ceteris quoque eiuſdem matris, & perpetuæ Virginis feſtiuitatibus agere didicit; non vtique in luſtrationem terreſtris imperij quinquennem, ſed perennem Re-

gni cæleſtis memoriam, quando iuxta parabolam virginum prudentum, omnes electi lucentibus bonorum actuum lampadibus, obuiam ſponſo, ac Regi ſuo venientes, mox cum eo ad nuptias ſupernæ Ciuitatis intrabunt. Hæc Amalarius.

Conſtat etiam Gelaſium Romanum Pontificem, eiuſdem feſti celebrandi in Occidentali Eccleſia aperuiſſe viam; dum Lupercalia menſe Februario agi ſolita, vt ſcribit Varro, Romæ ad ea tempora permanentia, legibus Eccleſiaſticis abrogauit. Extat eiuſdem Pontificis de ea re eruditiſſimus commentarius aduerſus Andromacum Senatorem ac ceteros Romanorum ſtudioſos Lupercalium. Habemus illum manuſcriptum in noſtra Bibliotheca, eſt eius exordium: Sedent quidem in domibus ſuis neſcientes, neque quæ loquantur. Iure itaquè opinamur, abrogatis Lupercalibus, Romæ, ſicut in multis accidit, eiuſmodi fuiſſe ſolemnitatem introductam: quam paulo poſt, Iuſtiniani temporibus Orientalis Eccleſia ea occaſioñe recepit. *Baron ibi.* *Varro li 5. de ling. lat.* *Niceph hiſt. 17. c. 28.*

Miſſa ea die dici ſolita, in ſacramentario S. Gregorij, quod manuſcriptum legimus in Vaticano, inſcribitur ad Collectam: eo quod eleemoſynæ publice colligerentur, quas indici conſueuiſſe ab ipſo Romano Pontifice indicāt ſermones quinque S. Leonis Papæ de Collectis habiti: in quorum tertio alludens idem ſummus Pont. ad prædictas Gentilium ſuperſtitiones ea die magis, magiſq. exerceri ſolitas, ait; Quoties cæcitas Paganorum in ſuperſtitionibus ſuis eſt intentior, tunc præcipue populus Dei orationibus, & operibus pietatis inſtat.

Addidit huic ſolemnitati Sergius Papa, vt habet Ordo Romanus, Litanias inſtitutas, vt ſupra diximus. Non tamen quis putet eundem, & cereorum vſum ab eodem Sergio inſtitutum: nam S. Eligius Epiſcopus Nouiomanenſis, qui ante Sergij tempora vixit, obijtque, vt ſcribit Sigebertus, in ſermone quem in ea ſolemnitate habuit, pluribus diſſerit de eo myſterio cereorū. Porro ante Chriſti aduentum, cereorum in ſingulos diſtributio à Gentilibus fieri conſueuit in Saturnalibus, quæ agebantur menſe Decembri, vt tradit Macrob. Putamus, ſicut & de multis alijs contigit, vſum illum ſuperſtitionis Gentilium, ſacris ritibus expiatum, ac ſacroſanctum redditum, in Dei Eccleſia eſſe laudabiliter introductum. *Sigeb. in Chr. an. D. 665.* *Macrob. li. 1. Saturnal.*

Sed hic loco valde oportuno eſt obſeruandum, quod Gelaſius Pontifex Romanus, ad extirpanda Lupercalia, ſe vere ſummum Pontificem à Deo cōſtitutum oſtenderit, cum in his quæ ſunt ad Deum, vi magna in ipſum Imperatorem ſe erexit, & Rege Gothorum Theodorico, Italiæ tunc dominante, leges Vrbi perſcripſit, dum Pontificia edita ſanctione, vetuit conſeruata hactenus Lupercalia, nullo ab impio Rege requiſito conſenſu, vel placet, vt aiunt, accepto.

Quis credere poſſit poſt tot Chriſtianorum Imperatorum edicta aduerſus idololatriam ſæpiſſimæ lata, poſtque ſanctorum Pontificum ad eamdem extirpandam adhibita ſtudia, viguiſſe tamen adhuc Romæ ad Gelaſij tempora, quæ fuere ante exordium Vrbis allata in Italiam Lupercalia? Et quis ſatis digne admirari queat, eadem quoque recepta ab hominibus Chriſtianis? Sed & non obſtupeſcat amplius, audiens eadem habuiſſe defenſores

Chriſtianos, qui Gelaſio illa penitus extirpare conanti reſtiterint, eoſdemq. fuiſſe nobiles Senatores? Aduerſus hos autem idem Pontifex acerrimam ſtruxit Apologiam, qua, quod ipſe tam nefaria prohibẽdo ſtatuerat decretum, vt ſancte pieq. ſancitum voluit cuſtoditum, ne poſteritas conuellere auderet, quod auctoritas Pontificia decreuiſſet, & editam nobili ſcriptione firmaſſet: quam cupienti lectori hic, ex Vaticano codice editam, deſcribendam eſſe putauimus, erroribus (quantum licuit) emaculatam: multa enim habet, quæ ad rerum geſtarum eorum temporum pertineant cognitionem. Eſt autem libelli palam editi eiuſmodi inſcriptio:

Gelaſii Papæ Decretum de abrogandis Lupercalibus. Cap. 119.

Gelaſius Papa aduerſus Andromachum Senatorem, ceteroſq. Romanos, Lupercalia ſecundum morem priſtinum colenda conſtituebant. (Hic ille videtur Andromachus vir illuſtris, homo Chriſtianus, pater Fauſti Magiſtri Officiorum, cuius ſe opera vſum ad monendum Acacium Conſtantinopolitanum Epiſcopum idem ipſe Gelaſius tradit in commonitorio ad eundem Fauſtum, eius germanum dato.) Ipſe autem Apologeticus libellus Gelaſij ſic ſe habet.

Sedent quidam in domibus ſuis, neſcientes neque quæ loquantur, neque de quibus affirment; de alijs iudicare nitentes, cum ſe ipſi non iudicent; & velint prius accuſare, quam noſſe; ac docere, quam diſcere; & indiſcuſſis rebus, nec inueſtigatis cauſis, nec rerum ratione quæſita, quod eis in buccam venerit, inconſideranter effundere, & præcipitanter euomere, non veritatis aſſertione prolata cenſentes, ſed ſtudio cacologiæ, quæ neſciunt, arguentes: eoq. progreſſi ſunt, vt etiam recte facta maleuolentiæ propoſito lacerare contendant. Qui ſi ſaperent, non præcipitarent omnino ſententiam; ſed perſcrutatis ante rebus, loquenda depromerent. Verum quia nos arguunt ſegnes eſſe cenſores in vitijs Eccleſiæ coercendis: & à nobis conſequenter agnoſcant, non tantum corporalis adulterij eſſe peccatum, quod & diſcuti debeat & iure puniri, ſed eſſe longe maius fornicationis & adulterij genus in quolibet Chriſtiano (quia membrum omnis Chriſtianus Eccleſiæ eſt) competenter debeat vindicari. Tanto enim ſacrilegij maius eſt crimen, quam animæ fornicatio peior eſt corporis: nam per animæ fornicationem ab ipſius Dei coniunctione diſcernitur, atque ad immundos ſpiritus ſpiritualis adulterij genere tranſitur.

Quomodo autem non in hanc partem recidit, qui cum Chriſtianum videri velit, & profiteatur & dicat, palam tamen, publiceq. prædicare non horreat, non refugiat, non paueſcat, ideo morbos gigni, quia dæmonia non colantur, & Deo Februario non libetur? Video vbi hæc deliramenta conceperit. Quomodo præuaricator non eſt, qui in has blaſphemiæ profanitates incurrit? Quomodo ſacrilegus non æſtimetur, qui abiurata vnius Dei prouidentia & poteſtate, quam confeſſus eſt, ad prodigioſas ſuperſtitiones, &

figmenta

figmenta ſeducitur? ſecundum Apoſtolum, longe deterior reus, iureq. damnandus, confeſſam veritatem deſerere, qua ſi in eam nullatenus credidiſſet? quamuis enim ridiculoſa ſint figmenta, quæ proferat, tamen ipſe affectus, & voluntas in crimine eſt, & profeſſio ac prædicatio iure damnāda. At per hoc, qui in alium ſentētiam damnationis vult ſine dilatione proferri, in quo alium iudicat, ſemetipſum ſe condemnare cognoſcat.

Numquid enim Pontifex vindicare debet in eos, qui adulterium corporale committunt, & in eos qui ſacrilegium, id eſt, fornicationem, & adulterium ſpirituale gerunt, non debet iudicare? Nonne ipſe Dominus, cum adultera ad eum eſſet adducta, accuſantibus dixit: Si quis veſtrum ſine peccato eſt, primus in eam lapidem mittat? Non ait: Si quis veſtrum non ſimiliter adulter eſt, ſed ſi quis ſine peccato eſt: Quolibet ergo obſtrictus quiſque peccato, in alterius peccati reum lapidem non audeat mittere.

Quibus tunc pro ſua conſcientia diſcedentibus, mundi Saluator adiecit: Mulier, vbi ſunt accuſatores tui? Nemo te condemnauit? Nec ego te condemnabo. Sed vade, vlterius iam noli peccare. Tenes, & teneris: vrges, & vrgeris: obſtringis, & obſtringeris. Pontificis diſcuſſionem flagitas, vindictamq. deponis, Memento in aduentum omne crimen eſſe proferendum. Numquid non etiam leges humanæ dicunt, quod reus reum facere non poſſit? Feſtucam vides in oculo fratris, & in tuo trabem non vides? Qui mœchos accuſas, adulterium facis, & corporales adulteros ſpiritualis adulter inceſſis? Certe diſcuſſionem poſcis: homo diligens, maturus, religioſus, non vis aliquem in Eccleſia peccare; peccantem cupis diſcuti, & pœnæ conſequenter addici. Quæcumque in alium promis, & in te proferre cogeris: hoc enim facis, ne ſegnitia Pontificis accuſetur, & maculetur Eccleſia. Debet ergo & Pontificis in omnibus malefactis ſolicitudo, & ſeueritas non deeſſe, & ab omnibus Eccleſiæ fama purgari.

Sed dicas forſitan, te laicum, illum Eccleſiæ miniſtrum. Et ego grauius crimen exaggerans: Verum dicis, nec ego diffiteor. Tanto ſollicitius examinandus eſt, quanto magis propinquus eſt. Tanto magis reus eſt, quanto in illo miniſterio conſtitutus, & hæc facere minime debuiſſet. Ecce cenſura non deeſt: auditus & ſi conuictus fuerit, vindictæ conſequenter addicitur. Age modo, quid vis de te? Numquid in miniſterio ſacro non es, in plebe ſacra non es? An neſcis & te membrum eſſe ſummi Pontificis? An neſcis, totam Eccleſiam Sacerdotium vocitatam? Poſtremo ſi ille reus eſt, accedens ad miniſterium Eccleſiæ delinquit: numquid & tu reus non es, qui poſt confeſſionē veritatis, ad praua, & peruerſa, & prophana, & diabolica, quibus te renunciare profeſſus es, figmenta reduceris? Itaque etiam tu poſt blaſphemias palam publiceq. profuſas, à ſacro corpore modis omnibus abſtinendus es. Non potes enim menſæ domini participare, & dæmoniorum; nec calicem domini bibere, & calicem dæmoniorum: nec potes templum Dei eſſe, & templum diaboli: lux ſimul & tenebræ in te conuenire non poſſunt. Viderim, virum vrgeas, atque compellas in alio maleficia vindicare: tu tamen ſceleris tui pondus non potes declinare. Et quanto in alio tranſire crimen non poteris impunitum, tanto quid etiam in te pro rerum ratione facere debeamus oſtendis.

Verumtamen in ipſis blaſphemijs tuis, quibus es iure plectibilis, impe-

ritiam tuam euidenter agnoſce, & ſicut ait ille, voluntatem habere te mentiendi, artem fingendi non habere? cum ſic te intelligas malum habere affectum, peruerſumq. apoſtatandi propoſitum, vt tibi materia prorſus vanitatis illius nulla ſuppeditet; nec poſſis aſtruere quod corde concupiſcis, & ore depromis.

Dic mihi, cũ ſæpenumero in Romanis hiſtorijs legatur, Liuio auctore, ſæpiſſime in hac Vrbe exorta peſtilentia, infinita hominum millia deperijſſe, atque eo frequenter ventum; vt vix eſſet vnde illis bellicoſis temporibus exercitus potuiſſet adſcribi: illo tempore Deo tuo Februario minime litabatur? An etiam cultus hic omnino nihil proderat? Illo tempore Lupercalia non celebrabantur? Nec enim dicturus es, hæc ſacra adhuc illo tempore non cæpiſſe, quæ ante Romulum ab Euandro in Italiam perhibentur illata. Lupercalia autem propter quid inſtituta ſunt (quantum ad ipſius ſuperſtitionis commenta reſpectant) Liuius ſecunda decade loquitur: nec propter morbos inhibendos inſtituta commemorat; ſed propter ſterilitatem (vt ei videtur) mulierum, quæ tunc acciderat, exoluendam. Proinde ſi vel ad hoc ipſum aliquid hoc valeret, hoc intermiſſo, non morbus accideret, contra quem Lupercalia reperta non ſunt: ſed feminæ nequaquam generare debuerant, pro quorum fœcunditate concinnantur inuenta.

Quid dicturi eſtis de peſte, de ſterilitate, de bellorum tempeſtate continua? numquid & hæc propter ſublata Lupercalia contigerunt? Si autem non propter iſta vel vitanda, vel curanda, Lupercalia ſunt prouiſa, quid inani turbatione iactamini? Quid Tuſcia, quid Aemilia, ceteræq. prouinciæ, in quibus hominum prope nullus exiſtit, vt bellica neceſſitate conſumerentur, Lupercaliorum fecit offenſio, quæ longe ante vaſtatæ ſunt, quam Lupercalia tollerentur? Quando Anthemius Imperator Romam venit, Lupercalia vtique gerebantur: & tamen peſtilentia tanta ſubrepit, vt toleranda vix fuerit. Numquid per Campaniam Lupercalia gerebantur, quæ ſublata morbos illic, & peſtilentiam procrearent? ſed dicturi eſtis: ad Romam, tamquam ad caput, omnia pertinere, & quod hic factum non eſt, diuerſis prouincijs ad eam pertinentibus obfuiſſe. Cur ergo antequam ad Romam iſtæ prouinciæ pertinerent, præter Lupercalia, proprijs opibus floruerunt? Vt ſterilitas ſit continuata terrarum, Lupercalia ſublata fecerunt, an noſtrorum merita peccatorum? de quibus olim dictum eſt:

Et quicquid Romani meruerant perdere mores. Sterilitas certe feminarum debuit prouenire, propter quam auferendam Lupercalia inſtituta iactantur, non ſterilitas terrarum, propter quam Lupercalia non ſunt inſtituta.

Quid in Africa? vnde ſterilitas? Quid Gallis? Lupercalia iſta fecerunt, an noſtri mores, furta, homicidia, adulteria, iniuſtitiæ, iniquitates, ambitiones, cupiditates, periuria, falſa teſtimonia, oppreſſiones miſerorum, bonarum cauſarum impugnatio, malarumq. defenſio, & in omnibus inaudita peruerſitas. poſtremo (quod ſupra omnia eſt) Deo fictæ mentes, & ſacrilegia, arteſq. magicæ etiam Paganis horrendæ? Ecce quæ faciunt omnia aduerſa & inimica nobis; non Lupercalia, quæ ſunt pro veſtra ſalute ſublata.

Sed quid dicitis vos ipſi, qui Lupercalia defenditis, & agenda proponitis? Vos eadem non pretiatis; vos eorum cultum, celebritatemq. vilem, vulgaremq. redditis. Si offenſio Lupercaliorum vobis aduerſa procurauit,

veſtra culpa eſt, qui quod vobis ſingulariter prodeſſe putatis, negligentiſſi-
me, & tam longe impari cultu & deuotione ea ducitis celebranda, quam pro-
fanitatis veſtræ celebrauere maiores. Apud illos enim nobiles ipſi currebât,
& matronæ, nudato publice corpore, vapulabant. Vos ergo primi in Luper-
calia commiſiſtis. Satius fuerat non agere, quàm ea cum iniuria celebrare.
Sed deduxiſtis venerandum vobis cultum & ſaluriferum, quem putatis, ad
viles, triuialeſq. perſonas, abiectos & infimos. Si vere ergo profitemini hoc
ſacrum, ac potius exſecramentũ vobis eſſe ſalutare, ipſi celebrate more ma-
iorum, ipſi cum amiculo nudi diſcurrite, vt rite veſtræ ſalutis ludibria pera-
gatis. Si magna ſunt, ſi diuina, ſi ſalutifera, ſi in his vitæ veſtræ pendet in-
tegritas, cur vos pudet per voſipſos talia celebrare? Si pudet, & dedecus
eſt: ita ne ſalutiferum eſt, & diuinum, & profuturum, quod vos ipſi dede-
cus eſſe fateamini? Nemo religionem profitetur, quam per ſe exequi pror-
ſus erubeſcit, & refugit. Ipſa verecundia veſtra vos doceat, crimen eſſe
publicum, non ſalutem, non diuinitatis cultum, de quo ſapiens nullus eru-
beſcit; ſed inſtrumenta prauitatum; quibus mens veſtra contra ſemetipſam
teſtimonium ferens, quod gerendũ profitetur, erubeſcit implere. Et paulo poſt;
Dicite nobis, nec Chriſtiani, nec Pagani, vbique perfidi, nuſquã fideles, vbique
corrupti, nuſquã integri, qui tam vtrũque tenere non poteſtis, quam ſibi vtrũ-
que contrarium eſt: dicite, inquam, Lupercaliorum patroni, & reuera diui-
nitatis ludibria, & cantilenarum turpium defenſores, digni magiſtri veſaniæ,
& quid non ſine cauſa ſana capita non habetis, digni hac religione, quæ ob-
ſcœnitatum & flagitiorum viribus celebratur: videritis ipſi, quid vobis ſa-
lutis impendat, quæ tantam moribus labem perniciemq. proponit. Nec eſt,
quod dicatis, potius hæc agendo, & facinora vniuſcuiuſque vulgando, de-
terreri à talibus commiſſis animos, & pudore refrænari, ne de his publica
voce cantetur; quando (ſicut ille ait) non tam deterrere, quàm admonere
animos hæc ludibria videantur; & ſicut ille dixit:

Iram, atque animos à crimine ſumunt.

Eo impudentiores effecti, quo crimine publicato, expoſitaq. verecundia ni-
hil ſupereſt omnino quod pudeat, nec habet quod metuatur publicari, ſed
iam ſe fiduclaliter onerat, qualis in propatulo non per coercitionem, ſed po-
tius per quandam lætitiam, & celebritatem nominum decantata eſt qualibet
illa perſona; immo & religione ſe præſtare confidit; vt ſint vnde numinum
ſolemnia celebrentur, quæ niſi criminum depamationibus non coluntur.

Dicite nobis itaque, qui voluntatem profanitatis habetis, cuius cauſas aſ-
ſerere non poteſtis, qui tuendæ habetis propoſitum falſitatis, quam quam defen-
dere non poteſtis: quid dicturi eſtis de ſiccitate, de grandine, de turbine, de
tempeſtatibus, varijſq. cladibus, quæ pro morum noſtrorum qualitate pro-
ueniunt? numquidnam & hæc omnia pro ſublatis Lupercalibus contigerunt?
an in malis moribus caſtigandis, meritis retributionibus inferuntur? Sed nõ
mirum eſt, homines non iudicio diuino velle iſta contingere, ſed vanæ ſu-
perſtitionis incurſibus, quibus ſua crimina & malefacta cooperiant, auctori-
tate cæli ſidera perhibent adhibere, & fatalem inducunt errorem, neceſſita-
temq. peccandi, facinoraq. ſua non de cordis proprij peruerſitate procede-
re, ſed cælo auctore pendere. Proponite igitur, pro quibus aut ſubmouen-
dis malis, aut promerendis bonis Lupercalia veſtra fuerint inſtituta, & vi-

deamus quæ illa bona prouenerint, cum Lupercalia gererentur ; & quæ mala ſucceſſerint, cum Lupercalia viderentur ablata.

Figite gradum : ad quod veſtrum excidium dicatis hæc prodigia fuiſſe reperta, digni qui monſtrum neſcio quod pecudis hominiſq. mixtura compoſitum, ſiue vere, ſiue falſe editum celebretis : ſi propter peſtilentiam ſubmouendam (vt antiquiora prætermeam) ecce antequam meis temporibus tollerentur, peſtilentiam grauem tam in hac Vrbe, quam in agris, hominum, pecudumq. fuiſſe, non dubium eſt. Si pro ſterilitate iactatis : cur in Africa, vel Gallia iſta contingunt, vbi nec fuerunt aliquando Lupercalia, nec conſtat fuiſſe ſublata? Cur nunc Oriens omnium rerum copijs exuberat & abundat, qui nec celebrauit vmquam Lupercalia, nec celebrat? An dicitis, illic nocere, vbi per plurima ſæcula fuerant celebrata ; & repente ſublata ſunt? Videamus ergo, ſi his temporibus, quibus dicitis agitata, & rite ac plena ſui (ſicuti vobis videtur) deuotione completa ſunt, numquam fames, numquam peſtilentia prorſus exſtiterit. Si vero ſæpenumero his cladibus ad extremum periculi ventum eſt : apparet his malis ſubmouendis nihil Lupercalia profuiſſe, etiam eo tempore, quo (ſicut dictum eſt) vt putatis, competenti ordine gererentur ; ſic de ſingulis quibuſque neceſſitatibus, propter quas dixeritis fuiſſe prouiſum : ſi conſtiterit etiam illis non deſijſſe, vana huius remedij conuincitur eſſe præſumptio.

Verumtamen cur non hoc etiam experiamini, vtrum valeant aliquid etiã rite celebrata? Et vos per ludibria iſta diſcurrite, veſtrorum more maiorum; vt diuinam rem & ſalutarem nobis (vt dicitis) deuotius celebrando, ſaluti veſtræ proſpicere magis, magiſq. valeatis. Numquid cum hæc celebrarentur, à Gallis Roma capta non eſt, & ſæpenumero ad extrema quæque peruenit? Numquid bellis ciuilibus ſub hac celebritate non concidit? Numquid Lupercalia deerant, cum Vrbem Alaricus euertit? Et nuper cum Anthemij & Ricimeris ciuili furore ſubuerſa eſt, vbi ſunt Lupercalia? cur iſtis non profuerunt? Certe ſi diuinum eſt, ſi ſalutare vobis: cur non per vos ipſi, vt maiores veſtri, iſta facitis? cur cauſas veſtræ ſalutis minuitis? cur decoloratis? cur eluditis? cur ad vilia quæque deducitis? Quid imputatis nobis, cum ipſi remedia veſtra calcetis? Satius eſt non tentare, quam contumelioſe peragere. Maiores certe veſtri, ſi vitioſe (vti illis videbatur) ſacrum aliquod celebraſſent, inſtaurandum eſſe ducebant. Cur non quod ad vitioſum cultum redegiſtis, per indignas quaſque id exequendo perſonas, competenti inſtauratione reparatis, vt cauſas veſtræ ſalutis plenius perfectiuſq. tractetis? Cur vos pudeat agere, ſi ſalutare eſt, ſi diuinum, quod tractaſſe, ſit dedecus?

Sed, inquis, vel imaginem ipſius rei non debere moueri. Si prodeſt, ſi ſalutare eſt ; cur non imago potius apud vos, & non ipſa ſit veritas? Aut ſi certe nec tunc profuit, quando ritu integro (ſicut dicitur) tractabatur : quid quæritis eius imaginem, cuius nec ipſam profuiſſe cernitis veritatem? ſed dicitis, tot ſeculis rem geſtam non oportere ſecludi : nihilominus multis temporibus paganitatis ſuperſtitio ventilata eſt ; ſacrificetur in templis dæmonum, & in Capitolio profana vanitas celebretur. Cur portionem defenditis, & quæ maiora ſunt præteritis? Si plura genera vanitatum multis acta ſeculis probantur eſſe ſublata, cur portio quantouis tempore ventilata non

poſſit

poſſit auferri? Si temporibus præſcribitur, imputate maioribus veſtris, qui cum hac temporis præſcriptione non vſi ſunt, poſſe quod ſuperfluum eſt, & debere remoueri, dum plura, & maiora ſublata ſunt, indicarunt.

Sed dicitis, etiam Chriſtianis temporibus hæc fuiſſe: ſed etiam illa aliquandiu Chriſtianis quoque temporibus celebrata ſunt. Numquidnam quia ſub primis Præſulibus Chriſtianæ religionis ablata non ſunt, ideo ſub eorum ſucceſſoribus tolli minime debuerunt? Multa ſunt quæ à ſingulis Pontificibus diuerſo tempore ſublata ſunt noxia, vel abiecta. Non enim ſimul omnes in corpore curat medicina languores, ſed quod periculoſius conſpicit imminere; ne aut materia corporis non ſufficiat medicinæ, aut pro conditione mortali ſimul omnia non poſſit auertere. Quære, quale ſit vnde agis: Si bonum eſt, ſi diuinum, ſi ſalubre: merito quandocumque tolli non debuit. Si nec ſalubre, nec diuinum: cauſandum tibi magis eſt, cur tardius auferatur, quod ſuperſtitioſum conſtat, & vanum? quod certe Chriſtianæ profeſſioni non conuenire, manifeſtum eſt.

Non omnia à prædeceſſoribus emēdata Pontificibus.

Poſtremo (quod ad me pertinet) nullus baptizatus, nullus Chriſtianus hoc celebret: ſed ſoli hoc Pagani, quorum ritus eſt, exſequantur. Me pronunciare conuenit Chriſtianis iſta pernicioſa, & funeſta indubitanter exiſtere. Quid me incuſas, ſi quod profeſſo nomini inimicum eſt, à conſortibus profeſſionis Chriſtianæ pronuncio ſubmouendum? Ego certe abſoluam conſcientiam meam: ipſi videant, qui iuſtis admonitionibus obedire neglexerint. Quod etiam prædeceſſores meos forſitan feciſſe non ambigo, & apud Imperiales aures hæc ſubmouenda tentaſſe, & quia auditos eſſe non conſtat, dum hæc mala hodieq. perdurant, ideo hæc ipſa Imperia defecerunt: ideo etiam nomen Romanum, non remotis etiam Lupercalibus, vſque ad extrema quæque peruenit. Et ideo ea nunc remouenda ſuadeo, quæ cum nihil profuiſſe cognoſco, tamquam contraria veræ religioni, noxia potius exſtitiſſe pronuncio. Poſtremo ſi de meorum perſona præſcribendum æſtimas prædeceſſorum, cum magis credam fortaſſe tentaſſe eos, vt hæc prauitas tolleretur, & quaſdam exſtitiſſe cauſas, & contrarias voluntates, quæ eorum intentiones præpedirent, ſicut ne nunc quidem vos iſtos abſiſtere inſanis conatibus velle perpenditis. hactenus Gelaſius in Andromachum.

Profecit autem Romanus Senatus, vt non Lupercalia tantum, in quæ Gelaſius eo modo declamauit, ſed etiam quod minoris eſſe ſuperſtitionis, & maioris oblectamenti videri poterat, ſpectacula, abſtulerit ſaltem ad tempus, quę in nouis creandis Conſulibus celebri cultu peragi conſueuerant, delinita olim ad tollendam idolatriam, & ſuperſtitionis ſuſpicionem male ſuperinducto Chriſti nomine, dum (quod ex Saluiano ediximus) non in Matris, vel aliorum Deorum honorem, ſed ad Chriſti gloriam eadem celebrari Circenſia faterentur, falſo prætextu, ſed digno velamento obtegentes potius, quam abolentes ſuperſtitionem auitam. At rem fucatam ſaniori iudicio deteſtantes, ſerioq. agendam eſſe cenſentes, aliam longe nobiliorem loco Gentilium munerum parauere ſpectaculi pompam: dum profuſa illa impenſa fieri ſolita in editione Circenſium, in pauperum fuit veſtimenta conuerſa, de qua iſta Ennodius Ticinenſis in defenſorio libello habet his verbis: Mentior (inquit) niſi egena agmina aduentum Conſulatus veſtri in ſubſidio miſeriarum præſtolantur. Etenim purpura veſtra, qui anni vocabulum

Saluian. de ver. ind. l. 6

Extat to. 1. Concil.

bulum nobis datis, ſubueniente miſeris, veſtimentorum largitate pellit algorem. Probe iam iterum neceſſitatibus ferunt auxilium decora faſtorum; & veteri infidelitate depoſita, in tali præparatione cenſus diſpendio efficiuntur lucra animarum. hæc Ennodius.

Haud vero hæc parui fuere momenti: quanta enim hactenus in creatione Conſulum, etiam regnantibus Chriſtianis Pontificibus, ſuperſtitio viguiſſet, vix quis crederet, niſi fideliſſimus teſtis adeſſet iſta deplorans huius ſeculi ſcriptor, quem retulimus, Saluianus Maſſilienſis Epiſcopus, cuius hic iterum ſunt verba reddenda? Quid enim (inquit) numquid non conſulibus, & pulli adhuc Gentilium ſacrilegiorum more paſcuntur, & volantis pennæ auguria quæruntur, ac pene omnia fiunt, quæ etiam quondam Pagani veteres friuola, atque irridenda duxerunt? Et cum hæc omnia ipſi agant, qui annis nomina tribuunt, & à quibus anni ipſi exordium ſumunt: credimus nobis bene annos poſſe procedere, qui à rebus talibus ordiuntur? Atque vtinam ſicut hæc propter Conſules tantum fiunt, ita illos tantum inceſtarent, propter quos fiunt. Illud eſt feraliſſimum, & grauiſſimũ, quod dum conſenſu publico aguntur, honor pauciſſimorum fit crimen omnium: ac ſi ex ſingulis bini inaugurentur, prope eſt vt in omni mundo nullus euadat. Hæc Saluianus, talia nefanda deplorans: ex quibus magis perſpicue, lector, intelligas iure queſtum eſſe Gelaſium ob eiuſmodi ſuperſtitiones à Romanis retẽtas, atque defenſas, Romanum eſſe penitus collapſum Imperium, & Romanũ nomen abolitum, regnantibus in Occidente Gothis, & alijs vbique Barbaris.

Quam glorioſa ſit ſpelunca, in qua habitauit Ioannes Baptiſta, in quam aliquando ingreſſus eſt Chriſtus, cum Ioannem viſitauit. Cap. 120.

Niceph. hiſt. lib. 1. c. 14. DE Ioanne Baptiſta Nicephorus, cum agit de Herodis infanticidio, hæc ſcribit: Saluator quidem ita, (vt dictum eſt) in Aegypto exulabat, filius autem Zachariæ Ioannes, in cuius natiuitate patris vox ſoluta eſt, cum primum ab illo, Ioannis nomen in tabula fuiſſet exaratum, alterum cum dimidio annum agebat, & vna cum matre Eliſabeth in ſpelunca quadam ad regionem montanam ſaluus conſeruabatur, fortaſſe Herodis ſanguinariam effugiens manum: atque inde in ſolitarijs locis libenter verſari ſolitus, Angeloq. duce vſus, in remotiores ſyluarum receſſus ſeceſſit. Eadem Cedrenus, *Cedren. in Comp. hiſt.* qui addit: Eliſabeth poſt dies quadraginta in eadem ſpelunca diem obijſſe; Ioannis vero curam ab Angelo eſſe ſuſceptam. Sed licet hæc tam antiqua ab eo ſine certo autore ferantur, tamen quod ait de ſuſcepta cura ab Angelo, haud adeo nouum videri debet, ſi quis recolat Iſmaeli à matre proiecto Angelum aſtitiſſe.

Anno autem Domini trigeſimo primo, Annæ, & Caiphæ Principum Sacerdotum tempore, Ioannes afflatus diuino ſpiritu venit in omnem regionem Iordanis, prædicans baptiſmum pænitentiæ. Deſcribitur tanti Prophetæ locus, & habitus atque victus: vt qui nimirum habitaſſet in deſerto loco, indutus veſtimento ex pilis Camelorũ confecto, ac Zona cingeretur pellicea: eſca vero locuſtæ eſſent, & mel ſylueſtre. At primum, quod ad habitationis locum ſpectare videtur, quomodo idem ipſe poſt multa tempora fidelibus

libus innotuerit, ſincera atteſtatione Sophronij, qui eiuſmodi ſcribit hiſtoriam, enarremus: Erat, inquit Senex quidam habitans in Monaſterio Abbatis Euſtorgij Ioannes nomine, quem S. Elias Epiſcopus Hieroſolymorum voluit ducem monaſterij conſtituere: Ille vero non acquieſcebat, dicens: in montem Sina orationis cauſa pergere volo. Archiepiſcopus autem cogebat eum, vt prius Abbas fieret, & poſtea pergeret, quo vellet. Cum vero ſenex non acquieſceret, dimiſit eum ſpondentem ſe, poſtquam reuerſus eſſet, ſuſcepturum regiminis curam. Et ita ſalutato Archiepiſcopo iter arripuit, vt ad Syna montem proficiſceretur, aſſumpto ſecum & diſcipulo ſuo, tranſuadatoq. Iordano fluuio: cum vix vno lapide proceſſiſſent, cæpit ſenior rigore detineri, ac poſt paululum inuaſit eum febris; cum vero in tantum excreſceret ardor febris, vt ambulare non poſſet, inuenerunt ſpeluncam paruulam, in quam ingreſſi ſunt, vt requieſcerent. Cum vero febris ita inualuiſſet, vt ſe vix mouere poſſet, in ipſa ſpelunca tres dies commorati ſunt: Tunc Senex in ſomnis aſpexit quendam aſtantem ſibi dicentem: Dic Senex; Quo ire vis? Reſpondit in montem Syna: Dicit ei: Ne quæſo recedas hinc. Cum vero Seni id perſuadere non poſſet, abſceſſit; febris vero Seni acrius infeſta erat. Rurſus nocte ſequenti idem Seni adſtitit eodē habitu, & ait: Quid Senior affligi vis? audi me, & nūquam hinc proficiſcaris. Ait ille Senex: Tu quiſnam es? Reſpondit is qui apparuerat: Ego ſum Ioannes Baptiſta; & ideo tibi iubeo, vt nuſquam recedas: nam ſpelunca iſta breuis, maior eſt monte Syna; quippe in hanc ſæpius Dominus Noſter Ieſus Chriſtus, cum me viſitaret, ingreſſus eſt. Pollicere mihi quod hic habitabis, & ego mox tibi ſanitatem reſtituo: quod ſenex audiens, libenter ſpopondit ſe in eadem ſpelunca permanſurum, & continuo ſanus effectus perſeuerauit ibidē toto ſuæ vitæ tempore. Speluncam vero illam fecit Eccleſiam, congregauitq. fratres. Appellatur locus ille Sapſas. Fuit in eodem loco Sapſa cōmorans in ſpelæo Senex alius tantæ virtutis, vt leones ſecum in eadē ſpelunca ſuſciperet, atque cibum in ſinu ſuo ipſis præberet. hactenus Sophronius.

Sophron. in prato ſpirituali c. 2.

De celebritate loci, vbi baptizatus eſt Dominus. Cap. 121.

POſt quam Chriſtus baptizatus eſt in Iordane, locus ipſe fluminis, quo voluit baptizari, remanſit poſteris perpetua memoria celebris, & virtute miraculorum conſpicuus: de eo enim hæc ſcribit Gregorius Turonenſis: In Iordane habetur locus in quo Dominus baptizatus eſt, in vno etenim reflexu aqua ipſa reuoluitur, in qua nunc leproſi mundantur. Cum enim aduenerint, ſæpius lauantur in flumine, donec ab infirmitate purgentur; de publico tamen, dum ibi commorati fuerint, victum accipiunt: Sanati autem ad propria diſcedunt. Ipſe quoque Iordanis ab eo loco in quinto milliario mari commixtus mortuo, nomen amittit. Hæc Gregorius, qui & alia multa de locis ſanctis didicit à ſuo Diacono, qui, vt ipſe ait, illuc peregrinatus eſt. De eodem hæc etiam Beda: In loco (inquit) in quo Dominus baptizatus eſt, crux lignea ſtat vſque ad collum alta, quæ aliquoties aqua tranſcendente abſconditur; à quo loco ripa vlterior, ideſt orientalis, in iactu fundæ eſt. Superior vero ripa in ſupercilio monticuli grande monaſterium geſtat, Beati Ioannis Baptiſtæ Eccleſia clarum: de quo

Grego. Tur. de gloria mart. c. 17.

Bed. de loc. Sanct. c. 13

per Pontem arcubus ſuffultum ſolent aſcendere ad illam crucem, & orare. In extrema fluminis parte quadrata Eccleſia quatuor lapideis cancris ſuperpoſita eſt coctili creta deſuper tecta, vbi veſtimenta Domini, cum baptizaretur, ſeruata eſſe dicuntur. Hanc non homines intrare, ſed vndique cingere, & penetrare ſolent. Hæc Beda. His ſcilicet perpetuæ memoriæ monumentis locus ille nobilitatus eſt, quem Chriſtus baptiſmate conſecrauit; nec ſibi, ſed nobis per baptiſmum iter ad cælum aperuit.

Celebri, & repetito per annos miraculo factum eſt, vt multorum fontium & fluuiorum aqua in vinum conuerterentur eadem hora, qua Chriſtus in nuptijs Canæ Galileæ aquam in vinum conuertit. Cap. 122.

Iſa. 9. IN Canæ Galilææ nuptijs, vbi & Mater Ieſu,& Diſcipuli eius,& Ieſus ipſe erat, primum omnium, ac perinſigne miraculum Chriſtus Dominus operatus eſt, cum aquam mutauit in vinum: quod ob ſui excellentiam,lon-
Io. 2. ge antequam fieret, Iſaiæ Prophetæ fuit diuinitus demonſtratum. Vnde ille Chriſti prædicationem, & aquam in vinum mutandam prophetico ſpiritu noſcens in hæc verba erupit: Hoc primum bibe, velociter fac Regio Zabulon, terra Nephtalim, & reliqui qui iuxta mare eſtis trans Iordanem. Epi-
Epiph. hæreſ. 1. phanius id factum ſcribit vndecima menſis Tybi, quæ eſt apud nos ſexta dies Ianuarij, qua die etiam Catholica Eccleſia recolit anniuerſaria ſolemnitate tantæ rei celebritatem; quam annuis miraculis in pluribus orbis locis illuſtrari conſueuiſſe, idem auctor teſtatur, dum ait: Poſt annos triginta factum eſt primum miraculum in Cana Galilææ, quando aqua facta eſt vinum. Quapropter etiam in multis locis vſque in hunc diem hoc fit, quod tunc factum eſt,diuinum ſignum, in teſtimonium incredulis, velut teſtantur in multis locis fontes ac fluuij in vinum conuerſi. Cybires quidem Vrbis Cariæ fons,qua hora hauſerunt miniſtri, & ipſe dixit: Date Architriclino: teſtatur, & in Geraſa Arabiæ fons ſimiliter. Nos bibimus de Cybyris fonte, fratres vero noſtri de eo, qui eſt in Geraſa in Martyrum templo. Sed & multi in Aegypto de Nilo hoc teſtantur: quare in vndecima Tybi apud Aegyptios omnes hauriunt aquam, & reponunt, tum in ipſa Aegypto, tum in multis Regionibus &c. hæc Epiphanius.

Enimuero & Plinius ſimilis rei egregius videtur aſſertor, licet vnius tantum diei ſpatio diſcrepet à prædictis dum ait: Mutiano ter Conſule auctore in Andro inſula,nonis Ianuarij fontem aquam vini ſaporem habentem fluere conſueuiſſe. Sed accolæ cauſam ignorantes, eandemq. Baccho tribuentes, ibidem templum in illius honorem erexerunt. Sunt enim hæc verba Plinij. In Andro Inſula templo Liberi Patris fontem nonis Ianuarij vini ſaporem fluere, Mutianus ter Conſul tradit, Diotecnoſia vocatur. hæc ille.

De ingentibus & innumeris miraculis à Ieſu Domino factis: quorum fama motus Rex Edeſſæ Abagarus epiſtolam ad Ieſum miſit, cui benignus Dominus reſponſum dedit.
Cap. 123.

CIrcuibat Ieſus totam Galilæam, docens in Synagogis eorum, & prædicans Euangelium Regni, & ſanans omnem languorem & infirmitatem in populo: & abijt opinio eius per totam Syriam; & obtulerunt ei omnes male habentes varijs languoribus & tormentis comprehenſos, & qui dæmonia habebant, & lunaticos, & paralyticos. Cum igitur Matthæus Euangeliſta dicat in omnem Syriam famam, de his quæ facta eſſent à Ieſu, fuiſſe vulgatam: accidit vt ea ſuperioris Syriæ fines attingeret, & ad Edeſſæ Syriæ Ciuitatis Regem Abagarum penetraret; his ille permotus ad Ieſum fertur ſcripſiſſe epiſtolam, quam Euſebius Pamphili è Syriaca lingua in Græcam tranſtulit, ſimul cum ea quam ad eundem Dominus Ieſus Chriſtus eidem Tabellario dedit: quæ latino idiomate donatæ ſic ſe habent.

Matth. 4. *Euſeb. hiſt. lib. 1. c. 13.*

Abagarus Princeps Edeſſæ Saluatori propitio, qui in confinijs Hieruſalem apparuit, ſalutem. Cap. 124.

INſignes illas virtutes, & curationes, quæ abs te ſine medicamentis, & ſine herbis factæ ſunt, auditione accepi. Cæcos enim, vt fama eſt, videre efficis, claudos ambulare, & leproſos mundos; ſpiritus iracundos, & dæmones eijcis; eos etiam qui diutius morbis preſſi ſunt, ſanas, mortuos denique ad vitam reuocas. Quæ quidem cum de te audiuiſſem, de duobus hiſce alterum verum eſſe cogitabam, te aut Deum eſſe, & è cæli faſtigio delapſum: aut Dei filium ſaltem, qui iſta tam ſtupenda edas miracula. Quapropter hæc ad te ſcripſi magnopere precatus, vt laborem ad me accedendi ſuſcipere, huncque, quo crucior, morbum curare, non graueris. Etenim audio Iudæos tibi obſtrepere maleuole, & velle libenter aliquo magno malo afficere. Eſt mihi ciuitas perexigua quidem, ſed ornata ſane, & illuſtris: quæ vtriſque noſtrum rerum neceſſariarum ſuppeditabit ſatis. hactenus epiſtola. Iſta diuino ſplendore ei tum paululum elucente ad Ieſum hoc modo perſcripſit. Operæ pretium eſt porro epiſtolam licet breuem, plenam tamen virtutis & efficacitatis audire, quæ per eundem tabellarium à Ieſu ad illum miſſa fuit; cuius quidem hæc erat ſententia.

Reſcripta Ieſu ad Abagarum Principem per Ananiam curſorem miſſa. Cap. 125.

ABagare beatus es, qui cum non videris me, in me tamen credidiſti. De me enim ſcriptis proditum eſt, eos qui me viderunt, in me non credere; vt hi, qui me non viderunt, credant, & vitam conſequantur. Quod ſcribis ad me, te velle, vt ad te veniam, eas res, cuius gratia ſum miſſus, debeo hic neceſſario obire, quas cum plene perfecero, ad eum recipi, qui me miſit, quo ſimul ac aſſumptus fuero, aliquem ex diſcipulis meis mittã ad

te,

te, qui morbo, quo tantopere torqueris, faciant medicinam, vt vitam tibi tuiſq. impertiat. hactenus litteræ, de quarum fide, hæc idem auctor paulo ſuperius: Harum rerum inſigne,& locuples teſtimonium ex Tabulario Edeſſæ ciuitatis, id temporis à rege gubernatæ depromptum habes, nam in tabulis publicis, quæ nedum veteres, ſed recentes etiam res nuper ab Abagaro geſtas continebant, hæc eadem in hanc noſtram ætatem reſeruata reperiuntur. Quare nihil commodius eſſe putaui, quam ipſas epiſtolas à veteribus illis annalibus petitas, atque adeò ad verbum ex lingua Syriaca hoc loco citare, quæ ita vt ſunt poſitæ, ſe habent.

De Miraculoſa imagine, quam Dominus ex proprio vultu expreſſit, & Abagaro miſit. Cap. 126.

Euagr. in hiſt. lib. 4. c. 26.

Io. Damaſ. de fid. orth lib. 4. c. 17.

Nicep. hiſt. lib. 2. c. 7.

Apud Metaph. die 16 Augu. 15. Nouemb. et in vita S. Alexij. Hadria. ad Carolum Magnum epiſt. extat to. 2. Concil nou. edit.

Euag. hiſt. lib. 4. c. 26.

ADhuc inſuper ab ipſo Chriſto ſui imaginem non arte hominis elaboratam, ſed ab ipſomet ſummo rerum architecto & opifice Domino noſtro ad Abagarum miſſam poſt prædictam epiſtolam, à compluribus grauiſſimis auctoribus ſcriptum reperitur. Euagrius Scholaſticus id teſtatur: at non fuit eius rei primus auctor; ſed quoniam miracula inde prodita recenſet, occaſione eius rei meminit, quæ ab ipſo ſcripta, recitataq. in Concilio Niczno ſecundo à patribus vt egregie teſtata, fideq. digna ſunt comprobata. Quomodo autem ea imago non manufacta dicatur, Ioannes Damaſcenus ſcribit: Hiſtoriæ quoque proditum eſt, cum Abagarus Edeſſæ Rex eo nomine pictorem miſiſſet, vt Domini imaginem exprimeret; neque id pictor ob ſplendorem ex ipſius vultu manantem conſequi potuiſſet: Dominum ipſum diuinæ ſuæ; ac viuificæ faciei pallium admouiſſe, imaginemq. ſuam ei impreſſiſſe, ſicq. illud ad Abagarum, vt ipſius cupiditati ſatiſfaceret miſiſſe. Hæc Damaſcenus. Haud diuerſa Nicephorus. De eadem præterea luculẽta oratio Conſtantini Porphirogeniti extat: ſic & cumulata mentio de eadẽ habetur in actis Sanctorum Samonis & Guriæ. Græci inſuper de eadem celebrant anniuerſariam ſolemnitatem decimoſeptimo Kalendas Septembris, vt conſtat ex eorum menologio. At quod ad Latinos pertinet, teſtimonio Hadriani Papæ ſcribentis ad Carolum Magnum, teſtatum habetur, eademq. de imagine ad Abagarum miſſa hiſtoriam cognitam, & receptam eſſe à Stephano Papa in Concilio Romano, cuius fidei adſtipulator eſt grauiſſimus. Certe quidem crebra & inſignia miracula ex eadem imagine prodita, eius rei veritatem ſatis abunde declarant, & demonſtrant, quæ & recenſet Euagrius de temporibus Coſdroes, & alij. Theophanes auctor eſt ingentes copias Perſarum, eius ſine manu factæ imaginis præſidijs, quam ſecum in acie duxiſſet Philippicus Dux, ſub Mauritio Imp. eſſe penitus profligatas.

In act. prædict. SS. apũ Metaphr.

Apud hiſt. Miſcel. l. 13

Matth. 9. Mar. 5. Luc. 8.

De gratitudine mulieris, quæ ſanguinis fluxu liberata eſt, & ſtatuam Chriſto fecit, ad cuius fimbriam pertingens quædam herba omnes morbos curabat. Cap. 127.

ROgatus Ieſus ab Archiſynagogo, vt filiæ ſuæ in extremis laboranti ſuccurreret, abiens obuiam habuit mulierem, quæ annis duodecim ſanguinis fluxum paſſa, tactu fimbriarum veſtimenti eius curata eſt, quæ quod fecerat,

fecerat, & quod à Chriſto acceperat, palam confeſſa eſt. hæc pluribus Euãgeliſtæ. Porro mulier hæc nobiliſſima æque ac ditiſſima, tanti non immemor beneficij, ne aliquando illud memoria hominum excideret, egregio monumento teſtatum poſteris omnibus cupiens, æneis ſimulachris tam Ieſu, quam ſui effigiem referentibus, rei geſtæ memoriam futuris ſeculis in perpetuum commendandam voluit. Rem credo nemini ignotam breuiter deſcribit Euſebius, dum de Cæſarea Philippi, quam Phœnices Paneada vocabant, agit his verbis: Sed quoniam in huius ciuitatis mentionem incidi, operæpretium arbitror hiſtoriam hoc loco citare, quæ digna plane videtur, quam memoriæ ad poſteritatem commendemus. Mulierem illam ſanguinis profluuio afflictatam, quam ſanctorum Euangeliorum teſtimonio à Saluatore noſtro morbi remedium inueniſſe cognouimus, ex ea ciuitate oriundã, illiusq. domum ibi oſtendi & admirabilia quædam Saluatoris, in eam beneficij monumenta, & quaſi trophæa, ad hoc tempus durare memorant. Pro foribus enim domus illius æneam mulieris effigiem genibus flexis, & manibus inſtar ſupplicantis in anteriorem partem extenſis, ſuper editum lapidem collocatam. Huic è regione viri erectam imaginem ex eadem materia cõflatam veſtitu ad talos demiſſo decenter ornatam, & manum mulieri porrigentem, ad cuius pedes in ipſa baſi peregrinam quandam, & inuſitatam herbæ ſpeciem enaſci, quam quidem vbi ad ænei veſtitus ſimbriam excreuerit, morbi cuiuſque generis medicandi vim & facultatem habere. Hanc ſtatuam effigiem Ieſus exprimere dicunt, quam ad noſtram vſque ætatem manentem ipſi ad eam ciuitatem profecti oculis cernebamus. Hæc Euſebius. *Euſeb. hiſt. lib. 7. c. 14.*

Iuliani Imperatoris ſtatua fulmine cõtrita eſt, cum illam Iulianus in locum ſtatuæ Chriſti ſuppoſuiſſet. Cap. 128.

HIc etiam opportune memorabile illud in Syriæ prouincia Phœnicia geſtum recolendum eſt, quo tum ſumma Iuliani in Chriſtũ temeritas & audacia declarata, tum diuina in vindicando potentia eſt facta perſpicua: quod à Sozomeno his verbis deſcribitur: Illud porro, inquit, dicetur à me, quod etiam regnante Iuliano accidit: quod quidem vt Chriſti potentiam plane indicat, ita iram diuinam aduerſus Imperatorem accenſam euidenter oſtendit. Cum certior factus eſſet Cæſareæ Philippi (eſt ea quidem vrbs Phœniciæ, quam Paneadem vocant) præclaram eſſe Chriſti ſtatuam, quam mulier, quæ ſanguinis profluuio laborabat, cum eſſet morbo liberata, ibi collocauerat, eam deturbauit, ſuamq. in eo loco poſuit. Quo facto, ignis violentus de cælo delapſus ſtatuam illam circiter pectus perſecuit, caputq. vna cum collo in terram deiecit, atque in faciem humi ea in parte defixit, quæ à pectore diuulſa. Ex quo quidem tempore ad hodiernum diem atra, atque fulminis ictu ambuſta manet. Id temporis igitur Gentiles ſtatuam Chriſti tanta cum violentia trahebant, vt eam confringerent. At Chriſtiani poſtea eius fragmenta cum collegiſſent, in Eccleſia poſuerunt, vbi etiam adhuc ſeruatur. Ex baſi, ſupra quam hæc ſtatua locata erat, herba quædam (vti narrat Euſebius) quæ morbis cuiuſque generis mederi ſolet, enaſcebatur: quæ quidem cuius generis eſſet, nemo noſtrorum medicorum, qui vel ſcientia valebant medendi, vel experientia, omnino nouit.] hæc *Sozom. lib. 5. c. 20.*

Sozo-

Apud Metaphra. 20. Octob. Niceph. lib. 10. c. 30. Sozomenus : eademq. habent Artemij Acta, Nicephorus, atque alij. Sed quanto iuſtius, dicet aliquis, in ipſum Iulianum fulmen illud celitus fuiſſet intortum! At recordetur, quod ſcriptum eſt: Vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus : ipſum quoque ad diem malum. Hanc autem voluit in Chriſti ſtatuam Iulianus exercuiſſe vindictam de compluribus deorum ſimulacris à Chriſtianis tempore Conſtantini atque Conſtantij toto Orbe confractis : Sed malum conuerſum eſt in caput ipſius, vlciſcente quamprimum numine : nam tantum prodigium fulminis, quod eius ſtatuam mediam ſcidit, atque proſtrauit, ex Aruſpicum, quos colebat atque obſeruabat, ſententia, Romani Imperij cladem, atque eiuſdem Iuliani portendit interitum.

De cruenta cæna Herodis, qui caput Ioannis præcidi iuſſit, & Q. Flaminio & Mario Romanis eodem ſcelere notatis. *Cap. 129.*

Matth. 14. Mar. 6. HErodes cum dies opportunus accidiſſet natalis ſui, cænam fecit Principibus & tribunis & primis Galileæ: cumque introiſſet filia ipſius Herodiadis, ſaltauit in medio, & placuit Herodi. Vnde cum iuramento pollicitus eſt ei dare quodcumque poſtulaſſet ab eo. Et cum ſaltaſſet, & placuiſſet Herodi, ſimulq. recumbentibus, Rex ait puellæ: Pete à me quod vis, & dabo tibi, & iurauit illi; quia quicquid petieris, dabo tibi, licet dimidium Regni mei. Quæ cum exiſſet, dixit matri ſuæ. Quid petam? At illa dixit. Caput Ioannis Baptiſtæ. Et illa præmonita à matre ſua, cum introiſſet ſtatim cum feſtinatione ad Regem, petiuit dicens; volo vt protinus des mihi in diſco caput Ioannis Baptiſtæ, Et contriſtatus eſt Rex: Propter iuſiurandum autem, & propter ſimul diſcumbentes noluit eam contriſtare. Sed miſſo ſpiculatore præcepit afferri, & dari caput Ioannis in diſco, miſitq. & decollauit Ioannem in carcere, & attulit caput Ioannis in diſco, & dedit illud puellæ, & puella dedit matri ſuæ. Quo audito diſcipuli eius venerunt, & tulerunt corpus eius, & poſuerunt illud in monumento, & venientes nunciauerunt Ieſu. hactenus Euangeliſta de nece Ioannis. In regis vero conuiuijs eiuſmodi ſaltatrices adhiberi conſueuiſſe, Ioſephus alio demonſtrat exemplo, cum de Ioſepho Tobiæ filio hæc ait: Cum aliquando veniſſet Alexandriam cum patre ducente ſecum filiam nobilem, vt eam alicui nobili Iudæo nuptui traderet, cænans cum Rege ingreſſam in conuiuium formoſam ſaltatriculam adamauit. Idque à Græcis etiam in cõuiuijs factitari ſolitum declarat Xenophon in Sympoſio. Non tamen aliquod apud Iudæos, vel gentes, quamuis Deum ignorantes, reperitur exemplum, vt in conuiuium eiuſmodi apophoretum, præciſum caput hominis præſentaretur in diſco: niſi quod pro monſtro, atque portento apud Romanos habitum fuit, cum Q. Flaminius, Placentiæ dum eſſet, cum faſcibus proconſularibus, vt diſcumbenti ſecum meretriculæ talis ſpectaculi auidæ morem gereret, non quempiam iuſtum hominem, ſed vnum ex damnatis ante triclinium capite cædi præcepit: quod facinus adeo Romani ſunt deteſtati, vt in eundem reum maieſtatis ea de cauſa factum omnes Rhetores nobiles declamarent. Sed & rabies belli ciuilis, eò furoris adegit Marium, vt exectum caput Antonij con-

Ioſeph. antiq. lib. 12. c. 4.

Sene. contr. lib. 5. Cic. lib. 39. Hieron. in Matt. c. 14. Plutar. in Mario.

conſulatis inter epulas ſumma animi inſolentia lætis manibus attrectaret. Agit & Ioſephus de nece Ioannis, quem mirifice laudat, eiuſque facinoris cauſa Herodem pœnas dediſſe ait, vt exercitus eius funditus profligaretur à Parthis. Inſultaſſe Herodiadem præciſo capiti, atque acu diſcriminali ſanctiſſimam illam linguam perforaſſe, Hieronymus in Ruffinum agens tradit ſic dicens: Ne magnopere glorieris, ſi feceris, quod faciunt ſcorpiones, atque cantharides fecerunt: hęc & Fuluia in Ciceronem, & Herodias in Ioannem; quia veritatem non poterant audire, linguam veriloquam diſcriminanti acu confoderunt.

Sed ne quis ſcandalum ſumeret, virum, Chriſti teſtimonio omnium maximum, muliebri poteſtati ſubditum fuiſſe vſque ad capitis abſciſſionem, voluit Deus, poſt necem eius, vt acto & publico miraculo à capitis abſciſſione alios ipſum vocantes, liberaret, & eius reliquiæ mira agerent poſt obitum eius. Referamus hic aliqua, quæ circa hoc contigiſſe memorãtur.

Magna prorſus extitit Herodiana luxuria, qua in fratris vxorem exarſit, nec timuit Ioannem redarguentem; ſed magis cuiuſdam Regis excelluit libido, qui propriam filiam in vxorem ducere voluit, cuius rei gratia, & ſacerdotem obiurgantem, & filiam repugnantem capite puniuit. Res hoc modo geſta eſt.

Cap. 130.

POſt reſurrectionis, & aſcenſionis Domini completa myſteria, ſicut ante prædixerat per prophetas, cum in toto terrarum orbe per apoſtolos iam diffuſa proficeret religio Chriſtiana, fuit in Hybernia Rex gentilis, qui licet timore Dei contempto, ſuperſtitioſis, ac vanis idolorum cultibus deſeruiret, tamen opum gloria, & militiæ ſecularis vigore potenti ceteros antecellens, omnibus glorioſior apparebat. Erat autem ei vxor ex illuſtri orta progenie, quam Rex ipſe vehementi diligebat affectu: quippe quæ pro humanæ carnis forma tanta eſſet pulchritudine, vt faciei, & corporis elegantia mentem alliceret ipſam aſpicientium. Hi vero filiam genuerant, decoris venuſtate matri valde conſimilem, meritis, & nomine Dympnam, vt ipſo vocabuli præſagio poſtmodum Deo digna fore indicaretur. Quæ in domo patris nobiliter educata, cum annos pueritiæ tranſegiſſet, chorearum aſſultus & ioculatorias cantilenas, & quæ illa ætas expetit, & poſcit celſitudo regalis, mente deſpiciens, occulte baptiſmum ſuſcepit, & ſe corde & corpore Chriſto deuouit, perpetuo ſeruituram. Interea matre eius Regina defuncta, cum Rex ea cauſa ſuperuacuis doloribus laboraret, tandem conſilio ſibi aſſiſtentium per ſingulas Regni ſui prouincias & eidem propinquas nationes legatos miſit, qui Virginem adoleſcentulam, genere ſpectabilem, & decore iam defunctæ ſimilem, tanto Regi matrimonio coniungendam inquirerent, & ei cum honore adducerent. Milites ergo moribus, & eloquentia præſtantiſſimi, iter arripiunt, patrias peragrantes & vrbes, contemplantur nobilium facies puellarum. Cumq. diu morando regiones plurimas circumiſſent, & quod optabant, minime reperiſſent, redierunt,

Geſta S. Dympnæ ſcripta sũt à Petro Canonico S. Ruberti Cameracenſis, refert ead. Surius to. 3 pag. 96.

ad Regem: & ingreſſi palatium, ſalutato eo ſic fari cœperunt: O Rex excellentiſſime, quod tua iuſſit maieſtas, longius profecti reperire nequiuimus. Sed ſi placet, ecce filiam tuam Dympnam decoram valde, & adeo matri ſuæ conſimilem, vt in eius imagine propemodum reuixiſſe iam mortua videatur, iube tibi fœliciter matrimonio copulari. Quid plura? Deteſtabile hoc verbum vix finierant, cum mox diabolus, qui ſanctam Virginem ad idolatriam reducere volebat, Regem amore inceſto, & impudicitiæ facibus inflammauit.

Itaque cœpit Rex molliter blandiendo puellæ votum ſuum detegere, & omnem mundi gloriam promittere, ſi eius matrimonio conſentiret. Audiens autem hoc Virgo Chriſti, reſpondit, illud ſe nunquam facturam. Non eſt enim inquit, neque iuſtitiæ, neque legibus conſentaneum, imo abominabile prorſus eſt, vt filia maculet thorum patris. Cumque ille vehementer inſtaret precibus, & illa fortius negaret, tandem Rex iratus dixit, eam vel inuitam acquieſcere oportere. Tunc illa quaſi obtemperatura, quadraginta dierum petiuit ad cautelam inducias. Interim ornamenta, & cetera quæ ſpectabant ad cultum puellarem, ſibi dari depoſcit, perinde ac ſi nitidius accurata, patri vellet gratioſior apparere. Rex hoc audiens, lætus efficitur, & omni ambitione iuſſit, quæ Virgo poſtulauerat, procurari. Interea Virgo ſe Chriſto orationibus iugiter commendans, vt patris libidinem effugeret, patriam ſuam relinquere cogitabat. Erat tunc temporis in Hybernia eximiæ ſanctitatis, & doctrinæ ſacerdos quidam, nomine Gerebernus, qui occulte in illa gentilitate, quos poterat, ad Dominum conuertebat, reginæq. defunctæ, Chriſtum colentis in hac vita genitricis ſanctæ Dympnæ, confeſſarius fuerat, ipſam quoque Dympnam pridem baptizauerat, & eam fidem catholicam,ſacramq. ſcripturam docuerat: Denique ab illo regina defuncta,& Dympna eius filia Sacramentum Euchariſtiæ recipere conſueuerant. Hunc accerſiens ſecretè beata virgo, quemadmodum pater ſuus in horrendæ turpitudinis baratrum ipſam demergere conſtituiſſet, ei cum multis lachrymis, explicauit. Tunc vir ſanctus conſuluit Virgini, vt ad partes fugeret alienas, & pauper ſpiritu Chriſtum pauperem ſequeretur. Quid plura? Cum horam fugæ oportunam nacta eſſet Virgo ſancta, adiunctis ſibi S. Gereberno, & ioculatore patris ſui cum eius vxore, vt ſub ioculatorum ſpecie ſecretius proficiſci poſſent,propoſitum iter ingreſſa eſt: perueniensq. ad portum, nauem conſcendit, & auris, ac ventis proſperantibus, ad quoddam Caſtrum, quod Antuerpiæ dicitur, Cameracenſis Diœceſis, applicuit: vbi aliquantulum commorati, quærebant locum, vbi poſſent ſecretius Domino famulari.Nam ſtrepitus ſeculares ferre mens Chriſto deuota nequibat. Inde igitur abeuntes, per nemoroſa deuia ad pagum, cui nomen Ghele eſt antiquitus impoſitum, peruenere; atque illic locum vitæ ſolitariæ aptum inuenerunt. Porro altera die Pagum circumeuntes, vnicam repererunt Eccleſiam, in honorem beati Martini Pontificis dedicatã, in qua Dympnæ ſacrum corpus iam requieſcit. Et non longe ab ea Eccleſia in loco, qui Zammale appellatur, conſtruendum ſibi habitaculum elegerunt, in quo per contemplationis dulcedinem Deo debitum redderent famulatum. Extirpatis igitur arboribus & ſpinis, domicilium ſibi congruum extruxerunt, in quo tribus menſibus commorantes, & ieiunijs, & oratio-

nibus vacantes, vitam quodammodo angelicam ducebant. In prædicta autem eccleſia beati Martini, ſanctus ſacerdos Gerebernus miſſas celebrabat. Excolebatur enim tunc temporis villa de Ghele raro inhabitatore, quia erant in ea nonniſi quindecim domus; eæq. nemorum denſitate fere per ſex milliaria circumſeptæ.

Interea Rex pater virginis, qui filiæ nuptias cum gaudio expectabat, audiens fugam eius, turbatus eſt, & omnis aula cum illo; ſciſſisq. veſtibus poſt gemitus & dolores diù repetitos, ambitione militum ſtipatus, filiam ſuam per ſeipſum requirere deliberauit. Itaq. perquirens eam per ciuitates, & montium ſolitudines cum non inueniſſet, mare adijt, & ad caſtrum, quod Antuerpias nominant, peruenit cum ſuo multiplici comitatu. Egrediente autem illo de naui, fit concurſus populi, vt moris eſt, videre cupientis regẽ. Moram autem ibi faciens, legatos mittit per adiacentes prouincias, ſi forte de filia ſua rumorem aliquem percipere poſſit. Proficiſcentibus igitur diuerſis per loca diuerſa, quidam illorum ad villam rurenſem, cui Vueſterlo nomen eſt, peruenerunt: & cum mane hoſpiti expenſas ſoluerent, ille nummos illorum inſpiciens, ait: Habeo nummos iſtis valde conſimiles, quorum pretium penitus ignoro. Et requiſitus ab eis, à quo talem pecuniam recepiſſet, ipſe neſciens cur hoc peterent, reſpondit: Virgo alienigena, adſpectu, & corpore pulcherrima, prope in deſerto habitans, quæ de Hybernia huc aduenit, venerandum ſacerdotem valde ſenem, & ioculatorem cum eius vxore ſecum habens, pro emendis alimentis, id genus nummos mihi ſemper mittit. Cumque illi ſe eo adduci curaſſent, ſanctam virginem protinus cognouerunt inter ceteros procul ſtantem. Et Antuerpiam ſtatim regreſſi, viſa, & audita cum gaudio Regi retulerunt. Tunc Rex ſpiritu reuiuiſcens, iter cum ſuis arripuit ad locum, in quo Virgo ſanctiſſima habitabat. Quam cum reperiſſet, & comiter ſalutaſſet, cernens eius faciem minus formoſam, libidinis igne accenſus eam affari cæpit blandiſſime, dicens: O vnica filia mea Dympna, amor meus, deſiderium meum, & dulcedo: quæ te compulit neceſſitas, vt regali dignitate contempta, inter gentes extraneas habitares, & terram tuæ natiuitatis relinqueres, innatæq. ab ipſa natura dilectionis oblita, patrem regem deſereres, iſtiq. ſeni ac decrepito ſacerdoti tamquam filia adhæreres, & ipſius in omnibus obtemperares mandatis? Cur regni Hyberniæ vnica hæres poſt patrem, aulam regiam ſpreuiſti? Noſtro igitur acquieſce conſilio, & nobiſcum ad Hyberniam reuertere: quoniam ſi paternis affectibus aſſenſum præbueris, diademate regali coronaberis, & ſuper omnes principes, matronas, ac virgines Regni mei Principatum obtinebis. Inter Deas quoque tibi templum de marmoribus candidiſſimis ædificari præcipiã, & in eo ex auro, & lapidibus pretioſis effectam ſtatuam tibi collocari iubebo ab omnibus adorandam. Ad hæc cum vellet virgo reſpondere, beatiſſimus Gerebernus reſponſionem eius anteuertens, Regem dura ſeueritate redarguit, eum ſceleratiſſimum, & abominabilem clamans, quippe qui propriam filiam fœdare vellet, quod etiam impuri ſcortatores ne cogitare quidem ſuſtinerent. Monuit inſuper vir ſanctus virginem, ne vnquam Regi conſentiret, ne æterni Regis, ſponſi ſui, cuius dulcedinem iam guſtaſſet, indignationem incurreret. Tum vero Rex, & omnes, qui cum eo erant, ſanctum Gerebernum morte dignum clamauerunt, tamquam fugæ Virginis auctorem,

 & illius

& illius euerſorem : amouenteſq. eum à Virgine, omnes in eum irruerunt ; manuſq. violentas ei attulerunt, & exagitatum iniurijs, peremerunt. Sic glorioſus martyr Domini ex tyranno triumphum referens, vitæ curſum capitis amputatione compleuit, & coronam martyrij à Domino accepit. Ita cultor Dei Gerebernus, forma iuſtitiæ, caſtitatis exemplum, inceſtas nuptias deteſtans, dum Regem incredulum de inceſtu reprehendit, non odio, ſed amore, pro ſtudio caſtitatis, Regis iram, odium, & tandem mortem incurrit. Tunc Rex iterum conuerſus ad virginem, roſeo decore nitentem, vt ſibi acquieſceret, acrius inſtare cæpit, ſic dicens ad eam : O filia mea Dympna, cur pateris patrem tuum tantis agi doloribus ? miſereri cur renuis, & illum ſpernis, quem allicit amor tui ? Tantummodo conſenti mihi, & quicquid petieris, dabo tibi. Inſuper & nomen tuum inter deas ſacratiſſimas per totius regni mei fines iubebo celebrari. Tunc virgo Deo deuotiſſima, quæ potius eligebat affligi pro Domino, quàm temporalis peccati habere iucunditatem, patri cum indignatione reſpondit : Cur infelix tyranne promiſſis fallacibus à pudoris propoſito auertere me conaris ? Putas miſer, quod à ſtabilitate propoſiti reſiliam, corpuſq. meum polluendo, Chriſtum vnicum amatorem meum offendam ? Tuas regales delitias tota mente contemno, & illas promiſſiones Domini mei Ieſu Chriſti, quæ cuncta ſuperant deſideria, iam totis viſceribus concupiſco. Pro dea haberi reſpuo, & honorem ſtatuæ vilipendo. Talem mihi deinceps noli fruſtra adhibere ſermonem. Tunc rex animo ferus, libidini deditus, atque cultor idolorum præcipuus, quanto magis fidem Chriſti in ea feruere cognouit, tanto magis in eam totis viribus incurrit, dixitq. ei : Vide malitioſa, ne de cetero nos fatiges : ſtatim exple, quod opto, vel tui patris iram incurres, ſicut ille malignus Doctor tuus Gerebernus, cui propterea caput amputatum eſt. Flori igitur parce iuuentutis tuæ, & mihi aſſenſum præbe : etiam dijs noſtris ſacrifica, aut certa ſis te morituram, tuæq. mortis exemplo effecturam, ne regum filiæ paternis imperijs contradicere auſint. Tunc virgo Chriſto deuotiſſima reſpondit : Qua de cauſa, crudelis tyranne, occidiſti egregium Domini ſacerdotem, nulli crimini affinem ? Dei omnipotentis iudicium non euades. Deos, Deaſq. tuas ego vt figmenta deteſtor, & Domino Ieſu Chriſto tota me deuotione committo. Ille ſponſus meus, gloria mea, ſalus mea, & deſiderium meum. Pœnas omnes, quas inferre potes, læta mente parata ſum pro Domino meo perpeti.

Hæc audiens Rex, quaſi demens effectus eſt, & nimio furore incenſus, ſui fruſtrationem, & deorum ſuorum iniurias vindicare volens, iuſſit eam celeriter decollari. Sed cum nullus eorum, qui erant in Regis Collegio, tam crudele præceptum exequi auderet, ne Regis poſtea fortaſſe dolituri, iram incurreret : ipſemet crudelis Rex, antiquæ nobilitatis, & regalis clementiæ oblitus, gladio, quo fuerat accinctus, ſacrum caput præclaræ virginis, diuinam implorantis miſericordiam, amputauit. Eam vero Dominus Ieſus Chriſtus ſponſus eius ſumma cum lætitia in cælis coronauit. Deinde Rex impius, cum ſuo comitatu remeans ad propria, ſanctorum corpora volatilibus cæli, & beſtijs terræ deuoranda reliquit. Cumque ea dies aliquot à feris, & auibus intacta in nuda humo iacuiſſent, à quibuſdam iuxta habitantibus, erga ſanctos Martyres pia gerentibus viſcera, in ſpecu condita ſunt.

Mira

Mira res, Herodes tripudijs regna concedit, nam à voluptate ſemel victi, quaſi pecudes, quæ Lupus rapit, ſequuntur. Vbi autem ſaltus laſciuus, ibi certe Diabolus adeſt. His tripudijs, his choræis, his ſaltationibus Dæmon homines in lutum fęcis demergit, & nihil magis ſatagit Diabolus, vt viros, & mulieres ad huiuſmodi ſpectacula prouocet, vt eos decipiat voluptatibus illaqueando. Qua de re Sylueſt. Prieras. hoc refert. Chryſoſt. in Matth. 14. hom. 49.

Necromanta diaboli arte iuuenes pulſantes, & puellas apparere facit. Cap. 131.

QVidam in Ciuitate Bononiæ, ſatis religioſus ſacerdos, mihi amicus, cui Hieronymus Auioola, ſeu Lyra nomen erat, quod eiuſce inſtrumentum peroptime tangeret, mihi ad annum Domini circiter 1500. hoc factum in hanc ſententiam retulit. Ex Necromantis, quidam mihi (inquit) cognitus, interdum etiam domeſticus, dum me Lyram tangere crebro videret, oſtendam (aiebat) aliquando tibi meos pulſatores, & quod nihil ſcias videbis. Cumque die feſto quopiam ad tempus quadrageſimale, poſt cibum, ſanctum Michaelem in Boſco declinata ſemita per vineas anguſto calle conſcenderemus, medio itinere laſſi quieuimus. Cui ego: Quando illos, de quibus toties dixiſti, pulſatores auditurus ſum? Qui ſtatim quibuſdam in terram formatis caracteribus. Reſpice, ait, ſurſum, vidiq; in aëre quædam pernißiarum auium (vt videbatur) alis ſtridentium, & deſcendentiũ, ac deſcendendo creſcentium, quæ cum in terra ſteterunt, quindecim Iuuenes pulcherrimi, quindecim inſtrumenta muſicalia tangentes apparuere. Tota vero intentione ferebar in eum, qui Lyram tenebat, quo diu audito, viſum mihi eſt, quod in ea arte ſcirem penitus nihil. His vero iuſſu Necromantæ diſparentibus, & eo rurſus caracteres effingente, denuo ſimilia vt prius, ſed plura apparuere: quæ dum in terra conſiſterent, fuerunt qui prius quindecim Iuuenes pulſantes, & puellæ totidem cantantes, quibus (parcat mihi inquit Deus, ſi in hoc pecco) aut pulchriores, aut in pulchritudine pares vidi nunquam. Hæc ille: qui etiam deinde retulit, quod eodem necromanta authore, Bononiæ in platea Mercati noctu præſentibus duobus nobiliſſimis principibus Ioanne Bentiuolo, & Roberto Sanſeuerinenſi haſtiludium horrendum per dæmones actum viderit. Cumque tubarum & tympanorum ſtrepitu omnia videretur reſonare, ac ne tota Bononia confluerat extimuiſſem, ne timeas, inquit, extra plateam hanc, quam cernis, nihil ſentitur. Sylueſt. Prieras. ordin. præd. in lib. de mirand. ſtrigimaga. Dæmonoq. lib. 2. c. 5.

Sanctulus prouinciæ Nurſiæ venerabilis presbyter, Diaconum Longobardorum captiuum aufugere faciens, pœna capitis damnatur, ſed militis brachium volentis ei abſcindere caput, Sanctulo Ioannem Baptiſtam inuocante, obriguit mirabiliter; Sanctulus autem cum honore liberatus eſt. Cap. 132.

DIe etenim quadam à Longobardis captus quidam Diaconus tenebatur ligatus, eumq; ipſi, qui tenuerant, interficere cogitabant. Adueſperaſcente autem die vir dei Sanctulus ab eiſdem Longobardis petijt, vt relaxari, eiq; vita concedi debuiſſet: quod poſſe ſe facere omnino negauerunt. D. Greg. in lib. 3. Dial. c. 37.

Cumque mortem illius deliberaſſe eos cerneret, petijt, vt ſibi ad cuſtodiam tradi debuiſſet. Cui protinus reſponderunt: Tibi quidem ad cuſtodiendum eum damus, ſed ea conditione interpoſita, vt ſi iſte fugerit, pro eo tu moriaris. Quod vir Domini libenter accipiens, prædictum Diaconum in ſuam ſuſcepit fidem, quem nocte media, cum Longobardos omnes ſomno graui depreſſos aſpiceret, excitauit, & ait: Surge, & concitus fuge, liberet te omnipotens Deus. Sed idem Diaconus promiſſionis eius non immemor, reſpondit dicens: fugere non poſſum pater, quia ſi ego fugero, pro me ſine dubio ipſe morieris. Quem vir Domini Sanctulus ad fugiendum compulit, dicens: Surge, & vade, te omnipotens Deus eripiat. Nam ego in manu eius ſum, tantum in me poſſunt facere, quantum ipſe permiſerit. Fugit itaque Diaconus, & quaſi deceptus in medio fideiuſſor remanſit. Facto igitur mane, Longobardi, qui Diaconum ad cuſtodiendum dederant, venerunt, quem dederant, petierunt, ſed hunc venerandus presbyter fugiſſe reſpondit. Tunc illi inquiunt: Scis ipſe melius, quid conuenit. Seruus autem Domini conſtanter ait: Scio. Cui dixerunt: Bonus homo es, nolumus te per varios cruciatus mori, elige tibi mortem quamuis. Quibus vir Domini reſpondit dicens: In manu Dei ſum, ea morte me occidite, qua me occidi permiſerit. Tunc omnibus, qui illic aderant, Longobardis placuit, vt eum capite truncare debuiſſent, quatenus ſine graui cruciatu vitam eius compendioſa morte terminarent. Cognito itaque, quod Sanctulus, qui inter eos pro ſanctitatis reuerentia magni honoris habebatur, occidendus eſſet, omnes qui in eodem loco inuenti ſunt, Longobardi conuenerunt, ſicut ſunt nimiæ crudelitatis, læti ad ſpectaculum mortis. Circumſteterunt itaq. acies. Vir autem Domini deductus in medium eſt, atque ex omnibus viris fortibus electus eſt vnus, de quo dubium non eſſet, quin vno ictu caput eius abſcinderet. Venerandus igitur vir inter armatos deductus ad ſua arma ſtatim cucurrit: nam petijt, vt paululum orandi licentia daretur. Cui dum conceſſum fuiſſet, in terram ſe ſtrauit, & orauit. Qui dum paulo diutius oraret, hunc electus interfector calce pulſauit, vt ſurgeret dicens: Surge, & flexo genu, tende ceruicem. Surrexit autem vir Domini, genuflexit, ceruicem tetendit, ſed tenſo collo eductam contra ſe ſpatam intuens, hoc vnum publice fertur dixiſſe: Sancte Ioannes, ſuſcipe illam. Tunc electus carnifex, euaginatum gladium tenens, niſu forti in altum brachium percuſſurus leuauit, ſed deponere nullo modo potuit: nam repente obriguit, & erecto in cælum gladio brachium inflexibile remanſit. Tunc omnis Longobardorum turba, quæ ad illud mortis ſpectaculum aderat, in laudis fauorem conuerſa, mirari cæpit, virumq. Dei cum timore venerari, quia profecto claruerat, cuius ſanctitatis eſſet, qui carnificis ſui brachium in aere ligaſſet. Itaque poſtulatus, vt brachium ſui carnificis ſanaret, negauit dicens: Ego pro eo nullo modo orabo, niſi mihi ante iuramentum dederit, quia cum iſta manu Chriſtianum hominem non occidat. Sed Longobardus idem, qui (vt dicam) brachium contra Deum tendendo perdiderat, pœna ſua exigente, compulſus eſt iurare, ſe Chriſtianum hominem nunquam occidere. Tunc vir Domini præcepit dicens: Depone manum deorſum. Qui ſtatim depoſuit, atque illico adiunxit: Remitte gladium in vaginam. Et ſtatim remiſit. Omnes ergo tantæ virtutis hominem cognoſcentes, boues, & iumenta,

quæ

quæ deprædati fuerant, certatim ei offerre in munere volebant. Sed vir Domini tale munus ſuſcipere renuit, munus autem bonæ mercedis quæſiuit, dicens: Si mihi aliquid vultis concedere, omnes captiuos, quos habetis, mihi tribuite, vt habeam vnde pro vobis debeam orare. Factumq. eſt, vt omnes captiui cum eo dimiſſi ſint, atque ſuperna gratia diſponente, cum ſe vnus pro vno morti obtulit, multos à morte liberauit.

Reliquiæ corporis S. Io. Baptiſtæ honoratæ, & apparitio eius, & oratio ad Deum pro aliorum ſalute. Cap. 133.

QVoniam autem (inquit Theodoretus) diuinarum reuelationum narrationem ingreſſa eſt oratio: age narrabo, quæ audiui ab lingua Iacobi viri ſancti heremitæ Syri ab omni mendacio aliena. Narrabat non vlla gloriæ inductus cupiditate (fuit enim diuina anima illa ab eo vitio remotiſſima) ſed cum illum quidam vſus cogebat dicere, quæ volebat celare. Supplex ab eo contendebam, vt oraret Deum vniuerſorum, vt redderet mihi ſegetem mundam à zizanijs, & à ſeminibus hæreticis eam omnino liberaret: me enim valde angebat abominandi Marcionis error, qui plurimum inualuerat. Dixit itaq. ad me oratus: Nec me, nec vllo alio tibi opus eſt ad Deũ interceſſore. Habes enim Ioannem illum inſignem, Verbi vocem, Domini præcurſorem, has pro te preces aſſiduò offerentem. Cum autem ego dicerem, me, & eius credere orationibus, & aliorum ſanctorum Apoſtolorum, & Prophetarum, quorum ad nos nuper delatæ ſunt reliquiæ. Eſto, inquit, bono animo. Habes Ioannem Baptiſtam. Sed nec e um ſic paſſus ſum ſilere: ſed multo magis vrgebam, interrogans, & ſcire deſiderans, cur eius potius meminiſſet? Ille autem: Vellem (inquit) amplecti, & deoſculari eius amabiles reliquias. Cum autem dixiſſem: Non afferam eas, niſi pollicitus fueris te ea dicturum, quæ videris: atque ipſe quidem eſt pollicitus. Ego vero poſtridie attuli ea, quæ deſiderabat: & cum omnes iuſſiſſet abſcedere, hæc mihi ſoli narrauit. *Theod. hiſt. ſanct. pat. c. 21.*

Quando hos (inquit) Ciuitatis patronos, qui à Phœnicia venerant, & à Palæſtina cum Dauidica excepiſti chorea: venit mihi in mentem cogitare, num hæ eſſent illius inſignis Ioannis reliquiæ, & non alterius Martyris, qui eius eſſet nominis. Poſt vnum ergo diem, ego quidem ſtabam ad hymnos decantandos, video autem quemdam candida veſte indutum, atque dicentem: Frater Iacobe, cur nobis aduenientibus non veniſti obuiam? Cum autem ego rogarem, quiſnam eſſet, reſpondit dicens: Qui à Phœnicia, & Palæſtina nuper venimus, & cum prompto, & alacri animo nos omnes excepiſſent, & Paſtor, & Populus, & Ciues, & Ruſtici, tu ſolus eorum honoris non fuiſti particeps. Innuebat autem eam, quæ fuerat dubitationem. Ad hæc ergo dicit ſe dixiſſe: Abſentibus & vobis, & alijs, & vos honoro, & adoro Deum vniuerſorum. Rurſus autem die ſequenti, eodem tempore, cùm ille ipſe apparuiſſet. Vides (inquit) frater Iacobe eum illic ſtantem, cuius quidem veſtis, eſt colore niui ſimilis: eſt autem prope illum poſitus ignis clibanus. Cum autem ego illuc oculos conuertiſſem, & illum eſſe Ioannem Baptiſtam conieciſſem; nam & veſtitu erat indutus, & manum habebat vt baptizans: Is eſt (inquit) quem tu conieciſti. Quinetiam (inquit Iacobus)

cum tu aliquando noctu ad primum vicum ad ſeditioſos, eos docturus abires, & vt ego maiori, & vehementiori ſtudio Deo offerrem orationem mandaſſes, tota nocte vigilaui, rogans Dominum. Deinde audiui vocem dicentem: Ne timeas ô Iacobe, Magnus enim Ioannes Baptiſta tota nocte orat Deum vniuerſorum. Facta enim fuiſſet magna cædes, niſi illius interceſſione extincta fuiſſet diaboli audacia. Hæc cum mihi narraſſet, præcepit, vt ego ſolus ſcirem, & ne alios aſſumerem conſcios. Ego autem vtilitatis gratia, non ſolum multis narraui, ſed etiam mando ſcriptis. hactenus de his Theodoretus acceptam ferens conuerſionem Marcionitarum S. Ioannis Baptiſtæ precibus, & Iacobi anachoretæ apud Deum pro ea cauſa legatione fungẽtis.

Magni Ioannis Baptiſtæ oſſibus ſub cauato ſacrarij pariete conſeruatis, omnes Dæmonum ædiculæ ſuper columnas poſitæ per totum Aegyptum corruerunt. Cap. 134.

Ruff. Eccl. hiſt. lib. 2. c. 28.

IVliani temporibus, velut relaxatis frænis, efferbuit in omnem ſæuitiam feritas Paganorum. Ex quo accidit, vt apud Sebaſten Palæſtinæ vrbem ſepulchrum Ioannis Baptiſtæ mente rapida, & funeſtis manibus inuaderent, oſſa diſpergerent, atque ea rurſum collecta, igni cremarent, & ſanctos cineres pulueri immixtos, per agros, & rura diſpergerent. Sed Dei prouidentia factum eſt, quoſdam de Hieroſolymis ex monaſterio Philippi hominis dei orationis illuc cauſa per idem tempus veniſſe. Qui cum tantum nefas humanis quidem manibus, ſed ferina mente fieri viderent, mori gratius habẽtes, quam huiuſcemodi piaculo funeſtari, inter eos, qui oſſa ad exurendum legebant mixti, diligentius in quantum res patiebatur, ac religioſius congregantes, furtim ſe, vel ſtupentibus, vel inſanientibus ſubtraxere, & ad religioſum patrem Philippum venerandas reliquias pertulere. Ille ſupra ſe ducens tantum theſaurum proprijs ſeruaſſe vigilijs, ad Pontificem maximum tunc Athanaſium, hoſtiæ immaculatæ reliquias per Iulianum Diaconũ ſuum, poſt etiam Palæſtinæ vrbis Epiſcopum, mittit. Quas ille ſuſceptas, paucis arbitris ſub cauato ſacrarij pariete incluſas, prophetico ſpiritu profuturas generationi poſteræ conſeruauit: quibus nunc deiectis, & proſtratis idolatriæ veſtigijs, in ædibus quondam profanis aurea tecta conſurgerent. Sed poſt occaſum Serapis, qui nunquam vixerat, quæ iam alterius dæmonis ſtare delubra potuerunt? Parum dixerim, ſi omnes, quæ erant Alexandriæ per ſingulas penè columnas cuiuſcumque Dæmonis ædiculæ inſultæ ceciderunt. Sed per cunctas Aegypti vrbes, per caſtella, per vicos, per omne rus, per ripas fluminis, per heremum quoque, ſi qua phana, vel potius buſta reperiri potuerunt, inſtantia vniuſcuiuſque Epiſcopi ſubruta, & ad ſolum deducta ſunt, ita vt denuo rus culturæ redderetur, quod iniuſte fuerat dæmonibus deputatum.

Theo-

Theodoſius Imperator in periculoſo bello, vbi de ſumma Imperij & Religionis agebatur, Ioannem Baptiſtam ſibi adiutorem inuocat, & vincit, & Dæmones ab Ioanne ſe in eo prælio victos conqueruntur. Cap. 135.

POſtquam igitur omnia Theodoſio inſtructa eſſent, quæ ad bellum neceſſaria erant, contra Eugenium, Honorium iuniorem filium ſuum Cæſarem declarat: Arcadiũ enim iam antea inaugurauerat: vtroque autem filio Conſtantinopoli relicto, propere cum exercitibus ex Oriente ad Occidentales imperij regiones feſtinabat, ſequebaturq. ipſum ingens auxiliarium manus ex barbaris, Iſtri accolis. Fertur autem, quod cum egreſſus Conſtantinopoli ad ſeptimum milliare perueniſſet, Deo preces nuncupauit in Eccleſia illa, quam in honorem Ioannis Baptiſtæ conſtruxerat, ac petierit, vt expeditionis iſtius alea tum ſibi, tum exercitui ſuo, tum Romanis omnibus feliciter caderet, & auxiliarem ſibi inuocauerit ipſum Baptiſtam. Hæc igitur precatus, in Italiã contendit, & irruptione in Alpes facta primas cuſtodias occupat. Superato autẽ tranſitus cacumine, vbi ad deſcenſum perueniſſet, vidit planiciem equitibus, ac peditibus refertam, & non procul iſtinc à tergo multos ex hoſtibus in vertice montis tum quieſcentes. Cum igitur primi tranſgreſſi cum hoſtibus in campo iam pedem contuliſſent, ac pugna acris, & anceps mota eſſet, adhuc autem ſupereſſet exercitus, conſiderans (quantum quidem ad humanas vires attineret) ſuos, quantumuis cupiant, ſaluari non poſſe, ſiquidem & illi irruerent, qui montis cacumen à tergo occuparent, pronus in terram prolapſus orabat, ac Deus eum confeſtim exaudiuit, ſicut comprobauit euentus. Cum igitur nec chartam, nec atramentum petitum reperiret, accepta tabula, quam ex aſtantibus quidam forte habebat, adſignauit illis præclari, ac digni exercitus præfecturam, quam apud ipſum ſint conſecuturi, ſiquidem promiſſa adimpleuerint. Quo circa & illi accepta hac conditione, Imperatori iunguntur. Adhuc autem neutra parte cedẽte, ſed pugna in campo etiamnum vtrinque æqualiter feruente, ex aduerſo in hoſtes illapſus ventus inuſitatus, & qualem antea nunquam cognouimus, aciem eorum diſrupit: tela verò, & ſpicula in Romanos eiaculata, velut ex ſolido repercuſſa, in eorum corpora conuertit, qui emiſerant, & ſcuta eorum de manibus excuſſa, cum puluere, & illuuie aduerſus ipſos volutauit. Nudati itaq. armis, plerique eorũ è veſtigio trucidati ſunt, plerique ad exiguum tempus fuga ſaluati, non multo poſt capti ſunt. Eugenius ad pedem Imperatoris accurrens, vt ſeruaretur ſupplicabat, ſed interim dum ſupplicaret, à milite quopiam capite truncatus eſt. Arbogaſtes vero fugiens, poſt pugnam ſibi ipſe manus intulit. Fertur autem, quod eo tempore, quo pugna hæc committeretur, ex eo templo Dei, quod erat in Hebdomo, in quo preces fuderat Imperator, egreſſus Dæmon quidam, ſubreptus in ſublime, Ioanni Baptiſtæ ſit conuiciatus, & capitis obtruncationem exprobrarit, magnaq. voce clamarit: Tu ne me vincis, & exercitui meo inſidiaris? Huic rei, qui forte præſentes aderant, cum magnum eſſet apud omnes ſtudium de bello vel audire aliquid, vel dicere noui, obſtupefacti adnotarunt, eumdem hunc fuiſſe diem,

Sozom. Eccleſ. hiſt. li. 7. c. 24.

diem, quo hunc euentum belli extitiſſe, non multo poſt ab ijs cognouerunt, qui pugnæ interfuerant. Atque hæc quidem ſic eſſe acta dicuntur.

Sancti Ioannis Baptiſtæ inuocato auxilio, ab irruentibus hoſtibus Rex Garſias liberatur obtenta victoria. *Cap.* 136.

Hieronym. Blãca Aragonẽn. rerũ an. Chriſti 719.

EVenerat autem, vt quidam integerrimus victoria, ac ſanctiſſimus vir, nomine Ioannes, iam ante incolere cæpiſſet ſpeluncam illam, in ipſo Vruelis monte, vt diximus, conſtitutam. In qua ſacellum Diuo Ioanni Baptiſtæ dicatum, tenue, & exile, quæ eius facultas fuerat, conſtruens, omne ætatis ſuæ tempus, Anachoretarum inſtituto deditus, pie, ac religioſe traduxerat: melius ſibi ſtatuens in ſumma egeſtate degere vitam inter feras, quam cum hominibus in eo motu temporum, tantaq. rerum conuerſione, ac perturbatione verſari. Is ab Atares nomen ſuum traxerat, Ioanneſq. Atareſius dictus fuerat, quod Oppidulo ita appellato natus fuiſſet. At dum mortuus fuit, magna à noſtris coli religione cæpit, iam vt ſine vlla dubitatione crederetur in concilio cæleſtium collocatus. Iſtius ergo tanti viri Cæſarauguſtanenſes fratres, Otho, ſeu Voto, ac Fælix nominati, & veſtigia perſequi, & eadẽ ipſa inire vitæ, ac virtutum cubicula decreuerunt. Cumq. aliquantulum progreſſi fuiſſent, in eo genere, curſuq. viuendi, mox eoſdem alij duo conſequuti ſunt, Benedictus ſiquidem, & Marcellus. Hi mira religionis ſocietate coniuncti, orationibus, ieiunijs, alijſq. virtutum operibus Omnipotenti Deo aſſidue vacabant. Tot itaque claris ſanctitatis teſtimonijs clarior ille locus effectus, à noſtris cæpit frequenter viſitari. Eo namque conuenientes, in tuenda fide Catholica, ac ferendis patienter aduerſitatibus non mediocriter confirmabantur. Dei tandem nutu, cum aliquando illuc plurimi Chriſtiani vndique collecti conueniſſent, ſeq. patria pulſos, vaſtas montium ſolitudines, quæ alioquin feris à natura datæ fuerant, nec dum tamquam aduenas, aut hoſpites, ſed tamquam prædones potius incolentes viderent, ac pia, & ſacra loca ab ipſis Mauris, tot victorijs graſſantibus, profana haberi: quæ ſumma Dei bonitas eſt, effecit, vt in hac maiori noſtrorum mœſtitia, & languore inſperatæ ſibi ſalutis adſciſcendæ ampliſſimus aditus patefieret. Quippe cum infantis Pelagij, ac ſuorum in Aſturia ſplendor, & virtus aduerſus fidei hoſtes, in dies crebrius perueheretur, & quæ, ac quanta mirabilia illis decertantibus contigiſſent: noſtri, vt credere licet, diuina quadam vi ad paria aggrediendum excitati: vnicum ſibi refugium, ac tot malorum remedium ſtatuerunt, videlicet: vt legibus militaribus aſtricti in Maurorum ruinam ſub vnius tandem Imperio conuenirent, vnde Suprarbienſis Regni initium ductum fuit.

Garſias Eximini, Suprarbienſis Rex I.

Magnis namq. prius ad Aediculam illam ſacram ab omnibus actis vigilijs, ieiunijſq. necnon & orationibus, ac precibus multis, vt Omnipotens Deus placaretur, effuſis, demum, quadam die, ſacrificio Miſſæ ſanctiſſimæ celebrato, vna voce, ſuffragijſq. cunctis, Garſias, Eximini, fortis, & ſtrenuus vir, qui, & ipſe Regio Gothorum ſanguine, vel, vt alijs placet, Hiſpano genere antiquo ortus erat, tamquam præcipuus militarium copiarum ductor, atque Imperator electus fuit, & conſtitutus Rex. Is ante Hiſpaniæ excidium, locorum Ameſcuæ, & Abarcucæ in Cantabrorum regione fuerat potitus.

potitus. Quibus poſtea à Mauris occupatis, ſe in eam altitudinem montiſi contulerat. Cumq. in ipſo congreſſu adeſſet, Regali titulo ſalutatus fuit. De Anno, quo hæc geſta fuere, inter ſcriptores non conuenit. Multi enim multa dicunt. Nos potiſſimum hac in re antiquam Pinnatenſem hiſtoriam ſequemur, quod nulla ea certiora, magiſve illuſtria noſtrarum rerum monumenta ſtatuamus, à quibus videtur non multum differre Beutherius Valentinus. Itaq. vt ex his percipi poteſt, citciter Ann. Chr. 724. hæc facta conijcimus. Garſiam autem hunc non Ducis, ſed Regis nomine inſignitum fuiſſe, vetus, ac conſtans opinio eſt, à noſtriſq. propterea id conſulto factum, vt & ſibi ipſi nouæ dignitatis tuendæ nouus ſtimulus adderetur, Mauroſq. Regalis nominis maieſtate maior timor inuaderet: iam vt fere Regni noſtri initia iure poſſint Pelagij Regni initijs adæquari. Nouus igitur Rex noui Regni obeundi ſibi traditam molem ſuſcipiens, iuriſiurandi religione omnes noſtros aſtringi voluit, quæ ſibi placerent, ſequuturos. Ea autem cũ præſtaretur; noſtri plures animi magnitudine, quam numero, quaſi futuri boni euentus præſagij inſultantes, nouo quodam bellico furore perciti ſunt. Aderant autem non longe à Iaccetana Vrbe. Ad illius tamen expugnationẽ adeundam minime ſe fore ſtatuerunt viribus, aut potentia æquales, eo quòd eſſet Maurorum firmiſſimo præſidio communita. Vt autem eis nuntiatum fuit ab Aynſæ Oppidi irruptione, quod Ripacurtienſi ditioni eſt finitimum, non tam difficili aditu prohiberi, noctis ſilentio, Iaccam prætereuntes, ne à Mauris deprehenſi impedirentur, per deuios ſaltus iter facientes, improuiſo in ipſum Aynſæ oppidum irruperunt. Atque vt ſperabant, euenit. Noſtri enim Aynſam occuparunt: breuiq. Chriſtianorum vndique omnes ſuas copias eo contrahentium collecta multitudine, caſtellis, atque arcibus eam communire cœperunt, vt quos timebant hoſtium impetus, ſuſtinere poſſent. Mauri illico, permagna ſuorum armatorum manu comparata, noſtris immane excidium laturi conuenerunt. Maximam enim victoriæ ſpem in ingenti eorum numero repoſuerant. At Garſias Rex non intra mœnia continere ſolum, ſed Mauris obuiam ire poſſe ratus, acie cum illis dimicaturus contendit; Innumerabilem autem eorum multitudinem vt inſpexit, ad extrema ventum arbitratus eſt, neque aliunde petendum eſſe, quàm à diuino numine præſidium. Cumq. ſibi, & ſuis neceſſario confligendum videret, in diuinæq. virtutis auxilio, potius quàm in humana vlla potentia relictam ſpem, noſtris animos addere, & ad glorioſam mortem obeundam excitare cæpit. Ipſis tunc, omni ſpe dempta, ad necem, vt credebant, properantibus, memoriæ proditur, cæleſte ſignum in aëre apparuiſſe, Crucem ſcilicet rubeam, ſupra viridem arborem, Quercum nomine, aureo veluti in clypeo poſitam. Qua inſpecta, certiſſimum ſibi futuræ victoriæ præſagium ſtatuẽtes, ad acrius pugnandum commoti ſunt. Itaq. Diuinam opem, ac beati Ioannis Baptiſtæ implorantes auxilium, quod pro fidei veritate certarent, libero curſu in Mauros irruerunt; ſummaq. dimicantes contentione, tandem omnes eorum copias profligarunt. Garſiam ipſum denuo, quòd tam glorioſe de Mauris triumphaſſet, Regem glorioſiſſimum, & inuictiſſimum, maximo applauſu, & perhonorifica militari congratulatione, acclamantes. Inde ea Regio Suprarbienſis Regni nomen ſortita eſt: Suprarbienſiq. Regno, Regi & poſteris; cæleſtis ſupra arborem Crucis ſignum, Regiæ dignitatis

ſtemma

ſtemma clarum enituit. Neque aliunde fluxiſſe, conſtanti, veteri, & illuſtri fama, litteriſq. & memoria celebratur. Aynſæ autem oppidum, arx primaria noſtris conſtituta, propterea caput fuit antiqui Suprarbienſis Regni: in cuius nomen paulatim, quæ acquirebãtur, oppida ceſſere. Garſias vero Rex tanti diuinitus in ſe collati beneficij non immemor, Sacellum S. Ioannis Baptiſtæ in Vruelis monte, vt diximus, ſitum, plurimis donis ornandum, & locupletandum curauit, quod poſtea celebre fuit ſibi, & poſteris Regibus monumentum. Ab ipſa autem rupe vaſta, in qua erat exciſum, S. Ioannis de Pinna dictum eſt. Multæ poſtea res à noſtris contra Mauros feliciter geſtæ ſunt, nonnullaq. oppida in Cantabria ab eorum manibus erepta, & ſeruata; quibus Garſias Rex Suprarbienſe Regnum, ſuamq. ditionem ampliauit, & auxit.

Cæleſtis, & horribilis vindicta in ſaltatricem Puellam. Cap. 137.

Niceph. hiſ. lib. 1. c. 20. INfeliciſſimus exitus Saltatricis feminæ ſceleſtiſſimæ extitit, & inauditum ſupplicium accepit feralis impietas. Nicephorus rem geſtam his verbis conſcribit. Furibunda ſedenim, & adultera inceſtaq. adeo illa, quæ quidem Herodis habebatur, reuera autem Philippi erat coniux, vita longius acta, cũ prius filiam, & ſaltatricem acerbo fato ſublatam vidiſſet, deinde ipſa quoque deceſſit, futuri ſeculi iudicio & ſupplicio reſeruata, meras ibi quam citiſſime diuinæ iræ fæces, intolerabiliſq indignationis Domini calicem hauſtura. Filiæ autem eius, dignus eſt enim qui memoriæ commendetur, talis fuit obitus: non enim ſemper lætantur, qui mala faciunt.

Eundum ei quodam brumali tempore erat, & fluuius traijciendus, qui cum glacie conſtrictus, coagmentatusq. eſſet, pedes eum tranſibat: glacie autem rupta, idq. non ſine Dei numine, demergitur illa ſtatim, capite tenus, & inferioribus corporis partibus laſciuiens, molliuſq. ſe mouens ſaltat, non in terra, ſed in vndis: caput vero ſceleſtum, frigore & glacie concretum, deinde etiam conuulneratum, & à reliquo corpore non ferro, ſed glaciei cruſtis reſectum in glacie ipſa ſaltationem lethalem exhibet, ſpectaculoq. eius omnibus præbito, in memoriam ea, quæ fecerat, ſpectantibus reuocat. Hæc Nicephorus.

Pœna ſimiliter auulſi a tergore capitis punitus eſt propter inſignem eius luxuriam Iuuenis quidam in tempore hoc noſtro, cuius funeſtam hiſtoriam memorabo.

Iuuenis luxuriæ deditus, dum mulieri cuidam inſidias parat, à ferociſſimo cane trucidatur. Cap. 138.

QVidam iuuenis libidinis flamma accenſus, mulierem formoſam deperibat. Hic nullum ſtudij genus prætermittebat, vt pollicitationibus, precibus, lenocinijs, caſtum mulieris animum flecteret ad concupiſcentias ſuas. Tantum autem profecit, vt mollis femina eius importunitate victa, cupitam ei præſtaret voluptatem. Mulier autem poſtea grauiſſimam commiſſi criminis culpam agnoſcens, & quanto ſe flagitio commaculaſſet, & in quale

æternum eſſet prolapſa conſiderans, diſcruciabatur vehementius, & doloris acerbitatem lachrymis teſtabatur. Quamobrem commiſſi delicti pœnitens, illud ſolum curabat, vt in poſterum ad vetitam voluptatem non reuerteretur: tantum autem libidinoſi iuuenis horrebat aſpectum, vt crebris repulſis eum repellens, etiam ianuæ valuas occluſas teneret, ne ad ipſam aliqua ratione pertingere poſſet. Quod ille animaduertens, & libidinis impatiens, (artem docente Diabolo) famulam mulieris inuenit, numeroſamq. ei pecuniam pollicitus eſt, ſi operam daret, vt domum Dominæ clanculum ingredi poſſet: illa autem propter promiſſam pecuniam iuueni obſequi volens, docuit eum, vt obſeruaret in die feſto, quando domina ſua ad ſacrum audiendum in templum pergeret, tunc enim opportune licuiſſet ſibi ingredi in domum eius & latitare. Venit dies feſtus, feſtinat illa in templum, iuuenis clam ſuccedit in domum & abſcondit ſe, donec rediret. Cum autem reuerſa eſſet verbo Dei, ſacrificijs, & orationibus munita, ille ex improuiſo obijcit ſe conſpectui mulieris œſtro libidinis, & ſpiritu nequiſſimo comitatus inſurgit rogans & ne diutius deneget ei, quod tam vehementer cõcupiſcebat, varijsq. blanditijs animum mulieris primum ſollicitabat. Turbata eſt illa in conſpectu eius, & expauit, & cælum ſuſpiciens, quanta potuit vi, viri reiecit petulantiam. Deinde cum pararet violentas ei inferre manus, aſtitit illico canis ferociſſimus, qui feminæ patrocinium ſuſcipiens contra virum dente iracundo proſiliuit, & apprehenſo collo eius tam ferociter, tam immaniter huc, & illuc diſcerpſit, donec amputatũ à corpore ſepararet. Canis cruentũ caput ſecum tulit & diſparuit. Ecce in qualem calamitatem incidit miſerabilis iuuenis. Certe magis expediens illi fuiſſet, ſi ingens ſaxum appenſum fuiſſet collo eius, & demerſus eſſet in profundum, quàm ſcandalum poſuiſſe paruulæ & pœnitenti mulieri. Huiuſmodi enim inconceſſæ libidines Dei furorem accendunt, & quicunque ſunt, qui huiuſmodi voluptatibus coinquinantur, & nihil magis, dum viuunt, cogitant, quàm ſemper quærere, quod carnis ſenſum delectat, diuinam pietatem vehementer exaſperant, ita vt nonnunquam ad aliorum exemplum feminas vel viros in ijs obſcœnitatibus verſantes, formidabili morte mulctauerit, vt intelligant omnes, quicunque luxurioſam ſectantur vitam, & alienæ pudicitiæ inſidiantur, & per vicos, & per cõpita obambulant, & ceu venatores, incautis mulieribus non ſolum in priuatis domibus, ſed quod dictu nefandum eſt, etiam in Eccleſijs retia tendunt, vt inexplebiles libidines communicato crimine ſaturent, in quanto periculo verſentur, & quam pernicioſe decipiantur, quicunque in propinata voluptate venenum culpæ hauriunt, & pabulum mortis comedunt, mortem æternam illaturum.

Notum mihi fecit exemplum hoc Guido Florentinus, ex nobili Familia de Caualcantibus, amiciſſimus meus, qui hoc, vt dixi, contigiſſe bene nouerat.

Augu-

Auguſta impudica à caſto Comite repulſam paſſa, accuſat eum, in odium conuerſa, apud Imperatorem, & capitis ei obtruncationem procurat, ſed veritate magno miraculo inuenta, Auguſta flammis traditur. Cap. 139.

Crant. in tex.lib.4.c. 26. Gotef.chrō. p.17.in ott. 3. Ex Annal. Eccl.to.10.

OTto Imperator Romam cogitans, cum Mutinam perueniſſet, iuxta ipſam, in villa Amula dicta, hoſpitio ſuſceptus eſt. Accidiſſe autē tunc ipſi ea tradunt, quæ magna admiratione digna metro ſcripſit Gotefridus Viterbienſis, nempe coactum fuiſſe, id iuſtitia ab eo exigente, Auguſtam vxorem ſuam, Mariam nomine, filiam regis Aragonum, necis Comitis innocentiſſimi ream, publice cremandam iudicare. Coniecit enim femina procax oculos in dictum Comitem virum integerrimum, forma pulcherrimum: quæ à viro caſtiſſimo paſſa repulſam, illum de pertentata pudicitia calumnioſe accuſauit apud Imperatorem, qui facile nimis adhibens fidem ipſi, Comitem morte damnauit. Quem cum capite amputatum audiſſet eius vxor, magna audacia, quam pudoris neſcius dolor miniſtrauit abunde, Ottonem conuenit pro tribunali ſedentem, clamans de nece iuſtiſſimi viri vindictam, proiectoq. capite viri in medium, ipſum Imperatorem reum ſanguinis innocentiſſimi apud ipſum iura reddentem accuſat. Probationem per contrectationem ferri candentis, veritatis indicem offert: conſentit ille: paratur ignis, ferrum candens exhibetur, mulier conſcia innocentiæ viri ſui, arripit illud illæſa, contrectat inuſta, quia iuſta, ſtringit vt flores ignitum metallum, quo ſolum exuruntur præcordia ipſius Imperatoris. Cui tunc inſultans victrix femina, vindictam in Imperatorem à gladio exigit imperantis. Fatetur ille culpam, nec refugit pœnam, ſpondens iugulum, ſed poſcit inducias. Interim proceres accurrunt, pro vita feminam exorant Imperatoris, ſed fruſtra diu laboratum: at tandem ea eſt conditione tranſactum, vt auctrix ſceleris Auguſta, ex qua cauſa proceſſerat viri necis, flammis comburenda daretur. Quo facto, ſuam redemit vitam iuſtiſſimus Imperator, qui eamdem donatam tribus caſtris, ſolutus ipſe ac liber ſubeundi ſupplicij, eam abire rogauit. Hoc tantæ tragœdiæ eſt argumentum, quod vt dictū eſt, Viterbienſis Gotefridus carmine cecinit. Alij vero ſoluta oratione ſcripſere.

De vniuerſo Herodum genere. Cap. 140.

Ioſeph. antiq. iudaic. lib.18.c.11.

VOlo igitur (inquit Ioſeph) plenius explicare de vniuerſo Herodis genere, qualiter fuerit propagatum: ſimul enim & ſermo ad hanc hiſtoriam pertinens, amplius eniteſcet, & nihil prodeſſe, vel exercitus, aut vim corporis, vel alia, quæ videntur mortalibus appetenda, ſine pietate, qua colitur Deus. Siquidem intra centum annorum ſpatium, præter paucos (nam admodum plures erant) cuncta Herodis origo conſumpta eſt. Super hæc etiam ad humilitatem, & modeſtiam humanum genus adducitur, cum illius familiæ calamitates audierit. Poſtremo etiam omnis res Agrippæ declarabitur, digna maiore miraculo, qualiter ex priuato, & abiecto, ad tantam magnitudinem poteſtatis aſcenderit, quod nullus de illo homine, aut ſperare poſſet, aut credere. Dixi quidem, & antea de his, tamen nunc quoque diligen-

ligentius explanabo. Herodi maiori fuere ex Mariamme Hyrcani filiæ duæ: ex quibus vna, ideſt Salome, nupta fuerat Phaſelo nepoti ſuo, filio Phaſeli fratris Herodis (hanc enim pater ipſe tradiderat) altera vero ideſt, Cypris, Antipatro, & ipſa nepoti quidem Herodis, filio autem ſororis eius Salomes. Et Phaſelo quidem ex Salome procreantur liberi quinque Antipater, Herodes, & Alexander: filiæ autem Alexandra, & Cypris, quam in coniugium acceperat Agrippa filius Alexandri; Alexandram autem honorabilis vir Cyprianus ex nobilibus habebat vxorem, ſed nullos ſuſcipiens filios Cypris emoritur. Verum ex Agrippa quidem pueri procreantur duo, filiæ autem tres: Beronice, Mariamme, Druſilla: Agrippa autem, & Druſus pueri vocabantur: quorum Druſus, antequam ad adoleſcentiam veniret, emoritur: Agrippa autem à patre enutriebatur. Herodes autem, & Ariſtobulus, & Beronice, etiam hi quoque filij fuerunt filij Herodis maioris: Beronice autem Cuſtobari, fuit Salomes filia, ſororis Herodis. Hos Ariſtobulus infantulos dereliquerat, occiſus à Patre cum Alexandro fratre, ſicut ante iam diximus. Sed hi poſtquam adoleuerunt, ducunt, Herodes quidem iſte Agrippæ frater, Mariam filiam Olympiadis, regis Herodis filiæ, & Ioſippi, qui erat Herodis regis frater. Habuit autem ex hac filium Ariſtobulum; tertius autem Agrippæ frater Ariſtobulus ducit Iotopalam, Sigerammi filiam, Emeſorum regis: ex quibus naſcitur puella, cuius audiendi ſenſus fuerat obturatus, nomine Iotapa. Et iſti quidem maſculorum filij fuere. Herodias quoque erat his ſoror progenita, quæ Herodi, Herodis maioris filio fuerat iuncta, quem ex Mariamme ſuſceperat, Simonis Pontificis filia. Ex iſtis etiam Salome filia procreatur: quæ procreata, Herodias legem paternam tranſgrediens, Herodi coniungitur fratri viri ſui, ex vno patre progeniti, viuum deſerens virum. Hic autem cui coniuncta eſt, tetrarchiam habebat Galilææ. Filia vero eius Salome, Philippo filio Herodis nupta eſt, tetrarchæ Trachonitidis regionis. Sed iſto ſine filijs moriente, Ariſtobulus eam in coniugem ſuſcepit, filius Herodis, fratris Agrippæ. Ex quibus filij quoque naſcuntur tres: Herodes, Agrippa, Ariſtobulus. Et Salomes quidem tali modo proſapia propagatur. Ei autem ex Antipatro filia procreatur Cypris, quam Alexas Selcias ſumit vxorem. Alexæ viro, huiusq. mulieris filia, fuit itèm Cypris. Herodes autem, & Alexander, quos fratres diximus Antipatri, ſine filijs moriuntur. Alexandro autem Herodis regis filio, qui à patre fuerat interemptus, Alexander, & Tigranes filij generantur, ex Archelai Cappadocum regis filia: & Tigranes quidem cum regnaret in Armenia, accuſatus Romæ, ſine prole defungitur. Alexandro autem, Tigranis cognominis fratris eius gignitur filius: Et iſte Alexander, qui duxit Antiochi Comagenorum regis filiam, Iotapam nomine, Leſidi Ciliciæ ciuitatis à Veſpaſiano rex efficitur. Et Alexandri quidem origo confeſtim, vt pullulauit, culturam gentis ſuæ dereliquit, ad ritus tranſiens, moresq. gentilium: ceteræ vero filiæ Herodis, nullam prolem penitus habuere. Herodis autem, quam memoraui, proſapia, permanſit vſque ad tempus, quo Agrippa maior regnum accepit.

De

De Iuuene, qui ſe Herodis filium eſſe ſimulauit, vt in Regnum ſuccederet, & à Cæſare detectus eſt. Cap. 141.

IVuenis quidam, Iudæus quidem genere, ſed apud Sidonios nutritus à quodam Romanorum libertino, qui eum in cognitionem Herodis induxerat, ſimilitudine formæ prouocatus, qua videbatur Alexandro conſimilis, filio Herodis, qui fuerat interemptus (teſtificabantur quoque illi cuncti, quorum aſpectibus occurrebat) ex hoc occaſionem ſibimet oblatam reputauit, quo regnum poſſet excipere, aſſumens ſecum adiutorem ſuæ gentis, hominem ſcientem cuncta, quæ in palatio gerebantur, & ingenio callidum ad magna negotia perturbanda, eo ſibi huius fictionis magiſterium præbente. Dicebat ergo Alexandrum ſe eſſe Herodis filium, & morte ſeruatum ab his quibus eum, vt perimerent, fuerat delegatus: occidens quippe alios, per quos imaginem completæ iuſſionis oſtenderent, & expectatores fallerent, illum eiuſq. fratrem Ariſtobulum ſaluauiſſe. His igitur figmentis, & ipſe in ſuperbiam extollitur, & alios quotquot occurrerent, erudiebat. Interea Cretam appulſus, Iudæorum omnibus, qui cum illo colloquia miſcuere, perſuaſit. Vnde ille quoque pecuniarum abundantia cæpit affluere, plurimis hinc inde donantibus. Præter hæc venit ad Melum, ibiquè congregat meliora. Nam ei plures offerebantur pecuniæ, fide, qua ex regio ſanguine illum deſcendere iudicabant, & ſpe, quod poſſet paterni regni iura ſuſcipere, vicem præſtantibus rependere. Ibat igitur Romam, plurimis in eius obſequium venientibus, & Dicæarchum appulſus, ibidem quoque, qui habitant Iudæos, ſimilibus fallacijs illudere, decipereq. non deſtitit. Occurrebant namq. illi, veluti regi, & alij quidem plurimi, maxime tamen illi, qui familiaritatem, & amicitiam cum Herode poſſederant. Cauſa vero maxima deceptionis erat hominibus, quod illum caſum cum voluptate à referentibus aduertebant. Ad hæc etiam accedebat fides ex formæ, vultuſq. ſimilitudine; etenim etiam qui plurimum fuerant cum Alexandro conuerſati, nihilominus inducti fuerant ad credendum, illum non fuiſſe alterum, ſed Alexandrum Herodis filium, ita vt etiam alijs neſcientibus iurare præſumerent. Proinde ingredienti Romam, & fama ſui cuncta replenti, in occurſum egreditur Iudæorum plurima multitudo, inſtar miraculi, ſalutem eius factam diuinitus admirantes, & cum gaudio illum maiore ſuſcipiunt, maxime propter maternum genus, quod erat valde clariſſimum. Proinde cum Ciuitatem intraret, per plateas, & vicos in ſella portabatur, cuncto regali cultu compoſitus ex opibus, & quæſtibus, quos per diuerſa loca perceperat. Congregatur itaque ad eum maxima multitudo, voces plurimæ, clamoreſq. cum fauore reddebantur, & omnia fiebant, quæ ſolent ad gaudia mentes hominum concitare, præſertim in tali euentu, vbi præter ſpem ſalutem illius factam eſſe mirabatur. Sed vbi Cæſari nuntium illud allatum eſt, non quidem credebat, cò quod ſciret Herodem non facile poſſe quibuslibet negotijs decipi, præſertim in illis, in quibus animum intenderet: tamen ſperans potuiſſe contingere, Celadum quendam ſuum libertum, qui ſæpius fuerat cum illis infantulis collocutus, mittit vt videret Alexandrum. Ille autem cum vidiſſet, nulla meliori diſcretione

vſus

vſus eſt; quam vſa fuerit multitudo. Verum Cæſar decipi omhino non potuit, quoniam erat quidem ille ſimilis, ſed non ita, vt eos poſſet inducere, qui prudenter inſpicere, diſcernereq. valerent. Siquidem iſte falſus Alexander, ex labore, & opere valde conſtabat attritus: in illum autem delicatudo ex delicijs, & fortitudo de frequenti exercitatione concurrerant, huic autem durius, & craſſius erat corpus. Intuens igitur mendacia, conſpirantes iuxta diſcipulum, atque Doctorem, & cum fiducia verba proferentes examinabat: rem etiam de Ariſtobulo cunctam perquirens, quid de illo quoque fuerit factum, & ſemetipſum obſtupeſcere ſimulans, rogabat ob quam cauſam Ariſtobulus quoque non veniſſet, quo regnum etiã ipſe, dignitatemq. ſibi depoſceret. Cumq. ille reſpondiſſet, in Cypro illum inſula remanſiſſe, marinis periculis ſimul fatigatum, & territum, vt ſi forte ſibi aliquid accidiſſet, ſaltem ille ſaluaretur, ne omne genus Mariammes penitus interiret (talia enim eum doctor ille reſpondenda docuerat) Cæſar ſemotum adoleſcentulum à ceteris abducens, Tibi, inquit, mercedis gratia ſalus à me præſtabitur, ſi non tentaueris etiam me arte deceptionis inducere. Dic itaqne mihi tu qui ſis, & quis te ad talia confingenda perpulerit: maior quippe eſt tua ætate hæc adinuenta calliditas. Tunc ille (neque enim vltra mentiri potuit in periculo conſtitutus) aperit Cæſari omne figmentum, & quali modo, & à quo fuerit commentatum. Tunc Cæſar falli quidem Alexandrum nequaquam contra quod promiſerat fecit: videns enim eum laboribus aptum, in ordine cõſtituit. numeroq. nautarum: illum vero qui talia præſumenda perſuaſit, morte condemnat. Melienſibus autem condemnatio ſufficiens viſa eſt, vt quantoſcunque ſumptus, vel pecunias in falſum Alexandrum erogaſſent, irreparabiliter amiſiſſent. Et circa falſum quidem Alexandrum res cum magna temeritate præſumptæ finem huiuſmodi perceperunt.

De inconſtantia rerum humanarũ, & fœliciſſimi Seiani infœliciſſima fœlicitate, qui affectauit diuinos honores. Cap. 142.

NIhil eſſe infęlicius fęlicitate peccantium, patet ex Seiani infęliciſſimo caſu, qui cum Tiberio inijt conſulatum. Fuit hic ille toto orbe celeberrimus, qui non ſolum, vt ceteri, ampliſſimas occupauit, & aſſecutus eſt dignitates & adminiſtrationes, ſed diutius abſente Tiberio, & apud Capream inſulam multo tempore otiante ſeipſum pro Imperatore, Tiberium vero, pro inſulæ Rectore quodam habuit; eoque exiſtimationis prouectus eſt, vt ipſi tanquam Deorum alicui res ſacra fieri ſoleret, eſſetq. hoc anno delatus conſulatus cum prorogatione quinquennij: inſuper & in litteris publicis à Senatu ſicut Tiberij, & ita Seiani nomen inſcriberetur; & ſicut Imperator aureo curru in Theatrum adueheretur, iurarentq. omnes fortunam eius. Hic (inquam) conuocato Senatu, vt recitarentur litteræ Imperatoris, quibus collata ſibi poteſtas tribunitia dicebatur, quas ſibi ipſe lætas atque iucundas ſperabat, contrarias omnino, ac ipſimet pernitioſas, omnibus audientibus, contra opinionem & expectationem percepit. Vnde primo depoſitus iuſſu Reguli Conſulis ſuffecti, conſentiente Senatu in vincula ducitur, atque ibidem capite multatur; deinceps in Gemonias vnco trahitur, ſicq.

demum per triduũ à Populo maximo ludibrio habitus, in Tiberim mittitur: liberi quoque ex S. C. maxime vero filia, quam Pater pactus fuerat Claudij filio, prius (ò inauditam rem) à carnifice conſtuprata, necati ſunt. hæc pluribus Dio Caſſius ſcribit, quæ nobis exemplo ſane egregio rerum humanarum inconſtantiæ, mobilitatiſq. eſſe debent, ne quis ſibi arridenti & blandienti fęlicitati admodum credat, & in rebus proſperis modeſte, & non ſuperbe ſeſe gerat. Quod tamen à paucis ſeruatur, dum ſemper in proſperis intumeſcunt, ſeſeq. in altum tolli permittunt, donec lapſu grauiore ruant.

Dio hiſtor. Rom. li 58.

De fonte Siloe, & quæ mirabilia circa illum geſta ſunt, & de fluuio Sabbatico. *Cap.* 143.

Hieron. in Iſa. c 8.

Siloam fontem eſſe ad radices montis Sion, qui non iugibus aquis, ſed incertis horis diei ebulliat, & per terrarum concaua ad antra ſaxi duriſſimi cum magno ſonitu veniat, dubitare non poſſumus, nos præſertim qui in hac habitamus Prouincia, inquit Hieronymus. Quomodo vero fons ille primum erupit precibus Iſaiæ, & vnde nomen accepit, Epiphanius his verbis eiuſmodi recenſet hiſtoriam: Fontem quippe Deus Siloam cauſa prophetæ effecit: quoniam priuſquam moreretur, puſillum precatus eſt, vti vndas illinc erumpere dignaretur, & confeſtim dimiſit illi cælitus aquam viuentem, vnde ſortitus eſt locus ille appellationem Siloam, quod ſi quis interpretetur, ſonat demiſſum. Sub Ezechia quoque Rege, antequam ſtagnum, piſcinaſq. fabricaſſet, precibus Iſaiæ effectum, vt exigua lympha ſcaturiret, quod populus in obſidione hoſtium teneretur, ne ipſa periret vndis deſtituta ciuitas. Milites igitur perſcrutabantur vndique, vbi nam ſedare ſitim daretur, ignorabant enim. Vrbe quippe iam potiti obſidebant Siloam: quandocunque itaque indigentes Iudæi aquatum venerant, ſcaturiebat eis vnda, & aquabant: exterarum vero nationum homines reperire neſciebant: latex namque aufugiebat, eoque vſque ad hodiernum diem eructatur clanculum, quo ſignificetur myſterium. Ceterum quandoquidem Iſaiæ prophetæ iſtum acceptum referunt, in perennem eius rei memoriam, Populus accurate prophetam iſtic ſolo cum gloria & honore reddidit, vt per eius interceſſionem in conſummationem vſque ſeculi aquæ huiuſmodi fructus impetretur, cui ſcilicet vſum referebant acceptum. Hæc Epiphanius, cum agit de ſepulchro Iſaiæ apud Siloam poſito. Huius quoque fontis meminit & Ioſephus. Et præſertim agens de bello Iudaico, his verbis ſuos alloquitur Iudæos; Tito quidem etiam fontes nunc vberiores profluunt, qui prius vobis aruerant. Denique ante eius aduentum ſcitis & Siloam, & omnes extra ciuitatem fontes adeo defeciſſe, vt ad vtrumque aqua mercaretur: nunc autem ita hoſtibus noſtris largi ſunt, vt non modo ipſis, & iumentis eorum, ſed etiam hortis ſufficiant. Hæc Ioſephus.

Epiphan. de vi & inter. prophet. c. 7.

Ioſeph. de bel. iud. 7. c. 24.

De bel. iud. lib. 6. c. 11.

Idem ex eodem teſtatur Adricomius, qui hæc addit: De huius aquæ virtute diligentiſſimus loci huius perſcrutator Saligniacus to. 10. cap. 1. ita fere ſcribit: Fontis huius aqua hodie adhuc ipſis etiam Saracenis in pretio eſt. Nam cum corpore naturaliter inſtar hircorum fæteant, in hoc fonte ſe, & pueros ſuos lauant, eaq. lotione fætorem ſuum mitigant. Quin & eam Turcæ magni faciunt, quod eius vſum, oculorum viſui conferre experiantur.

In Theatro terræ ſanct.

At huic fonti Siloe haud valde diſſimilis videtur fons ille, ſeu fluuius itē in Palæſtina Sabbaticus dictus, quod die tantum Sabbati fluat, ceteris diebus alueo ſicco non appareat, de quo his verbis mentionem facit Ioſephus, dum agit de Veſpaſiano Imperatore, qui illum vidit: Conſpicit in itinere fluuium cognitione digniſſimum. Is fluit medius, inter Arcas, & Raphaneas Agrippæ regni ciuitates. habet autem quoddam peculiare miraculum: nā cum ſit, quando fluit, plurimus, neque meatu ſegnis, tamen interpoſitis ſex diebus à fontibus deficiens, ſiccum exhibet locum; deinde quaſi nulla mutatione facta ſeptimo die ſimilis exoritur: atque hunc ordinem eum ſemper ſeruare pro certo compertum eſt. Vnde etiam Sabbaticus appellatus eſt à ſacro ſeptimo Iudæorum die ſic appellatus. hæc Ioſephus. Ex quo erroris arguitur Plinius, qui de eodem amne agens ſabbatis omnibus ſiccari teſtatur. Sed de his hactenus.

De occurſu Iudaorum Chriſto cum myſterioſis arborum ramis, & de perpetuitate arboris, ex qua rami exciſi ſunt, & de caſtrorum poſitione facta à Romanis in eodem loco, vbi Chriſtus fleuit Hieruſalem. Cap. 144.

CVm Chriſtus Dominus Hieroſolymam pergeret ad triumphum Crucis, vt regnaret à ligno Deus, inauditus ei hōnor exhibitus eſt, at certe neque in diuinis ſcripturis, neque apud profanos authores, qui res Iudæorum ſunt proſecuti, vllum plane huic ſimile exemplum inuenimus, vt ingredientibus Regibus Hieroſolymam quis occurrerit cum ramis arborum. Vnde quid diuinum ac plane inſolitum Chriſto Domino exhibitum fuiſſe miniſterium, nulla eſt dubitatio. Porrò non tantum in Scenophegia in honorem Dei præcidebantur, ac circumferebantur rami arborum, ſed etiam id factum reperies aliàs, cum Simon recuperata Hieruſalem, ac potitus arce, expurgata ea ab immunditijs, ingreſſus eſt in eam laudans Deum cum ramis Palmarum, & canticis: cuius rei cauſa inſtituta eſt annua celebritas, vt vigeſima menſis ſecundi diem feſtum omnes agerent. Eſt & eiuſdem rei aliud exemplum, vt cum Iudas Machabæus expurgato templo diem ſolemnem conſtituit, vt *Machab. 2 c. 10.* ſatis appareat ea Iudæos facere ſolitos tantummodo in honorem Dei. Ceterum morem fuiſſe Græcorum, vt in triumphis milites ferrent ramos palmarum; eandemq. conſuetudinem poſtea ad Romanos illapſam, author eſt Liuius. Haud iniucundum erit modo, quoniam eiuſmodi diuinum honorem *Liuius Decad. 1. lib. 10. in fin.* Deo exhibitum conſtat, ſcire palmam illam, ex qua Iudæi ramos acceperunt, vt obuiarent Ieſu, quaſi egregium Chriſti triumphi monumentum quantumlibet arbores omnes tempore obſidionis ſub Tito exciſæ fuerint, diuina quadam prouidentia intactam ad multa ſecula perduraſſe. Adducit eam in teſtimonium poſt crucem Cyrillus Hieroſolymitanus ſic dicens; Palma, quæ *Cyril. catech. 10.* eſt in Pharinge, teſtatur, ramos exhibens his, qui tunc benedicebant.

Cum è monte Oliueti Ieſus Hieroſolymam ſpectaret, flens ſuper illam, quæ illi obuentura eſſent prædixit: eſt res obſeruatione certe, ac ſtupore digna, in eodem Monte Oliueti, vbi Chriſtus aſpiciens Hieroſolymam fudit lachrymas, Romanos, qui obſeſſuri eandem ciuitatem, ac funditus vaſtaturi, & euerſuri erant, primum caſtra poſuiſſe, quod his verbis teſtatur Ioſephus:

Ioſeph. de bel. iud. li. 6. c. 3. phus; His inquit præceptum erat ſexto ab Hieroſolymis ſtadio caſtra ponere, quarum parte mons, qui appellatur Oliuarum, contra ciuitatem ab Oriẽte ſitus eſt, altaq. interiacente valle diſcernitur, cui nomen eſt Cedron. hæc ille.

De myſterio Ficulneæ areſactæ. *Cap. 145.*

DOminus iens Hieroſolymam, arborẽ fici in via poſitam quod fructus non inueniſſet in ea, areſecit, ita vt mirarentur diſcipuli ficulneam tam cito areſactam, quod non ſine magno myſterio geſtum eſt; maiorum enim traditione perlatum eſt, ficum fuiſſe arborem tranſgreſſionis, ex qua primi parentes poſt peccatum legentes folia pudenda texerunt. Inter alios enim qui hoc teſtantur, Iſidorus Peluſiota ſcribens ad Theopompum Tribunũ hæc ait: Exaruit igitur arbor, vt hominibus terrorem inijciat; quin in hac quoque re arcanus quidam ſermo adnexus eſt à ſenibus ſapientibus ad nos graſſatus, nempe hanc tranſgreſſionis arborem eſſe, cuius etiam folijs ad corpus tegendum hi, qui mandatum violarunt, vſi ſunt. hucuſq. Iſidorus.

Iſidor. ad Theop. li. 1. ep. 51.

De Petra, quæ genuum Chriſti *veſtigia receperat, alijſq. lapidibus Pedum ipſius veſtigia continentibus.* *Cap. 146.*

Matt. 26. Mar. 14. CVm acceſſiſſet Ieſus in montem Olitueti ingreſſus in Villam, quæ dicitur Gethſemani, vbi erat hortus, ſuos orare admonens, aſſumptis ſecum Petro, Ioanne, & Iacobo ſeorſum à ceteris, pauore, ac mærore affectus, eas enim communes ceteris animi paſſiones prudens, volenſq. ſuſcepit, auulſus ab illis iactu lapidis Patrem rogans, vt ſi poſſibile eſſet, à ſe calicem paſſionis transferret; eundemq. ſermonem non ſemel, ſed iterum, ac tertio repetijt, cum interdum dormientes diſcipulos excitaret: ei vero ſic oranti apparuit Angelus confortans eum. ſed cum prolixius oraret, in agonia poſitus, factuſq. ſudor eius ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram. Locus ille, vbi hęc contigerunt ad radices montis poſitus, tantę rei eſt nobilitatus inſignibus, quaſi Trophæis victoriæ Chriſti, præclara poſtmodum deſuper erecta Eccleſia, vt auctor eſt Hieronymus, eſt mirifice illuſtratus. Addit Beda, Petram ipſam, ſuper quam Dominus orans flexis genibus innixus eſt, quaſi mollem ceram ceſſiſſe, inſeq. genuum eius veſtigia recepiſſe, ipſumq. lapidem, vt inſigne tanti miraculi monumentum intra Eccleſiam translatum, & parieti affixum, cunctiſq. factum perſpicuum. Accepimus ab his qui hæc viderunt, etiam in ipſo imo vallis, quam torrens Cedron præterfluit, in lapidibus ipſis eiuſdem Chriſti Domini noſtri veſtigia pedum impreſſa remanſiſſe, hactenuſq. ſeruata eſſe.

Hier. de lo. Hebr. Beda de lo. ſanct. c. 6. in fine.

De ficu, in qua ferunt ſe ſuſpendiſſe Iudam, quæ in ſignum ſceleſtiſſimæ proditionis per multa ſecula durauit. Cap. 147.

MAiorum traditione acceptum eſt, arborem illam, in qua Iudas laqueo ſe ſuſpendit, fuiſſe ficum: Iuuẽcus enim hoc cecinit: Exorſuſq. ſua laqueo

Iuuenc. hiſt. Euang. l. 4.

laqueo ſibi ſumere pœnas, infamem rapuit ficus de vertice mortem. Sed & Beda de locis ſanctis ſcribens hæc habet in eandē ſententiam: Portam Dauid egredientibus fons occurrit in Auſtrum per vallem directus, ad cuius medietatem ab occaſu Iudas ſe ſuſpendiſſe narratur: nam & ficus magna ibi, & vetuſtiſſima ſtat, iuxta quod Iuuencus ait &c. Haud mirum videri debet adhuc Bedæ temporibus illam ficum fuiſſe ſuperſtitem: nam de ficu Romulea Nerone tertium, & Meſſala conſulibus in trunco, ac ramis areſcente, hæc ſcribit Tacitus: Eodem anno Ruminalem arborem in Comitio, quæ per octingentos & quadraginta ante annos Remi Romuliq. infantiam texerat, mortuis ramalibus, & areſcente trunco diminutam, prodigij loco habitum eſt, donec in nouos fętus reuiuiſceret. hæc Tacitus. De loco autem illo, qui in ſepulturam peregrinorum emptus eſt pretio ſanguinis, hæc ſcribit Hieronymus; Acheldemà, ager ſanguinis, hodie quoque demonſtratur in Aelia ad Auſtralem plagam montis Sion, & hactenus iuxta Iudæorum conſilium mortuos ignobiles alios terra tegit, alios ſub dio putrefacit. *Beda de lo. ſanct. c. 4.*

De Columna, in qua flagellatus eſt Ieſus, & Spinea Corona, & de virtutibus quas faciebant. Cap. 148.

CVm Dominus noſter flagellandus eſſet, ad Columnam fuiſſe ligatum auctor eſt S. Hieronymus, dum ad Euſtochium de Paula matre ſcribēs, hæc ait: Oſtendebatur illi columna, Eccleſiæ porticum ſuſtinens, infecta cruore Domini, ad quam iunctus ducitur, & flagellatus. hæc ille. Tempore Bedæ in medio Eccleſiæ eam eſſe ſitam ipſe teſtatur. De eadem hæc etiam Gregorius Turonenſis; Ad hanc, inquit, columnam multi fide pleni accedentes corrigias textiles faciunt, eamq. circundant, quas rurſus pro benedictione recipiunt, diuerſis infirmitatibus profuturas. Sic igitur flagellatus Dominus Ieſus Chriſtus à militibus in atrium Prætorij ducitur, exſuitur, ac clamyde coccinea ſuperinduitur, & vt omni ex parte, quaſi in ſcena, Regē ex ludibrio repræſentarent, coronam ſpineam in capite, & ſceptrum arundineum in manu eius dextra milites poſuerunt. Huic ſimilem actum iocū ab Alexandrinis, cum irriderent Iudæorum Regem Agrippam Alexandriam appulſum, deſcribit Philo. Auctor eſt Clemens Alexandrinus, Chriſtianos ob reuerentiam ſpineæ coronæ Domini coronas intextas floribus tempora ornare Gentilium more exhorruiſſe. De ijſdem Domini Noſtri Coronæ ſpinis hæc Gregorius Turonenſis: Ferunt ipſas coronæ ſentes quaſi virides apparere, quæ tametſi videantur aruiſſe folijs, quotidie tamen reuiuiſcere virtute diuina. hæc Gregorius. Sed Iſidorus Peluſiota de corona ſpinea Domini hæc ſcribit ad Eutonium Diaconum; Quandoquidem execrationis illius, qua terra poſt mandatum à nobis violatum mulctata eſt, ſeges ſpinea erat, Dominus autem vt omnem in ſeipſo morbum curaret, aduenerat, idcirco ſpinea corona, vt victor redimitus eſt; quemadmodum ſcilicet clari & celebres victores faciunt, qui hoc ipſum telum, cuius ope victoriam confecuti ſunt, in triumphum geſtant. *Hier. epiſt. 27.* *Matt. 2. Io. 18. 19.* *Clem. Ale. in pedag. lib. 2.* *Greg. Tur. mirac. c. 7.* *Iſid. lib. 1. epiſt. 91.*

De mirabili Dei prouidentia, vt ibi Chriſtus moreretur, vbi prius Adam mortuus fuerat, & immolatus Iſaac. Cap. 149.

Hier. de lo. Hebr. GOlgotha locus eſt, quo ad ſupplicium Crucis ductus eſt Ieſus, de quo hæc Hieronymus: Locus inquit, eſt Caluariæ, & vſque hodie oſtenditur in Aëlia ad Septentrionalem plagam montis Sion. Hunc eundem eſſe montem, in quo Abraham iuſſus eſt immolare filium ſuum Iſaac, ex maiorũ traditione per generationes ſingulas ad poſteros dilapſa, complures antiquorum Patrum teſtantur. Inter quos hæc Auguſtinus: Hieronymus preſbyter ſcripſit ab antiquis, & ſenioribus Iudæis ſe certiſſime cognouiſſe, quod ibi immolatus ſit Iſaac, vbi poſtea Chriſtus crucifixus eſt: Denique ab eo loco vnde B. Abraham iuſſus eſt proficiſci, tertio die ad locum, vbi Chriſtus crucifixus eſt, peruenitur. hæc de Golgotha Auguſtinus. Beda hæc in eandem ſententiam: In loco autem illo, quo Abraham altare ad immolandum filium conſtruxit, menſa eſt lignea non parua, in quam pauperum eleemoſynæ ſolent à populo deferri. Cur vero idem mons Golgotha, dictus ſit Caluariæ locus, maiores omnes, antiquorum etiam firma acceperunt traditione, ſic eſſe nominatum montem illum, quod ibi primus homo ſepultus ſit: Id in primis Tertullianus in Carmine, quod ſcripſit aduerſus Marcionem teſtatur his verſibus:

Auguſt. de temp. ſer. 71

Beda de lo. ſanct. c. 2.

Tertul. lib. 2. contra Marc.

Golgotha locus eſt capitis caluaria quondam
Lingua paterna prior ſic illum nomine dixit:
Hic medium terræ eſt. hic eſt victoria ſignum
Os magnum, hic veteres noſtri docuere repertum
Hic hominem primum ſuſcepimus eſſe ſepultum.

Orig. tr. 35 in Matt. Hæc Tertullianus. Origenes etiam hæc in eandem ſententiam: Locus Caluariæ dicitur non qualemcumque diſpenſationem habere, vt illic qui pro hominibus fuerat moriturus, moreretur. Venit ad me traditio quædam talis, quod corpus Adæ primi hominis ibi ſepultum eſt, vbi crucifixus eſt Chriſtus, vt ſicut in Adam omnes moriuntur, ſic in Chriſto omnes viuificentur: vt in loco illo, qui dicitur Caluariæ locus, ideſt locus capitis, caput humani generis reſurrectionem inueniat cum populo vniuerſo, per reſurrectionem Saluatoris, qui ibi paſſus eſt, & reſurrexit. hæc Origenes. Item & Baſilius: Obtinuit fama quædam, ait. in Eccleſia memoriam conſeruans, non quidem ſcripto proditam, quæ talis eſt. Quod prima vtique Iudæa hominem accolam nimirum Adam, ſimulatq. excidit delicijs Paradiſi, in hac terra collocatum ad mitigandam iacturam bonorum, quibus fuerat exſutus, prima igitur etiam mortuum hominem excepit, qui & illic eam, cui addictus erat, ſententiam condemnationis plene eſt executus. Itaq. inſolens eſſe, ac nouum videbatur illius ætatis hominibus ſpectaculum, os capitis defluẽte carne nudum: at illi recondentes Cranium, loco illi indiderunt nomen Cranion, ideſt Caluariam. probabili ratione potuit Noe non ignoraſſe ſepulchrum principis huius, & mortalium omnium primogenij: ſiquidem de hac re fama à diluuio mox per orbem propagata eſt ab ipſo, & dimanauit: eoq. Dominus, excuſſa origine humanæ mortis, in Caluariæ loco eſt paſſus. hucuſque Baſilius.

Baſil. in Leuit. c. 5.

De mirabili, & prodigioſo Solis deliquio in morte Saluatoris. *Cap.* 150.

DVm adhuc Chriſtus in cruce fixus penderet, hora ſexta, factæ ſunt tenebræ in vniuerſa terra vſque ad horam nonam. Cumq. his addat Lucas Euangeliſta, & ſolem eſſe obſcuratum, ſatis perſpicuè declaratur, non ipſam Iudæam tantum, vt aliquando Origenes dixit, ſed vniuerſum planè terrarum orbem offuſum fuiſſe tenebris. Porro ille ipſe Origenes auctor prædictæ ſententiæ, cum agit aduerſus Celſum Philoſophum Epicurum, Chriſtianorum hoſtem infenſiſſimum de admiranda tunc facta Solis Eclypſi, non ex Euangeliſtarum teſtimonijs, quibus Ethnicus homo non crederet, ſed ex Phlegonte Hadriani Imperatoris liberto, inſigni Chronographo, de quo plura ſcribit Suidas, teſtimonium citat his verbis: De Sole autem Tiberij Cæſaris tempore obſcurato, quo imperante Ieſus creditur cruci fuiſſe affixus, & de magnis terræ tunc motibus factis, ſcripſit Phlegon in tertiodecimo, vel decimoquarto, vt arbitror, de temporibus libro. & inferius: Putat autem prodigij loco ducendum, quod moriente Ieſu contremuerit terra, & cuncta ſint tenebris obuoluta, de quibus tamen, vt licuit, ſupra reſpondimus; cum & Phlegonta ipſum produximus Saluatoris temporibus patientis hiſtoriam fuiſſe complexum &c. Porro ipſius Phlegontis verba Euſebius recitat ſic dicens: Scripſit vero ſuper his & Phlegon, qui Olympiadum egregius ſupputator eſt, in libro decimoquarto ita dicens: Quarto autem anno ducenteſimæ ſecundæ olympiadis, magna, & excellens inter omnes, quæ ante eam acciderant, defectio Solis facta eſt, dies hora ſexta ita in tenebroſam noctem verſus, vt ſtellæ cæli viſæ ſint, terræq. motus in Bithynia Nicænæ Vrbis multas ædes ſubuertit. hæc Phlegon. Tertullianus item aduerſus Gentiles agẽs, non ex Euangelio teſtimonium, ſed ex ipſorum ſcriptis adducit, cum ait: Eodem quidem momento dies medium orbem ſignante Sole ſubducta eſt, deliquium vtique putauerunt, qui id quoque ſuper Chriſtum prædicatum neſcierunt. Et tamen eum mundi caſum relatum in Archiuijs veſtris habetis. hæc Tertullianus. Lucianus itidem aduerſus gentes agens: Perquirite, inquit, in Annalibus veſtris, & inuenietis temporibus Pilati fugato Sole interruptum tenebris diem.

Matt. 27. Marc. 15. Luc. 23. Orig. in Matt. trac. 35. & con. Celſum l. 2. Euſeb. in Chron. an. 33. Chriſt. Tertull. in apolog. Lucian. in act. Luc. Mart.

Quomodo autem eiuſmodi Solis defectio facta ſit, Dionyſius Areopagita ſcribens ad Polycarpum, cum inuehitur in Apollophanem Philoſophum, narrat his verbis: Quid de illo, qui tempore crucis Dominicæ factus eſt, Solis defectu, dicturus es? Eramus tunc ambo apud Heliopolim, amboq. ſimul incedentem mirabiliter ſoli lunæ globum notabamus, non enim eiuſce coniunctionis tunc aderat tempus, & ipſam rurſus ab hora nona ad veſperum ad ſolis diametrum ſupra naturæ vires reſtitutam. In memoriam autem illius, reuoca etiam aliud quod iam: nempe enim, vt ipſe non ignoras, eam lunæ incidentiam ab Oriente cæpiſſe, & vſque ad ſolaris corporis finem perueniſſe, ac tum demum reſiluiſſe notauimus, neque vero eadem ex parte, vt aſſolet, & incidentia illa, & repurgatio facta eſt, ſed ex aduerſo diametri. Hæc ſunt, quæ tunc temporis contigere, naturam profectò ſuperabundantia, ac ſoli Chriſto poſſibilia, qui auctor eſt omnium, facitq. magna, ac

ſtupenda, quorum non eſt numerus: iſta illi ſi licuerunt, dicito. hactenus Dionyſius ad Polycarpum. Idemq. de eadē re ſcribens ad ipſum Apollophanem, agit his verbis: Heliopoli tu quidem pene mihi coæuus, quinque, & viginti fere annorum tempus exſoluens, vna morantes conſtiteramus, cum feria quadam ſexta, & hora iam pene ſexta, Sol horribilibus ſubito eſt obſitus tenebris, Luna ipſum intercurrente: quia non Deus, ſed creatura Dei in ipſius vere lucis accubitu lucere non potuit. Quærebam enim tunc apud te, quo mihi ſane ſapientiſſimus videbaris, quid ipſe inde ſentires? Tu vero mirabili prudentia ſubintuliſti, quod vſque adeo penetrabilibus mentis meæ alte inhæſit, vt nulla obliuione deleri, nulla vnquam valeat mortis imagine deterreri. Offuſi enim tenebris ipſi eramus, orbem ſolis vndequaque & ex æquo occupante caligine: & poſtquam repurgatio, & reſtitutio facta eſt, Luna ad Solis diametrum conuerſa aufugit. Et tunc quoque regulam Philippi Aridei aſſumpſimus: cumq. reperiſſemus, quod & erat notiſſimum, eo tempore ſolem Eclypſis moleſtias, laboreſq. minime perpeti debuiſſe, ac nihilominus Lunam ab Oriente ſolarem ſplendorem pulſis nigrantibus velis obduxiſſe, cum ſoleat ex occidiua parte ſolem ingredi. Tunc autem opifices lucis theſauros caliginibus, quas ipſa genuerat, ad occiduos vſque Solis fines peruagata, vt ipſi putauimus, occultauit: cum tamen & Lunæ id tempus deeſſet, nec coitus vicinum tempus eſſe cognoſceretur: Aio ad te (neque enim adhuc myſterijs tantæ rei conſcius eram) ô ingentis prudentiæ promptuarium: quid, inquam, ô doctrinæ ſpeculum Apollophanes his ſecretis adſcribis? Adhæc neſcio quo pacto diuino quodā afflatu, & non humani ſenſus ſermonem ſubintuliſti: Hæ, ô bone Dionyſi, diuinarum viciſſitudines ſunt rerum. Denique vero adnotatum diligenter feriæ diem, & annum, annunciationi, quam ſacer Paulus noſtris attentis auribus infudit, conſentientibus ſignis conſpirare, & concordare expertus, manus veritati ſubmiſi, & ex falſitatis nexibus ſum abſolutus: quam quidem veritatem mirifice effero, quam & tibi communico. Hactenus de his Dionyſius. De eodem quoque ſolis defectu admirando Hieronymus agit; Auguſtinus etiam pluribus, qui & fuiſſe præter omnem naturæ ordinem ſcribens ad Heſychium, his demonſtrat: Non erat, inquit, talis ille ſolis defectus, quando Chriſtus crucifixus eſt, & ideo vere mirabilis erat, & prodigioſus, Paſcha enim fuerat Iudæorum, quod non niſi in plenitudine Lunæ celebratur. Secundum autem Aſtrologorum numeros certum eſt, Solem, quando Luna plena eſt, non poſſe deficere, ſed quando finis eſt Lunæ, non quidem ſemper, ſed aliter nunquam, cum ſecundum illos numeros defecit. Quis ergo tale vnquam meminit apparuiſſe de cælo, ex quo Dominus illa prædixit, quale apparuit, quando paſſus eſt? hæc Auguſtinus.

Dion. ad Polycarp. — *Hieron. in Ioel c. 2.* — *Aug. lib. quæſt. nou. teſt. q. 107.* — *Aug. ep. 80*

De egregia Veli textura, quod in morte Chriſti ſciſſum eſt, & de Columba ex Templo egreſſa. Cap. 151.

CVm in cruce poſitus acetum Dominus accepiſſet, dixiſſetq. Conſummatum eſt, clamans ſubinde voce magna, ac dicens: Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum, inclinato capite tradidit ſpiritum. Tunc vero templi velum ſciſſum eſt à ſummo vſque deorſum. Quale autem eiuſmodi

Io. 19. — *Ioſeph. de bel. Iud. li. 6. c. 6.*

modi genus veli eſſe ſoleret; propter illa, quæ in diuina ſcriptura de eo ſcripta leguntur, Ioſephus, qui vidit quale his temporibus eſſe ſoleret, ſic locum, in quo appenſum erat, deſcribit: Interior porta inaurata erat, & circũ ipſam auratus paries deſuper habebat auratos pampinos, vnde racemi ſtatura hominis pendebãt, & fores habebat auratas quinquaginta, & quinque cubitis altas, ſexdecim vero latas. Ad hæc aulæum longitudine pari, hoc eſt velum Babylonium hyacinto, & byſſo & cocco, & purpura variatum, admirabili opere factum, neque contemplationis expers, colorum permixtione: Cocco enim videbatur ignem imitari, byſſo terram, & hyacinto aërem, & mare purpura, partim quidem coloribus, byſſo autem & purpura origine; quoniam biſſum quidem è terra, mare autem purpuram gignit: eratq. in eo præſcripta omnis cæli ratio, præter ſigna. Hactenus Ioſephus de velo exterius poſito ante primum tabernaculum, vbi candelabrum erat, menſa, atque Thuribulum: additq. alterum fuiſſe velum, quo intima pars templi, quæ dicebatur Sancta Sanctorum, operiebatur. Ex his quidem erroris arguuntur, qui exiſtimant, vnum tantum fuiſſe velum in templo: Porro hoc tempore conſciſſum fuiſſe velum exterius poſitum, quod erat cunctis perſpicuum, & populum ſegregabat à Sacerdotibus, Hieronymus iure affirmat. Quid vero portenderit tantum prodigium, ab interpretibus diſcendum eſt. Addit ad hæc S. Ephrem Syrus, cuius ſummam in ſcribendo auctoritatem fuiſſe Hieronymus tradit, tunc cum velum templi ſciſſum eſt, columbam etiam è templo egredi viſam eſſe.

Hier. in ep. 150. q. 8.
Ephram de paſſ. Dom.
Hieron. de ſcript. Eccl.

De ingenti terræmotu, ex quo montes ſciſſi ſunt. Cap. 152.

TVnc etiam, & magnus factus eſt terræmotus, adeo vt ea concuſſione ſciſſæ ſint petræ, de quo teſtimonium ex Phlegonte ab Origene, & Euſebio habetur. Meminit & Plinius ſub Tiberio ingenti terræmotu excisas eſſe duodecim ciuitates in Aſia; ad quas ſubleuandas factam ab eodem Imperatore tributorum remiſſionem, Suetonius tradidit: Eadem & Dio. De lapidibus eo terræmotu conſciſſis, hæc Cyrillus Hieroſolymorum Epiſcopus: Hactenus Golgatha monſtrat, vbi propter Chriſtum petræ ſciſſæ ſunt. Porro non tantum Hieroſolymis, ſed & in pleriſque alijs orbis terrarum partibus ſciſſos montes eodem terræmotu incolæ firma traditione teſtantur, nempe in Hetruria montem Aluerniæ dictum, & prope litus Campanum, Caietæ promontorium. Ad hoc inſuper addimus, teſtari Hieronymum ex Euangelio Nazaręorum, quod in latinum tranſtulit, eodem quoque terræmotu templi ſuperliminare collapſum eſſe, tùm & Angelos Præſides templi auditos eſſe dicentes: Transeamus ex his ſedibus: idq. tempore Chriſti paſſionis accidiſſe teſtatur.

Plin. nat. hiſt. li. 1. c. 84.
Suet. in Tiber. c. 48.
Dio. lib. 57.
Cyril. cath. 23.
Hier. epiſt. 150.

De forma ſanctiſſimi Sepulchri Domini noſtri Ieſu Chriſti. Cap. 153.

LOcus ipſe ſepulturæ Domini, qui excisus erat in petra, integer permanſiſſe cognoſcitur, teſtantibus id omnibus, qui de locis Sanctis commentarios edidere, quorum prior, ex ijs, qui extant, eſt ille ab Adarnano conſcriptus

Bed. de geſ. Angl. lib. 5 c. 17. & in Mar. c. vlt.

ſcriptus,quem Beda redegit in Compendium. In eo igitur libro, vbi deſcribitur Eccleſia in occidentali parte Caluariæ montis erecta, hæc de Domini ſepulchro narrantur: Huius in medio monumentum Domini rotundum in petra exciſum eſt, cuius culmen extrinſecus ſtans, homo manu contingere poteſt, ab oriente habens introitum, cui lapis ille maximus appoſitus eſt, quod intrinſecus ferramentorum veſtigia vſque ad præſens oſtendunt. Nam extrinſecus vſque ad culminis ſummitatem,totum marmore tectum eſt,ſummum vero culmen auro ornatum auream magnam geſtat crucem. In huius ergo monumenti Aquilonari parte, Sepulchrum Domini in eadem petra exciſum, longitudinis ſeptem pedum, trium menſura palmorum, pauimento altius imminet, introitum habens à latere meridiano, vbi die noctuq. duodecim lampades ardent, quatuor intra Sepulchrum, octo ſuper, in margine dextero: lapis, qui ad oſtium monumenti poſitus erat, nunc fixus eſt, cuius pars minor quadratum altare ante oſtium nihilominus eiuſdem monumenti ſtat; maior in orientali eiuſdem loco quadrangulum aliud altare ſub linteaminibus extat; Color autem eiuſdem monumenti, & ſepulchri albo, & rubicundo permixtus videtur. hactenus Beda ex Adamano.

De dictis à Chriſto, quæ non ſunt ſcripta in Euangelio, & de teſtimonio Ioſephi Hebræi. Cap. 154.

Act. 20. CEterum ſicut nec cuncta Chriſti facta, ita multo minus omnia dicta ab eo verba, Euangeliſtæ ſunt proſecuti. Citat Paulus Apoſtolus Chriſti ſententiam ab illis prætermiſſam,cum Epheſios alloquens, ſic ait: Memores verbi Domini, quoniam ipſe dixit: Beatius eſt dare, quam accipere. Rurſus illa in ore multorum adhuc Domini verſatur ſentētia: Eſtote probati nummularij. recitat & eam Hieronymus ſic ſcribens ad Minerium: Sciat me illud Apoſtoli libenter audire: Omnia probate, quod bonum eſt, tenete, & Saluatoris verba dicentis: Eſtote probati nummularij. Vſurpat eandem Caſſianus: ſed & illud: Vbi te inuenero,ibi te iudicabo. Poſt ſanctos Euangeliſtas, Ioſephus Iudæus reperitur, qui ab hinc poſt annos quadraginta Græco ſermone res geſtas Iudæorum eſt proſecutus: qui res etiam geſtas addens Chriſti, eas his paucis perſtrinxit: Eo, inquit, tempore fuit Ieſus vir ſapiens, ſi tamen virum eum fas eſt dicere, erat enim mirabilium operator, & doctor eorum, qui libenter vera ſuſcipiunt, plurimosq. tàm de Iudæis, quàm de Gentibus ſectatores habuit. Chriſtus hic erat, quem accuſatum à noſtræ gentis Principibus,cum addixiſſent eum cruci, nihilominus non deſtiterunt eum diligere, qui ab initio cœperant. Apparuit enim eis tertia die viuus, ita vt diuinitus de eo vates hoc, & alia multa miranda prædixerunt, & vſque in hodiernum diem Chriſtianorum genus ab hoc denominatum non deficit. hæc Ioſephus: cuius teſtimonium in peruetuſto Iudæorum Codice,in quo eius hiſtoriæ è Græco in Hebraicum tranſlatę antiquitus ſcriptæ ſunt, cum hic Romæ requireretur (o perfidorum imprudentiam) abraſum inuentum eſt, adeo vt nulla ad excuſandum ſcelus, poſſet afferri defenſio, cum membrana ipſa id exclamare videretur.

Hieron. ep. 152. in fin.

Ioſeph. ant. lib. 18. c. 6.

Epiſtola Pilati ad Tiberium. Cap. 155.

FErtur Pilatus, vt ſcribit Hegeſippus, de morte, & reſurrectione Chriſti ad Claudium epiſtolam conſcripſiſſe, cui, ſi quæ eſt adhibenda fides, in titulo tamen certus eſt error, qui aliunde fortaſſe irrepſit, dum Claudium loco Tiberij poſitum habet. Epiſtola hæc eſt. *Hegeſip. Anacephaleoſi.*

Nuper accidit, & quod ipſe probaui, Iudæos per inuidiam ſe, ſuosq. poſteros crudeli condemnatione puniſſe. Denique cum promiſſum haberent patres eorum, quod illis Deus eorum mitteret de cælo ſanctum, qui eorum Rex merito diceretur, & hunc ſe promiſerit per Virginem miſſurum in terram. Iſtum itaq. me Præſide in Iudæa, Deus Hebræorum cum miſiſſet, & vidiſſent eum cæcos illuminaſſe, leproſos mundaſſe, paralyticos curaſſe, dæmones ab hominibus fugaſſe, mortuos etiam ſuſcitaſſe, imperaſſe ventis, ambulaſſe ſiccis pedibus per vndas maris, & multa alia feciſſe: cum omnis populus Iudæorum eum Dei filium eſſe dicerent: inuidiam contra eum paſſi ſunt Principes Iudæorum, & tenuerunt eum, mihiq. tradiderunt, & alia pro alijs mihi de eo mentientes dixerunt, aſſerentes eum magum eſſe, & contra legem eorum agere. Ego autem credidi ita eſſe, & flagellatum tradidi illum arbitrio eorum. Illi autem crucifixerunt eum, & ſepulchro cuſtodes adhibuerunt. Ille autem militibus meis cuſtodientibus die tertio reſurrexit. In tantum enim exarſit nequitia Iudæorum, vt darent pecuniam cuſtodibus, & dicerent: Dicite, quia diſcipuli eius corpus ipſius rapuerunt. Sed eum accepiſſent pecuniam, quod factum fuerat, tacere non potuerunt, nam & illum ſurrexiſſe teſtati ſunt ſe vidiſſe, & ſe à Iudæis pecuniam accepiſſe. Hæc ideo ingeſſi, ne quis aliter mentiatur, & exiſtimet credendum eſſe mendacijs Iudæorum. hactenus Epiſtola. quæ quidem an eadem ipſa ſit, quam à Pilato ad Tiberium tunc temporis ſcriptam eſſe conſtat, relinquimus prudentis lectoris iudicio.

Certe quidem conſueuiſſe Præſides prouinciarum, res magni momenti, quæ contigiſſent in prouincijs, ad Imperatores ſcribere, mille exemplis exploratiſſimum eſt.

Pilatum vero hæc nunciaſſe Tiberio Imp. ex his quæ ſcribit Tertullianus facile poteſt intelligi, dum ait: Tiberius ergo, cuius tempore nomen Chriſtianum in ſeculum introiuit, nunciatum ſibi ex Syria Palæſtina, quod illic veritatem illius diuinitatis reuelauerat, detulit ad Senatum, eum prærogatiua ſuffragij ſui. Senatus quia non in ſe probauerat, reſpuit. Cæſar autem in ſententia manſit, comminatus periculum accuſatoribus Chriſtianorum. hæc Tertullianus. *In Apolog. c. 5. & c. 21 Euſeb. hiſt. lib. 2. c. 2.*

Quod vero ad dictam Epiſtolam Pilati ad Tiberium ſpectat, in eo quod dicit IESVM à Iudæis magiæ inſimulatum: ad illud quod in eum Iudæi dicerent: In Beelzebub principe Dæmoniorum eijcit Dæmonia, videtur Pilatus habuiſſe reſpectum, & apposite magiæ feciſſe mentionem, quo ſic melius cauſam ſuam tueretur, quippe qui ſciret ab eodem Imperatore aduerſus magos ſancitum fuiſſe edictum, multosq. ex ea cauſa morte mulctatos fuiſſe: neque ſe excuſaret, ſi in IESVM animaduertiſſet: licet hæc omnia in Iudæorum culpam reijciat, qui liuore, & maleuolentia inducti, eum morte mulctandum curaſſent.

Cete-

Ceterũ non tantum Pilati litteris ad Tiberium ſcriptis hęc de Chriſti rebus geſtis Romæ innotuerunt, ſed etiam ex publicis monumentis, quæ à notario exceptore in publicis tabulis ex more deſcripta fuerant, Romam miſſis; quæ aliquãdiu inter publica geſta ſunt aſſeruata: ad id enim Iuſtinus Philoſophus Chriſtianus Antoninum Pium, ad quem ſcribit Apologiam, prouocat dicens: Hæc ita geſta eſſe, cognoſcere ex Actis, quæ ſub Pilato ſunt ſcripta poteſtis: Et rurſus poſt multa: Et quod iſta fecerit, ex eis, qui ſub Pilato ſcripti ſunt Commentarij, cognoſcere poteſtis. Hæc Iuſtinus.

De eadem Pilati epiſtola ad Tiberium Imperatorem, ex Paulo Oroſio. Cap. 156.

Paul. Oroſ. hiſt. lib. 7. cap. 4.

ANno ab Vrbe condita ſeptingenteſimo ſexageſimo ſeptimo poſt mortem Auguſti Cæſaris, Tiberius Cæſar Imperium adeptus eſt, manſitq. in eo annis viginti & tribus. Hic per ſemetipſum nulla bella geſſit, ſed ne per legatos quidem aliqua grauia, niſi quod tantum aliquantis in locis præcogniti citò gentium rumores comprimebantur. Sanè quarto Imperij eius anno, Germanicus Druſi filius, Caligulæ pater de Germanis, ad quos ab Auguſto ſene miſſus fuerat, triumphauit. Ipſe autem Tiberius plurima imperij ſui parte cum magna, & graui modeſtia Reipublicæ præfuit, adeo vt quibuſdam Præſidibus augenda Prouincijs tributa ſuadentibus ſcripſerit; Boni paſtoris eſſe tondere pecus, non deglubere. At poſtquam paſſus eſt Dominus Chriſtus, atque à mortuis reſurrexit, & diſcipulos ſuos ad prædicandum dimiſit, Pilatus, Præſes Palæſtinæ Prouinciæ ad Tiberium Imperatorem, atque ad Senatum retulit de Paſſione, & Reſurrectione Chriſti, conſequentibuſq. virtutibus, quæ vel per ipſum palam factæ fuerant, vel per diſcipulos ipſius in nomine eius fiebant, & de eo quod certatim creſcente plurimorum fide Deus crederetur. Tiberius cum ſuffragio magni fauoris retulit ad Senatum, vt Chriſtus Deus haberetur. Senatus indignatione motus, cur non ſibi prius, ſecundum morem, delatum eſſet, vt de ſuſcipiendo cultu prius ipſe decerneret, conſecrationem Chriſti recuſauit, edictoq. conſtituit, exterminandos eſſe Vrbe Chriſtianos: præcipuè cum & Seianus Præfectus Tiberij ſuſcipiendæ religioni obſtinatiſſimè contradiceret. Tiberius tamen edicto, accuſatoribus Chriſtianorum mortem comminatus eſt: Itaque paulatim immutata eſt illa Tiberij Cæſaris laudatiſſima modeſtia, in pœnam contradictoris Senatus. Nam Regi, quæcumque voluntate faciebat, voluptas erat: atque ex manſuetiſſimo Principe, ſæuiſſima beſtia euaſit. Nam plurimos Senatorum conſcripſit, & ad mortem coegit. Viginti ſibi Patricios viros conſilij cauſa elegerat, horum vix duos incolumes reliquit, cæteros diuerſis cauſis necauit: Seianum Præfectum ſuum res nouas molientem interfecit. Filios ſuos Druſum, & Germanicum, quocum Druſus naturalis, & Germanicus adoptiuus erat, manifeſtis veneni ſignis perdidit. Filios Germanici filij ſui interfecit. Referre ſingillatim facta eius horret animus, pudetquè. Tanta libidinis, & crudelitatis rabie efferbuit, vt qui ſpreuerant Chriſto Rege ſaluari, Rege Cæſare punirentur. Huius tamen Imperij anno duodecimo, noua & incredibilis clades apud Fidenatium Vrbem accidit. Amphiteatri cauea, populo gladiatorium munus ſpectante, col-

collapſa eſt, & pluſquam viginti millia hominum occidit. Dignum ſane poſteris tantæ correptionis exemplum, tunc ad ſpectandum hominum mortes auidos homines conueniſſe, quando pro ſalute hominum prouidenda Deus homo eſſe voluiſſet. Deinde anno eiuſdem 17. cum Dominus Ieſus Chriſtus voluntarie quidem ſe tradidit paſſioni, ſed impie à Iudæis apprehenſus, & patibulo ſuffixus eſt, maximo terræmotu per orbem facto, ſaxa in montibus ſciſſa ſunt, maximarumq. vrbium plurimæ partes plus ſolita concuſſione ceciderunt. Eadem quoque die ad horam diei ſextam ſol in toto orbe obſcuratus, tetraq. nox ſubito obducta terris eſt, & ſicut dictum eſt, Impiaq. æternam timuerunt ſecula noctem. Vſque adeo autem neque Lunam lumini Solis, neque nubes obſtitiſſe manifeſtum eſt, vt 14. eadem die Lunam tota cæli regione interiecta longiſſime à conſpectu Solis abfuiſſe, & ſtellas tunc diuinis horis, vel potius in illa horrenda nocte toto cælo fulſiſſe referatur. Quod non ſolum ſanctorum Euangeliorum fides, ſed etiam aliquanti Græcorum libri atteſtantur.

Diuina vltio in Iudæos, & Pilatum. *Cap.* 157.

ANno ab Vrbe condita ſeptingenteſimo nonageſimo, tertius ab Auguſto Caius Caligula cœpit regnare, manſitq. in Imperio annis non plenis quatuor, homo ante ſe omnium flagitioſiſſimus, & qui vere dignus Romanis blaſphemantibus, & Iudæis perſecutoribus punitor adhibitus videretur. Hic, vt breuiter magnitudinem crudelitatis eius exprimam, exclamaſſe fertur: Vtinam populus Romanus vnam ceruicem haberet? Sæpe etiam de conditione temporum ſuorum conqueſtus eſt, quod nullis calamitatibus publicis inſignirentur. O beata germina temporis Chriſtiani, quantũ prævaluiſti in rebus humanis, vt etiam crudelitas hominis magis potuerit clades deſiderare, quàm inuenire. Ecce de tranquillitate generali feritas ieiuna conqueritur. Furor impius intus ſæua ſedens ſuper arma & centum vinctus ahenis, poſt tergum nodis fremit horridus ore cruento. Serui rebelles, & fugitiui gladiatores perterruere Romam, euertere Italiam; Siciliam deleuere, iam pene vniuerſo humano generi toto orbe metuendi. In diebus autem ſalutis, hoc eſt, temporibus Chriſtianis, conuellere quietem non poteſt, vel Cæſar infeſtus. Hic ſiquidem magno, & incredibili apparatu profectus quærere hoſtem, viribus otioſis Germaniam, & Galliam percurrens in ora Oceani circa proſpectum Britanniæ reſtitit. Cumq. ibi Minocynobellinum Britãnorum regis filium, qui à patre pulſus cum paucis oberrauerat, in deditionem recepiſſet, deficiente belli materia Romam rediit. Iiſdem autem diebus Iudæi, qui iam tunc ob paſſionem Chriſti meritis vbique cladibus exagitabantur, apud Alexandriam ſeditione excitata flagitati cæde, atque vrbe propulſi, expromendarum querelarum cauſa Philonem quendam, virum ſane in primis eruditum, legatum ad Cæſarem miſerunt. Sed Caligula cum omnibus hominibus, tum præcipue Iudæis infeſtiſſimus, ſpreta legatione Philonis, omnes Iudæorum ſacras ædes, atque in primis antiquum illud in Hieroſolymis ſacrarium prophanari ſacrificijs Gentilium, ac repleri ſtatuis, ſimulacriſq. imperauit, ſeq. ibi vt Deum coli præcepit. Pilatus autem Præſes, qui ſententiam damnationis in Chriſtum dixerat, poſtquam plurimas

Paul. Oroſ. hiſt. lib. 7. cap. 5.

ſedi-

ſeditiones in Hieroſolymis excepit, ac fecit, tantis irrogante Caio angoribus coactatus eſt, vt ſua ſe tranſuerberans manu malorum compendium mortis celeritate quæſierit. Caius Caligula libidinibus ſuis etiam illud ſceleris adiecit, vt ſorores ſuas primum ſtupro pollueret, deinde exilio damnaret: qui poſt omnes ſimul exules iuſſit occidi. Ipſe autem à ſuis protectoribus occiſus eſt. Duo libelli in ſecretis eius reperti ſunt, quorum alteri pugio, alteri gladius pro ſigno nomini aſcriptum erat: ambo lectiſſimorum virorum vtriuſque ordinis ſenatorij, & equeſtris nomina, & notas continebant morti deſtinatorum. Inuenta eſt & arca ingens variorum venenorum pocula continens, quibus mox Claudio Cæſare iubente demerſis, infecta maria traduntur non ſine magno piſcium exitio, quos enecatos per proxima littora paſſim æſtus eiecit. Magnum reuera indicium miſerentis Dei propter ſuffragium gratiæ in populum continuo ex parte crediturum, & propter iræ temperamentum in Populum tunc infideliter obſtinatum, vt quãta multitudo hominum præparatam mortem euaſerit, ex multitudine interfectorum piſcium diſceretur, omnibusq. noteſceret, quid tanti veneni moles aucta agere in miſera ciuitate potuiſſet, quæ negligenter effuſa, etiam maria corrupit. Hactenus Oroſius.

De veſtigijs pedum Domini in terra impreſſis, & de ijs, quæ ibi mirabiliter facta ſunt. Cap. 158.

EGregium monumentum, ſuæ ad cælos aſcenſionis redemptor noſter non tantum ſuis Apoſtolis, ſed poſteris quoque ſpectandum reliquit; nimirum ſuorum ſacrorum pedum terræ impreſſa veſtigia. De his olim Zacharias Propheta intellexiſſe videtur, dum prophetice hæc locutus eſt: Stabunt pedes eius ſupra montem Oliueti, qui eſt contra Hieruſalem ad orientem. Secundum prædicti ſitus rationem, eam conſuetudinem ad poſteros eſſe dilapſam, vt Chriſtiani ad orientem conuerſi precarentur, Athanaſius auctor eſt. Quod vero ad impreſſa veſtigia Domini pertinet, hæc ſcribit Hieronymus: Mons Oliueti ad orientem Hieroſolymæ, torrente Cedron interfluente, vbi vltima veſtigia Domini humo impreſſa, hodieq. monſtrantur, cumq. terra eadem quotidie à credentibus hauriatur. nihilominus tamen eadem ſancta veſtigia priſtinum ſtatum continuo recipiunt. Denique cum Eccleſia, in cuius medio ſunt, rotundo ſchemate, & pulcherrimo opere conderetur, ſummum tantum cacumen, vt perhibent, propter Dominici corporis meatum nullo modo contegi, & concamerari potuit, ſed tranſitus eius à terra ad cælum vſque patet apertum. hæc Hieronymus, qui ea ob oculos habuit, quæ quidem etſi tanto auctore ſatis teſtata habeantur, tamen quoniam iuxta illud Euangelicum in ore duorum, aut trium ſtat omne verbum, haud grauabimur hic iterum intexere, quæ alij antiqui Patres de eadem re ſcripſere. Ad prædicta enim alluſiſſe videtur Optatus Mileuitanus, qui cum meminit de Eccleſia orientali, inter alia: Ibi, inquit, eius ſancta ſunt impreſſa veſtigia. S. Paulinus Nolanus Epiſcopus ad Seuerum ſcribens, hæc fuſius teſtatur his verbis. Mirum vero inter hæc, quod in Baſilica Aſcenſionis, locus ille tantum, de quo in nube ſuſceptus aſcendit, captiuam in ſua carne ducens captiuitatem noſtram, ita ſacratus diuinis veſtigijs dicitur, vt nunquam

Zach. 14. *Athan. lib. quaeſt. q.* 14. *Hier. de lo. Hebr.* *Paulin. ad Seuer. ep.* 11

tegi marmore, aut pauiri receperit, ſemper excuſſis, ſolo reſpuente, quæ manus adornandi ſtudio tentauit apponere. Itaq. in toto Baſilicæ ſpatio ſolus in ſui ceſpitijs ſpecie virens permanet, & impreſſa diuinorum pedum veſtigia calcati Deo pulueris perſpicua ſimul & attigua venerantibus arena conſeruat, vt vere dici poſſit: Adorauimus, vbi ſteterunt pedes eius. hactenus Paulinus: quæ accepit à Melania illuſtriſſima, ac ſpectatiſſimæ tunc ſanctitatis femina, cum Hieroſolymis Romam illa rediens apud eum, Nolam veniens diuertiſſet. Rurſum & Seuerus Sulpitius eadem in hæc verba: Illud mirum, quod locus ille, in quo poſtremum inſliterant diuina veſtigia, cum in cælum Dominus nube ſublatus eſt, continuari pauimento cum reliqua ſtratorum parte non potuit, ſi quidem quæcunque applicabantur, inſolens humana ſuſcipere terra reſpueret, excuſſis in ora apponentium ſæpe marmoribus. Quin etiam calcati Deo pulueris adeo perenne documentum eſt, vt veſtigia impreſſa cernantur: & cum quotidie confluentium fides certatim Domino calcata diripiat, damnum tamen arena non ſentiat, & eadem adhuc ſui ſpeciem, velut impreſſis ſignata veſtigijs terra cuſtodit. hæc Seuerus. *Seuer. Sulpit. ſacr. hiſt. lib. 2.*

Auget ſane miraculum, quod cum eodem in loco (vt ſuperius Ioſepho auctore monſtrauimus) Romanus exercitus ſub Tito caſtrametatus eſt, cum Hieroſolymam obſideret, non tantum vt in talibus accidere conſueuit, leui terræ toties percalcatæ impreſſa potuiſſent remanere veſtigia, ſed nec ſi celte lapidi fuiſſent inſculpta, eadem aliqua ex parte integra apparuiſſent. Porro eiuſmodi miracula edita in monte Olineti in loco Aſcenſionis Domini non tantum prædictorum Auctorum tempore cunctis perſpicua permanebãt, ſed poſt ſeptingentos fere annos eodem ſtatu perſeueraſſe, Beda dum de his agit, his verbis ſignificat: In eius ſummo vertice, vbi Dominus ad cælos aſcendit, eccleſia rotunda, grandis ternas per circuitum cameratas habet porticus deſuper tectas. Interior namq. domus propter Domini corporis meatum, camerari, & tegi non potuit altare ad orientem habens anguſto culmine protectum, in cuius medio vltima Domini veſtigia, cælo deſuper patente, vbi aſcendit, viſuntur, quæ cum quotidie à credentibus terra tollatur, nihilominus manent, & eamdem adhuc ſpeciem ſui velut impreſſis ſignata veſtigijs ſeruant. Et poſt nonnulla: In die Aſcenſionis Dominicæ per annos ſingulos Miſſa peracta, validi flaminis procella deſurſum venire conſueuit, & omnes qui in Eccleſia fuerint, terræ proſternere. Tota illa nocte lucernæ ardent, vt non illuſtrari tantũ, ſed & ardere mons, & ſuppoſita loca videantur. hucuſque Beda. Porrò lapidem illum, qui Domini continebat impreſſa veſtigia, Chriſtianæ fidei hoſtium inuidia inde ſublatum in porta orientali eius Eccleſiæ ab eis clauſa poſitum eſſe, recentiores, qui eadem loca ſancta deſcripſerunt, teſtati ſunt. *Bed. de loc. Sanct. c. 7.* *Burcard. p. 1. c. 7. & alij.*

Chriſtus Dominus bonorum Saluator, malorum punitor. Cap. 159.

IGitur anno ab Vrbe condita 752. natus eſt Chriſtus ſalutarem mundo afferens fidem, vere petra medio rerum poſita, vbi comminueretur, qui offenderet; qui crederet, ſaluaretur. Vere ignis ardens, quem qui ſequitur, illuminatur, qui tentat, exuritur. Ipſe eſt Chriſtus Chriſtianorum caput, *Ex Paulo Oroſ. hiſt. l. 7. cap. 3.*

Salua-

Saluator bonorũ, malorum punitor, Iudex omnium, qui formam ſubſecuturis verbo, & opere ſtatuens, quo magis doceret patientes in perſecutionibus, quos pro vita æterna exciperent, eſſe oportere, mox vt Virginis partu editus mundo apparuit, à paſſionibus ſuis cœpit. Nam eum Rex Iudææ Herodes ſimul vt natum comperit, necare decreuit, plurimosq. tunc paruulos, dum vnum inſectatur, occidit. Hic malignis improbe incurrentibus digna punitio eſt. Hic inquantum tranquille agitur mundus, credentium gratia: in quantum pernicioſe inquietatur, blaſphemantium pœna eſt: Securis per omnia Chriſtianis fidelibus, quibus aut æternæ vitæ requies in tuto, aut etiam huius in lucro eſt, quod promptius, cum per ordinem referam, ipſis rebus oſtendam. Poſtquam Redemptor mundi Dominus Ieſus Chriſtus venit in terras, & Cæſaris cenſu, ciuis Romanus aſcriptus eſt, dum per duodecim, vt dixi, annos clauſæ belli portæ beatiſſima pacis tranquillitate cohibentur, Caium nepotem ſuum Cæſar Auguſtus ad ordinandas Aegypti, Syriæq. prouincias miſit, qui præteriens ab Aegypto fines Palæſtinæ, apud Hieroſolymam in templo Dei tunc ſancto, & celebri adorare contempſit, ſicut Suetonius Tranquillus refert. Quod Auguſtus, vbi per eum comperit, prauo vſus iudicio, prudenter feciſſe laudauit. Itaq. anno Imperij Cæſaris quadrageſimo octauo adeò dira Romanos fames ſecuta eſt, vt Cæſar Laniſtarum familias, omnesq. peregrinos, ſeruorum quoque maximas copias, exceptis medicis, & præceptoribus trudi Vrbe præceperit. Ita peccante Principe in Sanctum Dei, & correpto per famem populo, quantitatem offenſionis qualitas vltionis oſtendit. Deinde, vt verbis Cornelij Taciti loquar, Sene Auguſto, Iano patefacto, dum apud extremos terrarum terminos nouæ gentes ſæpe ex vſu, & aliquando cum damno quæruntur, vſque ad Veſpaſiani durauit Imperium. Hucuſque Cornelius.

Sueton. in Octauio c. 93.

Ceterum & tunc capta, euerſaq. Vrbe Hieroſolymorum, ſicut Prophetæ pronuntiauerunt, extinctisq. Iudæis, Titus, qui ad vindicandum Domini Noſtri Ieſu Chriſti ſanguinem iudicio Dei fuerat ordinatus, victor triumphans cum Veſpaſiano patre Ianum clauſit. Igitur, etſi ſub extremis Cæſaris temporibus apertus eſt Ianus, tamen per multa ex eo tempora, quamuis in prouincia eſſet exercitus, nulla bella ſonuerunt. Vnde etiam Dominus ipſe Ieſus Chriſtus in Euangelijs, cum temporibus illis in ſumma tranquillitate vniuerſus mundus ageret, cunctasq. gentes pax vna velaret, & à diſcipulis ſuis interrogatus eſſet de concluſione temporum ſubſequentium, inter cetera ſic ait: Audituri autem eſtis prælia, & opiniones præliorum, videte ne turbemini. Oportet enim hæc fieri, ſed nondum eſt finis. Conſurget enim gens in gentem, & regnum in regnum, & erunt peſtilentiæ, & fames, & terræmotus per loca. Hæc autem omnia initia ſunt dolorum. Tunc tradent vos in tribulationem, & occident vos, & eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum. Hoc autem diuina prouidentia docens, & credentes præmonendo firmauit, & incredulos prædicendo confudit.

De ſacratiſſimis Reliquijs ex Chriſti Domini paſſione conſecratis. Cap. 160.

Remanſerunt omnia illa paſſionis Chriſti, atque ſepulchri inſtrumenta, ipſaq. loca, vbi hæc facta ſunt, tantæ rei digna memoria conſecrata, velut quædam trophæa victoriæ, eademq. facta toto Orbi conſpicua atque proficua, ex quibus velut è perennibus quibuſdam fontibus fluenta gratiarum, atque miraculorum eruperint. Ipſas ſpinas Coronæ Ieſu, columnam ad quam alligatus eſt, cum flagellis cæderetur, arundinem, atque ſpongiam, qua fuit aceto potatus, magna fuiſſe diligentia aſſeruata, tradit Gregorius Turonenſis, ſimul & Beda. Ipſum ſudarium inſuper, quo caput Domini eſt inuolutum in Sepulchro, quod diuina virtute ab incendio remanſerat illæſum, eſſe tranſlatum ad poſteros Beda teſtatur. Ab hoc diuerſum ſudarium illud exiſtimatur, quod à Berenice faciei Domini ſanguine, & ſudore aſperſæ admotum, eiuſdem Dominici vultus effigiem in ſe retinuit, vt habet Chriſtiana traditio, & libellus manuſcriptus de tranſlatione eius Romam facta, qui aſſeruatur in Vaticana Bibliotheca, teſtatur. De eadem Berenice, quæ & Veronica dicta habetur, deque eadem Chriſti imagine, Velo excepta Methodius Epiſcopus antiquus Chronographus meminit. *Turon. de gl. mart. c. 7. & 8. Beda c. 5. Apud Marian. Scot. in Chron. ann. Dom. 39.*

Terra ipſa inſuper, quæ Domini adiacet ſepulchro, diuinam quandam ex Dominico corpore proxime poſito virtutem hauſit: vt merito fideles illuc peregrinantes, auide ſolerent accipere, qua tum ad morbos curandos, tum etiam ad Dæmones perfugandos vti conſueuerint. Eſt eius rei locuples teſtis S. Auguſtinus, dum hæc ait de Heſperio viro Tribunitio: Acceperat autem ab amico ſuo terram Sanctam de Hieroſolymis allatam, vbi ſepultus Chriſtus die tertio reſurrexit: eamq. ſuſpenderat in cubiculo ſuo, ne quid mali etiam ipſe pateretur. At vbi domus eius ab illa infeſtatione purgata eſt, quid de illa terra fieret, cogitabat, quam diutius in cubiculo ſuo reuerentiæ cauſa habere nolebat. Forte accidit vt ego, & collega meus Epiſcopus Sinicenſis Eccleſiæ Maximinus in proximo eſſemus, vt veniremus rogauit, & venimus: cumq. nobis omnia retuliſſet, etiam hoc petiuit, vt infoderetur alicubi, atque ibi orationum locus fieret, vbi etiam poſſent Chriſtiani ad celebranda, quæ Dei ſunt, congregari. hæc Auguſtinus. Ex quibus videas antiquam Chriſtianorum pietatem, qui non modo illa loca ſancta, in quibus Dominus eſt conuerſatus, & paſſus, ædificiorum molibus illuſtrarint, ſed tenuem ex ſepulchri, loco ſumptum puluiſculum eodem honore habendum exiſtimarint, adeo vt eiuſdem condendi cauſa etiam Eccleſiam excitarint. Ex eadem terra aqua admixta formari conſueuiſſe tortulas quaſdam, eaſdemq. per diuerſas mundi partes tranſmitti ſolitas ad morbos curandos, aliaſq. diuinas gratias impartiendas teſtatur Gregorius Turonēſis. *Auguſt. de Ciu. Dei 22. c. 8. Turon. de gl. mart c. 7*

Permanſit integra, diuina operante virtute, illæſaq. hactenus ſanctiſſima Sindon illa, qua Chriſtus ſe ad ſepulturæ myſterium inuolui dignatus eſt, in qua incredibili quadam ratione, omniumq. iudicio admirabili ſeruatoris ipſius imaginem expreſſam licet intueri: quæ partim pretioſiſſimo ſanguine figuratur, partim quantum licet conijcere, eximijs vnguentis, quibus ipſe Dominus priuſquam humaretur, inunctus eſt. Anterior autem, poſteriorq. *Simon Maiolus de ſacris imaginibus 101. c. 4.*

corporis partes mirabiliter diſcernuntur, quamuis totius rei forma exacta, haud integris lineamentis non definiatur, ſingulæ tamen membrorum partes figura peroptime diiudicantur: tum coronæ ex ſpinis contextæ locus, tum lateris,manuum, pedumq. vulnera diſtinguuntur: quod ſane opus, vel omnium pictorum,artificumq. iudicio nulla arte aſſequi,nullo imitari penicillo, nullis coloribus exprimi, fingiue poſſe, quiſquis acceſſerit ingenue fatebitur: ibi enim reuerentia, ſeruorq. inſpectantis animum adeo mouent, vt ab alto diuinam adeſſe præſentiam ſe ſentire cognoſcat, eſſeq. Dei ipſius opus, non autem hominis alicuius.

Et ſane ſi ob feruens Abagari deſiderium, ſimulq. ob Veronicæ fidem ac famulatum, miracula adhuc viuens operari dignatus eſt,propria effigie linteis delineata; nemo pius vnquam dubitauerit Ioſepho ac Nicodemo præſtitiſſe maiorem gratiam, quorum & maior affectus fuerat, & maior etiam fides, ac obſequium, officiumq. pręſertim erga defunctum iam ab omnibus derelictum: Quoniam igitur etiam mortuus non deſtiterat conſolari ſuos, quos Principum Iudęorum immanitas perterrefecerat, hoc miraculo, & reſurrectionis futurę certitudinem,& perpetuum quoddam ſuę paſſionis veſtigium fidelibus ſuis relinquere dignatus eſt. Prioribus ſeculis ſeruorum Chriſti ſtudio Hieroſolymis, deinde Cypro penes Reges ſeruatum fuit hoc inęſtimabile pignus: at vbi cępit ira Dei excandeſcere, & immanitati Turcarum Regna illa exponenda permiſit, ſacratiſſimę Sindonis Deus non oblitus, ne impiorum manibus aliquando pollueretur, ad pijſſimorum Ducum Sabaudię,quaſi aſylum,eam migrare voluiſſe videtur. Seruabatur olim pretioſiſſimus ille theſaurus Camberio Allobrogum inſigni Oppido, Ducumq. Regia, hodie vero Taurini ſumma veneratione, & pietate ab ipſo Sereniſſimo Sabaudię Duce cuſtoditur.

Huiuſmodi autem Sindonem eandem illam eſſe Euangelicam, de qua Euangeliſtę omnes teſtati ſunt, nempe Matthęus cap.27. Marcus 15 Lucas 23. Ioann. 19. iam ante annos 130. Primus, qui Kabilonenſium Epiſcopus fuerat, ſcriptum reliquit opuſculo quodam, quo cum Sanctorum reliquias, ac loca, vbi quieſcerent,perſequeretur,ſic habet: Extat Camberio Sabaudię oppido Sindon ſepulchri cum effigie Chriſti impreſſa. Suffragatur ei, quin ſummam auctoritatem tribuit, Paulus ſecundus Romanus Pontifex,qui ſacello, quo is ſacroſanctus theſaurus aſſeruandus tunc collocatus fuerat à Ludouico. & Anna Ducibus,Collegiatę Eccleſię iura largitus eſt,huius Sindonis contemplatione, ac veneratione permotus.

Sed & Xiſtus Quartus etiam Pontifex prędeceſſoris veſtigia ſecutus Sacellum idem ſanctum dici mandauit, ſuoq. in libello iam antea edito affirmauit illa in Sindone verum ipſius Chriſti ſanguinem, imaginemq. contineri, ac conſpici. Iulius pręterea ſecundus inſigni diplomate, ac bulla de eadem Sindone tum ſacrificium celebrari,tum Horas Canonicas decantari conceſſit: diem quoque in eius commemoratione feſtiuam prę ſcripſit ad quartum nonas Maij. Alio inſuper diplomate plenarias elargitus eſt indulgentias ſacram huiuſmodi ſindonem inuiſentibus, & venerantibus. Quin etiam cum ipſa Sindon aliquando flammarum vim miraculo ſuperaſſet, Clemens Septimus diligenti inquiſitione habita rem huiuſmodi non modò probauit, verũ & Prędeceſſorũ diplomata, ac priuilegia confirmanda cenſuerat, accedente om-

omnium Cardinalium conſilio, ac conſenſu; reliquis etiam poſtea Romanis Pontificibus in eadem erga eam pietate perſeuerantibus. Vnde blatterantem Caluinum, & inaniter aduerſus hanc Syndonem garrientem exſibilare omnes Catholici iure debent. Miracula enim plurima ſunt, quæ huic veritati fidem aſtruant.

Illud vnum hic conſcribendum putamus, de quo Apoſtolicæ Sedis legatus Cardinalis Tit. Sancti Cæſarei, & Epiſcopus Maurianẽſis Clementis Septimi iuſſu inquiſitione præhabita teſtatus eſt: accedente etiam Philiberti Pingonij teſtimonio, qui ſe oculata fide, miraculo interfuiſſe profitetur his verbis. Anno 1532. ſecundo nonas Decembris, Barbaræ Virginis feſto die, nocte media vix illabente, ſacellum, in quo Sindon reponebatur, flammis incognitis exarſit: occurrebant omnes, ſed omnium diligentiſſimus Philibertus Lambertus Ducis à clauibus & cõſilijs, aſcito ſecum Ferrario Fabro, Guglielmo Puſſodo nomine, & Franciſcanis duobus imperterrito animo per medios ignes gradiuntur, cancellos ignitos aræ maxime affixos, ferâſquè effringunt; ſindonem iam liquefacta capſa argentea extrahunt, & integram cedente circumflamma reportant, effuſis ignibus graſſabatur incendium, abſumebantur marmora, & columnæ, ſed potentiore piorum hominum fide, viq. numinis ſuperata eſt ignis natura. Fugiebât flammæ, & qui putabantur arſuri, veluti frigido rore perfundebantur, ſeq. ipſos ſunt admirati. Velut illis quondam Hebræis pueris, contigiſſe credidimus (tunc enim aderam) & obſtupuimus: nec multo poſt Sindon publice repræſentata eſt integerrima, præter quod (extra tamen ſacræ Iconis partes) in complicatu exiguæ quædam ambuſtionis notæ veluti perpetuæ miraculi teſtes remãſerunt. Hactenus teſtis ille oculatus, cui etiam ſuffragantur Franciſcus Adornius Ieſuita eiuſdem hiſtoriæ ſcriptor. Nec hoc fortuitò factum exiſtimandum eſt, vt ſcilicet ambuſtionis in linteo ſigna conſpicerentur, in Icone autem nulla prorſus fuerit læſio; id enim contigit, vt ex ea re miraculi magnitudo adaugeretur, ſanguiniſq. Chriſti priuilegium fuiſſe cognoſceretur, non lini Cyprij aut Indici, quod non exuritur; nam id ſi humana arte fuiſſet, aut pictum, aut delibutum, ſeruato lino pigmenta omnia igne fuiſſent oblitterata, emundato, non combuſto lino; quod tamen tunc contra euenit, vt ſcilicet linum combureretur, ſanguis illæſus perſeuerarer, vt non lini Cyprij priuilegium, aut natura, ſed diuina in Icone potentia manifeſtaretur.

Propterea innumerabiles propemodum affixæ tabellæ ſunt ipſo in ſacello huius Sindonis, quibus grandia miracula conſcripta ſunt: nam & ſurdi audiſſe, & cæci vidiſſe, muti locuti fuiſſe, dæmoniaci liberati conſpiciuntur. Ex quibus miraculis præcipua quædam Pingonius oculatus teſtis tum proſa, tum carmine recenſuit. Extat præterea numiſmata aurea, argentea, atque ænea, quæ ante annos 130. pijſſimus Ludouicus Allobrogum Dux cudenda mandauerat; Angelo ſindonem expandente, hac inſcriptione, Sancta Sindon D. N. Ieſu Chriſti 1453. Cuius veſtigia ſecutus poſtea Carolus, aliud conſimilem imaginẽ habens numiſma cudi curauit, hac inſcriptione: Sancta Sindon Chriſti 1487. Quorum auita exempla etiam felicis. record. Emmanuel Philibertus Dux alio mumiſmate eſt imitatus, hac inſcriptione: Sacroſancta Sindon D. N. Ieſu Chriſti 1578. Atque ita fit, vt ſibi ſemper conſtans, ſemperq. perſeuerans, tum Pontificum, tum Principum, ac populorum

in eadem fide pietas indubiam huius rei veritatem oſtendat.

Accedunt ijs omnibus Principum quoque peregrinationes, ac vota. Nam & Amadeus, inter Diuos ob vitæ ſanctitatem relatus, ſæpiſſime à Subalpinis ad Tranſalpinos, quamuis valetudinarius humili habitu, culcuq. corporis ad adorandam hanc Sindonem profectus eſt, conſequente etiam Iolanda à Francia Chriſtianiſſima coniuge, quos & reliqui etiam Duces imitari adniſi ſunt. Sed illud eſt præcipue memorabile, quod Franciſcus Francorum Rex, Ludouica Sabauda matre natus, cum ad Melenianũ in ſummum belli diſcrimen Mediolanenſium rerum cauſa adductus eſſet, vota ad Chriſti hanc Sindonem direxerat, moxq. precanti adfuit numen; profligato etenim Heluetio hoſte, victoriam eſt aſſecutus, & reuerſus in Galliam anno 1516. Lugduno mouens Camberium pedibus iter fecit, ſacram Sindonem religioſiſſime inuiſens, & adorans.

Nouiſſime Caroli Borromęi ampliſſimi, æque ac Sanctiſſimi Cardinalis, Mediolanenſis Archiepiſcopi, eiuſmodi adorandæ Sindonis cauſa ſuſcepta peregrinatio, quaſi quendam colophonem huic veritati addidiſſe viſa eſt, ad impiorum, & hæreticorum hominum ora perpetuo obſtruenda. Nam cum communis ſenſus naturæ, veritatiſq. vox ſit, ex innumerabili accurrentium populorum multitudine, ſic Spiritu ſancto impellente ad eandem pietatem exercendam, indicaſſe rei veritatem Deus intelligitur. Aderat & pijſſimus Guido Ferrerius Cardinalis, aderant Archiepiſcopi, aderant Epiſcopi egregio adeo numero, vt ampliſſima Synodus videri poſſet: atque ideo tot in vnum congregatis Chriſtus, quod pollicitus eſt, præſtitit, ſcilicet ſe in medio illorum futurum, qui in ſui nomine, proq. eius adorando ſanguine conueniſſent. Si quis ſeriem huius peregrinationis noſſe vellet, diſcet à Pingonio, atque Adornio, qui fuſius de ea conſcripſerunt.

De eadem Sacratiſſima Sindone Daniel Mallonius libro de Ieſu Chriſti crucifixi ſtigmatibus Sacra Sindoni impreſſis, ab Alphonſo Paleoto Archiep. Bonon. explicatis, hæc habet. Cap. 161.

Dan. Mallon. de Ieſ. Chr. ſtigm.

SAcramentum Regis abſcondere bonum eſt, opera autem Dei prædicare & reuelare, honorificum. In primis vero ſublime illud heroicæ pietatis opus, quod adeo omnem humanarum captum, intelligentiamq. tranſcendit, vt de illo dictum à Deo per Habacuc à multis intelligatur: Opus operor in vobis, quod non credetur, cum narrabitur. Hoc illud opus eſt, quo Pater æternus, vt ſeruum redimeret, filium ſuum vnigenitum tradidit. Hoc illud opus eſt, quod Dauid confeſſionem, & magnificentiam appellauit. Opus enim redemptionis noſtræ, magnificentia charitatis fuit, qua nulla maior, nulla ardentior; cum Chriſtus non ſolum animam ſuam poſuerit pro amicis, ſed etiam pro inimicis, ideo redemptionis noſtræ opus, vt magnificentia plenum eſt, ita etiam confeſſione dignum eſt, vt ſumma cum laude & gratiarum actione recolatur à nobis. At vero adeo abundant paſſiones Chriſti in nobis, & vt vix cognoſci poſſint à nobis omnia, quæ Chriſtus egit, paſſuſve eſt pro nobis, vt meritò quoddam Hieronymi circumferatur elogium: Quæ Chriſtus pro nobis paſſus eſt, nunquam plene cognoſcentur,

niſi cum Dominus in fine mundi adueniens vniuerſæ paſſionis ſuæ ſummam, rationemq. manifeſtabit. Hoc ego maxime verum credo, licet enim nihil apud fideles in toto terrarum orbe Chriſti paſſione notius ſit, plurimæ tamen paſſionis eiuſdem circumſtantiæ, rationes, ac myſteria adhuc nobis ignota ſunt: plurimas ex ijs ſacroſancta Sindon, cui Chriſtus poſt mortem à ſacerrima Virgine, ac pientiſſimis viris Ioſepho, ac Nicodemo inuolutus, in tumulumq. collocatus eſt, nobis reuelat: hæc enim Ieſu Chriſti effigiem, quatenus nobis in hac vita degentibus contueri fas eſt, ſacroſancta eiuſdem ſtigmata, excarnificationes, liuores, cicatricum magnitudinem, numerum, ſitum exhibet, vt ex deuotè contuentiũ oculis lachrymas eliciat, ex corde dolorem, ex vultu mæſtitiam. Quod & in alijs animaduertere conſueui, & in me ipſo experiri afferre non grauabor. Equidem vt ſacroſanctæ Sindonis ex vero prototypo exceptæ effigiem conſpexi, ita mente conſternatus ſum, ita dolui, ita elangui, ita emarcui, vt velut alter Daniel dolore quaſi in terram collapſus ſim. Et licet Chriſti paſſiones innumerabiles nouerim, Chriſtum tamen ita dixi tractatum, vt ſacroſancta Sindon oſtendit, vix vnquam opinatus eſſem. O quam, dicebam tunc, abundant Chriſti paſſiones in nobis, vere opus operatus eſt, quod vix credetur, cum narrabitur. Ecce quomodo non eſt illi ſpecies, neque decor. Vere morte turpiſſima condemnatus eſt. Ecce virum dolorum, & ſcientem infirmitatem. Eximiam diuinæ benignitatis largitionem mihi factam agnoui, vt Ieſu Chriſti paſſiones è clariſſimo Chriſtiferæ ſindonis ſpeculo contueri poſſem: efferbuit in me ſpiritus meus, vt quæ in ſacratiſſimo ſanctæ ſindonis ærario conſpexiſſem, eadem ad ſpiritualem fidelium ædificationem alijs referrem, ne veluti ſeruus nequam talentum mihi creditum in terram viderer abſcondere.

De Veſte inconſutili. *Cap. 162.*

Quanã fuit veſtis incõſutilis deſuper contexta per totũ.

Euthym. c. 67. Matth.

Chryſoſt. in Ioan. ho. 84

DE Chriſti Domini noſtri veſte, hæc tradit Euthymius: Hanc tunicam è traditione Patrum accepimus, opus fuiſſe Dei matris, veluti ſunt apud nos capitis, aut pedum hyemalia operimenta, ideſt pileoli, & caligæ, quæ tum ex lana, tum ex bombice fiunt ad arcendum frigus. Chryſoſtomus in Ioannem ſuper hæc verba, deſuper contexta, ita ſcribit: Quod autem dicit, deſuper contextam; non ſimpliciter ponitur, ſed alij allegoriam id ſignificare dicunt, quod non ſimpliciter homo eſſet crucifixus, ſed deſuper habuerit diuinitatem. Alij dicunt per illud genus veſtis, Euangeliſtam hiſtoriam narrare: Nam in Palæſtina ex duobus pannis veſtes contexunt: quod ſignificans Ioannes, inquit, deſuper contextam. Quod mihi dicere videtur, vt veſtimentorum vilitatem oſtenderet: nam quemadmodum in alijs omnibus, ita in habitu vilem ſpeciem præferebat. Hæc eadem refert Theophylactus, ſed adiungit: Alij autem dicunt, quod in Palæſtina contexantur licia, non ſicut apud nos: nam ſupra quidem eſt filum, infra autem contexitur panno, & ita regreſſio fit, ſed contrario modo: infra enim ſunt fila, in ſummo autem contexitur contextus, & talis quoque fuit tunica Domini. Gregorius Nyſſenus ſcribit, olim textores ſolitos texere veſtes ab inferiori parte ad ſuperiorem, vel à ſuperiori ad inferiorem, & per latera cum figuris. Illud ergo verbum; deſuper, quod Græcè dicitur ἐκ τῶν ἄνωθεν, non ſignifi-

Theophy. in Ioan.

Greg. Nyſſ. in Cant.

Salmer. tr. 38. de Paſſ.

Illud: Deſuper cōtexta per totū, quo ſenſu dictum ſit. Theop. ibid. Nonnus Paraphraſt. in Ioan.

cat ab Angelis contexta, ſed vt Theophylactus notat, & Nonnus Paraphraſtes illud ἄνωθεν referendum eſt ad κάτω, ideſt, à ſupernis ad inferna. Hæc igitur Tunica, quia opus reticulatum, nihil diuiſum valeret, indiuiſum permanſit. Dicitur autem proprijs manibus à Beata Matre fuiſſe elaboratum opere textili, quod Chriſto exiſtenti paruulo mater confecerat: quæ eo creſcente, creſcebat, ſicut veſtes filiorum Iſrael egredientium de Aegypto per 40. annos illis auctis augebantur. Ieſus igitur nudus, & facultatibus, & habendi propoſito, egreſſus eſt de terra, ſicut etiam fuit ingreſſus, & Omega redijt ad Alpha, ideſt, qua ratione pauper natus eſt, & nudus, eadem & nudus, & pauper egreditur.

Veſtis Xpi incōſutilis, op⁹ Dei Virginis matris fuiſſe perhibetur, idq. quàm admirabile Deut. 8. & 19. Sigeber. in Chron. an. 593. Appēd. hiſt. Franc. c. 11. Aimoin. de geſt. Franc. lib. 3. c. 77. Iac. Gretſe. de Cruce l. 1. c. 97.

Piè credendum eſt ſacratiſſimam illam Tunicam à militibus quidem profanis ſorti datam, à pijs autem fidelibus redemptam fuiſſe, & quouis theſauro pretioſiorem habitam, ac religioſiſſimè aſſeruatam. De ea hæc tradit Sigebertus: Tunica Domini noſtri IESV Chriſti, in ciuitate Zaphat, non longe à Hieroſolyma, confeſſione Simeonis inuenta, & ab Epiſcopis Gregorio Antiocheno, & Thoma Hieroſolymitano, & Ioanne Conſtantinopolitano, Hieroſolymis in loco, vbi crux colitur, poſita eſt. Idem narrat Gregorius Turonenſ., vel alius Auctor, qui appendicem addidit libris de hiſtoria Francorum, qui addit, triduanum ieiunium ante tranſlationem indictum: ipſamq. marmoream arcam tam leuem eſſe redditam, ac ſi fuiſſet lignea. Hæc ille. De eadem ſic etiam Aimoinus: Trigeſimo vero ſæpe dicti Principis anno, fama per totos Francorum diuulgauit fines, tunicam Domini noſtri Ieſu Chriſti (quæ ei in paſſione ſublata eſt, & vni militum ſorte tradita, iuxta illud Prophetæ vaticinium, quia ſuper veſtem meam miſerunt ſortem) inuentam eſſe, profitente quodam Simone, Iacob patre primogenito, qui per duas fere hebdomadas pœnis affectus, tandem profeſſus eſt ipſam tunicam in ciuitate Zaphat, procul à Hieroſolymis, in arca marmorea poſitam eſſe. Quam Gregorius Antiochenus, & Thomas Hieroſolymitanus, Ioannes quoque Conſtantinopolitanus Epiſcopus, cum alijs multis Pontificibus, triduano completo ieiunio, cum deuotione maxima tranſtulerunt; ac in loco, quo Crux dominica veneratur, poſuerunt, cum ipſa, in qua prius fuerat, marmorea arca. Quæ tantæ leuitatis, dum efferretur, fuiſſe viſa eſt, vt nullum onus portantes ſentirent.

De Spinea Corona. Cap. 163.

Matt. 27.

AD ea autem, quæ ſupra dicta ſunt, hæc etiam adiungamus, quæ ſcire non eſt infructuoſum. Milites plectentes Coronam de ſpinis, impoſuerunt illam ſuper caput Ieſu, vt ibidem ludicre coronaretur; quod factum ſola militum petulantia, Romanorum militum commentum fuit ex vſu rei ſecularis, his enim Inſignibus inaugurari ſoliti reges, throno, corona, purpura, ſceptro, fauſtis acclamationibus, honorificis conſalutationibus, & id genus alijs, quorum omnium pars aliqua exprimitur in coronatione Regis Ioas, quem circumſtante militum multitudine produxit Ioiada, collocauitq. in throno, & poſuit ſuper eum diadema, & teſtimonium, feceruntq. Regem, & vnxerunt, & plaudētes manu dixerunt: Viuat Rex. Romani itidem rerū Domini, Regibus amicis, vel quos Reges renunciabant, coronas mittere ſolebant.

4. Reg. 11.

bant. Et Alexander Rex Ionathæ purpuram, & coronam auream dono dedit. Igitur milites pro corona aurea ſpineam impoſuerant, ad quam contemplandam viſus eſt Salomon inuitaſſe, cum inquit: Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater ſua. *Ioſeph. lib. 14. antiq. c. 5. Cant. 3.*

Geſtabat Dominus in coccinea chlamyde ſpeciem ſanguinis, ſpinasq. in corona, & chirographum in calamo, quo inſtrumento iam olim nos Diabolus æri ſuo, rationibusq. inſcriptos habebat, vt vna cum morte etiam iſta ſimul demoliretur, & rerum naturam ab his malis purificaret, & pro ſpinis lignum vitæ elargiretur vtendum, & pro ſanguine peccatorum, ſuo ſanguine & terram, & omnes emundaret. *Athanaſ.*

Has ſpinas ſpectans Cyprianus, hæc habet ad Chriſtum in cruce pendentem: Conſideraui opera tua, & expaui. De clauis ſacros pedes terebrantibus, laſſisq. manibus, de vulnerum anxietate non loqueris. De ſpinis ſacrum caput pungentibus non quereris, ſed ſatagis vt innoteſcat poſteris, quare derelictus à Deo videaris, expoſitus contumelijs, & Iudæorũ ludibrijs. *Cypria. ſer. de paſſion.*

Iſaac, cum ligno reſeruatus eſt, ariete oblato in vepre cornibus hærente, & Chriſtus ſuis temporibus lignum humeris portauit inhærens cornibus Crucis, corona ſpinea in capite eius circundata. *Tertull. lib. contra Iud. c. 13.*

Chriſtianus miles capiti ſuo coronam imponere recuſauit, eo quià Chriſtus ſpinis coronatus deluſus fuerit. Cap. 164.

CVm Seuerus Imperator renunciatus eſſet, placuit ei ad conciliandum ſibi populum præter munificentiſſimas munerum editiones, congiariũq. magnum collatum Populo, militibus etiam ei tribuere donatiuum. Cuius exhibitionis tempore illud de Chriſtiano milite accidit, quod Tertullianus in libro de Corona militis, in hæc ferme verba eſt proſequutus. Proxime facta eſt liberalitas præſtantiſſimorum Imperatorum: Expungebantur in caſtris milites laureati. Adhibetur quidam illic magis Dei miles, cæteris conſtantior fratribus, qui ſe duobus Dominis ſeruire non poſſe præſumpſerat, ſolus libero capite, coronamento in manu ocioſo. Vulgata iam, & iſta diſciplina Chriſtianorum relucebat. Denique ſinguli deſignare, eludere eminus, infrendere cominus in noſtrum. Tribuno defertur: & perſona iam ex ordine acceſſerat. Statim Tribunus: Cur, inquit, tam diuerſus habitu? Negauit ille cum cæteris ſibi licere. Cauſas expoſtulatus, Chriſtianus ſum, reſpondit. O militem in Deo glorioſum! Suffragia exinde, & res apud Acta, & reus apud Præfectos. Ibidem grauiſſimas penulas poſuit reuelari auſpicatus, ſpeculatoriam moroſiſſimam pedibus abſoluit, terræ ſanctæ inſiſtere incipiens, gladium nec dominicæ defenſioni neceſſarium reddidit, laurea, & de manu claruit, & nunc ruſſatus ſanguine ſuo, ſpe calceatus de Euanlij paratura ſuccinctus acutiore verbo Dei, totus de Apoſtolo armatus, & de martyrij candida laurea melius coronatus, donatiuum Chriſti carcere expectat. Hæc Tertullianus. *Spartia. in Seuer. Tertull. in lib. de corona milit. c. 1.*

Godefridus, captis Hieroſolymis, in ea Vrbe in qua Dominus ſpinis coronatus eſt, coronam regiam ſuo capiti imponere noluit. *Cap.* 165.

NEc prætereunda eſt hoc loco inſignis pietas Godefridi Ducis Bullionij, qui aſſerta in libertatē, Terra ſancta, occupatiſq. Hieroſolymis, religioni habuit, in ea vrbe, in qua Dominus ſpinis coronatus eſt, coronam Regiam capiti imponere. Quamobrem in huius, & aliorum Regum Hieroſolymitanorum ſtatuis, & imaginibus non viſuntur aliæ coronæ, quam veprium ſimilitudinem horridæ.

Præter alias partes huius coronæ, quæ varijs in locis pie aſſeruantur, & coluntur, illa etiam vna eſt, quam Ethelſtanus Anglorum Rex accepit ab Othone Magno Imperatore: Et illa, quam S. Ludouicus Rex Galliæ cum alijs pretioſiſſimis Chriſti reliquijs à Græcis, & Venetis redemit, Lutetiamq. tranſportari curauit, cui etiam cum adferretur, obuiam cauſſa proceſſit, comitantibus Epiſcopis, Regniq. proceribus, multis cum lacrymis, & ſuſpirijs, nudis pedibus, affluente vndique, & in genua procumbente populo.

Vna ex ſpinis feria ſexta Paraſceues ſanguineis guttulis rubeſcit. *Cap.* 166.

Guliel. Eiſeig. Cent. 1. diſt. 1.

CVm diſtraherentur, ad diuerſas mundi plagas ſpinæ coronæ huius, aliqua earum, quam nos vidimus, ad præclarum S. Crucis intra muros Imperialis Ciuitatis Donauerdæ, ſitum, Danubianæ peninſulæ Benedictinæ profeſſionis Monaſterium peruenit, quæ inſigni monumento argento magni pondus, quod Monſtrantium vocant, à D. Maximiliano eius nominis primo Imperatore incluſa, quotannis fere ſexta feria Paraſceues, ſanguineis, rubeſcere quaſi guttulis apparet, vt à fide dignis accepimus, huius rei teſtimonium, & totus Cœnobij conuentus, & Vrbis ſenatores complures tibi perhibent. Hæc Gulielm.

Fuit & vna de ſpinis Rhodi, quæ floruit feria ſexta Hebdomadæ Sanctæ, vt in Theorematis Picus Mirandulā ſcribit.

Altera ſpina eadem die floret. *Cap.* 167.

Io. Fr. Pic. de Theor. fidei ante Theorema primum.

AVdiui (inquit Picus) quoque ab ijs, qui viderunt, ſpinam eſſe Rhodi è qua ſacratiſſimum Chriſti caput pupugerunt impij, dum coronam ſpineam vertici impoſuerunt, quæ ſingulo anno in die eo, quo Chriſti paſſionis memoria in Catholica noſtra Eccleſia celebratur, vidente populo, floreat. Monſtratur ea in vaſe tranſlucido ex vitro, vt admittatur aſpectus, nec oculorum acies poſſit obtundi, ante horam illam, qua Chriſtus crucifixus creditur, nullam ſpina ipſa motionem præfert, non coloris mutatio, non vlla adiectio in ea viſitur: proximante tempore, rubere incipit, & oculis omnium circumfuſis atque cernentibus, albus quidam floſculus in verticem paulatim exſurgit, qui hora elapſa deſinit, & euaneſcit. Aliqua quoque & paria, & etiam forte maiora ſparſa, & diſſeminata mundo ſunt, quibus & incredulis

ad conuerſionem excitatio, credentibus vero ad perſeuerantiam confirmatio iugiter oriatur: quæ qui non videt, cæcus; qui non audit, ſurdus; qui audita non credit, inſanus; qui maiora aut celebriora deſiderat, vt credat, inſolens, & profanus: vbique terrarum decantata, vbiqne nota, compertaq. ſunt, creditaqne, niſi ab eis, quorum ob penitiſſimam malitiam, iuſto, diuinoq. iudicio oculi mentis obcæcati ſunt, vt iuxta diuina eloquia, videntes non videant, & audientes non intelligant. hæc ille.

Quod confirmat Iacobus Boſius ex Decreto, huiuſmodi miraculi occaſione (quod accidit Chriſti anno 1457.) in generalibus comitijs Illuſtriſſimæ Religionis Militum S. Ioannis Hieroſolymitani ſtatuto. Cuius Decreti verba hæc ſunt.

Decens & decorum eſt, reliquias, quæ paſſionis Chriſti Dei, & hominum Mediatoris, Saluatoris, & Redemptoris noſtri aſſiduam recordationem præſeferunt, honorare, & omni cultu proſequi. Idcirco ſancimus, quod Feſtum ſemiduplum anno quolibet, tertio Idus Auguſti celebretur, in reuerentiam ſanctæ Coronæ ſpineæ, qua Dominus noſter Ieſus Chriſtus in ſua paſſione, quam pro nobis ſubijt, affectus eſt. Cuius ſanctæ Coronæ ſpinam vnam, quæ pretioſiſſimum caput punxit, & ex eius vulnere, ſacratiſſimo ſanguine vultum tinxit, in Archiuio, & penetralibus Oratorij Magiſtralis recluſam habemus; quæ quotannis die Veneris ſancta, qua paſſio recolitur, ab aurora florere incipit, & ad ſextam horam, qua Saluator exſpirauit, floridiſſima cōſpicitur, demumq. areſcit; cunctis quoque Chriſtifidelibus monumentum ſacratiſſimæ paſſionis exiſtit.

Iacob. Boſ. in hiſt. Relig. S. Ioan. Hieroſol. p. 2. lib. 7. Et de Cruce lib. 1. c. 14.

Ab vna ex ſpinis floſculi pullulant, & ſudor quidam. *Cap. 168.*

IN Oppido Montoni prope Eugubium, conſeruatur vna è ſpinis, quibus Chriſti caput eſt transfixum, quam detulit eo Fortebrachius ille celeberrimus militum dux: ea quotannis, ſtato paſſionis Dominicæ die, cunctis videntibus, & admirantibus floret: allocutusq. ego ſum viros fide digniſſimos, qui id conſpexerunt. Quin Paulus Marius Epiſcopus Callienſis, ſpectatiſſimæ diligentiæ, fideiq. ad me miſit procurante Ioan. Sfortia Monaldo, optimo viro, inſtrumentum à Bartholomæo Moſcardino notario rite confectū anno 1472. in quo habentur nouem teſtes rite examinati, iurantesq. conceptis verbis, ſe vidiſſe ex illa ſpina floſculos pullulare, emitti ſudorem quemdam, & tenues quoſdam capillos ab hora ſexta vſque ad nonam, qua tranſacta, nihil amplius videbatur. Sed illud magna obſeruatione dignum, quoties populorum magna facta eſt acceſſio ad Chriſti cultum, plerumque id euenit excitante Deo, Crucis alicuius publicam, mirabilemq. affectionem. Hæc Bozius.

Thom. Boz. de ſign. Eccleſ. tom. 1. ſigno 71.

Hodie tamen huiuſmodi miraculum ceſſaſſe videtur, vt ex multorum relatione eſt compertum: quod nouum non eſt, etenim idem Iacobus Boſius refert de ſpina, quæ pari ratione florere conſueuerat ſexta feria Maioris hebdomadæ, quæ tamen florere ceſſauit paucis abhinc annis. Petrus Venerabilis lib. 2. miraculorum cap. 30. narrat ſuo tempore Romæ in Eccleſia S. Mariæ Maioris à Romanis cereos maximi ponderis in Vigilia Aſſumptionis

ciuſdem

eiuſdem beatiſſimæ Virginis accendi ſolitos, & manſiſſe accenſos vſque ad ſequentis diei feſti horam ſextam, vel nonam, & eiuſdem ponderis reperiri in ſtatera appenſos, quamuis ignis de cerei quantitate multum conſumpſerit, & hoc miraculum ait Petrus notum fuiſſe omnibus ſui temporis, quod tamen hodie ceſſaſſe manifeſtum eſt.

De veneranda Crucis inſtrumento, eiuſq. gloria. Cap. 169.

INter cetera autem inſtrumenta, quæ Chriſti Domini paſſionem perfecerunt, eſt Crux, quæ quoniam Deum ſubſtinuit, qui pependit in ea, ligni omnium lignorum feliciſſimum voce omnium eſt appellata: De qua Patres eius amore tacti, hæc dixerunt.

Orig. hom. 8. de Epiph. Crux Chriſti noſtra victoria eſt, illius patibulum noſter triumphus, gaudentes leuemus hoc ſignum in humeris noſtris, victoriarum vexilla portemus, immortale lucrum, portemus in frontibus noſtris, cum dæmones viderint, contremiſcant, qui aurata Capitolia non timent, crucem timent. Qui contemnunt ſceptra regalia, & purpuras Cæſarum & dapes, Chriſtiani ſordes, & ieiunia pertimeſcunt.

Io. Chryſoſ. hom. 15. in Matt. to. 2. Nullus igitur niſi in Cruce glorietur, ne quando in maieſtate ſua veniat Chriſtus, & erubeſcat, qui Crucem erubeſcunt; tunc enim ſignum hoc ſuper radios Solis coruſcans ante Chriſtum videbitur, præcedet enim profecto Crux magnam vocem aſpectu emittens, & ad vniuerſos homines pro Domino reſpondens, atque oſtendens nihil ex parte Domini defuiſſe. Hoc ſignum, & priſcis, & noſtris temporibus clauſas ianuas reſerauit. Hoc venenorum vires extinxit, hoc feroces beſtias repreſſit, hoc lætales ſerpentum morſus curauit. Etenim ſi portas inferni perfregit, ſi cælorum oſtia recluſit, ſi Paradiſi renouauit ingreſſum, ſi Diaboli neruos recidit, quid mirum eſt, ſi peſtifera venena, atroces beſtias, aliaq. huiuſmodi ſuperauit? hoc igitur in mente tua cælato, & animarum amplectere ſalutem. Hæc Crux terrarum orbem conuertit, atque ſanauit, hæc terrorem abegit, veritatem reduxit, terram in cælũ reſtituit, ex hominibus angelos effecit. Hæc Crux non terribiles, ſed deſpicabiles hominibus Dæmones effecit. Hac Cruce mors in ſomnum redacta eſt. Hæc omnia, quæ nobis aduerſabantur, humi deiecta conculcantur. Si ergo gentilium quiſpiam tibi dixerit: Crucifixum ne adores, noli dubitare clara voce, alacq. facie dicere: Et adoro, & adorandi numquam faciam finem. Et ſi ridebit, largas tu effunde lachrymas de inſania eius. Agas immortales Domino gratias, cuius beneficio hæc ſuſcepimus. Quæ nullus, abſque diuina gratia dicere poteſt, Nos clara, magnaq. voce dicamus, & eximia fiducia exclamemus: Gloria noſtra, caput, & origo beatitudinis, libertas, & corona Crux eſt. Vellem cum Paulo poſſe dicere, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo, ſed cum multis, ac varijs detinear paſſionibus, nequeo id ſane dicere. Quare vos moneo, & multo antequam vos me ipſum, crucifigamur mundo, nihil commune habeamus cum terra, ſed tota mens noſtra amore ſuperioris patriæ, gloria beatitudinis aderat, cæleſtis enim milites Regis ſumus, ac arma ſpiritualia induti, cur igitur abiectarum perſonarum, imo vermium vitam eligimus, cum ibi oporteat eſſe militem, vbi & Imperator eſt?

Sola Chriſti crux eſt, quæ diſſoluit tenebras, & Regnum Dæmonum diſſipauit, & omnes terrores malignantium abſtulit. Decuit ſplendorem crucis obcæcare infideles, & illuminare credentes. Crux ſanctitatem prouidit. Crux nobis ſol iuſtitiæ facta eſt, & illuminati miſericordia eius glorificemus Patrem, & Filium. *Chriſoſ. ho. 3. de Cruce & Latrone to. 3.*

Diſcamus Crucem totius ſpiritualis gratulationis eſſe ſubſtantiam. Etenim ante ipſum vocabulum crucis, pœna fuit, ſed nunc ad gloriam nuncupatur; antea condemnationis ferebat horrorem, nunc ſalutis indicium eſt, crux enim nobis totius beatitudinis cauſa eſt. Hæc nos à cæcitate liberauit erroris, hæc è tenebris reddidit luci, hæc debellatos quieti ſociauit. Hæc alienatos Deo coniunxit, hæc longe conſtitutos Deo proximos præſentauit, hæc peregrinantes Ciues oſtendit, hæc diſcordiæ amputatio eſt, hæc pacis firmamentum, hæc bonorum omnium abunda largitio, iſtius cauſa nullis anguſtijs deſerti erramus, quia iam nobis campi monſtrati ſunt veritatis; nec aulis regalibus habitare prohibemur, quia aditus iam videtur inuentus; nec ardentes ſagittas Diaboli formidamus, quia fontes inuenimus, quibus earum flãma facile poſſit extingui, ideo viduitate caruimus, quia ſponſus exſpectatus aduenit. *Idem hom. 2. de Cruce & latrone.*

Si noſſe deſideras virtutem crucis, & quanta poſſum ad eius laudes dicere? audi. Crux eſt ſpes Chriſtianorum, reſurrectio mortuorum, cæcorum dux, deſperatorum via, claudorum baculus, conſolatio pauperum, refrenatio diuitum, deſtructio ſuperborum, male viuentium pœna, aduerſus Dæmones triumphus, deuictio Diaboli, adoleſcentum pœdagogus, ſuſtentatio inopum, ſpes deſperatorum, nauigantium gubernator, periclitantium portus, obſeſſorum munus, pater orphanorum, defenſor viduarum, iuſtorum conſiliarius, tribulatorum requies, paruulorum cuſtos, virorum caput, ſenum finis, lumen in tenebris ſedentium, Regum magnificentia, ſcutum perpetuum, inſenſatorum ſapientia, libertas ſeruorum, Imperatorum philoſophia, lex impiorum, Martyrum gloriatio, Monachorum abſtinentia, Virginum caſtitas, gaudium Sacerdotum, Eccleſiæ fundamentum, Templorum deſtructio, idolorum repulſio, ſcandalum Iudæorum, perditio impiorum, inualidorum virtus, ægrotantium medicus, eſurientium panis, ſitientium fons, nudorum protectio. *Idem hom. 4. de Cruce & latrone.*

Dei autem indefeſſam miſericordiam & clementiam Crux ipſa commendat excellentiſſime? Nempe enim, neque cælum, neque mare, neque terra, neque rerum omnium creatio, neque aliud omnino aliquid, ita vt crux illa venerabilis, diuinæ bonitatis magnitudinem prædicat. Quocirca Paulus quoque in ipſa gloriatur, dicens: Mihi abſit gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti. Sed enim animales quique, & qui Deo nihil amplius, quam hominibus tribuunt, decidunt, & erubeſcunt, idcirco iamdudum admonet diſcipulum, ac per illius omnes: Noli, inquiens, erubeſcere quod Crucifixum prædicas; hoc enim teſtimonium eſt, mors ſcilicet Chriſti. Nã iſta quidem, ſi per ſe cogitentur, mors, carceres, vincula, confuſione, ac opprobrio digna ſunt, ceterum ſi quis oppoſita cauſa, diſcuſſoq. myſterio ſingula decenter edoceat, pleniſſima gloriæ, diuinæq. honeſtatis cauſa cognoſcet. Mors enim illa pereuntem ſeruauit Orbem; Mors illa cæleſtibus terrena coniunxit, mors illa Diaboli profligauit tyrannidem, hominesq. Angelos, *Idem hom. 2. in epiſt. 2. ad Tim. to. 4. Galat. 6.*

los, ac Dei filios fecit. Mors illa mortalitatis noſtræ naturam ad ſolium cæleſte, ac regale prouexit, vincula iſta ſoluerunt plurimos, & ad fidei gratiam conuerterunt.

Chryſoſ. ho. Quod Xps ſit Deus cō tra Gentil. to. 5.

Hoc mortis genus diademate quouis glorioſius eſt. Nam Reges poſito diademate crucem ſuſcipiunt, mortis ſymbolum. In purpuris crux, in diademate crux, in precibus crux, in armis crux, in menſa ſacra crux, & in toto orbe crux, & ſuper ſolem fulget crux, erit requies eius honor, licet in rebus humanis diuerſum contingere ſolet. Nam cum hi, qui hic in magna gloria, & rebus florentibus agunt, moriuntur, pereunt cum eis ſimul alia omnia, nam leges eorum irritantur, ſtatuæ obſcurantur, memoria exſtinguitur, & licet pridem mouerint arma, concitarint ſeditiones populorum, & Vrbium, & reuocauerint, ſimul tamen conciderunt hæc omnia, quamuis glorioſa prius fuerint. At ſecus in cruce euenit. Ante crucem in luctu reſerant, Iudas prodidit, Petrus negauit, reliqui profugerunt. Ieſus ſolus inter inimicos comprehenſus eſt, multi qui crediderant, retrorſum abierunt. Ceterum vbi occiſus eſt,& mortuus,non ſolum res eius nō interciderunt,ſed multo clariores,illuſtrioreſq. & ſublimiores ſunt redditæ. Nam poſt Crucem Orbis ad fidem acceſſit, & infiniti martyrum populi occiſi,malentes mori, quam dicere,quod dixit Princeps Apoſtolorum formidans vnius oſtiariæ minas. In omni Regione, omni ciuitate, & ſolitudine, & parte orbis, quæ habitationi accommoda, prædicamus Crucifixum, & Reges, & Principes, & milites, & Præſides, & ſerui, & liberi, & idiotæ, & ſapientes, & inſipientes, & barbari, & reliqua hominum genera, ac terræ omnes, quas ſol ſpectat, ad hoc nomen currunt,vt adorent, vt diſcas quid ſit: Et requies eius honor. Et locus quidem,quo corpus hoc poſitum, breuis erat, & valde anguſtus, auguſtior tamen, & venerabilior mille regum palatijs, immo etiam Regibus ipſis.

De ſacratiſſima Cruce Domini noſtri IESV Chriſti. Cap. 170.

Dio in Hadriano.

Paulin. ep. 11.

Sancta, & benedicta Crux, quæ Domini corpus mundum redimentis ſuſtinuit, & ipſa poſtmodum paſſa eſt, nam cum Iudæorum inuidia, tum Gentium odio in Chriſtianos, diutius occultata ſubtus terram permanſit; & inſuper ipſe paſſionis locus, eſt nefando ſimulachro pollutus. Non ſolum enim Hadrianus Imperator (quod ſcribit Dio) in contumeliam Iudæorum ex aduerſo Templi, ædem Ioui excitauit, ſed in odium Chriſtianorum ibi degentium, quæ ſanctiſſima habebantur loca,æque polluit ſimulachris. nam de his hæc tradit S. Paulinus in epiſtola ad Seuerum: Hadrianus, exiſtimans ſe fidem Chriſtianam loci iniuria perempturum, in loco paſſionis ſimulachrum Iouis conſecrauit, & Bethlehem Adonis fano profanata eſt, vt quaſi radix, & fundamentum Eccleſiæ tolleretur, ſi in ijs locis Idola colerentur, in quibus Chriſtus natus eſt, vt pateretur; paſſus eſt, vt reſurgeret; ſurrexit,vt regnaret; iudicatus eſt, vt iudicaret. Me miſerum: etiam iſta pro me Dominus omnipotens perpeti non recuſauit; vt vbi pro ſalute generis humani crucifixus pependerat, ibi hominum ſacrilegio ſperneretur; & ſuper crucem, ad quam Orbe concuſſo, & ſole refugo, & diſſilientibus mor-

tuorum excitatione monumentis, rerum natura nutauerat, ſtabat ſimulachrū Dæmonis, & in ara ſimulachri pecudum buſta fumabant, & Dei nomen deſerebatur ſtatuis mortuorum; cum ipſe viuorum Deus, qui, & reſurrectio mortuorum eſt, non ſolum mortui, ſed crucifixi hominis blaſphemaretur opprobrio. Hæc Paulinus.

Sic ergo lignum Crucis contumelijs dignum viſum eſt inimicis. Sed decuit victricem veritatem, de mendacio triumphare.

Attendamus gloriam Crucis Chriſti, quæ tanquam palma depreſſa, ſurſum elata eſt glorioſior, & clarioribus fulgoris ſui radijs, tandem ſic diuina prouidentia diſponente, Orbem vniuerſum illuſtrauit adeo, vt vix ſit reperire perſonam & locum, in qua non ſit aliqua eiuſdem ſacratiſſimi ligni particula. Nam de illa S. Paulinus hæc teſtatur, ſic dicens: Quæ quidem Crux in materia inſenſata vim viuam tenens, ita ex illo tempore innumeris pene quotidie hominum votis lignum ſuum commodat, vt detrimenta non ſentiat, & quaſi intacta permaneat quotidie diuidua ſumentibus, & ſemper tota venerantibus. Sed iſtam imputribilem virtutem, & indetribilem ſoliditatem de illius profectò carnis ſanguine bibit, quæ paſſa mortem, non vidit corruptionem. hæc ille. At Cyrillus, lignum Crucis, inquit, teſtatur ad hodiernum diem apud nos apparens, & apud eos, qui ſecundum fidem ex illo capientes, hinc vniuerſum Orbem fere iam repleuerunt. *Paulin. ad Seuer. ep. 2.*

Quidam aſpiciens particulā Crucis, & non credens, & contemnens, efficitur mutus, ſed deinde ad aſpectum Crucis facti ſui pœnitens, loquelam mirabiliter recipit. Cap. 171.

Illud quoque referendum eſt, quod nonnulli ex ſenioribus in humanis agentes narrant in ciuitate Salerni, in ipſa D. Matthæi Eccleſia contigiſſe. Anno ſiquidem vigeſimo quinto ſupra milleſimum, ac quingenteſimum, feria ſexta in Paraſceue, dum in ea Eccleſia, illius diei ſacra peragebantur; & ſanctiſſimæ Crucis particula, quæ ibi aſſeruatur, pro more circumferebatur per Eccleſiam ab Epiſcopo, exſtitit Bernardinus quidam è Naccarellorum familia, de Plebe, quæ diui Bartholomæi dicitur, qui dum ſacroſanctum illud lignum infideli corde aſpiceret, & adulterinum eſſe arbitraretur, impia hæc verba protulit: Eho, quid ſi Chriſti crux mons ipſe Veſſuuius fuiſſet? Eſt quippe mons ille lignorum feraciſſimus: quod cum dixiſſet, ſtatim obmutuit, nulloq. conatu potuit deinceps aliquod verbum exprimere; & licet ſtatim ſuam ipſe culpam agnouerit, maximoq. mærore fuerit affectus, haud tamen potuit peccatum ille ſuum, peccatiq. pœnam verbis exprimere: quinimmo coactus eſt neceſſaria ſibi per nutum exquirere. Proinde conuerſus ad lachrymas, & mærorem, cæpit ſacras lectitare ſcripturas, ex quibus aliquod ſolatium percipiebat. Eo igitur impedimento per annum infœliciter eſt detentus. Cum vero ſexta iterum feria Maioris Hebdomadæ poſt duodecim menſes iamiam recurreret, pridie illius diei, proficiſcitur mutus ad eccleſiam D. Matthæi, cum vno ex filijs, cui Iacobo nomen erat, ſuum deploraturus pro more peccatum; in medioq. itinere occurrit illi ſenex quidam, egenus valde, qui verecundus ſtipem expoſcit, & cum obolum recepiſſet, verba autem nulla recepiſſet, ſciſcitatur iuuenem, quid cauſæ ſit, vt *M. Anton. Marſi. Col. in vita S. Matthæi.*

bonus

bonus ille vir mutus exiſteret; paucis id explicuit natus ante annum 25. id ei repente contigiſſe, cauſamve omnibus incognitam eſſe. Tum ſenex: Moneo, inquit, te, vt Geminiano Mutinenſi tuam cauſam commendes, à quo miracula perpetrantur; & ſtatim abijt. Perrexerunt illi ad Eccleſiam, & diuinis interfuere; quibus abſolutis, domum reuertuntur, & Bernardinus ad ſacras lectiones ſeſe confert. Veſpere autem eius diei, antequam iret cubitum, tractabat manibus forte fortuna librum, quo ſanctorum Patrum vitæ deſcriptæ ſunt, qua in lectione contigit, vt de ſancto Geminiano legeret. proinde reputans ipſe ſecum, quæ eadem die audiuerat ex mendico ſene; cœpit attentius eius viri geſta conſiderare, & vehementi ſpiritu imbutus, tādem procubuit, & ſomno correptus eſt. Luceſcente denique iamiam die, conſurgit mirum in modum perturbatus animo, & admirabundus circumcurſat ædes, cognatisq. omnibus geſtu inſueto indicat, magnum quiddam ſibi ea nocte contigiſſe, & feſtinanter ad Eccleſiam pergit, præmaturè ſatis, vt diuinorum nihil omitteret. Parantur ibi paulatim omnia, prout ſacra poſtulabat dies: inchoatur denique diuinum officium; Epiſcopus Capreæ (cui nomen Euſebio fuit) vices Archiepiſcopi ſubijt, & iuxta morem inueteratum, nudis pedibus crucem baiulat, in qua ſanctiſſimæ Crucis particula conſeruatur; circumit eccleſiam, ſequente illum vniuerſo populo, ſiſtit tandem ad altare, & omnes prouocat, ad ſignum illud ſolemniter adorandum, ea verba proferens conſueta: Ecce lignum crucis: confeſtim vero Bernardinus, qui ſumma deuotione procideret, diuino ſpiritu agitante, clamauit voce magna: Ecce lignum crucis, ceteraq. verba ſingula deinceps explicuit, quæ per Antiſtitem dicta ſunt, & ſtatim veluti mortuus cecidit. Tunc vero, quia notus ciuibus erat, & nemo ignorabat illum antea loqui non potuiſſe, acclamauit populus vniuerſus: Miraculum: miraculum: & tametſi per id tempus, nullus ſit in eccleſijs campanarum vſus, ſed ex veteri Eccleſiæ ritu, ligneis inſtrumentis ſoleat ſtrepitus excitari lugubris, quamdiu iacuit in ſepulchro Saluator, præ miraculi tamen huius nouitate omnes campanæ confeſtim pulſatæ ſunt, ceteraq. inſtrumenta omnia, quæ habentur in Eccleſijs ad pſallendum. Interim ad ſe reuerſus Bernardinus; palam fecit omnibus, quod hactenus agitauerat corde tantum: Nempe ante annum, ea ipſa die impium ſe, infidelemq. fuiſſe, quod ſacratiſſimæ Crucis particulam, adulterinam, & commentitiam crediderit, ideoq. loquendi facultate merito priuatum fuiſſe, nunc vero præcedenti illa nocte, ſecum in ſomnijs loquutum fuiſſe beatum Geminianum Mutinenſem, monuiſſeq. vt eadem ipſa hora, quæ tunc anno recurrente, iamiam apparebat, eodem loco ſuum deploraret peccatum coram glorioſiſſimo Apoſtolo Matthæo, & crederet veram illam crucis eſſe portionem, in qua Saluator Ieſus pro humana gente pependit. Feciſſe ſe paulò ante, quicquid vir ille ſanctus monuerat, & ſanctiſſimum Matthæum exoraſſe, vt fidei ſuæ proteſtationem, Chriſto Domino dignaretur offerre, ac ſtatim loquendi vim amiſſam recuperaſſe. Hæc omnia fuſius ipſe, perq. multos gemitus palam expoſuit; rogauitq. Præſulem, vt miraculum iſtud curaret in acta referri, ad perpetuam rei memoriam. Quāobrem publicis documentis iuſſit hoc diligenter comprehendi, quæ tum ipſius Bernardini iureiurando, tum Canonicorum omnium, qui præſentes fuerant, ſolemni fuerunt atteſtatione firmata.

Reli-

Religioſi Patres Societatis Ieſu ſigno Crucis apud Indos mira operantur. Cap. 172.

Ex quadā epiſtola annua cuiuſdam Patris Societatis Ieſu.

AVdierat rumore nuntio Badaga quidam cæli compotes fieri quotquot ſanctam ſpiritualem legem, vitam Chriſtianam vocant, reciperent. Rogauit Bracmanas, qui mihi adeſſe ſolent, vt ipſis deprecatoribus iuuenem iam diſpoſitum ſalutari aqua tingerem. Iuſſi ægrum ad Eccleſiam deferri, negantibus fieri poſſe, cum animam prope ageret, deſtinaui Chriſtianos duos, luſtrali aqua, & cruce inſtructos. Quid multa? Crucem capiti admouent, precationes recitant. Aeger oculis, & lingua expeditior, ſtupentibus qui aderant, meliuſcule habet, & geſtantium manibus ad Eccleſiam defertur, Baptiſmum expoſcit, & pro temporis ratione doctrina inſtructus Chriſtiana, initiatur. E veſtigio, vis morbi remittitur, & non lapſo triduo perfectam conſequitur ſanitatem. Paulo poſt nunciatur ex patria fratrem lethali ægritudine decumbere, vt opus fuerit illico proficiſci, promiſſo maturo reditu. Habuit ſucceſſus hic non modo admirationis plurimum apud omnes, ſed Chriſtianis in Deum fiduciā, ethnicis erga fidei noſtræ amorem excitauit.

Mulier Tartarei Tyranni nequitia ad extremos angores erat redacta, nec quidquam vſurpatis octo menſium ſpatio diuerſis pharmacis proficiebat; cōtabeſcebat ſenſim, & nocturnis variorum animalium ſpectris, familiari his terris maleficio, ſomnum capere vetabatur. Interſuit aliquoties catecheſi, quamobrem rabie percitus dæmon dyſenteriam cruentam immiſit. Monui ſerio Chriſtianos, vt diuinam clementiam precibus fatigarent, ſpem magnā faciens, fore vt exorarent. Maritum habet fidei candidatum, inter ſuos Badagas honeſtum, ætate ad ſenium vergente, à quo ægra, vt erat, in ædem noſtram delata eſt. Acceſſi, reperi afflictiſſimam, ac prope loquendi facultate deſtitutam, quæſtiones de fidei rudimentis ex more propoſui: Illa bis, terue conata reſpondere, interclusā importuno hoſte vocem innuit. Quid agerem? ſtygio cani notum fuſtem intento, crucem gutturi admoueo, reddita loquela affirmauit mulier, viſum ſibi fuiſſe quendam manibus guttur comprimentem ſentire, vt fari non poſſet. His peractis cum confeſſa eſſet ſe idolum domi habere, dictum, Amme, quod dæmon fœmininum ſignificat, mandaui marito, vt, illud domo ſtatim ad me afferret, ac interea temporis neceſſaria ad baptiſmum adornaturus, receſſi, cum repente accerſor tumultuarie, ægram ſigno crucis munio, & theca adorandi particula ligni diuite: ac cum ad ſe rediјſſet, ad aram Domini Ieſu collocari iubeo. Veritus ſum principio, ne ſolitis ceremonijs præmittendis ſymptoma adeo in vſitatum tempus negaret, pedetentim tamen ad precationes proceſſi, ac illa magis, ac magis è moleſtia emergebat, cum ſubito in hæc verba erupit; Vide, quomodo marito Idolum illud afferente premere me conatus eſt? Conflictus eum exitum habuit, vt illa mox à baptiſmo magna animi lætitia collato, valens, ac vegeta domum repedarit, ab inſomnijs deinceps, & infeſtatione liberata. Quæ omnia ita à me narrata ſunt oculato teſte, vt non modo nihil ad id quod contigit, adijciam, ſed potius multa ſileam, quæ merito annecti poſſent.

Alius

Alius dæmonis maleficio obnoxius, floribus, quos circa Crucifixi effigiem adorandam collocare ſoleo, tranquillitatem aſſequutus eſt. Chriſtianus Bramana, nomine Xante, quod patientem ſonat, aquationem faciens in Badagam centurionem incidit, qui cum vxore & conſanguineis, dæmonium Culaderiam, ideſt gentilitati præſidem Deum, quales Romani Penates habebant, ſacrificio placabat. Exclamat Bramana: O infortunatos, qui cæca mente tam profanum ſacrificium vſurpant! Ad quem arrogantiæ plenus Badaga: Agedum quæ tua ſcientia? numquid plus reliquis Bramanis ſapis? Nil vt video de maxima Dei huius poteſtate didiciſti. Ego ſi aſſurrexero, ture Cioconadæ conſpecta, caput inclino; ſcilicet è crumena mea nummum expiſcari ſatagis. Ego, inquit, Bramana verum Deum noui, tui tibi ſunto nummi, non illis inſidior. hoc à me habeto, quem tu colis noxium dæmonem eſſe, à cuius iniurijs liber fores, & gloriæ particeps, ſi veri Dei notitiam, amicitiamq. teneres. Enimuero (ait Badaga) iocari tibi lubet. Vt indemnitatem ab hoc Deo conſequerer, nequidquam apud Sortilegos, & Bramanas, ſupra centum quinquaginta nummos collocaui, tu vero mirabilia polliceris, reor, vt aliquot denarios adames: Bramana Deum tacite orâs, ſigno crucis frontem armat. Cumq. reſpondiſſet, ne vltro quidem oblatam pecuniam accepturum, gratis ſe illi conſilium dare, quod ſi admiſerit, votum conſequatur, motus Badaga non ſe modo, ſed vxorem quoque ac duos fratres id facturos ſpondet, ac indicata domo noſtra poſtridie adfuit, atque ad pedes abiectus ſuas mihi ærumnas memorabat.

Infeſtam eius domum habebat dæmon, tamq. ipſi, quam coniugi in ſomnis ſe viſendum exhibebat, cui ab octo menſibus vterum geſtanti abortũ recens procurarat, fætuſq. mortem, iamq. quartum iſtud contigerat. Ad hæc niſi oblatis quæcunque exigebat, neminem domo conſiſtere permittebat, & ex quo cum Bramana colloquium haberi cæperat, auctæ erant à dæmone moleſtiæ, matrem affligebat morbus, vxoris etiam tentabatur valetudo. Hæc miſerum Badagam arctatis præcordijs, & alto animi mœrore referentem hortatus ſum, vt verum Deum agnoſceret, eiq. amorem, & obſequium debitum redderet, hæc omnia inſtar nebulæ ſole orto diſſolutum iri, aliaq. in eundem ſenſum adieci. Acquieuit, & præſtituto ſibi die catecheſi interfuit, ſed quod neceſſum illi foret profectionem quandam ſuſcipere, vt ſuæ præfecturæ rationem redderet, abijt perquam inuitus, pollicens quamprimum adeſſe. Percepit tamen nonnulla de fidei rudimentis, quæ ſcripto expetijt, quo attentius ea expenderet, quodq. Idolis admodum fuiſſet addictus, varia mouebat dubia, quorum ſolutione ſatisfactum ſibi eſſe præſeferebat. V. R. eum Deo commendet, apud P. Prouincialem etiam agat, vt à noſtris id ipſum præſtetur, magnum enim ad Dei gloriam momentum habet eius conuerſio. Vxor, & duo eius fratres audire me pergunt, maior natu 23. annum ætatis fere agit, minor 18. ille acri pollet iudicio, ac res diuinas belle capit, vt mihi dixerit: Putas, ſi has, quas audio modo, veras theſes docti fuiſſemus, eo venturi eramus dementiæ, vt dæmones coleremus, & regum defunctorum ſtatuas, quales ſunt Ciocanada, & Veſſunus? Nunquam ſane; ſed ignorantia cæcos, ad hoc præcipitauit. Hæc ille ex intimo animi affectu promebat. Ac quotquot ad fidem noſtram tranſeunt, ſolo ſuæ ſalutis deſiderio aguntur, ac hos neophytos R. V. deprehendet non modo roboratis ætate Chriſtianis pa-

res, ſed, qui in prima Eccleſia vigebat, ſpiritus primitias, ac feruorem aliquatenus adeptos. Heri duos è Badagarum honeſtiſſimos coniuges ſacro fonti admoui, vnaq. maritum infirmæ illius, cuius ſupra memini cum filia. Tredecim præſto ſunt, vt baptiſmum ſuſcipiant die Corpori Chriſti ſacro, & quiuis mihi dies nouos auditores trahit. Heri duo Raij auditum Raium hic agere, qui ſalutis legem doceat, adfuerunt, ac alloquio delectati, catecheſi ieiunio principium dari voluerunt. Puero infenſus dæmon muneribus ſe placari ſimulabat, aliquanto poſt moleſtus eſſe pergebat. A diebus 15. baptiſmo collato, Felicem appellaui, iamq. ſanus, ac liber degit. Alter puerulus totius corporis cruciatu, & pedum, ac manuum torpore languebat. Erat tanta doloris acrimonia, vt nec baptiſmi tempore eiulatum poſſet compeſcere, ſed illa ipſa nocte, qua ablutus eſt, luſtrali aqua pota, mitigatis doloribus, paulo poſt ſanitatē perfectam adeptus eſt. Aliquot tamen poſt dies ſtola, quā recens acceperat, indutus ad cæleſtis Agni nuptias fœlici ſorte vocatus eſt.

Vichuuada, qui vobis adfuit, in ea qua non ſine maleficij ſuſpicione contabeſcit ægritudine, omnes Chriſtiani hominis partes explet, inter maximos pectoris angores, & vomitus vetulam matrem pius iuuenis ſolatur, ægritudinem in beneficio, & præcipuo diuini amoris pignore reponens, accedentes Chriſtianos animandi gratia, animat ipſe, longo itinere famuli humero nixus, ad templum venit, tempus omne reliquum in lectulo conſumit recitandis, quas de Chriſti paſſione contexui precationibus. Cruci eſt addictiſſimus, vt non modo parietes, ſed omnem ſuppellectilem cruce notatam habeat.

De materia Crucis ſanctiſſimæ, in qua pependit Chriſtus Dominus mundi Rex, quæ poſtea tot mirabilia operata eſt. Cap. 173.

QVæ autem fuerit materies, ex qua Crux Chriſti fuit confecta, in qua pependit, & ſuffixa eſt noſtra ſalus, certo non conſtat, ſed coniecturis non leuibus, inueſtigari eam, & explicari poſſe non eſt difficile. Crux Chriſti, quantum poteſt ex rationibus, & veriſimilibus argumentis deduci, non ex alia materia, quàm quercina videtur confecta; cum copia, color, durities, firmitas, & integritas; & alia his adiuncta, & conſequentia, quæ hodie in ſanctiſſimi ligni crucis particulis viſuntur, cum quercu exactiſſime conueniant, quod & alij opinati ſunt. In Iudæa profecto nullum lignum iſto communius, nullum alere tellurem illam copioſius, diuerſa ſacrarum litterarum teſtimonia demonſtrant. Quin etiam id obſeruare licet, valles quaſdam à quercu nomen concepiſſe, eo quod in huiuſmodi locis quercus quondam luxuriarent, vt vallis Mambre, vbi quercus fuit Ogygis, iuxta quam Noë, & Abraham in Hebrone habitarunt. Querceta item iuxta Hieruſalem frequentia, & inter alia, Bethel quercum fletus nobiliſſimam habebat. Quid commemorem Samariæ montem, Baſan nomine, quercetis celeberrimum? Nunc etiam ea regio nulla planta magis abundat, quàm quercu, ſiue ab Ioppe maritima vrbe pergas Hieroſolymam, ſiue ad radices montis Sion prope eandem, ſiue ab ipſa ad Galilæam, ſiue Samariam vlterius progrediaris. Quo fit, vt quercus per omnem Iudæam, Galilæam, & Samariam, ſicut exſtitit olim, ita & nunc ſit copioſiſſima; cedrus in ſaltū Libani; caſtanea vbique frequens; pinus rara; terebynthus, ſycomorus rariſſimæ. Ex quercu igitur veriſimilius eſt carnifices crucem paraſſe, & à lignarijs vilius ceteris

Io. Gorop. Becanus li. 5. Gallic.

Q emiſſe.

emiſſe. Ex qua enim materie communiore, & emptu viliori, Crux Chriſti, quam ex querna parari potuiſſet?

Color præterea ligni quercini cum colore crucis adeo conſentit, vt nullum diſcrimen inter vtrumque deprehendatur: contuli namq. quercini ligni fragmenta cum particulis ſanctiſſimæ Crucis, quæ tam in Baſilica S. Crucis Romæ, quàm alibi locorum aſſeruantur, deprehendiq. non eſſe, aut aquam aquæ, aut ouum ouo ſimiliora, quàm ea inter ſeſe ſint.

Quercus vitæ, vel liberationis à morte ſymbolum habetur eo, quod viuaciſſima ceterarum arborum ea ſit. Hinc in Septentrionali plaga, Hercinię ſyluæ roborum vaſtitas, intacta æuis, & congenita mundo, à Plinio cenſetur. Vnde Græcis δρῦς, & Latinis tàm quercus, & ilex. quàm robur etiam dicta, tùm quod genus arboris graue, ac durum ſit, tùm adeo quod in ingentem euadat altitudinem. Quercus illa in Mambre ab Abrahamo vſque ad Conſtantium Imperatorem, Conſtantini Maximi filium, culta perdurauit, & in Abrahami tabernaculi loco, nundinæ celebri mercatu quotannis habebantur, vt B. Hieronymus refert, & Iſidorus. Quo fit vt annos vixerit 2260. qui ab Abrahamo ad Conſtantij Imperium fluxerunt: cum antequam ab Abrahamo coleretur, Ogygis etiam, hoc eſt Noë, qui in Hebrone aliquando habitauit, poſſeſſione teneretur. Vt annoſiſſima hæc quercus 2500. vitæ annos exceſſerit, nullo, quod homines norint, exemplo, caneſcens vtique ſeculis innumerabilibus. Cum autem ſanctæ Crucis membra, & particulæ multæ per totum orbem Chriſtianum integræ, & illæſæ, & citra vllam cariem, & corruptionem vſque hodie perſeuerent, credendum ex querno ligno conſtare. Nullum namq. lignum, citra miraculum, tot ſeculis incorruptum perduraſſet, ſummaq. præditum eſſet duritia, præter iſtud, quod vix neſcit vllo tempore aut mori, aut deficere: cum cetera ligna teredinem, & ſenium ſentiant, tempuſq. illa abſumat. Nulla præterea, quercu, religioſa magis arbor, ſacratiorq. habetur, ſubter quam tot ſunt celebrata à Deo ipſo, & Angelis eius myſteria. Subter illam namq. quæ in loco Mambrè erat ſata, fœdus cum Abraham pepigit Deus vniuerſo generi humano ſalutare, circumciſio indicta: promiſſiones diuinæ ſobolis factæ: Iſaac ipſi, & ſacræ coniugi annunciatus: Dominus peregrini habitu viſus: Angeli hoſpitio excepti: vt omnium ferme arcanorum glandifera hæc quercus conſcia, teſtis, & veluti à ſecretis extiterit. Subter aliam quercum in Sichem Iacob Patriarcha Idola cum ſuis inauribus, à familiaribus ſuis ſublata, effodit. Sub eadem Ioſue Imperator poſt Moſem Iſraelitarum fœdus inter Deum, & populum Hebræorum denuo innouauit, ab illa ingrata gente iamiam abolitum, & antiquatum, vt ipſe eſſet ſuus Deus ſolus, & illi ſuus peculiaris populus, vt illi hic vitæ ſuppeteret neceſſaria, & poſt mortem vitam largiretur æternam, in cuius rei teſtimonium ſaxum ingens ſubter quercum recondidit. Ab eo namq. tempore, quo Iacob illic ſimulachra terra obruerat, locus hic ſacer eſſe cæpit. Falſi namq. Dij, & inſana ſimulachra hic alta ſub humo fuere depreſſa, & perpetuis tenebris condemnata, ſicut pater Idolorum ſub cruce perpetuis tenebris eſt ſepultus. Atque idcirco Ioſue voluit in eadem quercu extare, fœderis, quo Iudæi idola abiurarant, monumentum, vt rurſum recordarentur, quondam à Patriarcha Iacob hic omnem idolomaniæ apparatum defoſſum, obrutumq. fuiſſe, & ſe nunquam ad idolorum cultum deſcen-

Plin. lib. 6. cap. 1.

Hiero q. in Gen. & lib. 3 in Zach. cap. 11. Iſidor. lib. Orig. 17. cap. 7.

Gen. 17. 18 35.

Ioſ. 14.

ſcenſuros ſolemni ritu iuraſſe. Quercus igitur ſymbolum fuit; quo admonebantur Hebræi ſtare Dei promiſſis, & omnem eorum vitam conſtare in abiurandis, & deteſtandis Idolis, diuinoq. ſe cultui, & obſequijs mancipandos. Et fœdus, quo firmius maneret, bono omine initum fuit ſub quercu; ſub qua multis antea ætatibus promiſsionem acceperat generis ſui, in ſemine benedicto, omniumq. gentium conſecrationem. Quercus igitur veteris legis ſignum fuit, & ſymbolum crucis Chriſti, Ambroſio, & Auguſtino atteſtantibus, tam quæ fuit in Mambre, quam quæ in Sichem, ab Abraham, Iacob, & Ioſue celebrata; tum etiam ſub qua Angelus Gedeoni apparuit, & illa itidem ad radices Bethel, ſub qua Debora nutrix Rebeccæ fuit ſepulta; quam Synagogam adumbraſſe, ſub Cruce Chriſti ſepeliendam, ijdem fatẽtur. Sed hæc, quæ hucuſque in medium produximus, coniecturarum fines non excedunt: habemus autem firmiorem propheticum ſermonem, Iſaiæ inquam vaticinium, quod litem hanc dirimat, mirabile illud quidem, & quod noſtram ſententiam clariſsime exprimat, quercum fuiſſe lignum, in quo Chriſtus pependit, de populis Hebræorum, & gentium in hæc verba loquens: Longe faciet Dominus homines, & multiplicabitur, quæ derelicta fuerat in medio terræ, & adhuc in ea decimatio, & conuertetur, & erit in oſtenſionẽ ſicut terebynthus, & quercus, quæ expandit ramos ſuos. Semen ſanctum erit, quod ſteterit in ea. Prædicit namq. hic Iſaias, partem populi Iudaici indurandam, partemq. diuino lumine illuſtrandam, vaſtandos Iudæos à Romanis, atque decimandos, reliquias tamen eorum ſeruandas per crucẽ quernam, ſemen benedictum, & totius humani generis ſalutem. Certe eſt locus inſignis, & animaduerſione digniſſimus, ad ligni Crucis certam materiam aſtruendam. Et iam non coniecturis, & argumentis, ſed veritate, & certitudine rem ita eſſe definiri forte poſſet, & illud Virgilianum poſſemus canere, veluti vaticinium quoddam à Poëta myſterium ignorante prædictum.

Gen. 12. Auguſt. in Iud q. 30. Amb pol. de Spu S. Iud 6. Gen. 35. Iſa. 6. Virg. eclog. 4.

Et duræ quercus ſudabunt roſcida mella.

Solet enim nectareus, & cæleſtis ille ros in quercum præcipue, & robur influere, ſicut Chriſti diuinus ſanguis in Crucem.

Quod ſi diuerſitas materiæ admitteretur in Cruce, erecta trabs circa dubium quernea ſtatuenda eſſet, tranſuerſaria ex alio ligno aſſignanda, ita vt ſolida Crux duobus tantum contineretur generibus. Nam index, ſeu titulus, à Pilato adfixus, Crucis pars neutiquam fuit; & alia ex materia confectus dignoſcitur, quæ cariem, & vetuſtatem ſenſit, quamquam non citra miraculum ad noſtram vſque ætatem ſeruatum cenſuerim, cum materies pinea videatur. Si aliqua tamen materies cum querna ſocietatem deberet inire, oliuæ ea eſſet, cum qua quercus odium gerit adeo implacabile, vt iuxta ſe ſatam extinguat. At quercus, quod aſperis, ſpinoſis, ſeu aculeatis frondibus ſit, ſeueritatis duritatis, & acerbitatis inſigne habetur; ſicut e contrario olea, pacis, manſuetudinis, ac lenitatis indicium. Quare recte excogitari poſſet, quernos ramos, frondes, & fructus cum oleaginis complicare; cum iracundia, ſummaq. ſeueritas, ſumma cum humanitate, & clementia coniunctæ ſignificantur, & aſperitas ad lenitatẽ, benignitatemq. inflexerit, & à priſca illa rigiditate fuerit alicubi temperatum. Diſcors igitur vtriuſq; Symbolum in concors aliquod, fœdere inito, poſſet iſto modo copulari. Sicut enim corona ciuica ex quercu nulli magis quadrat, quàm Chriſto,

qui non vnum, & alterum, ſed cunctos Romanos ciues, immo totius orbis gentes, ab interitu, ſua nece in ligno querno ſeruauit; ita nec ſertum ex quernis, & oleaginis frondibus, & fructibus concinnatum, appoſitius quemquam decet, ac Chriſtum, qui ſeueritatem veterum temporum ſanguine fuſo noua gratia mitigauit; & quæ procul aberant, prope conſtituit; inimicitias æterni Patris cum hominibus, Populi Hebræorum cum Gentili componens, totq. modis diſcordes, in vnum fœdus contraxit, duritatemq. acerbam multis humanitatis condimentis mitigauit, & ad hilariorem ſtatum, conditionemq. traduxit. Sicut igitur Chriſtum ſalutis noſtræ auctorem ſpinea corona in cruce ornauit, ita reſurgentem, & in cælos conſcendentem, tam ciuica, quam quernum, & olinaceum permiſtim ſertum, eius diuina tempora debuiſſent cingere, redimere, & exornare. Vt quercus videatur iam continuiſſe ſpinas, oliua in copioſius, & vberius miſericordiæ oleum ſe totam effundere, quercuſq. amicitiam non vt olim detrectare. Sed hæc diffuſius forſan quàm par eſt tractata ſunt, cum parum interſit, cuius materiæ extiterit Crux, cum nobis ſatis eſſe debeat Cruce eſſe redemptos.

Auguſtus coronam ex quercu Ciuicam appellatam cum inſcriptione: SALVS HVMANI GENERIS: ſibi arrogans, Chriſto illius tempore nato teſtimonium perhibuit, qui vere eſt ſalus humani generis. Ad hoc videndus Adolphus Occon de Numiſmatibus in Auguſto.

De menſura Crucis Chriſti. Cap. 174.

Idem c. 31. Brocard. Adrichom. Antiquæ traditiones.

EX antiquis traditionibus, & monumentis conſtat, & à tempore Helenæ Auguſtæ quæ crucem inuenit, obſeruatum, Crucis erectam trabem quindecim pedum fuiſſe, tranſuerſarium autem lignum octo pedes patuiſſe; cruceſq. latronum eiuſdem prorſus fuiſſe magnitudinis, materiæ, formæ, & figuræ. Quod fuit in cauſa, vt Helena inuentas omnes tres, citra miraculum, diſtinguere nequiuiſſet, quæ Chriſti, quæ latronum exiſterent.

De Crucibus, quæ comparuerunt Hieroſolymis prodigijs magnis, Iuliano imperante, & Crucem perſequente. Cap. 175.

Ex Fr. Alfonſo Ciaccone tr. de ſig. Cruc. c. 9. Socr. hiſt. l. 3. c. 17. Niceph. lib. 10. c. 32. 33. Cedren. in Annal. pa. 252. Ruffin. lib. 10 hiſt. eccl. c. 38. 39

IVlianus Apoſtata, Chriſtianis, quos Galilæos iniuriæ cauſa appellabat, infenſus, odio illos ingenti proſequebatur: erga Iudæos autem facilem, manſuetum, & beneuolum ſe præbuit, non quod eorum religionem diligeret, ſed vt aduerſus Chriſtianos armaret, cum quibus implacabile odium intercedebat. In iniuriam igitur, & depreſſionem, & contemptum Chriſtianorum, illis aperte, & impenſe fauebat, & vt erat auidus ſanguinis effundendi, ſacrificijs mactandis admodum delectabatur: & cupiebat ceteros immolationi pecudum, & cædi incumbere. Iudæos itaque primores ad ſe adſcitos, percontatur, cur non ipſi etiam ſacrificarent, cum lex eorum ita præciperet: Non licere ſibi, reſpondent, alibi, quàm in templo Hieroſolymorum, quod tunc erat euerſum, ſuas victimas mactare, & patria ſacrificia peragere. Præcepit Iulianus, vt abſque mora templum Salomonis de integro conſtrueretur. Eius mandato impenſæ ad ea erant à publico ærario ſuppeditatæ: omnia parabantur, vt ligna, lapides, lateres coctiles, argil-

argilla, calx, aliaq. ad ædificium neceſſaria. Ad opus perficiendum argenteis hamis, cophinis, & ſcaphis, & ligonibus vſos fuiſſe Iudæos ferunt. cumq. tanto ſtudio ad id opus ferrentur, quoſcumque in arte ædificiorum condendorum celebres viros congregabant. Tanto vero in opere, ea ſolertia, & alacritate proceſſerunt, vt ipſæ feminæ in ſinu, veſtibusquè purgamenta exportarēt, & quæcumque eis eſſent monilia, & mundum omnem non grauate in eam ſtructuram impendebant. Iudæi per totum terrarum orbem diſperſi, pecunias multas Hieroſolymam ad eam impenſam mandauerunt. Opportunum igitur tempus rati aduenifſe eius rei, quam dudum deſiderauerant, conficiendæ, ſtudio omni in id opus maturandum incubuere. Chriſtianis ideo terrorem incutiebant, & contra illos ſe inſolenter efferebant, & denique minari cæperunt, ſe non minora illis incommoda illaturos, quam quæ ipſi olim à Romanis acceperant. Et quamquam Ethnici, qui Græci tunc communi appellatione vocabantur, alieno eſſent animo à Iudæis; eorum ſtudia tamen promouebant, quo falſas eſſe Chriſti prædicationes, oraculaq. eius intercidiſſe ſuaderent: qui Danielis vaticinium euenturum, & effectum conſequuturum confirmauit: Templum (inquam) Hieroſolymorum euertendum, neque manſurum lapidem ſuper lapidem in illo, qui non eſſet deſtruendus. Et quidem templum illud à Tito Veſpeſiano Cæſare euerſum anno Chriſti 72. die 8. Septembris, qui fuit poſt eius mortem annus quadrageſimus: fundamenta tamen, & ruinæ ſuperfuerant, & lapides ſuper lapides manebant, neque erat omnino expleta prædictio Chriſti, quæ videbatur nouo templo ædificato eludi. Verum S. Cyrillus, tunc Hieroſolymorum Epiſcopus, prophetico ſpiritu dixit, iam tempus aduentaſſe, quo lapis ſuper lapidem non maneret in templo, & oraculum Saluatoris penitus expleretur. Quæ cum Epiſcopus dixiſſet, & Iudæi omnes lapides antiqui ædificij eruiſſent, poſtridie fundamenta iacturi, noctu ingens terræmotus excitatus, lapides veterum templi ſtructurarum concuſſit, vnaq. cum ædificijs in proximo ſitis diſturbauit. Quæ res horrorem, & formidinem Hebræis incuſſit, & fama terræmotus ſubſequuti, etiam eos, qui longe aberant, ad locum contemplandum attraxit. Itaque cum quamplurimi adeſſent, aliud prodigium ſubſequutum: Ignis namq. cælitus demiſſus, omnia opificum inſtrumenta abſumpſit, malleos, ſcalpra, ſerras, ſecures, aſcias, ligones; denique omnia, quæ opifices habebant ad opus perficiendum idonea, flammæ incendio vaſtata. Incendium toto illo die graſſatum, res iſtas omnes depaſtus eſt: Globus namq. quidam ignis cælitus immiſſus ſubito emicuit, & per medium plateæ percurrens, aduſtis, & exanimatis, qui aderant, Iudæis, vltro, citroq. ferebatur. Hoc iterum, ſæpiusq. & frequentiſſime per totum diem illum repetens, pertinacis, & obſtinati Populi temeritatem, qui nec priori ſigno viſo ſe continuerat, flammis vltricibus coercebat. Iudæi igitur grauiſſimo timore perculſi, etiam inuiti, Chriſtum Deum confiteri cogebantur. Et ne hæc caſu fieri crederentur, ſequenti nocte, in altarium mappis, libris, ac veſtimentis, atque indumentis, non Chriſtianorum modo, ſed & Iudæorum, & Gentilium, tertio iam, & euidentiore miraculo, cruces radiorum lumine ſignatæ comparuerunt, non Hieroſolymis tantum, ſed & Antiochiæ, atque alijs multis in vrbibus, quaſi impreſſæ; quas cum dies illuceſceret, contemplantes Hebræi, & eluere, delereq. cu-

Naz. orat. 2. in Iul.

Matt. 24.
Dan. 9.

Ioſep. li. 7. de bel. Iud. c. 18.

Socrat. lib. 3. c. 17.

pientes, nullo adhibito ſtudio, & artificio potuerunt: & quem impudenter inficiabantur, in ſuis veſtibus impreſſum, & ſignatum videbant: multæ harum cruces nigri coloris fuerunt. Quare obcæcati, & obdurati, felicem, quæ in manus ceciderat, ſortem, Iudaiſmo retento abiecerunt. Contigerunt hæc prodigia anno Chriſti 363. Imperij Iuliani ſecundo, & Pontificatus Liberij duodecimo. Sic igitur deterriti Iudæi, atque Gentiles, locum pariter, & inaniter cæpta reliquerunt. Hæc diffuſius tractaui, vt Crucium apparitionis originem clarius explicarem, & rei, vt ſe habuit, proceſſum exponerem. Fuerunt autem hæc Crucium ſigna ideo cælitus immiſſa, vt Chriſtus Deus verbi ſui, & prædictionis, quam illi impij traducebant Ethnici, & Hebræi, exitum ſubſequutum oſtenderet, & ſigillo ſuo proprio conſignaſſe, & fruſtra eſſe eorum laborem, qui ædificationem eam tantopere vrgerent, eo quod diuina, & immutabilis ſententia extremam templo abolitionem decreto ſuo conſtituiſſet. Niſi enim Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam.

Iudæi in Hiſpanijs falſa perſuaſione quorundam pſeudoprophetarum exſpectantes videre miraculoſum ſignum ſalutis ſuæ, orantes in Sinagoga viderunt in ſindonibus Cruces vndique conſperſas mirabili prodigio, ſicut Iuliani Apoſtatæ tempore. Cap. 176.

Ex Paulo Burgenſ. in ſcrutin ſcriptur. diſt. 6. 2. p. c. 10.

FVit in Hiſpania Rabi Moyſes Gerundenſis, qui non mediocris auctoritatis fuit apud Iudæos, & magnus reputabatur, ſcripſit enim ſuper Pentatheucum, & aliquos alios libros Bibliæ, & ſuper ſuum Talmud multa, quæ apud eos habentur tanquam magiſtralia, qui in expoſitione Pentatheuci in parte prohemiali cum magna ſolemnitate determinauit, quod terminus aduentus Meſſiæ futurus erat certiſſime in anno 5118. à creatione mundi, ſecundum computationem Hebræorum. Quem quidem R. Moyſem ſecutus eſt in huiuſmodi termini aſſignatione R. Leui Begner, qui fuit de Prouincia Mudina, in ſua expoſitione ſuper Danielem, iactans ſe ſuper hoc diuinam reuelationem habuiſſe. Quem quidem terminum omnes Iudæi, ſpecialiter citramarini, tamquam certiſſimum antequam tranſiſſet, exſpectabãt, ſed Deo diſponente, contigit eis oppoſitum. Pro quo ſcire debes, quod in Hiſpania, ſpecialiter in regnis, & dominijs ſereniſſimi Domini Regis, Regis Caſtellæ, & Legionis à magnis temporibus ſuadente antiquo hoſte Iudæi magnos habebant ſtatus, in tantum, quod fidelibus in multis præerant, & officia magna, & publica exercebant inter Chriſtianos, & fidelibus in multis præficiebantur. Obtinebant enim in domibus regum, & etiam magnatum officia magna, per quæ omnes ſubditi, etiam fideles, eos in magna habebant reuerentia, & timore, quod non in modicum ſcandalum, ſeu periculum animarum cedebat fidelium ſimplicium. De facili enim tales conſueuerunt ad errores eorum, qui eis præſunt, moueri. Infideles Iudæi etiam ex hoc occaſionem perſiſtendi in ſuis erroribus ſumebant, dicentes, & in ſuis codicibus nonnulli eorum ſcribentes, quod prophetia Iacob Patriarchæ, in qua dicitur: Non auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de fæmore eius donec veniat &c. apud Gen. 49. verificabatur in hoc, quod Iudæi in Hiſpania ſceptrũ dominij, *Gen. 49.*

ſeu

ſeu regiminis obtinebant modo ſupradicto. Sed ſcrutanti hiſtorias Hiſpaniæ notum eſt, quod in termino ſupradicto, qui concurrit cũ anno Domini 1358. vel circiter, contigit, quod Rex Petrus in carcerem duxit illum, qui inter Iudæos erat maximus, & valde magnus in domo regia, quem etiam in carcere miſit interfici, & alios magnos eiuſdem generis cum eo, & ex tunc non fuit aliquis Iudæus, qui de Domo regia, ſicut haſtenus, præficeretur. Conſequenter etiam Rex Henricus II. bo. mem. frater eius, qui regnum fratris habuit, multas cædes, ſeu ſtrages, antequam regnaſſet, in Iudæis fecit tàm in Vrbe Toletana, quàm in quibuſdam alijs Villis, & caſtris, in confinibus regni Caſtellæ exiſtentibus, & cum huiuſmodi rex Henricus II. regnauit, regno accepto à fratre ſuo Petro, ipſe inſtituit in curijs generalibus, quod Iudæi portarent ſignum diſtinctionis in ſuis veſtibus, prout Iura Canonica volunt, ꝙ tamen nunquam fuit auditũ in Hiſpania, ſed indiſtincte cũ fidelibus conuerſabantur, ex quo multa enormia, & diuinæ legi difformia ſequebātur. Conſequenter Rex Ioannes Primus fel. recordationis, filius prædicti Regis Henrici II. inſtituit, quod Iudæi nulla haberent officia publica, nec iuriſdictionem etiam inter ſeipſos in criminalibus exercerent, qua quidem iuriſdictione aliàs maxime abutebantur. Poſt quem, ſcilicet Regem Ioannem regnauit Rex Henricus III. ſanctæ mem. filius eius in anno vndecimo ætatis ſuæ. In cuius regni principio, Deo vltionem ſanguinis Chriſti excitante, multitudo populorum magna, & valida contra eos ſurrexit, & quamplurimi fuerunt interfecti per totam Hiſpaniam, qui quidem tumultus incępit à Ciuitate Hiſpalenſi, in cuius Eccleſia Metropolitana quidam Archidiaconus in litteratura ſimplex, ſed laudabilis vitæ cæpit prædicare contra errores Iudæorum, & modos viuendi eorum enormes, & contra Synagogas eorum nouiter contra ſacrarum Canonum tenores ædificatas, ex quo tumultus ſupradictus incępit, & conſequenter in breuiſſimo tempore per totam Hiſpaniam, & vſque vltra Pirenæos, & inſulas Maioricarum, & Sardiniæ velociſſime euolauit. Deus autem, qui adeo bonus eſt, vt ex malis eliciat bona, ſic diſpoſuit, quod hac vexatione currente, & etiam poſt ipſius ſedationem, nõnulli Iudæorum ad cor ſuum reuerſi, dixerunt illud Deut. 21. Vere, quia non eſt mecum Deus, inuenerunt me hæc mala. Et ſic vexatione dantę intellectũ auditui, Scripturas ſcrutari cæperunt, & à Deo illuminati errorem ſuum cognouerunt, ſicq. ad Deum conuerſi nomen Chriſti publice, & deuote prædicantes, multorum corda filiorum ad patres, Deo dirigente, conuerterunt: quæ omnia in his regionibus manifeſta ſunt. Poſt prædictum vero Regem Henricum III. ſanctæ record. ſucceſſit ſereniſſimus Rex Ioannes filius eius, qui hodie regnat, & in longæuis temporibus fęliciter regnabit. Iſte cæpit regnare in cunabulis, cum eſſet in ſecundo anno ætatis ſuæ, & ſic fuit ſub tutoribus vſque ad tempus præfinitum à patre. In cuius tempore tàm durante tutela, quàm poſt, cum iam regimen ſuorum regnorum accepit, multa fuerunt inſtituta contra Iudaicam impietatem, quæ in ſuis Curijs, & regnis pro maiori parte obſeruabantur, ſub quo, diuino auxilio opitulante, fideliter ſpectatur, quod infidelitas tàm Iudaica, quàm Sarracenica ſupprimetur. Ex quibus ſatis patet, quod in termino finaliter à peritis Iudęorũ pro ſua redemptione aſſignato, incępit vaſtatio perfidorum infidelium, & ſalus, vita, & reſurrectio fidelium ad Chriſtum conuerſorum eſt exorta, quod eſt intentum.

Deut. 21.

Et attende,quod inter duos prædictos terminos, qui per prædictos Rabbinos in ſuis libris aſſignati fuerunt, fuit terminus alius à duobus Iudæis in Hiſpania,qui Prophetæ dicebantur, quorum vnus erat in Ciuitate Abuleńſi prouinciæ Compoſtellanenſis, & alius in villa, quæ dicitur Aillon Seguntinenſis diœceſis, Toletanenſis prouinciæ.

Qui quidem duo tam magnalia loquebantur, & quandoque futura prænoſticabant, & occulta reuelabant, & ſecundum morem eorum honeſte viuebant, qui ab omnibus Iudæis iſtius regionis reputabantur ſancti Prophetæ, & iſti duo aſſignauerunt tempus ad videndum ſignum ſuæ redemptionis in anno à creatione mundi 5405. ſecundum eorum computationẽ, qui quidem annus concurrit cum anno Domini 1295. In quo quidem anno in quarto menſe, qui apud eos dicitur Chanum,vltima die ipſius menſis,in qua die prædixerunt, quod Iudæi debebant habere ſignum ſuæ redemptionis à Deo miraculoſe factum. Ad quorum proclamationem omnes Iudæi fecerunt ſuas pœnitentias in ieiunijs multis cum ſatisfactionibus, & eleemoſynis, quaſi ad Deum reuerſi orantes, vt ſibi prædictum ſignum ſuæ ſalutis oſtenderet. In quo anno, menſe, & die aſſignatis intrauerunt Synagogas ſuas ad orandum Deum induti ſindonibus albis lineis, ſeu ſericeis, prout eſt moris apud eos in die expiationis, ſcilicet in die decima menſis ſeptimi. Et tunc altiſſimo Deo cooperante, qui nullum tempus ſine bonitatis ſuæ teſtimonio relinquit, in ſindonibus ſupradictis apparuerunt cruces in omnibus, & vbicunque erant,etiam in illis ſindonibus,qui ſeruabantur in ſuis apothecis, quo ſigno viſo, multi eorum fuerunt turbati, quorum quidam dicebant, quod hoc fuerat factum diabolica arte.

Nimirum,cum prædeceſſores eorum de Chriſto maxima miracula facien-
Matth.9. te dicebant: In Beelzebub eijcit dæmonia. Matth. 9. Alij vero dubitabant non audentes loqui, nec aliquid circa hoc iudicare. Alij vero crediderunt hoc ſignum fuiſſe veri Chriſti crucifixi,& diſpoſuerunt ſe ad eius fidem cum
Hier.3. baptiſmo recipiendam, iſti tamen fuerunt pauci, iuxta illud Hierem. 3. Aſſumam vos, vnum de Ciuitate, & duos de cognatione &c. Saluator etiam de
Matt.7. via, quæ ducit ad Paradiſum dicit: Et pauci inueniunt eam. Matth. 7. quę omnia large traduntur à magiſtro Alphonſo Valliſoletanenſi in quodam ſuo libro, qui dicitur de bellis Domini cap. 27. qui ex prędictis multa vidit, & teſtimonium perhibuit. Ego autem licet nondum eſſem tempore iſtius ſigni natus, qui quidem terminus pręceſſit natiuitatem meam per lx. annos fere, teſtificor tamen corã Deo, quod hoc prędictum ſignum modo prędicto contigiſſe ſæpe, & ſæpiſſime audiui ab antiquioribus Iudæis nemine contradicente in ipſo facto, niſi ſolum in cauſa eius, quia quidam eorum hoc attribuebant magicæ arti, quidam vero cauſam relinquebant ſub dubio. Ego autem quandoque mirabar,quomodo Domini illius temporis, præſertim Eccleſiæ Prælati,de hoc non fecerunt mentionem in ſuis hiſtorijs, de quo tamẽ rationabiliter debuiſſet in perpetuum celebrari feſtum ad honorem Crucis Chriſti. Sed reuera hanc admirationem tollit à me exceſſiuus Iudæorum ſtatus in illis temporibus, de quo iam tactum eſt. Tantùm enim locum habebant cum Regibus, & Principibus terræ tàm Eccleſiaſticis, quàm ſecularibus, quod hoc potuerunt ſuis cauillationibus impedire. Ex quibus omnibus rationabiliter præſumendum eſt, quod ſicut in prædictis terminis à ſuis

magi-

magiſtris aſſignatis, redẽptio per ipſos falſe exſpectata non peruenit, ſed potius aliqua contigerunt ad confirmationem, ſeu honorem fidei Catholicæ pertinentia, & per conſequens ad noſtram redemptionem, ſeu ſalutem. Sic præſumendum eſt contigiſſe in alijs terminis, de quibus fuit facta mentio ſupra parte prima, diſ. 3. licet illa ad noſtram notitiam non deueniſſent, propter remotionem partium terrę Orientalium, atque Meridionalium ab hac regione Hiſpanię, quę occidua eſt, & Septentrionalis.

Simile quid contigit apud Hęreticos in Prouincia Germanię, fuit autem huiuſmodi.

Paruulus filius Crucis ſignum adorans, & oſculans ſæpius, ab hæreticis parentibus obiurgatur, & cæditur, nec deſiſtit, & moriens illis deuotionem Crucis prædicat: poſt mortem pueri, parentes viſo magno Crucis prodigio, conuertuntur. Cap. 177.

Barthol. Medina in 3. p. Sum. D. Thoma ad q. 43. art. 4.

IN Germania Prouincia, cum eſſet quidam paruulus octo annorum, fidem Catholicam diligens, maximam deuotionem habebat ad Crucem Domini noſtri Ieſu Chriſti, ita vt pene nihil aliud faceret, quam adorare ſignum Crucis. Parentes autem eius, cum eſſent hæretici, reprehendebant illum, obiurgantes, & cum non poſſent perſuadere paruulo, vt ab opere tam religioſo abſtineret, comminati ſunt ei grauiſsime, quod niſi deſiſteret, flagellis eum cæderent; ſed nec propterea deſtitit à ſua deuotione: nam licet in publico abſtineret metu parentũ, in ſecreto tamen nõ ſaturabatur oſculari Crucem. Quod cum ſciuiſſent parentes, multis modis verberarunt; donec promitteret, quod amplius non oſcularetur. Paucis tranſactis diebus paruulus infirmatus eſt ad mortem, & dixit Patri grandes de Cruce laudes, & inter reliqua addidit: O Parentes mei, eſtote deuoti ad Crucem Domini noſtri Ieſu Chriſti, quia in illa eſt omne noſtrum bonum, & his verbis expirauit. Parentes, & vicini manſerunt ſtupefacti, & aliquot dies non erant ſui compotes; tamen verba paruuli impreſſa non fuerunt in cordibus eorum; ſed cum eſſent duriſſimi, & obſtinatiſſimi in ſua ſecta, conuerſi non ſunt ad fidem.

Elapſis paucis diebus in die Dominico, petiuit mater ab ancilla camiſiam mundam, vt moris eſt: quæ portauit ex arca vnam, quæ in eadem hebdomada lota fuerat, & cum eam euoluiſſet in lectulo, inuenit Crucem magnam; quæ ſurſum vſque ad deorſum occupabat. Clamat Domina, obiurgat ancillam, quod id facere præſumpſerit, dicens illam eſſe Papiſtam, & quod ſequebatur illum miſerum puerum, qui mortuus fuerat cum ſimili ſuperſtitione. Ancilla iurabat millies, ſe nunquam aliquid feciſſe, ſed affirmabat ſe ita inueniſſe. Præcepit Domina, vt aqua continuo adducta abſtergeret Crucem, & deleret eius ſignum. Ancilla fecit, quod iuſſa erat, ſed interim dum magis lauat, & delere conatur, magis ſplendida, & lucens apparebat. Ad hoc miraculum concurrunt vicini, & mirabantur vniuerſi, & viſo tam magno prodigio liquefacta ſunt corda parentum illius paruuli, & abnegata hæreſi, fidem catholicam amplexi ſunt. Viderant enim, quod digitus Dei eſſet iſte. Hæc refert F. Bartholomæus Medina vbi ſupra.

De

De celeberrima Cruce apud Hiſpanos miniſterio Angelorum ſuper altare delata. Cap. 178.

Ex P. Alphon. Ciaccone tr. de ſign. Cruc. c. 35.

EST quidem celeberrima per totam Hiſpaniã Crux, quæ Carauacæ, nobilis vrbis prouinciæ Chartaginenſis (hodie popularibus, Regum Murciæ appellatur) magna religione aſſeruatur, non vllo humano, ſed Angelico dumtaxat artificio confecta: lignea illa quidem, ſed cuius peculiaris arboris materia, ignotum, niſi ex quernea, vel alia paradiſiaca conſtet.

Eſt autem Carauaca Ciuitas mediterranea, aſpero, & montuoſo iugo incumbens, quæ militibus S. Iacobi Enſigeri ſubeſt, arcẽ habens munitiſſimam, præſidio, & armis ſatis inſtructam, & ſubtus multas ſpecus, & latibula continens ſaxo ipſo excauata. Quæ olim, cum Agarenorum imperio pareret, ergaſtula erant tuta, continendis captiuis Chriſtianis, quos in prædam continue abducebant. Hanc Agarenus Rex aliquando ingreſſus, arcem inuiſit, & captiuos iuſſit Chriſtianos proferri, qui intra ergaſtula tenebantur. Quos vt macie confectos, & pallido eos eſſe vultu conſpexit, ſortem hominum, & conditionem ſeruilem miſeratus, ne deinceps ergaſtulis reſtingerentur edixit; ac ſingulos benigne patriam, parentes, & artem, quam noſſent percontatus, in eadem eos exercendos inſtituit, vt reipub. frugi, & liberius, atque hilarius ſuo quiſque muneri vacaret. Oblatus eſt inter alios presbyter. Hunc Rex quam artem profiteretur, ſciſcitatus, ſacerdotem ſe eſſe Chriſtianorum reſpondit, & omnes artes, & Regum quamcunque potentiam ſuum miniſterium ſuperare. Rex ſe intueri velle iſtiuſmodi myſterium, & vt illud in ſuo conſpectu celebraret, mandauit. Sacerdos contra reſpondit, deſtitui ſe veſtibus ſacris, & ceteris neceſſarijs ad ſacram rem peragendam, quæ apud Chriſtianos in promptu eſſe ſolerent. Rex continuo iubet, vt è proximo Chriſtianorum oppido omnia peterentur, quæ ad hoc miniſterium celebrandum opportuna eſſe videbantur. Ara intra arcem erigitur, lapis ſacratus illi ſuperponitur, veſtibus ſacris presbyter amicitur: calix aderat, panis, & vinum conſecranda, & V. tunc Nonarum Maij illuxerat, quo Solemnis S. Crucis inuentionis feſtiuitas agebatur. Orſurus Miſſam ſacerdos conſtitit, cauſſam cunctationis Rex ſciſcitatus: Crucem deeſſe dixit, quæ conſueſſet huiuſmodi miniſterio, & ritibus illo die præſertim adhiberi. Vix hæc fuerat effatus, cum fornice, qui altari imminebat, dehiſcente, magnus ſplendor effulſit, & per illum hiatum duo Angeli de cælo illapſi, crucem ligneam bipalmarem deferentes, ſuper altare paratum depoſuerunt. Stupet Rex Agarenus cum ſuis aulicis, tanto miraculo conſpecto, & Chriſtianis, qui aderant, lachrymæ obortæ, & ſingultus imo pectore eruperunt, & gemitus: pectus tundunt, clamorem attollunt, & gratias de tanto beneficio vix poterant Deo, præ gaudio admirabundi, intonare. Rex cum ſuis aulicis Chriſtianam fidem complexus, Chriſtianos libertate donauit, & ſacello intra arcem conſtructo, & dicato, Angelicam illam Crucem intra pretioſam arcam aſſeruandam reponunt, tribus hodie ſeris, & totidem clauibus obſignatam: quarum vnam arcis Præfectus, ſecundam Templi maximi primarius ſacerdos, tertiam Senatus Carauacenſis habent. Singulis quibuſque annis, die 3. Maij, quo Crucis Inuentio recolitur,

litur, & illa Crux, quę ab Angelis fuit deportata, inſigni pompa publicis ſupplicationibus ex arce ad fontem copioſiſſimũ, lacum ſuis fluentis efficientem, ferreis clatris obſeptũ, deducitur, & ter intra illas vndas ſubmergitur, eiusq. ſacro contactu illæ ſanctificantur, ita vt multis modis, & ægritudinibus deguſtantium ſubueniant, & multis alijs rebus euadant ſalutares. Ad hoc ſpectaculum innumeræ gentes, & populi ex omni vndique Hiſpania confluunt, ſanctæ Crucis lignum illud adoraturi. Tantum theſaurum ordo ſacerdotum primoris Eccleſiæ illius vrbis voluerunt ſibi vendicare, in templum ſuum inferentes, ſed eum locum crux dedignata in proprium arcis ſacellum concedebat; ideo nonniſi iureiurando interpoſito, Clero, Senatuiq. Carauacenſi concreditur, qui peractis de more ſupplicationibus, continuo ſe reſtituturos arcis præfecto pollicentur. Mirandum profecto eſt, 400. & eo amplius annos viguiſſe illud lignum, citra cariem, & teredinem, aut vllum vitium, illæſum perduraſſe. Infeſtatur maxime Carauaca tempeſtatibus frequentibus, tonitruis, & fluminibus, grandine, & lapidibus, quibus pluit, atque his cæli iniurijs arcendis, & auertendis datum illi ſingulare illud præſidium Crucis. Quæ mox vt è ſua theca extrahitur, & hiatum illum contingit, per quem fuit primum ab Angelis tranſmiſſa, continuo omnia conquieſcunt, & tempeſtas ſedata, tranquillitas, & ſerenitas ſubſecuta. Timent namq. mali dæmones Crucis ſignaculum, tamquam exterriti, & omnino per eam ſubacti.

Soldanus Iconij in occulto baptizatus, matre ſuadente Crucem Chriſti ſuper Pyramidem ponit, quam cum Sarraceni exturbare vellent, magnis prodigijs deterriti pars eorum perijt, pars baptizata eſt. Cap. 179.

SOldanus Iconij, opera Alexandri Papæ III. clandiſtine baptizatus eſt in Cilicia. Quibus autem potuerit Soldanus vrgeri, vt fategerit fieri Chriſtianus, Robertus in obitu matris eiuſdem Soldani ita deſcribit: Mater Soldani de Iconio veniens ad extrema reuelauit filio, quod ſemper celauerat, quod ſcilicet eſſet Chriſtiana, & rogauit eum vt crederet in Chriſtum, qui eſt Dominus, & Rex omnium ſeculorum, & quod amaret Chriſtianos. Quod ipſe ſpopondit ſe facturum, ſed dixit, quod non auderet aperte credere in Saluatorem propter Paganos, ne in ſe aliorum Principum Saracenorum odia concitaret. Dixit ei mater ſua: Fili, cum mortua fuero, fac mihi excelſam Sepulturam, & pulchram, ſicut pyramidem, pone ſuper eam ſignum Crucis Chriſti. Cui ille, de luce ſe hoc facere non poſſe reſpondit: Tu fac (inquit Mater eius) de nocte, quod & factum eſt. In craſtino autem cum Agareni vidiſſent ſignum illud, indignati ſunt contra Principem, & volebant eum occidere. Tunc quidam ex ipſis ſubleuatus ſuper machinas, conabatur eam deponere Crucem, qui voluntate Dei corruit, & mortuus eſt. Similiter & alius interemptus eſt alia vice. Tertia die cum conueniſſent millia hominum multa ad deponendum ædificium illud, venerunt fulgura, & coruſcationes, & illo primitus perempto, qui aduerſabatur, multa millia perierunt igne diuino. Tunc apparuit Angelus Domini, & clariſſimum ſignum Crucis poſuit ſuper pyramidem illam. Ex quo multi crediderunt in Chriſtum, & adhuc Crucem illam venerantur, & adorant. Hæc

Mat. Paris anno Dom. 1169. hiſt. Angl.

RO-

Robertus ſcriptor illius temporis. Extat epiſtola Alexandri Papæ ad Soldanum, nouiſſime cuſa in libris Petri Bleſenſis, hoc titulo ſuperſcripta: Alexãder Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Soldano Iconij veritatem cognoſcere, & agnitam cuſtodire.

De Crucis apparitione, tempore Clem. III. Cap. 180.

Roger. Houed. in Angl. Annal.

CLemens III. indictam à prædeceſſore expeditionem ad terram Sanctam promouere, & ad perfectã ducere laborauit, & Indulgentiũ confirmauit, ſtatuens quod quicunque ea de cauſa ſacram Crucem ſuſciperet, de omnibus peccatis, de quibus pœnitens confeſſus fuerit, auctoritate Dei, & SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, eſſet liber, & abſolutus. Hæc Roger. Anglus.

Porro egit idem Pontifex litteris apud Chriſtianos Principes, ad quos & ab Oriente legationes tunc frequentatæ: cum, & qui miſſus ad hoc opus fuerat, Vvillelmus Tyri Archiepiſcopus, vtpote qui natione Gallus cum eſſet, & magnæ vir exiſtimationis, praſtans eloquentia, facile permouere poſſet Principum animos: operoſe rem agens effecit, vt conuenirent ad eius præſentiam ambo Reges Franciæ, & Angliæ ad hæc tractanda. Quid autem inter ipſos geſtum fit, Rogerius ita exactiſſime narrat.

Accepto colloquio inter ipſum, & Regem Franciæ, inter Giſortium, & Trie, duodecimo Kal. Februarij, die Sanctæ Agnetis Virginis, & martyris conuenerunt illuc cum Archiepiſcopis, & Epiſcopis, & Comitibus, & Baronibus regnorum ſuorum. Cui colloquio interfuit Archiepiſcopus Tyri, qui repletus ſpiritu ſapientiæ, & intellectus, miro modo prædicauit verbum Domini coram Regibus, & Principibus, & conuertit corda eorum ad crucem capiendam, & qui prius hoſtes erant, illo prędicante, & Deo cooperante, facti ſunt amici in illa die, & de manu eius crucem receperunt, & in eadem hora apparuit ſuper eos ſignum crucis in cælo. Quo viſo miraculo, plures cateruatim ruebant ad ſuſceptionem Crucis. Prædicti vero Reges in ſuſceptione Crucis, ad cognoſcendam gentem ſuam, ſignum euidens ſibi, & ſuis prouiderunt. Rex namq. Franciæ, & gens ſua ſuſceperunt cruces rubeas, & Rex Angliæ cum gente ſua ſuſcepit cruces albas, & Philippus Comes Flandriæ cũ gente ſua ſuſcepit cruces virides: & ſic vnuſquiſque ad prouidendum ſibi, & itineri ſuo neceſſaria reuerſus eſt in regionem ſuam.

Crucis portionem Lithuani diripientes, & aſportantes, diuinitus detenti, vt ſe mouere non poſſeent, ad ſuum locum remiſere. Cap. 181.

Cromer. lib. 13.

LIthuani, excurſione in Poloniam facta, maximas prædas egere, & Monaſterium Montis Calui diripuerunt; inter alia portionem crucis Chriſti auro incluſam aſportabant. Sed cum perueniſſent ad Poloniæ fines, plauſtrum, quo illa vehebatur, nulla vi, neque iumentorum, neque hominum moueri potuit, quin ſubito concidebant exanimati homines, equi, boues, & quicunque illud attigiſſent. Cumq. Lithuanorum duces perterriti à Ruſſo quopiam cladis cauſſam cognouiſſent, crucem cum nobili captiuo ad ſuum locum remiſere, & iter propoſitum mox cuncti incolumes tenuerunt. Hæc Cromerius diligens ſcriptor.

Qui-

Quidam Gentilis factus Chriſtianus, non credebat Crucem ſalutis omnium cauſam exſtitiſſe, ſed oblata viſione, diuinitus corripitur. Cap. 182.

ACcepi Probianum, vnum ex ſatellitibus, qui Imperatorem in Palatio ſtipabant, cum dolore pedum grauiter affligeretur, in eo loco etiam cruciatu leuatum, & admirabili quadam, ac diuina viſione dignatum fuiſſe. Nam iſte cum initio gentilis eſſet, poſtea tamen factus Chriſtianus: quamquam omnia alia religionis noſtræ inſtituta probabilia putabat, ſanctam tamen Crucem ſalutis omnium cauſam exſtitiſſe, neutiquam admittere voluit. Cui ſic animo affecto, viſio diuinitus oblata quandam Crucis effigiem, quæ in altari illius eccleſiæ ſtatui ſolet, ante oculos propoſuit, declarauitq. maniſeſto, res quæcunque à tempore quo Chriſtus in Crucem actus erat, vel ad vtilitatem humani generis communem, vel ad priuatam quorundam, ſeu à diuinis Angelis, ſeu à pijs, & perfectis hominibus geſtæ fuerunt, non ſine virtute Crucis ſalutaris recte geſtas eſſe. *Sozom. hiſ. lib. 2. c. 2.*

Crucis viuifica ſignum virtute ſua frangit vectes portarum, & vincula captiuorum mirabiliter diſrumpit, & educit vinctos in fortitudine. Cap. 183.

MIrandum quippiam per magnum Anachoretam Ioannicium perpetratum, Auctor vitæ ipſius, eiuſdem temporis ſcriptor, in lucem prodidit iſtis verbis: Iam, inquit, agebatur quidē quintus annus Imperij Machaelis; quartus decimus autem, ex quo Bulgari fecerant expeditionem, & deceſſerat Nicephorus Imperator, à quo tempore, multi Romanorum cum patria libertate amiſſa detinebantur captiui in manibus Bulgarorum. Venit itaq. in mentem illi benignæ, ac clementi animæ, ſi quomodo eos poſſet educere è laborioſa illa, & afflicta vita. Interrogans autem, accepit carcerem illum, in quem illi erant coniecti, eſſe obſcurum, & tenebricoſum, adeo vt eis vſu veniret, ægre ferre, quod non cum patria, vitam quoque amiſiſſent, quod quidem eum magis angebat. *In vita S. Ioannicij apud Lip. t. 5.*

Huic ergo propoſito omnibus poſtpoſitis, reliquit quidem illam gratam, & ſolitam viuendi rationem: Et via quæ intercedit, confecta, non curauit cuſtodes, qui eos circumſedebant, ſed non viſus ad eos accedens, ſtatim pro omnibus copijs vſus eſt figura Crucis, & ea perfractis vinculis, & clauſtris portarum, tamquam ab inferis, & vmbra mortis, tamquam Ieſus meus, reducit eos, qui illic ſedebant, & pôtat non aquis, ſed ſermonibus ſalutaribus viuificæ doctrinæ, admonens, ne eſſent ſicut patres eorum generatio praua, & exaſperans, ſed deinceps ſpem in Deo ponerent, & non obliuiſcerentur eius remunerationum; præterea autem filijs quoque notum facerent illius mirabilia. Deinde eum in luce ſicut Moſes tota nocte eos traduxiſſet, vſque ad noſtros fines eos tranſmiſit, & conſeruauit. Cum autem vim afferrent, & vrgerent ij, qui ſaluati fuerant, & Quis es homo Dei? ſæpe rogarent: non celauit quidem nomen; dixit autem ſe hanc gratiam ſoli Deo adſcribere. Cum hoc neſcio an ſit conferendum id, quod vſu venit ijs, qui fugie-

fugiebant ex Aegypto. Nam illorum quidem inimicos aqua obruit, hi autem conſecuti, quod optabant conſequi, nulli fuerunt cauſa calamitatis. Sed & hi domum redeunt, & ſanctum rurſus excipit grata illa quies, & ſilentium in monte Thricalicis. hæc de his Auctor.

De glorioſa victoria Alphonſi VIII. contra Sarracenos in famoſo bello de Nauibus Tholoſæ, & quomodo Crux Chriſti pretioſa viſibiliter opem tulit, & de innumera caſorum multitudine. Cap. 184.

Rode. Sant. hiſt. Hiſpa. lib. 3. c. 35. Libet, inquit Rodericus Santius Epiſcopus Palentinus, breui diſſerere geſta Alphonſi VIII. poſt infœlicem cladem peccatis populi Chriſtiani ſuſceptam apud locum de Alarcos. Poſtquam idem Alphonſus à Miramomelino Rege Sarracenorum ſic infœliciter victus fuit, conſpiciens peccatis ſuis id eueniſſe, compunctus corde, multa pietatis opera fecit. Fundauit enim, atque dotauit monaſterium de Holgis, & Hoſpitale Regis apud Burgenſem Ciuitatem, & alia plurima monaſteria monialium. Fernandus itaq. filius eius cum eſſet ingentis roboris animi, inceſſabiliter interpellat patrem Alphonſum, & Miramomelinum Regem Maurorum paulo ante victorem aggrederetur. Pater verò cum conſpiceret Sarracenos inſtructos, copijs multis, ac in locis ſaltuoſis manere, ad filium ait: Aggrederer, ò fili, hoſtes libens, ſi plurimos tibi ſimiles in caſtris meis conſpicerem, & hoſtium vires expertus non eſſem: imitatus Paulum Fuluium, qui contra Macedones conſul miſſus, cum eſſent hoſtes in locis inacceſſibilibus, hortante eum Naſica optimæ indolis iuuene, vt hoſtes adorirentur: Facerem, inquit, iſtud, ſi tua mihi ætas fuiſſet, aut tibi mea experientia. Verum pluries expertus ſum nõ tutum eſſe, vt recenti, infęliciq. clade proſtratus aduerſus inſtructam aciem dimicem. Tandem Alphonſus precibus filij, atque ſui animi amplitudine roboratus, eundem Regem Sarracenorum diffidauit. Interim Rhodericum Archiepiſcopum Toletanum Romam miſit pro Cruciata, quam cõfeſtim obtinuit. Adueniente igitur die belli, congregato, & inſtructo exercitu, Sarraceni in multitudine confidentes, vt moris habent, clamitabant magnis vocibus, & diuerſis ſonorum, & tubarum ſtrepitibus rigebant, vt noſtris timorem, ſuis vero animum darent.

Cum vero Alphonſus ſuos hoſtium potentiam formidare conſpiceret, ad eos ait, quod Saluſtius in Catilinaria refert: Semper, inquit, in prælio illis eſt maximum periculum, qui maximè timent. Nobis ergo ò Chriſti milites, audacia pro muro, ſpes pro ſecuritate, gloria pro victoria, iuſtitia pro certitudine vincendi habeatur. & ſubdit: Nec vos conturbent hi hoſtium clamores; illis enim pauor eſt in animo, quibus effuſa vox eſt in ore. Imitatus eſt Alphonſus Magnum Alexandrum, qui (vt Q. Curtius refert) contra Darium pugnaturus, in ſimili caſu ad ſuos formidantes ait: Quid Barbarorum clamoribus turbamini, qui timoris habent teſtimonium, non confidentiæ probationem? Nam & canibus infęlicioribus mos eſt, quanto plus defecerint vires, eo magis latratibus indulgere. Expletis igitur his verbis, omnes in Domino confortati Sarracenos impetunt. Vtrinque itaque pugnatum eſt acerrime, & non ſine varietate fortunæ, eo auxilium ferente, coram quo fortuna

tuna ipſa aut nihil eſt, aut nihil poteſt. Tandem Arabes mirabili ſtrage fuſi, & cæſi ſunt. Fuit hoc bellum famoſum dictum de Nauibus Tholoſæ, vbi Crux Chriſti viſibiliter opem tulit. Meruit hic Alphõſus ſua ad Chriſti crucem deuotione, & reuerentia, crucis triumphantiſſimæ auxilio vincere, vt alter Conſtantinus Conſtantij filius, qui (vt inquit Caſſiodorus) aduerſus Maxentium pugnaturus vidit per ſomnium ſignum Crucis in cælo, flãmineo more rutilare, & Angelos aſſiſtentes, atque dicentes: In hoc ſigno vinces Conſtantine.

Triumphauit autem Conſtantinus in ſigno Crucis, vt nec ſolus vnus de ſuis in bello mortuus, atque captus fuerit. Quo effectum eſt, vt Crux, quæ primo apud Romanos ſupplicium fuerat, in numiſmatum figuris ſit deſcripta litteris aſcribentibus: Hoc eſt inuincibile ſignum Dei viui. Fuit itaq. tam glorioſum hoc bellum, ſicut vnquam in Hiſpania accidiſſe legitur. Cęſa enim fuere circiter ducenta millia Arabum. Stupenda clades, inaudita lues, tot interfectorum hominum multitudo, quæ non miſeranda, non deflenda, ſed cum ſummis gaudijs referenda, atque immortali Deo gratulanda eſt.

Princeps quidam, Chriſti crucifixi effigiem irridens, à lumine ab imagine emiſſo terretur, & cum plurimis Chriſtum confitetur. Cap. 185.

Martinus Valentia oriundus è familia Franciſcanorum, ſtudij multũm poſuit in propagando per Indias Occidentales Chriſti cultu, multaq. mirabilia effecit. Nouiſſime vero Aloyſius Bertrandus è Dominicanis, maxime noſtram religionem in ijs locis amplificauit: datumq. eſt illi diuinitus, vt mortuos ad vitam reuocaret, & innumeros ægrotos reſtitueret ſanitati. Accidit aliquando, vt cuiuſdam vici incolæ ad eum confluerent, nomen Chriſto dare parati. Interrogati, quid eos ad hoc adduceret? reſponderunt, in publico quodam vniuerſaliq. eorum conuentu adſtitiſſe dæmonem, quem cuncti ſpecie horribili viderent, ac dixiſſe. Quid me aſtantibus duobus Chriſtianis inuocatis? (Aderant forte duo ab Aloyſio ad Chriſtum perducti) abripite eos hinc. Vbi hæc dixit, homo quidam, qui ſe diceret Aloyſio miſſum, proceſſit repente in medium conuentum, & in conſpectu omnium diſputatione inita, dæmonem conuicit, quibus actis, euanuere ex oculis adſtantium. Venit forte in manus Principis cuiuſdam, qui non longe aberat à finibus Regni Peruani, effigies Chriſti crucifixi. Ille acceptam conſpuere, ac multis modis irridere cępit in conſpectu plurimorum. Ibi mirabiliter imago, quaſi vere ſpiraret, cępit ex oculis lumen emittere, caput motare, & aſpectu minaci Regem, cunctoſq. terrere. Quocirca pauore perculſi omnes, & tremore correpti, partim cecidere ad terram, partim cum ſe viderent obrigeſcere, neque poſſe loco recedere, exclamare cęperunt, factiq. pœnitentes miſericordiam ſuppliciter implorare. Ob id priſtino ſtatui protinus reſtituti magnum Chriſtianorum Deum palàm confiteri altiſſima voce, rem cunctis enarrare. At Princeps vnà cum multis è numero ſuorum ſe Cuzcum contulit, & factum diuulgans Chriſto ſe deuouit.

Sur. in hiſt. & Annal. Franciſci.

Iuue-

Iuuenis, peccatis obnoxius, ſe ſigno Crucis non communiens, incidit in manus Diaboli. Sed alter, Cruce protectus euaſit manus eius. Cap. 186.

ERant duo ſocij, ambo florentis ætatis ex Germania oriundi in eadem domo habitantes, qui cum in eodem lecto decumberent, iuxta thalami portam quadam nocte conſpexere immanem Dæmonem, proceræ ſtaturæ, ſicut Gigantem: horrenda manu cathenarum ferrearum faſcem gerebat. Alter autem ex illis, qui vitam in vitijs enutriuerat, & multorum peccatorum vinculis conſtrictus erat, tremefactus dixit ſocio, qui probus erat, & Deum timebat: Videſne tu, quod ego video? Video, reſpondit ille, horribilé Dæmonem iuxta portam. Cumq. ambo nimio metu conſternarentur, Gigas ille vnico paſſu ad medium thalami peruenit, quod cum ſocius, qui probus erat, aduertiſſet, ſtatim ex lecto proſiliens, muniens ſe ſigno Crucis benedictæ, ſubter thorum ſe abdidit, ibique Ieſum Chriſtum inuocans, ſigno illo Dæmonibus horrendo millies ſe ſignabat. Quod cum faceret, audiuit ſocium, qui in lecto iacebat, clamantem, Adiuua me frater, adiuua me. Ille autem reſpondens monebat illum, vt Ieſum Chriſtum inuocaret, & ſe ſigno Crucis muniret: At ipſe: Non poſſum, non poſſum, replicabat vociferans; vociferanti ſtatim Dæmon alterum mouens paſſum aſtitit, & lecto appropinquauit, facto ingenti cathenarum ſonitu, receſſitq. inde. Poſt Dæmonis diſceſſum, is qui deliteſcebat, exijt ex eo loco, & arbitrans ſocium metu exanimatum, intuens ſuper lectulum, eum non inuenit, ſed tantum reperit thorum in ea parte, in qua infęlix iacuerat, combuſtum. Quo ille ſpectro admonitus, & re ipſa expertus in ſocio ſuo, quod iniquitates capiunt impium, & funibus peccatorum vnuſquiſque conſtringitur, & quod ſuperbi Dæmones laqueum abſcondunt, & extendunt funes in laqueum, & iuxta iter ſcandalum poſuerunt, & cadunt in retiaculo eorum peccatores, cogitauit fugere à facie operantium iniquitates, & conferre ſe ad loca, vbi diſcitur diligere Deum, virtutes amplecti, & diſrumpere iniquitatum funiculos, & calcare ſuperbiam, & neſandas carnis concupiſcentias cordis puritate comprimere. Quod autem tunc facere cogitauit, ſtatim opus perfecit, ingreſſus eſt illicò Religionem Societatis Ieſu, vtroque orbe celeberrimam, in qua permanens, ipſemet hoc quod ſibi contigerat, manifeſtauit Ioanni Baptiſtæ Boniperto Nouarienſi ſacerdoti probo, qui mihi hoc ipſum per litteras ſignificauit. Vt hinc appareat verum eſſe, quod erunt duo in lecto vno, *Iſa.* vnus aſſumetur, & alter relinquetur.

Crucis ſignum apud Braſeliam ſuper arborem poſitum, admiranda operatur, totam prouinciam Chriſto ſubijcit. Cap. 187.

Sim. Maiol. de Imagin. ESt regio longe, lateq. patens, quæ ſanctæ Crucis Prouincia dicitur. Atque iſta quidem ea eſt, quam vulgus imperite, atque inſcite Braſeliam appellat, à ligno illinc deportato, quo panni imbuuntur. Quaſi vero propter exiguum lucrum ſpecioſius illius ligni, quàm ligni, in quo Chri-

ſtus

ſtus nos expiauit, quodque illi Prouinciæ pij Luſitani indidere, nomen cenſeri debeat. Petrus enim Aluarus ad annum Chriſti na.i 1500. tempeſtate eò delatus (vt de ea illud dici poſſit: Tu non inuenta reperta es) in ſumma quadam altiſſimæ arboris parte Crucem affixit, & ad imam arborem, vt præſenti exercitu Miſſa celebraretur, mandauit: eamq. regionem quaſi Chriſto dedicauit, in qua hodie Chriſtiana religio vbique diffuſa eſt. Petrus poſt ſacra abſoluta, cùm ob ſacrificium in memoriam mortis Chriſti ibi peractum (quod numquam in illis terris à Chriſto nato celebratum creditur) tùm ob Crucis trophæum ibidem erectæ, totam Prouinciam, Sanctam Crucem appellauit. Crucis autem Ciuitas à Corteſio, qui ibi Crucem poſuerat, dicta eſt. Cuius poſtea ligno multi à morbis ſanati ſunt, habitaq. eſt loco Reliquiarum. Conſtat multos eam milites loco mouere fruſtra conatos, Cruceq. varijs in locis Indiæ poſita, Dæmones effugatos, nec reſponſa vt prius, Indis dediſſe. Quæ res Indianis magnam mouit admirationem. Proditur præterea Crucis ſigno multos morbis preſſos reualuiſſe, atque adeo mortuum reſuſcitatum: imo & Cumanam nouæ Indiæ gentem idolis penitus deditam, ſigno tamen Crucis vſam, qua ſe aduerſus Dæmonum phantaſmata defendebant. Illud vero cum primis memorabile eſt, Alphonſum Congorum regem (quæ regio longe patet in Aethiopia) recens ad Chriſtum conuerſum, atque ideo à ſuis deſtitutum, & à fratre bello petitum, ad Chriſti ſolius opem confugientem, glorioſam victoriam retuliſſe: cum ipſe non tam pugnando, quam Chriſtum, & Iacobum Hiſpaniæ Patronum appellando, fratrem in fugam coniecerit. Qui in fuga cum præcipuo quodam ex ducibus captus eſt. Dux ille faſſus eſt, ſe nihil mirari Alphonſum tàm egregie viciſſe: ſe enim, & ſuos non tàm illius armis, quàm alio quodam fortiſſimo equitum exercitu, cui ſignum illud, quod Chriſtiani adorant, præire videbant, in fugam præcipitatos. Alphonſus in memoriam tam celebris victoriæ, in qua aduerſarij ſignum Crucis, & cæleſtem Angelorum militiam videntes fugati ſunt, Cruce deinceps pro inſignibus vſus eſt. Cuiuſmodi quidem narrationibus omnis antiquitas plena eſt. Quibus omiſſis, illud ſolum referam, Bernardum Breidenbachium, qui auorum noſtrorum memoria, in illa graui & formidanda Rhodi obſidione ſub Sixto Quarto interfuit, à qua Ciuitas ſupra omnem humanam exſpectationem erepta eſt, affirmare, Crucem auream in aëre hoſtibus apparuiſſe, & Turcis maximos terrores incuſſiſſe. Atque illud quidem de Alphonſo ad prima initia orientalis nauigationis, hoc vero, quod iam referam, quadriennio plus minus abhinc accidit.

Colloquebatur forte Ferrantes Oſorius, vnus ex Societate nominis IESV, cum rege regionis Bazianæ de Chriſto, & eius Cruce. Cui rex reſpondit, apparuiſſe ſibi nocte Infantem cum Cruce, & iuſſiſſe, vt ſibi eam ſumeret: fore enim eam ſibi maximo honori. Vnde rex Chriſtum palàm profeſſus eſt, nec in cubiculo tantum flexis genibus Crucem adorauit, verum etiam proprijs manibus Crucem ad certum quendam Ciuitatis locũ detulit, eamq. ibi defixit, populo præſente, atque genu ſubmittente. Rex vero edixit, vt capitalem pœnam ſubirent, qui Crucem non adorarent. Sed nec illud prætereundum eſt, qua ratione Luſitani in Aethyopiam primum appulerint. Nam cum longa, & periculoſa nauigatione portum aliquem Aethyopiæ fru-

ſtra quæſiſſent, tædio tandem, & laboribus fracti, domum, re deſperata, poſtridie reuerti cogitabant. Mane vero, cum iam reditum molirentur, clara rubræ Crucis ſpecies iu cælo palam conſpicuam ſe omnibus præbuit. Qua conſpecta, præfectus nauis, quaſi fœlici, & ſalutari omine diuinitus oblato: Agite, inquit, diuertamus proram in eam oram, & Deum ſalutari nobis paſſionis ſuæ ſigno præeuntem alacres ſequamur. Cum omnes omen læti arriperent, & alacres ad eam regionem contenderent; diuturno mox deſiderio potiti, portum tamdiu ante optatum inuenerunt. Quos potentiſſimus ille rex Aethyopiæ, qui quadraginta Regibus præeſt, mirifice amplexus eſt, eoq. chariores habuit, quo Crucis magis ſtudioſos videbat. Quæ regio, quãuis varias labes, & maculas religionis acceperit, quod tam ſit diſiuncta à Romana Eccleſia, & propter iter Chriſtianorum tot ſæculis ad eam interclusum; Romanum tamen Pontificem, vt Chriſti Vicarium adorat: & ſpes eſt pios Patres Societatis IESV, omnes eas maculas propediem abſterſuros, qui in eo labore iam toti ſunt. Merito certe pijs Luſitanis Deus Crucem, itineris ducem, dedit, cuius illi gloriam tantis laboribus quærebant; qua exercitui poſtea præeunte, celeberrimas illi contra Paganos, & Mahometanos victorias reportarunt.

Pſ.95. Sed de Crucis gloria plura infra ſuis locis coaptabuntur. Iudæi, ne Crucis myſterium, quod in Pſalmis eſt: Dicite iu gentibus, quia Dominus regnauit à ligno (ſic enim erat apud Hebræos) tam clare probaretur, & Chriſtiani teſtimonio illius Pſalmi eos conuincerent, abſciderunt eam vocem, à ligno. Hoc autem fecerunt paulo poſt quàm Chriſtiana Religio mundo illuxit. Meminit de integro verſu Eccleſia, dum canit: Impleta ſunt quæ concinit, Dauid fideli carmine, dicens in nationibus, Regnauit à ligno Deus. Corrupiſſe autem Iudæos initio naſcentis Eccleſiæ loca alia, quæ illuſtre de *Iuſtin. con. Triph.* Chriſto teſtimonium propalarent, præclariſſimus eſt teſtis Iuſtinus Martyr, qui centeſimo à Chriſto vixit anno, in libro contra Triphonem Iudæum, eius generis illud inter cetera recenſens, quod hic dicimus de Pſal. 95. Quod verum fuiſſe, non ſolum Iuſtinus prodit, afferens adhuc ſuo tempore extitiſſe incorruptos Codices, qui illud, à ligno, haberent. ſed, & Marianus Victorius, qui opera D. Hieronymi accuratiſſime recognita, & pereruditis Scholijs illuſtrata emiſit Romæ, Pio IV. Pont. Max. dicata, in ipſis Scholijs idem confirmat, his verbis: Sunt etiam apud me vetuſtiſſimi aliquot manuſcripti Bibliorum Codices, è Cœnobio Montis Caſſini, qui vocem eam (à ligno) adhuc retinent. Conſtat etiam, Pſalterium quo vtitur Vaticana Baſilica, eandem vocem retinere.

De Titulo Crucis, qui ſupra Crucem Ieſu Chriſti crucifixi poſitus fuit. Cap. 188.

Gretz. de Cruce, l. 1. c. 17. TItulus, erat ſcheda, ſeu tabella, in qua cauſa mortis apparebat deſcripta. Aliquando tamen non ſcribebatur, ſed ſola præconis voce nunciabatur, de quo *Spart. in Seuero.* Spartianus: Fuſtibus eum ſub elogio eiuſdem præconis cecidit: Legatum populi Romani, homo plebeius temere amplecti noli. Et *Lampr. in Alex.* Lampridius: In foro tranſitorio ad ſtipitem illum ligari præcepit, & fumo appoſito, quem ex ſtipulis, & humidis lignis fieri iuſſerat, necauit, præcone

dicente:

dicente: Fumo punitur, qui fumum vendidit. Et Impp. Seuerus, & Antoninus reſcripſerunt: Eum, qui per genium Principis peieraſſet, fuſtibus caſtigandum dimitti, & ita ei ſuperdici: Temerè ne iura. Calumniatori fuſtibus cæſo acclamatur: Calumniatus es.

l. ſi duo, ff. de iureiur. l. Fuſtibus, C. Ex quib. cau. infam.

Alexander Imperator illud acclamare iubebat maleficis: Quod tibi nō vis fieri, alteri ne feceris. S. Ambroſius narrat tyrannū iuſſiſſe ſpoliari Agnetem, & ad lupanar duci ſub hac voce præconis: Agnetē ſacrilegam Virginem Dijs blaſphemiam inferentem ſcortum lupanaribus datam.

Lampr. in Alex. Ambroſ. de Virg.

Tituli prælati exemplum ſuppeditat nobis Euſebius de Attalo Martyre: Circumactus eſt, inquit, per amphiteatrum, tabella ipſum præeunte, in qua latine ſcriptum: Hic eſt Attalus Chriſtianus. Suetonius de Caligula: Romæ, publico epulo, ſeruum ob detractam lectis argenteam laminam, carnifici cōfeſtim tradidit, vt manibus abſciſſis, atque ante pectus à collo pendentibus, præcedente titulo, qui cauſam pœnæ indicaret, per cœtus epulantium circumduceretur. Appenſi, vel appoſiti tituli exemplum habet idem Suetonius in Domitiano: Patremfamilias, quod Thracem Myrmilloni parem, munerario imparem dixerat, detractum è ſpectaculis in arenam canibus obiecit, cum hoc titulo: Impiè locutus Parmularius. Sic ſtatuis Nerouis ad collum titulus appoſitus eſt, quem tanquam parricidam ad ſupplicium poſcebant. Suetonius: Collo, & aſcopera deligata, ſimulq. titulus: Ego quid potui? ſed tu culeum meruiſti.

Euſeb. hiſt. lib. 5. c. 1. Sueton. in Nero c. 45.

Hæc tamen loca proprie non ſpectant ad Crucem: proprie; ille Dionis de Seruo, quem Dominus in crucem agi iuſſit, cum tabula ſiue titulo, qui cauſam mortis aperiret, quem titulum vocat Dio; Litteras cauſam necis eius manifeſtantes: qualis titulus Redemptori quoque noſtro in cruce appoſitus: omnes enim Euangeliſtæ vno ore teſtantur, Pilatum ſcripſiſſe titulum, & Cruci impoſuiſſe. S. Matthæus: Et impoſuerunt ſuper caput eius cauſam ipſius ſcriptam: Hic eſt Ieſus Rex Iudæorum. S. Marcus: Et erat titulus cauſæ eius inſcriptus: Rex Iudæorum. S. Lucas: Erat autem, & ſuperſcriptio, ſcripta ſuper eum litteris Græcis, Latinis, & Hebraicis: Hic eſt Rex Iudæorum. S. Ioannes: Scripſit autem, & titulum Pilatus, & poſuit ſuper Crucem. Erat autem ſcriptum: Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum: & erat ſcriptum Hebraicè, Grecè, & Latinè. Ceterum ſolus Ioannes integrum titulum, & verba retulit, vt patet ex ipſo titulo, qui Romæ adhuc adſeruatur, & religioſe colitur in Templo S. Crucis, vt notat Toletus. Reliqui Euangeliſtæ partem tituli, & ſenſum commemoraſſe ſatis habuerunt, & illa vocabula: (Hic eſt) quæ Matthæus, & Lucas poſuerunt, virtute ſaltem in titulo continentur.

Dio. lib. 54. Matt. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 19. Tolet. in c. 19. Ioan.

Vtrum autem Titulus Chriſti primum in Monte Caluariæ Cruci ſit affixus, vel vtrum præconis præeuntis voce fuerit quoque proclamatus, an vero ſtatim Cruci ſit affixus, antequam ea Chriſto imponeretur, adeoq. crux à Chriſto vnà cum titulo baiulata ſit, non habetur exploratum, eo quod nec Euangeliſtæ, neque Sancti Patres aliquid affirmatè de hoc tradant: licet, quantum ex S. Ioanne colligere licet, primum videatur titulus affixus Cruce in Monte Caluariæ. Ita enim S. Ioannes, poſtquam titulum à Pilato ſcriptum commemoraſſet: Hunc ergo titulum multi Iudæorum legerunt, quia prope Ciuitatem erat locus, vbi crucifixus eſt Ieſus. Nam ſi Chriſtus

titulum ſimul cum cruce extuliſſet, potuiſſet à Iudæis in via legi, cauſamq. dare, vt cum Pilato expoſtularent, quaſi titulum verbis minus rectis conceſſiſſet. Illud certum videtur, Pilatum domi ſuæ, cum ſederet pro Tribunali, ſcripſiſſe, vel dictaſſe Titulum ſimul cum ſententia capitali: videtur enim titulus cum ſententia mortis inſertus fuiſſe publico Inſtrumento, quæ vt ſupra

Sup.c.13. oſtendimus ex Apuleio, vbi ſemel lecta erat, neque augeri vna littera, neque minui poterat. Quæ cauſa eſt, cur Pilatus Iudæis vrgentibus, vt titulum mutaret, reſponderit; Quod ſcripſi, ſcripſi. quaſi diceret; ſibi, iam titulo in publicum Inſtrumentum relato, non amplius eſſe eius mutandi integram poteſtatem, vt enim nec ipſius ſententiæ mutandæ poteſtatem habebat, ita nec tituli. De amplianda, vel minuenda pœna damnatorum, poſt ſententiā dictam, ſine principali auctoritate, nihil eſt ſtatuendum, inquit Paulus Iureconſ. & Vlpianus: Hoc iure vtimur, vt Iudex, qui ſemel vel pluris, vel minoris cōdemnauit, amplius corrigere ſententiam ſuam non poſſit: ſemel enim male, vel bene officio functus eſt.

l. Acta, l. Iud. x, ff. de re iud.

Locum tituli in Cruce conſtat fuiſſe ſupremum, vt picturæ, & ſcripturæ repræſentant. Merito ſupra Crucem Titulus, ait S. Ambroſius, quia non humani corporis, ſed diuinæ poteſtatis eſt regnum, quod habet Chriſtus. Merito ſupra Crucem titulus, quia licet in cruce erat Dominus Ieſus, ſupra crucem tamen Regis maieſtate radiabat. Siue in culmine ſupremi ligni fuerit titulus affixus, ſiue ſuper lignum ſupremum, vt proxime lignum tranſuerſarium contingeret, nam de hoc variant Imagines Crucifixi. S. Cyprianus priori ſententiæ videtur ſubſcribere his verbis: Pilatus impulſa mente à Deo accepit tabulam, & titulum inſcripſit tribus linguis, & in capite ligni clauis tabulam cum nomine Regis Iudæorum confixit.

S. Amb.li. 10.in Luc.

Cyprian.de Sina, & Sion, vel ſi quis alius huius ſermonis Auctor.

De tribus linguis, quibus Titulus Crucis inſcriptus erat. Cap. 189.

Cretz. cap. 28.

Tribus linguis, Hebraica, Græca, & Latina, titulum fuiſſe exaratum, duo Euangeliſtæ tradunt, & quidem eo ordine, quem iam recenſuimus ex S. Ioanne, vt apparet in parte tituli, quæ, vt diximus, Romæ etiamnum extat, ita tamen, vt in ipſius ordine nobilior locus, ac proinde prior ille ſit habitus, qui Chriſto vicinior eſſet, ſicq. Latina inſcriptio priori loco ſit poſita, nouiſſimo Hebraica, vt quæ Græca inferior, & à Romanis barbara haberetus. Siquidem apud Romanos in Theatro locus infimus Senatorum, ſummus vero plebis; & in triumpho, poſtremus Imperatoris, & in triclinio, nouiſſimus Conſulis erat; ſicq. ſedendo, procedendo, & recumbendo locus vltimus erat primus. Primum igitur locum in titulo habuit Latina lingua, quia omnium propinquiſſima Chriſto. Non enim probabile eſt, Romanos poſtpoſuiſſe ſuam linguam linguæ Hebræorum, & Græcorum, ſuorum ſcilicet ſubditorum. Hebræa lingua Romanis maxime deſpectui erat, inquit Chryſoſtomus; neque enim aut barbaram, aut Græcam, aut aliam quamlibet, ita vt Syram, oderant linguam: Eſt autem huic illa finitima. Tanti autem fecerunt Romani ſermonis patrij honorem, vt in ipſa Græcia, licet Græcè doctiſſimi eſſent, nonniſi Latinè reſponſa darent, teſte Valerio Maximo, qui de hoc more hæc habet: Magiſtratus Priſci, quantopere ſuam, populiq. Romani maieſtatem

Vide Baro. anno Chr. 34.

Chryſ.hom. 4. in ep.2. ad Tim.

Valer. lib.2 c.2.

tem retinens ſe geſſerint, hinc cognoſci poteſt, quod inter cetera obtinendæ grauitatis indicia, illud quoque magna cum perſeuerantia cuſtodiebant, nè Græcis vnquam, niſi Latinè reſponſa darent. Quin etiam ipſa linguæ volubilitate, qua plurimum valent, excuſſa, per interpretem loqui cogebant, non tantum in Vrbe noſtra, ſed etiam in Græcia, & Aſia, quo ſcilicet Latinæ vocis honos per omnes gentes venerabilior diffunderetur. Nec illis deerant ſtudia doctrinæ, ſed nulla non in re pallium togæ ſubijci debere arbitrabantur, indignum eſſe exiſtimantes, illecebris, & ſuauitate litterarum Imperij pondus, & auctoritatem domari. Hæc Valerius.

S. Auguſtinus: Opera data eſt, vt imperioſa Ciuitas non ſolum iugum, ve- *S. Aug. lib.*
rumetiam linguam ſuam domitis gentibus per ſpeciem ſocietatis imponeret. *19. de Ciu.*
Hinc, & illud Triphonij Iuriſconſulti: Decreta à Prætoribus latinè interpo- *Dei c. 7.*
ni debent. Hæc quæ diximus, ita ſeſe habere liquet ex inſpectione tituli, *l. Decreta,*
qui Romæ extat. Eius Etypon edi curauit Marcus Velſerus Reipublicæ *ff de re iu-*
Auguſtanæ Septemuir, in quo digniorem locum tenet Latina lingua. Notat *dic.*
idem Velſerus ex eodem titulo conſtare, titulum fuiſſe ligneum ferro ſculptum, non calamo exaratum, characteribus rudibus, vt in re ſubita. Hebraicarum litterarum exiguæ reliquiæ viſuntur: & ex Græcis, Latiniſquè vnicum vocabulum Nazarenus, vnà cum vna, vel altera littera ſequentis dictionis; à dextera ad ſiniſtram Latinæ, & Græcæ voces, æquè ac Hebraicæ formatæ ſunt: qui ſcribendi modus in his duabus linguis rarus.

Erant tres illæ linguæ præcipuæ, & frequentiores in orbe, Hebræa pro- *Suarez in*
pter antiquitatem, & quia illius regionis erat propria: Græca propter ſa- *3. p. D. Th.*
pientiam, & eloquentiam Græcorum; Latina propter Romanorum potentiam, & gloriam: & ideo ad hunc finem neceſſarium fuit, vt in vnaquaque harum linguarum ſcriberetur. In quo etiam ſignificatum fuit Chriſti Regnum per vniuerſum terrarum orbem propagatum iri, & omnes gentes ac
linguas Chriſti obſequio fuiſſe mancipandas, iuxta illud Danielis; Dedit ei *Dan. 7.*
poteſtatem, & honorem, & Regnum: & omnes populi, & tribus, & lin-
guæ ipſi ſeruient. Et Pſalmi; Adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes *Pſal. 71.*
gentes ſeruient ei. Et Pauli; Et omnis lingua confiteatur, quia Dominus *Philip. 2.*
IESVS Chriſtus in gloria eſt Dei Patris. Et Cyrilli Alexandrini, & Augusti- *Cyril. l. 12.*
ni: Diuina prouidentia factum eſt, ad gloriam Chriſti, & Prophetiarum *in Io. c. 30.*
complementum, vt Pilatus etiam ignorans quid faceret, Regnum Chriſti, *Aug. tract.*
Iudæis reluctantibus, publice profiteretur. Vnde de hoc myſterio intelli- *117. in Io.*
gunt fuiſſe ſcriptum in titulo Pſalmi quinquageſimi ſexti: Ne corrumpas Ti- *Pſ. 51.*
tuli inſcriptionem: Quod ita etiam explicauit Nicolaus Papa I. Vnde ſum- *Nic. Papa*
pſit Auguſtinus occaſionem dubitandi: ſi diuina prouidētia factum eſſet, cur *epiſt. ad*
non potius Rex hominum, quàm Rex Iudæorum ſcriptum eſt? & reſpondit *Mich. Imp.*
intelligendos eſſe in illo titulo Iudæos ſpirituales, ideſt fideles, & iuſtos,
qui filij Abrahæ dicuntur. Quod quidem intelligendum eſt in myſtico ſen- *ad Gal. 3.*
ſu, fortaſſe à Spiritu ſancto intento: nam ad litteram Pilatus ſolum intel- *& ad Ro. 4*
lexit de Iudæis carnalibus, à quibus Chriſtus accuſatus erat, quod ipſum Regnum affectaſſet. Huc pertinet, quod ait S. Ambroſius: Solet etiam
Titulus ſubiugatarum gentium numerum deſignare. Sit in illis triumphis *Ambr. lib.*
ordine quodam miſerabili digeſta deuictarum præeuntium contumelioſa *10. in Luc.*
captiuitas Nationum, hic redemptarum gentium vernat gratia. Digni tanto *c. 23.*

 trium-

triumpho Iugales, vt Cælum, Terra, Maria, Inferna, à corruptela mutentur ad gratiam.

Salmerõ de paſſione. Obſeruandus eſt ordo à Ioanne annotatus, vbi primum Hebraicè, deinde Græcè, poſtremo Latinè tradit ſcriptum: quoniam religio Chriſtiana primum ab Hebræis ad Græcos profecta eſt, deinde à Græcis ad Latinos prædicatio Chriſti crucifixi per Apoſtolos peruenit. Lucas vero poſt Græcos, & Latinos poſtremo loco poſuit Hebræos, quia reſpexit ad Hebræos vltimo tempore ad fidem conuertendos.

Hic Titulus vere teſtatur, & iuxta nominis ethymon tuetur Chriſti innocentiam, quia nullum crimen eſt eſſe Iudæorum Regẽ, ſed Dei donum, & gratiam, de qua: Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius; prædicans præceptum eius: & confirmatur, quia natus eſt Rex Iudæorum, vt Magi in eius natiuitate profeſſi ſunt; Secundo tuetur Chriſtum à latronũ conſortio; Tertio oſtendit Pilati conſtantiam, qui rogatus à Pontificibus, noluit titulum delere, vt ſaltem eius Innocentiæ, ac dignitati atteſtaretur Regiæ, & totum crimen in Iudæorum malitiam, & inuidiam reiecit, ac proinde in eorum dedecus, & infamiam, qui in Regem, ac Meſſiam proprium inſurrexerunt ad Crucis vſque necem, vnde grauati Iu-

Io. 19. dæi illo titulo dicebant, vt teſtatur Ioannes: Noli ſcribere, Rex Iudæorum, ſed quia ipſe dixit, Rex ſum Iudæorum.

Ad hæc aduertendum, Inſcriptionem ad caput Chriſti poſitam, & non ad pedes, quia Regnum Chriſti non erat terreſtre ac humanum, ſed cæleſte, ac diuinum, & ſuper eos, qui ex cælo, & a Deo vocati ſunt. Et non eſt Regnum Tyrannicum, aut violentum, vt eſt omnium illorum qui ſubditos pedibus calcant, ſpoliant, atque diripiunt, ſed Regnum charitatis, quo Rex ſuos portat, vt paſtor ouem errantem ſuper humeros, vt Samaritanus geſtans ſuper iumentum ſuum vulneratum, & ſemimortuum. Anno-

Beda ibid. tauit quoque Beda, Chriſto immolato ſuperpoſitũ titulum, vt cunctis credere volẽtibus pateat, quod per Crucem non perdidit, ſed corroborauit Imperium ſuum: & ad ſignificandum, quod Pontifex futurorum bonorum neminem ad Regnum ſuum probaturus eſt, nec ad glorioſos ordines Angelorum eleuaturus, niſi prius habeat titulum pœnitentiæ, ac tribulationis pro Chriſto perpeſſi, iuxta illud; Per multas tribulationes oportet nos introire in Regnum Dei.

In antiquo Diario rerum Roma geſtarum, ſcripto à Lælio Petronio, Paulo de Magiſtris, & Stephano Infeſſura, quod manu ſcriptum ſeruat D. Fuluius Archangelus Ciuis Rom. hæc habentur. Cap. 190.

Die prima menſis Februarij anni 1492. venerunt noua de partibus Africanis, dictumq. fuit, qualiter Rex Hiſpaniæ habuit victoriam de Granata, ipſam cæpit, & dominatus eſt, & eam fuiſſe captam pactis omnibus, & fœderibus. Nam iamdiu ante oppreſſerat eam. Quibus etiam pactionibus, non bene ſcitur.

Eadem die miraculum in Vrbe fuit. Nam cum Dominus Petrus Gondiſaluus de Mendoza Cardinalis Sanctæ Crucis, de ſua impenſa faceret incruſta-

re, & dealbare dictam Eccleſiam, quando operarij tetigerunt ſummitatem arcus exiſtentis in medio Eccleſiæ iuxta tectum, vbi adhuc ſunt duæ paruæ columnæ, ſenſerunt ibi quoddam vacuum; cumq. aperuiſſent, inuenerunt vnam paruam feneſtram, in qua erat vna capſula plumbea duorum palmorum, bene clauſa, & ſuper eam erat lapis quidam quadrangulus marmoreus, vbi erant ſculptæ iſtæ litteræ, videlicet: HIC EST TITVLVS VERAE CRVCIS. In qua capſula reperta fuit quædam parua tabula, longitudinis vnius palmi cum dimidio, quæ ab vno latere erat comeſa, & vetuſtate corroſa; ibique erant cauatæ eidem, de colore rubro tinctæ, infraſcriptæ litteræ, ſiue verba. IESVS NAZARENVS REX IVDAEORVM.

Sed illud IVDAEORVM non erat perfectum, quia illud RVM, non niſi vſque ad R, incluſiue remanſerat, & illud VM, ceciderat, vt dixi, quia erat tabula ab ea parte corroſa, & vetuſtate defecit: & primus verſus erat conſcriptum litteris Latinis, ſecundus vero litteris Græcis, & tertius litteris Hebraicis. Ad quem locum quaſi tota Vrbs acceſſit, & Papa Innocentius etiam poſt triduum vidit eam, iuſſitq. permanere in dicta capſula, cum quadam lamina vitrea ſuper altare in feſtiuitate dictæ Eccleſiæ. Et eſt omnium æſtimatione, illa Tabula, quam Pilatus poſuit in Cruce ſuper caput Saluatoris Noſtri Ieſu Chriſti, poſita ibi per Sanctam Helenam Matrem Conſtantini, tempore quo fuit dicta Eccleſia fabricata.

Ioannes Soarez Conimbricenſis Epiſcopus Tractatu 4. in Marc.c.15. hoc teſtatur. Mirabile eſt, quod vidimus, in Eccleſia ſanctæ Crucis in Hieruſalem, cum finito ſacro Concilio Tridentino, ſub numquam intermoritura memoria Beatiſſimi Papæ Pij Quarti, Romam nos contulimus, ad limina beatorum Apoſtolorum viſitanda, & tanti ſummi Pontificis pedes exoſculandos: ibi enim dum nobis Crucis ſanctiſſimæ pars, & tabella, in qua cauſa Domini litteris Græcis, Latinis, & Hebraicis fuit conſcripta, oſtenderentur, hæc dictio, Iudæorum, abſtracta non arte, ſed diuino conſilio fuit, in omnibus in quas in ſcriptis redacta erat linguas. Itaque tantummodo nunc hæc habentur verba: Ieſus Nazarenus Rex: tamquam oculis nobis oſtendatur prophetia Danielis: Et non erit eius populus, qui eum negaturus eſt. Qui enim illum negauerunt, non iuſtum eſt dici Regem eorum, atqui Regem omnium, quæ cæli, terraq. ambitu continentur, Rex Regum, & Dominus Dominantium, ille, qui dixit, poſtquam ſurrexit à mortuis: Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra.

Soarez in Marc.c.15 ʃ.4.

De Clauis, quibus affixus fuit Cruci *IESVS CHRISTVS Dominus Noſter.* Cap. 191.

CLauos illos ſacratiſſimos, quibus Redemptor noſter pro nobis Cruci affigi dignatus eſt, non fuiſſe tam longa temporis diuturnitate conſumptos rubigine, ſed eodem in antro in monumento poſitos, & inuentos teſtatur Socrates, adeo vt nõ opus fuerit eoſdem ab alijs alio miraculo diſcriminari, vt factum fuit de Cruce. De inuentione vero eorumdem Clauorum, præter multos alios Auctores, Ambroſius loquens de S. Helena hæc tradit: Quæſiuit Clauos, quibus crucifixus eſt Dominus, & inuenit: De vno Clauo frænos fieri præcepit, de altero Diadema intexuit, vnum ad decorem, alte-

Socrat. l. 1. c. 13.

Ambr. orat. in funere Theod.

alterum ad deuotionem vertit. Viſitata eſt Maria, vt Euam liberaret: Viſitata eſt Helena, vt Imperatores redimerentur. Miſit itaque filio ſuo Conſtantino Diadema gemmis inſignitum, quas pretioſior ferro innexa crucis redemptionis Diuinæ gemma connecteret: miſit & frænum: vtroque vſus eſt Conſtantinus, & fidem tranſmiſit, ad poſteros Reges. Principium itaque credentium Imperatorum. ſanctum eſt, quod ſuper frænum, ex illo fides, vt perſecutio ceſſaret, deuotio ſuccederet. Sapienter Helena egit, quæ Crucem in capite Regum leuauit, & locauit, vt Crux Chriſti in Regibus adoretur. Non inſolentia iſta, ſed pietas eſt, cum defertur ſacræ redemptioni. Bonus itaque clauus Romani Imperatoris, qui totum regit orbem, ac veſtit Principum frontem, vt ſint prædicatores, qui perſecutores eſſe conſueuerunt. Recte in capite Clauus vt vbi ſenſus eſt, ibi præſidium: in vertice Corona, in manibus habena. Corona de Cruce, vt fides luceat; habena quoque de Cruce, vt poteſtas regat, ſitq. iuſta moderatio, non iniuſta præceptio. Ac poſt multa eodem argumento tractata: Quid ergo, inquit, aliud egit Helenæ operatio, vt fręna dirigeret, niſi vt omnibus Impp. ſancto dicere ſpiritu videretur: Nolite fieri ſicut equus, & mulus: ſed in fręno & chamo maxillas eorum conſtringerent, qui ſe non agnoſcerent Reges, vt regerent ſibi ſubditos? Prona enim poteſtas in vitium ferebatur, & more pecudum vaga ſeſe libidine polluebat.

Quod autem dicit Socrates, in antro in monumento poſitos, & inuentos clauos, videtur confirmari ab his, quæ ex antiquioribus monimentis recitat Metaphraſtes de B. Virgine ad Crucem ſtante, dum ait: Dicunt hi, qui de his rebus tractarunt, eam ab initio vſque ad finem ſe fortiter, atque conſtanter geſſiſſe, honeſte quidem, & non indecore vtentem motu animi, factis etiam oſtendens ſe eſſe matrem, ſed matrem omnino illius, qui motum animi certis finibus continuit: mortuumq. videns filium, eo motu animi vſa eſt, vt oportuit: quin etiam in eo de Cruce deponendo maternis manibus inſeruiuit, & clauos, qui extrahebantur, in ſinu ſuo accepit, & membra illius amplexa eſt, partim quidem vlnis aſtringens, partim quidem ſuis lachrymis plagas emundans. Deinde tota toti corpori circumfuſa: Ecce tibi ab omni ſeculo præfinitum myſterium ad finem vſque venit O Domine, placida voce dixit; & Ioſepho in manus tradens ſudarium, ait; Tibi autem deinceps curæ erit, vt ſepulturæ tradens, hoc eum honeſte componas, myrrha condias, & ei iuſta facias. hæc ille: addiditq. Ioſephum adhuc occultum diſcipulum propter metum Iudæorum, & timentem illos, hortatu tamen Deiparæ, & grande opus, ac plane arduum aggreſſum eſſe, & omni excuſſa formidine audacter introiſſe (vt ait Euangeliſta) ad Pilatum, ac petiiſſe corpus Ieſu.

Metaph. 15 Auguſti de S. Dei Genitrice Maria.

Marc. 15.

Sanctus Ambroſius de honore Clauis Chriſti crucifixi exhibito ſic ait: Ecce & clauus in honore eſt: ferro pedum eius, Reges inclinantur.

Ambr. de fun. Theod.

Clauos, quibus confixus eſt Chriſtus, & lignum venerabilis Crucis, inquit Ruſticus Diaconus Cardinalis, omnis per totum mundum Eccleſia, abſque vlla contradictione adorat.

Ruſt. Diac. cõt. Aceph.

Et idem S. Ambroſius, ex perſona Iudæorum, poſt nonnulla, ſubdit; Ecce & clauus in honore eſt: & quem ad mortem impreſſimus, remedium ſalutis eſt, atque inuiſibili quadam poteſtate dæmones torquet. Et infra;

Amb. ibid.

Clauum Crucis eius diademate ſuo præferunt Imperatores, & Ariani poteſtatem eius imminuunt. Sed quæro, quare ſanctum ſuper frenum, niſi vt Imperatorum inſolentiam refrænaret, comprimeret licentiam tyrannorum, qui quaſi equi in libidines adhinniunt? Hæc S. Ambroſius.

Nec diſſentit ab Ambroſio Theodoretus, qui ait: Helenam clauorum partem in Imperatoris galeam artificioſe includendam curaſſe, quo capiti filij conſuleret, & hoſtium tela depellerentur: partem equi illius fręno admiſcuiſſe, quo tum Imperatorem tutum, ac ſecurũ redderet, tum veterem prophetiam explere poſſet, nam olim Zacharias Propheta prædixerat: Quod eſt in fręno equi, erit ſanctum Domino omnipotenti. hæc Theodoretus. *Theod. li. 1. c. 18.* *Zach. 14.*

Sed & S. Cyrillus Alexandrinus verba Prophetæ in prædictum ſenſum accipit, dum inquit: Pius Conſtantinus curauit, vt is (clauus ſcilicet) equo ſuo in frænum inſereretur, credens ſe etiam per hunc à Deo benedictionem conſecuturum. Non incredibile quis dixerit iſthuc; ſi ita eſt, nec decoro alienũ immerito intelligatur, in memoria Deo fuiſſe, & eum prophetica prædictione honoraſſe Imperatorem religioſiſſimum. Plurimorum enim meminerunt, & de his vaticinati ſunt ſancti Prophetæ, ſicut nimirum de Ioſia, & quibuſdam alijs. Aliquando & temporum tranquillitas, & pietas per eos, qui in ipſis rerum potiuntur, ſignificatur. Nihil ergo vero abſimile, ſi & nunc Propheta Zacharias rei inprimis memorandæ, Deoq. chari, & veri, ac pij Imperatoris, & temporum charitati in Chriſtum dedicatorum meminerit: Nam, & Imperatorum equos decorari clauo à pretioſa Cruce ſumpto, quid aliud nobis, quam maximam, & reuera admiratione dignam Imperatorum pietatem declarauerit? hactenus S. Cyrillus. *Cyr. Alex. in cap. 14. Zach.*

Cum autem tres ſaltem Clauos, quibus cruci affixus eſt Dominus, eſſe oportuerit (cuius crucifixionis ſpeciem adhibent hodie eiuſdem Chriſti crucifixi imagines) ex illorum duobus frænum eſſe confectum tradunt (licet frænos, quaſi plures, Ruffinus dicat) tertio autem regium diadema compactum. Verum quatuor potius clauos, Gregorius Turonenſis, qui ante mille, & centum propemodum annos vixit, conſtanter affirmat, & de ſingulorum vſu hæc ſcribit: Specioſi autem, omniq. metallo nobiliores Dominicæ Crucis claui, qui beata membra tenuerunt, ab Helena Regina poſt ipſius ſacræ Crucis inuentionem reperti ſunt: & de duobus quidem frænum Imperatoris muniuit, quo facilius ſi aduerſæ gentes reſtitiſſent Principi, hac virtute fugarentur, de quibus non eſt ignotum Zachariam vaticinaſſe Prophetam &c. Ac mox ſubdit de vſu claui tertij: Eo enim, inquit, tempore Hadriaticum mare magnis fluctibus mouebatur: in quo cum frequentia erant naufragia, & demerſio hominum, vt vorago nauigantium diceretur, tunc prouida Regina condolens excidia miſerorum, vnum ex quatuor clauis deponi iubet in pelagus, confiſa de Domini miſericordia, quòd ſæuas fluctuum commotiones facile poſſet opprimere. Quo facto redditur mare quietum, tranquillaq. deinceps nauigantibus flabra præſtantur: vnde vſque hodie nautę ſanctificatum mare venerantur, & cum ingreſſi fuerint, ieiunijs, orationibus, & pſalterio vacant. Clauorum ergo Dominicorum gratia, quod quatuor fuerint, hæc eſt ratio, duo ſunt affixi in palmis, & duo in plantis. hæc ipſe. Nonnullæ enim antiquæ Chriſti Domini cruci affixi imagines, id quidem exprimunt, vt ſeorſum pedes ſinguli cruci habeantur affixi: licet aliæ, eædemq. *Ruff. hiſt. lib. 1. ca. 8. quot clauis Xp̃i Cruci confixus. Greg. Tur. de glor. M. c. 6.*

fre-

frequentiores (quod recentior vſus id recepiſſe videatur) pedum plantis inuicem ſuperpoſitis, vnico tantum clauo prominentiori ſuppedaneo ligno cruci inhærenti confixis, vbique viſantur eiuſdem Crucifixi imagines ſculptæ, vel pictæ.

Zonar. p. 3. Annal.

De quarto autem Clauo Gregorius ait, ipſum in galea ſtatuæ Conſtantini fuiſſe poſitum: teſtaturquè poſt alios idipſum Zonaras. At cum omnium ſententia conſtet, clauum poſitum in Corona, qua ipſe vti ſoleret Conſtantinus, puto potius Coronam ſimulachro impoſitam, ad illius, quam geſtare ſoleret Imperator, exemplum, eſſe compoſitam, quàm illam reuera alio clauo Crucis ornatã fuiſſe. Sed quæ Gregorius ſcribit de fræno ex duobus clauis affabrefacto, hoc idem habet, dum res geſtas enarrat, quæ ſub Iuſtino Imperatore, eodem quó Auctor vixit ſeculo, contigerunt: Magnam (inquit) ferunt virtutem eſſe huius fræni, quod ambigi nequaquam poteſt, quod Iuſtinus Imperator publice expertus eſt, ac ſuis omnibus patefecit. Illuſus enim à quodam Mago propter pecuniam, emiſſas ſibi à Dæmonis vmbra intolerabiles per duarum curricula noctium ſuſtulit inſidias; ſed cum tertia nocte frænum capiti collocaſſet, locum inſidiandi inimicus vltra non habuit, repertumq. auctorem inſidiarum gladio perculit. hæc Gregorius.

Greg. Tur. vbi ſup. De fræno miraculũ.

Clauorum Chriſti multiplicitas unde.

Ambr. ad Virg. exhort.

Quod vero Claui, quibus cruci ſuffixus eſt Chriſtus, plures diuerſis in locis hodie reperiri dicantur, nihil eſt quod pluribus, quàm tribus, vel ad ſummum quatuor, Chriſti manus, & pedes confixos eſſe putemus: licet multa extent exempla ſanctorum Martyrum, & inter alia, quod S. Ambroſius recitat de martyre multiplicibus clauis affixo patibulo. Ait enim ipſe, cum agit de inuentione Agricolæ martyris crucifixi: Nos legimus martyris clauos, & multos quidem, & plura fuerunt vulnera, quàm membra. Sed fortaſſe accidit, vt ex aliquo clauorum Chriſti modica ſingulis acceſſerit ferri portio; vel potius, deperditis antiquioribus rem teſtantibus monumentis, claui illi, quibus compacta ſunt ligna ſacratiſſimæ Crucis, crediti ipſi fuerint, quibus Chriſti membra cruci fuerunt infixa: niſi forte alicubi accidit, vt clauus aliquis inter ſacras reliquias aſſeruatus, quo myſtica membra Chriſti, nempe martyr quiſpiam confixus eſt, idem vnus ex ipſis paſſionis Chriſti clauus fuerit exiſtimatus. Quicquid ſit, fides (quod ait Ambroſius) purgat facinus, cum nemo fidelium ferrum colat, ſed Chriſti potius paſſionem veneretur, & adoret in ferro.

Gretz. de Cruce li. 1. c. 94.

Non autem eſt mirum, clauos Dominicos vim fugandi Dæmones, ſedandi tempeſtates, aliosq. ſupra naturam effectus edendi efficacitatem accepiſſe; cum magis cum Domino coniuncti fuerint, quam ipſa crux, quippe qui in ſacroſanctam ipſius carnem penetrarint, & non modo in extrema eius ſuperficie hæſerint, inſtar crucis. Itaq. quod D. Auguſtinus pulcherrime, & veriſſime ſcripſit de virtute, quam vincula Petri ab ipſo S. Petro acceperunt, hoc quiuis, ipſo etiam S. Auguſtino lubente, dicere poterit de clauis Dominicis, mutato vinculorũ nomine in nomen clauorum, factaq. comparatione clauorum cum fimbria veſtis Dominicæ, quæ ſanitatem conferebat, ſicut Auguſtinus cathenam, & vmbram S. Petri comparat. Ita igitur S. Auguſtinus.

S. Auguſt. ſerm. 29. de Sanctis.

Si opé (ait) ferre poterat vmbra corporis (fimbria veſtis) quanto magis nũc plenitudo virtutis? Si tunc ſupplicantibus proderat aura quædam (fimbria) tran-

tranſeuntis, quanto magis gratia nunc permanentis? Merito per omnes Chriſti Eccleſias, auro pretioſius habetur ferrum illud pœnalium vinculorum (clauorum.) Si tam medicabilis fuit obumbratio viſitantis, quanto magis cathena vincientis? vt vmbra, inquam, tranſeuntis Petri obumbraret eos: Si inanis quædam ſpecies vacuæ imaginis, habere potuit in ſe vim ſalutis: quãto magis de corpore meruerunt attrahere ſalubritatem ferreo pondere ſacris impreſſa membris vincula paſſionis? Si ad præſidia ſupplicantium tam potens fuit ante martyrium, quanto magis efficax eſt poſt triumphum? Felices illi nexus, qui de manicis, & compedibus in coronam mutandi, Apoſtolum contingentes Martyrem reddiderunt. Fęlices cathenæ (claui) quæ nudatis penè oſſibus inhærentes, viuas reliquias de ſanguinis ſudore iam attrita carne rapuerunt, tactuſq. membrorum cruciatus ſui ſanctificat inſtrumentum, in quo dum afflictio creſcit ad pœnam, cauſa pœnæ proficit ad gloriam. Fęlicia vincula, quæ reum ſuum vſque ad Chriſti crucem, non tam condemnatum, quàm conſecratum miſerunt. hæc S. Auguſtinus. Quæ tanto meliori iure de Cruce, & vinculis, hoc eſt, clauis Dominicis dici poſſunt, quanto maior ille, qui hanc crucem, & hos clauos conſecrauit, & pretioſo ſanguine irrigauit.

Clauus, qui fræno inſitus fuit, Mediolani in magnifica Metropolitana Eccleſia inuiſitur, ac maxima cum veneratione colitur. Cap. 192.

DE Sacroſancta illius Claui memoria renouanda Carolus conſtituit; quem ab S. Helena in frænum redactum fuiſſe, tum alij narrant, tum S. Ambroſius in primis. Eum clauum Carolus alter Mediolanenſis Archiepiſcopus, vniuerſo clero comitante, maxima populi frequentia, ſe ad maiorem Baſilicam anno 1461. 13. Kalend. Aprilis, ab antiqua Eccleſia S. Teclæ, tranſtuliſſe teſtatur, de qua Eccleſia tollenda, eiuſq. Clero, rebuſq. in ipſam maiorem Baſilicam tráſferendis, idem ipſe ſententiam tulerat. Fuit Clauus ad hoc tempus excelſo loco in ſummo fornice, ad ipſius Eccleſiæ caput collocatus; & quamuis lampades quinque ante illum perpetuo collucerent, non ſatis tamen decore affixus, paucorum etiam veneratione, memoriaq. tam ſancta res, tamq. inſigne Chriſti Domini ſanctiſſimæ, atque acerbiſſimæ paſſionis inſtrumentum, colebatur. Clauum igitur per ſacros homines machinis in ſublime tractos, abſtulit; & amplæ Cruci apte inſertum portauit, ſumma populi totius approbatione, concionemq. eo die occaſione ex clauo accepta, de clementiſſimi Domini erga mortales benignitate dixit; & propoſitis, quæ pro eis acerbiſſima perpeſſus eſt, ad diuinam miſericordiam implorandam vehementer eoſdem excitauit, & ad omnia bene ſperanda confirmauit. Ferrum ſacroſanctũ non ſtatim ad locum ſuum referri, ſed omnibus propoſitum eſſe conſtituit, in altari quadraginta horis venerandum; vt ad ſalutis ſuæ negotium procurandum tota Ciuitas eo ſpatio conueniens, proximo rei ſanctiſſimæ aſpectu vehementius afficeretur. Deinde antequam reponeretur, aliam celebrauit Litaniam; Eumq. longiſſima via tulit, cum vniuerſo itidem Clero, & populo ad celebriora loca ſex, quæ Pontium nomine præcipuas ante portas ex veteri Vrbis ſitu appellantur.

Carol. Epiſcop. Nau. in vita S. Caroli Bor.

tur. Mirum fuit Ciuitatem vniuerſam, quaſi contagij metu ſolutam, libenter, ſtudioſeq. omnibus ijs diebus ad ſupplicationes conuenire, quod ei tam feliciter euenit, vt in tanto hominum conuentu, eoq. ſæpe repetito, cum etiam Cælum humidum eſſet, & graue, non modo nemo in ipſa via ceciderit, ſed nihil acciderit omnino, ex quo auctum eſſe contagium appareret.

Cum ad Dei miſericordiam peſtiletię cauſa implorandam vna cum Clero, & populo ad celebriora Vrbis loca, ſeu compita ſupplicatum iret, ſanctumq. Clauum ferret; pedem nudum clathro ferreo, quo ſubterraneæ cellæ feneſtra muniebatur, impegit; atque vnguem maioris digiti ita ſummouit, vt tota via, quæ multa reſtabat, abunde ſanguinem funderet: neque tamen ob doloris ſenſum, qui ea parte vehemens eſſe ſolet, de inceſſu quidquam remiſit. Narrat medicus, ſupplicatione demum peracta, cum accerſitus eſſet; inſpecto vulnere, tolerantiam viri ſe eſſe admiratum: Cumq. dixiſſet, eſſe vnguem neceſſario abſcindendum: Carolum, qui ſibi poſt abſciſſionem neceſſario quieſcendum eſſe verebatur; quaſi nihil morbi, dolorisq. vim æſtimaret, ſibi reſpondiſſe, in aliam diem id eſſe differendum, donec in Eccleſia quaſdam ſacrorum munerum functiones obijſſet: obligaret tunc quidem vulnus aptiori quo poterat modo. Tertio die medicus vocatus, id exequi iuſſus eſt, quod ad curationem neceſſe erat. Ibi vero Caroli mirificam patientiam ſeſe obſtupuiſſe teſtatur: ei enim grandem vnguem, vulneris acerbitate recrudeſcente, ita excidiſſe, vt cum ipſe in eo genere exercitatus perhorreſceret, neque corpore ille, neque voce, neque ſpiritu vllo modo commoueri videretur. Neque vero ob id diu quieuit, aut labori, vel viæ pro quotidiano Eccleſiæ vſu pepercit, vt ex eo potius noui cruciatus, ac patientiæ naſceretur occaſio, nam infirmo pede lapſus, os manus loco ſuo mouit. Id reponere quidam conatus, cum minime aſſecutus eſſet, medicus idem, ingraueſcente admodum dolore reſtituit, prorſus ita ſe habente Carolo, quemadmodum is loquitur, ac ſi permulſiſſet integram manum.

Celebrantur etiam nonnullis in locis feſta in honorem inſtrumentorum paſſionis Dominicæ. Hinc multis in locis feſtum ſpineæ Coronæ, vt Pariſijs 11. die Auguſti ſuſceptio ſacræ ſpineæ Coronæ ab infidelibus per S. Ludouicum Regem, & in Epiſcopatu Ratisponenſi, quartus dies Maij, Coronæ Dominicæ feſtus eſt. Et feria ſexta poſt octauam Paſchæ celebratur feſtum Lanceę, & Clauorum, inſtitutum, vt ait Molanus, anno 1353. ab Innocentio VI. petente Carolo IV. Imperatore.

Hier. epiſt. ad Heliod. Cerne manus Iudæe, quas fixeras: Cerne latus Romane, quod foderas: ſic exclamat S. Hieronimus.

Bern. ſerm. 61. in Cāt. Sanctus vero Bernardus: Foderunt manus eius, & pedes, latusq. lancea forauerunt, & per has rimas licet mihi ſugere mel de petra, oleumq. de ſaxo duriſſimo, ideſt guſtare, & videre quoniam ſuauis eſt Dominus. Cogitabat cogitationes pacis, & ego neſciebam. Quis enim cognouit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit? At clauus reſerans, clauus penetrans factus eſt mihi, vt videam voluntatem Domini. Quidni videam per foramen? Clamat clauus, clamat vulnus, quod vere Deus ſit in Chriſto mundum reconcilians ſibi. Ferrum pertranſijt animam eius, & appropinquauit cor illius, vt non iam non ſciat compati infirmitatibus meis.

Laur. Iuſt. de paſſ. Do. Beatus vero Laurentius Iuſtinianus ſic ait: Clamant igitur ſputa, claui, lancea

lancea, irriſiones, & verbera, vt ipſe toto corde, totisq. viſceribus diligatur, qui pro dilectione tanta, ac talia perferre dignatus eſt.

De Arundine, & Spongia, per quàm acetum Domino propinatum eſt. *Cap.* 193.

IOannes Euangeliſta dicit ſpongiam aceto plenam, hyſſopo circumpoſitam Chriſti ori admotam; Matthæus vero, & Marcus eam arundini, ſeu calamo tradunt impoſitam, vt ex his, quæ dicturi ſumus, facile apparebit. Sed in primis illud perueſtigandum eſt. Quorſum hæc omnia parata ex induſtria erant, nimirum vas aceto plenum; ſpongia, hyſſopus, & arundo? Certe hæc non caſu in monte extra vrbem poſito ſunt inuenta. Sed ſi conſideremus attentius, quis eſſet horum ſingulorum vſus, ac virtus, rem integram proculdubio intelligemus: ſimulq. eſſe commentum certò ſciemus, quod aliqui dixerunt, ad accelerandam reorum mortem conſueuiſſe Iudæos cruci affixis propinare acetum. Vt igitur de hoc primum agamus: virtutem à natura inſitam eſſe aceto ſiſtendi ſanguinem, eandemq. hyſſopo ſimul, & ſpongiæ inhærere, pluribus in locis teſtatur Plinius: cuius eſt in primis locus egregius, & ad rem, de qua agimus, valde accommodatus, cum ait, acetum faſciculo hyſſopi conditum ſiſtendi ſanguinis vim quandam, & efficaciam habere, ſiue ſpongiæ ſupponatur, ſiue ad potandum detur. Tribuit, & Dioſcorides eandem aceto virtutem, cum ait: Acetum erumpentem vndecunque ſanguinem potu ſiſtit. Si vero acetum iunctum ſit hyſſopo, maiorem inde haurire efficaciam ad ſiſtendum ſanguinem ex clauorum vulneribus manantem, cum pendenti in cruce ſpongia ſuper arundinem affixa admouetur, iure dici poſſe videtur. hæc quod ad potum pertinet.

Ioan. 19. *Matt.* 27. *Marc.* 15. *Luc.* 23. *Plin. nat. hiſt. li.* 23. *c.* 1. *in fin.* *Dioſc. li.* 5. *c.* 14.

Verum non potu tantum, ſed earundem rerum applicatione, factaq. vulneribus admotione, eadem hæc ipſa præſtari ſolebant. De ſpongia quidé cum loquitur Plinius, hæc ait: Veteres ſpongia conglutinant vulnera. & paulo poſt: Spongijs vulnera vtiliſſime fouentur: ac rurſum: Ipſæ inflammationibus vulnerum ponuntur nunc ſiccæ, nunc aceto conſperſæ, ac denique ſanguinis profluuium ſiſtunt ex aceto, vel frigida. His autem, quæ ſcribit Plinius, antiquus rei vſus conſentit: ſiquidem mos erat, vt gladiatori vulnerato, ad ſiccandum fluentem ſanguinem ſpongia continuo miniſtraretur. Vnde Tertullianus in lib. de ſpectaculis, de his mentionem habens ſic ait: Poterit, & de miſericordia moueri defixus in morſus vrſorum, & ſpongias retiariorum. Id ipſum & in marmoribus nobiliter ſculptis vidimus, nimirum Adonidi ab apro recenter vulnerato, continuo à miniſtro quopiam admotam ſpongiam, ac vulneri ſuppoſitam, vt fluentem cruorem ſiſteret. Habetur hæc in antiquo Sarcophago, ea hiſtoria egregie admodum effigiato, quod Romæ aſſeruatur in ædibus Tiberij Ceuoli, via Triumphali.

Plin. nat. hiſt. li. 31. *c.* 11. *Tertul. de ſpect. c.* 25.

Sic igitur (vt ad rem cuius cauſa huiuſmodi eſt ſuſcepta digreſſio, redeamus) ex induſtria omnia potiora medicamenta, quæ ſanguinem ſiſterent, à Iudæis parari ſolita, cum quis cruci affigeretur, ſatis ſuperq. demonſtratum eſſe videtur, elucidatumquè, quod ait Ioannes: Vas ergo erat poſitum aceto plenum: illi autem ſpongiam plenam aceto, hyſſopo circumponentes, obtulerunt ori eius. In quo, & magis veritati conſentaneum eſſe videtur, quod

Ioan. 19.

ex

Theoph. in Io. 19. ex Græco textu colligitur, & ex Theophylacto, qui hunc locum eſt interpretatus, acetum illud hyſſopo fuiſſe permixtum, atque conditum, ſicq. ex aceto, & hyſſopo ſpongiam fuiſſe imbutam, atque arundini affixam, ad potum Domino propinandum. Ceterum medicamentum illud ſic compoſitũ, non potus cauſa fuiſſe præcipue inſtitutum putamus, ſed magis vt eo ſic infuſa ſpongia recentibus admota vulneribus, fluentem largiter ſanguinem continuo ſiſteret. Eſt & eius rei coniectura non leuis; quia, vt accepi ab his, qui eam viderunt, ſpongia qua potatus eſt Dominus Ieſus Chriſtus, quæ vſque hodie ſummo honore aſſeruatur Romæ in Baſilica Lateranenſi, quaſi aliquando ſanguine tincta fuiſſet, ruborem quendam adhuc retinet, quem ſemel imbibiſſet: ſicq. putamus madidam prius ſanguine ſpongiam, atque preſſam aceto poſtea, & hyſſopo ſuper infuſam (proh ſcelus) ſacratiſſimo ori Domini propinatam.

Cretz. de Cruce li. 1. c 96. Bar. an. 34 Bed. de loc. ſanct. c. 2. Spongiam, qua Chriſtus in cruce aceto potatus, à Balduino Imperatore Conſtantinopolitano, Venetis oppignoratam, redemit, & in Galliam tranſtulit S. Ludouicus Rex Galliarum. Extat nunc, & religioſe colitur in Baſilica Lateranenſi Romæ, teſte Baronio. Tempore Bedæ, Hieroſolymis erat in calice Domini recondita, vt ipſe Beda teſtatur.

De Lancea ex clauis Chriſti, quam Henricus Rex à Rodulpho Burgundionum Rege dono accipiens, hoſtes per illam fugabat, & mira operabatur. Cap. 194.

LAnceam mirandi operis ex clauis Ieſu Chriſti crucifixi ſanctificatam, quæ dicitur primi, & magni Conſtantini Imper. fuiſſe, donatam Rodulpho Regi Burgundionum, & Italiæ à Sampſone Comite, Rex Henricus *Sigibert.* precibus, minis, muneribus, addita etiam parte prouinciæ Sueuorum à Rodulpho extorquet, & hanc ad inſigne, & tutamen Imperij poſteris reliquit. hæc Sigebertus. ſed tantæ rei paulò latiorem audi narrationem in rebus geſtis S. Gerardi, qui hoc tempore egregia claruit ſanctitate. hæc enim ibi.

Apud Sur. 5. die Oct. 3. Henricus Rex Othoni Saxonum Ducis filius, & erat Deum timens, & amator Religionis Eccleſiaſticæ, vbi percepit Rodulphum Burgundionum Regem habere tam cæleſte, & inæſtimabile donum, quod idem Rodulphus pro ſummo amicitiæ munere à Sampſone Comite acceperat, miſſis ad eum legatis, tentauit multis oblatis muneribus ab illo impetrare, ſibiq. aduerſus tum viſibiles, tum inuiſibiles hoſtes arma inuictiſſima, triumphumq. perpetuum vt cōparare poſſet. At Rodulpho Rege id ſe nulla vnquam ratione daturum aſſeuerante; modis omnibus Henricus Rex, quem muneribus emollire non poſſet, minis intentatis frangere conatus eſt, affirmans ſe omne eius regnum ferro, & flammis vaſtaturum. Sed quia illud, quod petebatur munus, eiuſmodi erat, quod olim Deus terrena cæleſtibus, vtraque ſignificans coniunxit, Rodulphi Regis animus tandem diuinitus eſt emollitus, ita vt iuſto Regi iuſta petenti annueret. Quo autem amore donum hoc eximium Rex Henricus complexus ſit, hoc ipſo vel maxime declarauit, quod non modo auri, & argenti muneribus Rodulphum Regem honorauit, verumetiam Sueuiæ Prouinciæ non minima parte donauit.

Deus autem, qui cordium inſpector eſt, & bonas muneratur voluntates,

qua mercede huius rei cauſa pium Regem Henricum in æterna vita affecerit, quibuſdam indicijs etiam in hoc ſeculo prodere voluit, quando hoſtes in ipſum incurrentes hoc victorioſo præeunte ſigno, ſemper terruit atque fugauit. Tali igitur occaſione, diuina fauente voluntate, ſanctam illam lanceam Rex Henricus adeptus eſt, quam filio, de quo nobis in præſentiarum ſermo eſt, è vita decedens reliquit vnà cum Regno, non minori veneratione ab eo conſeruandam, vti non paucæ teſtantur victoriæ, quas per eam orando obtinuit. hæc ibi. Verùm quod dicitur, ex Clauis Dominicis illam eſſe confectam, verius puto eſſe dicendum ex aliqua parte claui, alio ferro coniuncta illam elaboratam: uam de clauis Domini alijs locis poſitis, & ad alium vſum adhibitis, ſuo loco ſuperius pluribus dictum eſt. Hic vero tu lauda Chriſtiani Principis pietatem in cultu ſacrarum reliquiarum exhibitā. Porro eadem pariter de Lancea ſcripſit Luitprandus, dum recenſet ingentem Othonis Henrici filij victoriam eiuſdem lanceæ auxilio conſequutam. *Luitpr. lib. 4.c.12.*

Piſani Archiepiſcopi Legati Apoſtolici, & Godefridi Ducis Sancti Sepulchri aduocati, & Regimundi Comitis, & totius exercitus ad Paſchalem Romanæ Eccleſiæ Pontificem Epiſtola, vbi de inuentione Lanceæ, quæ Dominum percuſſit, agitur, & de ijs, quæ mirabiliter facta ſunt. Cap. 195.

PAſchalis Papa II. vbi Apoſtolicum thronum conſcendit, catholicos Principes litteris ex more de ſua electione reddidit certiores, eosq. in fide perſtare Eccleſiæ Romanæ commonuit. At ſicut ipſe ad Catholicos Principes litteras dedit, ita vice verſa ab illis accepit, & inter alias quidem extant à Godefrido Duce poſt Hieroſolymam captam, quas Encyclicas eſſe voluit ad omnes occidentales, quibus eos permoueret ad exhibendum auxilium Dei exercitui, in terra aliena peregrinanti. Scatent literæ mēdis, ſed vt nobile antiquitatis monimentum ex Vuillelmo Tyrio, quantum fas fuit, mēdis purgauimus; ſic enim ſe habent: Paſchali Papæ Romanæ Eccleſiæ, & omnibus Epiſcopis, & vniuerſis Chriſtianæ fidei cultoribus, Piſanus Archiepiſcopus Apoſtolicæ Sedis Legatus, & Godefridus Dux gratia Dei Eccleſiæ Sancti Sepulchri nunc Aduocatus, & Regimundus Comes ſancti Aegidij, & vniuerſus Dei exercitus, qui eſt in terra Iſrael, ſalutem. *Baro. anno Chr. 1100.*

Multiplicate preces, & orationes cum iucunditate, quomodo Deus magnificauit ſuam miſericordiam, complendo in nobis ea, quæ antiquis temporibus promiſerat. Etenim cum capta Nicæa, cunctus exercitus inde diſceſſiſſet, pluſquam trecenta millia armatorum ibi fuerant. Et licet tanta multitudo eſſet, quæ vniuerſam Romaniam occupare, atque epotare flumina omnia, compaſcere omnes ſegetes vna die poſſet; tamen cum plenitudine tanta conduxit nos Dominus, vt de ariete minimi vix duodecim acciperentur. Præterea etſi Principes, & Reges Sarracenorum contra nos ſurrexerunt; tamen Deo volente, facile victi, & conculcati ſunt. Ob quæ quidem feliciter acta, quia quidam intumuerant, oppoſuit nobis Dominus Antiochiam, humanibus viribus inexpugnabilem, ibiq. per nouem menſes nos detinuit, atque in obſidione extra ita nos humiliauit, vt in toto exercitu noſtro vix boni centum equi reperirentur. Tandem aperuit nobis Domi- *Vuilh. Tyr. lib.3.c.13. 14.* *Idem li. 4. c.9. & 10. lib.5.c.22.*

Dominus copiam ſuæ benedictionis, & nunc etiam induxit in ciuitatem, & turres, & omnia eorum poteſtati noſtræ tribuit. Cum hæc quaſi viribus noſtris acquiſita teneremus, tanta multitudine Sarracenorum obſeſſi ſumus,
Idem li. 6. vt de tanta Ciuitate nullus egredi auderet. Præterea fames ita inualuerat,
c. 5. 6. 7. vt vix ab humanis dapibus aliquis abſtinuerit. Longum eſt enarrare miſerias, quæ in ciuitate fuerunt.

Reſpiciens autem Dominus populum, quem ita diu flagellauerat, benigne conſolatus eſt. Nobis itaque primo, quaſi pro ſatisfactione tribulationis lanceam ſuam, à nemine inuentam à tempore Apoſtolorum, pignus victoriæ nobis contulit: deinde corda hominum adeo animauit, vt illis, quibus ægritudo, vel fames ambulandi vires negauerat, arma ſumendi, &
Vuil. Tyr. viriliter contra hoſtes dimicandi virtutem infunderet. Denique cum trium-
lib. 7. c. 8. 9 phantibus hoſtibus, fame, ac tædio deficeret, exercitus Antiochiæ, & maxime
10. 11. 12. propter diſcordias Principum, in Syriam profecti, Varram, & Marram vrbes Sarracenorum expugnauimus, & caſtella regionis obtinuimus.

Cumq. ibi moram facere diſpoſuiſſemus, tanta fames in exercitu fuit, vt
Idem li. 2. corpora Sarracenorum iam fætentium, à populo Chriſtiano ibi comeſta
c. 21. 22. ſint: deinde cum interiora Hiſpaniæ ingrederemur, largiſſimam, & miſericordem, & victorioſiſſimam manum omnipotentis Dei Patris nobiſcum habuimus. Etenim Ciues, & caſtellani regionis, per quam procedebamus, ad nos cum multis donarijs legationes præmittebant, parati ſeruire nobis, & oppida ſua dedere. Sed quia exercitus noſter non multus erat, & in Hieruſalem vnanimiter venire feſtinabat: acceptis ſecuritatibus, tributarias eas fecimus, quippe quod de multis ciuitatibus in vna de illis, quæ ex minimis eſt, plures homines haberentur, quam in noſtro exercitu eſſent. Cumq. auditum eſſet Antiochiæ, & Rhoes, quia manus Domini nobiſcum eſſet, plures de exercitu, qui ibi manſerant, conſecuti ſunt nos apud Tyrum. Hinc itaque Deo cooperante vſque ad Hieruſalem peruenimus: Cumq. in obſidione multum exercitus laboraret, maxime propter inopiam aquę:
Idem lib. 1 habito conſilio, Epiſcopi & Principes circumeundam eſſe ciuitatem nudis
c. 21. pedibus, prędicauerunt, vt ille qui pro nobis humiliter ingreſſus eſt, per ſe iudicium de his hoſtibus faciendo, nobis eam aperiret.

Placatus itaque Dominus hac humilitate, octauo die poſt humiliatio-
Idem li. 8. nem, cum ſuis hoſtibus ciuitatem nobis tribuit, eo videlicet die, quo primi-
c. 18. tiua Eccleſia inde abiecta fuit, cum feſtum diſperſionis Apoſtolorum cele-
Idem li. 8. braretur. In Porticu Salomonis, & in Templo eius, noſtri equitabant in
c. 27. ſanguine Sarracenorum vſque ad equorum genua. Deinde cum ordinatum eſſet, qui ciuitatem retinere deberent, cum alij amore Patriæ, & pietate parentum ſuorum redire voluiſſent, nuntiatum eſt nobis, Regem Babyloniæ
Idem li. 9. Aſcalonam veniſſe cum innumerabili multitudine militum, ducturum Fran-
ca. 10. 11. cos, qui Hieroſolymis erant, in captiuitatem, & expugnaturum Antiochiã.
12. 13. Sed aliud Deus de nobis ſtatuerat: itaque deſcendimus obuiam illis, relictis ſarcinis, & infirmis Hieruſalem cum præſidio. Cumq. exercitus noſter, & hoſtium ſe conſpexiſſent, genibus flexis, adiutorem Deum inuocauimus, vt qui in alijs neceſſitatibus legem Chriſtianam confirmauerat, in præſenti bello confractis viribus Sarracenorum, & Diaboli, regnum Chriſti & Eccleſiæ à mari vſque ad mare vſquequaque dilataret. Hic Dominus affuit, & tantas

tribuit

tribuit vires, vt in hoſtem currere, vt videntem fontem aquæ viuæ ſitientem ceruum ſegnem iudicarent: miro videlicet modo, cum in noſtro exercitu non vltra quinque millia equitum, & centum quinquaginta millia peditum fuiſſent, & in exercitu hoſtium centum millia equitum, & quadringēta millia peditū eſſe potuiſſent. Tunc mirabilis Dominus in ſeruis ſuis apparuit, cum antequā confligeremus, pro ſolo aſpectu noſtro hanc multitudinem in fugam vertit, & omnia eorum arma diripuit, vt ſi deinceps vellent repugnare, non cito haberent arma. Spolia inaudita, theſaurum Regis Babylonis obtinuimus: ceciderunt ibi Maurorum vltra centum millia gladio. Timor autem eorum tantus erat, vt in porta Ciuitatis ad duo millia ſuffocati ſint. De his vero, qui in mari interierunt, non eſt numerus: Spineta etiam ex ipſis occiderunt. pugnat certe pro nobis Deus. Pridie quam bellum fieret, multa millia camelorum, boum, & ouium cæpit exercitus. Principum iuſſu populus hæc diuiſit. Ad pugnam progredientes multæ turmæ horum animalium comitabantur miraculoſe, & ſtabant cum ſtantibus, & currebant cum currentibus. Nubes ab æſtu ſolis defenderunt eos, & refrigerabant.

Celebrata itaque victoria, reuerſus eſt exercitus Hieruſalem, relicto ibi Godefredo Duce. Comes ſancti Aegidij, & Robertus Comes Northomanniæ, & Robertus Comes Flandriæ, Laodicæā reuerſi ſunt: ibi claſſem Piſanorum, & Boamundi inuenerunt. Cumq. Archiepiſcopus Piſanus Boamundum, & dominos noſtros concordare feciſſet, regredi Hieruſalem pro Deo, & fratribus ſuis Regimundus diſpoſuit. Ad hanc igitur tam admirabilem patrum noſtrorum fortitudinis deuotionem, ad tam glorioſam omnipotentis Dei retributionem, ad tam exoptabilem omnium peccatorum noſtrorum per Dei gratiam remiſſionem, & catholicæ Chriſti Eccleſiæ & ipſius Latinæ, inuitamus vos ad exultationem, & omnes Epiſcopos, & bonæ vitæ clericos, & monachos & omnes laicos, vt ille nos ad dexteram Dei conſidere faciat, qui viuit, & regnat per ſecula. Rogamus, & obſecramus vos per Dominum Ieſum, qui nobiſcum ſemper fuit, & collaborauit, & ex omnibus tribulationibus nos eripuit, vt fratrum ſitis memores veſtrorum, qui ad vos reuertuntur, benefaciendo eis, & ſoluendo debita eorum, vt vobis Deus benefaciat, & vos abſoluat ab omnibus peccatis, & in omnibus, quæ vel nos, vel illi apud Dominum meruimus, partem vobis concedat. Hactenus epiſtola Hieroſolymis militantium, quæ in Occidentali Orbe, vbique vulgata, omnium ferme incendit animos Hieroſolymam adeundi, & ſubſidio eſſe fratribus, ſicq. noua expeditio iam cępta eſt procurari in Gallia, & in Italia claſſis Ianuenſium præparatur ad opus. *Vul.li.10. ca.12. 13. 14.*

Paſchalis Papa acceptis litteris de fęlici progreſſu Chriſtiani exercitus in Palæſtina, decreuit legationem in Orientem: Legatus vero electus fuit Cardinalis Epiſcopus Portuenſis, cui has litteras dedit, quæ etiam acceptæ ſunt ex ſcripto Codice Antonij Auguſtini. *Baro. anno Chr. 1101.*

S Pon-

Pontifex de victoria gratulatur, & de Lancea, & parte Crucis inuenta. Cap. 196.

Legatio à Paſchali Papa miſſa in Orient.

PAſchalis Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Venerabilibus fratribus, ſiue filijs, Epiſcopis, Clericis, proceribus, militibus, & omni populo militiæ Chriſtianæ in Aſia triumphantis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Leuit. 16. & 2. Cor. Deut. 32. Ioſ. 6.

Quod per Prophetam populo ſuo Dominus pollicetur, impletum in vobis cognoſcimus; inhabitabo, inquit, in eis, & ambulabo cum eis, quia per fidem in veſtris pectoribus habitat, & per operationem ita inambulat, vt patenter in vobis inimicos ſuos expugnaſſe videatur. Renouauit enim Dominus antiqua miracula, vt in vno mille, & in duobus decem millia perſequeretur, & his Eccleſiæ annis, ſacerdotalium precum tubis inimicarum Vrbiũ mœnia aperiret. Illud vero quanti gaudij, quàm potentis miraculi æſtimatis; quod ſacroſancti lateris ſanguine cruentam Lanceam, & viuificæ crucis partem veſtris oculis reuelauit, veſtris tractandam manibus obtulit? Quantas ſuper his Redẽptori noſtro gratias debeamus, nec humanus animus opinatur, nec lingua præualet enarrare. Videmus enim Chriſtianæ fidei hoſtes, Chriſtiani populi oppreſſores per diuinam miſericordiam manu veſtra partim contritos, partim è diu poſſeſſis regionibus effugatos: Videmus Orientalem Eccleſiam poſt longa captiuitatis tempora, magna ex parte ad antiquam libertatis gloriam rediſſe. Dicendum igitur ore, dicendum corde: Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Orationi etiam, & vigilijs inſiſtendum; vt quod cœpit, adimpleat, & manus veſtras, quas hoſtium ſuorum ſanguine conſecrauit, immaculatas vſque ad finem, affluentes firma pietate, cuſtodiat.

Luc 2.

Quapropter agite, filij in Chriſto deſideratiſſimi, rememoramini, quanta pro amore Domini reliqueritis; quanta pro fratrum ſalute, & ereptione pericula ſubieritis: patriam, domos, parentes poſthabuiſtis, voſmetipſos exilio addixiſtis, morti oppoſuiſtis: curate nunc ad meliora ſemper tẽdere, pacem cum omnibus conſeruate, vt poſſitis ad æternam pacem Domini miſericordia peruenire. Plurima vobis ſignificare per chartam, & atramentum ſuperſedens; quoniam ex Apoſtolicæ Sedis gremio chariſſimum fratrem Mauritium Portuenſem Epiſcopum deſtinamus, vt qui per beati Petri Vicarium, ſanctæ in Chriſto memoriæ prædeceſſorem noſtrum Vrbanum tanti peregrinationem itineris aſſumpſiſtis, beati Petri ſolatijs ſemper abundetis, & quem fundamentum tanti operis habuiſtis, ipſum quoque ad finem caput in fide, & obedientia teneatis.

Deſcribitur rurſus pulcherrimum Chriſtianorũ bellum, & præclara victoria; ſacræ Lanceæ glorioſa inuentio, & res à Chriſtianis militibus fortiter actæ. Cap. 197.

Paul. Æmil. de geſt. Franc. li. 4.

PAulus Aemilius de Corbagath Perſarum Principe potentiſſimo, Antiochiã obſidente, hæc habet.

Secunda vigilia hoſtes turrim propinquam ei, qua noſtri recepti fuerant, per negligentiam cuſtodum ſilentio admotis ſcalis occuparant. triginta iam con-

cōſcenderant, ſubeunte maiore multitudine, cum Henricus Aſca Moſellanenſis propinquus excubitor ſenſit, ac cum duobus cognatis ſuis Francone, Sigimaroquè contra aduolauit, ſigno dato, vt ſubſidio veniretur, captam partem Vrbis. Tanta in re vndique concurrebatur. Ac ne in nocturna trepidatione noſtrorum, Corbana alias partes murorum tentaret, ſi forte ad vnum locum turandum contendentibus cunctis, aliquid indefenſum, nudatumq. cuſtodibus inuenire poſſet, Duces diuerſi omnia circumiuere, luſtrauereque. Cæſis qui iam intrauerant, turris recuperata, ceteri ſubmoti. Reliquum noctis ſolicitum fuit, omnium animis pauore attonitis; tanto caſu tam propinqui communis excidij, furtorum pericula omnes metuebant. Prælium vera virtute committendum depoſcebant. Præmiſſo caduceatore, vt poteſtas fieret legatis tuto eundi ad Corbanam, profecti duo ſunt, Petrus Eremita, & Herluinus, is linguæ Turcicæ non ignarus. Ambianenſis intrepide apud Satrapen cauſam religionis orauit: Si legibus humanis, diuiniſq; diſceptandum ſit, Antiochiam, & quicquid hoc bello à noſtris partum ſit, Chriſtianorum Imperij exſtitiſſe: ipſam Antiochiam à Principe Apoſtolorum Petro, cultu Idolorum, falſorumq. Deorum veneratione ſemel liberatam, nunquam à noſtra religione defeciſſe: nſic oppreſſam armis Turcicæ de Numine perſuaſionis, à Ducibus Latinis priſtinæ cauſæ reſtitutam: nec quicquam reliqui eſſe, cur relabi eam conueniat ex ſolida libertate in barbaræ ſectæ cōpedes. Sin legum pudor nihil valeat inter arma, petijt Herluinus, vt veræ virtutis periculum fieret. Ex Ducibus latinis deligeret Dux Perſarum, cum quo ceteris ſubmotis congrederetur; vel ſi maior manus placeret, plures Duces cum pari numero Ducum certaturos: aut gens cum gente, exercitus cum exercitu æquo loco ſigna conferret. Corbona exiguum corpus erat, ſed ſpiritibus ingentibus. Reſpondit: Victoris eſſe conditiones ferre, legesq. dicere, nec victos Latinos, quando fortunam ſuam, vel ignorarent, vel diſſimularent, generis mortis optionem habituros: eorum Duces, qui domeſtica miſeria ac inopia adducti, Orienti bellum vecors intuliſſent, in vinculis ad Perſarum Imperatorem miſſurum ſe, vt de eis ille ſtatuat Perſarum legibus, ſuoq. iudicio, militum vulgus non prius quàm fame, illuuieq. ſemianimes in ſeruitutem recepturum: ſic quoque quos eorum videbitur, vt infœlices arbores, ac inuiſas Soli, terriſq. graues, ſucciſurum. Hæc Gothofredus renunciata in vulgus edi vetuit. Dum paucis diebus obſidio trahitur, fames ingraueſcit, pigritiaq. ſubit pectora: luctus, mæſtitiaq. animos afficit: tædium vitæ inceſſit. Milites rectis ſe continebant, in publicum non prodibant. Extrahi à Ducibus, voceuè præconis non poterant, mortem (quod mallent) hoſtium ferro, vel (quod miſerrimum viro forti) fame expectabant.

Conſenſu procerum imperium vniuerſum, ſummaq. rerum, quoad Antiochenſis res expediatur ijs, quibus tenebatur difficultatibus, Bohemundo cōmittitur. Is vbi nullo pudore, nullo Imperio, nullis minis, nullo ſolatio extrahi è tenebris in lucem milites ad munera quiſque ſua poſſunt, ignem paſſim tectis ſubijci iubet: ad duo millia domorum, adiuuante forte coorto vento, conflagrauere. Ita milites neceſſario ſui copiam fecere. Acceſſit res, quæ ex ſumma diffidentia ſummam alacritatem affecit, adeo in bello res in contrarium facile vertunt, ac quod nemo votis auſus eſſet expetere, ſibive

reſpondere, vltro ſe mortalibus nonnunquam offert: nec quicquam altius quàm religio in hominum pectora demittitur: nec, ſi mentis cæleſtis fieri coniecturam apud mortales fas eſt, vlla in cauſa numinis vim ſtudiumq. magis, quàm in hac, tamq. neceſſario tempore, tunc ſperare laborantibus conueniebat. Nobiles ſacerdotes prodiere perſanctè aſſeuerantes, ſe nocturnæ ſpecie admonitos, irent, nuntiarentq. Ducibus, militibusquè, Deum Opt. Max. flagitijs noſtrorum iratum, quod non humana ope fuſo, fugatoq. Solimano, beneficij cæleſtis immemores, minus reuerentes ſuperum extitiſſent: eos Caſtra, quæ initio velut templum fuiſſent, inceſtaſſe, impiæq. religionis mulieribus ſe immiſcuiſſe, diſcrimine ſublato cuncta promiſcua feciſſe. Idcirco numen pœnas fame, concluſione, ac metu propinquæ mortis expetere cæpiſſe. Niſi ad frugem vita, mens ad ſanitatem redeat, ſecurim ceruicibus imminere, quæ poſſit lachrymis, ieiunio, ſacraq. confeſſione placato numine auerti. Petrus ſacerdos Maſſilienſis eadem ſibi quoque pectore obuerſata dictitabat, & ad fidem faciendam addebat, per quietem ſibi diuinitus in æde Petri demonſtratum locum, vbi alte obruta, abditaq. Lancea latitaret, quæ Domini latus in Cruce confodiſſet. Eam ſacroſancto ſanguine imbutam, de impijs triumphum, victoriamq. daturam. Productus in concionem hæc diſſeruit, à legato iureiurando adactus rem ita ſe habere, vt & verbis concepiſſet. Myſterijs altaris peractis, itum reuerentiſſime ad prædictum à numine locum. Refoſſa Lancea, ſublatus eſt multitudinis clamor, approbationis religionisq. plenus. Laus Deo, gratiæq. actæ, fides cæleſtis implorata. Indictum tridui ieiunium: idq. quod egeſtas neceſſarium fecerat; oraculo ſanctum effectum. Sacra confeſſione flagitia expiata. Quarto Kalendas Iulias ſumma omnium alacritate arma capta: nec minus ſacerdotes quàm Duces ſigna circumibant, numen pijs adeſſe, ſi non minus animos religione, fiduciaquè, quàm dextras ferro armaſent. Auderent ductu, auſpicioq. cæleſtium cum hoſte confligere; non multitudinis, nec mortalium virtute, ſed voluntate ſuperum victoriam dari. Lanceam ſanctam Legatus ferebat, ſancta ſpe animos replens. Præfectus arcis Turca, vbi ex loco ſuperiore vidit noſtros ad pugnam parari, coireq. frequentes, eius rei ſignum, quod conuenerat, Corbanæ ſuſtulit: ſimul ne (id quod facturus videbatur) eruptione vrbem relictam inuaderet, Toloſas cum ſuis ei obiectus in vrbe remanſit: ceteri Duces ſigna extulere.

Matutino quidem tempore, ſed ſummo forte æſtu, vix portis exierant, cum ros ſolito vberior cælo lapſus eſt; & id pro diuino imbre à noſtris acceptum, non magis corporibus robur, quàm vires animo addit, numen profecto huic aciei adeſſe. Animos militum hac perſuaſione affectos, Duces præterea oratione acuebant; ſubijciebantquè, quod victores Latini cum victis Barbaris pugnaturi eſſent: non grauiorem tunc hoſtem Turcam ac Perſen futurum, quàm in Bithynia in illo acerrimo prælio fuerit, cum nullo dū periculo virtutis, fortunæq. acie iuſta facto; recenti dolore, iraq. Nicææ in oculis expugnatæ, vxorisq. cum liberis captæ ſtimulante manus conſeruiſſet. Nunc cis Taurum Aſia exactum Perſen, Vrbibus nobiliſſimis cis Euphratem, vlterioribusq. nudatum à ſuo Rege Regum ipſo deſide, ferrum, & Latinum robur horrente, miſſum eo conſilio, vt Antiochiam eximere conaretur obſidione, cunctabundum, ac diffidentem ſegne iter feciſſe, tempusq. ignauia

& metu

& metu triuiſſe, adeſſeq. vt eos ſeruet, qui iam nulli ſint: montes occupaſſe, vt in campeſtri planitie victus, receptum fidum, certumq. habeat, ignotisq. Latino militi ſemitis ſaluti ſuæ conſulat. Sed victis nihil tutum futurum, ipſa muta loca, incolasq. in gratiam victoris hoſtilia, infeſtaq. omnia fugiẽtibus facturos, nec ſpem modo certam exploratamq. vincendi datam noſtris, ſed neceſſitatem excluſis procul à patria: nullo terra, tot faucibus, clauſtrisq. montium, & naturæ intercedentibus, receptu, nulla maris ſpei claſſe latina littorum appulſu prohibita, nullo Antiochiæ commeatu. Nec illos mœnia in fame, obſidioneq. defenſura, quos ſua dextra in acie non texerit. Ita viris ſuapte ingenio inuictis, fortiſſimisq. acerrimum neceſſitatis telum additum: ſimul præmia virtuti paria parata, opes, gazasq. ditiorum, beatiorumquè, quàm validiorum Regnorum, Imperiorumq. Sultanos Caliphasquè, ac Satrapas in vinculis habituros. Ab Occidente, ſeptemtrioneq. profectos, imperaturos regioni intra quam ſol oritur, qui orbem terrarum circumlatus viſurus ſit nihil, niſi eorum virtute, vel domitum, vel adminiſtratum. Redituros domum quemque ſuam ad coniuges, liberosq. fore, vt omnia igni feſto colluceant, ſacris Canticis perſonent, perpetua gloria, ſempiternitateq. ſeculorum, immortali laudis celebritate viuant. Simul ſingulæ gentes ſuo quæq. decore excitabantur. Anglos, Scotosquè, ac Danos, eius ætatis bellicis rebus excitatos, inſitum etiam robur, & non minor animorum, quàm cæli, ſoliq. durities, indomita aſperitas, ac mortis contemptus erigebat. Germanis nomen Imperij, ſummumq. tituli faſtigium, ac ingenita vis pectoris, alacritatem addebat. Gallis res fortiter, piequè, ac fęliciter geſtæ, ſimul ſua nobilitas, maiorumq. decus animos faciebat, Italis memoriæ obſeruabatur vetuſtas gloriæ, ac leges terris datæ. Nulla denique gens domeſticis, ad virtutem excitamentis non ferebatur ad virtutis ſpecimen eo die oſtendendum.

Nec Corbana ceſſabat ſuos inflammare cupiditate gloriæ, vetus Perſarum Imperium verbis in cælum ferens. Turcarũm arma triumphis, trophæisq. nobiliſſima: egentes populos prope generatim ex Europa in Aſiam commigraſſe. Quotam eorum partem ſupereſſe, qui acie in Bithynia cum Solimano pugnarint? & eos qui reliqui ſint, amiſiſſe illas, quibus feroces venerint, vires, ſpiritus illos priſtinos eis cecidiſſe, quod Aſia illa minore potiti, quod magnum initio videri poterat, id parui ad vniuerſi belli ſummam ſpem referre ſero ſentiant. Hæſiſſe ad Antiochiam plus octo menſes, & eam ipſam furto interceptam. Nunc vera virtute rem geſtum iri, quod ante hoc bello non vſu venerit. In Bithynia non veras vires Perſarum conflixiſſe, ipſam nobilitatem Perſicam abſuiſſe. Hic non gentes modo Perſis finitimas, ſociasquè, ſed Perſas, ac ipſos Imperatoris Perſarum intimos, fidosq ac inuictos amicos prælium inituros, ducturosq. militem viribus, opibus, generoſitate, robore, numero, delectu præſtantem, in homines inopia, illuuie, ſqualore, fameq. confectos, qui exiguas reliquias ſpeciei hominum gerant, multumq. ab illa, qui in Aſiam eruperint, indole degenerarint. Animatis ita vtrinque militibus, acies ſtrui captæ. Siniſtrum cornu Hugoni Magno, extremum Anicienſi: ſacræq. Lanceæ, vbi plurimum eo die fiduciæ, interius datum. Dextrum tenuit Tarentinus. Bononienſis eodem in cornu interior conſtitit. Normanus, Apulusq. mediam aciem rexere. Antequam confligeretur,

retur, alam delectorum equitum Satrapes circummiſit, vt terga noſtrorum in pugna adoriretur. Quod Duces conſpicati detractas ex ſua, cuiuſque gentis acie cohortes, turmaſquè, quot neceſſe videbatur, appropinquantibus oppoſuere, præfecto illis Reginaldo Venuſino. Iam conferebatur prælium. Perſæ non omnes ſimul, nec pari conatu in pugnam deſcenderunt. In dextrum Latinorum cornu, quod monti proprius erat, robur Barbarorum irruit. Tarentinus eos præſtanti animo excepit, memor victoriæ in Bithynia de eiſdem hoſtibus virtute ſua, ſuorumq. partæ: nimirum quodam fato primis Turcarum conatibus ſe oppoſitum, & ceteræ aciei partes fiducia eius in ſpē erectæ, ſe loco ſuo continebant, non ſolum vt ſpectarent velut iam certum euentum, ſed ne pro mouendis ſignis reliquos hoſtium adhuc quietos in ſe à fronte, à latere, à tergo excirent. Pugnat acerrime Tarentinus veluti toto terrarum orbe armato, ac ſpectante omnem molem in ipſum vnum incubuiſſe, nec locum ignauiæ celandæ datum, nec lucem virtuti cognoſcendæ defuturam. Plures Barbarorum, quàm Latinorum cadunt: ſed horum paucitas grauius afficiebatur, quam multiplici hoſtes damno, quorum multitudo, vel vulneribus ſuis cædeq. ferrum hoſtium hebetarent, vireſq. laſſitudine conficerent. Igitur cum extremum illud cornu diutina pugna affectū, languenſq. prælium remitteret, ac eo ferocior hoſtis inſtaret, Bononienſis interior promouere cæpit ſuos, vt latus Perſarum aduerſus Tarentinum pugnantium, acriusq. ſigna inferentium tranſuerſus aggrederetur, ferociamq. contunderet. Aduerſus id conſilium paratæ aliæ copiæ à Corbana demiſſæ, tanta ingruerunt vi, vt ſatis pulchrum illi foret ſuos à clade tutari. Nec Normanus, Apuluſq. tertia Perſarum acie iam ſe fulgentibus ſignis, contra ſi quid moueretur oſtendente, progredi tutum arbitrabantur. Tandem cum graui armatura, æſtuq. meridiano feſſos noſtros Barbari exiſtimarent, media quoque acie pugnari cœptum, ac ad Anicienſem prælium peruenerat atrociſſimum.

Minor vis Hugonem vrgebat, quod longiſſime omnium è Corbana, monteq aberat. Itaque Franci, qui Hugoni Magno parebant, flagrantes auiditate maioris pugnæ, ac veri decoris, ægreq. ferentes ſe non magnam partē rerum in ſe vertere, fuſo aduerſo hoſte, ne ſegnem ſtationem agerent, opem Reginaldo aduerſus frequentiſſimam alam pugnanti ferre ſtatuerant, ne ſi ea parte vincerent hoſtes, in noſtrorum terga pugnarent. Cum eques citus à dextro cornu venit, vt auxilio laborantibus iretur, quod Tarentinus, Bononiēſiſq. ægre vim hoſtiū ſuſtinerent. Ita mutato conſilio, circumuectus Francus, ſiniſtrum hoſtium cornu à tergo inuadit. Illi multitudine freti, ancipitia ſigna ſtatuunt. Prælium cruentum fuit. Nullus ſegnis ignauuſue, dextræ vis, robur pectoris, rigor animi ſe profert, ingens paſſim cædes, cumuli corporum conceruantur, auiditas cruoris, rabies, furor, impetus veſanus, graſſatur omnia peruadit, victoria nutans, ſpes, metuſq. anceps. Reginaldus præcipuo diſcrimine laborat, ala equitum nobiliſſimorum premente, cui vitam Solimanus præfuiſſe, ſunt qui tradunt: nec barbaros potuiſſe, niſi ope diuina vinci. Baldricus Dolenſium Pontifex illius temporis æqualis comperuiſſe ſe ſcribit ex his qui interfuerant, oblatam hoſtibus ſpeciem trium procerum humana ſpecie auguſtiorum, qui albentibus in equis ſedentes, ingens agmen pari cultu corporis, habituq. oris ex editiſſimis locis aduer-

ſus

ſus hoſtes ducerent: hos non ab omnibus, ſed à quibuſdam noſtrorum viſos, creditoſq. eſſe martyres Georgium, Demetrium, Mercurium, nec deinde barbaris animus, menſue, aut conſilium ſuppetebant, conſtabant vel apud eos omnia formidine, fugaq. continuo plena fuere. Quod vtique conſtat, Corbana ingens Latinorum terror, qui primum, vt Antiochiam defenderet, profectus fuerat, deinde recuperaturus aderat, ſubiji ci ſtipulis, ad id ſi quid contingeret, deſtinatis, ignem iuſſit, vt eo quod conuenerat ſigno, ſe ſui reciperent. Prima omnium ala ſe in montes recepit; deinde omnes copiæ ſenſim illuc concederant: inſtantibus deinde noſtris trepide terga dedere. Saluti montes quamplurimis fuere, quos expeditus miles, leuiſq. eques facilius tenere, metiriq. curſu poterat, quam noſtrorum grauis armatura, cataphractuſq. equitatus. Hic centum millia hoſtium cecidere, noſtrorum quatuor circiter millia ducenti. Ad quinque millia Camelorum oneribus, & magna commeatus vis capta, caſtraq. omnis fortunæ, regiæq. opulentiæ plena.

Poſtridie arx amiſſa ſpe ſubſidij dedita, pacta, vt ſine frande, qui in præſidio erant, dimitterentur. In conſilio, dum de ſummis rebus ageretur, peruicit Toloſas, vt nobiliſſima legatio Byzantinm mitteretur, quæ ſi videretur, Antiochiam Græco redderet, quod in id omnes iureiurando adacti erát, vt quicquid hoc bello caperetur, exceptis Hieroſolymis, Græco Auguſto cederet, Iuit Hugo Magnus, Græcus eam deditionem non accepit, ſiue conſcius fœderis à ſe non ſeruati, & opis ſecundum expugnationem Nicææ noſtris tot inter miſerias oſtentatæ, non latæ: ſiue ratus dolum ſubeſſe, quod vtrumque ſcriptores tradunt. Nos facile adducimur, vt credamus Alexin gnarum Bohemundi in ea vrbe, conſilio ipſius capta, partes validiſſimas eſſe, Antiochia abſtinuiſſe. Simul ab eo Latini petebant, vt ipſe per ſe hoc bellum capeſſeret, nec antequam debellatum eſſet, exercitum deduceret. Auguſta Maieſtate indignum exiſtimare poterat, ſe ſequi, non ducere videri, nec ſui arbitrij fieri ius ſuſcipiendi, deponendiq. belli: Nullum finem, niſi non Turcis modo, ſed & Aegyptiorum Caliphis, Sultaniſq. euerſis. Et Antiochiæ morbi fruiebant victoria opulentiſſima: ex ſumma inopia cunctarum rerum, incredibilem copiam omnis generis diuitiarum non ad neceſſitatem modo, ſed etiam ad delitias luxumq. attulerat. Nemo egens, beati omnes, locupletesq. fruebantur præſentibus bonis, priſtinum quoque deſiderium abunde, affatimq. explentes. Ex hac repentina præcipitiq. in contrarias partes mutatione culens, victuſq. ſiue alia cauſa cohorta peſtilétia, quinquaginta circiter mortalium millia abſumpſit. Perijt Anicienſis, non tamen communi lue, quam ægritudine ex labore laſſitudine contracta. Ante prælium, in re diuina, placandiſq. ſuperis, in prœlio cohortandis, excitandiſq. & conſilio, & exemplo virtutis militibus: ſecundum victoriam, in ſupplicationibus habendis, gratijſq numini agendis, purificandiſq. luſtratione templis, ſacrandiſq. quę barbari omni nefario ſcelere profanarant, opera eius ſingularis, ac diuina extitit. Dum ſibi nulla in re ſancta parcit, exceſſit è vita, magno ſui deſiderio. Milites, Duceſq. velut parenti orbati luxerunt, & vita, & morte felicem, Turcium enim, in cuius excidium conſpiratio ſacri belli facta fuerat, deletum: Imperium eo ſignifero credi poterat, Solimano opibus exuto, Caſſiano extincto,

Corbana fuſo, fugato, plus centum millibus Perſarum vno prælio cæſis, Antiochia Orientis arce capta, defenſaq.

Haſtenus Paulus Aemilius, qui & aliud miraculum de eadem ſacra Lancea reddit:

Nudo corpore quis per ignem tranſiens Lanceam manu geſtans, illæſus, & purgatus euadit. Cap. 198.

Paul. Æmilius Veronenſ. de rebus geſtis Francorum lib. 4.

MAſſilienſis Author Sacroſanctæ Lanceæ effodiendæ, quia comes Toloſatis erat, ad nouam inuidiam illi conflandam incuſari cępit falſę religionis. Is vt ſe purgaret, ad iudicium flammę deſcendit: & aderat dies paſſo Domino ſanctus. Circumfuſo exercitu, ſanctam Lanceam nudus corpore manu geſtans, per coaceruatorum late lignorum ſtruem ardentem, medioſq. ignes illæſus euaſit: mox ad miraculum ruente turba oppreſſus perijt.

Non pigeat lectorem à pluribus teſtibus rerũ memorabiliũ in tàm magnifico bello tam glorioſe geſtarũ teſtimonium accipere, tum quia veritas magis eluceſcit, tum quia apud vnum Auctorem reperiuntur, quę ab alio prętermiſſa ſunt. Subijciamus ergo, quę à Roberto monacho Rhemenſi, qui illis temporibus vixit, & vt creditur, interfuit, ſcripta ſunt, qui multa narrat quæ ab alijs intacta relicta ſunt. Sunt autem huiuſmodi.

Robert. monach. Rhemenſ. hiſt. lib. 7.

Lancea, vt ſupra, nutu Dei inuenta, ſeniores & magiſtratus militię conſilium acceperunt, vt ad Corbanan legationem ſuam mitterent, itemq. mandata, ſuumq. conſilium per interpretem ſui ſermonis deferrent. Cumq. de multis fieret inquiſitio, nec aliquis pręſumeret hęc ferre mandata, tandem duo inuenti ſunt, Erleuuinus & Petrus Eremita. Hi cum interprete iter ſuum ad Turcarum caſtra dirigunt, dein ad Corbanan tentoria perueniunt.

Conuenerunt vndique Turcæ, audire geſtientes, quid dicerent Chriſtianorum nuncij. Erat autem Corbanan reſidens in ſolio indutus cultu regio, habituq. pompoſo. Ante cuius faciem venientes minimè ſe inclinauerunt, ſed erecta ceruice aſtiterunt. Quod cum Turcæ viderent, ægre tulerunt, & niſi nuntijs publicam fidem debuiſſent, ignominiam vindicaſſent. Tunc nuntij nil cunctantes, licet omnes ira commoti, ira circunfremerent, ſuperbo principi dixerunt. Corbanan, à Francorum principibus in mandatis hæc ad te habemus. Vnde tibi contigit tam temulenta audacia, quod armata manu contra eos veniſti, cum tu & Rex tuus, genſq. tua in eorum conſpectu culpabiles ſitis, qui terras Chriſtianorum immoderata cupiditate inuaſiſtis, eoſq. omnes iniuria affeciſtis & occidiſtis? Infernales dij te tui turpius non potuerunt dehoneſtare, quam quod te miſerunt contra eos pugnare. Si ratio iuris tecum eſſet, & cenſura æquitatis nobiſcum agere velles, nos tecum iuris honore ſeruato ratiocinaremur, & quod Chriſtianorum eſſe debet, incontradicibili ſermone oſtenderemus. Quod ſi apud te æqui ponderis ſunt ius & ratio, vt voluptuoſa voluntas, fiat inter tuos & noſtros determinata pugna, & victoribus abſque aliorum ſanguinis diſpendio, tota hæc concedatur patria.

Quod ſi nec ita, nec ſic, complaceat, aut fugam protinus inite, aut colla veſtra noſtrorum enſibus præparate. His dictis ſermonis mediator conticuit. Corbanan vero ira magna inflammatus, vix loqui potuit, & tandem

in

in hæc verba prorupit dicens: Vere gens Francorum, gens ſuperba, ſed noſtro gladio refrænabitur eorum ſuperbia. Ideo autem requirunt denominatum prælium, vt quibus cedit victoria, cedat & Imperium. Quoniam ſine aliorum ſanguinis diſpendio, aut patria volunt ditari, aut à manibus noſtris liberari. Sed tunc ſalubre conſilium non inuenerunt, cum pro effæminata gente arma ſumpſerunt. Tamen adhuc ite, illiſq. renuntiate: quoniam ſi volunt Deum ſuum abnegare, ſuæq. Chriſtianitati renuntiare, in gratiam omnes recipiemus, & terram hanc eis donabimus, & multo meliorem,& de omnibus equites faciemus. Quod ſi facere neglexerint, omnes iamiam morientur, aut vincti in terram noſtram ducentur. Poſt hæc Erleuuinus, quia illorum nouerat linguam, ſubiecit, & ait: O Princeps nullius militiæ, ſed totius malitiæ,ſi ſcires quàm dementiſſimum eſt apud Chriſtianos dicere,nega Dominum, nunquam de tuo ore polluto egrederetur tale verbum. Scimus pro certo, ipſo Deo, quem negare ſuades, reuelante, quia in proximo eſt noſtra ſalus, & veſter interitus, noſtrum gaudium, & veſtrum detrimentum. Quis vero vobis tranſmiſit ignem, qui vos ita perterruit, & de loco, in quo tentoria fixeratis, ita perturbauit? Signum hoc in portentum veniet vobis, nobis in ſalutem, quoniam ipſius Dei noſtri certam inde habemus legationem. Corbanan diu ferre non potuit conuitia Erleuuini, & præcepit à conſpectu ſuo illum amoueri. Dixeruntq. ei, qui illic aſtabant, vt cito recederet, aliàs nunquam ei legationem profuturam. Ille cum ſocijs ita diſceſſit, & ad vrbem remeauit. Nec prætereundum quid iſtis recedentibus Corbanan ſuis dixerit: Audiſtis nunc,quid pannoſi illi,vultuq. deſpicabiles, & nullius perſonæ homunculi, & quàm conſtanter locuti ſint: nec iram noſtram, & tela micantia expauerunt? Hinc eſt, quia deſperati ſunt, & volunt mori, & malunt mori, quam captiuari. Propterea ò fortiſſimi milites cum ad prælium venerint, vndique eos circumuallate, ne alicui ſit locus diuertendi, nec ſpatium diu viuendi: quoniam ſi eis aliquandiu licet viuere, antequam omnes interficiantur, magnas ſtrages de noſtris facient. In hoc apparet, quia Corbanan ſtultus erat, qui ſic loquendo ſuorum mentibus terrorem incutiebat. Nec mirandum, ſi inſipiens loquitur amentiam, quia ſpiritus ſapientiæ non intrat in maleuolam animam. Petrus Eremita, & Herluuinus ad Principes exercitus reuerſi ſunt, & quæ Corbanan reſponderat, narrauerunt.

Tunc Podienſis Epiſcopus nutu, & aſſenſu omnium, triduanum omnibus indixit ieiunium. Vnuſquiſque puro corde confeſſus fuit, & qui aliquid ad edendum habuit, non habenti diſtribuit. Illuſtres dies deduxerunt cum omni humanitate, & puritate cordis, Domini miſericordiam implorantes. Tertia die illuceſcente, Miſſæ per eccleſias celebratæ ſunt, omneſq. ſancta Dominici corporis communione communicati ſunt. Communi deinde conſilio intra vrbem ſex acies conſtituuntur, & quæ prius, quæ poſterius irent, ordinantur. Prima acies fuit Hugonis Magni, & Flandrenſis Comitis: ſecunda vero Ducis Godefridi; in tertia vero fuit Comes Robertus de Normannia cum ſuis: quarta fuit Podienſis Epiſcopi,qui ſecum portauit Lanceā noſtri Saluatoris, & cum illo fuit magna pars exercitus Comitis S. Aegidij, qui ad cuſtodiam Ciuitatis remanſit: quinta Tancradi fuit, & Boamundi ſexta, cum qua expeditiores ad bellum pedites fuerunt,& milites,qui equos ſuos

Quibus modis ad pugnam ſe præparāt.

ſuos neceſſitate victi vendiderant. Epiſcopi, Presbyteri, Clerici, & Monachi ſacris veſtibus induti cum militibus extra portã ciuitatis exierunt; portantes in manibus ſuis cruces, quibus Dei populum ſignabant, & magnis vocibus ad cælum manibus extenſis clamabant: Saluum fac populum tuum Domine, & benedic hæreditati tuæ, & rege eos, & extolle eos nunc, & in æternum. Eſto eis Domine Turris fortitudinis à facie inimicorum ſuorum. Hos, & alios Pſalmos canebant, illos præcipue, quæ tribulationi conueniebant. Similiter illi, qui in turribus erant, & ſuper murum idem faciebant, & cantabant. Egreſſi ſunt itaq. milites Chriſti contra ſatellites Antichriſti, per portam quæ eſt ante Mahumariam. Corbanan vero in quodam monticulo ſtans, exeuntes aſpiciebat, & dum exirent, dicebat: State quieti milites mei, & omnibus exire permittite, vt eos melius valeamus comprehendere. Habebat autem iuxta ſe poſitum Aquinaticum quendam, qui fidei noſtræ abrenuntiauerat, & edacitatis gula coactus de ciuitate exierat, & aduerſariorum ſe ad caſtra contulerat.

Hic de noſtris multa nefanda dixerat, quod fame moriebantur, & omnes fugæ præſidia moliebantur, quod equos ſuos comederant, & victus inopia tabeſcebant, nihilq. reſtare, niſi quod aut fugerent, aut ditioni Corbanan ſubderent ſe. Dumq. diuiſæ acies ſuis ordinibus de ciuitate exirent, Corbanan, cuius eſſet vnaquæque requirebat, quæ Aquitanicus è ordine referebat; Sol vero ſuper armatas loricas, & lanceas radios inferens, oculos intuentium reuerberabat, & aduerſarijs terrorem immittebat, vt diuina Scriptura teſtatur, quia terribilis eſt caſtrorum acies ordinata. Vt autem congregatos omnes conſpexit, intra ſemetipſum infremuit, circumſtantibus dicẽs: Magna eſt gens illa, honeſteq. armata, non mihi videtur, quod velint fugere, ſed inſtare, quod non velint obſequi, ſed proſequi. Conuerſus itaq. ad apoſtatam ſuum, inquit: Furcifer, omniumq. ſceleſtiſſime, quæ friuola dixiſti nobis ſuper hominibus iſtis, quod equos ſuos comederint, & fame cruciati fugam pararint? Per Mathomum, in caput tuum retorquebitur iſtud mendacium, capitisq. lues ſacrificium. Tunc accerſitus gladiator tyranni paruit imperio, & euaginato gladio, caput illius præcidit: dignam ſuæ garrulitatis, & apoſtaſiæ mortem ſubijt. Tunc quippe mandauit Admirando ſuo, qui cuſtodiebat ſuum theſaurum, vt ſi ignem accenſum in capite ſui exercitus videret, fugam protinus arriperet, & omnia, quæ ſua erant ſecum portaret, alioſq. fugere compelleret. Sciret enim, quia Francorum gentis eſſet bellum. Noſtri vero milites, vt primùm in quandam planiciem venerunt, Podienſi Epiſcopo innuente ſteterunt, & cum ſummo ſilentio ſermonem illius audierunt: Erat autem veſtitus lorica, & in dextra illius in altum erecta Saluatoris lancea. Qui os ſuum in hæc verba aperiens dixit: Omnes, qui in Chriſto baptizati ſumus, filij Dei, & fratres inuicem ſumus. Quos ergo coniunxit vna ſpiritalis copula, iungat & dilectio vna. Pugnemus igitur vnanimes; vt fratres pro animabus, corporibuſq. noſtris, ſicut poſiti in rebus extremis. Mementote, quantas tribulationes paſſi eſtis pro peccatis veſtris, ſicut nunc vobis innoteſcere dignatus eſt in viſionibus ſuis Dominus Deus noſter. Nunc vero purgati eſtis; Deoq. per omnia reconciliati. Et quid timendum? Nullum vobis contingere poteſt omnino infortunium. Qui hic morietur, viuentę felicior erit, quia pro temporalia vita,

gaudia

gaudia adipiſceretur æterna; qui vero remanſerit ſuperſtes, præclara triumphabit victoria, diuitijs inimicorum ditabitur, & nulla anguſtabitur inopia. Vos ſcitis quod perpeſſi ſitis, & quid in præſentiarum ante vos videatis. Orientales diuitias adduxit vobis Dominus veſter in faciem veſtram, in manus veſtras. Confortamini, & eſtote viri robuſti, quoniam iam mittet Dominus legiones ſanctorum ſuorum, qui vlciſcentur vos de inimicis veſtris. Hodie videbitis illos oculis veſtris, & cum venerint, ex eorum terribili fragore ne timeatis. Non enim debet inaſſuetus vobis eſſe conſpectus eorum. Conſiderate quomodo aduerſarij veſtri extento collo, ſicut cerui, & damulæ paueſcentes, aduentum veſtrum aſpiciunt, paratiores ad fugam, quam ad prælium. Et vos bene noſtis eorũ prælia, quoniam ſagittis plus in fuga, quam in pugna confidunt. Ite igitur contra eos in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, ad bellum, & Dominus Deus noſter omnipotens ſit vobiſcum. Cumq. omnes reſpondiſſent. Amen, extenſis in longum legionibus, prior erecto vexillo antecedit Hugo Magnus, qui iure vocatus eſt Magnus, quoniã hoc priuilegium commendauit actu, & moribus. Hunc ſubſecuti ſunt alij ſicut ſuperius ſunt nominati, fuitq. eorum prolixa extenſio, à flumine, vſque ad montana ſcilicet, cui ſpatio interſunt duo milliaria. Tunc vero Corbanan cæpit retroire, & montanis appropinquare. Noſtri autem paulatim illum inſequebantur, quoniam moderato greſſu omnes procedebant. Tunc Turcæ in duo ſunt diuiſi, quia pars vna à regione maris proceſſit, pars altera maior in campis remanſit. Statuerunt igitur noſtros ſic inter ſe includere, & à dorſo ſagittare. Sed ordinata eſt ſeptima acies, quis contra partem diuiſam confligeret: ordinata eſt autem ex militibus Ducis Godefridi, & Normanni Comitis, cui præfuit quida dux, nomine Rainaldus: hunc contra illos miſerunt, & præliati ſunt, multiq. hinc, & inde ceciderunt. Et vt aliæ ſex acies ad iactum ſagittæ peruenerunt, Turcæ vicinius ire recuſantes, tenſis arcubus trahunt, ſed fruſtra, quia ventus ex obliquo flans, eorum iactus redegit in vanum: Quod Turcæ vt viderunt, verſis frænis retro fugiunt, ſic quæ prima acies quæſiuit in bello, bellum nec inuenit: quæſiuit quem percuteret, aut à quo percuteretur, nec reperit. Intereà miſſus eſt Nuntius à Boamundo Hugoni Magno, vt ei ferret auxilium, quia nimium vrgebatur oppreſſione Turcarum. Mox Hugo conuerſus, ait ſuis: O viri bellatores, nos pugna fugit, quæramus pugnam, eamuſq. ad Boamundum egregium Ducem: Illic eſt pugna, quam quæritis, illic ferus inſtat hoſtis, quem deſideratis. Tunc citius dicto, volat illuc quiſque ſatelles, iunguntur què ſimul egregij comites. Quod vt vidit Dux Ducum Godefridus, quod magnus amicus ſuus ita celeri curſu cum omnibus ſuis diſcurrebat, inſecutus eſt eum, quoniam & ipſe à bello vacabat. Illic quippe incumbebat robur militiæ Perſarum, & maior fortitudo, & bene decebat, vt illic occurreret Godefridus & Hugo. Erat enim vnus ab altero, quaſi alter idem, vnam habentes in ſe amicitiam. Hugo magnus cum ad pugnæ conflictum prior veniſſet, intuitus eſt vnum de aduerſarijs, qui erat audacior ceteris, alioſq. ad pugnam clamando hortabatur. Qui ſpumantem equum dirigit contra eum & lancea ei guttur perforauit, & ſic os illius oppilauit. Quid miſer faceret? Solo ſtatim corruit, & dijs infernalibus animam commendauit.

Poſt

Poſt hæc contigit noſtris grande incommodum : quia Odo Belgentiacus, qui vexillum ferebat, ſagitta toxicata vulneratus fuit, & dolore vulneris ingraueſcente, cum vexillo terræ corruit: ſed Benienſis Guilerinus enſe nudato, viam per medios hoſtes aperuit, & ſignum tellure leuauit. Quid dux Ducum Godefridus, quid Boamundus, quid clara iuuentus ibi egerint, nec lingua dicere, nec manus ſcribere, nec pagina valet capere. Nullus noſtrũ ibi iners fuit, nullus timidus, qui nec locum habebant, & hoſtis ſuperemineus vnumquemque vrgebat. Quanto magis enim occidebantur, tanto magis creſcere videbantur. Sicut enim putredini muſcæ confluere ſolent, ſic, & ipſi vndique conueniebant. Dum ſic certatur, & tam longi certaminis prolixitas fatigabat noſtros, nec numerus hoſtium videbatur decreſcere: albatorum militũ innumerabilis exercitus viſus eſt de montibus deſcendere, quorum ſignifer, & duces eſſe dicuntur, Georgius, Mauricius, Mercurius, Demetrius, quos vt primum vidit Podienſis Epiſcopus, exclamauit voce magna dicens: O milites, ecce venit auxilium, quod vobis promiſit Deus. Et certe noſtri valde expauiſſent, niſi fuiſſet ſpes, quam in Domino habebant. Tunc tremor maximus irruit in hoſtes, & verſis vultibus, ſcutis terga cooperiunt, & fugam, quo vnicuique locus dabat, arripiunt. Pars illa, quæ à parte pugnabat maris, vt vidit fugam ſuorum, ignem ſparſit ſuper gramen campi, quod celeriter arſit, quia illud ſiccauerat ardor æſtatis. Hæc ideo fecerunt, vt hoc ſigno illi, qui in tentorijs erant, ſtatim fugerent, & ſecum ditiora ſpolia tollerent. Illi vero cognito ſigno, qui in montanis erant, protinus fugerunt, cum omnibus ſpolijs, quæ portare valuerunt. Sed quid eis profuit, cum diu eis ferre non licuerit? Armænij, & Surani ſiquidem vbi viderunt, quia victi erant, & noſtri eos inſequerentur, obuiam illis veniebant, & occidebant. Hugo vero Magnus, & Dux Godefridus, & Flandrenſis Comes, ſimul cum ſuis agminibus equitabant iuxta aquam, vbi robuſtior, & depreſſior eorum erat exercitus: tantoq. impetu vrgere cæperunt, vt ad ſua tentoria, quo tendebant, remeare non potuerint. Et vt citius perſequi valerent, illorum equos, qui moriebantur, aſcendebant, ſuoſq. equos, qui erant macilentiores, & afflicti fame, frænis à capite detractis relinquebant in campo. O miranda virtus Dei omnipotentis, & immenſa poteſtas! Miles tuus longo afflictus ieiunio, perſequitur tumentes adipe, & pinguedine, ita vt etiam nec ad ſua bona, quæ reliquerant, auderent reſpicere. Spiritus tuus bonus erat in mentibus eorum, qui & vires ſuggerebat corporum, & audaciam præſtabat animorum. Non illum retardabat vlla cupiditas ſpoliorum, nulla vllius rei auaritia, quoniam illius mens magis titillabat victoria. Sicut in macello beſtiarum corpora ſolitum eſt dilaniare, ſic & noſtris licitum erat Turcarum corpora laniare. Euolat ſanguis de corporibus vulneratorum, euolat puluis agitatus equorum pedibus diſcurrentium. Aether obnubilatur, & quaſi crepuſculum fieret, obtenebratur. Contigit autem quia fugientes in quendam collem deuenerunt, & ibi ſe contra noſtros recolligere ſperauerunt. Tunc Gherardus ſenex de Melione, qui longo tẽpore ægrotus iacuerat in obſidione, equo celeri tranſuectus improuide ſe iniecit in illos, eorumq. iaculis eſt confoſſus, & ſic digna morte peremptus. Quod vt viderunt, qui eum vicinius inſequebantur, Euuardus ſcilicet de de Puteolo, Paganus Beluacenſis, Drogo, & Thomas, & Clarembaldus, ceteraq.

teraq. iuuentus Hugonis Magni, nil hæſitantes in illos irruunt. Et quidem forte certamen inierunt, ſed tamen Deo iuuante, creſcente caterua ſuorum, viriliter diſſipauerunt: Ibi multum cruoris effuſum eſt, multorum truncata capita, qui ſi, vt cæperant, fugiſſent, euadere potuiſſent. Perſecuti ſunt autem illos vſque ad Pontem ferreum, & ad Caſtellum Tanctadi, & vltra non potuerunt perſequi, quia nox obſcura finem rei impoſuit.

Mortui ſunt autem illo die centum millia equitum, ſed propter faſtidium nullus numeratus eſt de tota multitudine peditum. Miles fatigatus, quia longe ab vrbe erat, ad tentoria, quæ ſuorum erant inimicorum, redijt, multumq. quodq. ad edendum ſibi ſufficeret inuenit. Ante enim quàm timor Dei veniſſet in corda illorum, in ſartaginibus, & cacabis, & lebetibus, & in ollis parauerant carnes ad obſonium, ſed miſeris quæ parauerant, non licuit coquere, nec tollere. Ibi potuit videri venerandus ſacerdos Podienſis Epiſcopus, lorica veſtitus & caſſide, & lancea ſancta in manibus, qui præ nimio gaudio rorabat vberrimis ora fletibus. Hic illos hortabatur, vt Deo gratias agerent, per quem victores exſtiterant: dicebatq. eis: Ex quo milites eſſe cæperunt, nulli vobis compares fuerunt, quia nulli in tam breui tẽpore tot, tantaq. bella confecerunt, quanta vos peregiſtis, ex quo mare Conſtantinopolitanum tranſiſtis. Multum quippe eſt à fide Chriſtiana alienus, qui videt, quæ vos hodie vidiſtis, & in Dei dilectione non eſt continuus. Hæc & his ſimilia venerandus Pontifex dicebat, & verbis talibus populum ſibi commiſſum inſtruebat, & iocos, & riſus eorum temperabat. Contemplatio enim vultus illius præſentiæ ita omnes reuerberabat, quod nemo eo præſente verba vana proferre præſumebat. Peracta nocte illa, in craſtinum quindecim millia camelorum ſunt inuenta: equos vero, & mulos, & aſinos, oues, & boues, & omnis generis pecora nemo numerare potuit. Inuenta ſunt vaſa aurea, & argentea, plurima pallia, & ſpolia magna, magni pretij, diuerſæq. varietatis. Cum his omnibus ad ciuitatem triumphantes venerunt: & ab his qui remanſerant Clericis, & Presbyteris, & Monachis, cum ſolemni proceſſione ſuſcepti ſunt. Admiraldus vero, qui in Caſtello erat, vt vidit Principem ſuum, & eos qui cum illo erant, à campo fuga diuerti, viditq. innumera albatorum equitum millia, cum candidis vexillis per plana diſcurrentia, admodum expauit, vnumq. de vexillis noſtris ob tutelam dari ſibi popoſcit. Comes ſancti Aegidij, qui illic ad cuſtodiam ciuitatis remãſerat, ſuum illi vexillum conceſſit, & gratanter accepit, acceptumq. muro Caſtelli affixit: ſed vt cognouit à quibuſdam Longobardis, qui aſtabant ibi, quod Boamundi non eſſet, cui tota ciuitas conceſſa erat, ſignum ſuum reddidit Comiti, & ſignum quæſiuit Boamundi, & Boamundus miſit ei. Quod cum reciperet, Boamundum rogauit, vt ad ſe veniret. Ille vicino pede legationi ambulauit, & quid dicere vellet, auſcultauit. Gentilis fidei pactum requirit, vt qui cum eo erant & diſcedere vellent, nullius iniuriæ læſionem paterentur, & vſque in terram Sarracenorum conducerentur: qui vero ſecum Chriſtianus fieri vellet, faciendi licentiam haberet. Boamundus immenſo gaudio repletus eſt, & dixit: Amice, quod expoſcis, libenter concedimus tibi, ſed præſtolare modicum, quia iſtud principibus noſtris renuntiabo, & celeriter reuertar ad te. Et mox feſtinanter cucurrit, & aggregatis in vnum principibus, verba Gentilis enarrauit. Placuit omnibus, omnipotenti

Ee 3 potenti

potenti Deo gratias agentibus. Boamundus ad iam domeſticum regreditur gentilem, & requiſitæ ab eo conuentionis confirmat ſponſionem. Ille vero reddidit ſe Epiſcopo Podienſi, & ſanctæ Chriſtianitati, cum trecentis ſuis militibus valde ſpecioſis, & iuuenibus, fuitq. inter Chriſtianos tunc maius gaudium de eorum Chriſtianitate, quàm de caſtelli traditione. Boamundus caſtellum recepit, & eos qui Chriſtiani fieri noluerunt, in terram Sarracenorum conduxit. Triduano peracto ieiunio, baptizati ſunt Gentiles cum lætitia magna, & creuit ibi laus Dei, & gloria Chriſtiana. Ipſi referre poſtea ſoliti erant, quod cum de caſtelli arce bellum aſpicerent, innumera ſubito candidorum militum millia ſe vidiſſe, quorum intuitus ipſos vehementer terruit. Nec mirum fuit, quia omne caſtellum funditus intremuit. Cumque viderent eos agminibus Chriſtianorum conſociari, ſuosq in excidium, fugamq. verti, protinus intellexerunt cæleſtia numina eſſe, Chriſtianorumq. Deum ſuperari non poſſe. Inde compuncta fuerant corda illorum, ſeq. Chriſtianos fieri ſpoponderunt. Actum bellum hoc IV. Kalendas Iulij, vigilia ſcilicet Apoſtolorum Petri & Pauli. Sicq. diuina reſpiciente miſericordia, procella Antiochenæ tribulationis, quæ fere per decem menſes intumuerat, ſedata fuit, & regia ciuitas, quæ longo tractu temporum iugo diabolicæ captiuitatis ſubiecta fuerat, amiſſam priſtinæ libertatis gratiam recuperauit. Hoſtes qui eam in captiuitate detinuerant, fiunt & ipſi captiui, & in latebris ſyluarum, cauernisq. petrarum, & foſſis montium ſunt diſperſi. Armenij quoque, & Surani habitatores terræ illius, per dies plurimos ſcrutati ſunt illos, & inueniebant alios ſemineces, alios vulneratos, alios parte capitis carentes, alios ventri ſuo, ne omnino vitalia exirent, manus ſuas apponentes, & detractis eorum ſpolijs interficiebant. Itaq. inimici Dei depopulati ſunt, & Chriſtiani ſerui Dei excelſi in glorioſa Vrbe cum gaudio, & lætitia aggregati ſunt.

De eadem ſacra Lancea, qua Chriſti D. N. latus in Cruce apertum fuit. Cap. 199.

Bed. de loc. ſanct. c. 2. DE eadem ſacra Lancea hæc tradit Beda Ven.: Lancea militis, inſerta habetur in Cruce lignea in porticu Martyrij, cuius haſtile in duas interciſum partes, à tota veneratur ciuitate. Hactenus Beda. Quod autem *Cyril. cate. 14.* dicit, Martyrium, explicatum habemus à S. Cyrillo Hieroſolymitano, qui ait, Eccleſiam Hieroſolymis, reſurrectionis appellatam, in Golgotha poſitam, Martyrion eſſe dictam.

Bellarm. de imag. c. 27. Poſt multos annos, Anno Domini 1098. Chriſtianis aduerſus Turcas bellantibus, diuina reuelatione reperta eſt Antiochiæ, & inſigni miraculo nobilitata.

Peruenit ſacra Lancea ad Balduinum Conſtantinopolitanum Imperatorē. Demum capta Conſtantinopoli, ad Mahometem Turcarum principem. Eo mortuo, ad Baiazethem filium, & ſucceſſorem, qui eam tranſmiſit ad Innocentium Papam VIII. Qua autem occaſione, narrat Alphonſus Ciacconius in vita Innocentij VIII.

Eadem à Baiazethe Turcarum Imperatore, Pontifici Romano pro precioſo munere mittitur. Cap. 200.

EOdem tempore Gemes, qui & Zizimus, Baiazethis II. Turcarum Imperatoris IX. frater apud Pruſſiam, Bithiniæ Vrbem de imperio certans, victus, & profugus, ſubſidium Chriſtianorum imploraturus, ad Rhodum peruenit, vbi Magni Magiſtri auxilium, & conſilium implorauit. De eius conſilio Romam ad Pontificem profectus. Nec longe poſt Baiazethes, miſſis ad Pontificem Legatis vrbem Hieroſolymitanam, quatenus fratrem Zizimum ſibi dedat, vltro offert, verum nè datam fidem falleret Pontifex, Baiazethis & munera, & amicitiam repudiauit. Quis fuerit eius acceſſus in Vrbem, Matthæus Boſſus Canonicus Veronenſis tunc præſens tradit. Solemni pompa exceptus, tota Vrbe ſpectante: Inceſſit enim per ſpecioſiores vias, inſigni inſidens equo, mediuſq. inter Franciſcum Pontificis filium, & Magni Magiſtri Rhodiorum Equitum fratrem, denique in Palatium Vaticanum deductus eſt, ibiq. honorifice habitus. Non multos poſt dies, publicum in Conſiſtorium deductus, ad Pontificis Maximi conſpectum, conſpicuo in throno ſedentis, neque flecti ante illum, neque deoſculari ex more pedes, vt, qui præſunt ſacris ritibus, & cæremonijs illum edocebant, nullo paſſus eſt modo ille, qui ſub Patre Mahomete, tantum Chriſtiani ſanguinis effuderit ſæuus, & impius, quantum riuus egereret. Aſpectus Barbari Zizimi, ſæuus, & truculentus, corpus compreſſum, & corpulentum, ceruix lata, pectus vaſtum, & prominens, ſtatura vltra quam mediocris, habens & oculorum alterum luſcum, ac toruum, naſum aquilinum, caput inquietum ſemper, omnia colluſtrans, & tamquam minax inſpectans, ætas illi, vt videbatur, anno quadrageſimo proxima. Patrem, cuius imago cælata ære ſæpe videtur, ad vnguem referens, & vt indole, ſic, & moribus peſſimis inſigni atrocitate, atque ſæuitia æquans. Hæc quidem Boſſus de Zizimo. Vixit Zizimus toto deinceps Innocentij Pontificatu, Romæ in Vaticano honeſta cuſtodia, ad cuius ſuſtentationem frater Baiazethes Conſtantinopolitanus Imperator 40. aureorum millia annuatim, dum vixit, miſit.

Ciacon. in vit. Innoc. VIII.

Baiazethes Turcarum Imperator, quo Pontificem, fratris Zizimi captiui cauſa, ſibi gratiorem redderet, pro magno munere ferrum haſtæ, quod latus Domini pendentis in Cruce perfoderat, ad eum miſit. Quod olim apud ædem S. Andreæ Antiochiæ repertum, capta iam Ciuitate, Boemundus in prælio corripiens, cum Arcem expugnare non poſſet, eam illico cæpit, & hoſtium multa millia prodigioſe deleuit. Dono id Conſtantinopolim aduectum, poſtremo Turca, hoc anno Pontifici miſit. Pontifex in occurſum prodijt illud recepturus: ſubmiſsè, ac deuotè ſuſcepit, & arcis ab ſe conditæ marmoreo tabernaculo concluſum, in Baſilica Vaticana, religioſiſſime paulo ante obitum ſuum collocauit, vbi hodie extat.

Quomodo autem, & quando Vrbem ingreſſus ſit Magni Turcæ Orator ad Papam Innocentium, habetur ex antiquis Diarijs Lælij Petronij, & aliorum, his verbis: Vltima Maij in die Aſcenſionis anni 1492. intrauit Vrbem Orator Magni Turcæ, qui donauit lanceam, vel ferrum lanceæ Longini, cum quo latus D. N. Ieſu Chriſti fodit in Cruce. Et fuit receptum à Pontifice, & toto Clero proceſſionaliter, ab Eccleſia Sanctæ Mariæ de Populo, vſque

Ex antiq. Diar. Lælij Petronij, Pauli Magiſtri, & Stephani Infeſſura fol. 10.76. & 77.

ad

ad Sanctum Petrum. Et erat incluſum dictum ferrum in quodam tabernaculo pulcherrimo chryſtalli, cum pede, & alijs ornamentis puri auri, & fuit res magnæ æſtimationis. Et forma eius eſt hic deſignata in propria forma ipſius. Et cuſpis eius eſt apud Regem Franciæ, pro vt ipſemet magnus Turca nunciauit Papæ, per præfatum eius oratorem.

Iaco. Phil. Bergom. in ſupplemen. Chron. lib. 13. ſub an. 1210. Ex his etiam habemus, quare ſacra Lancea hęc Romæ in Vaticana Baſilica conſpiciatur ſine cuſpide. Quod & confirmatur ex narratis à Philippo Bergomenſi, dum ait.

Balduinus huius nominis ſecundus, quintus ex Gallis Conſtantinopolitanus Imperator, hoc anno mortuo prius Petro Antiſiodorenſe, Theodoroq. atque Ioanne Imperatoribus, & in ſe Græcanium Imperium ſuſcipiens imperauit annis viginti. Hic cum biennio imperium tenuiſſet, ægreq. ſe ab hoſtibus tueretur, ærarij inopia compulſus Venetis proprium filium, ob æs mutuo acceptum, pignore dedit, partemq. Lanceæ, Spongiamq. Chriſti eadem ſub conditione tradidit. Quas poſtea Ludouicus, cum ipſe Balduinus redimere non poſſet, ab ipſis Venetis Balduino permittente redemit, & in Franciam perduxit.

Enarratio de Maria, quæ extitit Zebedei vxor, quæ & Salome dicitur. Cap. 201.

Maria Zebedei vxor, regnum, quod filijs ſuis Iacobo & Ioanni in terris exoptauerat, ipſa in cælis habere meruit, quoniam multa pietatis officiã erga Dominum Ieſum, tùm in vita, tùm in morte eius, & poſt mortem etiam, multa religione exercuerat. De ea hæc habet Euangeliſta Matthæus.
Matt. 27. Erant autem ibi (hoc eſt in Caluariæ loco) mulieres multæ à longe, quæ ſecutæ erant IESVM à Galilæa miniſtrantes ei: inter quas erat Maria Magdalena, Maria Iacobi, & Ioſeph mater, & mater filiorum Zebedei. Marcus
Marc. 16. autem rem hanc huiuſmodi verbis explicat: Erant autem mulieres de longe aſpicientes, inter quas erat Maria Magdalenæ, & Maria Iacobi minoris, & Ioſeph mater, & Salome; & cum eſſet in Galilæa, ſequebantur eum, & miniſtrabant ei, & aliæ multæ, quæ ſimul cum eo aſcenderant Hieroſolymam.
Luc. 23. & 24. His autem hæc ſequenti capite adiecit: Et cum tranſiſſet ſabbathum, Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, vt venientes vngerent IESVM, & valde mane vna Sabbathorum veniunt ad monumentum orto iam Sole &c. Confimilia leguntur apud S. Lucam.

Ex Verulanæ Eccleſiæ monimentis, & ex Breuiario Gallicano habemus quædam alia. In Breuiario Gallicano ſic ſcriptum eſt: Hæ (Maria, ſcilicet Iacobi, & Salome, cum Maria matre IESV) ad Crucem Domini ſteterunt, & cum ea eius mortem defleuerunt, atque cum Magdalena, & ceteris circa corpus Domini perungendum ſolicitæ fuerunt; ideoq. eiſdem apparuit Dominus &c. Maria autem Salome filium ſuum Ioannem Euangeliſtã audiens Romæ detentum, ad ipſum viſitandum acceſſit, ſed cum in exilium relegatum audiſſet, & rediret, in Ciuitate Verulana Campaniæ migrauit ad Chriſtum. Cuius corpus in ſpecu ſepultum, diu latuit, ſed reuelante filio inuentum, honorifice fuit reconditum, miro odore, & miraculis fulgens. Hucuſque ibi.

De eadem ſic habet Martyrologium Romanum. XI. Kal. Nouemb. Hieroſo-

roſolymis S. Mariæ Salomæ, quæ in Euangelio legitur circa Domini ſepulturam ſolicita.

Et Baronius in notis ad Martyrol. Rom. 8. Kal. Auguſti, hæc adnotauit; Sane quidem & horum (Iacobi ſcilicet, & Ioannis) matrem, vxorem Zebedæi, Mariam, eadem diſperſione (diſcipulorum ſcilicet poſt Stephani protomartyris necem) fugatam, in Italiam aduenıaſſe, & apud Hernicos, itinere fatigatam, in pace quieuiſſe, produnt vetera monumenta Eccleſiæ Verulanæ, vbi eius venerandum corpus religioſe aſſeruatur.

Inuentio, atque Tranſlatio corporis S. Mariæ Salome, cælitus facta. Cap. 202.

Relatio Caſemarij Abbatis ad Innocentium Papam.

Reuerendiſſimo Patri, & Domino Innocentio Sanctæ Rom. Eccl. ſummo, & vniuerſali Pontifici Fr. G. Abbas Caſemarij debitæ ſubiectionis obſequium: Quidam iuuenis Verulanus inter alias, quas vidiſſe aſſeritur, viſiones iſtam vidiſſe refertur, quam veſtræ Sanctitati ſcribo. Beatum Petrum Apoſtolum vidit, vt aſſerit, manifeſte, qui ſibi locum liquido demonſtrauit, vbi matris filiorum Zebedæi reliquias reconditas affirmabat. Poſt aliquot dies itum eſt ad locum, qui puero fuerat præmonſtratus ab Apoſtolo, & ego cum duobus de fratribus meis adſui rogatus à Venerabili Epiſcopo Verulano. Locus erat foris iuxta mœnia Ciuitatis, arduus, & aridus, & valde difficilis ad eundum, præcipitijs plenus, & rupibus, quæ rupes, tantæ erant molis, & magnitudinis, vt non ſine palis, & malleis ferreis, multoq. labore confractæ, potuerint amoueri de loco. Quibus amotis cauatum eſt fere ad ſtaturam hominis, & inuentus lapis, ſub quo iterum lapis inuentus eſt alius, vbi ſcriptum erat, Maria mater Ioannis Apoſtoli, & Iacobi in theca iſta. Inuenta eſt & chartula, in qua id ipſum, quod in lapide ſcriptum erat. Quæ chartula ſuta erat in panno, vbi ipſæ erant inuolutæ Reliquiæ, charta pannus, & oſſa, omnia pura, integra, & ſincera, ac ſi de nouo fuiſſent ibi repoſita: quæ autem ſic inuenta ſunt, ſicut iuuenis præuiderat, & prædixerat memoratus: Oſſa leuauit Epiſcopus, & tradidit ea mihi, quæ poſt paululum Epiſcopo reddidi. Epiſcopus vero reddidit ea Vicedomino ſuo, Vicedominus cuidam Monacho meo, qui Monachus tangens vnum de oſſibus, manum ſuam vidit, & ſenſit ſanguine recenti perfuſam. Et ego poſtea cum multis alijs vidimus pannum, & toualeam perfuſam ſanguine, in quibus erãt inuolutæ Reliquiæ. In excauatione vero odor ſuauiſſimus repleuit me, & qui aderant vniuerſos; durauit autem non multum, ſed & terræmotus, vt aiunt, factus eſt magnus, ſed ego non ſenſi. Poſt paucos autem dies vadens illuc cum Domino Pennenſi Epiſcopo, & Abbate S. Anaſtaſij, in oſſe ſicut puto, tibiæ vidimus purum ſanguinem, & recentem. Ecce quod oculis meis vidi, ſanctitati veſtræ fideliter denotaui. hæc ibi.

Ex m. ſ. noſtra Bibliotheca Codice. Auctor rei geſta interfuit.

De eadem in Romano Martyrologio 8. Kalen. Iun. ita ſcriptum eſt.

Verulis in Hernicis tranſlatio ſanctæ Mariæ Iacobi, cuius corpus pluribus miraculis illuſtratur. Quod audis Mariam Iacobi, maioris, intellige matrem, non minoris, conſtat enim tàm ex citata hiſtoria, quàm ex Verulanæ,

lanæ, & Piſtorienſis Eccleſiæ monumentis, Mariæ Salomæ, non Iacobi minoris Reliquias apud Verulas aſſeruari.

Effigies autem Beatæ Mariæ (ſicut adoleſcens referebat) huiuſmodi fuit quando apparuit ei: Statura fuit compoſita, & procera, ætate mediocris, decoro, & venuſto vultu, ſubalba, & honeſta, induta veſtibus niueis.

Quod monachus tangens vnum de oſſibus, manum ſuam vidit & ſenſit ſanguine recenti profuſam mirum videri non debet. Certe quidem ex nudis atque aridis oſſibus ſanguinem copioſumq. humorem frequenter fluxiſſe, in vita Sanctæ Glyceriæ Virginis pluribus demonſtratur. Videat etenim lector Euagrium lib. 2. cap. 2. Conſtantinum Epiſcopum in oratione inuentionis Reliquiarum S. Euphemiæ Virginis Nicephor. lib. 15. cap. 3. & lib. 18. cap. 31. & 32. & Cyrillum Monachum in vita magni Euthymij Abbatis.

Complura leguntur miracula, quæ ad Sanctæ Mariæ Salome reliquias patrantur tàm in Verulanæ Eccleſiæ, quàm Piſtorienſis tabulis, quibus nimirũ Deus Sanctam famulam ſuam mirifice adornare voluit. Exſcribemus itaque ex innumeris aliquot, eaq. ad verbum ſtylo non mutato, quod perpetuo, cum & hiſtorias, & aliorum auctoritates, atque ſententias deſcribemus, ſeruabimus.

Aldruda mulieri leproſæ apparet Maria, & docet, quomodo mundari poſſit. Cap. 203.

MVlier quædam coniugata Aldruda nomine, diuino iudicio lepram incurrit, itaque per expiationem ſuperciliorum, naſi crocitationem, vocis raucationem, & faciei tumorem lepræ certa inditia iam patebant, & hoc à parentibus, & viro, vt de iure eſt, inter infirmos poni conſimiles tractabatur: cumq. hoc mulier comperijſſet, petita licentia à viro ſuo, & illi domus vtenſilibus aſſignatis, quia inter ſuos manere erubeſcebat, & extra fugere cupiebat, & cum panniculis ſibi neceſſarijs mane ſe diſpoſuit profecturam. Nocte autem ſibi dormienti apparens mulier quædam dixit: Ego ſum Maria mater Apoſtoli Iacobi; ſurge mature; & ad domum meam Verulas properato, quia ibi per diuinam clementiam eris ſalutem priſtinam receptura. Cumq. de ignotione itineris cauſaretur, audiuit quod arrepto itinere, de ductore eſſet, & comite prouidenda. Qua viſione mulier reddita pauida, pariter & gauiſa, poſt conſurgens cæpit tendere, quo neſciebat. Non multum autem à ſuo domicilio ſeparata, viatores duo, vir ſcilicet, & vxor Apuli, cum feſtinatione ei obuiam occurrerunt; cum didiciſſet ab eis, quod eſſent Verulas profecturi, ſe eis admiſcuit, & ita tres ſimul viatores, vt debiles, & impotentes lentis ſuo itinere paſſibus incedebant. Cumq. vxor illius Apuli eam leproſam cognouiſſet, ſocietatem eius cępere omni modo refugere. Venientes vero Aquinum, & cupientes ſe ab illa funditus ſequeſtrare, compoſitis occaſionibus in vrbem ipſam diuertentes quaſi inibi moraturi, dederunt ei licentiam, vt viam ſuam ambularet. Credentes autem illam in Ciuitatem moraturam, per aliã viam Ciuitatem egreſſi ſunt. Dum viam ſuam de propoſito ambularent, ecce quam putauerãt retro ſe dimiſſam, ante ſe perambulantem inuenerunt, quod Dei nutu fieri perpendentes, vna cum illa Verulas inſimul peruenerunt: quo peruenientibus, mulier oratorium

Beatæ viſitauit, eam pro quo venerat rogatura, & ſic annuente illo, qui decem leproſis olim cutem priſtinam reſtaurauit, & meritis Beatæ Mariæ, eius materteræ glorioſæ ſanitatem priſtinam eſt adepta, ita quod nullum ſignum infectionis in ea penitus appareret, & ſic gaudens, & lætabunda ad propria remeauit. Hucuſq. Verulana monumenta.

Rurſus mirabiles curationes operatur B. Maria Salome. Cap. 204.

Rainaldus de Celano Archiepiſcopus Capuanus, ſupra nominato Papæ Innocentio in ſua epiſtola hæc etiam ſcribit. Cum quidam iuuenis Capuanus ab ipſa infantia officio brachij deſtitutus eſſet, adeo vt vix id mouere poſſet, audito quod Verulis Reliquiæ B. Mariæ Iacobi eſſent inuentæ, cupiens ſalutem corporis adipiſci, illuc adijt, & in oratione, & lamentis, ibi triduo manſit. Tertia verò nocte ſibi in Eccleſia ſoporato, Beata Maria Iacobi apparuit, & apprehendens eius brachium, dixit ei: veni mecum. Eumq. apprehenſo eius brachio cùm ſurſum erigeret, in iunctura brachij illius, & humeri ſonus increpuit; & opitulante eo, qui ſanat contritos corde, ad dictum ſonum & excitatus eſt, & ſanatus, ita vt expeditè duceret dexterum brachium, & ſiniſtrum. Hæc autem dictus Archiepiſcopus retulit, ſe ab eodem iuuene, qui paſſus fuerat audiuiſſe: atteſtantibus hæc eadem probis viris, & nobilibus.

Præterea Roccius Calinenſis Epiſcopus præfato Papæ Innocentio in ſuis litteris hæc recenſet. Quidam, Matthæus nomine, cuidam D. Ranerio nuncupato in agricultura cùm fideliter deſeruiret, accidit, vt dum, vt ſolebat, in agrum quendam diuerreret, ſubitò ſerpens in eum inſiliens illum grauiter vulnerauerit. Quo ille exterritus, & vocis, & auditus officio, & partis corporis ſanitate priuari cœpit. Sed cum per tempus aliquod huiuſmodi periculum pateretur, Dominus eius, prænominatæ matris Apoſtolorum diſpoſuit limina viſitare, & gratia curationis dictum ſuum clientulum ſecum ferre, ſi fortè ſolitam miſericordiam illi miſericorditer impendere dignaretur. Cumq. domum perueniſſet, rediens inde tardius, clientulus dominum more ſolito ſalutauit, dicens clara voce, & expedita, ſibi tam auditus, quàm amiſſæ partis corporis officium reſtitutum, Ieſu Domini pietate, & eius materteræ glorioſis meritis. Hæc ibi. Nominat auctor materteram Ieſu, ſecutus eorum ſententiam, qui ſanctam Annam tertiò nupſiſſe tradunt.

Plura in eo libro miracula, ab hac ſancta muliere operata ſcribuntur. Sed de his ſatis.

Enarratio Martyrij Sancti, & glorioſi Martyris Longini Centurionis. Cap. 205.

Poſtquam ſepulturæ mandatum fuit viuificum Chriſti corpus, vt nos à peccati ſepulchris euocaret, & ad antiquam reuocaret beatitudinem, Longino rurſus iuſſit Pilatus vitæ ſepulchrum tueri cuſtodia militari. Et ille quidem fecit id, quod erat imperatum, etſi non erat eiuſdem de Chriſto *Metaph.16. Octob. apl Lipom.to.6 Surius to.2*

cum Pilato ſententiæ, vt iam didicimus. Cum autem peractum eſſet magnum myſterium reſurrectionis, & milites miracula, quæ erant maiora, quàm vt ea caperet humana cogitatio, Principibus ſacerdotum, & presbyteris Iudaici cœtus annunciaſſent, hoc illi ignominiam, & dedecus ſibi afferre exiſtimantes, & miraculum volentes extinguere pecunijs, perſuaſerũt militibus, vt calumniarentur Chriſti reſurrectionem. Illi igitur ad Pilatum accedentes, falſam dixerunt eſſe reſurrectionem. Verum non ſic Longinus: ſed mendacij quidem fuit præclarus confutator, verax autem teſtis veritatis, vt qui non ſuſtinuerit calumniari Chriſtum tanquam furto ſurreptum, ſed lingua, & mente libera eum verum eſſe Deum prædicarit, & è mortuis eſſe excitatum affirmauerit. Quo factum eſt, vt & ipſe Pilatus, & Iudæorum ſynagogæ Principes inuidiam, qua prius mouebantur in Chriſtum, & quem in eum animo concipiebant furorem, eum nunc in Longinum transferrent, ei adeò iraſcentes, vt quicquid pateretur Longinus, exiſtimarent eũ non ſatis daturum eſſe pœnarum. Hinc ea res venit ad aures Longini, & eorum ira fuit ei ſignificata. Quapropter magis volens abijci cum Chriſto, quàm habitare in tabernaculis Iudæorum, cum veſte, & cingulo dignitatis, ipſam quoque ſimul quamprimùm exuit militiam. Et acceptis duobus militibus, qui habebant eundem zelum pro Chriſto, & veritate, declinat cum populo congreſſionem, & cum Deo ſolo, & ſecum verſatur.

Nec multum interceſſit temporis, & relictis Hieroſolymis, venit in Cappadociam præco ſimul, & Apoſtolus Chriſti admirabilium operum, & quæ ſunt præter opinionem cum illis duobus militibus effectus. Cum autem eorum nihil lateret Iudæos, vtpote, quod fama ad omnes Longinum tranſmitteret, & perinde ac alata, pernix omnem percurreret regionem, ij ſimul conuenientes perſuadent Pilato, vt de Longino male dicat, & ſignificet Cæſari, quòd aliena ſentiret ab Imperio Romanorum, & eo quòd neglectis armis, Chriſtum prædicet quendam Regem gentibus, & ſic omnes in ſuam redigens poteſtatem, attrahat ad illius fidem. Eorum autem, aiebant, quæ dicuntur, ſignum eſt, quòd vniuerſam Cappadociam ea impleuit *doctrina*. Cum his litteris ſimul etiam emittunt pecunias, in aures Cæſaris volentes irrepere, vt Longini mortem facile emerent. Quod quidem proceſſit etiam, vt videbatur Iudæis. Et Roma ſtatim in Iudæam ad Pilatum mittuntur litteræ, quæ Longinum morte damnabant. Pilatus ergo acceptis litteris, eas ſtatim tradit Iudæis, & ad beati viri cædem alacris alacres emittit. Illi autem cum totam, quæ intercedebat, regionem maxima peruaſiſſent celeritate, veniunt in Cappadocum regionem; & cum audiſſent Longinum in quodam agro paterno agere vitam ab omni negocio remotam, ſtatim veniunt in agrum, & cum Longino ſermones conferunt, neſcientes eum eſſe, propter quem tàm magnos labores ſuſcepiſſent, & iter confeciſſent. Vnde etiam illum ipſum rogabant, quis nàm eſſet Longinus, & in quonam prædio habitaret. Longinum enim ſtudebant clàm aggredi, timentes, ne ſalutem ſibi fuga quæreret. Ignorabant autem eum magis ſtudere, vt caperetur, quam illi, vt caperent. Imitabatur enim mortem illius voluntariam, quem cum vidiſſet in Cruce, Deum fuit confeſſus, & quomodo Chriſtus propter nos, ita Longinus propter Chriſtum cædem ſitiebat.

Cum ergo Spiritusſanctus illa hora ei omnia ſignificaſſet, ſenſim ad ipſos con-

cõuerſus, miti, & leni voce dicit: Sequimini, & ipſe eum, quem quæritis, oſtendam. Tunc ergo veluti apud ſe lætans ille beatus, & futuri gaudium præcipiens, & ante martyrium, mortem martyrij amplectens, hæc ſecum dicebat: Quam ſpecioſi pedes euangelizantium bona! Nunc videbo cælos Iſa.52. apertos. Nunc adſpiciam gloriam patris. Nunc, ſicut primus martyr Stephanus, ipſe quoque dicam: Domine Ieſu Chriſte, accipe ſpiritum meum; Act.7. quem clariſſima voce audiui mortem ad ſe vocantem. Nunc ſupernam Hieruſalem, Angelorum quidem patriam, totius autem chori Sanctorum Metropolim, cum victoriæ plauſibus, & canticis, & glorioſis trophæis aſcendam. Nunc exuo è luto confectam tunicam, & lamentabilia depono carnis vincula. Nunc liberor ab interitu, & corruptione, & lætus induo incorruptionem. Egredior è vita caduca & momentanea, & ex tempeſtate, cuius ſunt magni fluctus, & grauia naufragia, & venio ad verum, & ſolum portum, in quo vita eſt ab omni triſtitia remota, & æterna. Lætare anima, quæ vadis ad tuum effectorem; oſtende lætam, tempore id poſtulante, faciem. Eos, qui tibi tot bona conciliant, ò Longine, benigne excipe. Eos, qui nos ad cænam vocant regalem, lauto, & magnifico accipiamus conuiuio.

Hæc cum apud ſe locutus eſſet Longinus, eos, qui ad ipſum venerant, ſtatim ducit in domum ſuam, & cum hoſpitio præclare accepiſſet, incipit deinde rogare poſt cænam, cur veniſſent, & quænam eſſet tanta Longini inquiſitio. Illi autem cum ſacramentum tanquam aliquod pignus, ab eo accepiſſent, non eſſe publicaturum, quæ ei dicerent, neque ſecretum eſſe aperiturum, dicunt quæ Pilato ſcripta fuerant à Cæſare, & quod veniſſent, vt Longini cum duobus militibus capita amputarent. Cum autem ſciuiſſet, quinam eſſent cum ipſo morituri, illi ſcilicet, qui Iudaicæ mercedi Chriſtũ præpoſuerant, ſignificauit eis, qui nondiu ante ab eo diſceſſerant, vt primorum bonorum eſſent ſibi ſocij. Cumq. ſemel, atque iterum eos, qui miſſi fuerant à Pilato, hoſpitio magnifice accepiſſet, poſtridie eos ducens in agrum, expectabat eos, quos accerſiuerat. Cum autem accepiſſet eos iam appropinquare, ſtatim annunciat ijs, qui miſſi fuerant à Pilato: Ego ſum, qui à vobis quæror, Longinus. Illi autem primum quidem non credebant. Quomodo enim exiſtimaſſent eum eſſe, qui erat paſſurus, cum eum viderent tàm lætum ad periculum? Poſtquam autem recte ſciuerunt illum eſſe, & nulla eis fuit relicta dubitatio, ægreferebant, & à conſcientia multas plagas accipiebant, quid non quidem dicentes, quid non autem facientes, cùm eſſet adhuc recens recordatio, vt qui pro bonis eſſent malas reddituri gratias? O infęlicem, dicebant, cænam! O graue hoſpitium! cur nam, ò chare Longine, hoc tibi cęptum venit in mentem, vt eos, qui venerant ad tui cædem, domus tua acciperet? O miſerum habitaculum, ò acerbum conuiuium! Mors tibi euadit hoſpitium, & te ipſum menſæ pones, eos præter opinionem inueniens latrones, qui hoſpitio à te fuerunt accepti? Quid faciens, ſic moleſtia affeciſti eos, qui te ſunt occiſuri? Abi ergo, accepta mercede hoſpitij, nempe mortis remiſſione. Non ſuſtinemus enſem tibi inferre, cædem molientem manum tuo capiti afferre formidamus: communem ſalem reueremur: nos pudore affecit menſa: ad cædem torpet manus: abhorret animus morte afficere benefactorem. Facilius eſt periculum, quod nobis eſt à Pilato paratum, quàm vulnera conſcientiæ. Parati ſumus omnia pati potius,

quàm Longino tales referre gratias.

Sic quidem milites dicebant Chriſti martyri valde miſerabiliter. Ceterum non poterant Longino perſuadere, ſed eis fortiter reſpondet vir vere generoſus: Cur magna mihi bona inuidetis, quibus vos inuiti me eſtis remuneraturi? Cur meam mortem defletis tam miſerabiliter? Cur triſtes eſtis propter meam perpeſſionem? Non eſt hoc mihi mors, ſed vitæ primitiæ. Mihi re vera potius eſt mors, quæ hic eſt conuerſatio, quoniam non aſſiſto meo Domino, nec fruor ea, quæ eſt illic, beatitudine. Finis finem malorum, non etiam finem vitæ mihi conciliabit, ſed ad veram tranſmittet beatitudinem, & efficiet, vt ſim particeps illius æterni ſplendoris. Habetis ò amici, habetis apud vos ſolatium, prope eſt vobis conſolatio. Quem enim propter finem lugetis, eum vos poſt finem reputabitis. Sufficit autem hoc ad afferendam animi tranquillitatem, ſcire amicum fore multorum bonorum participem, quomodo eſt inuidorum, vel odio potius habentium hominum, ſtudere eum priuare ſplendore. Nolite deflere eum, qui deficit, ſed gratias agite ei, qui accipit. Non mihi illius gloriæ detrimentum afferatis, quem ego vidi elementa mouentem. Non negauerim eum, quem Dei ſemel filiũ ſum confeſſus. Timeo, ne creatam naturam inueniam accuſatricem, ſi in eum appaream infidelis, propter cuius paſſionem Cœlum quoque ipſum eſt affectum triſtitia, & ſol contraxit radios, & lux diei miſerabiliter deducta fuit ad noctem.

Hæc adhuc dicente Longino, & eis, qui miſſi fuerunt à Pilato perſuadente, vt facerent, quod eis fuerat imperatum, veniunt milites, qui cum eo morti damnati fuerant. Ille autem læto, & alacri vultu eos intuens, & dexteram eis iniicit, & collum amplectitur, & oculos ſuauiter deoſculatur, & ſaluete, inquit, ò Chriſti commilitones, & hæredes Regni, ſaluete. Iam enim aperta eſt porta, quæ eſt in cælis, & Angeli ſunt noſtras accepturi animas, & oblaturi filio vnigenito. Ecce, & lampades video, & apparent *mihi* brauia, cum quibus ſiſtendi ſumus ad Iudicis tribunal. Sedenim *ſiquid vo*bis eſt imperatum (dicebat eis, qui miſſi fuerant) id implete. Deinde etiam conuerſus ad domus curatorem, iubet veſtem mundam ad ſe deferri, vt qui iam eſſet vocatus ad nuptias, & thalamum, & eò feſtinaret. Porro autem cum induiſſet veſtem, & manu oſtendiſſet tumulum, in quo volebat poni corpus, in genua, cum ijs duobus, qui erant cum ipſo, inclinatus (ò beatum finem) peregit certamen: & amputatis eorum capitibus, illi aſcribuntur in choros Martyrum; & Apoſtolorum, illorum quidem fortitudinem, horum vero zelum pro Chriſto oſtendentes.

Quid verò poſthæc eſt conſecutum? Martyricum illius Longini caput cum ſtatim accepiſſent ij, qui eum interfecerant, ad fidem plene faciendam, quod Longinus eſſet mortuus, id portant ad Pilatum, vt qui ſcirent ſe nullo alio dono, quàm eo magis illi gratificaturos. Ipſe autem ſtatim conuocauit Iudæos, magna ſecum voluptate afficiendos, vt qui Longini valde mortem ſitirent, & eam emiſſent pecunijs. Quod quidem cum factum fuiſſet, vt eis placebat, iubet rurſus indigna Pilatus, & ante portam Ciuitatis per ignominiam fuit proiectum precioſum eius caput. Sed is, cui viſum fuerat pati pro nobis, eius, qui propter ipſum fuerat paſſus, ne nunc quidem eſt oblitus; ſed veluti perpetuo apparentem quandam facem ijs, qui aderant,

cernendam præbebat ante Ciuitatem, & in ſterquilinio iacentem, tanquam in domo regia conſeruatam, tuto protegebat, non ſolum non permittens, vt aliquid pateretur à fimo, ſed etiam liberans alios, ne aliquid propter id paterentur. Quædam enim mulier vidua, quæ morte maritum amiſerat, cum filio autem vnico conflictabatur, & præter viduitatem ſuſtinuerat etiam oculorum orbitatem, malo fide ſuperato, cum filio vadit Hieruſalem, Sanctorum, quæ ibi erant, locorum contactu, & adoratione, quos amiſerat corporis duces, ſperans ſe recuperaturam. Cum autem à filio deducta terram caperet, & pulnerem, & imponeret oculis, adijcitur viduitati, & oculorum orbitati (qualia ſunt Dei iudicia) alia quoque grauis calamitas. Morbus enim quidam inuadens puerum, qui pro amiſſis oculis fuerat ei alius oculus, repente (proh dolor) abripit à ſinu matris.

Statim ergo duplices ad eum accedunt tenebræ, & vitæ lux ſimul extinguitur cum luce oculorum, eratq; omnino infęlix illa immobilis, tamquam aliquo fulmine, percuſſa calamitate. Cum autem paulo poſt à malo ad ſe rediſſet, deflebat miſerabiliter, & miſerandas voces emittebat ad Dominum: ò Domine, dicens, cur ſic grauata eſt manus tua ſuper me, & ſupra dolorem vulnerum meorum addidiſti? Et nunc lumen oculorum meorum, & ipſum non eſt mecum. Num vires lapidum vires meæ? Ipſa quoque dicam, quod Iob: Poſuiſti me parabolam Domine, & motum capitis in omnibus; & pudore affecti ſunt ſuper me, qui ſubſtinent te Domine virtutum. *Iob 6.* Num ſola ſic peccaui ego? & ſola ſic puniar, quod me luce, & vnigenito filio, qui erat inſtar lucis, priuaſti? Quæ nam mihi eſt deinceps ſpes ſalutis? Quæ nam mihi via conſolationis? Hei mihi, chariſſime, quando mihi malum conſolaberis? Quando oculorum leuabis calamitatem, me deducens ad ſalutem? Neſciuiſti, ò fili, quod maiori omni alio, tuo caſu mihi damnum afferes maximum? Abis planta mihi iucundiſſima, me miſera ſola relicta? Sed ſic quidem mater, & mater vnigeniti, qui ſic fulciebat eam, quæ ſe habebat tam miſerabiliter.

Interim autem, dum fuiſſet in ſomnum reſoluta, diuinus ei apparet Longinus, & omnia dicit, quæ ad ipſum pertinebant, quæ in Cruce Saluatoris noſtri facta fuit, confeſſionem: mortem, qua à Cæſare, & Pilato fuit condemnatus, capitis amputationem, & alia, quæ Martyr propter Chriſtum ſuſtinuit magnifice. Quin etiam dicit ei: Oportet te obſeruare meum caput multô fimo tectum, ad tuorum oculorum curationem; nam ſi illud attigeris, lux ſtatim te ſequetur. Porro autem ego quoque tibi adducam puerum cum gloria, qui quem propter eum accipis, dolorem conſoletur. His verbis mulier animo recreata, & corpore ſatis corroborata deducebatur ad opus. Cum autem iam deducta iam perueniſſet ad locum, in quo ſciebat caput eſſe repoſitum, prompto, & alacri animo tentabat palpando vt poterat, & fodiebat manibus, & cum veluti quendam theſaurum caput inueniſſet, ſimul cum eius inuentione, ſuam quoque lucem inuenit; adſpicit ſolem, quin & ipſum caput cernit tāquam lucidam ſtellam apparuiſſe. Deinde id ardenter complexa, cum à ſtercore expurgaſſet, & vnguentis vnxiſſet honorifice, reuertitur ad eum, qui illam hoſpitio exceperat, præcioſam illam afferens margaritam.

Sequenti autem nocte diuinus rurſus accedit Longinus, læto vultu ſubri-

 dentem,

dentem, & quaſi ſponſalibus veſtimentis nitentem filium ſuum inducens, ſuauiterq. & paterne eum amplectens, & dicit ei: Ecce, quem lugebas, filium ò mulier, quæ lugebas: Ecce quantus ſit nunc eius honor, gloriaq. & te ipſam conſolare. Deus enim ipſum retulit in numerum militiæ ſui Regni: egoq. nunc eum habeo acceptum à Saluatore, nec à mea vnquam recedet dextera. Accipe ergo meum caput, & corpus tui filij, & ſepeli in eadem arca, & ne amplius lugeas filium tuum vnigenitum, neque te verberet cor tuum. Nam magna gloria, & lætitia, & magnis laudibus celebrandæ choreæ, & feſta celeberrima ei data ſunt à Deo, qui eum accepit. Hæc cum audiuiſſet mater filij, ſtatim ſurgit, & acceptum martyris caput, reddit patriæ martyris. (Pago autem nomen eſt Sandiale.) & cum corpus filij capiti martyris lubenter appoſuiſſet, & in loco inſigni honeſte compoſuiſſet, hæc apud ſe dicebat: Nunc ſcio, quod ijs, qui Deum diligunt, omnia ad bonum conferunt. Quærebam oculos carnis, ego autem accepi etiam oculos ſpiritus. Me afficiebat triſtitia iactura filij, ſed ecce eum habeo hæredem, Deo cum gloria regia aſsiſtentem, & nunc noctu, & interdiu mihi matri blande arridet, glorificatus honoribus Prophetarum, & Martyrum, & cum eis exultans, & cum Longino Crucem ferens, & regni cælorum præclarum ferens trophæum inter Angelos: adeo vt Longini factus diſcipulus, ipſe quoque ſacram emittat vocem, hymnicamq. & myſterium, & Epinicij inſtar habentem: Vere Dei filius erat iſte, & eſt, & erit. Regnum eius regnum omnium ſeculorum, & eius dominatio permanebit in æternum. Ei gloria, & potentia in ſecula ſeculorum. Amen. Hæc Metaph.

Rom. 8.

Pſ. 144.
Dan. 7.

Longini venerandum corpus hodie dicitur aſſeruari in Eccleſia S. Auguſtini hic Romæ.

Enarratio de S. Longino milite, qui Lancea latus Domini aperuit. Cap. 206.

Martyrol. Rom. 15. Martij.
Bed. Martyrol. 15. Martij.

De eo hæc habet Martyrologium Romanum.

CAeſareæ in Cappadocia paſſio S. Longini militis, qui latus Domini lancea perforaſſe perhibetur. Beda autem ſic.

In Cappadocia paſsio S. Longini martyris, de quo in libello martyrij eius narratur, quod aliquando militans ſub Centurione Romano in paſſione Domini latus eius cum lancea in Cruce aperuit, & viſo terræmotu, & ſignis, quæ fiebant, credidit in Chriſtum pœnitentiam agens de operibus priſtinis: poſtea ſecedens à ſeculo per triginta, & octo annos Chriſto militauit, multos conuertens ad fidem Dei: ad extremum verò martyrium compleuit in Cappadocia ſub Octauio præſide, quem propter infidelitatē ſuam diuino iudicio percuſſum corporea cæcitate, poſt martyriū ſuū illuminauit. Hæc Beda.

Ado Martyrol. 1. Septemb.

Ado vero Archiepiſcopus Treuerenſis hæc tradit: Apud Cæſaream Cappadociæ, beati Longini militis, & martyris, quem tradunt illum eſſe, qui lancea latus Domini Ieſu Chriſti pendentis in Cruce aperuit. Hic poſtmodum baptizatus ab Apoſtolis, cum apud Cappadociam ſanctitate præcipuus degeret, tandem ab Octauio Præſide comprehenſus, poſt confeſſionem fidei, lingua abſciſſa, & dentibus excuſſis, capite truncatus eſt. Simul cum eo coronatus eſt Aphrodiſius Commentarienſis, cui & Præſes linguam

abſcidi iuſſerat, quique poſt abſciſſionem expedite Chriſtum clara voce loquebatur. Hęc Ado.

Georgius Vicelius ex quorundam ſententia, refert ſic eſſe dictum Longinum, à voce gręca λόγχη, quę ſignificat haſtam, ſiue lanceam, ab ictu lanceę, quo Dominum petiuit. De quo hoc refert Gregorius Nazianzenus (ſiue alius ſit auctor) in Tragædia de Chriſto patiente, longe ante medium.

Cum vero manu adeſſet haſtam, qui ſuam vibrans, latus
Peteret, acutum florida ætate impulit
Ferrum vir adſtans (hiſce nam excepi auribus
Ictum ſonorum, tuq. adeo plagam grauem, &
Sulcum profundum vulneris ducti vides)
Et ille certe lancea fixit latus:
At lateri fixo fluxit illico inſolens
Non temperatus ſanguis, & mirabilis
Aqua, vt flueret è fonte duplici liquor,
Res mira viſu: tum pauidus omnes timor
Inuaſit in contactu, At is, cui lancea
Fixus erat horrens, turbidum exclamans ait:
Iſte, iſte præſens mortuus, natus Dei eſt.

S. Auguſtinus notat nō ſine myſterio legi in textu S. Ioannis Euangeliſtæ, nō fodit, aut percuſſit, ſed aperuit: Vigilanti, inquit, verbo Euāgeliſta vſus eſt, vt non diceret, latus eius percuſſit, aut vulnerauit, aut quid aliud, ſed aperuit, vt illic quodammodo vitæ oſtium panderetur, vnde Sacramenta Eccleſiæ dimanarunt, ſine quibus ad vitam, quæ vera vita eſt, non intratur.

Alphonſus Palæottus Archiepiſcopus Bononienſis, in explicatione ſacræ Sindonis, de vulnere lateris Chriſti: Id vulnus, inquit, amplum exiſtere *Alph. Pal.* conſtat ex ſacra Sindone, & tale fuiſſe facile comprehendi poteſt ex ferro *de ſac. ſind.* lanceæ, quod amplum ſatis Romæ in Principis Apoſtolorum Baſilica *c. 20.* demonſtratur: & Redemptor ipſe eiuſmodi fuiſſe denotat, dum in Euangelio D. Thomam Apoſtolum ita compellando inuitat: Affer manum tuam, & mitte in latus meum.

Idem aſſerit Rutilius Benzonius Epiſcopus Lauretanus, dum ait: Sciſſura *Benzon. in* illius vulneris fuit magna, non parua, cùm egreſsio ſanguinis, & aquæ ex *ſpec. Epiſc.* illa fuerit in magna quantitate, & quia fuit viſibilis, non ſolùm Ioanni, & *lib. 1. diſp.* *2. q. 3.* circumſtantibus, ſed etiam Thomæ palpabilis, quæ etiam erit Iudæis ſenſibilis in die iudicij iuxta illud Zachariæ: Videbunt in quem transfixerunt, *Zach. 12.* Adde, quod ex dicto Chriſti, Affer manum tuam, & mitte in latus meum, *Ioan. 20.* colligitur, quod magnitudo vulneris in ea quantitate fuerit, ac eſt latitudo manus, & id manifeſtum fit ex magnitudine lanceæ, quæ in ſacra. D. Petri Baſilica aſſeruatur, quam ego ſæpe ſæpius, cum eſſem eiuſdem Canonicus, maxima cordis deuotione, & ſpirituali guſtu contrectaui, & populis reuerenter oſtendi; licet ei ſummitas deſit. Hæc Benzonius.

Poteſt inſuper confirmari ex verbis S. Hieronymi ad Heliodorum: Cerne *Hier. epiſt.* manus Iudææ, quas fixeras: Cerne latus Romane, quod foderas. Hæc Hieronymus. *1. ad Helio.*

Enar-

Enarratio de Sancto Ioſepho ab Arimathæa Chriſti diſcipulo. Cap. 207.

Ioan. 19. Creiz. de Cruce, li. 1. c. 27. Vlp. de cad. pun. l. corpora.

ROgauit Pilatum Ioſeph ab Arimathęa, vt tolleret corpus Ieſu, & permiſit Pilatus. Venit ergo, & tulit corpus Ieſu. Non licebat damnatorũ corpora ſine Præſidis conſenſu ſepelire: nam quod de ſui temporis more Vlpianus tradit, eorum in quos animaduertitur, corpora nõ aliter ſepelire licere, quam ſi fuerit petitum, & permiſſum, id etiam tempore Chriſti vſitatum erat; ea de cauſa rogat Ioſeph Pilatum, quo annuente, venit, & tulit corpus Domini de Cruce, vt ſepulturæ mandaret.

Luc. 23. Marc. 15.

Dubitare quis poſſet, verum ipſe Ioſeph, adiutus tamen ab alijs Chriſti amicis, corpus de cruce depoſuerit? Nam prædicta verba beati Ioannis, non videntur id conuincere, & S. Lucas ait: Depoſuit, & inuoluit ſindone; quę verba non ſignificant, à quo fuerit depoſitum. Veruntamen, S. Marcus expreſſe videtur dicere corpus ab ipſo Ioſeph depoſitum: ait enim: Ioſeph mercatus ſindonem, & deponens eum, inuoluit ſindone; ſed vſitatum eſt id, quod fit iuſſu Dominorum, ipſis Dominis adſcribere. Sic dicitur Pilatus flagellaſſe Chriſtum, quod iuſſu Pilati flagellatus ſit; ſic communi hominum ſermone, Rex victoriam conſequitur, cum exercitus Regis eam obtinet. Pietati tamen Ioſephi, & picturis in Eccleſia vſitatis, & communi fidelium ſenſui, Sanctorumq. Patrum conſenſui, conuenientius eſt credere, ipſum Ioſephum per ſe, etſi adiutum ab alijs, corpus Chriſti de cruce depoſuiſſe, præſertim cum hoc humanitatis, & pietatis officium Ioſephi nobilitate minime fuerit indignum. S. Auguſtinus: Petijt, inquit, à Pilato ſepeliendum corpus Domini; de ligno depoſuit, obſecutus eſt funeri, in ſepulchro condidit, laudatus eſt in Euangelio iſte prius, tantum exhibens obſequium corpori Domini.

Auguſt. de Paſtor. ca. 17.

Dupliciter autem intelligi poteſt Chriſtum fuiſſe depoſitum de cruce; primo crucem ſimul cum corpore demittendo ad terram; ſecundo, ſoluendo corpus de cruce extractis clauis, cruce erecta, & in ſublime manente. Verũ vero hoc, vel illo modo ſacrum Domini corpus, crucis patibulo exſolutum fuerit, certò affirmare non licet, quamuis poſteriorem modum picturæ Eccleſiaſticæ plerumque fidelium oculis ſubijciant.

Hier. de lo. Hebr. Adricom. in Theatr. terra S.

Ioſephum ab Arimathęa Ciuitate fuiſſe, ſcribunt omnes Euangeliſtę, quam Ciuitatem D. Hieronymus de locis Hebraicis, vocat Aramatha Sophin, quę fuit ciuitas Elcanæ, & Samuelis. Chriſtianus Adricomius addit, quod in ea Saul cum Samuele cibum ſumpſit, & vnctus eſt in Regem: ibi & ſepultum eſſe ait ipſum Samuelem. Præfectum fuiſſe illi Vrbi, cum Chriſtiani terram Sanctam occupaſſent, Epiſcopum quendam ex genere Normannorum. Deſcribi & fontem iuxta Ramatha ſalubris aquæ.

Chryſ. hom. 84. in Io.

Mihi videtur, ait Chryſoſtomus, nobiliſſimum fuiſſe Ioſeph, quod ex ſepulchro conſtat, & Pilato erat notus; quare impetrauit, & ſepeliuit Ieſum non vt reum, ſed magnifice, ſecundum Iudæorum conſuetudinem, tanquam magnum aliquem, & admirabilem.

Luc. 23. Maldon. in Mat. 27.

Lucas vocat conſiliarium, additq. eum non conſenſiſſe conſilio, & actibus Iudæorum, vnde facile colligitur, non ſolum conſiliarium eum fuiſſe,

ſed

ſed illi etiam interfuiſſe conſilio, quo Iudæi de capiendo, & crucifigendo Chriſto deliberauerant, neque in eorum voluiſſe ire ſententiam.

Ioſeph, diues refertur non de iactantia ſcriptoris, quò virum, nobilem, atque ditiſſimum referat Ieſu fuiſſe Diſcipulum, ſed vt oſtendat cauſam, quare à Pilato corpus Ieſu potuerit impetrare, pauperis enim, & ignoti non erat ad Pilatum Præſidem Romanæ poteſtatis accedere, & Crucifixi corpus impetrare. In alio Euangeliſta, Ioſeph iſte βουλευτὴς appellatur, id eſt, conſiliarius, & de ipſo quidam putant primum pſalmum eſſe compoſitum: Beatus vir, qui non abijt in conſilio impiorum, & reliqua. Et accepto corpore Ioſeph inuoluit illud in ſindone munda. Ex ſimplici ſepultura Domini, ambitio diuitum condemnatur, qui nec in tumulis quidem poſſunt carere diuitijs. Poſſumus autem iuxta intelligentiam ſpiritualem, & hoc ſentire, quod corpus Domini non auro, gemmis, & ſerico, ſed linteamine puro obuoluendum ſit, quamquàm, & hoc ſignificet, quod ille in ſindone munda inuoluit Ieſum, qui pura mente eum ſuſceperit.

Hieron. in Matt. c. 27

Pſ. 1.

Io Euangelio quo ille tartareus contemptor Eleazari, Diues prætermiſſus eſt; illum in Arimathæa Ioſeph diuitem nominari videmus. Beatus enim eſt, qui ſpecialiter intellexit ſuper egenum, & pauperem, pio Chriſti corpus obſequio numeratus, nec Iudicem pro iniuria Dominici corporis interpellare veritus, & pio ſumptu pretioſi velaminis, & ſepulchri noui diues in Domini ſepultura.

Paulin. ad Alith. epiſ. 31.

Beatus plane præ vniuerſis mortalibus iſte venerabilis Ioſeph: meruit quippe Dominicum corpus habere pro munere: meruit illud de Cruce deponere, meruit in ſindone, quam fuerat mercatus, inuoluere, atque in tumulo, quem pro ſe exciderat, ſepelire. Merito tanquam cordis ſui ſingularem theſaurum in proprio Chriſti corpus tumulo collocauit. Verum non in qualicunque illud monumento compoſuit; ſed in eo quod in petra exciderat, vt verum ſe Chriſti fateretur eſſe diſcipulum, & vt quanti foret, quod habebat, oſtenderet, ingens ſaxum ad oſtium monumenti aduoluit.

Laur. Iuſt. de triũph. agon. c. 21.

Vir nobilis, Domini occultus diſcipulus, mortuo voluit rependere Domino, ipſo ſic occulte diſponente, quæ à viuo ſuſceperat ſalutis monita. Habitabat tunc Hieroſolymis, & ibi extra ciuitatem in planitie Montis Caluarij, verſus Occidentem habebat hortum, in quo conſtruxerat ſibi monumentum. Vir bonus & iuſtus, bonus virtutibus, & Dei obſequijs vacans, & iuſtus quoad proximos: præ oculis mortem ponebat, qui ſibi iam præparauerat ſepulchrum. Qui enim iuſtus eſt & bonus, futuræ frequentius meminit vitæ, quàm præſentis, quæ velut rapidiſſimum præterfluit flumen. Eadē verba retulit B. Lucas de B. Simeone: Erat, inquit, vir iuſtus, & timoratus, & expectabat conſolationem Iſrael. Et hic Ioſeph exſpectabat Regnum Dei, hoc eſt, Meſſiæ aduentum. Vterque iuſtus redemptionem generis humani, & Regnum Dei exſpectabat. In horum brachijs reclinatur Chriſtus Dominus, quorum alter exire de corpore deſiderabat, alter ſibi ſepulchrum parauerat.

Suarez in Marc. tr. 7. & in Luc. 274.

Ioſeph

Ioſeph, adhuc occultus Chriſti diſcipulus, propter metum Iudaeorum, & timens illos, hortatu tamen Deiparæ, grande opus, ac plane arduum aggreſſus, omni excuſſa formidine audacter ingreſſus ad Pilatum, petijt corpus IESV. Cap. 208.

Metaphr. 15. Aug. Dicuntur autem hæc quoque à linguis, quæ plurimi faciunt veritatem, quod cum hæc noua, & admirabilia percepta eſſent oculis Deiparæ, & poſt mortem filij, perinde ac ſi viueret, ex eius latere aqua, & ſanguis ſcaturiret, illa eum quidem haurit reuerenter, & diligenter.

Deinde ea ſic ſe totam dedit parandæ ſepulturæ, & quemadmodum diuinum illud corpus è ligno deponeretur, & aptum monumentum conſequeretur. Cum autem non poſſet hæc per ſe efficere, eius mentem mouet omnino eius filius, vt ſcrutaretur in loco Caluariæ. Quod cum factum eſſet, concedit, vt eius ſcopus facile ſuccederet. Inuenitur enim quoddam monumentum recentiſſimum, & pulcherrimum, & elegans locus, in quo erat ſitus, illo quidem nequaquam dignus: Quid enim omnino ex rebus terrenis? Sed non indignus eius, quæ quærebat, deſiderio. Atque erat quidem ſepulchrum plane, vt dixi, nouum & omnino intactum, vt in quo nullum adhuc eſſet ſepultum; ne ſi alia poſita fuiſſent corpora, dubitaretur quodnam reſurrexiſſet; & locus in optimo aëre poſitus, & in horti ſpeciem ornatus. Poſtquam autem ſciſcitata intellexit, non ſolum eſſe amicum horti Dominum, ſed etiam diſcipulum, verum occultum (hoc enim docet Euangelium), vt qui Dei timeret parricidas, venit ad eũ Virgo, & verbis ei ſuadet accommodatis, vt in ſuo monumento, tamquam in aliquo armario, magnam vim opum reponat, & ſic domum cuſtodientem apud ſe vitam habeat. Finem enim, inquit, acceperunt res aduerſariorum, & maxime probroſam ſic mortem Magiſtro attulerunt, nulla quantumuis magna iniuria, & ignominia, in eum prius prætermiſſa. Ceterum nunc quoque in ligno iacet mortuus, & nudus, mihi, & creatæ naturæ horrendum ſpectaculum, vt quem potius irrideant, quàm eius miſereantur. Da ergo mihi gratiam, & communi, inquam, huic magiſtro. Audacter pete illius corpus, vt deponatur, & mandetur ſepulturæ; ſic non etiam poſt mortem ſit illis Ieſus inuidus. ſic nobis omnibus magnam afferes conſolationem, qui in omnem redacti ſumus egeſtatem, & quorum nemo mouetur miſericordia: Amici enim mei, & propinqui mei ex aduerſo appropinquauerunt, & ſteterunt. Et proximi mei à longe ſteterunt. Ex me non poſſum quicquam facere, vt vides, cum ſim ſola, & hoſpita, & cum vno ſolo ex diſcipulis attenta ſim crucifixo. Sic mihi ſiſtes dolorem, ſic reprimes lachrymas.

Cum Ioſephum Deipara talibus verbis inflexiſſet, & incitaſſet, emittit ad Pilatum. Ille autem expulſa omni timiditate, & ab illo, qui mortuis vitam inſpirat, mortuo audacia inſpiratus, audacter (inquit Marcus) ingreditur ad Pilatum, & ijs vſus, quibus opus erat, verbis, petitum accipit diuinum illud corpus, & cui nihil poteſt exſequari, oſtendens animum, Iudæ tamquam ex diametro, contrarium. Nam ille quidem cum haberet, tradidit ijs, qui erant interfecturi; hic autem ab ijs, qui interfecerant, petijt, & accepit. Verum enimuerò rurſus perſequatur oratio, quomodo mater

ſe haberet. Dicunt enim ij, qui de his rebus tractarunt, eam ab initio vſque ad finem ſe fortiter, & conſtanter geſſiſſe, honeſte quidem, & non indecore vtentem motu animi, factis tamen oſtendentem ſe eſſe matrem, ſed omnino matrem illius, qui amico mortuo & oſtendit amorem, & motum animi certis finibus continuit. Mortuum itaq. videns filium, eo motu animi vſa eſt, vt oportuit. Quin etiam in eo à cruce deponendo maternis manibus inſeruijt, & clauos, qui extrahebantur, ſuo ſinu accepit, & membra illius amplexa eſt, partim quidem vlnis ſtringens, partim autem ſuis quoque lachrymis plagas emundans; deinde etiam tota toti corpori circumfuſa: Ecce tibi ab omni ſeculo præfinitum myſterium ad finem vſque venit, ò Domine, placida voce dicit. Et Ioſepho in manu tradens ſindonem; Tibi autem, inquit, deinceps erit curæ, vt in hac eum honeſte componas, myrrhaq. pulchre condias, & ei iuſta facias.

Venit, & Nicodemus Iudæorum nobiliſſimus, & inter illos facile Princeps, (nam eum Ioannes principem Iudæorum appellat, cum nocte venit ad Ieſum, & habito cum eo ſermone, ab eodem myſteria fidei edoctus eſt) venit ergo, ne deeſſet collega in hoc tam pio, & præclaro munere obeundo, vt in ore duorum, vel trium ſtaret omne verbum, non minori auctoritate, aut inferiori pietate inſignis, quàm Ioſephus. Venit autem non noctu, vt olim, cum adhuc eſſet eius fides infirma, ſed palam, vt tolleret corpus Ieſu, & ſepulturæ mandaret, non ſolum non veritus aut Pilatum, aut Iudæos, ſed neque legem Moyſi, quæ tangentem lignum funeſtum Crucis pollui, & contrectantem morticinia inquinari docebat, quia fide vim diuinam ei nouerat ineſſe, atque ex eius attactu potius hominem ſanctificari, quàm pollui. Itaq. illi duo viri ſancti contrectato Ieſu corpore, ad eſum agni ſe purificatos nouerunt, vel abſtinuerunt ab eſu agni illius paſchalis, qui illum, qui in agno deſignatus erat, tractando, ac eum lachrymis vngendo, & ſepeliendo ſciebant ſe in ſpiritu ediſſe. *Ioan.3.* *Num.19.* *Exo.12.*

Depoſuerunt Chriſtum de Cruce, qua in re ſcalis, atque alijs ferreis inſtrumentis, atque miniſtris eorum operam iuuantibus, vſi ſunt, magnaq. reuerentia, ac fidei deuotione detractis clauis pedum, & manuum ſacrum illud corpus contrectarunt, & in terram depoſuerunt, vt prius de more lotum, & vnctum pretioſis vnguentis, & aromatibus ſepelirent. Sic enim mos eſt Iudæorum ſepulturæ corpora mandare, ne videlicet quis de nimio ſumptu admiretur. Vt ergo olim mater accepit Chriſtum, vt lactaret, & Simeon in vlnas, vt benediceret, ita hi ſancti, vt ſepelirent. *Luc.2.*

Nicodemus attulit mixturam myrrhæ, & aloës, quaſi libras centum, id eſt, vnguentum ex myrrha, & aloë confectum, & magno pretio redemptũ, atque ad corpus à putredine ſeruandum accommodatum, & in tanta quantitate, vt liceat colligere corpus Chriſti non leuiter fuiſſe perunctum vnguento, ſed in illo veluti ſepultum fuiſſe, atque immerſum. Atque hæc quidem vnctio figurata fuit in illa corporis Iacob iuſſu Ioſeph filij eius adhibita honorifica vnctione opera medicorum facta, quo commodius poſſet ex Aegypto in terram Chanaam deferri, vt Geneſis tradit. Sed illi, vt eſt probabile, prius exenterarunt corpus Iacob, quod Ioſeph, & Nicodemus nõ fecerunt, quia corpus Chriſti poſſe putreſcere, vel corrumpi non putabant, quòd eſſet diuinitatis tabernaculum, quæ ab omni corruptione ſaluum ſeruaret, *Gen.50.*

uaret, quod ita ſe credere ipſi condimentis declarauerunt. Ex myrrha enim thymiama conficiebatur, quod vni Deo adolebatur, atque etiam oleum,quo altare, ac vaſa Deo dicata conſecrabantur, vt in Exodo habetur. Quod & Exod.30. peritiſſimus magiſter in Iſrael Nicodemus non ignorabat. Et ideo ſi homi- Ioan.3. nem illum tantum,aut Prophetam magnum,non autem Deum cognouiſſent, nequaquam fortaſſis tali myrrhæ mixtura condidiſſent: alioqui legis præuaricatores fuiſſent, quippe qui in hominem mortalem contuliſſent, quod ſoli Deo conueniebat. Vnde Romani eiuſmodi odoramentis, & aromatibus eos ſolos efferre conſueuerant, quos in Deorum numerum referre volebant. Cũ ergo iſti ſancti, Ioſeph, & Nicodemus,apud omnes teſtatum relinquere vellent, Chriſtum ſic mortuum immortalem eſſe Deum, myrrhæ, & aloës vnguentis illum ſepelierunt.

Quod ſi nunc adfuiſſet Iudas, multo audacius obmurmuraſſet, ac dixiſſet: Matt. 26. vt quid perditio hæc? potuit enim vnguentum iſtud venundari multo, & dari pauperibus. Nam profectò niſi hac tanta fide præditi fuiſſent,ſic Chriſtum plus eſſe, quàm hominem, Ioſeph, & Nicodemus honeſtiſſimi, & ſumma ſapientia ornati, viri, nequaquam cum dignitatis, & capitis ſui periculo Deut.21. Pilatum adijſſent, & abominandam iuxta legem non conſcendiſſent crucem, atque cruentũ illud male ab omnibus vndique, audientibus cadauer non ſuſtuliſſent, atque cum aromatibus non condidiſſent, neque ſepulchro honorifice inſtructo mandaſſent. Sed quoniam non tantum homini, ſed Deo, vel Prophetæ magno ſeſe exhibere officium perſuaſum habebant, minime dubitabant vitam, & nomen, ac fortunas in apertum diſcrimen adducere. Nam tantùm illis tribuere fidem, quod Ieſum vt Prophetam haberent,& hominem innocentem breui à morte excitandum, parum erat viris in lege doctis, & exercitatis, & qui ſe diſcipulos Chriſti, licet occultos, profitebantur.

Suarez in Luc.23. Acceſſit Ioſeph ad Pilatum, & petijt corpus Ieſu, vt ſepeliret: quod ei conceſſit Pilatus, quia ipſe vir erat nobilis, bonus, & iuſtus. Etiam ſi detrahitur à malis, nihilominus tamen mali bonos reuerentur. Herodes enim metuebat Ioannem ſciens illum virum ſanctum, & iuſtum. Et depoſitum inuoluit ſindone, & ſepeliuit in monumento nouo exciſo in petra, in quo nondum quiſquam poſitus fuerat. Tale elegit ſepulchrum Dominus, ne diceretur aliquis alius inde reſurrexiſſe: niſi ipſe ſolus, neque ipſe beatus Ioſeph, nec alius ibi vnquam ſepultus fuit. Decuit ſiquidem, vt quemadmodum in vtero virginali nemo conceptus eſt, niſi Dominus ſolus, ſic in ſepulchro ſancto neque prius, nec poſterius alius ſepeliretur.

Idem in Marc.15. Tunc corpus Domini deductum eſt inferius (prout nunc cernitur) ad montis deſcenſum in planicie, & horti principio, qui hodie dicitur, Locus vnctionis Domini, cui nunc marmoris candidi tabula eſt ſuperpoſita, longitudinis corporis Domini. Locus eſt circumſeptus crate ferreo: ſunt etiam ibi lampades copioſæ: hic Dominicum corpus inuolutum eſt linteis, aromatibus & ſindone ante & retro coopertum, & ſic deductum eſt ad ſepulchrum, quod prope eſt.

Salmeron de Paſſ. tr. 49. Celebrantur duo viri nobiles, & iuſti,qui corporis Ieſu exequias celebrare curarunt. Inſtabat autem hora corporis Domini ſepeliendi, nec videbatur vllum tantæ audaciæ futurum, qui hoc faceret, propter odium Iudæorum, & rabiem: & ecce hi duo ſe offerunt quaſi ex improuiſo, non tamen ſine

ſine Dei conſilio, & præordinatione. Diligenter autẽ Euangeliſtæ vtriuſque perſonam, & ſtudium in ſepeliendo Chriſto deſcribunt: erat enim res vt non ſine periculo, ita notu digniſſima ad exemplum noſtrum. Verùm Ioſephi
quatuor Euangeliſtæ meminerunt, quod ille audacior ad Pilatum introierit. *Marc.15.*
Nicodemi vero tantum meminit Ioannes, quod ſe comitem Ioſepho adiun- *Ioan. 19.*
xerit, & quia ſolus Ioannes alibi eius meminerat. *& 3.*

De Ioſepho teſtatur Ioannes, quod fuerat occultus Chriſti diſcipulus, pro-
pter metum Iudæorum: Matthæus vero vocat eum diuitem: Marcus, nobi- *Matt.27.*
lem Decurionem, ſeu honeſtum Conſulem, ſeu Senatorem; id enim ſignificat Græca vox βουλευτὴς. Et addit, vir bonus, & iuſtus; hic non conſenſerat conſilio, & actibus eorum (ſcilicet Iudæorum) qui expectabat & ipſe regnum Dei. Magnifici ſanè, ac perilluſtres iſti ſunt tituli. Nicodemus verò ſuis etiam encomijs inſignitur. Conſtat enim ex Euangelio, quod eſſet Phariſæus & Iureperitus, & Magiſter in Iſraël; & quod venerit nocte ad Ieſum, & diſputauerit cum eo de renaſcentia, & Chriſti patrocinium aſſum-
pſerit in conſilio Phariſæorum. Erat igitur Ioſeph Senator, Nicodemus *Ioan.3.*
Legiſperitus, vterque diues, ac potens, coram mundo iuſtus habitus; de- *infra 7.*
nique, quod maius eſt, vterque Chriſti diſcipulus, etſi occultus. Vbi vides, nullum tempus tam malum eſſe, quin dominus ſuos habeat, illoſq. à periculis ſeruet, ac liberet, vt ſaltem aliquod ſemen iuſtorum virorum remaneat: quemadmodum cum omnia eſſent idolis plena tempore Heliæ,
diuinum Oraculum reſpondit: Dereliqui mihi in Iſrael ſeptem millia viro- *3. Reg.19.*
rum, quorum genua non ſunt incuruata ante Baàl, & omne os quod non *Rom.11.*
adorauit eum, oſculans manum. Nemo igitur quantumuis tribulatus, vel in doloribus poſitus deſperet: quia cum minus cogitabis, ſuſcitabit Deus alterum Ioſeph, qui ſine pretio, vel ſine precibus deponat te de Cruce, & conferat tibi aliquod ſolatium, aut ſepulturæ quietem. Et vide quàm aptè nomen illi Ioſeph quadret: eſt enim nomen Deo acceptum, & ſanctis viris in
ſcriptura collatum. Nam Ioſepho filio Iacob crediderat Deus ingreſſum *Gen.46.*
populi ſui in Aegyptum: qui etiam pia patris ſui Iacob ſepultura non parum *infra 50.*
ſibi ſplendoris conciliauit. Deinde Ioſepho Virginis ſponſo, ingreſſum Fi- *Luc.1.*
lij Dei in hunc mundum. Demum iſti Ioſepho poſt mortem ſacrum corpus *Matt.1.*
commiſit. Itaque Deus non tantum virum iuſtum delegit, qui deponeret eum de Cruce, ſed etiam ſancto nomine inſignitum, & decoratum. Diuitis conditio erat conueniens, vt poſſet habere facultatem ſepeliendi Ieſum, & autoritatem accedendi ad Pilatum, & impetrandi quod vellet. Dicitur ergo diues, vt etiam diuites habeant, quo promereantur Chriſtum: & hic eſt vſus ſanctiſſimus diuitiarum, transferre illas in cælum. Velle autem Dominum, per diuites pauperem Chriſtum ſepeliri, ſignificat diuites præſertim ad opera miſericordiæ corporalia obligare, atque ita illi, qui opibus deſtituuntur, non ita adſtringuntur. Sed hæc obligatio lucroſa eſt, quia fœneratur Domino, qui miſeretur pauperis.

Erat nobilis Decurio, ſiue honeſtus Senator, aut Conſul: qui erant Se- *Prou.19.*
natores municipales, quos vocamus Conſules vrbis, qui pro diuerſitate vrbium vocari ſolent electi, aut Syndici, aut Iurati. Erat autem Ioſeph Senator vrbis Hieroſolymitanæ: nam etſi eſſet oriundus ab Arimathæa ciuitate, erat tamen incola Hieruſalem, quod ſatis teſtatur ſepulchrum, quod ſi-

bi

bi exciderat in horto extra muros Hieruſalem. Non eſt ergo nomen Decurionis nomen officij militaris, ſed nomen dignitatis municipalis: nam qui Romæ dicebatur Senator, in municipijs, & in colonijs vocabatur Decurio. Vt enim Chriſtus noluit carnē aſſumere, niſi de Regibus; ita noluit de mundo egredi, niſi per nobiles, & honeſtos viros, & ſepeliri: quo oſtendat, Chriſtum non dedignari nobiles, modo credant, & humilientur. Voluit igitur nobiles, & primates viros, omniq. exceptione maiores de morte Chriſti, ac ſigillo, & reliquis teſtificari, quibus tamen non obſtantibus Dominus ſurrexit. Hinc Chryſoſtomus in homilia quadam: Chriſtus, inquit, honorificentiſſimè ſepultus à duobus nobilibus Ioſeph, & Nicodemo: quod illi euenit præter morē aliorum Principum. Quando enim Reges, & Principes viuunt, deliciosè agunt: quando vero moriuntur, vix eſt linteum, quo tegantur. Nam ſeruorum quiſque rapinæ, & prædationi eſt intentus, & parum curat de corpore Principis. Hæc ille.

Chryſoſt. hom. de Laz. & alibi.

Erat vir bonus, & iuſtus, quod magnum eſt encomium diuitis, & Senatoris. Seruare enim iuſtitiam ad alterum in his, quæ illi debemus, & bonitatem, id eſt, diffuſionem, communicationemq. in his, quæ maxime non ſunt debita, perquam eſt honorificum, & laudabile; nam ſcriptum eſt: Beatus diues, qui inuentus eſt ſine macula; & qui poſt aurum non abijt, nec ſperauit in pecunia, & theſauris. Vt omittam, quod ſanctum Chriſti corpus non decebat, niſi à ſanctis, & iuſtis contrectari. Dicitur diſcipulus Chriſti, id eſt, auditor, occultus tamen propter metum Iudæorum, ne videlicet pelleretur de ſynagoga, vt ait Ioannes. Euthymius ſcribit, hunc Ioſeph fuiſſe ex numero ſeptuaginta Diſcipulorum: quod apud alium Auctorem legi neminem. Amabat hic doctrinam Chriſti; malebat tamen eam occulte profiteri, quàm publice, vel ex diuina prouidentia, vt eſſent qui ſepelirent eum; vel quia diuitiæ, & gloria huius mundi, quibus hi duo conſpicui erant, impediebant, ne aperte Chriſti profiterentur doctrinā, ne illam relinquere cogerentur; vel quoniam Deus ad tempus fert noſtram imbecillitatem, & metu ſinit agitari, vt aliquando illo propulſato in publicum prodeamus. Nam charitas vera ſufficit ad ſalutem; etiamſi omnem pellat timorem, quia ſolum perfecta charitas illum foras mittit; ita fecit Chriſtus cum multis Martyribus, qui primo per fugam ſe ſubtraxerunt, imo interdum pecunia data vitam redemerunt, poſtea tamen ſanguine, & morte teſtati ſunt. Erant quidam, qui Chriſtum ſequebantur, ſed non ita diligebant, vt erant multi ex turba. Contrà vero alij diligebant, ſed non ſequebantur, vt Ioſeph, Nicodemus, & Gamaliel, atque Lazarus: rurſus quidam, qui & amabant, & iuxta ſequebantur, vt Apoſtoli, ac ſeptuaginta Diſcipuli: quia in Eccleſia quidam futuri erant manifeſti, qui confiterentur Chriſtum coram tyrannis, & ſe pro eo martyrio exponerent: quidam vero non ſunt ita fortes, qui primum quidem ſibi ipſis per vitam conſulerent, parati tamen confiteri, ſi caſus ferat, & quæuis potius tormenta ſuſtinere, quàm Chriſtum abnegare: quidam tamen ſunt, qui aperte quidem, & clare ſequuntur Chriſtum, at ipſum ex corde non diligunt, ſed potius ſe ipſos, & bona, quæ in Chriſto ſunt aduentitia, cuiuſmodi ſunt carnales Eccleſiaſtici, & paſtores, ac religioſi mali, qui in bonis Chriſti deliciantur, & nihil præterea aliud requirunt.

Eccl. 31.

Ioan. 12.

Euthym. c. 68. in Mat.

Ioan. 14.

Ioſeph ergo erat Chriſti diſcipulus, quod diuerſum non eſt ab eo, quod Marcus, & Lucas aiunt, quod videlicet expectabat regnũ Dei, ſcilicet ſpirituale, non temporale, vel carnale, quod in hodiernum vſque diem carnales exſpectant Iudæi, terræ tantum inhiantes. Hoc autem ſpirituale Dei regnũ conſequitur æternum Chriſti regnum in ſpiritu, & in carne: & hoc regnum debet veros Chriſti diſcipulos nunc ſuſpenſos tenere, & ſolicitos, ne temporalibus, & mundanis bonis impediti illud amittant. Scribit de iſto Ioſeph Lucas, quod non conſenſerit conſilio, & actibus Iudæorum, ſcilicet contra Chriſtum. Et idem dicitur de Nicodemo apud Ioannem. Atque vtinam multi nunc eſſent ſimiles in Concilijs, aut generalibus, aut prouincialibus, aut diœceſanis, aut in Capitulis Eccleſiarum, aut in comitijs, & conuentibus ſecularibus, qui exitialibus prauorum conſilijs, ac conatibus ſe opponerent. Quare in Exodo cautum eſt: Non ſequeris turbam ad faciendum malum: nec in iudicio, plurimorum acquieſces ſententiæ, vt à vero deuies. Quare etſi noſtra ſententia non poſſit impedire aliorum, qui numero vincunt, ſuffragia, tamen propter Deum, & conſcientiam, ſi non poſſumus impedire, debemus ſaltem illis non conſentire, iuxta illud: Beatus vir, qui non abijt in conſilio impiorum: quem Pſalmum de iſto Ioſeph ad litteram exponi poſſe, in Matthæum tradit Hieronymus. Ad hæc propter cohoneſtandam veritatem libere confitendum eſt, quod intus ſentimus, vt ſi quis noſtra auctoritate ductus, velit à ſuffragio dato reſilire, poſſit.

Luc.23. *Ioan.7.* *Exod.23.* *Pſ.1.* *Hier. to.9.*

Acceſſit Ioſeph ad Pilatum, & petijt corpus Ieſu, vt ait Matthæus: Marcus addit, quod audacter introiuit ad Pilatum. Porrò hanc audaciam præſtitit intus vera fides, quæ eſt ſubſtantia rerum ſperandarum, argumentum non apparentiũm, de qua ait Apoſtolus: Sancti per fidem vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam, & quæ ſequuntur. Extra vero Chriſti mors, & ſanguis recens effuſus adiumento fuerunt ad pellendum omnem timorem. Qui ergo Chriſto adhuc in viuis agente metuebant, & non audebant, propter metum Iudæorum, vbi primum eum extinctum intellexerunt, ceſſauit metus ab eis: non enim iam hoſtem eorum ſeruare videbantur, ſed tantum pium officium in amicum præſtare: & expectatio ſi qua erat in Ieſu viuente, quod aſpiraret ad regnum, iam ceſſauerat: & eo magis officium pium præſtabant, quo putabant eum omnino perijſſe, & nihil in eo eſſe præſidij. Ab his diſcimus, etiam amicis, à quibus nihil ſperemus, præſtanda eſſe amicitiæ officia. Et hic Chriſto non mediocria, nec vulgaria impenſa ſunt munera, nam damnatus erat conſenſu publico vt ſeductor; itaq. inuidioſa res videri poterat, illi aliquid honoris impendere. Quare virtus quædam noua hæc eſt, quæ audaces amicos fecit; alioqui ſi deceptos ſe ab eo putaſſent, inimici ei iam eſſent, vel eſſe poterant, & erubeſcerent in aliquo deceptori amplius fauere. Petijt ergo corpus Ieſu: quia corpora damnatorum non poterant ſine licentia magiſtratus qui damnauit, tolli. Expende obſecro quis petat, ideſt, Ioſeph: quid petijt, corpus Chriſti: à quo, ideſt, Pilato Præſide: quomodo, ideſt, cum audacia, & feruore fidei: quando? nimirum eodem die, quo Chriſtus Cruci eſt ſuffixus: ad quid petit? ideſt, ad ſepeliendum. Quoties enim Scriptura aliquod heroicum enarrat factum, minute vniuerſas operis deſcribit circumſtantias. Hi duo, Ioſeph, & Nicodemus, ſatis re ipſa teſtati ſunt, quantum animo commiſerarentur Chriſtum, etſi in

Heb.11. *Ibid.*

V Ieſu

Ieſu promerendo præcedat Pilatus, & vxor, qui eius ſunt teſtificati innocentiam, & Centurio, qui cum ſuis dixit: Vere filius Dei erat iſte. Ad hos accedunt ſanctarum mulierum planctus, lamentatio, ac ſedulitas. Poſt hos venit latro computandus, qui Chriſtum Regem confeſſus eſt: atque iuxta hos ſequitur duorum diuitum officioſum munus. Cælitusq. profectum fuiſſe videtur, vt iſte Ioſeph diues eſſet, vt haberet quod exhiberet in ſepulturam Domini: vt eſſet nobilis Senator, ac Decurio, quo ad Præſidem facile poſſet habere acceſſum: & vt iuſtus eſſet, quo corpus Domini ſanctum pertractare poſſet.

Matt. 27.

Quod iuſſerit Pilatus reddi corpus ipſi Ioſeph, magni muneris loco fuiſſe, illam donationem interpretatur Theophylactus: ac ſubdit: nam cum vt ſeditioſus eſſet occiſus, reliquum erat vt inſepultus abijceretur. Verum cum Ioſeph diues eſſet, veriſimile eſt, quod Pilato aurum dederit. Hæc ille. Forte etiam, quia ſemiinuitus damnauerat Ieſum, & quia miracula illa partim videtat, partim à Centurione acceperat, propenſus fuit ad donandum corpus, vt ſepeliretur: maxime quia, vt ait Salomon: Cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit, inclinabit illud.

Theophyl. in Matth. 27. *Prou. 21.*

Accepit (inquit Auguſtinus) illud Ioſeph ab Arimathæa, vir iuſtus, ſicut ait Euangeliſta, & in nouo ſuo ſepeliuit monumento, in quo nondum quiſquam poſitus fuerat. Beatũ ergo corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti, quod cum naſcitur, ex vtero Virginis gignitur, cum recedit, iuſto tumulo commendatur. Beatum plane corpus, quod Virginitas peperit, & iuſtitia cuſtodiuit. Cuſtodiuit enim illud Ioſeph tumulo incorruptum, ſicut ſeruauit illud Mariæ vterus illibatum. Sicut enim pollutione ibi non tangitur, ſic mortis corruptione non læditur. Vbique beato corpori defertur, vbique virginitas. Nouus illud venter concepit, nouus tumulus concluſit. Et paulò poſt:

Serm. de Temp. 133.

Fortaſſe quis dicat de priori Dominicæ natiuitatis prædicatione, in qua prædicauimus, non minorem gloriam, quòd tumulus Ioſeph ſuſcitauit Dominum, quàm quod eum ſanctæ Mariæ vterus procrearit. Quæ comparatio ventris, & tumuli, cum ex intimis viſceribus illa ediderit filium, hic autem ſolummodo locum præſtiterit ſepulturæ? At ego dico, non minorem Ioſeph affectum fuiſſe, quàm Mariæ. Siquidem illa vtero Dominum, hic corde concepit. Illa Saluatori membrorum ſuorum ſecretum præſtitit, hic ſecretum ſui cordis non negauit. Illa Dominum pannis inuoluit, cum natus eſt, hic linteis, cum receſſit: Illa perunxit beatum corpus oleo, hic aromatibus honorauit. Conueniunt ergo ſibi obſequia, conuenit & effectus. Inde neceſſe eſt etiam meritum conuenire, niſi quod Mariam ad obſequium Angelus admonuit, Ioſeph autem iuſtitia ſola perſuaſit. Igitur Ioſeph in ſuo ſepulchro poſuit Dominum.

Videamus, quare Saluator in aliena ſepultura ponatur, ac ſuam non habeat ſepulturam? Ideo in aliena ſepultura ponitur, quia pro aliorum moriebatur ſalute. Mors enim iſta non illi accidit, ſed nobis profuit: mors iſta non illi illata eſt, ſed nobis delata. Vt quid ergo ei propria ſepultura, qui in ſe mortem propriam non habebat? Et quid illi tumulus in terris, cuius ſedes manebat in cælis? Vt quid illi ſepultura, qui tridui tantum temporis ſpatio non tàm in ſepulchro mortuus iacuit, quàm veluti in lecto conquieuit? Ipſa enim temporis breuitas declarat potius ſomnum fuiſſe quàm mortem.

tem. Sepulchrum autem mortis eſt habitaculum. Neceſſarium ergo non erat mortis habitaculum Chriſto, qui vita eſt, nec opus habebat ſemper viuens habitaculo defunctorum. Recte autem hanc vitam nos in noſtro ſepulchro condimus, vt viuificet mortē noſtrā, vt cū ipſo à mortuis reſurgamus.

Ponendi autem in nouo ſepulchro Chriſti corporis quænam ratio fuerit, colligitur ex compendio Thalmud, quod dicitur Alpheſi, & Rabjnis Iacob Turim, & Moyſe Aegyptio: qui aiunt, cadauera damnatorum vetita eſſe inferri in ſepulchra ceteris communia; ſed in priuata ſeorſum ab alijs eſſe ponenda: rurſumq. ſeparatim eſſe pariter ſepelienda inſtrumenta illa, quibus mors illata fuiſſet, nempe cruces, clauos, enſes, lapides, pro mortis genere, quo quis affectus eſſet: eaq. ratione vetitum pariter fuiſſe tradunt, aliquem ſuffigi arbori, ſed ex ligno exciſo iuberi componi crucem, eandemq. ſeorſum ſepulturæ mandandam cum reliquis ad mortem inferendam adhibitis inſtrumentis. In petra autem excidi ſolitas ſepulturas apud Iudæos, conſtat ex Gen. 23. & Epiphanio contra Ebion. hæreſi 30. eamdemq. conſuetudinem ad Chriſtianos eſſe delapſam, cæmeteria, quæ tùm Romæ, tùm alibi in cryptis arenarijs ſunt antiquitus inſtituta, fidem faciunt: in his enim, non in terrà deorſum, ſed deſuper in lateribus cryptarum fornices ſuſtinentibus, in excauatis ibi loculis reponi cadauera, moris fuit. De hoc ait Hieronymus in Mat. In monumento nouo, quod exciſum fuerat in petra conditus eſt: ne ſi ex multis lapidibus ædificatum eſſet, ſuffoſsis tumuli fundamentis, ablatus furto diceretur. *Baron. an. Chriſti 34.*

Interea die ſabbathi inchoato, Princeps Sacerdotum & Phariſæi adierunt Pilatum, rogaruntq. muniri ſepulchrum, & adhibendam cuſtodiam, ne diſcipuli Ieſu corpus auferrent, & reſurrexiſſe falsò iactitarent. Ille vero ad eiuſmodi officium, vt perquam diligenter curaretur, datis ad cuſtodiam militibus, illis obtemperauit: qui abeuntes, munierunt ſepulchrum, ſignantesq. lapidem, milites ad cuſtodiam reliquerunt. Qualis fuerit eiuſmodi ſepulchri munitio, à Nicephoro ſic deſcribitur: Primum, inquit, ſigillum ſepulchro eſt impreſſum, quod & intactum permanſit, & cuſtodia militaris, illa & genere alienigena, quæ in propinquo ſigillum obſeruabat. Præterea ingens ille lapis ad os ſepulchri appoſitus. Et paulo poſt: Traditum eſt nobis ab antiquis, Iudæos lapidem illum, qui in ſalutiferum ſepulchrum illud pro operculo poſitus fuerat, ad ſummum monumenti labrum, petramq. inferne ſe illi coniungentem, ferramentis quibuſdam fabrili lapicidarum arte perforaſſe, ferrumq. ingens à fabro ex propinquo acceptum per vtrumque foramen immiſiſſe, & in circuli ſiue annuli formam circumegiſſe, atque ita firmiter capitibus commiſſis, omni ex parte quaſi vinculum circumduxiſſe, vt lapis qualicumque modo loco ſuo reuelli, aut ſaltem ratione aliqua remoueri (niſi arte quadam, & vi adhibita, neceſſario aut ferrum confringeretur, aut petra rumperetur) non potuerit: atque in hunc modum cum magna cura, atque etiam ſigno impreſſo, cum ſepulchrum firmiſſime communiſſent, cuſtodia inſuper competenti adhibita, eos abijſſe. Hæc Nicephorus. His conſentientia teſtatur Beda, dum ait, etiam ſuis temporibus illum ſuperpoſitū lapidem monſtraſſe veſtigia ferreorū vinculorum. *Niceph. hiſtor. lib. 1. c. 32.* *Bed. de loc. Sanct. c. 2.*

Martyrologium Romanum ita de Euangeliſtis ſummatim ſcribit: Hieroſolymis ſancti Ioſephi ab Arimathæa nobilis decurionis, diſcipuli Domini, *Martyrol. 16. Kalen. April.*

qui eius corpus de cruce depoſitum in monumento ſuo nouo ſepeliuit.
Matt.27. Sancti Euāgeliſtæ,à quibus Martyrologium ſumpſit,ita hanc ipſam rem nar-
Marc.15. rant: Et ecce vir nomine Ioſeph, qui erat decurio, vir bonus & iuſtus, hic
Luc.23. non conſenſerat conſilio & actibus eorum, ab Arimathæa Ciuitate Iudææ,
Ioan.19. expectabat & ipſe regnum Dei. Audacter introiuit ad Pilatum, qui & ipſe diſcipulus erat Ieſu, occultus propter metum Iudæorum. Hic acceſſit ad Pilatum, & petijt corpus Ieſu. Pilatus autem mirabatur,ſi iam obijſſet, & accerſito Centurione, interrogauit eū, ſi iam mortuus eſſet, & cum cognouiſſet à Centurione,donauit corpus Ioſeph. Ioſeph autem mercatus ſindonē, & deponens eum ſindone inuoluit, & poſuit eum in monumento ſuo nouo, quod exciderat in petra, in quo nondum quiſquam poſitus fuerat. Addit S. Ioannes,Ioſeph ſocium habuiſſe Nicodemum, qui acceperunt corpus Ieſu,& ligauerunt illud linteis cum aromatibus, ſicut mos eſt Iudæis ſepelire. Hæc ſanctiſſimi Euangeliſtæ. Eandem hiſtoriam ex eiſdem ſacris auctoribus his verſibus deſcribit Iuuencus hiſtoriæ Euangelicæ lib. 4. ſub finem.

Iamq. recedenti veſper ſuccedere ſoli
Cœperat, & procerum ſolus tum iuſtior audet
Corpus ad extremum munus depoſcere Chriſti:
Hic ab Arimathia nomen geſtabat Ioſeph.
Qui quondam verbis aures præſtabat Ieſu.
Pilatum tunc iſte rogat, ſibi credere membra
Queis nuper tulerat vitam vis horrida pœnæ,
Conceſſit Præſes: ſed corpus fulgida lino
Texta tegunt, ſaxiq. nouo componitur antro:
Limen concludunt immenſa volumina petræ:
E ſpeculis ſeruant matres, & cuncta tuentur.

Iſta Iuuencus presbyter.

Ioſeph ab Arimathæa primus in Britannos Chriſtianam religionem inuexit. Cap. 209.

Poſſeu. in Biblioth. NIcolaus Sanderus Anglus, Sacerdos, Theologus, qui vt ſcriptis, ſic integritate vitæ, laboribusq. vſque ad mortem fidem Catholicam propugnauit,ac denique à ſancta Apoſtolica ſede miſſus in Hyberniam Apoſtolicus Nuncius,ibidem noſtra ætate obijt: in libro de Origine,ac progreſſu Schiſmatis Anglicani ſcribit:

Anno Domini quinquageſimo Ioſephum ab Arimathæa Britannos ad fidem Chriſti primum conuertiſſe,primamq. Eccleſiam in illa Chriſto erexiſſe.

Polyd.Ver. Angl. hiſt. lib.2. Idem teſtatur Polydorus Vergilius, his verbis: Erat id temporis Aruiragus, vti ſupra memorauimus, princeps rex in Britannia, Nerone principe, auctor Iuuenalis Satyra quarta, vbi adulatur Neroni (ad Domitianum enim referri non poteſt, qui longe poſt imperium obtinuit) de capto Rhombo blandiens.

Omen habes, inquit, magni clariq. triumphi,
Regem aliquem capies, aut de temone Britanno
Excidet Aruiragus: Cum Ioſeph ille qui, teſte Matthæo Euangeliſta, ab Arimathæa ciuitate oriundus, Chriſti corpus ſepeliuerat, ſiue caſu, ſiue con-

Conſilio, ita volente Deo, cum non paruo comitatu, in Britanniam venit, Vbi tàm ipſe, quàm ſocij, cum de Euangelio prædicarent, atque dogma Chriſti ſedulò docerent, multi per hæc ad veram pietatem traducti, ſalutiferaq. fruge imbuti, baptizati ſunt. Iſti viri certe diuino ſpiritu afflati, cum à rege parum terræ ad inhabitandum proximè Velliam oppidum, circiter millia paſſuum quatuor dono accepiſſent, ibi nouæ religionis prima iecerunt fundamenta, vbi hodie eſt templum magnificum, Cœnobium monaſticæ familiæ Diui Benedicti ordinis nobile. Loco nomen eſt Glaſconia. Hæc omnino Chriſtianæ pietatis in Britannia extitere primordia; quam deinde Lucius Rex prope extinctam Baptiſmi fonte ſublotus, mirabiliter accendit, pieq. adauxit. Nam Gildus teſtis eſt Britannos iam inde ab initio Euangelij Chriſtianam recepiſſe religionem. *Baro. Chri. an. 183. Ciac. Vit. Pont. in Eleut.*

Enarratio de S. Nicodemo Chriſti diſcipulo. *Cap.* 210.

Nicodemus Chriſti diſcipulus, Phariſæis reſtitit, ipſiuſmet ſanctiſſimi Domini noſtri cauſam defendens: quam quidem rem narrat idem Ioannes, cum inquit: Miſerunt Principes, & Phariſæi miniſtros, vt apprehenderent eum; Chriſtum ſignificat. Et paulò poſt: venerunt ergo miniſtri ad Pontifices, & Phariſæos: Et dixerunt eis illi: Quare non adduxiſtis illum? Reſponderunt miniſtri: nunquam ſic locutus eſt homo, ſicut hic homo. Reſponderunt ergo eis Phariſæi: Nunquid & vos ſeducti eſtis? nunquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex Phariſæis? ſed turba hæc quæ non nouit legem, maledicti ſunt. Dixit Nicodemus ad eos (ille qui venit ad Ieſum nocte, qui vnus erat ex ipſis) nunquid lex noſtra iudicat hominē, niſi prius audierit ab ipſo, & cognouerit quid faciat? Reſponderunt, & dixerunt ei: Nunquid & tu Galilæus es? ſcrutare ſcripturas, & vide, quia à Galilæa propheta non ſurgit. Et reuerſi ſunt vnuſquiſque in domum ſuam. hæc ibi. Ecce itaque breuis Nicodemi ſermo totum diſſoluit conſilium impiorum, & quamquam non effecit vt mutarent, tamen obtinuit vt ſententiam differrent: re enim infecta ſinguli in domum ſuam reuerterunt. *Ioan. 7.*

Quæ autem poſtea paſſus ſit ſanctus hic vir Nicodemus à Iudæis, ex relatione Gamalielis, Lucianus in epiſtola de inuentione S. Stephani memoriæ prodidit, ſic dicens: Ipſe autem dominus Nicodemus in alia theca poſitus eſt, qui venit ad Saluatorem IESVM noctu, & catechizatus eſt ab eo, audiens: Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spirituſancto, non poteſt intrare in Regnum Cælorum. Et abiens baptizatus eſt à Chriſti diſcipulis. Et cognoſcentes, exulare fecerunt. Hunc ego Gamaliel quaſi perſecutionem pro Chriſto paſſum, ſuſtuli eum in agrum meum, & alui, & veſtiui vſque ad finem vitæ eius, & defunctum ſepeliui iuxta dominum Stephanum. Hæc Luciani Epiſtola, de qua hæc habet Baronius: Quam cum quatuor libris Vaticanis collatam, & fideliter, quantum licuit, emendatam cudimus. Ne faſtidias tu, velim, ſtyli ſimplicitatem, & ſimpliciorem ex Græco factam tranſlationem, cum maxima quæque fidei ſacramenta Deus eiuſmodi ſimplici dicendi genere voluerit hominibus nota fieri. *Baro Chri. an. 415.*

Dicitur Nicodemus feciſſe celeberrimam illam Chriſti imaginem, quæ Beryti, à Iudæis per ludibrium crucifixa, innumerabilibus miraculis claruit.

Martyrol. Roman. 9. Nouemb. & ibi Baron.

De qua Martyrologium Romanum hæc habet: Beryti in Syria commemoratio imaginis Saluatoris, quæ à Iudæis crucifixa, tàm copioſum emiſit ſanguinem, vt Orientales, & Occidentales Eccleſiæ ex eo vbertim acceperint. Rei geſtæ hiſtoria narratur in Concilio Nicæno ſecundo, Actione quarta, ex libello Athanaſij de paſſione imaginis Domini. Contigit eiuſmodi inſigne miraculum temporibus Conſtantini iunioris, & Irenes Auguſtorum, vt in hiſtoria manuſcripta, quæ in aliquibus Eccleſijs legi conſueuit, quam & in peruetuſto Codice apud nos habemus, apparet, in quo charactere Longobardo hæc leguntur: Sermo ſanctæ memoriæ Patris noſtri Athanaſij, de imagine Ieſu Chriſti veri Dei æterni, quod factum eſt miraculum magnum in ciuitate Beryto tempore Conſtantini iunioris, & Irenes vxoris eius. Suſtollite oculos &c. Vnde alicuius alterius potius Athanaſij, in Syria Epiſcopi, quàm Alexandrini, tractatus ille eſſe conſpicitur, dignus tamen, cui fides integra adhibeatur ab omnibus. Sed quia in quibuſdam editionibus videntur admixta quædam apocrypha, operæpretium duxi eandem hiſtoriam hic puram ex verſione Anaſtaſij Bibliothecarij deſcribere, quæ ſic ſe habet.

Veneranda Ieſu Chriſti imago à Nicodemo picta, dum à Iudæis illuditur, & crucifigitur, prodigioſum fundit ſanguinem, qui omnes male habentibus miraculoſam adducit ſalutem, & incredulos Iudæos ad fidem trahit.

Cap. 21 I.

M. S. Biblioth. Vallicell.

SErmo ſanctæ memoriæ Patris noſtri Athanaſij, de imagine Domini Noſtri Ieſu Chriſti, Dei noſtri, facto miraculo in ciuitate Beryto.

Suſtollite oculos mentis veſtræ, & videte nouum ſpectaculum, quod factum eſt nunc, in infinitam admirationem Dei; aſpicite, & date gloriam ei. Contemplamini ineffabilem miſericordiam eius, & magnitudinem diſpenſationis eius, atque lamentum cum lætitia ſumite. In Deo quidem nihil extraneum. Deus enim cùm ſit, omnia poteſt. Quod verò in diebus noſtris, & in nobis factum eſt, expaueſcit omne cor audientium. Verè expaueſcit Cœlum, quod audenter factum eſt. Conturbatæ ſunt abyſſi, & Sol obtenebratus eſt, & Luna, & ſtellæ ſimiliter ſuper hoc, quod patratum eſt. Sed iterum lætatæ ſunt in eo, quod à Domino diſpenſatum eſt, omnes Cœlorum virtutes. Audite, & admiramini quid factum eſt in diebus noſtris: Intelligentes intelligite, & aurem veſtram inclinate: Et quidem ante exteriorem aurem, quæ cordis eſt, pergite, & audite.

Ciuitas eſt Berytus vocata, in confinibus Tyri, & Sydonis ſita, Antiochiæ ſubdita. In hac Ciuitate Beryto multitudines erant copioſæ Iudæorũ. Porrò iuxta Synagogam ipſorum, quæ valde magna eſſe videbatur, Chriſtianus quidam cepit ad penſionem, cellulam à quodam, in qua habitans cótra accubitum ſuum fixit imaginem Domini noſtri Ieſu Chriſti, honeſte depictam, & integræ ſtaturæ habentem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum; tranſacto præterea modico tempore, perquiſiuit manſionem maiorem ille Chriſtianus, quemadmodum, & indigebat. Hoc autem Domini noſtri Ieſu Chriſti gratia diſpenſauit (vt credo) qui vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, oſtendens miracula ſua ſe colentibus, & omnibus

nibus

nibus in ſe credentibus in redargutionem impiorum, & ſtabilitatem fidelium.

Quæſiuit ergo Chriſtianus (vt dixi) maiorem domum, & inuenit in quodam loco Ciuitatis, & tranſtulit ſe illuc, à domo, quæ erat iuxta Synagogam Iudæorum, & ſublatis omnibus ſuis, per obliuionem, diſpenſatione tamen Dei, imaginem Domini dimiſit, obliuioni (vt præfatus ſum) traditã. Quidam vero Iudæus accepit domum illam ad penſionem, in qua imago Domini ſtabat: intromiſſis autem omnibus permanebat in domo, minime contemplatus iconam Domini, quod ſtaret illic; neque enim conſiderauit locum illum, ſed ingreſſus manebat. Quadam vero die inuitauit Iudæus vnum ex contribulibus ſuis ad prandiũ. Et cum pranderet, eleuatis oculis, Iudæus, qui inuitatus fuerat, vidit iconam Domini noſtri Ieſu Chriſti, & dicit ei, qui ſe inuitauerat: Tu cum ſis Iudæus, quomodo imaginem huiuſmodi ſe habentis habes? Conuicia plurima quoque, & nefanda emittens aduerſus Dominum, quæ non audeo ſcribere, abſit, quæ dixit contra Saluatorem, is qui fuerat inuitatus.

Abijt autem ad ſummos ſacerdotes ſuos, & accuſat Iudæum, qui in domo manebat, in qua imago erat, dicens, quia ille imaginem habet Nazareni, videlicet in domo ſua. Qui audientes dixere: Si potes hoc oſtendere? At ille affirmauit: Quia oſtendam hoc in domo eius. Illi vero repleti furore, veſpere quidem ſiluerunt. Mane vero facto, ſummi ſacerdotes eorum, atque presbyteri, aſſumpto eo, qui Iudæo detraxerat, & turba multa gentis ſuæ, pergunt ad domum Iudæi, in qua imago Domini ſtabat. Peruenientes autem ad locum ſummi ſacerdotes inſiluerunt, & ſeniores cum eo, qui indicauerat, & vident imaginem Domini ſtantem. Tunc vehementer irati in eum, qui habitabat in domo illa, extra Synagogam facientes expulerunt, imaginem vero Domini noſtri Ieſu Chriſti deponentes dixerunt: Quia ſicut patres noſtri illuſerunt ei aliquando, ita, & nos illudamus ei.

Tunc inceperunt conſpuere in faciem ſanctæ imaginis Domini, & dare alapas coram his, qui conuenerant, hinc, & inde imaginem Domini conſpuentes, atque dicentes: Quæcunque fecerunt patres noſtri, faciamus & nos imagini eius: & dicunt: Audiuimus quia illuſerunt ei, & hoc ipſum nos faciamus, & vos. Infinitis ergo ludibrijs illuſerunt iconam Domini, quæ nos neque dicere audemus. Deinde dicunt: Audiuimus, quia clauis infixerunt manus eius, & pedes: hoc, & nos faciamus ei. Tunc in manus, & pedes imaginis Domini infixerunt clauos. Iterum ſæuientes dixerunt: Audiuimus, quia accepto aceto, & felle potauerunt eum cum ſpongia: faciamus ei, & nos. Et fecerunt apponentes ad os imaginis Domini ſpongiam aceto plenam: rurſus dicunt: Dicimus, quia percuſſerunt caput eius arundine patres noſtri: idipſum, & nos faciamus, & accipientes calamum percuſſerunt caput Domini.

Ceterum nouiſſime dicunt (vt liquidius edocemur) quod lancea latus eius aperuerunt; nihil prætermittamus, ſed addamus, & hoc: & facientes deferri lanceam, præceperunt cuidam ſuorum tollere lanceam, & percutere contra latus imaginis Domini. Mox manauit multitudo ſanguinis, & aquæ ab ea. Chriſte, gloria tibi, incomprehenſibilis gloria tibi: Quis ſicut tu Deus? Quis præter te Deus faciens terribilia, & ſtupenda? O miraculum

Maieſtatis Saluatoris immenſum! Horruerunt veraciter ſuper hoc etiam ſupernæ virtutes tuæ. O quantus es Domine ad humanitatem, ò quantus ad longanimitatem, ò quantus es ad miſericordiam, pius enim propter nos, & propter ſalutem noſtram, cum eſſes ſine carne, incarnatus es ex Virgine Maria, crucifixus es in illa carne, cum eſſes ipſe impaſſibilis in deitate: Nunc vero iterum in imagine crucifixus es Domine in redargutionem impiorum, & omnium incredulorum, atque ſtabilitatem eorum, qui veraciter in te credunt. Sed gloria tibi Domine, qui ſolus omnia potes, vna cum benedicto Deo noſtro, & Patre, atque cum Spirituſancto. Amen.

Vos autem, ò filij, audite reliqua, quæ diſpenſata ſunt ab eodem Domino, ipſius enim erat permiſſio. Denique poſtquam percuſſum eſt lancea latus eiuſdem imaginis Domini, & emanauit ſanguis, & aqua (vt ſuperius dictum eſt) dicunt ſummi ſacerdotes eorum, & ſeniores: Quoniam ſuſurrant colentes eum, quod ſanitates multas fecerit, ſumamus ergo ſanguinẽ hunc, & aquam, & deferamus ad Synagogam, & colligamus omnes, qui male habent in populo, & vngamus eos ex illo, & videamus ſi vera ſint, quæ dicuntur. Tunc afferentes lateri iconæ Domini vas ſecundum locum percuſſionis lanceæ, vnde exiuit ſanguis, & aqua, & repleuerunt amphoram ſecundum locum iugulationis lanceæ, & inferentes illudebant, vt iniurijs appeterent (ſicut putabant) coram omnibus vniuerſorum Dominum. Non putantes ſcilicet aliquod edendum fore miraculum.

Et collectis omnibus, qui male habebant, & ante omnes paralyticum, quem à natiuitate nouerant, adducentes vnxerunt, & ſtatim ſubſiſtit, & exilijt ſanus homo penitus. Deinde cæcos adduxerunt, qui, & ipſi viſum receperunt. Dæmonium vero patientes mox adunati ſunt. Turbatio quoque magna, & infinita per totam Ciuitatem effecta eſt, cunctis confluentibus propter infinita miracula. Commotæ autem ſunt omnes multitudines Iudæorum: plures enim Ciuitatem habitabant. Currebant ergo ferentes eos, quos in domibus ſuis habebant languentes, aut paralyticos, aut debiles, aut aridos, aut leproſos: omnes accurrerunt, ita vt neque Synagoga eorum, licet magna fuerit, caperet illos, neque locus, multitudine infiniti populi propter miracula concurrente.

Omnes autem Principes Sacerdotum, & Seniores, & Populus Iudæorum virorum, puerorum, & mulierum crediderunt in Dominum Ieſum Chriſtum, clamantes: Gloria tibi Chriſte, quem patres noſtri crucifixerunt, qui & à nobis Domine crucifixus es in imagine tua. Gloria tibi fili Dei, qui tanta feciſti miracula: Tibi credimus: propitius eſto nobis, & ſuſcipe nos. Hoc clamabant lugentes omnes, & voces emittebantur, & miracula perficiebantur, ſummis Sacerdotibus vngentibus, & cunctis curatis, & viuificatis.

Poſtquam autem omnes ſanati ſunt, confeſtim ad Epiſcopum, ſanctiſſimæ conſtitutæ illic Eccleſiæ, qui iam quæ fuerant facta didicerat, multitudines concurrebant dicentes, & clamantes: Vnus, vnus Deus Pater, vnus Filius, & ipſe vnigenitus, vnus Chriſtus, quem patres noſtri crucifixerunt, ipſum Deum nouimus, huic nos credimus. Multis itaque laudibus glorificauerunt Deum, imaginem Archiepiſcopo demonſtrantes, annunciantes, quæ fecerant imagini Domini, qualiter & ſanguis, & aqua exierunt è latere imaginis; nec non, & infinita miracula, quæ facta ſunt. Ita omnes multudines,

nes, vt ſancto Baptiſmo digni fierent, ſupplicabant. Quos Epiſcopus vna cum Clero ſuo aſſumptos, omnes baptizauit per multos dies, Synagogam eorum Eccleſiam Saluatori noſtro Chriſto dicauit. Illis autem rogantibus, etiam ceteras Synagogas eorum Martyria fecit, & ſic gaudium magnum factum eſt in Ciuitate illa, non ſolum corporibus ſanatis, & viuificatis, ſed & animabus in vitam mortuis redeuntibus æternam.

Hæc agnoſcens ego, feſtinaui indicare vobis, fratres amantiſſimi, ad vtilitatem animarum veſtrarum, vt cognoſcentes & in hoc Dei, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti virtutem, plus aliquid in fide ipſius confirmemini, & exultetis ſuper magnalibus eius, quæ nunc operatus eſt. Date ergo ipſi gloriam in lætitia, in compunctione ex lamento gaudentes, & gratias agentes, quia, & ſua vos fide, & ſua fecit agnitione dignos in Chriſto Ieſu Domino Noſtro. Cum quo, & Patri vna cum Spiritu ſancto gloria, & nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen. Hactenus de hiſtoria de imagine crucifixa Beryti ex Anaſtaſij verſione. At vero quæ plura his inueniuntur in Vulgata, decurres, vtpote addita ab eo qui exſcripſit admiſcens veris apocrypha.

Tanta quidem Deus hoc tempore, cum vigeret impietas Iconoclaſtarum hæreticorum, & Sarracenorum idem docentium, & contingentium de abdicando venerandarum imaginum cultu operatus eſt, quo vel vno ſigno ex aduerſariorum officina deprōpto (ne quid poſſet impoſturę adſcribi) eorundem impietas confutaretur, penituſq. error aboleretur, diluereturq. ſanguine Chriſti iterum per imaginem Crucifixi. Sed docuit experimentum, ſuperari perfidiam Iudæorum ab hæretica prauitate, illis licet Chriſti hoſtibus implacabilibus manus dantibus, iſtis reſilientibus, & in deterius prolabentibus, atque in obſtinationis profundum abyſſum lapſis, impiè blaſphemantibus.

Aliud celebre enarratur de certitudine venerandæ imaginis Ieſu Chriſti Redemptoris noſtri crucifixi ſchemate regio pictura antiquitus ad ſimilitudinem eius expreſſę, curante id ſcilicet (vt vetus traditio delapſa ad poſteros firmiter teſtabatur) Nicodemo nocturno Chriſti diſcipulo, prout didicit, & retulit inde pius valde Stephanus nomine, patria Lucanus, qui religionis cauſa vna cum alijs anno Chriſti 1098. peregrinationem ſuſceperat ad Terram ſanctam, quam acceperat à Gregorio quodam Syro homine, eaq. inſigniter eſſe illuſtratam Lucanam in Thuſcia ciuitatem, vbi hactenus religioſiſſime conſeruatur, apud quam & totius rei geſtæ hiſtoria antiquitus ſcripta ſeruatur. Cur autem Regio cultu, non vt paſſus eſt nudus, idem Redemptor noſter fuerit expreſſus, à pluribus quæri ſcimus: quibus aliquando reſpondimus, id præſtitum olim à Nicodemo ad euacuandum ſcandalum crucis, & illuſtrandam magis gloriam Chriſti, vt quem inter Latrones audierint crucifixum, ſcirent re vera fuiſſe Regem Iudæorum vnctum à Deo, eumdemq. Regem Regum, ac Dominum dominantium; ita, inquam, Ieſum Chriſtum crucifixum, Iudæis ſcandalum, Gentibus ſtultitiam, ea de cauſa pietas Nicodemi effigiandum curauit, & non honeſtatis cauſa tantum. Nam qui eius rationem habendam cenſuerunt, ipſum Dominum noſtrum Redemptorem indutum ſolum interula ſiue induſio cruci affixum, ſiue ſculptura, ſiue pictura repræſentare conſueuerunt. Stet ergo veneranda Sacroſancta

Bar. Chri. an. 1099.

Act. 10.
Apoc. 19.
1. Cor. 1.

ſancta Imago Chriſti Regis in Cruce pendentis aduerſus infeliciſſimos Iconoclaſtas ſemper loquens, perpetuum ab exordio naſcentis Eccleſiæ monumentum tranſmiſſum ad poſteros.

Ange. Roc. de Cruce part. c. 4. Ioan. 3. Duæ ſunt Imagines, Chriſti Domini crucifixionem repræſentantes, cedrino ligno inciſæ, quarum altera à Nicodemo, ex Iudæorum Principibus vno, nec non ex ijs, qui in Chriſtum crediderunt, & ex Phariſæis homine; altera vero à S. Luca Euangeliſta effictæ, ambæ autem valde inſignes propter antiquitatem, tùm etiam propter nobilitatem ſculptorum, quorum ille Chriſti Domini familiaris, & diſcipulus eiuſdem occultus fuit; &, vt *Ioan. 19.* ſanctus Ioannes Euangeliſta inquit, mixturam myrrhæ, & aloês, quaſi libras centũ detulit pro eiuſdem corpore ſepeliendo; hic verò Apoſtoli Pauli ſectator, & omnis peregrinationis eius comes. Hinc ambæ Imagines ob huius generis eminentias, & ob miracula diuerſis temporibus à Deo per eas præſtita, maxima cum veneratione, ac fidelium eas adeuntium frequentia, & deuotione aſſeruantur; illa in Hetruriæ Ciuitate, quæ Luca nuncupatur; hæc vero Siroli prope Anconam Oppidi, vbi erat Ciuitas maritima, quæ *Pomp. Mela lib. 2.* Numana vocitabatur, olim, vt aiunt, à Gothis euerſa; nunc autem Humana vulgo, & corrupte quidem, nuncupatur.

Ambæ inſuper Imagines, tibijs diuaricatis, pedibus videlicet diſcretis, cedrino, vti diximus, ligno vitæ quatuor clauis cruci affixæ, non nudæ, ſed veſtitæ; illa calceatis pedibus; hæc autem pedibus nudis, cernuntur. Illa Imago, quæ Lucæ aſſeruatur tamquam viua Cruci affixa cernitur: barbam coloris auellanæ, ſubflauam ſcilicet, comæ adſimilem, haud longam, ſed in extrema parte ſenſim bipertitam habens, iuxta epiſtolam, quæ ſub *Niceph. lib. 1. c. 40.* nomine Lentuli ad Tiberium Cæſarem ſcripta circumfertur; nec non iuxta ea, quæ Nicephorus in libro primo Eccleſiaſticæ hiſtoriæ ſcripta reliquit, repræſentatur; nigra veſte, at ſericea, cunctis indumenti oris, aut extremitatibus, quas vocant fimbrias, acu pictis, aut phrygiatis, hoc eſt, auro contextis, cinguloq. item aureo, nec non anteriore veſtis parte infra cingulum auro contexta cernitur, auream habens coronam, Regalem ſcilicet, ac Imperialem; ſupra vero coronam ſunt duæ Græci Alphabeti litteræ, hoc eſt, prima & vltima, quæ ſunt A: Ω: Alpha, & Omega, quibus litteris per principium ſcilicet atque finem Dominus Deus repræſentatur, ante quem nullus, vel in quo omnia terminabuntur, vt in diuerſis ſcripturæ ſacræ locis videre licet.

Calcei eiuſdem Imaginis argentei ſunt, ſed aurati, cruce inſigniti, quorum dextrum ad hominem quemdam, pro ope ſibi impetranda orantem, ipſamet Imago miraculoſe proieciſſe narratur. Simile aliquid contigiſſe in Hiſpania in Cantabriæ Regno commemoratur. Inde pro eo calceo ſubſtentando (nudato calcaneo, qui calceum nunquam recipere potuit) Calix non conſecratus appoſitus fuit, ſicut ad hanc vſque diem illic cernitur; & calcei pretium illi homini, crucifixum imploranti, datum fuit. Indumentum vero, & calceamenta non à Nicodemo, ſed ab alijs Chriſti fidelibus eidem Imagini non ſine Dei monitu per Angelum indicato, addita fuiſſe docet hiſtoria. Ad latus eiuſdem Imaginis dextrum circa tergum feneſtratum extat repoſitorium, in quo Reliquiæ inſignes à Nicodemo inibi reconditæ aſſeruantur. Hæc de Imagine Chriſti Domini quatuor clauis

cruci affixa, quæ Lucæ cuſtoditur, cuius exemplar in Bibliotheca item Angelica Romæ aſſeruatur.

Enarratio de S. Cleopha ex Romano Martyrologio. Cap. 212.

IN Caſtello Emmaus natalis B. Cleophæ Chriſti Diſcipuli, quem tradunt in eadem domo, in qua menſam Domino parauerat, pro confeſſione illius à Iudæis occiſum, & glorioſa morte ſepultum. Eadem leguntur apud Vſuardum, & Bedam copioſius.

Cleophas Diſcipulus vnus ex 72. fuit. Hic vnus ex illis duobus exſtitit, quibus in Caſtello Emaus euntibus in die Reſurrectionis ſuæ Dominus apparuit, & ab ipſis inuitatus cum eis diſcubuit, quem & ipſi in panis fractione cognouerunt, alius vero Lucas Euangeliſta fuiſſe dicitur. Hunc autem tradunt apud ipſum caſtellū Emmaus in eadem domo, in qua menſam Domino parauerat, poſt Diſcipulorum in Iudæa diſperſionem pro confeſſione Chriſti à Iudæis occiſum, & glorioſa morte ſepultum, qui paſſus eſt viij. Kal. Octobris. hæc in Martyrologio Adonis ſumpto ex Hieronymi ſcripturis, & chronicis antiquis. hæc ille. Quibus monemur eum annum Domini circiter trigeſimumquintum, quo diſcipulorum diſperſio contigit, martyriū ſubijſſe. Græci in Menologio iij. Kal. Nouembris hæc habent: Eadem die natalis ſancti Apoſtoli Cleophæ. Sanctus Hieronymus in Epitaphio Paulæ ad Euſtochiū, Cleopham caſtelli Emmauntis, quo ibat, ciuem fuiſſe indicat, in eius enim domo Chriſtum ea nocte exceptum in fractione panis ab illis cognitum dicit, eiusq. domum in Eccleſiam dedicaſſe.

Petrus de natal. lib. 8 c. 118.

Huius porro Comes quis fuerit (cum etenim S. Euangeliſta non nominat) in ambiguo eſt. S. Ambroſius Amaonem vocat, ex ipſo forte, quo ibant, pago. Origenes Simonem appellat, à quo opinor accepiſſe Dorotheum: eundem Simonem nominat S. Epiphanius, quem & Nathanaelem fuiſſe ſcribit; demum quotquot ferme eum locum S. Lucæ explicarunt, quo Cleophæ hiſtoria narratur, ipſum S. Lucam, qui ſcribit, fuiſſe fatentur; & hos quidem ſequuntur S. Gregorius Papa, Simeon Metaphraſtes, & Nicephorus, alijq. Quod autem S. Lucas ſe ipſum non nominauit, id modeſtiæ tribuere videtur idem S. Gregorius Papa, ne gloriari videretur ſibi Dominum apparuiſſe ſcribendo.

Amb. li. 7. in Luc. de vigilan. & neglig. ſeruorum, & lib. 10. cap. ult. Orig. initio Cōmēt. in Io. & cō. Celſ. Epiph. hær. 23. Greg. præf. in Iob c. 1. Metaph. de S. Luca. Niceph. lib. 1. c. 34. Theophrac. Luc. 24.

De Oppido Emmaus, in quo fuit fons, qui à Chriſto, pedibus in eo ablutis, virtutem medendi morbis eſt conſecutus. Cap. 213.

DE Oppido Emmaus Hieronymus ad Euſtochium agit, hocq. tempore nominatum Nicopolim tradit.

De eodem, ac de ſtadio, ita Beda. Stadium, quo Græci auctores, vt dicūt, Herculi viarum ſpatia menſurarunt, octaua eſt pars milliarij, & ideo ſexaginta ſtadia ſeptem millia paſſuum, & quingentos ſignificant. & poſt multa: Emmaus autē eſt ipſa Nicopolis, Ciuitas inſignis Palæſtinæ, quæ poſt expugnationem Iudææ ſub Marco Aurelio Antonino Principe reſtaurata cum ſtatu mutauit & nomen. plura de Emmaus inuenies apud Baroniū ex Ioſepho, atque

Hier. epita. ad Euſtoc. ep. 27. Ioſeph. ant. li. 17. c. 12. Hier. de lo. Hebraic.

atque Sozomeno lib. 1. Annal. Eccleſ. Chriſti anno 34. cap. 194.

Ruſus eadem die Dominus duobus diſcipulis (horum alter Cleophas dictus eſt, nomen vero alterius ſilentio prætermittitur) euntibus Emmauntem, & in via de his, quæ acciderant Hieroſolymis, ſermonem habentibus apparuit, ſed vultu diuerſo, ita vt non cognoſceretur ab illis, qui tamen diuinis ſcripturis ab eo explicatis ſenſim proficientes, die iam ad veſperam declinante, cum coegiſſent illum fingentem ſe longius ire, vnà cum ipſis manere, tandem recumbentem ſimul ad menſam cognouerunt eum; cum enim panem frangeret, & daret illis; oculi eorum, inquit Lucas, aperti ſunt. Sic vero manifeſte cognitus, ſe confeſtim ab illorum viſu ſubtraxit. Qui eadem hora ſurgentes, regreſſi Hieroſolymam, quod Dominum vidiſſent, teſtati ſunt. Apoſtoli rurſum, quod apparuiſſet Ieſus Simoni, eoſdem certiores reddiderunt. Hæc Lucas pluribus. Quod ad Emmaunté ſpectat, cum Cleopham Emmauntis fuiſſe indigenã teſtetur Hieronymus, iam ſatis liquet ipſum tædio expectationis ſuperatum ad propria remeare voluiſſe. Caſtellũ Emmaunté, quod dicit Euangeliſta, nobile fuiſſe olim oppidum conſtat, ſed ob cæſos illic Romanos milites, haud multũ ante tempus à Varo Syriæ Præſide crematum eſt, quæ poſtea Nicopolis appellata, nobilis exſtitit Ciuitas Palæſtinæ.

Sozom. lib. 5. c. 20.

Hieron. de loc. Hebra.

Ioſeph. ant. lib. 13. c. 12

Sozomen. ibid.

Eiuſdem meminit Sozomenus; deq. fonte, qui à Chriſto pedibus in eo ablutis virtutem medicam eſt conſecutus: agit his verbis: Eſt Vrbs Palæſtinæ, quæ iam Nicopolis dicitur, cuius quidem tũm Pagi (ſic enim iam fuit) diuinus Euangeliorũ liber facit mentionem, eamq. Emmaus appellat. At Romani capta Hieroſolyma, & parta contra Iudæos victoria eam Nicopolim nuncupabant, nomine ex belli euentu impoſito. Ante hanc Vrbem propè triuium, in quo Chriſtus poſt Reſurrectionem à mortuis cum Cleopha incidens ſimulabat ſe alterum Pagum properè contendere, eſt fons quidam ſalutaris, in quo non homines modò, qui ægrotant, loti curantur, verum etiam animantia, quæ varijs morbis laborant: Nam ferunt Chriſtum vnà cum diſcipulis quodam tẽpore è via ad fontem illum diuertiſſe, inq. eo lauiſſe pedes, & aquam ex eo tempore vim medendi morbis habuiſſe. Hæc Sozomenus. At quamquam Ioſeph id naturali aquarum virtuti potius quàm miraculo tribuere videatur, dũ ait, Ammaus (eſt idem quod Emmaus) ſi quis nomen interpretetur, aquæ calidæ vocantur; ibi enim eiuſmodi fons eſt ſanandis corporum vitijs idoneus. Tamen cum Plinius teſtetur Emauntem pluribus fontibus fuiſſe irriguam, in aliquo ipſorum, quod ſcribit Sozomenus, contingere facile potuit.

Ioſeph. de bel. Iud. li. 4. c. 1.

Plin. nat. hiſt. lib. 5. c. 14.

De ſtudio meditationis erga Domini Ieſu Chriſti paſſionem, & mortem habendæ. Cap. 214.

HIſtoriam paſſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti, de qua ſupra toties mentio habita eſt, plenius enarrare, prout geſta fuit, conſulto relinquimus, illam enim omnes Euangeliſtæ accuratiſſime, quantum ſatis fuit conſcripſerunt, vbi videri poteſt.

Nunc autem concludendo, hoc tantum à nobis dicendum eſt, vt vnuſquiſque, qui Chriſtum crucifixum ſequitur, tollat eam, & ſæpius in corde abſcon-

abſcondita Crucis myſteria reuoluat. Mors enim Chriſti profunda mente meditata, & alto corde retenta animæ noſtræ vita eſt, habetq. ingentem & inæſtimabilem theſaurum in mente, qui paſſionem Chriſti habet in corde. Quapropter quotquot Domino ſeruierunt, omnes ſemper Chriſti paſſionem præ oculis mentis perſpectam habuerunt. Ipſe autem Ieſus Chriſtus zelans honorem, & reuerentiam, quam Paſſioni ſuæ, & morti haberi voluit, fertur in viſione quadam B. Angelæ de Fulginio reuelaſſe, quod omnes illi, qui pie credendo, & vigilando ad paſſionem eius, amplectuntur dolores mortis, & afflictionis, quas pertulit, ab ipſo particulariter diliguntur vt filij, & colligunt fructus amoris, ita vt quaſi ex teſtimonio, & iure hereditario diuitias hereditatis cæleſtis ſit conſequuturus. is, qui in memoria, & mente ſua fixam, & expreſſam perpetuo portauit mortem, & paſſionem ipſius, in quo ſtat vita, & ſalus noſtra.

Sancta quoque Brigitta probatæ deuotionis mulier, aſſerebat ſibi innotuiſſe, pretioſum monile, quod animam ornat, eſſe Chriſti paſſionem, quam ita præ oculis vnuſquiſque habere deberet, ac ſi proprijs oculis viderent Chriſtum ſe præſente illuſum, & contemptum, & ſe vidente flagellatum, & æque, ac tunc illum fundentem ſanguinem conſpiceret, & in Cruce pendentem emittere ſpiritum.

Quidam autem Seruus Dei, cum diutius ſe in meditando paſſionem Domini exercuiſſet, modo tanquam à Prophetis annunciatam, modo tanquam in nouo teſtamento completam, & modo in martyribus, & pœnitentibus viris imitatione expreſſam, quicquid legebat, & ſtudio comprehendebat, referebat ad illam; quapropter in hac ſancta exercitatione tàm ſtricto nexu ſe Deo ſuo deuinxit, vt ibidem ſentiret ſe rapi vehementius ad amandum, cũ tanta illuminatione, vt multa Dei arcana ſibi tunc reuelata fuerint, & de peccatorum ſuorum remiſſione, & de propria ſalute certior factus.

Idemq. Dei ſeruus, qui quanta poterat animi propenſione, Chriſti paſſionem meditabatur, aſſerebat audacter ſe didiciſſe, quod quicunque quandoque in die, & quandoque in nocte, ſe in miſterijs Dominicæ paſſionis contemplandis perſeuerando exercuiſſet, infraſcriptas gratias, & priuilegia, atque fauores diuinos eſſet conſecuturus.

Primo quidem hac pia meditatione, peccatorum ſuorum remiſſionem, pro quibus Chriſtus crucifixus fuit, conſequetur.

Secundo fore, vt certam quandam fiduciã in corde reciperet, qua ingruentibus tentationibus reſiſtere poſſet.

Tertio, virtutem quandam ſuſciperet, qua ardua virtutis opera perficere poſſet.

Quarto, ſi ita meditando perſeuerarct, gratiam ſemper in corde ſuo multiplicaret.

Quinto, ſicut cor ſuum haberet, paſſionem meditando, Chriſto proximũ: ita ipſe haberet Chriſtum in eo adiuuando coniunctum, vt ab eo non ſepararetur.

Sexto, ex illa meditatione exardeſceret ignis, in cuius lumine multa diuina myſteria ſibi reuelata videret.

Septimo, quotidie ita meditando, magis magisq. in præſenti vita proficeret.

Octauo, hoc modo ſibi Deum propitium redderet, vt ſi quid in nomine Chriſti peteret, fieret ſibi.

Nono, per hanc ſalutis noſtræ commemorationem, in morte eius aſſequeretur lumen quoddam, per quod obtentæ ſaluationis cognitionem haberet, aſſiſtente Domino noſtro Ieſu Chriſto, & pugnante pro eo contra inuiſibiles ſalutis hoſtes.

Has qnidem gratias, & fauores inæſtimabiles, ex Dominicæ paſſionis aſſidua, & quotidiana meditatione prouenientes, ſi quis conſequi cuperet, omnes autem cupere debemus, dixit ſupradictus, accedat, & experiatur, nihil enim expertum fuiſſe nocebit, imo lucra precioſiſſima abſque dubio comparabit ſibi, poſt enim bonas cogitationes certus, & mirificus ſemper conſequitur fructus.

Exhortatio ad Domini paſſionem, & mortem conſiderandam. Cap. 215.

S. Leo ſer. 3. de paſſ. Domini.

CReator, & Dominus omnium rerum Chriſtus poſt inuſitatum ſacræ Virginis partum, poſt adorata Magorum confeſſione cunabula, & poſt multiplicem doctrinam cæleſtis eloquij, & variarum curationum medelas, imperio verbi potentis effectas, diſpenſationem omnium ſacramentorum, omninmq. virtutum ſalutifera paſſione conſummat. Chriſtianæ igitur ſpei, dilectiſſimi, vera ratio, & principalis cauſa crux Chriſti eſt, quæ licet Iudęis ſit ſcandalum, gentibus autem ſtultitia, nobis tamen Dei virtus eſt, Deiq. ſapientia. Vnde ſummum hoc, & potentiſſimum diuinæ miſericordiæ ſacramentum ſemper quidem in cordibus noſtris cum tota ſui dignitate retinendum eſt, ſed nunc viuaciorem animi ſenſum, & puriorem exigit mentis intuitum, quando nobis non ſolum recurſu temporis, ſed etiam textu Euangelicæ lectionis omne opus noſtræ ſalutis ingeritur. Nihil ergo apud nos loci, cogitationes habeant impiorum, nec integritatem ſanæ intelligentiæ, aut Iudaica offenſio, aut gentilis corrumpat irriſio: vt quod non ſolum pro nobis humiliter, ſed etiam ſublimiter geſtum eſt, aut ſecundum hominem impoſſibile, aut ſecundum Deum videatur indignum. Vtrumque autem recipi, vtrumque conuenit credi, quia nemo hominum poteſt niſi in vtroque ſaluari. Iuſtus enim, & miſericors Deus non ſic iniuria ſuæ voluntatis eſt vſus, vt ad reparationem noſtram ſolam potentiam benignitatis exerceret, ſed quia conſequens fuerat, vt homo faciens peccatum ſeruus eſſet peccati, ſic medicina ægris, ſic reconciliatio reis, ſic redemptio eſt impenſa captiuis, vt condemnationis iuſtæ ſententia iuſto liberatoris opere ſolueretur. Nam ſi pro peccatoribus ſola ſe apponeret deitas, non tàm ratio Diabolum vinceret, quàm poteſtas. Et rurſum ſi cauſam lapſorũ ſola ageret natura mortalium, non erueretur à conditione, quæ libera non eſſet à genere. Vnde oportuit in vnum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum & diuinam, & humanam conuenire ſubſtantiam, vt mortalitati noſtræ per Verbum carnem factũ, & origo noui hominis ſubueniret, & paſſio. Cum igitur in Chriſto Ieſu Iudæorum duritia, quæ ſunt diuina: gentilium cæcitas, quæ ſunt humana contemnat, illis aduerſus gloriam Domini calumniantibus, iſtis contra humilitatem ſuperbientibus, nos Dei filium, & in ſuis virtutibus, & in noſtris infirmitatibus adoramus.

Igitur

Igitur inter omnia opera miſericordiæ Dei, quæ ab initio ſaluti ſunt impenſa mortalium, nihil eſt mirabilibus, nihilq. ſublimius, quàm quod pro mundo crucifixus eſt Chriſtus, ipſe enim cæleſti conſilio ſuſceptionem noſtræ infirmitatis induit, vt noſtram inconſtantiam ſuæ virtutis ſoliditate veſtiret. Venit enim in hunc mundum diues, atque miſericors negociator Cœli, & commutatione mirabili inijt commercium ſalutare, noſtra accipiens, & ſua tribuens, pro contumelijs honorem, pro doloribus ſalutem, & pro morte dans vitam, & cui ad exterminationem perſequentium poterant pluſquam duodecim millia Angelicarũ ſeruire legionum, maluit noſtram recipere formidinem, quàm ſuam exercere poteſtatem. Enimuero ipſa receptio paſſionum non ita eſt noſtræ affectioni humilitatis expoſita, vt à potentia ſit diuinitatis abiuncta; quicquid enim Domino illuſionis, & contumeliæ, quiquid vexationis, & pœnæ intulit furor impiorum, non de neceſſitate toleratum eſt, ſed de voluntate ſuſceptum: venit enim filius hominis quærere, & ſaluare quod perierat, & ſic ad omnium redemptionem vtebatur malitia perſequentium, vt in mortis eius, reſurectioniſq. ſacramento etiam interfectores ſui poſſent eſſe ſalui, ſi crederent. Quapropter Dominus Ieſus Dei filius ſacratiſſimam ſuam paſſionem pro totius humani generis ſalute ſuſcepit; & ſicut promiſit, omnia ad ſe exaltatus attraxit. Quam quidem tam plane, ac lucide euangelicus ſermo reſerauit, vt religioſis, & pijs cordibus, non aliud ſit, audiſſe quæ lecta ſunt, quàm vidiſſe, quæ geſta ſunt. *Idem ibid.*

Itaque filius Dei hominem aſſumpſit, & in illo humana perpeſſus eſt. Hæc medicina hominum tanta eſt, quanta non poteſt cogitari: Nam quæ ſuperbia ſanari poteſt, ſi humilitate filij Dei non ſanatur? Quæ auaritia ſanari poteſt, ſi paupertate filij Dei non ſanatur? Quæ iracundia ſanari poteſt, ſi patientia filij Dei non ſanatur? Quæ impietas ſanari poteſt, ſi charitate filij Dei non ſanatur? Paſſio enim Chriſti medicina eſt vniuerſalis omnium paſſionum, & vniuerſitas miſerationum, & cathedra ſcientiæ & ſapientiæ. *Auguſt. de ago. Chriſti c. 11.*

S. Carolus Borromeus, paſſionis & mortis Domini ſtudioſiſſimus, ſecedit in montem Varalli deuotionis gratia. Cap. 216.

Sanctus Carolus Borromeus, fulgidum noſtri ſeculi lumen, quod ſuper candelabrum poſitum eſt, vt luceat omnibus, qui in Eccleſia ſunt, Ieſu Chriſti paſſionem & mortẽ iugiter in corpore, & corde ſuo geſtauit. In corpore patiendo, in corde pie meditando. Hic cum iam morti proximus eſſet, ſtatuit, quod ſæpius in vita conſueuerat, ſalutariter colligere ſeipſum, & redire ad lamenta pęnitentiæ, & petere ab anima ſua rationem conuerſationis ſuæ; quibus in rebus à multis menſibus peccaſſet, & ſuis defuiſſet officijs, ante peruidere, errata confiteri, veniamq. à Deo poſtulare: tùm per diuinas etiam contemplationes ad pietatem, vitæq. ſanctitatem acrius ſeſe incitare: & ad negotia præterea, quæ tùm illi erant in manibus, pie, & feliciter gerenda, diuinam opem enixe implorare: quibus rebus ſolitudine opus erat. Eiuſmodi exercitatio cum aliàs ei cordi eſſet vehementer; tùm eo tempore erat optatiſſima, ob mentem magis quàm antea diuinarum contemplationum cupidam; earum præſertim, quæ de cruciatibus, morteq. Chriſti Domi-

Domini eſſent: quas per ea tempora ſtudioſiſſime, ardentiq animo frequenter tractabat, articulatim ordinabat, litteriſq. mandabat: qua quidem mente, ſtudijsq. clementiſſimus Deus, id quod demum poſt factum clarius apparuit, ſacerdotem ſuum iamiam ex hac vita migraturum, ad æterna præmia præparare videbatur. Varallum, vbi aliàs ſimili de cauſſa fuerat, tunc etiam ad eam rem delegit. Vico id nomen eſt, qui Nouaria, & Vercellis æquo ſpatio diſtat, ad paſſuum millia circiter viginti quinque: ibi mons, quoniam fere ſub Alpibus eſt locus, ex piorum hominum, etiam longinquorum votis, & omnino religionis cauſa frequenter viſitur: nam religioſus vir Ordinis Minorum, ex Mediolanenſi nobili familia Caima, ante annos ferè centum, cum ex Iudæa, ſanctiſſimo Domini ſepulchro religioſe inſpecto, rediſſet; eius imaginem aliquo loco ponere conſtituit; quæ pijs hominibus, cum Iudæam petere non poſſent, ad pietatem, venerationemq. erga ſepulchrum, ſanctaq. Hieroſolymæ loca exercendam, aliquo modo valeret, ac eo loco, monteq. delecto, eccleſiam, monaſteriumq ſui Ordinis piorum hominum ſumptu ædificauit, & ſepulchri ſpeciem decorè collocauit. Ea res adeo feliciter euenit, vt locus maxime celebris euaſerit, & varijs temporibus ædiculæ multæ fuerint conſtructæ, vbi pulchris imaginibus, ac ſtatuis, ea in primis referuntur, quæ in affligendo, morteq. afficiendo Saluatore, acta ſunt, tùm aliæ quoque res ex diuinis hiſtorijs ad noſtram ſalutem pertinentes. Ita iam in ſummo monte, quaſi ſacer quidam vicus plurimarum ædium factus eſt, quas ordine, certiſq. vijs frequentes peregrini ſalutaribus cogitationibus, ſupplicationibusq. intenti adeant, & religioſe contemplentur. Eò ſe Carolus igitur conferre ſtatuit, & ob eam rem Franciſcum Adornum accerſiuit: quem piarum exercitationum adhiberet adiutorem. Sed ante miſit Dux Sabaudiæ Vercellas, qui illum eius nomine rogatum Taurinum adducerent: officium Duci Carolus, vt chariſſimo filio non negauit, quod vel ſponte libenter ſuſcepiſſet, ad ſacroſanctam Sindonem poſtremo viſendam, & venerandam. Dux vero magnum cepit, ſi vnquam antea, Caroli præſentiæ, conſiliorumq. fructum, viſusq. eſt maxime ad pietatem cōmoueri, & eundem etiam in diſceſſu proſequi lachrymis. Ad montem cum veniſſet, monaſterij cellula, in qua moraretur, electa; ibi corpus incommode admodum, & ſeuere tractare cœpit, in ligneis tabulis ſomnum capiebat lodice tantum inſtratis, conſueto vtebatur panis, & aquæ alimento, durius, quàm antea corpus flagellabat, id quod ex interula deinde, flagelliſq. ſanguine aſperſis apparuit, licet ipſe ſtudioſe occultaſſet: ſacræ confeſſioni parandæ, ſacræq. meditationi ſeſe dedit. Ad hanc meditandi exercitationē ſuos admiſit, quamquam ſpatij, occupationiſq. longe minoris, ſed diſtincta ad meditandum rerum capita quotidie tradebantur, quibus cogitandis, & contemplandis, certis diei, noctiſq. horis, in ea ſe quiſque ædicula, & coram ijs imaginibus exerceret, quæ ad animi ſui fructum ſentiret aptiora: certum item tempus conſtitutum erat, quo ſimul conuenientes inter ſe, quæ animo ſenſerant, quæque erant meditati communicabant. Carolus primis diebus ſex horas, partim diurnas, partim nocturnas ſibi finierat, quibus horis contemplationi, precibusq. vacaret: reliquum tempus confeſſioni dabat, tùm neceſſitati quoque corporis, quàm anguſtiſſime tamen circumſcriptæ; & ſi quid negotij eſſet, quod non poſſet omitti. Iucunda prorſus ſpecies, & pietate

tate

tate pleniſſima. Conſpiciebatur nocte ampliſſimus Antiſtes, nullo comite, paruulam laternam ſub pallio tenens, per vias illas ſummi montis, petere quam ſibi indicaſſet, opportuniorem ædiculam; vt in ea, quemadmodum ſibi præſcripſerat, ſeſe exerceret. Quarto ab aduentu die peccata ſua confeſſus eſt, tanta pietate, dolore, ac lachrymis, vt qui confeſſionem audiebat, itidem in fletum adduceretur: poſtero die, tantis exercitationibus tàm beate occupatus, non neglexit officium tamen; neque recuſauit Aronã ad Cardinalem Vercellenſem venire, ſed prius nocte proxima, circiter octo horas contemplando, Deumq. orando, in diuinis rebus ita manſit, vt flexis genibus, tanto ſpatio, nulla corporis parte cuiquam rei inniteretur: quin etiam ad extremum, eum ſubaccuſare viſus eſt, qui horologium curabat, quaſi tempus ſtudioſe contraxiſſet. Poſt diem reuerſus, in ſuam ſe retulit ſolitudinem, quo loco, & ex ijs quæ cum alijs conferebat, & ex alijs ſermonibus, indicijſq. perſpexerunt, & Pater, & alij, eum minime vſitata, prorſusq. ſingulari ratione diuinitus commotum, & eo præſertim lumine illuſtratum, eaq. mente confirmatum, quæ rebus humanis, vitaq. ipſa omnino poſthabita, Deum ſolum petit, eiq. intima voluntate, totaq. mente penitus coniungitur. Quibus rebus nihil ad propinquam mortem erat accommodatius: maxime, ſi delectationem addas, quam ex ſermonibus, meditationibusq. de morte, & ſepultura Domini, & ex eius ſepulchri imagine in primis viſenda, contemplandaq. capiebat. Cui rei ſatis cõſenſit etiam ſacra Sindon viſa prius, & culta; tũ duo Principes viri, Epiſcopus, & Marchio extremis ſacramentorum, funerumq. officijs adiuti. Non multos in monte manſerat dies, cum in febrim incidit; nihil cum ante dixiſſet, eaq. tertio die rediјſſet; Patri demum ſignificauit, idq. fere præter conſuetudinem: nam alias etiam quinquies reuerſam nemini indicauit, vt niſi obiter poſtea quandoq. alicui ſignificaſſet, id reſciuiſſet nemo. Adductus eſt à Patre, vt aſperitatem corporis nonnihil minueret: quamquam quid fuit tandem, palearum aliquid, in quibus cubaret, recipere, & in aqua coctum panem, nullo tamen condimento, admittere? mentis item exercitationes aliquo modo moderatus eſt, ita vt aliquid temporis alijs quibuſdam conſultationibus daret; præſertim de ædiculis illis melius diſponendis. Febris autem inuaſit eum tertiò: ac quantum corpori firmitudinis decedebat, tantum animo diuini luminis, cæleſtiſq. virtutis accedere videbatur. Triduo tantùm aberat Sanctorum omnium cultu inſignis dies; quem Carolus de more cum populo ſuo Mediolani, conſuetis munerum functionibus, agere ſtudebat: erat ei quoque negotium ab Apoſtolica Sede mandatum, de collegio ex teſtamento pij viri in vico Aſcona inſtituendo, vbi pueri pietate erudirentur, & litteris; cuius negotij cauſa ad locum ipſum eundum erat: neque id ſine magno damno differri poterat. Dum igitur hiſce de cauſis à monte diſcederet; ita rurſus ſeſe in locum Dominici ſepulchri abdidit; vt comites, cum fere deſcendiſſent, tùm demum Carolum deeſſe animaduertentes, in eo loco inuenerint.

Aronam eo die venit montoſa, difficiliq. via milliarium decem & octo. Ibi ſtudio celeritatis, tertia noctis hora nauem conſcendit; vt per Verbanum lacum Aſconam contenderet, quæ aberat ad millia paſſuum circiter triginta quatuor. In quo itinere plurima fecit, & locutus eſt; quæ

X tùm

tùm ſanctitatis officia, tùm proximæ mortis indicia cumularent; & ideo minimè videantur prætermittenda. Hæc plerique agunt, dum in lecto iacent: de humanarum rerum deſpicientia; de beatæ vitæ deſiderio loquuntur; ſuis ſalutaria præcepta tradunt: Sed Carolus, qui in laboribus aſſiduè vixerat, pro quiete, ſemper laborem elegerat, Chriſtoq. patienti ſe conformare ſemper conatus fuerat; ſuam etiam in morte præſtitit conſuetudinem; ſuamq. itinere faciendo, incommodiſq. & laboribus tolerandis, ægrotationem traduxit. Philoſophabatur de animo ſic in hac vita conformando; vt humana omnia, piæ ijs, quæ Dei ſunt, pro nihilo prorſus habeat, oportere hominem ſeſe omni tempore ita expeditum præſtare, vt Dei nutu promptio animo ſemper ex hac vita poſſit demigrare: ipſas etiam Dei cauſa ſuſceptas res, quæ quidem quandiu tempus datur, omni diligentia, ſtudioq. agendæ ſunt, ita tamen eſſe curandas, vt, ijs licet imperfectis, nihil animo tamen afferatur impedimenti, vel moræ, quin liber hinc, omninoq. ſolutus euolet. Plures eccleſiæ ſuæ res exemplo proponebat, quas licet valde vtiles, ac neceſſarias, & magno item à ſe ſtudio, laboreq. ad id tempus curatas, nullo modo tamen adeo valere æquum erat, vt ſi vita decedendum eſſet, animum quidquam morarentur, quin ad Dei voluntatem exequendam prorſus expedite ſeſe conuerteret, ac hilariter.

B. Philippus Nereus paſſionis, & mortis Dominicæ feruidus & deuotus contemplator. *Cap.* 217.

BEatus autem Pater noſter Philippus, ſtudium hoc ſacram Domini paſſionem meditandi præcipuum habuit, & cum ille apud ſeipſum acerbiſſimam Chriſti paſſionem, pro ſalute vniuerſorum obitam, meditaretur, & peccata delinquentium, quibus iram Dei concitabant, & tanta ſalute ſe reddebant indignos, lachrymis totus conficiebatur. Sed & peccantium conuerſionem enixe à Domino per vnigeniti ſui mortem, non ſine magna lachrymarum profuſione petebat frequentiſſime. Imaginem autem Chriſti pendẽtis in Cruce cum cerneret, intus totus commouebatur, vt nonnunquam fletũ cohibere non poſſet. Et adhuc iuuenis cum philoſophiæ operam daret, paſſionem Domini cogitando, patiebatur lachrymas.

Conſueuerat autem ipſe, vt ardentius eius animo memoria paſſionis Chriſti infigeretur, imaginem Chriſti crucifixi iuxta lectulum ſuſpendere, cum iret de nocte cubitum, quem ſæpius capiebat, & ponebat in lectulo iuxta ſe, vt Chriſtum, & in vigilia, & in ſomno ſocium haberet, & à nocturno inimico protegeretur.

Tanta autem per has frequentes meditationes facta fuerat in animo eius, deuotionis, & feruoris acceſſio, ꝙ cum contingeret legere in Miſſa hiſtoriã paſſionis Domini, non poterat proſequi eam, vt aliquando in eccleſia S. Hieronymi feria 4. Hebdomadæ Sanctæ, cum paſſio Domini legitur, contigit ei: nam præ feruidæ deuotionis magnitudine neceſſe ſibi fuit diſtrahere ſeſe, nunc mappulam, nunc horologium quoddam, nunc claues quaſdam attrectando, & tum cum peruenit illuc, vbi dicebatur Chriſtum emiſiſſe ſpiritum, in fletum tàm magnum prorupit propter mortem vnigeniti filij Dei, vt cum magna difficultate ſacrificium perficere ſibi datum fuerit.

Sæpe

Sæpe inſtituebat ſermones de Domini paſſione, & in ea mirificos percipiebat guſtus. Quadam die, dum in eccleſia noſtra, vbi ſingulis quibuſque diebus populi verbo Dei quaſi pabulo paſcuntur, ipſe aſcendit ſuper cathedram, & incæpit ibi de paſſione Chriſti diſſerere; ſtatim autem ſicut ignis exarſit deuotio eius, & verba proferre non poterat, ſed pro verbis lachrymas dabat, vt opus ei fuerit deſcendere de ſede cum magna admiratione, & ædificatione circumſtantium.

Alia vice, cum Cardinalis Vercellenſis ad feſtum, quod in eccleſia S. Viti hic Romæ tunc celebrabatur, inuitaſſet B. Patrem, atque alios noſtros ſacerdotes, voluit eos prandio etiam reficere. Poſt prandium cum multi ſederent in aula, pater, qui ſemper proponebat ſermones de rebus Dei, vt inutiles ſermones euitaret, propoſuit ſpirituale punctum, vt vnuſquiſque diceret, quod ſentiret: ille autem repetens dicta, & ſententias eorum, argumentum illud reaſſumpſit, & latius explicauit, & pertractans de immenſa filij Dei charitate, quæ ipſum ad mortem impulit, ſuſpirijs, & lachrymis rem abſoluit: & ceſſarunt verba, cum ventum eſt ad lachrymas & ſuſpiria, adeo vt Cardinalis ille rogaret eum, vt vlterius non laboraret, quoniam plus ſuſpirando locutus fuiſſet, quàm ſi per totum diem loquendo laboraſſet.

Hoc autem ipſum, cum inſtitueret huiuſmodi ſermones, ſæpe contingebat illi. Non ſolum Chriſtum in Cruce patientem, ſed multa alia conſiderabat etiam de Chriſti Domini patientia, quæ conuerſando cum hominibus neceſſe fuerat bonum Dominum ſuſtinuiſſe; eorum mores inurbanos tolerando, & turbarum moleſtias perferendo, nam aliquando comprimebant illum, & ipſe non lamentabatur. Suſtinuit præſertim Apoſtolorum conuerſationé, dum adhuc rudes eſſent, nam ante oculos eius multa, quæ bona educatio non admittit, faciebant, nam iuxta mare expoliabant ſeſe, & nudi aſcendebant in aquas, & tractabant cum illo, ſicut idiotæ ſolent, & inelegantia morum non eruditi.

Aliquando ipſe B. P. Philippus cum magno vitæ diſcrimine ægrotabat, & qui diligebatur à multis, plurimos habebat, qui diuerſa ad eum ſubleuandũ officia cum magna charitate exercebant: cumq illi potionem quandam porrigerét, vt biberet, & refocillaretur, ipſe, ante cuius oculos ſemper crucifixus obuerſabatur, conuerſus ad Dominum dicebat: O Domine: ergo tu pedes in dura cruce, & ego in molli ſtrato recumbo? tu nudus, ego ſtragulis coopertus? tu ſanguinem fundis, & moreris, & ego me potionibus reficio & viuo? tuæ manus, tui pedes, duris clauis vulnerati, cruoris flumina verſant, & non eſt dolor, ſicut dolor tuus, & me morbida culcitra excipit, & iaceo delitioſus; & dormio pacificus, & requieſco delicatus? Quàm diſparibus ſortibus agimur, quàm turpiter ſub capite ſpinoſo ſtant membra delicata? & interim flebat, & potionem non bibebat.

Cum autem hoc modo propter Chriſti paſſionem eſſet affectus, cupiebat vehementer, vt & ceteri affectũ hunc pium ſuſciperent. Quapropter in Oratorio noſtro, ab ipſo inſtituto, in quo ſingulis quibuſque diebus de ſero orationi, & meditationi vacant omnes, per vnius horæ ſpatium, quotquot ibi conueniunt, inſtituerat ipſe, vt feria 2. 4. & ſexta, in memoriam tantæ paſſionis ſeſe Chriſto patienti configurarent flagellis ſeipſos cedendo, donec recitato prius breui Dominicæ paſſionis compendio, totus Pſalmus quin-

quagesimus, & centesimus vigesimus nonus, atque antiphona, Salue Regina, vel alia quæ tempori congrueret, lenta, ac lugubri voce caneretur. Interim autem dum orantes ſe verberibus affligebant, luminibus omnibus extinctis, lucerna accenſa in laterna quadam magna abſcondebatur, quæ in anteriori facie Saluatoris noſtri in Crucem acti effigiem habebat, quæ per lumen internum aliquantulum facta conſpicua, in tenebris illis mirifice ad paſſi Domini compaſſionem animos excitabat.

S. Eliſabeth, Regis Hungarorum filia, Chriſti imaginem ſuper Cruce pendentis intuens, compuncta corde pompam Regiam depoſuit, humilemq. viuendi genus amplexa eſt.
Cap. 218.

Surius de S. Eliſabeth to. 6. Aduenerat feſtus quidam dies, cum Eliſabeth pretioſis ornata veſtibus, auream q. capite geſtans coronam, ac familia frequenti ſtipata, de more Chriſtiano rebus diuinis interſutura, in ſubiectam arci diuorum baſilicam ibat. Ingreſſam primo ſtatim conſpectu Crux Dominica, atque ex ea pendens Imago Saluatoris, penitiſſime cōpunxit, compunctæ lachrymas excuſſit, lachrymanti talia cogitanda ſuggeſſit: En Creator, & redemptor meus, nudo corpore, breui dumtaxat præcinctus tegmine, mea cauſa ignominioſam in Cruce mortem oppetijt: at ego miſera gemmis, auro, byſſo, & purpura contecta, vitam cæleſtibus indignam beneficijs perdo magis, quàm ago. Illius caput intra Pilati ædes ſpinea corona diſpunxit: meum vero aurea venuſtat. Illum ab amicis, & diſcipulis deſertum, Iudæorum vallarunt opprobria: me numeroſa circumdatam familia, cuncti mirantur, ſuſpiciunt, honorant. Hic meus eſt erga illum obſeruantiæ feruor? hæc, hæc animi gratitudo? hoc vicariæ dilectionis munus? Me miſeram, me infelicem! Sic illius obedio præceptis? beneficia reuoluo? veſtigia ſequor? qui me, cum non eſſem, creauit, perditamq. ſuo ſanguine redemit? Tantæ autem hi cogitatus intenſionis erant, vt deſtituto viribus corpuſculo, ac facie tota in pallorem verſa, repente regia mulier humi velut exanimis prolaberetur, cunctis, qui eam ſtipabant, vehementi pauore perculſis, elatamque foras tantiſper ſacris vndis adſpergere perſeuerantibus, dum ſtupore ceſſante, compos mentis redderetur. Hac defectione veluti quodam oraculo perſuaſa, pretioſo deinceps amictu, quoad eius perſonæ, quam gerebat, honeſtas pateretur, abſtinuit, ita vt ſæpe numero ſub holoſericis veſtibus cilicium geſtarit. Principem ſi quando longiùs proficiſcentem ſequi non poſſet, domi remanens, omnem veſtium ſibi cultum interdicebat, amictu natiui coloris contenta, vt à plebeijs haud multum differret. Tum etiam precationum aſſiduitate, verberum vſu, vigiliarum productione, carnem ſpiritui ſubiugans, blandientes pro ætate voluptates, haud ſecus, atque iam viduam agens, edomabat. Reuerſo Principe, etiam num ipſam, quam ad tempus virtutis gratia ſepoſuerat, veſtem comptiorem reſumebat, ſcire admodum declarans, quid abſente marito caſtam vxorem, quid domi agente, præſerre deceat. Tentauit, & opulentas quaſdam mulieres, queis familiariter deuincta erat, abſtrahere à luxu pretioſarum veſtium, exemplo ſimul, & verbo. Nec eam fefellit euentus. Nam, difficili primum aditu,

per-

pertinaci tamen inſtantia aliquando, quod volebat perſuaſit, effecitquè, vt quædam illarum, voto etiam perpetuæ caſtitatis ſemet obſtringerent.

De S. Elzeario Comite Ariani, qui Chriſti iniurias, pœnasq. cogitando, ob moleſtias ſibi illatas nunquam iraſcebatur, ſed aduerſa omnia æquanimiter perferebat. Cap. 219.

TAnta Elzeario virtus, & gratia inerat, tanta animi fortitudo, & patientia in rebus duris, & aduerſis, vt toto vitæ ſuæ ſpatio nemo quantumuis familiaris, vel domeſticus, ob quamcumque moleſtiam, & afflictionem, quicquam eum vel dixiſſe, vel feciſſe impatienter, & iracunde potuerit animaduertere. Atque ea cauſa Dalphina ſancta virgo, quæ ipſius virtutes, & actiones aſſidue contemplabatur, cum cerneret eum nihil commoueri aduerſus eos, qui iniuriam ei irrogarent, eiq. moleſti eſſent, ſed fere omnia, ſedate, vultuq. placido, & iucundo, admirans tàm inſignem, tamq. inuictam in illo patientiam, vtq. eius certius periculum faceret, intra Conclaue, ita ait ad eum: Quid hominis es tu, Elzeari, qui nunquam erga illos, qui te iniuria afficiunt, commoueris? Videris eſſe trunci inſtar, aut ſtatuæ, nihil ſentientis. Et tamen patibilis es, & homo mundanus, aut fortaſſis, vel neſcis, vel non potes iraſci? Et quid, obſecro, officeret malis, qui interdum iniuſte te lædunt, ſi te quandoq. iratum illis oſtenderes? Ad hæc homo leniſſimus reſpondit: Ecquid vero, Dalphina prodeſt iraſci? Nihil profecto: Attamen explicabo ego tibi arcanum pectoris mei. Noueris me interdum ſentire aliquam in animo aduerſus infeſtantes me indignationem, ſed illicò me conuerto ad cogitandas iniurias Chriſto illatas, eumq. imitari cupiens, dico mihi ipſi: Etſi famuli tui barbam tuam conuellerent, & colaphos tibi infringerent, nihil eſſet ad Dominum tuum, qui maiora perpeſſus eſt: certum habeas, Dalphina, me nunquam ceſſare à commemorandis iuiurijs Saluatoris mei, donec animus meus planè ſit tranquillatus, atque vel æque, vt ante, vel plus etiam amem, & pro eis ſpecialiter orem, agnoſcamq. & confitear, me maioribus, & atrocioribus iniurijs dignum eſſe. Ex his verbis Virgo Dalphina fuit mirum in modum confirmata, & cæleſti ſuauitate referta, ſentiens generoſum eius animum rerum cæleſtium deſiderio adeo incenſum, adeoq. Deo coniunctum, vt nulla perturbatio, vel commotio ei poſſet dominari.

Sur. de S. Elz. to. 5. c. 23.

De deſcenſu Chriſti ad inferiora loca. Cap. 220.

POſtquam Chriſtus, in cruce mortuus eſt, mortemq. moriendo deſtruxit, & conſummata ſunt omnia, quæcumque erant conſummanda, Deſcendit in inferiores partes terræ, vt impleret omnia. Voluit deſcendere vſque ad Infernum, ſicut deſcenderat in terras, vt præſens viſitaret omnes partes Regni ſui Cæleſtium, Terreſtrium, & Infernorum. Chriſtus Dominus ſicut poteſtatem ſuam oſtendit in terra, ita etiam oſtendit in Inferno, ipſum viſitando, & illuminando. Vnde imperatum eſt principibus, vt attollerent portas ſuas, quibus homines captiuos in Inferno detinebant, & vt in nomine IESV, omne genu flectatur, non ſolum cæleſtium, ſed etiam infernorum.

Eph. 4.
D. Tho. 3. p. q. 52. a. 1.
Pſal. 23.

Philip.2. rum. Conueniens etiam erat, vt victo Diabolo per paſſionem, vinctos eius
Zach 8. eriperet, qui detinebantur in Inferno, quod & vaticinio fuerat prædictum:
Coloſſ.2. Tu quoque in ſanguine teſtamenti, eduxiſti vinctos tuos de Lacu. Expolians Principatus, & poteſtates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in ſemetipſo.

Hic Chriſti triumphus glorioſus eſt, & ſolénitate conſpicuus coram omnibus Angelis, & animabus tàm bonis, quàm malis factus eſt, vt ex tunc omnis lingua confiteretur Dominum IESVM eſſe in gloria Dei Patris. *Suarez ibi.* *Philip.2.*

D.Tho.ibi. art.5.&6. Deus hominem de Paradiſo poſt peccatum eiecerat, cui ante peccatum mortem fuerat comminatus, ſi peccaret, & ideo Chriſtus deſcendens ad inferos, virtute ſuæ paſſionis ab hoc reatu ſanctos abſoluit, quo erant à vitæ gloria excluſi, vt poſſent Deum videre, & beati eſſe. Sancti enim Patres, qui præceſſerant detinebantur in Inferno, quod eis ad vitam gloriæ, propter peccatum primi parentis, aditus non patebat, & ſic Chriſtus deſcẽdens ad Inferos illos liberauit, ſoluens eorum dolorem, quem patiebantur ex gloriæ dilatione; Sic eduxit Abraham, Iſaac, & Iacob, & ceteros iuſtos, & à regno tenebrarum ad Cælum perduxit.

Illis autem ſolis liberationis contulit fructum, qui ipſius Chriſti paſſioni fide congrua, & charitate feruida coniuncti fuerant, per quem peccata tolluntur.

At illis, qui erant in Inferno æternis pœnis damnati, & fidem paſſionis Chriſti, aut penitus non habuerant, ſicut infideles: aut ſi crediderant, à virtutibus, & charitate defecerant, & præcepta non ſeruauerant, nec à peccatis ſuis ſe mundauerant, non contulit liberationem à reatu æternæ pœnæ.

Enarratio Triumphi Chriſti apud Inferos. *Cap.* 221.

Cæſar. Are lat. hom.3. Exulta Cælum, & lætare Terra, Deus iſte amplius ex ſepulchro radiauit, quàm de Sole refulſit; Dolet Infernus, quia reſolutus eſt, gaudeat, quia viſitatus eſt.

Refultet, quia ignotam lucem poſt ſæcula longa vidit, & in profundæ noctis caligine reſpirauit. O pulchra lux, quæ de candido cæli faſtigio promicaſti, & inter fluenta ſulphurea, ſedentes in tenebris, & vmbra mortis, ſubita claritate veſtiſti. Confeſtim igitur æterna nox inferorum Chriſto deſcendente reſplenduit. Siluit ſtridor lugentium ille, ſoluta ſunt onera catenarum, dirupta ceciderunt vincula damnatorum. Attonitæ mentis obſtupuere tortores. Omnis ſimul impia officina contremuit, cum Chriſtum repente in ſuis ſedibus vidit. Mox igitur ferruginei ianitores deſcendente Chriſto, talia inter vmbroſa ſilentia cæci, metu incubante, ſubmurmurant. Quiſnam, inquiunt, eſt iſte terribilis, & niueo ſplendore coruſcus? Nunquid noſter talem excepit tartarus? nunquid in noſtram cauernam talem euomuit mundus? Inuaſor eſt iſte, non debitor: exfractor eſt, non peccator: iudicem videmus, non ſupplicem: venit iubere, non ſuccumbere: erumpere, non manere. Vbinam putatis ianitores noſtri dormierunt, cum iſte bellator clauſtra noſtra vexabat? Hic ſi reus eſſet, audax non eſſet. Si eum aliqua delicta fuſcarent, nunquam fulgore ſuo noſtras tenebras diſſiparet. Sed ſi Deus eſt, quid in ſepulchro facit? Si homo, quid præſumpſit? Si Deus, vt

quid

quid venit? Si homo, quare captiuos ſoluit? Nunquid nam iſte cum auctore noſtro compoſuit, aut forte ipſum aggreſſus vicit, & ſic ad noſtra regna tranſiuit? Certe mortuus erat, certe victus erat. Illuſus eſt præliator noſter in mundo, neſciuit quam hic ſtragem procuraret Inferno. Crux illa fallens gaudia noſtra, parturiens damna noſtra. Per lignum ditati ſumus, per lignum euertimur. Perijt poteſtas illa, ſemper populis formidata. Nullus huc viuus intrauit, nemo carnifices terruit. Nunquam hoc in loco fuligine, & nigra ſemper caligine cæcato, iniucundum lumen apparuit. An forte Sol de mundo migrauit? Sed nec cælum nobis, aſtraq. parent, & tamen Infernus lucet. Quid agimus? Quomodo vertimur? Defendere contra iſtum non valemus cruentas domus,& obtinere noſtri Auerni cuſtodiam nõ valemus. Male intrati ſumus. Lumen obtenebrare nequiuimus, inſuper,& de noſtro interitu formidamus. hæc ille. Igitur Chriſtus inde duxit captiuitatem Sanctorum Patrum, qui in Domino mortui fuerant, & qui per tot temporum interualla expectauerant videre diem illum, viderunt, & exultauerunt, & diuinæ miſericordiæ vires exaltauerunt.

De admirabili, & glorioſa Reſurrectione Domini noſtri Ieſu Chriſti, & rebus mirabilibus, quæ contigerunt in ea. *Cap.* 222.

IAm Principes, & Reges terræ aſtiterant, & conuenerant in vnum aduerſus cælorum Regem, & perfida turba, ſuperbumq. ſacerdotum genus contra Chriſtum vnctum Domini, rabiem, & furorem euomuerant, & ſanguinem innoxium ſuper ſe, & ſuper filios eorum impia imprecatione vocauerant.

Iam propter Deicidas Iudæos, moriente Chriſto rerum Domino,elementa indignantia fremuerant, & in veneranda filij Dei paſſione facta erat terrenarum rerum inopinata turbatio, & diuinarum rerum inexperta viciſſitudo: fuga ſiderum, terræ formidabilis tremor, & ſolidorum fractura ſaxorum, cũ petræ ſciſſæ ſunt, & ſonigero fragore, & terribili motu crepuerunt, pauor inſolitus Inferorum, & ſpontanea ſepulchrorum reſeratio. Amiſerat propter morientis ſummam potentiam, & dignitatem,Tartarus ditionem ſuam, paratus reddere, quos tenebat. Abiecerat Infernus ius vetuſtiſſimæ poteſtatis, & inueteratæ legis Decretũ nouo ſanctionis ordine Mors amiſerat, & Mors mortem, & Infernus morſum paſſus erat.

Cum non ſuſtinuit mundus intueri perfidiæ Iudaicæ ſcelus, & viſa ſunt inſenſata elementa ſenſu vti abundantiore, quam homines, quibus ſecundũ naturam ratio inerat, & crudeliores feris exſtitere abutentes intellectu: in tantum Chriſti ſanguinem ſitientes, vt ſe ipſos maledictione æterna damnarent, & compellerent rerum naturam, propter abominandum piaculum, & nunquam amplius perpetratum, inuſitato pauore contremiſcere: cum mundi fragor auditus eſt, & internis actus concuſſionibus, & molis ſuæ nutante fundamine fluctuabunda commotione iactabatur. Cum Sol expalluit,& lucis ſuæ radios contenebratus abſcondit, & indignata ſuperior, & inferior creatura,tenebris, & motibus, & ſciſſuris compaſſionis ſuæ, & vehementis anguſtiæ indicauerunt affectum. Minabatur propria Mundus excidia. Dies

lucens tenebrarum tyrannide diſcludebatur, & perdidit curſum fugitiua luce fraudatum, atque incubatricem noctem diſſimulato iure contradictionis admiſit. Omnibus expectantibus exitum proprij conditoris, & volente ſeculo protinus ire in ruinam, ne Auctoris tacens prateriret iniuriam, dum hoc agitur, vt ſeculi Auctor, ſeculo teſte moriatur.

Iamq. conſummatis omnibus: Filius Dei ſanguinis ſudorem ſuper humū diſperſerat, & exaltatus ſicut ſerpens in deſerto, omnia traxerat ad ſeipſum.

Iam conſummatum erat ſacroſanctum ſacramentum, quod ſimul Humanitas conſummauit, & Deitas, quod diſpenſatio fuit miſericordiæ, & actio pietatis.

Iam profluuium purpurei cruoris in horto effuderat, & in mortis tremorem, ſuſceperat cordis mæſtitudinem: & militum robuſtorum aciem, non tàm gladijs, quàm crudelitate armatam, ſolo verbo ſtrauerat; iam manus aſtrorum fabricatrices intortis funibus ligandas extenderat, & vinctus ductus fuerat, qui ſoluit compeditos: & maxillas ſanctas, & humeros imperiū ſuſtinentes præbuerat percutientibus: & ictus arundinum ſacrum caput receperat: & dominica facies, Angelorum oculis deſiderabilis, turpi ſputamine fædata fuerat, ſputiſq. largitor imbrium perfuſus: & per ſacrilega facinora, & per omnes iniurias atrocitas ſæuientis prolapſa erat.

Iam clauis ferreis cæli ſtrator affixus fuerat, & mellis dator cibatus felle, & propinator fontium potatus fuerat aceto.

Et Miſericordia cæſa fuerat flagellis: & condemnata venia: & illuſa maieſtas, & infirmata virtus, impietatis, & pietatis commercium factum fuerat, & ſanctitas in nundinam crudelitatis perducta, & Mors mirata fuerat hunc ſolum hominem peccati neſcium, noxa liberum, iuris ſui legibus ſubiacentem, & Iudaico furori confœderata maluit in auctore vitæ ſe mori, quàm tantam perdere prædam: & poſtquam denique, hominum æternus amator, patientia, & manſuetudine ſua, tremenda à terra exaltatione omnia ad ſeipſum traxerat, & deſpecta morte toleratæ paſſionis merito facta peccatorum purgatione, mortales in Deos retulerat, & infida plebs Iudæorum totam viderat paſſionis pompam, ſpectaculum mortis, & crux facta erat ſcandalum pedibus eorum.

Iam denique corpus diuinum vulneribus ſuis decoratum, in quo habitabat plenitudo diuinitatis corporaliter, corruptionem non ſentiens, exanime per triduum iacuerat in frigido ſaxo. Cum ecce, dum ſilentium tenerent omnia, & nox in diem curſum dirigeret, hominum ſpirituumq. genitor, cæli faber, Rex immortalis, vita viuens, primus illuminator, & omnipotens Dominus, animam ſuam illam nobiliſſimam, & ſuperbenedictam, & ex omni parte beatam ad ſacrum domicilium, quod diſpenſatione ad tempus reliquerat, reducit, vt magnificum templum, arte diuina, mirabili ſtructura elaboratum, & alieno ſcelere diſſolutum in tribus diebus excitaret, & cum eo reſtauraret, quæ in terris, & in cælis ſunt.

Illa autem (ſicut Regina, quæ monilibus, & precioſis margaritis, & aureis veſtibus incedit ornata, ingreditur thalamum ſuum) ingreditur in thalamum corporis ſui, reuertitur in domum ſuam, magna cum gloriæ pompa, & glorioſa oſtentatione præfulgens, magis quàm mille Soles, & omnibus cæleſtibus luminibus comitata. Et primo quidem triſtem mortem inde propellit,

pellit, non iam amplius dominaturam, ſed æternis ſeculis interituram, præcipitans illam in ſempiternum, & tam robuſta virtute deuicit illam, vt vnico ictu non ſolum eam fugaret à beato illo corpore, ſed longe à mortalibus omnibus eam exterminaret: vt quapropter iam homines cum moriuntur, non moriantur, ſed in pace, & in Domino morientes, dormiant, & requieſcant, & iam mors non ſit vlterius pauor, & labor, ſed ſomnus, & quies, & immortalitatis principium. Quamquam enim eſſemus iræ, & mortis filij, tamen propter magnã charitatem ſuam ipſe qui diues eſt in miſericordia, *Epheſ. 2.* ſurgens à mortuis conuiuificauit nos ſibi, & conreſuſcitauit, & conſedere fecit in cęleſtibus, vt oſtenderet in ſeculis ſuperuenientibus abundantes diuitias gratiæ ſuæ. Deinde vero totam domum ſuam peruadit, & pertingit à fine vſque ad finem, & penetrat ad loca compagum, & medullarum, & vſque ad terminos artuum, omnia luſtrat, ſeſeq. maſſæ ſuæ infundit, mirabiliquè modo, prorſusq. diuino figmentum ſuum regenerat, æternam & immortalẽ vitam elargiens, & in momento, & in ictu oculi, quod ceciderat, & erat mortale ſurgit, & in incorruptionem, & immortalitatem tranſit, & abſorbetur mors in victoria, & ſupra quàm dici poteſt, ſurgit in gloria: fulgendo coruſcat, irradiando ſupra claritatem Solis, ſupra claritatem Lunæ, & ſupra claritatem Stellarum: nihil illa pulchritudine pulchrius, nihil illo decore venuſtius, tantumq. ibi decor, & fulgor effulſit, vt omnes oculos beatos facere poſſet, qui intuerentur illum, & ſtatim, qui deſpectus fuerat, & contemptus, *Iſai. 53.* & nouiſſimus virorum, & vir dolorum, & ſciens infirmitatem, cui non erat ei ſpecies, neque decor, & qui quaſi leproſus, & à Deo percuſſus reputabatur, & à Deo humiliatus, apparuit ſpecioſus præ filijs hominum, & ex Oceano mortis, tanquam roſeum iubar aſcendit formoſiſſimus, omnis pulchritudinis culmen obtinens: erantq. ſpecioſi pedes eius, quos durus clauus confixerat: erant pulchræ manus eius, nec amplius ſanguine cruentæ, ſed lumine decoræ, tornatiles, aureæ, & plenæ hyacinthis: erant oculi eius ſidera lucentia, genæ eius videbantur lacte lotæ, & purpura tinctæ: & comæ eius, ſicut elatæ palmarum, ſicut aurum optimum: collum ſicut ebur, labia eius, ſicut vitta coccinea, & lilia diſtillantia myrrham primam, eloquium eius ſuaue ſicut fauus, vox eius dulcis ſicut cithara, & lyra, & organa bene ſonantia: mel, & lac ſub lingua eius, odor eius ſicut vnguentorum optimorum, & myrrhæ, & thuris, & cynnamomi, & vniuerſi pulueris pigmentarij, & fluebant vndique aromata eius: venter eius eburneus, diſtinctus ſaphiris, vallatus lilijs: crura eius ſicut marmor candidum, fundatum ſuper baſes aureas: guttur illius ſuauiſſimum, & totum deſiderabile, iuncturæ fæmorum, ſicut monilia, quæ fabricata ſunt manu artificis.

Totum denique corpus fulgebat magnifica, & diuina coruſcatione, ſed ea parte, in qua ferrũ pertranſijt, fulgebat illuſtrius. Plagæ illæ ſyderibus feliciores, micabant vehementius, irradiabant frequentius, coruſcabant diuinius: Ibi enim ſereniſſima lux tanto fulgore ſe infixerat, vt ibidem diuina pulchritudo magis, quàm alibi videretur ſplendeſcere. Habet cælum vnicum ſolem, ſed in corpore illo diuino, quot plagæ erant, tot ſoles effulgebant: vbi autem ſpinæ compunxerant, diuina lumina apparebant, ſingula quæque vulnuſcula circa caput luminoſum, erant ſingula ſydera, vt videretur ibi firmamentum quoddam cæleſte, ſyderibus prælucentibus ornatiſſimum, vt

ſtupor

ſtupor eſſet videre, cum tam fulgida luminum magnificentia lucere in diuino illo corpore quinque ſoles inter tot limpida ſydera.

Cum igitur deificum corpus formam maieſtatis ſuſcepiſſet, & mortalitas in immortalitatem conuerſa eſſet, & in incorruptionem, & caro in Deum, & tenebræ inferorum in lucem, vt ſe nox iam perijſſe gauderet, quæ interualla, quæ vicem ſuæ fœliciſſimæ perdidit ſeruitutis, vt in perpetuæ lucis proflueret, & erumperet libertatem, vt eſſet nocti illuminatio eius in delicijs eius.

Vix à corpore mortuo mortem profligauerat: vix mortale, & paſſibile immortalitatis, & impaſſibilitatis gloriam fuerat conſecutum: vix caro illa ictibus fuſtium,& vulneribus deformata, ſempiternum fulgorem, perpetuam diuinæ lucis refulgentiam ſuſceperat, cum gloriam illam, & beatum ſplendorem, hominibus, quos condiderat, quos dilexerat, qui omnes morti traditi fuerant, & corruptioni in ſepulturis,propter peccatum à primis noſtris parentibus in origine mundi contractum, inaudita beneficentia, magnifico munere, animo excelſo, & corde magnamimo largitum eſſe voluit: menteq. verſans cunctos mortales, quot fuerant, & erant, & futuri erant, cunctos voluit tantæ beatitudinis eſſe conſortes, eos ſcilicet, qui munus agnoſcerent, aut agnitum non ſpernerent, aut incredulitate, & impietate ſua, & diuinorum præceptorum inobſeruantia, ſeſe tanto honore indignos turpiter non redderent; factuſq. mortis victor, reſurrecturos homines in beatitudine conſtituit ſempiterna, & ijs, quos pauor humanæ mortis percuſſerat, ſeueritatem præſtitit diuinæ vitæ, & reformans diuino artificio corpus mortalitatis noſtræ, configurauit illud corpori claritatis ſuæ, interimq. eſſet corpus eius, vbi lux habitabat æterna, quod erat in cæleſtia relaturus, tantæ beatitudinis noſtræ primitiæ, & exemplar, & teſtimonium perpetuum futuræ gloriæ, quæ reuelabitur in nobis, & nullus ambigeret, quod ſi terreſtris domus noſtra huius tabernaculi diſſoluitur, Domũ ex Deo habemus, non manufactam, ſed æternam in cælis.

En aſcendit de Deſerto delicijs affluens,innixus ſuper fortitudinem ſuam; ſpecie ſua, & pulchritudine ſua intendit proſpere,procedit, & regnat potentiſſimus, dilectus præ omnibus, electus ex millibus, egreditur, vt intueantur eum, & langueant gentes amore eius. Filius Principis eſt, & genitrix eius Regina, ideo regnat, & decorem induit, & præcinxit ſe fortitudine. Surrexit ſicut aurora matutina, ſicut ſponſus ornatus ex thalamo ſuo, & occurſus eius ab itineribus æternitatis, ſicut ſol in meridie, ſpectabilis, vt caſtrorum acies ordinatà, & totus ornatus, amictus lumine apparuit, & egreſſus eſt in agrum mundi ex foramine petræ, & cauerna maceriæ, & menſus eſt terram, & ſubiecit eam, & viſus eſt oculis ſpectantibus eum, admirabilis, & Deus. fortis, & Rex futuri ſeculi, & Pater luminum, totus pulcher, & decorus.

De terræmotu & Angelorum aduentu ad Reſurrectionem Ieſu Chriſti. Cap. 223.

CVm igitur forma Dei, formam hominum in mortem lapſam,in tàm elegantem ſtructuram reſtituiſſet, & hoc modo & lamenta mundi, & incrementa

crementa mortis, & creatoris iniuriam ſuſtuliſſet, & appareret viuus, qui mortuus iacuerat in ſepulchro, in præſentia tàm excelſæ diuinitatis, quæ ad corpus ſuũ exanime ſpiritũ reuocauerat, terra tremuit, & terræmotus factus eſt magnus, & deſcenderũt Angeli de Cælo, & laudauerunt eum Archangeli, Throni, Virtutes, Dominationes, Cherubim, & Seraphim, lætitiæ chords ducentes, glorioſi Domini gloriam admirantes, & lætantes in eo, quod exinanitio humilitatis ad depoſitæ altitudinis redierit maieſtatem.

Exultauit Cælum laudibus, reſultauit terra gaudijs, quoniam abruptis mortis vinculis, quæ vim ſuam in eum, qui peccati erat neſcius, intendendo perdiderat, infirmitas in virtutem, mortalitas in immortalitatem, contumelia tranſiuit in gloriam.

De ſplendore, & dignitate diei, in qua Dominus reſurrexit. Cap. 224.

SPlendebat in corpore eius immenſurabilis luciditas, & comitabatur illud incomparabilis dignitas, quæ nec paſſura eſt amplius corruptelam, nec diſſoluet eam inuidioſa vetuſtas, nec aliqua mutabilitas labefactabit.

Dies illa alacrior totius anni diebus refulſit. Non de vſitatis Solis curriculis illuminata præclarius, ſed de lumine reſurgentis Domini illuſtrata ſublimius. Admirandus enim iuſtitiæ Sol, ex nubibus tenebrarum prodiens, delectabile lumen effudit, & euangelizatis ſanctorum animis ab inferis eleuauit ſecum corpora Sanctorum participato lumine, tanquam ſyderum ſpiritualium choro comitatus reſplenduit, & diei omnium fœliciſſimi lucem multiplicauit, nouumq. diem à ſe factum, conſtituit, vt omnes exultarent, & lætarentur in eo. Dies magna, dies præclara, dies regia, & Regina dierum, quam fecit Dominus, quam conſpicati, qui erant in tenebris, exclamauerunt, quia lumen viderunt magnum, & qui erant in regione vmbræ mortis lux orta eſt eis. Contremuerunt Inferi inſolitum ſuſtinentes ſplendorem, ſicq. incuruatum eſt Christo omne genu cæleſtium, terreſtrium, & infernorum. *Chryſoſt. de reſur. hõ. 5.*

Sed oſtenſurus illam præordinatis teſtibus, qui omnem terram, & in longinquas inſulas tam iucundiſſimæ rei nuncium enunciaturi erant, noluit gloriam ſuam magnam obtutibus illorum totam exponere, ne forte morerentur, & ſupernaturalis lucis aſpectum ferre non valentes, obcæcati caderent, & deficerent; tantum huius lucis gloriam aliquam, & partem oſtenderat tribus Apoſtolis in monte Thabor, cum transfiguratus eſt ante eos, & reſplenduit facies eius ſicut Sol, & veſtimenta candorem omnem exſuperantia facta ſunt, ſed momentaneus ille decor ſuper monte effuſus, imaginem, non ſpeciem, ſimilitudinẽ, non ſubſtantiam, partem, non plenitudinem glorificationis explicauit. *Cyprian. de reſur. to. 2.*

Sed nec eandem gloriam, quam ante oſtendit Apoſtolis, reſurgens illico oſtendit, ſed quod videre conſueuerant, hoc obiecit oculis eorum, & dilata eſt in aliud tempus claritatis illius, quam nobis promiſit, plenitudo, quæ in ſe erat perfecta, & à nobis in nobis expectatur perficienda lucidior, & ſincerior, quàm æſtimari poſſit ab aliquo, cuius primitias in Chriſto glorificato accepimus.

De claritate immenſa reſurrectionis Chriſti, quæ & paſsionem decorauit, & mortem ipſam pulchram fecit. Cap. 225.

CLaritas autem hæc reſurgentis Chriſti tàm magna extitit, & tàm vehementer fulſit, vt paſſionem eius & mortem, quæ quibuſdam viſa ſtultū aliquid, & ſcandalo plenum, ſuo lumine decorauerit, vt & pulchra mors, & paſſio decora videatur, & quod apparuit ſignum ſtultitiæ, euaſerit ſplendor iuſtitiæ, & ſi quid confuſionis viſa eſt in tempore illo pati ſancta eius humilitas, factum eſt in reſurrectione exaltatio, & ſublimitas & rerum manifeſtatur effectu, quod Apoſtolus ait: Stultum huiuſmodi ſapientius eſſe hominibus, & infirmum fortius omni fortitudine, per quod reprobata ſapiētia huius mundi, & de potentibus, & ſapientibus in nomine Crucifixi pauperes ſpiritu potentiſſime triumpharunt, nec iam amatoribus Crucis mors magiſtri ſit horrori, neque pœna ſit dolori, nec paſſio ſit pudori, cum hæc omnia vitæ noſtræ ſint inſtrumenta, & vt iam mors & Crux non ſit tormentum commiſſæ iniquitatis, ſed documentum pietatis, immo & ſacramentum, quo virtus impletur diuina, & exemplo, quo deuotio incitatur humana, quoniam captiuatis iugo crucis etiam hoc præſtat redemptio, vt eam ſequi poſſet imitatio.

Ibid.

Leo de reſur. Domi. ſer. 2.

Tantus autem ſplendor ex reſurrectione in paſſionem, mortemq. refulſit, vt paſſio, & mors cum reſurrectione contendat, qui earum videatur eſſe ſplendidior, ſub dubioq. vertatur, an Dominus pulchrior in paſſione extiterit, an formoſior in reſurrectione apparuerit? An ſanguis eius in paſſione effuſus, ſit clarior, an ſplendor in reſurrectione diffuſus, ſit illuſtrior, an magis laudabilis in morte pretioſa, an magis ſpectabilis in reſurrectione glorioſa.

An magis glorioſus Rex, quando indutus eſt purpura, diademate decorus, aſperſus auro, ſolio ſublimis, ſceptro inſignis, in throno ſublimis.

Certe decorus eſt Rex, quando in campum fortis armatus in honore vltimus, in periculis primus, cum onuſtus ferro, grauis armis, pro patria, pro ciuibus, pro liberis, pro vita omnium premit hoſtem, diſcrimina deſpicit, contemnit vulnera, ipſam libens mortem ſuſcipit ad ſalutem ſuorum.

Decorus etiam eſt, cum ſedet in maieſtate purpura indutus, clamyde tectus, ſolio ſublimis, ſceptro inſignis, auro & margaritis fulgens, diuidit ſpolia, largitur præmia, diſtribuit regna. Sed hic eſt maieſtate ſublimior, ibi eſt robore præſtantior. Hic regia fœlicitas fulget, illic inuicta fortitudo commendatur.

De fulgurante Angelo, qui reſuſcitato Domino, ſuper lapidem monumenti in candidis veſtibus aſtitit. Cap. 226.

IGitur in reſurrectione Domini Angelus eius deſcendit de cælo, & accedens reuoluit lapidem monumenti, & ſedebat in dextris: Erat autem aſpectus eius ſicut fulgur, & veſtimentum eius ſicut nix, coopertus enim erat ſtola candida, præ cuius timore exterriti ſunt cuſtodes, & facti ſunt velut mortui.

Qui

Qui accedentibus ad monumentum, oſtendebat locum, vbi poſitus fuerat Dominus, & nunciabat eis, quoniam Dominus reſurrexerat, & in mundum viuus redierat, confortans eos, vt illum quærerent, & inuenirent, vt gauderent: ſicut enim per infœlicis Adæ lapſum, infœlix Adam eiectus eſt de Paradiſo, & collocauit Deus ante Paradiſum voluptatis Cherubim, Angelum ſcilicet flammeum gladium, & verſatilem geſtantem, terrentem homines, ne redire poſſent ad lignum vitæ, ita è contra deleta originali culpa, & poſt à Chriſto reſeratum paradiſum per paſſionem & reſurrectionem eius, Angelus Domini reuoluit lapides, & impedimenta, & miniſtrat hominibus, vt ad paradiſum reuertantur, vnde deciderant, & capiant hæreditatem à Domino partam, & viuant in æternum.

De multiplici manifeſtatione Dominicæ Reſurrectionis, quam fecit Dominus præordinatis teſtibus. Cap. 227.

CVm igitur naturam humanam peccati vetuſtate collapſam ad hanc excellentiſſimam nouitatem reſtituiſſet, & qui, cum in honore eſſet, non intellexit, comparatus fuerat iumentis inſipientibus, & ſimilis factus fuerat illis, non ſolum ad amiſſum honorem, ſed ad præſtantiſſimam, & diuinam immortalitatis ſortem, & ad regiam gloriam in cæleſtibus extuliſſet, antequam illam ad dexteram Dei Patris honoris gratia, beatitudinis poſſeſſione collocaſſet, voluit eã oſtendere hominibus, quibus illam acquiſiuerat, vt & largitoris magnificentiam, & muneris magnitudinem agnoſcerent, & in deſerto mundi, & in hac mortuorum regione, ambularent ante faciem tanti luminis, ignisq. micantis in ſilentio, & ſpe, in gaudio & lætitia, & in longanimitate, & patientia, expectantes beatam ſpem, donec reformetur corpus mortalitatis noſtræ, corpori claritatis ſuæ configurandum.

Noluit autem illam oſtendere omnibus, ſed teſtibus tantum à Deo præordinatis, vt iſti iucundiſſimum hoc nuncium, & ſummum hoc bonum hominibus acquiſitum enunciarent ægris mortalibus iacentibus in tenebris, & vmbra mortis, & eſſent teſtes huius rei non ſolum in Hieruſalem, & in omni Iudæa & Samaria, ſed in omnem terram exiret annunciatio eorum, & in fines orbis terræ Euangelium ipſorum, vt læta hæc & iucunda atteſtatio futurorum bonorum, & æternæ redemptionis inuentæ, perueniret in omnes generationes, quotquot erant, & quot futuræ erant vſque ad conſummationem ſeculi.

Quapropter apparebat eis, modo vni, modo alteri, modo viris, modo mulieribus, modo pluribus, modo omnibus diſcipulis ſuis, alijsq. quos diligebat, & apparitione eius dignos faciebat, in multis argumentis, in multis locis, & in mari, & in terris, & in domibus; penetrabat muros beato illo corpore, ambulabat ſuper aquas, edebat & bibebat cum illis, & colloquia miſcebat, & oſtendebat illis pedes & manus, & latus lancea perfoſſum, vt illos firmaret in fide, & ſcirent quoniam ipſe erat, qui crucifixus fuerat, vt teſtimonium verum reddere poſſent, de eo, quod viderant, & audiuerant, & manus eorum contrectauerant de Verbo vitæ.

Quos cum reſurrectionis ſuæ certos reddidiſſet, & lætos effeciſſet, docuit illos, quæcunque erant neceſſaria de regno Dei, & reuelauit conſilium Dei

de

de æterna redemptione inuenta, pro vniuerſorum ſalute, vt gratia, & veritas eius comprobaretur, & gloria, & regnum expectaretur. Magna illis diebus confirmata ſunt ſacramenta, magna ſunt reuelata myſteria, & diræ mortis ablatus eſt metus, & non animæ ſolum, ſed carnis etiam immortalitas declarata eſt: infuſus eſt beatis Apoſtolis Spiritusſanctus, & B. Petro Apoſtolo ſupra ceteros, poſt regni claues, ouilis Dominici cura mandata eſt: ſed hoc præcipue ſuorum & oculis inſinuauit, & cordibus, vt Dominus Ieſus vere agnoſceretur reſuſcitatus, qui vere erat natus, & paſſus, & mortuus.

Iuſſit autem illos ire per vniuerſum mundum, & hoc fœliciſſimum nuncium, & Euangelium prædicarent omni creaturæ, & docerent gentes ſeruare omnia, quæcunque mandauerat illis, & qui crederent, & reſipiſcerent à peccatis, admirabilem hanc tanti boni poſſeſſionem adipiſcerentur, & ſalui fierent ab omnibus malis, & vitam æternam cum beatitudine coniunctam haberent in nomine eius. Hanc autem excellentiſſimam gratiam, tunc ſe conſecuturos eſſe ſcirent, cum credentes baptizarentur in nomine Patris, & Filij, & Spiritusſancti, vt aquæ ablutio externa eſſet eis in ſignum, quod intus à peccatis mundarentur, & diuina gratia perficerentur, & fierent filij Dei, & hæredes æternarum diuitiarum.

Ad hoc autem, vt homines annunciatam ſalutem crederent, dedit eis poteſtatem faciendi ſigna, & miracula, & prodigia, quæ nullus agere poteſt niſi Deus, aut is cui ſit Deus cum eo, vt ſequentibus ſignis ſermones eorum confirmarent, & gentes crederent, & viſo ſupernaturali ſigno ambigere non poſſent de veritate rei, quæ nunciabatur.

Dedit autem eis admirandam, & inauditam poteſtatem eijciendi Dæmonia, quæ toto orbe regnabant, vt linguis loquerentur nouis, quæ ignorabant, & ſerpentes tollerent, & ſi quid mortiferum biberent, eis non noceret, vt ſuper ægros manus imponerent, & bene haberent, & ſanarentur à languoribus ſuis, & cæcos illuminarent, & claudos, vel vmbra corporis ſui, & mortuos ad vitam reuocarent, & transferrent montes, & alia prodigia, & ſigna, his maiora perficere poſſent in nomine eius, qui omnia poteſt.

Qualiter omnes homines in Adam moriantur, & qua ratione omnes in Chriſto Domino in vitam redituri ſunt nunquam amplius morituri, & de gloria carnis noſtræ, quæ incorruptibilis, & immortalis euadet ex D. Paulo Apoſtolo. Cap. 228.

1. *Cor.* 15. NOtũ autem vobis facio Fratres Euangelium, quod prædicaui vobis, quod & accepiſtis, in quo & ſtatis, per quod & ſaluamini, qua ratione præ-
Iſa. 53. dicauerim vobis, ſi tenetis, niſi fruſtra credidiſtis. Tradidi enim vobis in
Iona 2. primis, quod & accepi: quod Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris ſe-
Oſea 6. cundum ſcripturas. & qui ſepultus eſt, & qui reſurrexit tertia die ſecundum
Ioan 20. ſcripturas, & qui viſus eſt Cephæ: & poſt hoc, vndecim. Deinde viſus eſt pluſquam quingentis fratribus ſimul: ex quibus multi manent vſque adhuc,
Act. 9. quidam autem dormierunt. Deinde viſus eſt Iacobo, deinde Apoſtolis omni-
Epheſ. 3. bus. Nouiſſime autem omnium, tanquam abortiuo, viſus eſt & mihi. Ego enim ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus,

quo-

quoniam perſecutus ſum Eccleſiam Dei. Gratia autem Dei ſum id, quod ſum, & gratia eius in me vacua non fuit, ſed abundantius illis omnibus laboraui, non ego autem, ſed gratia Dei, quæ mecum eſt.

Si in hac vita tantũ in Chriſto ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus om-
nibus hominibus. Nunc autem Chriſtus reſurrexit à mortuis, primitiæ dor- *Coloſ. 1.*
mientium, quoniã quidem per hominem mors, & per hominẽ reſurrectio mor- *Apoc. 1.*
tuorũ. Sicut enim in Adam omnes moriuntur. ita & in Chriſto omnes viuificabuntur, vnuſquiſque autem in ſuo ordine. Primitiæ Chriſtus, deinde ij, qui ſunt Chriſti in aduentum eius. Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo, & Patri, cum euacuauerit omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem.
Oportet enim illum regnare, donec ponat omnes inimicos ſub pedibus ſuis. *Pſ. 109.*
Nouiſſima autem inimica deſtruetur mors. Omnia enim ſubiecit ſub pedi- *Heb. 1. &*
bus eius. Sed dicit aliquis. Quomodo reſurgunt mortui? quali autem *10.*
corpore venient? Inſipiens tu, quod ſeminas, non viuificatur, niſi moriatur. *Pſal. 8.*
Et quod ſeminas: non corpus, quod futurum eſt ſeminas, ſed nudum granum, vt puta tritici, aut alicuius ceterorum; Deus autem dat illi corpus ſicut vult, & vnicuique ſeminum proprium corpus. Non omnis caro, eadem caro, ſed alia hominum, alia pecorum, alia autem volucrum, alia piſcium. Et corpora cæleſtia, & corpora terreſtria, ſed alia quidem cæleſtium gloria, alia autem terreſtrium, Alia claritas Solis, claritas Lunæ, & alia claritas ſtellarum. Stella enim à ſtella differt in claritate, ſic & reſurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione, ſurgit in incorruptione: Seminatur in ignobilitate, ſurgit in gloria: Seminatur in infirmitate, ſurgit in virtute:
Seminatur corpus animale, ſurgit corpus ſpirituale, ſicut ſcriptum eſt; Fa- *Gen. 2.*
ctus eſt primus homo Adam in animam viuentem, nouiſſimus Adam in ſpiritum viuificantem, Sed non prius quod ſpirituale eſt, ſed quod animale: deinde quod ſpirituale. Primus homo de terra, terrenus: ſecundus homo ipſe Dominus de cælo. Qualis terrenus, tales & terreni; qualis cæleſtis, tales & cæleſtes. Et ſicut portauimus imaginem terreni, portabimus & imaginem cæleſtis. Hoc autem dico fratres, quia caro & ſanguis regnum Dei poſſidere non poſſunt: neque corruptio incorruptelam poſſidebit. Ecce myſterium vobis dico. Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur, in momento, in ictu oculi, in nouiſſima tuba: canet enim tuba, & mortui reſurgent incorrupti, & nos immutabimur. Oportet, enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Cum autem corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale
hoc induerit immortalitatem, tunc fiet ſermo, qui ſcriptus eſt: Abſorpta *Oſea 13.*
eſt mors in victoria: vbi eſt mors, victoria tua? Vbi eſt mors ſtimulus tuus? *Heb. 2.*
Stimulus autem mortis, peccatum eſt, virtus vero peccati, lex: Deo *1. Io. 5.*
autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Itaque fratres mei dilecti ſtabiles eſtote, immobiles, abundantes in opere Domini, ſemper ſcientes quod labor veſter non eſt inanis in Domino.

Quid præſtiterit hominibus terrenus Adam in generatione ſua, & ad quam ſublimitatem gloriæ erexerit homines cæleſtis Ieſus Chriſtus, cum eos reſurgendo regenerauit in vitam æternam, & immortalem. Enarratio ex Santo Petro Chriſologo. Cap. 229.

D. Petri Chriſol ſer. 117. DVos homines beatus Apoſtolus hodie retulit humano generi dediſſe principium, Adam videlicet, & Chriſtum; duos homines pares corpore, ſed merito diſpares, compage membrorum tota veritate perſimiles; Factus eſt, inquit, primus homo Adam in animam viuentem, nouiſſimus Adam in ſpiritum viuificantem. Ille primus ab iſto nouiſsimo factus eſt, à quo eſt & animam conſecutus, vt viueret: hic eſt ipſo ſe figuratus auctore, qui vitam non expectaret ab altero, ſed ipſe vitam ſolus omnibus largiretur: ille viliſſimo plaſmatur ex limo, ex vtero precioſo Virginis hic procedit: in illo terra mutatur in carnem, in iſto caro promouetur in Deum. Et quid plura? Hic eſt Adam, qui ſuam tunc in illo, cum fingeret, imaginem collocauit. Hinc eſt, quod eius, & perſonam ſuſcipit, & nomen recipit, ne ſibi quod ad ſuam imaginem fecerat deperiret. Primus Adam, nouiſſimus Adam: ille primus habet initium, hic nouiſſimus non habet finem. Quia hic nouiſſimus vere ipſe eſt primus: ipſo dicente: Ego primus, & ego nouiſſimus. Ego ſum primus, ideſt ſine initio. Ego nouiſſimus, vtique ſine fine. Sed non prius inquit, quod ſpirituale eſt, ſed quod animale, deinde quod ſpirituale. Prius vtique terra, quàm fructus: illa gemitus exigit, & labores, hic ſubſtantiam largitur & vitam. Meritò propheta de tali
Pſal. 84. fructu gloriatur dicens: Terra noſtra dedit fructum ſuum. Quem fru-
Pſal. 131 ctum? Illum nempe, de quo alibi dicit: De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam. Primus homo, ait, de terra terrenus: ſecundus homo, de cælo cæleſtis. Vbi ſunt qui conceptum Virginis, Virginis partum, mulierum partibus exiſtimant exæquandum, cum illud de terra ſit, hoc de cælo? Hoc diuinæ virtutis ſit, illud infirmitatis humanæ? Illud ſit in corpore paſſionis, hoc totum ſit in tranquillitate diuini ſpiritus? humani corporis in quiete? Sanguis ſiluit, caro ſtupuit, ſoporata ſunt membra, & aula Virginis tota eſt in cæleſti commoratione ſuſpenſa, donec auctor carnis carnis ſumeret indumentum, & fieret homo cæleſtis, qui non ſolum terram redderet homini, ſed homini donaret cælũ. Virgo concipit, Virgo parturit, Virgo permanet. Ergo virtutis eſt caro cõſcia, nõ doloris, quæ magis pariẽdo integritatis augmenta ſuſcipit, damna pudoris ignorat, teſtis potius ſui partus exiſtit, quæ nullas partus pertulit paſſiones, & ſacramentis cæleſtibus interfuiſſe ſe noua mater miratur, quæ naſcentis ordinem intelligit humanæ conſuetudinis nil habere. Si Deum ſic naſci Magus fatetur munere, fatetur dum adorat, aduertite quid ſentire, quid credere debeat Chriſtianus. Sed quod ſequitur audiamus: Qualis terrenus, tales & terreni, & qualis cæleſtis, tales & cæleſtes. Quemadmodum non nati taliter, tales poterunt inueniri non manendo quod nati ſunt, & quod renati ſunt permanendo? Hinc eſt fratres, quod Virgineum fontis vterum cæleſtis ſpiritus arcana luminis ſui admixtione fæcundat, vt quos origo limoſæ ſtirpis profuderat ſub miſera

con-

conditione terrenos, cæleſtes pariat,& ad ſimilitudinem ſui perducat auctoris. Ergo iam renati, iam reformati ad noſtri imaginem creatoris,quod præcipit Apoſtolus,impleamus: Igitur ſicut portauimus imaginem terreni,portemus & imaginem cæleſtis. Fuerit neceſſitas quod de terra concreti cæleſtia aſpirare nequiuimus: quod de concupiſcentia nati, concupiſcentiam nõ valuimus euitare: quòd illecebris dominantibus acquiſiti, coacti ſumus illecebrarum turpitudinem ſuſtinere: quod ſeculi huius habitaculo recepti, captiui fuimus malis: ad inſtar noſtri domini, ſicut diximus, iam renati, quos vtique concepit Virgo, viuificauit ſpiritus, portauit pudor, genuit integritas, nutriuit innocentia, edocuit ſanctitas, virtus exercuit, Deus adoptauit in filios, imaginem totam tota ſimilitudine noſtri portemus auctoris: non maieſtate, qua ſolus eſt, ſed innocentia, ſimplicitate, manſuetudine, patientia, humilitate, miſericordia, concordia, qua dignatus eſt nobis fieri, & eſſe cõmunis. Ceſſet vitiorum pruritus peſtifer, delictorum lethalia blandimenta vincantur, execrandus furor, criminum comprimatur origo, diſcutiatur à ſenſibus caligo tota pompæ ſecularis, abijciatur à mentibus mundanæ cupiditatis illuſio, appetatur paupertas Chriſti, quæ diuitias in cæleſtibus poſſidet ſempiternas, tota ſanctitas animæ cuſtodiatur & corporis, vt non magnitudine, ſed actu imago creatoris noſtri portetur, & clareſcat in nobis. Affirmat, quod diximus, Apoſtolus, cum dicit: Hoc autem dico fratres, quia caro, & ſanguis regnum Dei poſſidere non poſſunt. Ecce quomodo carnis reſurrectio prædicatur, quia ibi caro poſſidebitur à ſpiritu, non caro ſpiritum poſſidebit, ſicut ex ſequentibus eluceſcit: Neque corruptio incorruptionem poſſidebit. Vides, quia non caro deperit, ſed corruptio: non homo ſed culpa: non perſona, ſed crimen, vt homo in Deo, & coram Deo viuens, finem ſe delictorum tandem gaudeat conſecutum.

Quod Ieſu Chriſti à mortuis Reſurrectio ſemper ſit ante oculos habenda, & meditanda, vt vnuſquiſque poſſit læto animo ferre huius vitæ labores, & mortis formidinem ſuperare. Enarratio ex D. Petro Chriſologo. Cap. 230.

SEmper de reſurrectione placere debet eloquium, iugiter de reſurrectione delectare debet auditus, quia mori nunquam libet, viuere ſemper delectat. Reſonet ergo in ore noſtro reſurrectio ſemper, ſemper reſurrectio ad noſtræ mentis tranſmittatur auditum, vt mors, quæ noſtros ſemper obſidet ſenſus, cum terrore ſuo, cum lamentis ſuis à noſtris ſenſibus effugetur. Quia ſic agricola fructus vberes, & exſatiatas epulas cantat, vt imminentem vomeris laborem non ſentiat, & ſudorem. Sic nauta portus modulatur, & lucra, ne vndarum ruinas, ne maris diſcrimina pertimeſcat. Sic miles, ne vulnera metuat, vt gladios non pertimeſcat, prædas perſonat, & triumphos Vnde reſurrectionem mente, ore, oculis, aſpectet, cantet, cogitet Chriſtianus, vt totã mortis poſſit deſpicere, & calcare formidinem. Mors eſt Fratres, deſperationis domina, incredulitatis mater, germana corruptionis, inferni parens, diaboli coniux, omnium malorum regina, quæ omne genus hominum tali ordine inexplebili impugnat, vt primum ſuſurratricem ſuam deſperationem præmittat talia ſuadentem: Homo cur tua perdis tempora? Ecce Domina mors

D. Chriſol. ſer. 118.

tua venit, animam tuam in nihilum redigens, carnem tuam putredine, oſſa tua vetuſtate conſumens, vt te qui non fuiſti, antequam naſcereris, faciat non eſſe poſt mortem. Redde ergo debita ante mortem, moriturus cito, tibi, ætatibus tuis, da luſibus infantiam, da delicijs adoleſcentiam, da voluptatibus iuuentutem, da ſenectutem mihi, ne ſine cauſa de ſpe cogites deſperatus. Poſt iſtam mittit incredulitatem ſuam filiam ſic minantem, quaſi non moriturus, quaſi euaſurus mortem, ſic de vita diſponis. Homo, te decipit fides, tu fidei credis, quæ vt tollat præſentia, futura promittit, & vt auferat, quæ ſunt ante mortem, neſcio quæ inuiſibilia pollicetur eſſe poſt mortem. Quis inde venit, aut quis ſapiens credit tot ſeculis promiſſa, nec reddita? O

Iſa.22. ſi manduces, & bibas, manduca, & bibe, cras enim morieris. Tertiam germanam nequitiæ ſuæ corruptionem tali dirigit cum furore, vt aſpectus hominum inuadat, attrahat, occupet per ſepulchra extremos oſtendens carceres, ſuos iacere ibi demonſtrat immobiliter vinculatos, & vt homines ſenſus hominis horrore toto, toto pauore conturbet, effundit putredinem, eructat ſaniem, ſpargit fœtores, atque ad vnum corpus hominis innumeros carnifices ob ſe vermes dediſſe proclamat. Quare non deſperationi, quare non incredulitati crederent Chriſtiani? Hæc ſunt mortis bella, his ducibus, his conſilijs, tali conflictu captiuat, vaſtat, interficit omnes, quos natura præſentem perducit ad vitam, ducit reges, trahit populos, gentes impellit, non diuitijs redimi, non flecti precibus, non lachrymis molliri, non viribus vnquam potuit iſta ſuperari. Errauere fratres, qui de bono mortis ſcribere ſunt conati. Et quid mirum? tunc ſe mundi ſapientes magnos æſtimant, & præclaros, ſi id quod eſt ſummum malum, hoc eſſe ſummum bonum ſimpli-

Iſa.5. cibus perſuaſerint: merito ſcriptura de iſtis dicit: Væ, qui dicunt bonum malum, & malum bonum. Væ, qui ponunt tenebras lucem, & lucem tenebras. Et reuera, quem non iſti fallerent, quæ non cæcare potuerunt, qui viuere malum, mori bonum, incautis credere perfecerunt? Sed hæc fratres, veritas ſubmouet, lux fugat, impugnat fides, Apoſtolus notat, Chriſtus delet, qui dum bonum vitæ reddit, malum mortis prodit, damnat, excludit.

1.Cor.15. Sic enim cœpit Apoſtolus: Notum autem vobis facio Fratres Euangelium, quod prædicaui vobis, quod & accepiſtis, in quo & ſtatis, per quod & ſaluamini, qua ratione prædicaui vobis, tenere debetis, niſi ſine cauſa crediſtis. Tradidi enim vobis in primis, quod & accepi, quia Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris, & quia ſepultus eſt, & quia reſurrexit tertia die ſecundum ſcripturas. Dei largitas victurum, non moriturum ditat. Aut cui bonum accipit, ſi non erit ipſe, qui accipit? In quo & ſtatis. Stat vtique, qui ſemper viuit, quia moriturus ſemper iacet. In quo & ſaluamini. Si quis moritur, perit, ſaluatur vero ille, qui ſemper viuit. Qua ratione prædicaui vobis, tenere debetis, niſi ſine cauſa crediſtis. Non ſolum fratres, ſine cauſa credidit, ſed & ſine cauſa vixit, qui ſe ad hoc ſolum natū credidit, vt periret. Homo, quid tibi oritur, quod non occidat? quid tibi, quod occiderit, non reſurgit? Dies mane oritur, & iterum reſurgit in mane. Sol quotidie naſcitur, quotidie moritur, reſurgit ipſe quotidie, tempora dum tranſeunt, pereunt; dum redeunt, reuiuiſcunt. Vnde homo ſi Deo non credis, ſi non acquieſcis legi, ſi non conſentis auditui, vel oculis tuis crede, vel elementis reſurrectionem tuam tibi iugiter prædicantibus acquieſce. Certe ſi

iſta

iſta longe ſunt inferiora, quæ in tuis manibus ſunt, & de morte, tuo opere ſuſcitantur, te poſſe Dei opere doceant ſuſcitari. Vade ad ſemen, Apoſtolo te docente: tolle triticum aridum ſine ſenſu, ſine motu: duc ſulcum, fodi terram, fac ſepulchrum, ſepeli triticum, inſpice quemadmodum morte deperit, humore turgeſcit, putredine corrumpitur, & cum peruenerit ad totum, quicquid deſperatio, quicquid incredulitas, quicquid corruptela tibi ſuperius ingerebat, tunc ſubito reuiuiſcit in germine, in herba pubeſcit, iuueneſcit in caule, matureſcit in fruge, & ad illam totam ipſam, quam tu periiſſe deflebas, ſpeciem reſurgit & formam: vt te homo triticum non tàm doceat manducare, quàm ſapere, non tàm cogat laborare, quàm credere. Reliqua nos taceamus, quia, & vnde, & quando, & quomodo, & per quem mors venerit, beatus Apoſtolus plano, & ſatis lucido, ac diuino declarat eloquio. Homo, accipe fidem, quia gratis datur, crede reſurrectionem, quia, qui promittit illam, pretium non requirit. 1. Cor. 15.

De excellentiſſima gloria, & claritate, quam Chriſto reſurgente conſecuta eſt caro noſtra. Enarratio ex D. Cypriano. Cap. 231.

IN tam mirabili Chriſti reſurrectione multiplicata ſunt etiã gaudia noſtra, quoniam nobis pro quibus ſe humiliauerat, tantæ excellentiæ beneficium dignatus eſt eſſe commune, & partiri nobis ſuæ abundantiam voluit claritatis, vt poſt reſurrectionem corpus non aggrauet animam, ſed ſit caro ſine mole, & pondere, agilis, & mobilis, nulla clauſa obſtaculis, viſu, & auditu penetrans omnia, & attingens, quocunque voluerit ſine impedimento diſcurrens. Inerit reſuſcitatis corporibus nulli vanitati ſubiecta libertas, & quæ cogi non poſſit ad aliquid in nullo laborans, iam à ſpe educta reipſa perfruens, nulla expectatione ſuſpenſa, & in pace quietiſſima confirmata, omniſq. expers formidinis in ſpiritualibus delicijs iugis illa permanſio reflorebit. Quàm mirabilis eſt ſcientia tua Deus, confirmata eſt ſuper nos, nec poſſumus ad eam attingere. Hæc ſapientiæ tuæ altitudo, qui mundum non ex præcedente materia, ſed ſolo verbi tui condidiſti Imperio, creaturis vero corporalibus ex mundi eſſentia dediſti initium, ſuis incolis ſingula elementa adornans hominem, quem de mundo feciſti, cunctis in terra, & aëre, & aquis viuentibus perficiens, ita vt ſuo præpoſito ſingula in ſuo genere miniſtrarẽt, tu alijs vitam temporalem, alijs procuraſti perpetuam, admirabili ordine quædam mutans, & renouans, & præfinito tempore metam irrationabilibus omnibus præfixiſti, & terminum quem tranſire non poſſit, diſſolutioni conditio deſtinata. Homo quia ex cæleſti, & terrena materia compactus eſt, veſtitus extrinſecus pelle, & carnibus, tempus accepit, quo te iubente, redderet terræ, quod de terra aſſumpſerat, & ad immaterialem originem reuerteretur ſpiritus, cuius natura diſſolutionis non admitti iniuriam. Corpus putredine, & caro vermibus conſumenda, ſecundum naturæ ſuæ rationem æternitatis non poterant priuilegio perfrui, & quod ſibi iure non competebat à conditione nequibat exigere, neque vlla eorum interrogatio ſuper hoc merebatur reſponſum. Sed tu optime Domine vltrò gratiam vo- D. Cypria. ſerm. de reſur. Chriſti to. 2.

lens dare ſpiritui, decreuiſti clementius, vt ex ſocietate, & clientela, quam reddiderat animæ caro, aliquid ei commodi proueniret, & quæ ei vehiculum fuerat, & particeps ſtudiorum in recompenſatione miniſterij, iterum dilecto accolæ conſociata pudica, & pacifica rediret, nullas ſecum reuehens contumelias, quibus deinceps quietis internæ concuteret puritatem. Sed, & hoc Domine ad cumulum beneficij addidiſti, vt inter legem carnis, & ſpiritus nulla poſtmodum eſſet diuerſitas: nec poſt initum fœdus vlla iterum inter eos recrudeſcat rebellio, ſed per manum tuam reconciliatio ordinata ſtabilis in perpetuum perſeueret. Te igitur iubente, terra fit caro, & expulſa de domo iterum coniungatur viro, non iam ancilla, ſed libera, & habitent vnius moris in domo murmurationibus conſopitis, quas olim compugnantes inter ſe concupiſcentiæ concitabant. Quis Domine Deus conſiderare hæc opera tua ſufficit, & quis lutum coagulare poteſt in carnem, quis formare poteſt in hominem, quis infundere animam, quis reddere vitam, quis dare æternitatem, quis addere fœlicitatem? Ad hunc prouentum humana laborat creatio: hæc ſemper fidelium exſpectatio fuit. Hoc optabat Rex ille humilis, qui ſe nouerat imperfectum, vt adderes conditioni tuæ quod deerat, & perficeres, & ſolidares opus tuum, quod corruptibilitas, & mortalitas aſſidue conuitijs multis ſolebant affligere, & varijs opprobrijs conſueuerant infeſtare. Tu morti imperas, & abſorpta eliditur, inaneſcit corruptio, vbi æger, te medente, ſanatur. Guſtaſti mortem pro filijs hominum, vt qui tecum mortui erant, tecum viuerent, & participes tribulationum etiam conſolatione gauderent. Reſurrectio quidem communis eſt, & ante tribunal Chriſti neceſſe eſt, vt pietas, & impietas in operatoribus debitis ſtipendijs donarentur, & qui finem habere contempſerunt in malis, infinita clauderentur vltione in pœnis, & qui gloriati ſunt in Cruce cum Crucifixo regnantes, beatæ fierent perennitatis participes. Non ſunt participes huius gaudij, quos damnat ambitio: non poteſt furtiuos habens oculos, paſchalibus ſolemnijs intereſſe. Nihil proditor, & venditor magiſtri, fermentator profanus commune habet cum azimis: Omnis immundus in anima ad eſum huius agni prohibetur accedere. Nulla ad hanc lætitiam perfidia recipitur, omnis malignitas excluditur: calceatus pedibus ad euangelizandum paratus, accinctus renibus, & ſanctimoniæ deſtinatus, habens baculum in manibus, & feſtinans, vt Aegypti deſerat idola ſequens Moyſen, nec formidans viæ diſcrimina, quiſque purus, & ſincerus ſine fraude homo verus accedat, & edat, & ſecurus quòd reſurgat, mortem optet, vt attingat ad æterna gaudia, in quibus eſt vita noſtra ſurſum manens, & nos trahens ad bona cæleſtia. Qui viuit. Hæc ille.

De

De Magnificentia , & altitudine gloriæ Domini Ieſu Chriſti aſcendentis ad cæleſtia , vt ſit exemplar mortalibus hominibus , ad qualem honorem , & nobilitatem exiſtentiæ , & ſtatus dignitatem aſcendere poſſint , ſi iuſtè viuant , & Chriſto credant. Enarratio ex D. Cypriano. Cap. 232.

Ponamus hic primo loco , quæ B. Cyprianus de Aſcenſione magnifice ſcripſit, deinde quo ordine facta fuerit, particulariter enarrabimus.

OMnibus itaque ad tam delectabile ſpectaculum aggregatis : Aſcendo , inquit, ad Patrem meum, & Patrem veſtrum , Deum meum , & Deum veſtrum . Horum verborum auctoritas cum iam eorum virtutem Spiritus ſanctus intimaſſet , omnem poterat excludere diffidentiam , & hilareſcebant animi eorum paternitatis diuinæ illuſtrati honore,& fraternitatis Chriſti honorati conſortio, cum audirent , & crederent ſe filios Dei , & fratres Chriſti, in quo omnis excellentiæ plenitudo, & ſufficientia inerat : nec iam quaſi idiotæ , & hebetes huic verbo applaudebant carnaliter , ſed ſubtiliſſime generationem, & dignitatem creaturæ à voluntate, & nutu Creatoris habuiſſe initium, & imaginem , & ſimilitudinem Dei in interiori homine videbant : & dignoſcebant intellectu potius, quàm viſu, quam affinitatem habeant inter ſe pater , & filius : & quia ſubſtantiuo , & naturali filio filij adoptiui , conformes à prima origine multa habeant ex natura, & multa ex gratia . Sane huius generoſitatis conſortium,ſecundum quam ſimul cum Chriſto filij Dei ſumus, nobilitatem exiſtentiæ noſtræ exponit, & intimat : in quo honore ſi manſerimus non degeneres , conſtat omnino non poſſe patrem diffidere à filijs, ſed Deiformibus tutum eſſe ad paternitatem acceſſum : nec poſſe pati ad hæreditatem poſſidendam diſpoſitos in petitionibus diuinis repulſam , ſed in quibuſcunque filius filialiter genitorem appellauerit , neceſſe eſt bonitatem largitoris iuſte ſupplicantis proſequi voluntatem : maxime cum ipſe pater qui largitur iſta, ſuggerat peti , quæ non differt benigne largiri . Et quidem paterna charitas bonis filijs , & hæredibus maxime delectatur : & hoc gloriæ Chriſti vnigeniti dilecti accumulat , quòd beatitudinis ſuæ non patitur eſſe ſolitariam magnitudinem, ſed addit fratres : nõ qui minuant quaſi diuiſam in plures excellentiam, ſed qui altitudinem diuitiarum eius exornent participes, & conſortes . Quod cum ipſum qui pater eſt , conſtet eſſe Deum , & eum Deum noſtrum ſicut & ſuum filius atteſtetur,in eo quòd filij ſumus ipſe nos poſſidet,in eo quòd noſter eſt Deus,quod noſtrum eſt , ipſum cuius proprij ſumus , proprie poſſidemus . Dico igitur Domino meo : Deus meus es tu : & dicit mihi Dominus meus : Ego Dominus Deus tuus . Homo cuius Deus eſt , quid amplius quærit ? Si ſufficis tu Deo, ſufficiat tibi Deus . Bonorum tuorum Deus non indiget, nec conferre potes ei quippiam, nec auferre . Si eſurierit , non dicet tibi . Eius eſt orbis, & plenitudo eius , & magnitudinem eius cæli cælorum non capiunt : non infirmatur , non eget indumento vel cibo : omnia ſcit , omnia poteſt , omnia continet : in ipſo omnes viuimus, mouemur , & ſumus . Quid tu ei quaſi indigo conferes ? te ſolum bonitate, non neceſſitate deſiderat .

Ioan. 20. D. Cypr. in ſer. de Aſcẽſione Dom. to. 1.

Pſ. 117.

Scriptum eſt, & ipſo iubente tabulis inſculptum lapideis , vt diligas eum *Deut 6.*

ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. Dilige, & diligeris: prope eſt merces tua, in manibus porrigitur præmium, eſto tu Dei, & erit tuus Deus tuus. Impar ſanè commercium, pretium inæquale: Sed qui pro nobis triginta argenteis appretiatus, intelligi voluit, quanta fuerit in pretio, quod pro eo datum eſt, & in eo quod ipſe dedit pro mundo, diſſimilitudo, cum ipſe exiguo argento emptus, & venditus, tanto pretio damnatus redimeret, vt dubium eſſe non poſſit, quin pretij magnitudo ſuperaret negocium: nec æquari poſſet damnum, quod omnino damnatio iuſta meruerat, obedientiæ Chriſti, quæ gratis vſque ad mortem progreſſa eſt, & vltro ſoluit, quod non debebat. His intellectis Apoſtoli, ſicut filij prophetarum olim, verum Eliam aſcenſurum ſciebant, & horam illam præſtolabantur gaudentes, nec iam anxiebantur parturientes, ſed exorta lætitia parati erant proſequi recedentem, minime dubitantes quin & ipſi poſt modicum conuerſionis huius, poſtquàm de torrente paſſionis in via hac bibiſſent, exaltato capite, & erecto, ſe ad cæleſtia Dominum ſecuturos. Eleuatis igitur manibus hæreditariam benedictionem relinquens, non manufacto vehiculo, nec auxiliaribus carpentis euectus eſt Chriſtus, ſed naturæ diuinæ propria vſus virtute carnem cælo intulit, & corpus glorificatum patris cõſpectibus præſentauit. Non indiguit vectoribus Angelis, qui offendicula tollentes è medio, ferrent eum in manibus, ſed præcedentes, & ſubſequentes applaudebant victori, & concinentes in iubilatione modulabantur canticum nouum, & implebat Cælos conſonantiæ illius harmonia, Thronis, & Dominationibus parantibus filio iuxta patrem conſeſſum, Cherubim, & Seraphim pedes pacificos, ambientibus radiantibus vndique diuinis claritatibus, & ſplendoribus ſupercæleſtibus, quos nec ardor perſeuerãs conſumit, nec turbinis alicuius afflatus extinguit, nec interpolatio caliginis vllius abſcõdit.

Celebrat tanti triumphi magnificentiam lætabundus cæleſtis exercitus, & qui deſcendenti coram paſtoribus Bethlehemitis decantauerunt in ſublimi præconia, modo expreſſioribus conatibus, & intenſioribus iubilis reuertenti ad patrem ſolemniora obſequia impendebant, & feſtiuis affatibus venerabantur hominem ſupra ſe ſublimatum: quem gloria, & honore coronauerat pater, & ad dexteram ſuam collocatum, hoc dato ei priuilegio ſingulari, vt in nomine eius omne genu flecteretur, & ſuper omne nomen eius nomen excellentius coleretur. Quanta in eius ſuſceptione in cælis iucunditas fuerit nemo ſufficit enarrare: rei huius magnificentia omnem ſuperat intellectum. Si linguis hominum, vel Angelorum quis eloquatur, vel ad hoc cuiuſlibet elaboret acumen ingenij, vt definire velit, quæ patris in reditu filij hilaritas fuerit: aut ſi forte illud ſempiternum gaudium aliquod tunc admiſerit incrementum, ſi ſtabilitatis æternæ ſe aliquo modo mutare poſſit immobilis magnitudo, ſcrutator ille maieſtatis opprimetur à gloria, & verendum eſt, nedũ vehemẽtius exprimit verba, quàm oportet, ſanguinem pro lacte emungat. Attamen inuiſibilem Deum, viſibilẽ filium recepiſſe ad dexterã ſuam manifeſtũ eſt, & humilitatẽ carnis noſtræ throno iudiciario honoratam paternæ complacuiſſe altitudini; duo genera gentium ciuitati ſupernæ, de qua glorioſa dicta ſunt, deinceps aſſignare, & eſſe ſupra manſionarios homines, & Angelos, & beatitudinis illius gloriam his duobus ordinibus in pepetuum frequentari. Hæc merces obedientiæ Chriſti, hæc Cru-

cis, & mortis ſtipendia, hic paſſionis labor promeruit, vt corpus humilitatis noſtræ fieret corpori claritatis Chriſti cõforme, mortale hoc indueret immortalitatem, & corruptibile incorruptionem: & fierent homines cum Chriſto, & cæleſtibus iudices, qui cum eo iudicia pertulerant malignorum, & exciterant vſque ad mortem tribulationũ conſortes. Hac die primũ inuecta eſt cælis hæc nouitas inaudita, & gauiſus eſt pater hæreditate amplificata, promiſſionibus, quas loquutus fuerat in prophetis redditis, & completis. Solum ad hæc quæ prædicta ſunt reſtat iudicium, & examinationi vltimæ adhuc reſeruant antiqua oracula locum. De iudicio quippe, & anguſtia Chriſto ſublato, ſupereſt poſt miſericordiæ tempora, quæ ad finem feſtinant, vt iuſtitiam comitetur iudicium: & habeant ſinguli quod merentur, & honoretur honore dignus, & contemptor confundatur inglorius. Hoc, & duo Angeli Chriſto aſcendente reſtati ſunt, quia qui iudicatus abibat, Iudex eſſet terribilis rediturus, & videret collecta in vnum generalitas hominum, quas ſoderat manus, quod terebrauerat latus, faciem quam conſpuerat, & prolata in medium inflexibili ſententia, occurrentibus Saluatori electis, remaneant impij infinitis deputati tormentis.

Quanta illud edictum ſequentur lamenta? illius vltimæ tubæ clangor quã horribilis erit? continuus erit, & ſuperfluus illarum lachrymarum decurſus, ſtridorem illum dentium flammæ inextinguibiles agitabunt. Immortales miſeri viuent inter incendia, & inconſumptibiles flammæ nudum corpus allambent. Ardebit purpuratus diues, nec erit qui æſtuanti linguæ ſtillam aquæ infundat. *Luc. 16.* In proprio adipe frixæ libidines bullient, & inter ſartagines flammeas miſerabilia corpora cremabuntur, & omni tormento atrocius deſperatio condemnatos affliget. Non miſerebitur vltra Deus, neque tunc audiet pœnitentes; ſera erit illa confeſſio, & cum clauſa fuerit ianua, fruſtra carentes oleo acclamabunt excluſi. Nullum remedium: ſemel Chriſtus deſcendit ad Inferos, vlterius non deſcendet, non vltra videbunt Deum in tenebris ſigillati; irregreſſibilis erit illa ſententia, & immutabile iudicium, & ſtabit damnationis huius immobile conſtitutum. Exultabunt ſane Sancti in gloria, videbunt Deum, & gaudebunt, lætabuntur, & delectabuntur, & fruentur gloria, & infęlicitate iucundabuntur æterna. Ibi non guſtabunt, quam ſuauis ſit Deus, ſed implebuntur, & ſatiabuntur dulcedine mirifica: nihil eis deerit, omne deſiderium eorum Chriſtus præſens implebit, non ſeneſcent, non tabeſcent, non putreſcent amplius: perpetua ſanitas, fęlix æternitas, beatitudinis illis ſufficientiam confirmabunt. Non erit concupiſcentia in membris, non vltra vlla exurget rebellio carnis, ſed totus hominis ſtatus pudicus, & pacificus, ſana ex integro natura, ſine omni macula, & ruga deinceps permanebit. Erit denique Deus omnia in omnibus, & illius præſentia omnes animæ, & corporis implebit appetitus, ceſſabuntq. de cetero conſummatis omnibus miniſtratorij Angelicarum virtutum diſcurſus: & impleta, ordinataq. omnino Ciuitate Dei, nec innouabitur, nec mutabitur vltra fixæ, & conſummatæ beatitudinis ſtatus. Ei igitur, ante cuius tribunal ſtabimus, qui nunc vultui Dei apparet pro nobis, cui de nobis tanta cura fuit, vt pro nobis vellet naſci, & mori, in præſenti quæſumus, vt ſit cura curandi nos, & nobis auctoritatem, & poteſtatem iudicandi noſmetipſos, & corrigendi concedat, vt in illo terribili iudicio ſuo inter electos aſci-

ti, & congregati, liberi à ſeruitute, & à captiuitate, cæleſtibus Ciuibus coniungamur, & fruamur bonis, quæ ipſe diligentibus ſe repromiſit, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit. Hæc Cyprianus.

Quod per mortem, & reſurrectionem, & aſcenſionem in cælum Domini noſtri Ieſu Chriſti, homines eleuati ſunt ad poſſidendas æternas gloriæ diuitias in cæleſtibus. Enarratio ex D. Paulo Apoſtolo. Cap. 233.

Epheſ. c. 1. NOn ceſſo gratias agens pro vobis, memoriam veſtri faciens in orationibus meis, vt Deus, Domini noſtri Ieſu Chriſti pater gloriæ, det vobis ſpiritum Sapientiæ, & reuelationis in agnitione eius, illuminatos oculos cordis veſtri, vt ſciatis, quæ ſit ſpes vocationis eius, & quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis eius, in ſanctis, & quæ ſit ſupereminens magnitudo virtutis eius in nos, qui credidimus ſecundum operationem potentiæ virtutis eius, quam operatus eſt in Chriſto, ſuſcitans illum à mortuis, & conſtituens ad dexterã ſuam in cæleſtibus ſupra omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non ſolum in hoc ſeculo, ſed etiam in futuro: Et omnia ſubiecit ſub pedibus eius, & ipſum dedit caput ſupra omnem eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius, & plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur.

Epheſ. 2. Et vos cũ eſſetis mortui delictis, & peccatis veſtris, in quibus aliqũ ambulaſtis ſecundum ſeculum mundi huius, ſecundum Principem poteſtatis aëris huius ſpiritus, qui nunc operatur in filios diffidentiæ, in quibus & nos omnes aliquando conuerſati ſumus in deſiderijs carnis noſtræ facientes voluntatẽ carnis, & cogitationem, & eramus natura filij iræ ſicut & ceteri. Deus autem qui diues eſt in miſericordia, propter nimiam charitatem ſuam qua dilexit nos, & cum eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Chriſto, cuius gratia eſtis ſaluati, & conreſuſcitauit, & conſedere fecit in cæleſtibus in Chriſto Ieſu, vt oſtenderet in ſæculis ſuperuenientibus abundantes diuitias gratiæ ſuæ, in bonitate ſuper nos in Chriſto Ieſu. Gratia enim eſtis ſaluati p fidem, & hoc non ex vobis; Dei enim donum eſt: non ex operibus, vt ne quis glorietur. Ipſius enim ſumus factura: creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus. Propter quod memores eſtote, quòd aliquando vos gentes in carne, qui dicimini præputium ab ea, quæ dicitur circumciſio in carne, manufacta: quod eratis in illo tempore ſine Chriſto, alienati à conuerſatione Iſrael, & hoſpites teſtamentorum, promiſſionis ſpem non habentes, & ſine Deo in hoc mundo. Nunc autem in Chriſto Ieſu vos, qui aliquando eratis longe, facti eſtis prope in ſanguine Chriſti. Ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ ſoluens inimicitias in carne ſua, legem mandatorum decretis euacuans: vt duos condat in ſemetipſo in vnum nouum hominem, faciens pacem, & reconciliet ambos in vno corpore Deo per Crucem, interficiens inimicitias in ſemetipſo. Et veniens euangelizauit pacem vobis, qui longe fuiſtis, & pacẽ ijs, qui prope, quoniã per ipſum habemus acceſſum ambo in vno ſpiritu, ad patrem. Ergo iam non eſtis hoſpites, & aduenæ: ſed eſtis ciues Sanctorum, & domeſtici Dei, ſuperædificati ſuper fundamentum

Apo-

Apoſtolorum, & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu, in quo omnis ædificatio conſtructa, creſcit in templum ſanctum in Domino, in quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in ſpiritu.

Quod alijs generationibus non eſt agnitum filijs hominum, ſicut nunc reuelatum eſt ſanctis Apoſtolis eius, & Prophetis in ſpiritu, gentes eſſe cohæredes, & concorporales, & comparticipes promiſſionis eius in Chriſto Ieſu per Euangelium. *Epheſ. 3.*

Enarratio ſublimiſſima Aſcenſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti in cæleſtia. Cap. 234.

VOluit autem Dominus corpus illud gloria plenum in ſublimia cælorũ eleuare: corpori enim illi diuino, ſumma illa pulchritudine decorato, & tam admirabilibus, & cæleſtibus dotibus inſignito, & tot ſplendoribus circundato, non iam amplius ima terra, & caliginoſus aër iſte debebatur, ſed excelſior, & ſublimior, & nobilior ſedes, quæ reperiri poſſit. Eſt autem hæc ſublimiſſima ſuper omnes cælos Regio, vbi Deus magna effuſione diuitias gloriæ ſuæ effundit. Admirabilis autem hæc Aſcenſio, hoc modo peracta eſt.

Igitur poſtquam per quadraginta dies apparuerat multis in multis argumentis, & ſacra, & diuina arcana ad ſalutem omniũ pertinentia, quæcunque erãt reuelanda, reuelauerat, & de regno Dei, quæcunque erant diſſerenda diſſeruerat, & Spiritumſanctum, patris æterni diuinum munus, ſuper eos mittendum eſſe confirmauerat: Aſcendit ſuper montem Olìueti, qui eſt iuxta Hieruſalem ſabbathi habens iter, cumq. ibi conueniſſent Petrus, & Ioannes, & Iacobus, & Andreas, Philippus, & Thomas, Bartholomæus, & Matthæus, Iacobus Alphæi, & Simon Zelotes, & Iudas Iacobi diſcipuli eius, atque alij ex Galilæa, fecit illos iucundiſſimi ſpectaculi nunquam amplius viſi, fœliciſſimos ſpectatores. Nam videntibus illis eleuatus eſt, & nubes ſuper niuẽ candida, & ſuper lucem lucida ſuſcepit eum, regale vehiculum, cæli ſymbolum, poſuitq. nubem aſcenſum ſuum. Cumq. eleuaretur, eleuatis manibus benedixit eis, illi autem intuebantur illum euntem in cælum. Cumq. intuerentur, Ecce duo Angeli in veſtibus albis & fulgurantibus aſtiterunt iuxta illos, qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid ſtatis aſpicientes in cælũ? hic Ieſus, qui aſſumptus à vobis in cælum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum aſcendentem in cælum: Et receſſit Ieſus ab oculis eorum, & cælum ſcandens comitabatur eum fœlix hominum multitudo, qui ex diuturna captiuitate erepti, alacres, & gaudentes ad cælorum libertatem properabant, ad cæleſtem Hieruſalem, quæ libera eſt, conſcedebant: comitabantur & eum agmina Angelorum, & erant mille millia, & decies centena millia. Hinc aſſiſtebant Archangelorum myriades exultantes, & lumina iaculantes: Illinc Thronorum innumerabilis multitudo, & Virtutum, & Dominationum ordinatus exercitus; alibi Principatus coruſcabant, & Poteſtates præfulgebant, & Cherubim, & Seraphim inceſſabili voce, & ſocia exultatione proclamabant canentes: Sanctus Deus, ſanctus & fortis, ſanctus & immortalis, qui mortem mortalium, moriendo deſtruxit, & vitam reſurgendo reparauit, & diuinitatis eius tribuit eſſe conſortes: omnesq. vno ore collaudabãt infinitam charitatẽ diuinæ bonitatis, & inuictas vires miſericordiarum ſuarũ.

Aſcen-

Aſcendente illo canunt Tubæ, quæ cæleſtem clangorem vndique ad lætitiam excitantem perſonant : tranat ille æthera, ſuperat ſydera, & omnium cæleſtium orbium altiſſimas celſitudines, alteram poſt alteram ſuperuolat, & ſplendidiſſimas ſupernorum ſpirituum Hierarchias ſupergreditur, cumq. altius non poſſet aſcendi, conſtitit, & vnitam ſibi humanæ fragilitatis ſubſtantiam in gloriæ ſempiterni Patris Dei dextera collocauit, in eademq. gloria coæternus, viſibiliter glorioſus, & in maieſtate ſplendidus angelorum atque hominum oculis illuxit.

Chryſ. ſer. de aſcenſ. Non ſatis fuit potenti Domino ad omnem hominum gloriam cælos pertranſiſſe, & poſuiſſe carnem noſtram vbi ſtant Angeli, ſed ſupra cælos, & ſupra Cherubim & Seraphim aſcendit, donec ad dominicam ſedem peruenit. Ingenti ſpatio cælum ſeparatur à terra, & cæli inferiores à ſupremo cælo immenſo ſpatio diſtinguuntur, & ab altiori cælo ad Angelos immenſurabile eſt interuallum, ad ſuperiores etiam poteſtates, ad ipſam Dominicam ſedem, ſuper hæc omnia natura noſtra eleuata eſt, vt homo qui loco tàm humili tenebatur, & deſcendere non poſſet vlterius, ad tàm excelſam ſedē eleuaretur, vt altius non poſſet conſcendere, vt hinc diſcamus admirari diuinam beneficentiam, quæ ſublimem hunc honorem, magnamq. gloriam in ſeipſo noſtræ naturæ elargita eſt.

Pſal. 48. Erat homo terra & cinis, ſed hoc non hominis vitium eſt, ſed naturæ imbecillitas: comparatus fuerat iumentis inſipientibus, & ſimilis factus fuerat illis, & peius eſt comparari quàm naſci. Nam naturaliter non habere rationem, tolerabile eſt, verùm rationis munere decoratum irrationabili naturæ comparari, voluntatis eſt crimen, & ſumma hominis contumelia. Et tamē homo, qui vincebatur ab omni natura, qui deſpectus videbatur, & cōtemptus, natura fragilis, & deficiens, & animalibus monſtrata deterior, omnia vicit, omnia ſuperauit, & omnibus meruit excelſior reperiri, lætantibus Angelis, exultantibus Archangelis, dum hominis naturam in ſede dominica, immortali gloria fulgentem inſpiciunt.

Vt hinc mortales homines admonerentur, qui habent os ſublime, vt erectos ad ſydera tollant vultus, & quanta poſſunt animi contemplatione conſiderare contendant ſublimiſſimam celſitudinem, ad quam Dominus Ieſus Chriſtus carnem noſtram eleuauit, vt poſthac, quæ ſurſum ſunt, ſapiant, non quæ ſuper terram. Et ſciant ſe non eſſe amplius hoſpites, & aduenas, ſed ciues Sanctorum, & domeſticos Dei, & filios altiſſimi Creatoris, ad quos ſpectat hæreditas illius gloriæ, & vita illa, quæ æternitate longæua eſt, & fœlicitate beata. Et abſit illos gloriari niſi in Ieſu Chriſto, in quo eſt ſalus vita, & reſurrectio noſtra, & aſcenſio in cælum, ipſius enim gratia, gloriam illam adepti ſumus, quam nullus poteſt à nobis auferre, niſi infidelitas, & peccati indignitas.

De nobilitate, & pulchritudine loci, ad quem aſcendit Ieſus Chriſtus. Cap. 235.

EXſtat ſuper ſublimia cælorū, ſuper micantia ſydera nobiliſſima, & altiſſima Regio, in qua ſapientiſſimus rerum faber Deus, propter gloriam potentiæ ſuæ, magnam fecit ſuæ bonitatis effuſionem; animo enim regio, & corde

corde perfecto in illis altiſſimis ſublimitatibus, tantæ pulchritudinis, tantæ gloriæ Paradiſum conſtituit, tantaq. magnificentia decorauit illum, & tanta voluptate repleuit, vt nullus intellectus ſatis ſit, ad illius magnitudinem, & pulchritudinem cogitandam, neque in cor hominis tàm altæ cogitationes aſcendere vnquam potuerunt, vt digne de illius dignitate ſentire potuerint: ſed Angelorum teſtimonio eſt pulchior locus, qui reperiri poſſit: eſt immenſior moles omnibus, quas Deus condidit, eſt pulchritudo ſpherarum, ornamentum cælorum, ſplendor mundi, corporum excellentia, domus lætitiæ, Templum lucis, Ciuitas amoris, Paradiſus voluptatum, patria virtutum, fœliciſſimum hoſpitium errantium peregrinorum, & ſempiterna manſio fortunatorum mortalium.

Ad hanc igitur altiſſimam Regionem Ieſus Chriſtus aſcendit, vt pararet nobis locum, vt vbi ipſe eſt, ibi nos ſimus, & viuamus in ſeculum ſeculi, Hic fuit Chriſti ſcopus, hic omnium ſuorum laborum, & dolorum finis. Quapropter, qui mentis oculos ad intuendum loci illius ſplendorem, quotidie conuertunt, probabile habent argumentum, quoniam ad illum locum peruenient, & cæleſtem theſaurum, ad quem erexerunt cor in terris, poſſidebunt in cælis.

Virgo humilis, & manſueta petens, vt poſſet aſcendere ad Cælum, vt videret Dominum ſuum, qui illuc aſcenderat, obtinuit, & in die Aſcenſionis Dominicæ aſcendit. Aloyſio Granatenſi enarrante. Cap. 236.

IN hac noſtri Olyſippi Ciuitate fuit quædam nobilis puella, ſed admodum tenuis, quæ inter alias virtutes valde tacita erat, ſolitaria, deuota, humilis, manſueta, & ſuis parentibus obediens, & propter hanc cauſam illis valde dilecta. In quendam incidit morbum, qui tandem eo peruenit, vt in ethicam febrim ſe conuerterit. Morbus nouem perdurauit menſes, quem maxima cum patientia pertulit, & Deo ſemper gratias agebat. Cum erat ſola, audiebatur verba proferre cuidam crucifixo, quem illic habebat, ſatis deuota, & amoris plena, & ſæpe dicere audiebatur: Domine, quando me de hoc carcere erues? Quando ibo, & apparebo coram te, & præſentia, & pulchritudine tua fruar? Hæc, & huiuſmodi verba ſæpe maximo cum amore, & deuotione repetebat.

Aloyſ. Granat. in cathec. in ſymbol. fidei li. 2.

Quamobrem ille Dominus, qui virginalis puritatis, & animarum humilium, & manſuetarum, qui eum in tribulationibus vocant, amator eſt, eam exaudiuit, & conſolatus eſt, eiq. promiſit fore, vt ſuæ glorioſæ Aſcenſionis die præſtaret quod petijt, eamq. ſecum eo die ad cælum tolleret.

Quo vero modo ei promiſerit, ignoratur: nemini enim id manifeſtare voluit.

At quindecim dies ante hunc diem feſtum, cum illius mater in lachrymis, & ſordibus verſaretur, quod filiam tantopere à ſe dilectam à medicis derelictam videret, ei dixit: Ne lugeas mater, has lachrymas in diem Aſcenſionis differas.

Huius diei veſper aduenit, quo quidem non magis ſuo morbo afficiebatur, quàm antea. Tunc hoſpes, quæ domi erat, illius valde familiaris amica

ca, ei ridens dixit: Heu, mendax quidem es, noſq. decepiſti cum diceres fore, vt Aſcenſionis die ex hac vita migrares. Ad id ægrota nihil reſpondit; licet id fore, quod dictum erat, certò ſciret. Die autem poſtero illius feſti, neſcio quid confeſſori ſuo domum miſit, qui eam ſæpe viſebat, & illius peccata audiebat, & aliqua charitate ei ferebat opem, cui dictum voluit, bene valere ſuo nomine, quod diſcedebat eò, vbi ſuo ſponſo, & Domino frueretur. Statim etiam matrem vocauit, & nonnullas reliquias, quas in capite habebat, cepit, & matri dedit: & annulum, quem quædam illius amica in digito impoſuit, iuſſit vt ei redderetur.

Iuſſit præterea nutrici, quæ illam educauerat, vt nouum induſium ſibi ferret, quod ipſa habebat: duo nummi aurei illi ſoluerentur, quos ab ea mutuo acceperat, & propter hanc cauſam, vt quædam eius veſtis venderetur, reliquum vero quod eſſet, pro anima ſua pauperibus daretur.

Hoc autem dicto, vbi meridiei hora aduenit, crucifixum altera manu cepit, & moriendi cereum altera, & ita moriendi iter ingreſſa eſt: cum vero mater id vidit: Filia, inquit, ora Deum pro me, vt hunc hauſtum deglutire poſſim. Illa multa fide dixit fore, vt quod poſtulabat, illi concederetur.

Hæc autem inquiens, & deuota verba Crucifixo pronuncians ſpiritum Deo reddidit, & vbi penitus animam efflauit, horologium horam poſt meridiem ſignificauit, qua Saluator noſter ad cælum aſcendit. In quo cernitur (vti diximus) quam tener, & ſuauis in puras animas ſit Dei amor, cum non illi ſatis fuit hanc animam ad ſuam perducere gloriam, ſed illud etiam addere voluit, vt ei diem reuelaret mortis, iſq. eſſet idem, & eadem hora, qua ipſe ad cælum aſcendit.

Non eſt profecto mirum Deum noſtrum, & Dominum ſuos fideles ſeruos diligere, ſed quod admirationem affert, eſt, hunc amorem eſſe tam tenerum, tamq. ſuauem, illi ſimilem, quo ſponſi in ſuas ſponſas affecti ſunt, & parentes in ſuos paruulos filios, quos in ſinu geſtant, & illis blandiuntur, & oſculantur. Quod ſæpe fecit hic Dominus, cuius deliciæ ſunt eſſe cum filijs hominum.

Hoc illud eſt, quod illorum corda ſurripit magis, & cauſa eſt, vt mille mortes appetant, pro eo Domino, qui tam dulcem, tam ſuauem, tam amantiſſimum ſe illis præbuit, vt in ſuperiori exemplo videre licet. Mater vero cum videret ita factum, vt prophetauerat filia, ſibi perſuaſit filiam ad vitam æternam perueniſſe, ita ſibi gauiſa eſt, vt in gratiarum actione continuo verſaretur, quod Deus ſibi eiuſmodi dediſſet filiam, & ſepultam eam videre, & aqua benedicta aſpergere auſa eſt.

Miles deuotus propter nimium amorem, ibi mori meruit, vbi Chriſtus in Cœlum aſcendit. *Cap.* 237.

Fertur quidam miles ex tranſmarinis regionibus omnia loca, in quibus Domini pedes ſteterant, deuotionis gratia ſolicite & cum lachrymis perluſtraſſe. Cumquè vltimo loco ad Montem Olíueti perueniſſet, habuit longam orationem, & largas effudit lachrymas, deinde vero intus exardeſcens, cum nimio amore liquefacta eſt anima eius, hæc verba ardore plena

na profatus eſt. Ecce Domine, vbique quæſiui te ſolicite, nunc autem cum venerim ad locum, vbi cælos aſcendiſti, vbi amplius te requiram ignoro. Iube ergo ſuſcipi ſpiritum meum, vt ad dexteram patris tui videam te coruſcantem in gloria: & his dictis ſpiritũ ſuum ſine dolore reddidit. Fœlix miles, qui amoris vulnere in corde ſauciatus meruit ibi ſpiritum in cælum mittere, vbi Dominus eius aſcendens in cælum pertranſierat.

De gratia ineffabili, & omnium maxima, qua Ieſus Chriſtus, qui corpus ſuum glorioſum ſuper Cælos ad dexteram Dei extulit, voluit illud ſub ſacramentis & myſterijs in terris eſſe præſens, vt mortalibus diuinam vitam largiretur. Cap. 238.

DEinde Dei filius, vt nihil intactum relinqueret, quod ad dignitatem & vtilitatem hominis pertinere poſſet, vt compleret omnes admirationes, & memoriam relinqueret mirabilium ſuorum hominibus quos condiderat: Carnem illam ſuam, quam in vtero Virginis matris aſſumpſerat, & deinde cruciatibus, & morti expoſuerat, & à morte ſuſcitauerat, & ſupra omnium cælorum altitudinem ſublimauerat, tot ſpatijs à nobis diſtantem, voluit eſſe fragilitati noſtræ vicinam, vt eam fulciret, nec fineret in æternam cadere corruptionem, vt ſicut erat gloriæ ſuæ eminentia, omnia terrena, & terreſtria excedens, ita eſſet vi charitatis mortali carni noſtræ proxima, atque intima, vt diuina præſentia ſua largiri poſſet, & deriuaret in carnem noſtram, immortalitatis ſuæ opulentias: & tanto fœdere nobis ſociaretur, vt ſicut ex fonte cæleſtes aquas emanante, fœlici hauſtu hauriremus cum gaudio diuinæ naturæ participationem; & æternæ & beatæ vitæ principium, & fieret nobis nobiliſſima eſca, ex cuius comeſtione diuinum guſtaremus ſpiritum, vt omnia terrena deſiperent, & accenderetur in nobis diuinus amor, recoleretur memoria paſſionis eius, & futuræ beatitudinis, quam nobis acquiſiuit in cælis, haberemus in terris pignus, haberemus pretium, & rem; & eſſet nobis peregrinis in via viaticum, & refectio: & in laboribus & doloribus conſolatio, & fulcimentum & animi, corporisq. noſtri, quod animam grauat ſuſtentatio, & eius, quod propter terrenam inhabitationem deperditur, reſtauratio, & in morte pharmacum immortalitatis.

Igitur ipſe, qui omnia poteſt, & cuius imperio omnia parent, & ſicut dicit, ita fiunt, corpus ſuum omni pulchritudine pulchrius, & omni gloria glorioſius, & ſuper quàm dici poſſit fulgentiſſimum (ne humanus oculus caligans, eius claritatis ſcrutator, opprimeretur à gloria) dum nobis illud voluit eſſe præſens, abſcondere voluit ſub reuerẽdis myſterijs, & ſub tremendis ſacramentis, vt nos illud ſub cæleſti caligine tectum conſiderantes, tanto illud amore diligeremus, & tot charitatis ſignis, & reuerentiæ argumentis, & titulis honorum, & dilectionis ardoribus proſequeremur eum, qui nobis dedit illud ad fruendum; & tot gratiarum actionibus, & laudum cantionibus amoris noſtri aſſociaremur illi, vt nihil poſſet eſſe coniunctius, nihil poſſet eſſe dilectius; & tanta adhæſione adhæreremus illi, vt eius ſpiritum attrahentes, vnus ſpiritus eſſemus cum eo, & diuinitati, & humanitati eius facti proximi, excellentiſſimam in nobis cauſaret gratiam, quæ nobis æter-

næ

næ vitæ cauſa foret, & ſicut ex comeſtione panis, & vini potu gignitur in nobis & ſuſtinetur mortalis hæc vita, ita per tanti ſacramenti diſpenſationem, in qua nobis Chriſtus, qui ſedet in dextera patris in cæleſtibus, fit præſens, & appropinquat nobis, diuina & immortalis vita gigneretur in nobis, qui credimus in eum, & diligimus Dominum noſtrum, quamquam abſconditum, & ſpirituali palato latentem eius dulcedinem prægustamus.

Et quoniã ipſe eſt ſapiens & potens, ita corpus ſuum ſub panis ſacramento eſſe voluit, vt nulla diuino corpori iniuria fieri poſſet; vt dum illæ ſane panis ſpecies dẽtibus atterũtur, & in ſtomachũ traijciuntur, ipſe illæſus, & integer, & immaculatus in ſua glorioſa exiſtentia perſeueraret: & ſicut Sol, quando è cælo venit in terras, caliginibus aëris non obſcuratur, & luto, & fęcibus eius lux non fœdatur, & cum pedibus calcatur, non comprimitur, non diuiditur, non perforatur, propter lucis ſuę eminentiam, quæ alterationem recipere non poteſt, ita & tamen non deſinit purgare aërem à nebulis, terram calore fouere, vt germinet & fructus afferat, ita caro Chriſti luce lucidior, & ſplendore ſplendidior, quoniam ei donauit Dominus, vt habeat eſſe ſpiritualium ſubſtantiarum, propter eminentiſſimam, & eleuatam vſque ad honores diuinos naturam ſuam, impoſſibile eſt eam vllam à quoquam poſſe recipere contumeliam, aut dignitatis diminutionem; in quocumque enim loco permanet ſemper lucida, ſemper decora, ſemper glorioſa, & immortalis in gloria ſua perſeuerat.

Quo quidem munere nihil potuit eſſe pretioſius, nihil hominibus magis deſiderabile, vno enim hauſtu, omne nobis bonum, & terreſtre, & cæleſte propinauit, vt nihil ei deſit in omni bono, qui intra ſe ipſum omne bonum habere meruit.

Quapropter mirum non eſt, ſi tot eius amatores, hoc donum, hoc munus tanto amore dilexerunt, vt in poſſeſſione eius cenſerent ſe eſſe beatos. Sed enarremus hic aliqua exempla.

B. Philippi in ſacro faciendo ardor, pietas, & raptus. Cap. 239.

SEd ſi vllus certe ætate noſtra B. Philippus Nereus ſummum bonum, quod in Euchariſtia latet, ſitiuit, quod ex eo apparet, quoniam ſacerdos nunquam intermiſit diem, niſi ægritudine detineretur, quin rem diuinam faceret. Aeger ſingulis diebus panem cæleſtem accipiebat.

Initio ſacerdotij, cum in Eccleſia S. Hieronymi ſacrum ageret, tanta repente diuini ſpiritus abundantia replebatur, vt aquam, vinumq. in calicẽ de more infundere vix poſſet. Adeo eius manus in altum attollebantur, vt exilire quodammodo, & ſaltitare viderentur; atque ille, niſi brachio ad altare tanquam adminiculo maximo adnixus ſtudio, cæptum opus proſequutus eſſet, nihil egiſſet vnquam.

Huius diuiniſſimi ſacramenti, ſupra quam dici poteſt, quod cupidiſſimus, amantiſſimuſq. eſſet vel ex eo ſolum patet, quod cum vacuum calicem in manibus teneret, incredibili perfundebatur lætitia.

Quo tempore ſalutarem hoſtiam de more attollebat, ita eius mens rapiebatur in Deum, vt manus ſublime erectas deponere non poſſet. Retulit ille

le poſtea videri ſibi ab aliquo apprehendi, atque alte à terra per vim mirabiliter ſuſtolli. Eamq. ob rem in hanc deinde ſe dedit conſuetudinem, vt ſalutarem hoſtiam quanta maxima poſſet celeritate attolleret, & demitteret.

In ſacro faciendo, vbi vel maxime ad offertorium ventum erat, ea afficiebatur dulcedine, vt inter celebrandum toto corpore, contremiſceret, ſaltitaretq. quos ille impetus vt reprimeret, vertere ſe ſæpiſſime conſueuit, nunc in dextrum latus, nunc in ſiniſtrum: modo terram pede percutere, modo demum caput perfricare manu.

Vnum hoc tacitus præterire non poſſum, in quo diuini amoris vis euidenter apparet. Mos illi erat, vt ſine impedimento rem diuinam ageret (raptus enim, & ecſtaſes timebat) vt antequam ſacris ſe indueret veſtibus, id omni ſtudio ageret, vt ſpiritus vehementiam, ardoremq. quo aſſidue æſtuabat, vtcumq. comprimeret: nunquam enim ille cum ſubito abſtractus à ſenſibus tota mente in rerum cæleſtium contemplationem raperetur, ſacrum feciſſet, abſoluiſſetq. niſi in vnam illam rem incubuiſſet, vt animum à diuinis auocaret. Et hæc quidem quamquam ille faciebat, eos tamen diuini amoris impetus ſuſtinebat, vt lachrymis totus conficeretur, ſingultus frequentiſſimos ederet, ſaltitaret: Quibus fiebat, vt cogeretur ſæpiſſime à ſacro faciendo euſque ceſſare, quo ad vires corporis, quas Chriſti amor abſtulerat, iterum ſe collegiſſe ſentiret. O virum Deo plenum! Cum ſponſa in canticis tute ipſe dicere iure, meritoq. poteras: Introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem: fulcite ergo me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.

Abſoluto ſacrificio, ita nonnunquam abſtractus à ſenſibus apparebat, vt exanimatum magis, quàm viuum crederes.

Sed hic locus admonet, vt ponatur aliquid de guſtu, quem ille in ſanguine Chriſti ebibendo, eiuſq. carne deguſtanda habebat. Is erat, vt crediderint, qui ab eius nunquam latere diſcedebant, eum ipſius ſanguinis, ipſiuſq. carnis ſaporem percipere, perinde atque nudam carnem, nudumq. ſanguinem deguſtaret: labia ille ſibi auidiſſime lambebat: iterum, ac ſæpius calicem ori admouere obſeruabatur, nullumq. de aſtantibus non modo propius ad altare, ſed ne manere quidem, vnde ipſius facies conſpici poſſet, permittebat. In deſumendo ſanguine, ſonus in eius gutture is audiebatur, vt putares aliquid deguſtare, quod ob eius pinguedinem, craſſitudinemq. ſacerdotis palato inhæreſceret: in ea calicis parte, ex qua ſanguinem hauriebat, indicia dentium erant, aurumq. ipſum, quod ibi circum erat, quamquam recens, breui obſcurabatur. Purificationem, quam dicunt, dari ſibi nolebat, donec ipſe petijſſet. Denique diuiniſſimi huius ſacramenti vſque eo delitijs capiebatur, vt ſuauiſſimam Chriſti carnem, ſanguinemq. pretioſiſſimum in ore tenens, non ſtatim glutiret, ſed paulatim, guttatimq. in ſtomachum defluere ſineret.

Nec minus inſignis eius pietas in ſacro faciendo, Chriſti corpore deguſtando, quam in miniſtrando fuit. Sed ne in re nota, atque apud omnes peruulgata operam fruſtra conteram, aggredior alia.

Chriſti anno 1559. Patres Cœnobij ſanctæ Mariæ ſupra Mineruam, quo tempore eis Angelus Diacetus præerat, intra clauſtra domus quadragenarum horarum ſupplicationem ob res graues indixere: orationi interfuit Philippus,

pus, precabatur loco abdito, ibique ſe Deo coniungens totus extra ſe rapitur, lapidiſq. inſtar factus, apertis oculis, hilariq. vultu ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum intueri videbatur. Id cum quidam aduerterent, prope ad ipſum accurrunt, eumq. quem calor vitalis iam pene totum reliquerat, nominatim, vt ad ſe redeat inclamant, manibus contrectant, ſed fruſtra omnia: nihil enim ille audiebat, nihilq. mouebatur, ſentiebat nihil: ergo id quod erat ſuſpicati, in cubiculum ei loco proximum inter manus deferunt expiranti ſimilem, ſenſuſq. omnis expertem: vbi tandiu eum reliquerunt, quoad totus hilaris ex raptu ad ſe redire viſus eſt. Tum interrogatus ab Angelo Diaceto, & Felice à CaſtroFranco ex eadem familia; quidnam ſibi accidiſſet, vix illorum precibus victus modeſte, verecunde, hunc in modum reſpondit: Preces veſtras, Patres mei, Dominus audiuit benignitate ſua: ſed huiuſmodi reſponſo, haud quaquam contenti, inſtabant enixius, vt rem totam exponeret, quibus tandem cedere coactus, Oranti mihi, dixit, Chriſtus ſeſe oſtendit, aſtanteſq. ſigno Crucis muniuit.

Permiſſu Gregorij XIIII. Beatus Pater ſacrum priuato in ſacello (erat id ſuo cubiculo proximum) facere cæpit: ibi enim ille deſiderio ſe Deo liberius coniungendi, ad ea verba cum ventum eſſet: Domine non ſum dignus, tùm circumſtantibus, atque ipſo miniſtro foras exire iuſſis, ipſe ſolus in ſacello manebat, moxq. vt ſolus erat ab arbitris remotus, non prius ſanctiſſimam Euchariſtiam ſumebat, pretioſiſſimumq. ſanguinem deguſtabat, quam duas frequentius circiter horas, plus, minuſue, in tanti, tamq. admirabilis ſacramenti contemplatione, maximo cum ſenſu pietatis, ingenti lachrymarum profuſione conſumpſiſſet: tum Chriſti corpore, ac ſanguine ſumptis, adminiſtro ingreſſo, rem ſacram perficiebat. Abſoluto ſacrificio ita nónunquam abſtractus à ſenſibus apparebat, vt exanimatum magis, quàm viuentem crederes.

Beatus Philippus triduo ante obitum diuina luce, ac dulcedine vberius forte quàm vnquam antea delibutus, vt qui ſeſe ad nuptias agni euocari ſentiret, ſacrum incredibili animi lætitia, ac voluptate faciebat quotidie. Octauo Kal. Maias, qui dies eo anno & ſacratiſſimo Corpori Chriſti ſacer, & eius vitæ poſtremus fuit, rem ſacram quaſi caneret, gaudio peregit. Initio ſacrificij oculos in villas ad ſancti Onuphrij templum ſitas conie͏cit, tanquam aliquid oculorum effugiens obtutum cerneret: porro quid ille cùm viderit, eo, qui ſolus norat, reticente, omnes latuit.

Quandam autem noctem cum inſomnem duceret, quoniam vehementius à morbo grauabatur, languido corpore, & erecto animo, poſt ſignum matutinarū horarum circa noctem mediam petijt, vt Ieſu Chriſti Domini noſtri benedictum corpus deferrent ad eum. Quod cum audiuiſſet Franciſcus Maria Tauruſius, qui de eius ægritudine, nimis præ charitate ſua, ſollicitus erat, dubitans ne forte, dum dilectam ſumeret carnem, cuius nimis auidus erat, præ deuotione, & lachrymis nimis afficeretur, & ſomnum in hora illa impediret, cuius patrocinium in tanto diſcrimine ſolum expectabatur, & damnum ſentiret valetudinis, dabat operam, vt non deferrent tunc temporis ſanctiſſimam Euchariſtiam, ſed in aliud tempus differrent.

Cum igitur aduentum Domini ſui expectaret, nec veniret, audiuit quid eſſet in cauſa tantæ dilationis, vt non ſatisfaceret deſiderio ſuo. Moræ impatiens

patiens accerſit Taurusium, & hæc locutus eſt ei: Non poſſum Franciſce Maria (aperiam tibi cor meum) capere ſomnum, & nunquam dabitur ſomnus oculis meis, nec recipient palpebræ meæ dormitationem, niſi pectus meum dederit locum Domino meo, tunc cum veneris in tabernaculum meũ, in pace cum ipſo dormiam, & requieſcam: Hæc requies mea in ſeculum ſeculi. Veniat igitur dilectus Dominus ad ſeruulum ſuum, & benedicat mihi. Ne dubites: ſatis fidelis eſt, cui credidi.

His dictis (mirabile dictu) affertur Venerabile ſacramentum, ſuſcipit dominicum, & viuificum corpus quanto poteſt animi ardore, & repletus cæleſti cibo, ecce ſomnus ſubrepit, & dormitauit, & paulò poſt à morbo conualuit. Et, qui eum extinctum deplorauerant, cum gaudio incolumem, & rediuiuũ recipiunt. Et poſt illud tempus Patres noſtri, ſi quando infirmaretur, pro corporis medicina, & tutela temporalis vitæ eius, ſemper afferebant illi Domini corpus, in quo ipſe ſperabat; & Dei gratia ſemper ſequebatur ſperatus effectus.

Contingebat autem propter inexplicabilem ſitim ſacramẽti huius, in quo omne bonum reperiebat, vt cũ vix receſſiſſet laborioſus morbus; ſtatim ſurgeret ex lecto ſtrati ſui (quod plerique ex conualeſcentibus facere non conſueuerunt) & feſtinaret in templum ad miſſam celebrandum. Et mirabantur circumſtantes, videntes tàm cito eum, qui tàm perículoſe ægrotauerat, ingredi ad altare, & celebrare ſacrificium, ac ſi nunquam ægrotaſſet.

Inhæſit aſſidue febris totum menſem Aprilem: ſed accenſus ille cupiditate Miſſæ celebrandæ, die SS. Apoſtolorum Philippi, & Iacobi, qui in Kalend. Maias incidit, pridie eorum natalis tantorum Apoſtolorum opem implorat: nec fruſtratæ ſunt eius preces; è lectulo exilijt, rem ſacram peregit, aſtantibus ſacratiſſimum Chriſti corpus præbuit, & hæc quidem omnia ea ille corporis agilitate faciebat, vt qui corpuſculi imbecillitatem noſſent, id ſatis mirari nequirent, ſed à Domino vires, quod res erat, ceſſio animo ſuppeditari cenſebant.

Tribus poſt inſequentibus diebus, non quo corporis imbecillitati indulgeret, ſed vt medicis obſequeretur, à ſacro faciendo abſtinuit: ſacrificij loco, ne ijs ipſis diebus diuino illo priuaretur bono, Euchariſtiam quotidie maximo pietatis affectu percipiebat.

Exacto triduo cum leuius haberet, Sacrum medicorum voluntate agere cæpit, quod facere perrexit ad vſque diem quartum Idus Maias, quo die nouo, ac repentino morbo oppreſſus, eam ſummo mane ſanguinis copiam derepente me aſtante euomit, vt expiranti ſimilis, ac prope exanimis iaceret in lectulo, facieſq. palluerit. Aduocati medici, tactis venis, alijſq. inſpectis, actum de illo eſſe affirmarunt.

Ergo cum vereremur, ne Philippus repentino moreretur, à Cæſare Baronio (Federico Cardinale Borromeo præſente, & inſpectante) oleo ſancto maxima celeritate inungitur: quo pacto cæpit Philippus paululum, animo ſenſim redeunte, oculos eleuare: quod cum aduerteret Federicus Cardinalis Alexandrum Alluminatum, qui B. viro ægrotanti aſſidere conſueuerat, monet, vt ex venis exploret, viriumne ſatis habeat, vt ſacrum Chriſti viaticum ſuſcipere poſſit, quo mox cognito, ipſemet Federicus Card. Chriſti corpus precioſiſſimum ad eum defert, Auguſtino Cuſano Cardinale, cæteriſq. è Congrega-

gregatione Patribus, ac fratribus, & alijs quamplurimis aſtantibus, ſimulq. commune damnum collachrymantibus.

Illud hic accidit memoria dignum: vix Borromeus Philippi cubiculum ingreſſus erat ſanctiſſimum Chriſti corpus in manibus geſtans, cum ille viribus, quamquam omnibus deſtitutus, maxima illicò voce lachrymarum plenus clamare cæpit, vt omnes obſtupeſcerēt: Ecce amorem meum, ecce amorem meum, hic ille eſt, in quo me oblecto, ſolum id eſt charum mihi: præbe ergo, præbe mihi amorem meum, præbe mihi eum quàm celerrime: & hæc quidem verba ea ſpiritus vi proferebat, vt aſtantes ad lachrymas, & admirationem excitaret: cumq. Federicus Cardinalis, Domine non ſum dignus, de more pronunciaret, eadem Philippus clariſſima voce, manantibus præ dulcedine, atque Chriſti deſiderio vbertim lachrymis repetebat: qui tuo corpore paſcar (dicens) dignus fui nunquam: ſacro tandem ſumpto viatico: medicũ meum, ait, hoſpitio excepi: quaſi diceret; ſalus mea ſecura eſt in præſentia Saluatoris.

Ex ijs autem, quæ dicta ſunt, & ex multis, quæ dici poſſent, ſatis colligitur, quantum benedictam Chriſti carnem, & glorioſam dilexerit, & in delitijs habuerit toto tempore vitæ eius, nobis relinquens exemplum, vt cæleſte hoc donum, quanta poſſumus, animi propenſione amplectamur.

In magna annonæ penuria, quidam Eucharistiæ ſacramenti deuotus, ſola comeſtione ſpecierum panis benedicti ſuſtentatur. Cap. 240.

ARchipresbyter de Bolmonte Soranus pauper, quia eius beneficium annuatim non reddebat niſi 15. aureos, habebat multos Nepotes pupillos, eosq. mendicos, quos alere cogebatur, ne fame perirent, cum anno quodam locus ille extrema viuendi penuria laboraret, nec quidquam pro alendis nepotibus haberet, ſibi victum neceſſariũ adimebat, & quidquid Portia Cardinalis Baronij mater pro eleemoſina ei erogabat, totum eis ſubminiſtrabat; vnde factum eſt, vt iſte bonus ſacerdos, ſicuti dictæ Portiæ poſtea retulit, quadraginta dies vixerit nullo alio guſtato cibo, niſi ſacroſancto corpore, & ſanguine Chriſti, ſub ſpeciebus panis, & vini, quod in Miſſæ ſacrificio quotidie aſſumebat: Tanta eſt vis, & gratia, quæ in hoc ſacro myſterio confertur digne aſſumentibus. Sed quæ admiratio eſt, vt panis iſte quadraginta dierum vitam præſtet, qui dat manducantibus eum, vt viuant in æternum? Referebat hoc Cardinalis Baronius.

Multa etiam contigerunt circa hoc ſacramentum, vt homines, & crederent, & digne illud reuererentur.

Calix ſanguinis Domini cadente fulmine ſuper altare illæſus, mirabiliter cuſtoditur. Cap. 241.

SAcerdos quidam Ordinis Fratrum Reformatorum S. Franciſci, cum Neapoli in eorum Eccleſia anno 1601. in feſto S. Andreæ Miſſam celebraret in ſacello prope Altare maius, vbi magna aderat vtriuſque ſexus multitudo, poſt hoſtiæ ſumptionem, dum manibus iunctis ante calicem oraret, fulgur impetu

petu magno deſcendit, percuſſaq. turri campanilis, & Eccleſiæ tecto, ſuper Altare, in quo dictus ſacerdos celebrabat, cecidit, & cũ corporale, in quo aderat calix, mappaſq. vi ignis aduſiſſet, petram tamen ſacratam, calicemquè, quod eſt mirabile, illæſa reliquit, & ne aliquid immundũ ſanguini ſacroſancto commiſceretur, tabulam gloriæ ſuper Calicem reuoluit. Sacerdos ſemimortuus cecidit, & quamuis caſulæ pars anterior, & albæ veſtæ manica aduſta fuerit, nullam tamen niſi paruam in manu inflãmationem paſſus eſt, videbatur enim quidam (vt ipſe poſtea in ſe reuerſus retulit) ceruical ſub eius capite tenere. Miniſter vero in crure vſtione non parua eſt affectus, ceteri, tàm fratres qui in Choro pſallebant, quàm Miſſæ præſentes perterrefacti ceciderunt, ſed abſque vllo damno diſceſſerunt.

Hoc accidiſſe teſtatur Decius de Libano, Congregationis Oratorij Neapolitani frater ſecularis, qui à Guardiano dicti Monaſterij, viro fide digno, & venerabili illud accepiſſe affirmat.

Mulier inter hæreticos à dæmone obſeſſa, latentes ſacras particulas, in ſinu detentas, reuelat. Cap. 242.

IAcobus Neapolitanus venerabilis Pater è Societate Ieſu, cum in die feſto ſanctiſſimi Sacramenti eſſet Carboniani, vbi domum, & agrum habet Congregatio noſtra, hoc mihi retulit. Quidam, inquit, Pater Societatis noſtræ ſecularibus indumentis indutus quandoque tranſibat per loca hæreticorum apud Belgas, & ferebat in ſinu nonnullas ſacras particulas, quibus reficeret quoſdam Chriſtianos Catholicos, & cum quodam vico tranſiret, incidit in mulierem, quæ vexabatur à Dæmone: illa ſubſtitit, & fixis in eum oculis intuebatur locum, vbi reconditæ erant particulæ, & cum Pater ille ei diceret: quid in me intueris? reſpondit: ſi dicam, tu ſuſpenſus laqueo peribis. Petijt deinde Pater, vt diceret; at idem illa reſpondit. Seruus Dei ſubdidit, vt libere fateretur, mortem enim, inquit, nihili facio. Tunc illa dixit: Tu habes hoſtias, in quibus adeſt Chriſtus filius Dei, & ita veritatem Sacramenti clare confeſſa eſt.

Quidam, vt non crederet ſub ſacramento Euchariſtiæ eſſe Dominicum corpus, deceptus eſt à Dæmone, ſed miraculo ſubſequente, Diaboli mendacium detegitur. Cap. 243.

CVm annis abhinc triginta Annibal Capuanus, cuius bona habetur memoria, Archiepiſcopus eſſet Neapoli, vir quidam ibidem erat, mundo quidem conſpicuus, & inter alios aliqua æſtimatione dignus, qui tamen ſuo totiusq. humani generis hoſti obſtrictus erat impijs amicitiæ vinculis, & eius perſuaſione deceptus non credebat miſer, in ſacroſancta ac veneranda Hoſtia verè adeſſe ſanctiſſimum corpus, & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti. Cum huiuſmodi opinionem perfide retineret, quadam die, in qua Iubileum plenarium promulgatum fuerat Neapoli, homo ille aderat in Templo, vbi vidit celebrem frequentemq. populi concurſum ad ſumendum ſanctiſſimum Chriſti corpus accedere. Tunc veritatis radio tactus in acutam

vehementemq. cogitationem intendit animum, putans ſe fuiſſe deceptum à familiari Dæmone, dum ei fidem habens opinaretur in Hoſtia à ſacerdote vi verborum Domini conſecrata, non contineri ſanctiſſimum eiuſdem Domini Ieſu Chriſti corpus & ſanguinem. Et vſque adeo ab hoc veritatis lumine commotus fuit, vt ſe domum idcirco receperit, vbi deambulans in atrio voluebat animo fallaciam erroremquè, in quo verſabatur, & verbis iniuriarum plenis inuocabat hoſtem illum familiarem; Ecce Dæmon aſtitit coram eo, callidisq. verbis cæpit tueri fallaciam, in quam illum induxerat. Cumq. inter ſe verba facerent de hac re, homo enim pro veritate Sacramenti, vt fides docet Catholica, ſentiebat, contra Dæmon conabatur tenebris offundere claritatem rei: tandem illi conuenit cum Dæmone binas Hoſtias accipere, quarum altera eſſet ſacra, altera non, vt rei periculum facerent. Quare vir ille poſtrema eiuſdem diei hora ante prandium (adhuc enim perſeuerabat conuentus fidelium, qui ſanctiſſimo reficerentur Sacramento) tulit ſecum in Templum argenteam pyxidem, quam fortaſſe domi habebat, & accedens inter alios indigno ac profano recepit ore diuiniſſimam Euchariſtiam, & deinde tàm caute demiſit in pyxidem, quam huius rei cauſa habebat præ manibus, vt à nullo eorum qui aderant videretur. Poſt hæc illico domum repetiuit, ferens & alteram Hoſtiam, quæ non erat ſacra. Tunc iterum venire iuſſit Dæmonem illum familiarem, & oſtendit ei vtramque particulam, quas vbi vidiſſet impius ille Diabolus, iàm, inquit, vides ambas ſibi eſſe ſimiles, azymas, è farina confectas, idcirco aufer à te, ac proijce inter ſordes. Cui vir ille reſpondens, non eſt, ait, iſta bona ratio, volo rem probare, vt veritas ipſa videatur.

Accepit igitur, Dæmone aſſentiente, diſcum argenteum, & vbi impleuit aqua pura, immiſit vtramque particulam; & illa, quæ non erat ſacris verbis Deo dicata, repente liquefacta ab aqua conſumpta eſt: verum ſanctiſſima hoſtia, nec ab ea penetrabatur, nec ſentiebat humorem, ſed erat integra & incorrupta eodem modo quo fuit immiſſa; immo cum fuiſſet aliquantulum inuoluta, quando eam ore ſuſcepit, viſa eſt reuolui & explicari in eadem aqua, & in rotundam formam redire, & (quod magis mirandum eſt) ex parte cæpit in carnem abire, verumq. carnis referre colorem. Quod cum vidiſſet, conuicit Diabolum, dicens, quid ergo tibi videtur? Tunc Dæmon ſume, inquit, illã, non enim res ſe habet, vt credis, accepit homo aciculam, &, vt Hoſtiam ex aqua extraheret, in parte illius vbi caro apparebat (iam enim erat plus quàm dimidia pars in carne redacta) infixit, & ecce vidit, ex ea repente ſcatere ſanguinẽ: quare tunc Dæmon euanuit, & quam celerrime aufugit. Ille autem ſanctiſſimã Hoſtiam repoſuit reuerenter in pyxide argentea, & ſic certior factus de errore, in quem fuerat inductus à Dæmone, hoc ſibi conſilium cepit, vt adiret, ſicuti adiuit, Carolum Baldinum, (qui eo tempore Canonicus erat Neapolitanus, poſtea Archiepiſcopus fuit Surrenti) cui aperuit errorem ſuum, peccatumq. confeſſus eſt: eidem præterea conſignauit pyxidem, in qua erat ſacra Hoſtia, declarans rem ipſam, prout geſta erat. Qui quidem Canonicus Baldinus, vbi primum rei reuelationem accepit, ſecreto adiuit Archiepiſcopum Neapolitanum, & multorum Theologorum, grauiumquè Eccleſiæ virorum conſenſu, eadem pyxis cum ſanctiſſima Hoſtia reſeruata fuit intus

in

in Templo in theſauro D. Ianuarij. Res iſta delata fuit Romam Sacræ Congregationi S. Officij, ac Pontifici Maximo, à quo miſſa fuit auctoritas recipiendi eum in ſinum Eccleſiæ, & abſoluendi, poſtquam ſecreto iniuncta fuiſſet ſalutaris pœnitentia, quod omnino peractum eſt. Et paucis poſt menſibus eadem hoſtia, quæ iam conuerſa fuerat in carnem, redacta prius in ſpeciem panis, de more paulatim conſumpta fuit.

Hoc miraculum narrat Deuſdatus de Felice, tunc notarius Curiæ Archiepiſcopatus Neapolitani, & notarius ſacri Officij, Roma deputatus apud eumdem Canonicum Carolum Baldinum, Commiſſarium, & Miniſtrum ſacri Officij Romani, deputatum à S. Sede Apoſtolica, & ab illa Sacra Congregatione Illuſtriſſimorum, & Reuerendiſſimorum Cardinalium prædicti Sacri Officij.

Pyxis argentea, in qua diuinum Chriſti corpus aſſeruabatur, furto ſublata, miraculoſe ſe prodit. *Cap.* 244.

CVm quidam Mercatores Pedemontani, Iſiglij Allobrogum Oppido, quod fuerat deprædatum, vnà cum eorum facultatibus detinerentur, ac nonnulli ex loco Cherij, ad dictum Iſiglij Oppidum ad diſcordiam huiuſmodi componendam acceſſiſſent, vnus ex ipſis diabolico ſpiritu ductus, Pyxidem argenteam, in qua ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum in quadam Eccleſia aſſeruabatur, furto auferre auſus eſt: illa in quodam aliarum ſarcinarum inuolucro abſcondita, ac mulo ſuperimpoſita vſque Auiglianæ, ac Riuolæ dictæ prouinciæ Oppida pertranſiens, Taurinum peruenit, nec vnquam (Deo ita diſponente) ſtetit mulus, donec ad Eccleſiã S. Siluestri deuenerit, vbi ante Eccleſiæ fores proſtrato, ac Dei nutu humana ope interueniẽte inuolucro illo diſrupto, Pyxis cum ſanctiſſima Hoſtia magno ſplendore, ac radijs, ſolis inſtar, vndique circumfuſa, miraculoſe proſilijt. Quo miraculo per Bartholomæum Coconum presbyterum, qui eo in loco tunc aderat, ad Reuerendiſſimum D. Ludouicum Romagnanum eiuſdem Ciuitatis Epiſcopum delato, ſtatim vnà cum Clero, ac alijs pleriſque religioſis viris, ſigno Crucis præcedente, ad locum, vbi miraculum euenerat, proceſſit, ibiq. omnibus genuflexis, & ſanctiſſimum Sacramentum deuote adorantibus, Pyxis decidit in terram, ſacratiſſima Hoſtia ſublimi in aere conſiſtente, magna luce, ſplendidiſſimisq. radijs præfulgente, quæ deinde omnibus circumſpectantibus in allatum ad Epiſcopum Calicem ſeſe contulit, magnaq. Cleri ac populi deuotione, ac honore, ad Cathedralem Eccleſiam ab ipſo Epiſcopo fuit delata, vbi in præclari huius miraculi teſtimonium, pulcherrimum tabernaculum erectum, ac honorifice collocatum exſtitit, quod quidem vſque ad noui templi conſtructionem perdurauit; necnon, quod in poſterum quolibet anno dies Octauæ ſanctiſſimi Corporis Chriſti populo feſtus ac ſolemnis eſſet, generaliſquè Proceſſio fieret, decretum eſt, quod poſtea in dicta Ciuitate ac pluribus alijs Pedemontanis ſemper fuit obſeruatum.

Huius rei, inter alios, teſtes fuerũt dictus presbyter Bartholomæus Coconus, Petrinus de Gorzano, Petrinus Daaerio, Gaſparinus Molerius, Martinus Oſellãda, Georgius Gaſtãdus, Michael Burrus, Io. Falconius, Bonifacius de Caſſano, Barthol. Canarinus, Ant. Mauerius, & plurimi alij dictę Ciuitatis Ciues.

Viator timens Deum, volens audire Miſſam, in qua hoſtia corporis Domini ſanctificatur, à mortis diſcrimine liberatur, ſed comites contemnentes intereunt. Cap. 145.

COnuenerant ad nundinas in Terra Ciſternæ, quotannis de menſe Nouembri celebrari ſolitas, inter alios, tres mercatores Eugubini in eodē ſimul hoſpitio degentes. Nundinis quodam die Sabbathi abſolutis, ac illis inter ſe de regreſſu ad propria tractantibus, duo ex ipſis, diſcedamus, inquiunt, craſtina die prima luce, vt veſperi Eugubium peruenire poſſimus; reſpondit alius: ego quidem, cras cum ſit dies Dominicus, ſacro inaudito nullo pacto diſcedam, ideo ſi ſimul abire volumus, prius Miſſam audiamus, ac deinde paululum cibo refecti in nomine Domini proficiſcamur, quod ſi Eugubium peruenire nequibimus, in Oppido Caſtelli diuerſabimur. Saluberrimo huius conſilio non acquieuerunt ceteri, ſed replicantes ſeſe poſtridie veſperi Eugubium omnino peruenire velle, Deumq. ipſos, ſi pro illa vice Miſſam audire non poſſent, excuſatos habiturum, ſequenti die Dominico ſacræ rei adeſſe non curantes, ſummo mane equos conſcenderunt, ac Eugubium verſus iter dirigentes ad flumen vſque, Corſuone appellatum, à Ciſternæ Oppido per duo ferè milliaria diſtans perrexerunt; cumq. ambo ligneum Pontem equis conſcendiſſent, vt flumen, quod ob magnos, qui præcedenti nocte defluxerant imbres, valde rapidum erat, pertranſirent; Pons valido aquarum impetu ictus repente decidit, amboq. vnà cum pecunijs, quas ex mercium venditione ſecum deferebant, iuſto Dei iudicio demerſi ſunt, ac eodem puncto vitam, facultates (& vtinam non animæ ſalutem) miſerrime perdiderunt, quorum corpora iam extincta à vicinis, qui illuc accurrerant, ad ripam extracta fuere, equis in tuto deductis: qui quidem Pons ex eo tempore ad perpetuam huius rei memoriam nunquam refectus fuit. Alius, qui remanſerat, ſocius prudentior, ac timens Deum, audita Miſſa & ipſe alacri animo ingreſſus eſt iter, cumq. ad flumen perueniſſet, in duo ſociorum cadauera, nihil tale cogitans, ibidem prope ripam iacentia magno animi terrore incidit, quo facto valde commotus, cognito Dei iudicio, gratias ipſi Deo agens, ſuum iter ſanctius cæptum fœlicius abſoluit.

Hoc terribile exemplum, quod contigit anno Domini 1570. Thomas Bozius, venerabilis Pater Congregationis noſtræ referebat.

Quidam in eadem naui periclitantes, quicunque Miſſam audiuerant, in qua Chriſti corpus conſecratur, & offertur, liberantur à morte, ceteri autem qui non audiuerant, ſubmerguntur. Cap 246.

ANno Domini 1575. vel circiter, cum quidam nobilis Anconitanus Piſauri vxorem duxiſſet, ibiq. nuptias celebraſſet, Anconam rediturus vnà cum vxore, ac magno hominum, & mulierum maiori ex parte nobilium comitatu (pro perſonæ dignitate) quodam die Dominico nauem conſcendit, cumq. nauis relicto littore iam per duo fere milliaria proceſſiſſet, quædam ex primarijs mulieribus, quæ ſicut mundana nobilitate, ita

ſplen-

ſplendido, ac vano cultu ceteras omnes ſuperabat, nauſeæ moleſtia (ſicut nauigantibus accidere ſolet) vehementer laborare cæpit, itavt ſtomachi faſtidio pene deficeret, ipſaq, ad nauis lignum, vt in mare euomeret, accedente, omnes tàm viri, quàm mulieres, vt laboranti opem ferrent, accurrerunt, at nauis eo latere nimio multitudinis onere preſſa, ſubito euerſa eſt, omnesq. numero fere quinquaginta aquis demerſi. & quatuordecim abſumpti ſunt, ceteri vero, inter quos ſponſus, & ſponſa, à quibuſdam nandi peritis in tuto deducti, incolumes Anconam appulerunt, egreſſiq. de naui, ac inter ſeſe de euentu ratiocinantes, manifeſte deprehenderunt, eos qui euaſerant, mane antequam nauim ingrederentur Miſſam audiuiſſe, qui verò perierant, ea inaudita nauem conſcendiſſe; & præcipue mulier illa, cuius cauſa nauis euerſa eſt, quæ totam illam in ſe exornando, ac comendo conſumpſerat diem. ſed hæc ſatis. magna de hoc Sacramento alibi dicturi.

Nunc proſequamur aliquas Patrum in hoc argumentum enarrationes.

Enarratio de myſterijs, & arcanis, quæ ſub diuino Sacramento in quo incruentum eſt gloria, & gratia plenum corpus Domini, continentur. Ex D. Cypriano. Cap. 247.

DE ſacroſancto ſacramento diuini corporis Chriſti, hæc, & plura habet D. Cyprianus antiquus Theologus. Hoc ſacramentum (inquit ille) aliquando corpus ſuum, aliquando carnem, & ſanguinem, aliquando panem Chriſtus appellat, portionem vitæ æternæ, cuius ſecundum hæc viſibilia corporali communicauit naturæ. Panis iſte communis in carnem, & ſanguinē mutatus, procurat vitam, & incrementum corporibus, ideoq. ex conſueto rerum effectu fidei noſtræ adiuta infirmitas, ſenſibili argumento edocta eſt, viſibilibus ſacramentis ineſſe vitæ æternæ effectum, & non tàm corporali, quàm ſpirituali tranſitione Chriſto nos vniri. Ipſe enim, & panis, & caro, & ſanguis, idem cibus, & ſubſtantia, & vita factus eſt Eccleſiæ ſuæ, quam corpus ſuum appellat, dans ei participationem. Et nos quidem cum caro eſſemus, & ſanguis, corrupta, & infirma corporis, animæq. natura, reformari non poteramus, neque ad ſimilitudinem Dei reuerti, niſi morbo inueterato imponeretur malagma conueniens, & in curationem deſperatæ infirmitatis contraria remouerentur contrarijs, & ſimilia ſimilibus conuenirent. Panis iſte, quem Dominus diſcipulis porrigebat non effigie, ſed natura mutatus, omnipotentia verbi factus eſt caro; & ſicut in perſona Chriſti humanitas videbatur, & latebat diuinitas: ita ſacramēto viſibili ineffabiliter diuina ſe infudit eſſentia, vt eſſet religioni circa ſacramenta deuotio, & ad veritatē cuius corpus, & ſanguis ſacramenta ſunt, ſincerior pateret acceſſus vſq; ad participationem ſpiritus, non quod vſque ad conſubſtantialitatē Chriſti, ſed vſq; ad ſocietatem germaniſſimam eius hæc vnitas perueniſſet. Solus quippe filius Patri conſubſtantialis eſt, nec diuiſibilis eſt, nec partiabilis ſubſtantia Trinitatis: noſtra vero, & ipſius coniunctio, nec miſcet perſonas, nec vnit ſubſtantias, ſed affectus conſociat, & confœderat voluntates. Itaq. Eccleſia corpus Chriſti effecta, obſequitur capiti ſuo, & ſuperius lumen in inferiora diffuſum, claritatis ſuæ plenitudine à fine vſque ad finem attingens, totum apud ſe manens, totum ſe omnibus commodat, & caloris illius identitas ita

Cypr. de Cœna Domini.

corpori aſſidet, vt à capite non recedat. Panis itaq. hic azymus cibus verus, & ſincerus per ſpeciem, & ſacramentum nos tactu ſanctificat, fide illuminat, veritate Chriſto conformat.

Et ſicut Panis communis, quem quotidie edimus, vita eſt corporis, ita panis iſte ſuperſubſtantialis vita eſt animæ, & ſanitas mentis. Panem Angelorum ſub ſacramento manducamus in terris, eundem ſine ſacramento manifeſtius edemus in cælis, non miniſterio corporali, ſæpe repetitis actionibus ad eadem reuertentes, ſed conſummato ſacerdotio noſtro erit, & permanebit perpetua, & ſtabilis, implens, & reficiens nos ſufficientia, qua proferet ſe palàm, abſque vllis integumentis, omnibus conſpicabilis ſummi præſentia ſacerdotis. Sacramenta quidem, quantum in ſe eſt, ſine propria eſſe virtute non poſſunt, nec vllo modo diuina ſe abſentat maieſtas myſterijs, ſed quamuis ab indignis ſe ſumi, vel contingi ſacramenta permittant, non poſſunt tamen ſpiritus eſſe participes, quorum infidelitas, vel indignitas tantæ ſanctitudini contradicit. Ideoq. alijs ſunt hæc munera odor vitæ in vitam, alijs odor mortis in mortem, quia omninò iuſtum eſt, vt tanto priuentur beneficio gratiæ contemptores, nec in indignis tantæ gratiæ puritas ſibi faciat manſionem.

Eſus igitur carnis huius, quædam auiditas eſt, & quoddam deſiderium manendi in ipſo, per quod ſic imprimimus, & eliquamus in nobis dulcedinem charitatis, vt hæreat palato noſtro, & viſceribus ſapor dilectionis infuſus, penetrans, & imbuens omnes animæ, corporiſq. receſſus. Potus, & eſus ad eandem pertinet rationem, quibus ſicut corporea nutritur ſubſtantia & viuit, & incolumis perſeuerat, ita vita ſpiritus hoc proprio alimento nutritur; & quod eſt eſca carni, hoc animæ eſt fides; quod cibus corpori, hoc verbum ſpiritui; excellentiori virtute peragens æternaliter, quod agunt alimenta carnalia, temporaliter, & finaliter. Celebrantes ſacramenta commonemur, quaſi vngulam findens, & ruminans pecus reuocare ad fauces, & minutatim commolere dominicæ inſtitutionis exemplum, vt ſemper paſſio ſit in memoria, nec terreât crucifixi hæredes mortis ſupplicia, ſed paſcât, & reficiant maturatæ reſurrectionis lætabunda ſollemnia. Quàm præclarus eſt calix iſte, quàm religioſa eſt huius potus ebrietas, per quam excedimus Deo, & quæ retro ſunt obliti ad anteriora extendimur, non habentes ſenſum huius mũdi, ſed diuitis purpurati delitias contemnentes, cruci hæremus, ſanguinem ſugimus, & intra ipſa Redemptoris noſtri vulnera figimus linguam, quo interius exteriusq. rubricati à ſapientibus huius ſeculi indicamur amentes, qui religionis huius abhorrẽtes mandatum vſque hodie retrò abeunt, & à ſecretis diuinis omnium intra ſe myſteriorum continentibus ſummam, diffugiunt, & recedunt.

Qui mãducat ex hoc pane, vltra non eſurit: qui bibit, vltra non ſitit: quoniam myſterij huius ſic ſufficit gratia, ſic reficit intelligentia, vt cuicumque tantæ rei innotuerit plenitudo, omnis conſumationis ſine inuento, Chriſti baiulus ipſum ferat in pectore, ipſum gerat in mente, & omni tempore habitatori ſuo dicta, & facta iubilatione conſona laudes reſonent, & gratiarum actiones decantent. Hæc ebrietas non accendit, ſed extinguit peccatum, in hoc vino non eſt luxuria, nec mouetur ad ludum poſt hunc potum laſciuia.

Cum ſopiuit obliuio cuncta carnis ludibria, mira ſunt, quæ ſentit, magna quæ videt, inaudita quæ loquitur, quem agnus iſte paſchalis inhabitat, cuius anima meri huius fortitudo hilaritate inexplicabili lætificat, & delectat. Inter Dominicæ menſæ conuiuas animalis homo non admittitur; quicquid caro,, & ſanguis dictat, ab hoc cætu excluditur, nihil ſapit, nihil prodeſt quicquid humani ſenſus molitur ſubtilitas; omne quicquid à ſuis rationibus deuium videtur, ſapientes huius ſeculi ad dementiam referunt, & à veritate reputant alienum. Sed veritas ab erroneis hominibus comprehendi non potuit, & cum in ſole vellet figere oculos, vim luminis non ferens, cæcata eſt, non illuminata humana præſumptio, & aſpectui eius lippitudo inhæſit. Vident hæc ſacramenta pauperes ſpiritu, & hoc vno contenti ferculo, omnes mundi huius delicias aſpernantur, & poſſidentes Chriſtum, aliquam huius mundi poſſidere ſupellectilem dedignantur. Eſurientes, & ſitientes iuſtitiam, cum ſaturati fuerint, vide quid agant, intellige, quæ loquantur, quàm ſancti odoris ſit, quicquid illa eructat plenitudo, verbum bonum, mores compoſitos, affectus pudicos, ſenſus pacificos, illa interior ſinceritas vbique diffundit, ita vt poſt odoramenta iſta gratiæ huius comparticipes diſcurrant, & mutuis ſe ad inuicem affectibus complectantur, & quibus vnus eſt panis, vnum eſt corpus; & omnium vnum cor, & anima vna, vni Chriſto adhærens, cetera omnia quaſi fermentata reſpuens, in vnius azymi ſinceritate lætatur. Perpes eſt hoc ſacrificium, & ſemper permanens holocauſtum, nulla panem hunc multitudo conſumit, nulla antiquitate veteraſcit. Vna eſt Domus Eccleſiæ, in qua agnus editur; nullus ei communicat, quem Iſraëlitici nominis generoſitas non commendat. Huius panis figura fuit Manna, quod in deſerto pluit, ſic vbi ad verum panem in terra promiſſionis ventum eſt, cibus ille defecit. Per ſingula ſabbatha panes propoſitionis iam frigidi, & duri mutari cõſueuerant, & calidi panes eiuſdem numeri in menſa proponi. Iam nulla fit panis mutatio, vnus eſt panis coloris continui, ſtatus integri, qui ſemel oblatus Deo, in ſapore dulciſſimo, & candore puriſſimo perſeuerat. Nec ſolos ſacerdotes ad panes huius dignitatis leuiticæ prærogatiua admittit, vniuerſa Eccleſia ad has epulas inuitatur, æqua omnibus portio datur, integer erogatur, diſtributus nõ demẽbratur, incorporatur non iniuriatur: recipitur, non includitur: cum infirmis habitans non infirmatur, nec pauperum miniſterio indignatur: fides pura, mens ſincera hunc habitatorem delectat, neque immenſi, & omnipotentis Dei magnitudinem paupercułæ domus noſtræ anguſtia offendit, & arctat. Panis iſte Angelorum omne delectamentum habens, virtute mirifica, omnibus, qui digne, & deuote ſumunt, ſecundum ſuum deſiderium ſapit, & amplius, quam Manna illud Eremi implet, & ſatiat edentium appetitus, & omnia carnalium ſaporum irritamenta, & omnium exſuperat dulcedinum voluptates.

Vide quomodo his, qui Chriſti commemorant paſſionem, intra ſacra officia, quaſi per quoſdam canales de interioribus fontibus egrediantur torrentes, & ſuper omnes delicias lachrymis nectareis anima delectetur: quãtam ſuauitatem animæ inquirenti vbi ſit Deus ſuus, ſuſpiria contemplationis eliciant. Non illos imbres procelloſæ tempeſtates deponunt, ros matutinus eſt de caleſtibus ſtillans, quaſi vnctio ſpiritus mentẽ deliniens. Gemitus il-

los pietas excitat, & inter diem, & noctem retro, & ante ſe affectio intuens, inter data, condonando ſe diuidens, gratias agit tàm vberis beneficij largitori, & ſe ſanatam, & ſanctificatam agnoſcens, fletibus ſe abluit, & lachrymis ſe baptizat. Verum hi, qui verbo tenus corde ſicci, & mente aridi ſacris interſunt, vel etiam participant donis, lambunt quidem petram, ſed inde nec mel ſugunt, nec oleum, qui nec aliqua charitatis dulcedine, nec Spiritus ſancti pinguedine vegetantur, nec ſe iudicant, nec ſacramenta dijudicant, ſed ſicut cibis communibus irreuerenter ſacris vtuntur muneribus, & dominicæ menſæ in veſte lutulenta ſe ingerunt impudenter, quibus melius erat mola aſinaria collo alligata mergi in pelagus, quàm illota conſcientia de manu Domini buccellam accipere, qui vſque hodie hoc veraciſſimum, & ſacratiſſimum corpus ſuum creat, & ſanctificat, & benedicit, & pie ſumentibus diuidit. In huius præſentia non ſuperuacuæ mendicant lachrymæ veniam, nec vnquam patitur contriti cordis holocauſtum repulſam. Quoties te in conſpectu Domini video ſuſpirantem, Spiritum ſanctum non dubito aſpirantem; cum intueor flentem, ſentio ignoſcentem. Tu ſi templum Spiritus ſancti violas, ſi intra te ſacrarium Dei deturbas, & fœdas, ſi cum calice Chriſti de calice dæmoniorum communicas, contumelia eſt, non religio: iniuria, non deuotio. Idolorum ſeruitus, & horrenda abominatio velle ſimul Baal famulari, & Chriſto. Abi retro cum ſaccellis tuis, qui lucris inhias, & mercedes ſectaris, qui opulentus in Sion quotidie crapularis, qui in lectis eburneis recubas, & in ſtratis ſegmentatis laſciuis, qui veſtiris mollibus, & in terra ſuauiter viuentium conuerſaris, cuius manus plenæ ſunt ſanguine, cuius lumbi diſcincti ſunt, & ſine balthei diſcurris ligamine. Non eſt tibi pars in ſermone iſto, quia quod Dei eſt, aufers Deo, & imaginem Dei conſecras idolo. Pauperes quidem ſpiritu ad hoc myſterium eligit, & diligit Spiritus ſanctus, & eorum, qui pompaticè, & glorioſè ſacris ſe altaribus ingerunt, obſequia deteſtatur. Ozias licet Rex ob præſumptionem lepra percuſſus, à ſanctuarij ingreſſu repellitur, & eius oblatio, quaſi ſordida refutatur. Incenſi odor de immundorum manibus reputatus eſt pro fætore: & iram, non gratiam præſumptio meruit, quia contra fas rem vſurpans illicitam, temerarie in ſancta conſcendit. Sed & propter malignantium inſolentiam altare ſuum Deus repellit, & ſanctificationibus maledicit, odit ſabbatha, abominatur ſolemnia, odoramenta fætent, diſplicent holocauſta. In his omnibus laborare ſe dicit Deus, nec eſſe voluntatem ſuam in miniſtris impuris, indignatione diſtricta teſtatur. Sed hierarca pius, quem Spiritus ſanctus compungit, excitat, inhabitat, & ſanctificat, eleuatione manuum crucis myſterium repræſentans, confidenter orat pro ſua, & populi ignorantia, recolens pudibundi, & contriti animi confeſſione, quod aliquando præualente aduerſum ſe peccato fuerit derelictus, iuxta
Pſal. 29. illud quod Dauid plorans ait: Auertiſti faciem tuam à me, & factus ſum
Iſa. 54. conturbatus. Et Dominus per Iſaiam: Ad tempus in modico dereliquam te. Verecundatur fateri, & tamen fatetur iuuentutis delicta. Sed accuſatrici conſcientiæ neceſſe eſt coram Iudice reſpondere, nec poteſt ibi eſſe vllum diffugium, vbi ipſa teſtis eſt, quæ accuſat, & nihil ei poteſt eſſe occultum, qui iudicat. Sed vbi cum Iudice agit, qui iudicatur, & ipſe in partem accuſatoris tranſiens, etiam in ſua proſcriptione ſententiam approbat condemnantis

nantis, experitur clementiam Saluatoris, & lætabundus canit: Domine in voluntate tua præſtitiſti decori meo virtutem. Et iterum per Iſaiam audit: In miſerationibus magnis congregabo te. Sed, & in eodem articulo temporis cum iam anima feſtinet ad exitum, & egrediens ad labia exſpirantis emerſerit, pœnitentiam clementiſſimi Dei benignitas non aſpernatur, nec ſerum eſt quod verum: nec irremiſſibile, quod voluntarium: & quæcunque neceſſitas cogat ad pænitudinem, nec quantitas criminis, nec breuitas temporis, nec horæ extremitas, nec vitæ enormitas, ſi vera contritio, ſi pura fuerit voluptatum mutatio, excludit à venia, ſed in amplitudine ſinus ſui mater charitas prodigos ſuſcipit reuertentes, & velit, nolit Nouatus hæreticus, omni tempore Dei gratia recipit pœnitentes. Ipſe Dominus noſter derelictorum perſonam gerens in cruce, ſe queritur derelictum, & ne deſperarent etiam in vltimis conſtituti, feſtinans in adiutorium illicò adeſt, & re in arcto poſita non differt beneficium, ſed repente indulgentiæ celeris documentum eiuſdem ſtatuit, & exemplum, Latroni inquiens: Hodie mecum eris in Paradiſo. Latrocinium damnationem meruerat, & ſupplicium, ſed cor contritum pœnam mutauit in martyrium, & ſanguinem in baptiſmum. In momento impietas religionem, crudelitas induit pietatem, & ſtatim conſummatus ciuis ſanctorum, & domeſticus Dei præmiſſus eſt in regnum, reconciliationis humanæ priuilegium ſecum ferens ad ſuperos, quod Deo Patri tantæ legationis fungens honore, in ſe ipſo ſcripturæ huius experimentum continens, libero, & ſecuro aditu penetrans, præſentauit. Quid tu Domine amplius Stephano contuliſti? Quid amplius ille obtinuit dilectus tuus, qui ſupra pectus tuum in cœna recubuit? quid amplius Pauli meruere ſudores? quid labores Sanctorum? quid tot annorum tormenta? quid Martyrum plagæ? Vna hora huic collatum eſt præmium, ad quod illi per tot diſcrimina peruenerunt.

Sic tu Domine armentarios ſtatim facis prophetas, opiliones Reges, telonarios Apoſtolos, piſcatores Doctores. Neque ab his, quos ſanas, lente languor abſcedit, ſed illico quem reſtituis, ex integro conualeſcit, quia cõſummatum eſt, quod facis, & perfectum quod largiris. Hanc Dei gratiam recolens, qui de ſacro calice bibit, amplius ſitit; & ad Deum viuum erigens deſiderium, ita ſingulari fame illo vno appetitu tenetur, vt deinceps fellea peccatorum horreat pocula, & omnis ſapor delectamentorum carnalium ſit ei quaſi rancidum, radensq. palatum acutæ mordacitatis acetum. Ad hæc inter ſacra myſteria ad gratiarum actiones conuertitur, & inclinato capite, munditia cordis adepta, ſe intelligens conſummatum, reſtitutus peccator, ſanctificatam Deo animam, quaſi depoſitum cuſtoditum, fideliter reddit, & deinceps cum Paulo gloriatur, & lætatur dicens: Viuo ego; iã non ego, viuit vero in me Chriſtus. Hæc in Chriſti commemoratione retractantur à fidelibus, & deſęcatis animis, carnis eius edulium non eſt horrori, ſed honori, potuq. ſancti, & ſanctificantis ſanguinis ſpiritus delectatur. Hæc quoties agimus, non dentes ad mordendum acuimus, ſed fide ſincera panem ſanctũ frangimus, & partimur, dum quod diuinum, & quod humanum eſt diſtinguimus, & ſeparamus; itemq. ſimul ſeparata, iungentes, vnum Deum, & hominem fatemur. Sed & nos ipſi corpus eius effecti, ſacramento, & re ſacramenti capiti noſtro connectimur, & vnimur, ſinguli alter alterius membra,

bra, miniſterium dilectionis pro inuicem exhibentes, communicamus charitate, participamus ſolicitudine, eundem cibum manducantes, & eundem potum bibentes, qui de petra ſpirituali profluit, & emanat, qui cibus, & potus eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus.

Vſus ſumendi caleſte ſacramentum corporis Chriſti, qua ratione, & quo tempore ſit frequentandus. Enarratio ex D. Chryſoſtomo. Cap. 248.

Io.Chryſoſ. in epiſt. ad Hebr.c.10. hom.17.

De ſacrificio Sacroſancto, volo pauca ad vos initiatos dicere; pauca quidem menſura, magnam autem habentia virtutem, & vtilitatem. Non enim noſtra ſunt, ſed diuini ſpiritus, quæ dicuntur. Quæ ergo ſunt? Plurimi ex hoc ſacrificio ſemel accipiunt in toto anno, alij ſæpius. Ad omnes ergo nobis ſermo eſt, non ad eos, qui hic ſunt tantum, ſed etiam ad eos, qui in eremo ſedent. Illi enim ſemel in anno participant, fortaſſis etiam & poſt duos annos. Quid ergo eſt? Quos magis acceptabimus? Eoſne qui ſemel, an eos, qui ſæpius? neque qui raro, ſed eos, qui cum munda conſcientia, qui cum mundo corde, cum vita irreprehenſibili, iſti ſemper accedant. Qui vero tales non ſunt, neque ſemel. Quid ita? Quia iudicium ſibi accipiunt, & damnationem, & ſupplicium. Et non mireris. Sicut enim cibus naturaliter nutritorius exiſtens, ſi in eum, qui prauis cibis corruptus eſt, incidat, omnia perdit, & corrumpit, & efficitur occaſio morbi: ſic etiam iſta, quæ ad hęc terribilia pertinēt ſacramenta. Frueris menſa ſpirituali, menſa regali, & iterum polluis cæno os tuum? perungis vnguento pretioſo, & iterum fœtoribus illud imples? Dic mihi, rogo, cum demum annuo reuoluto tempore communices, quadraginta dies putas tibi ſufficere ad mundationem peccatorum totius temporis? & iterum ſeptimana tranſeunte tradis teipſum ſordibus primis? Dic enim mihi, ſi ſaluus factus quadraginta diebus ab ægritudine lōga, iterum te illis morbificatoribus cibis tradas, nonne & primum laborem perdes? ſi enim naturalia ſic mutantur, quanto amplius voluntaria? Vtpote naturaliter videmus, & ſanos habemus oculos ſecundum naturam: ſed aliquando ex mala quadam affectione læditur noſter obtutus. Si igitur naturalia mutantur, quanto amplius, quæ ad voluntatem pertinent? Quadraginta dies tantum tribuis ſaluti animæ tuæ, arbitror autem, quia neque quadraginta dies, & ſperas propitiari Deum? Iocariſne, dic quæſo? Hæc dicens non ab vna in anno perceptione vos veto, ſed volo ſemper vos accedere: ſanctis hæc conceſſa ſunt. Hoc etiam Diaconus inſonat in illa hora ſanctos vocans, & per hanc vocem veluti maculas inſpiciens. Sicut enim in grege, vbi multæ quidem ſaluæ ſunt pecudes, multæ autem ſcabie plenæ ſunt, neceſſe eſt, vt hæ prohibeantur à ſanis: ſic etiam in Eccleſia, quoniam aliæ quidem ſunt ſaluæ pecudes, aliæ autem vitiatæ, per hanc vocem prohibentur hæ ab illis, penetrans vbiq. per vocem illam tremendam ſacerdos ſanctos vocans, & attrahens. Quia enim impoſſibile eſt hominem ſcire interiora proximi, quis enim ſcit hominum, inquit, quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt? hanc emittit vocem, poſtquam ſacrificium perficitur, vt nullus ſimpliciter, & quomodo libet ad fontem ſpiritualem veniat. Etenim in grege (nihil pro-

hibet

hibet eodem iterum exemplo vti) morbidas quidem intro recludimus, & in tenebris habemus, & altera nutrimenta tribuimus, neque ex aëre mundo, neque ex paſcuis puris, neque ex fonte, qui ſoris eſt, eas permittimus ſumere. Et hic igitur ipſa nox pro vinculis quibuſdam eſt. Non potes dicere: Neſciebam, ignorabam, quia periculum ſequitur hanc cauſam. Maxime autem, & Paulus teſtificatus eſt hanc cauſam. Sed dicis, non legi: non eſt hæc excuſatio, ſed crimen. Per ſingulos dies intras Eccleſiam, & adhuc iſtud ignoras? Veruntamen, vt neque hanc tibi excuſationem inuenias, propterea in altiori loco ſtans magna voce, & trementi conclamat, veluti quidam præco, manus ſuſtollens in altum, altius etiam ipſe ſtans omnibus manifeſtus efficitur, & manu illa tremenda, & continua voce reclamans, alios quidem vocat, alios autem prohibet, non manu hoc faciens, ſed lingua clarius, quàm ſi manu hoc faceret. Vox enim illa in auditum irruens noſtrum, veluti manus alios quidem expellit, & excludit, alios autem introducit, & repræſentat. Dic enim, rogo, in Olympiacis certaminibus, nonne ſtabat præco, & magnum, atque altum clamans, & dicens: Si quis hunc accuſat, ne forte ſeruus eſt, ne forte fur, ne forte malignorum morum, quamuis certamina illa non ſint animæ, neque morum, ſed fortitudinis corporalis; Si itaque vbi corporum verſatur ſtudium, multa inquiſitio efficitur voluntatis: quanto magis hic, vbi totum certamen gerit anima? Stat igitur nunc etiam præco noſter, non caput vniuſcuiuſque continens, & producens, ſed omnia ſimul capita interiora continens, & non eis conſtituit alios accuſatores, ſed ipſos ſibi. Non enim dicit: Si quis forte hunc accuſat. Sed quid? Si quis ſe ipſum accuſat: quando enim dicit ſancta ſanctis, hoc dicit: Si quis non eſt Sanctus, non accedat. Non ſimpliciter dicit, à peccatis mundus, ſed ſanctus. Sanctum enim non mundatio peccati tantum facit, ſed etiam præſentia ſpiritus, & bonorum opulentia. Non enim, inquit, volo à cæno vos mundos eſſe, ſed etiam albos eſſe, & pulchros. Si enim Rex Babylonius ex captiuitate eligens iuuenes, honeſtos forma, & decoros facie elegit: multo amplius, & nos adſtantes menſæ regali honeſtos ſpecie animæ eſſe oportet, ornatum habentes aureum, ſtolam mundam, calceamenta regalia, vultum animæ formoſum: oportet eam ornatu aureo circumdatam eſſe, cingulum veritatis habere. Talis accedat, & calicem tangat regalem. Si autem qui pannis eſt ſordidis obſitus, & illuuie plenus, & ingredi menſam regalem voluerit, attende quanta patietur, non ſufficientibus quadraginta diebus mundare illum ab his, quæ in toto tempore deliquit. Si enim gehenna non ſufficit, quamuis æterna eſt (propterea enim æterna eſt): quanto minus breue iſtud tempus? Neque enim pœnitentiam validam demonſtrauimus, ſed debilem. Eunuchos maxime oportet adſtare regi: eunuchos dico albos mente, nullam habentes ſordem, neque maculam, excelſos intelligentia, oculum animæ manſuetum habentes, & acutum videntes, circumſpectum, & agilem, ſed non ſomnolentum, neque ſupinum, honeſtate multa plenum, longe ab impudentia, & à ſupinitate vigilem, ſanum, neque triſtem valde, & à mærore deiectum, neque diffuſum, & humidum. Hunc nos oculum efficere poſſumus, & ad videndum acutum facere, & pulchrum, quando eum non ad fumum adducimus, neque ad puluerem. Tales quippe ſunt cunctæ res humanæ. Sed

ad auram tenuem, ad leuem aërem, & conſpicuum, & excelſum, & ſilentio multo plenum, & munditia, & multa delectatione recreamus illum velociter, & confortamus ex delitijs tantæ contemplationis. Vides opulentias, & diuitias multas, non adducas illuc oculum tuum: cœnum eſt hæc res, fumus eſt, vapor malignus, tenebræ, & anguſtiæ multæ, & curarum præfractio. Vides hominem colore iuſtitiæ ſufficientem in ſuis rebus, & multam habentem latitudinem, & remiſſionem nihil curantem, nullas ſollicitudines huius vitæ habentem: huc oculum tuum dirige, huc extolle, multo meliorem illum facies, & clariorem: non terræ floribus ei delitias facies, ſed virtutis, hoc eſt, temperantia, manſuetudine, & ceteris omnibus. Nihil enim ſic perturbat oculum, ſicut conſcientia mala: Turbatus eſt, inquit, in ira oculus meus; nihil ſic tenebroſum facit. Ex iſta eum libera offenſione, & facies eum vehementem & fortem, qui ſemper nutriatur rebus bonis. Contingat autem omnes nos, & iſtum eundem oculum, & alias animæ noſtræ operationes tales præparare, & habere, quales vult Chriſtus, vt impoſito nobis capite noſtro digni efficiamur, & ambulemus quo voluerit, qui dixit: Volo, vt vbi ego ſum, & iſti ſint mecum, vt gloriam meam videant, qua cunctos nos contingat perfui. In Chriſto Ieſu Domino noſtro, cum quo Patri, vnà cum ſancto Spiritu, gloria, imperium, honor, nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.

De intentione Auctoris in rebus recitandis. *Cap.* 249.

Non poſſunt omnia, quæ ſcribenda ſe offerunt, certo aliquo ordine ſcribi, & aſſignatis temporibus, quibus acta ſunt, digeri, ſed neceſſe eſt propter rerum ſcribendarum varietatem, multa intermiſcere, & poſtea, quæ prius dicenda fuiſſent recenſere; ruſus repetere aliqua, de quibus prius actum fuit. Neque placuit in hoc nimis ſollicitos eſſe, vt omnia, nimia diligentia, ſuis coaptarentur locis, quia dum vnus ordo in ſcribendo ſeruatur, alterum confundi neceſſe eſt. Neque oportet, vt omnia ad illam materiam pertinentia coaceruatim recenſeantur vno in loco. Inutile tamen viſum eſt, illa huc, & illuc ſpargere, & diuerſis in locis recitare, etiam leui nacta occaſione recitandi illa, in hoc ſolum incumbentes, vt ſemper vtilia, non ſemper ordinata diceremus. Quæ quidem ſi quis ordinata, & in vnum congeſta velit, tabulam conſulat, vbi quæcumque ad illud argumentum facere poſſunt, congeſta reperiet.

Sed tranſeamus ad recenſenda geſta, quæ poſt Chriſti glorioſam in cælum Aſcenſionem, acta ſunt, à S. Luca Euangeliſta irrefragabili veritate conſcripta, intermiſcentes multa ſimilia, quæ alijs temporibus contigerunt, vt ſupra etiam factum eſt.

De diuino conſilio & voluntate Ieſu Chriſti glorioſi perducendi homines ad Cœlorum glorias, quò ipſe aſcenderat. *Cap.* 250.

Cvm igitur glorioſus Dominus ſuper cæleſtes illas ſedes, & ſublimia tabernacula aſcendiſſet, & morte, & reſurrectione, & aſcenſione aperuiſſet

ruiſſet cælos, vt homines ad inacceſſibilem lucem haberent acceſſum, & Regnum æternitate commenſuratum; & diuitijs, & theſauris & omnium rerum opulentia locupletatum, in ſumma beatitudine poſſidere poſſent, ſtatimq. voluit, ſecundum diuinum conſilium ſuum, & promiſſiones factas incipere illuc perducere homines, quibus tanto labore immenſum illud bonum parauerat. Quapropter decreuit in terras mittere ſpiritum ſuum, vt in corda hominum fœlici illapſu ingrediens deificaret homines & faceret filios Dei, & tandem deduceret, & adduceret in excelſos glorioſos montes ad æternas hæreditates adeundas, & ad diuina patrimonia capeſſenda. Diuinum certe munus, & omni acceptione dignum, quo nihil hominibus poteſt contingere beatius. Interim autem dum in mundo degerent illo ſpiritu afflati, poſſent arduas virtutum operationes agere, & laudabilia facinora, & generoſas actiones, vt in corruptione vniuerſali Mundi huius, & in ſeculo hoc omnibus turpitudinibus contaminato appareret ſplendidum & genus hominum, & regnis cæleſtibus dignum, & bona opera ſectans, & cæleſtis quædam & bene ordinata Reſpublica, populus ſanctus, & inter ceteros hominum electus, & vt eſſet ſicut aurum inter ignobilia metalla, ſicut margaritæ, & lapilli pretioſi inter dirutas lapidum macerias, & Reges inter ſeruos, & filium lucis inter filios tenebrarum, & inter præuaricatores, iuſtorum congregatio, & Eccleſia ſancta, & catholica nutrix filiorum Dei, quæ pro Deo ſuo, pro virtutibus, pro regnis fidei lorica munita, pugnaret ſtrenue contra inſidiantes & truculentos hoſtes, dimicaret fortiter contra vitia, noxiaq. peccata; & vinceret glorioſe. Diuina prorſus adinuentio, vt homines in ſplendoribus bonorum operum, ad ſempiternos honores proueheret.

Mirabilis ſummi Dei deſcenſus in homines per Spiritum ſanctum, per ſignum reſonantis auræ, & cæleſtis, & coruſcantis ignis apparitionem: propter quod homines diuini ſpiritus participes effecti, & ad conſortium diuinæ naturæ eleuati, ad inauditam dignitatem filiorum Dei tranſlati ſunt; & demum mira, quæ ſunt operati. Cap. 151.

DEus maximus, vniuerſorum creator, & mirabilium operum effector, nihil admirabilius condidit, quàm hominem: ipſum enim ex humili origine, ex lutea materia in ſublime erexit, communicauit ferè illi formam ſuã, impreſſit in illo imaginem, qua nihil pulchrius, & tanta ſibi ſimilitudine effinxit, vt homo paruus Deus dici poſſet. Reſeruaueratq. ei, vt poſt vitam laudabiliter actam, illum ſuper cælos collocaret, vbi plenius & diuinius, naturæ ipſius diuinæ conſortium, & ſimilitudinem ſortiretur.

Sed homo, qui virtutibus apud Deum proficere debebat, lapſus in peccatum (miſerabile dictu) ex cælo in cœnum deuolutus eſt: cecidit ſtella, quæ lucebat; cecidit aſtrum matutinum, coruſcans: & ſimilis Deo, & Angelis, iumentis & brutis ſimilis factus eſt, & cæpit bruteſcere, qui ad diuina vocatus fuerat.

Receſſit Deus ab illo, creaturæ rebelli infenſus, & dimiſit eum in manu

con-

conſilij ſui, Deiq. ſpiritus non potuit diuius manere cum eo, quia caro peccato ſubdita, factus erat. Fugit Deus ex tabernaculo ſuo, migrauit ſol ex orbe paruo, & tenebræ factæ ſunt ſuper faciem abyſſi cordis eius, & diuina lux exacerbata, redijt deſerto homine ad ſeipſam.

Cumq. homo inter vermes reperet, in luto enatans, morti traditus, reſpexit ab excelſo cælo, viditq. lachrymabile ſpectaculum, hominem ſcilicet, quem fecerat inexterminabilem, & vita exterminatum, mortalitati obnoxiũ, mortisq. mancipium factum, & ad nihilum penè deductum, victusq. pietate ſua, & memor miſericordiarum ſuarum, cogitauit illum erigere, & in prima ſua voluntate & conſilio perſeuerans, rurſum pertrahere illum ad habitacula ſumma cælorum, vnde lapſus erat: rurſusq. acceſſit ad hominem per carnem filij ſui, quam ſuſceperat, & ea quaſi veſtimento ſe cooperuerat, in ventre matris ſuæ, & mirabili modo, mirabilis Deus habitauit in nobis, viamq. ad vitam immortalem inuenit; docuitquè, qua ratione poſſet vnuſquiſque diuineſcere, & fieri Deus, vt prius erat, futurus, diuinam ſimilitudinem participans.

Magnis myſterijs, cæleſtibus arcanis, & admirandis ſacramentis res acta eſt per Ieſum Chriſtum Deum, Deiq. & hominis filium. Cumq. compleuiſſet diſpenſationem ſuam, & hominem, quem ex ſepulchris extraxerat, inuita morte, ſtupente natura, ad ſidereas ſedes ſuſtuliſſet, in plenitudine temporis ad ceteros homines mortales, quos diligebat, accedere voluit, & coniungi illis, implereq. illos diuinitate ſua, & ponere in corda eorum ſpiritum ſuum viuificantem, in quo vita erat, & vita erat æterna, & diffundere in corda eorum diuiniſſimam charitatem, diuiniſſimum lumen, quo afflati, & deificati, ad amiſſos naturæ diuinæ honores, reuerterentur, vt orbis admirans dicere veriſſime poſſet: Vos Dij eſtis, & filij excelſi omnes. Inæſtimabilis prorſus gratia: grande beneficium, regium munus.

Non ita ferrum adueniente igne ignitur, & rutilat, & calorem, & lumen emittit factus ignis, non ita ſpeculum ſolis lumine tactum, nouo ſplendeſcit lumine: Non ita corpus adueniente anima, impletur virtute, recipit robur; ſuſcipit vitam, percipit ſenſus animales, & mouet ſeſe, & cognoſcit, & videt colores, & palpat, & guſtat ſapores, & audit ſonos, & olfacit odores, & pulchritudine, & decore exornatur; ſicut adueniente Deo, perficitur homo, adimpletur virtutibus ex alto, & diuinis micat luminibus, & ſapit, quæ ſurſum ſunt, cognoſcit, quæ vera ſunt, diſponit, quæ recta ſunt, & ſuperuolat ad inacceſſa, & conſpicit inuiſibilia, & intelligit ſacramenta, & ſurgit in ſancta, & conuerſatur in cælis, & ſedet in cæleſtibus, & ignita diuinitus, tota deificis ardoribus florens, & diuerſam vitam inchoans in terris, ad eam, quæ ſempiterna eſt, diuino ſpiritu eleuatur.

Hæc autem res inter omnes maxima, à principio ſignis, & portentis patefacta eſt, cum primi illi homines Chriſtum amantes, vere beati, vere felices, diuinum illum ſpiritum recipere meruerunt, vt illi primitias diuiniſſimi illius ſpiritus haberent, quem alijs ſpirante eo, qui vbi vult ſpirat, erant per ſuccedentia ſecula recepturi. Teſtantibus autem ſacris hiſtorijs, hoc modo contigit.

Dum igitur cõplerentur dies Penthecoſtes, eſſentq. oẽs diſcipuli pariter in eodẽ loco, factus ẽ repẽte de cælo ſonus, tanq̃ aduenientis ſpiritus vehementis

& re-

& repleuit totam domum, vbi erant ſedentes, & apparuerunt illis diſpertitæ linguæ, tamquam ignis, ſeditq. ſupra ſingulos eorum, & repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & cœperunt loqui varijs linguis, prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis.

Igitur eo tempore in aduentu inacceſſibilis, & incomprehenſibilis luminis apparuerunt prodigia hæc, cæleſtia ſpectacula, hæc miracula excellentiſſima, viderant nati ex mulieribus Deum aduenientem ſub ſpecie inſignis; videbant aërem totum cæleſtis, & inſoliti ignis lumine perfuſum: ſplendidius ſole micabat lumen, ignis in conſpectu ipſorum exardeſcebat, lucidiſſimus, non vrebat, ſed ad amorē promouebat. O fœlix flāma, vnde corda amabāt, ſeſeq. ad cælū eleuabāt, & non accendebātur ad pœnā, ſed illuminabātur ad gloriā.

Erat ignis purus, celer, penetrabilis, coruſcus, ſubtilis, per aëra volitans, & pectora penetrans: erat nitidus, in colore, feruidus in calore. Erat roſeus, acutus, feſtinus, radians, vagus, & candens, rubenſque: Nullo vnquam tempore ſol tam ſplendide fulſit, dies tàm clarus illuxit, ſicut igne illo coruſcante, felix illud habitaculum, cælo non inferius reſplenduit. Sicut autem cum ſol refulget in clypeos aureos, & reſplendet aër ab eis, ſic fulgente diuino igne illo ſuper beatos diſcipulos, corda eorum amore flagrauerunt. Erat micans, erat rutilus, & erat rapidus, & ſuper beata capita pendulus intus fouebat, foris reſplendebat: extra oſtendebat lucis affluentiam, intus infundebat cordis ſapientiam. Docuit ſpiritus ille igneus vno die, paruo momento, omnia, ſimulq. diuinarum, humanarumq. rerum notitiam contulit. Nihil eſt, quod ars longa ſuggerit, & ſtudium pertinax, ſi compares cum eo, quod diſcitur, ſpirante ſpiritu veritatis in oculi ictu. Velox eſt ſermo ſapientiæ, & ſubito diſcitur, quod docetur, vbi Deus magiſter eſt.

Imbres chariſmatum, flumina benedictionum, breui ſpatio deſerta corda aridas mortalium terras rigauerunt; Renouata eſt ſtatim facies terræ. Factum eſt verbum Domini lucidum, & eloquium euaſit ignitum, cui ad creādum intellectum, conſumendumq. peccatum, & efficacia illuminandi, & vis eſſet vrendi.

Flante vento aromata efflauerunt odores ſuos, & impleta eſt domus mundi, odore vnguenti. Interim aura illa diuina è cælo deſcendens, inſonuerat diuinitus: auditus fuerat ſonus aduenientis ſpiritus, perceperant aures inauditum eloquium, hauſerunt voces dulciloquas, blandum ſuſurrum, rumorem acceptabilem, hymnos cæleſtes, carmina diuina. Flante vento facta eſt tranquillitas magna in cordibus, ceſſauit tempeſtas cogitationum, curarum gurgites quieuerunt. Beato illo illapſu Spiritus Domini repleuit Orbem terrarum, facta eſt terra paradiſus cæli æmula. Apparuit inuiſibilis Deus, ſub viſibili forma mirabiliter, omnem ſtuporem ſuperauit, cum apparuit Spiritus ſancti maieſtas. Viſus eſt ignis, auditus eſt ſonus, & Deus innotuit. Non quæ corporeis viſa ſunt oculis, ignis ſcilicet micans, aut quæ auribus audita ſunt, ſonus ſcilicet, qui vento flante percipiebatur, diuina erat ſubſtantia: ſed diuina natura inuiſibilis, & Patri Filioq. communis, qualitatem muneris, atque operis ſui, qua voluit ſignificatione monſtrauit, proprietatem vero eſſentiæ ſuæ in ſua Deitate continuit. Quia ſicut nec Patrem, nec Filium, ita nec Spiritum ſanctum humanus poteſt viſus attingere. In Trinitate enim di- *Leo ſer. 2. de Pentec.*

uina nihil diſſimile,nihil impar eſt,& omnia, quæ poſſunt de illa ſubſtantia cogitari, nec virtute, nec gloria, nec æternitate diſcreta ſunt.

Cum igitur ad intelligendam Spiritus ſancti dignitatem,aciem mentis intendimus,nihil diuerſum ab excellentia Patris,& Filij cogitandum eſt,quia in nullo ab vnitate ſua diſcrepat diuinitatis eſſentia. Sempiternum eſt Patri,cóſempiterni Filij ſui eſſe genitorem. Sempiternum in Filio, intemporaliter à Patre eſſe progenitum. Sempiternum quoque eſt Spiritui ſancto,ſpiritum eſſe Patris & Filij,vt nunquam Pater ſine Filio,nunquam Filius ſine Patre,nunquã Pater & Filius fuerint ſine Spiritu ſancto. Ob hoc autem quædam, ſiue ſub Patris,ſiue ſub Filij,ſiue ſub Spiritu ſancti appellatione promuntur,vt cóſeſſio credentium in Trinitate non erret. Quæ cum ſit inſeparabilis, nunquam intelligeretur eſſe Triuitas,ſi ſemper inſeparabiliter diceretur. & per proprietatem vocis,aut operis inſinuetur nobis veritas Trinitatis,& non diuidat intellectus, quos diſtinguit auditus.

Accipiente mundo Spiritum ſanctum, facta eſt nobis hominibus donatio Trinitatis,ſummi ſcilicet Dei.Altiſſimum, ſublimiſſimum, pretioſiſſimum, & regium munus, ditans homines,faciens eos Principes,& Reges,vt per huius doni acceptionem, nullum eſſet bonum, quod non haberent. Magna Dei,& inexplicabilis beneficentia, vt non ſatis fuerit ipſi, elargiri ſua. ſed voluerit donare ſeipſum, hoc eſt, hominem in poſſeſſione ſummi boni conſtituere. Igitur homines ad beatam carnis, & animæ æternitatem per regenerationem ſancti Spiritus adoptati,ſacratiſſimo iſto munere caſta lætitia gloriẽtur. Chriſtus enim aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Dona admiranda, munera prædicanda, quæ cum quis fœliciſſima ſorte acceperit, fit Deus, Dei filius, diuinæ naturæ ſublimiſſimam participationem percipiens, & conſortium ſumens.

Exultemus in honorem Spiritus ſancti,per quem omnis Eccleſia catholica ſanctificatur, omnis anima rationalis imbuitur, qui inſpirator fidei, Doctor ſciẽtiæ,fons dilectionis,ſignaculum caſtitatis,& totius eſt cauſa virtutis.Qui facit,vt homo natus ex muliere, & ex voluntate carnis,naſcatur ex Deo, & fiat filius Dei, quo quid poteſt homini contingere honorificentius? Cũ primum enim ſpiritus ille diuinus reſedit in cordibus noſtris, ſtatim quis agitur illo ſpiritu,& fit filius Dei,qui diuinitus dirigitur,& illuminatur,mouetur,& inclinatur ex inſtinctu ſpiritus illius,& operatur in nobis,& velle & perficere,quæ glorioſa ſunt. Sicut enim filij,qui ſunt ſecundum ſanguinẽ, per carnale ſemen à patre procedens,generantur,ſic per Spiritum ſanctum,quaſi per
1.Io.3. ſpirituale ſemen,aliqui homines in filios Dei generantur: tũc omnis,qui hoc modo natus eſt ex Deo,peccatum non facit, quia ſemen Dei manet in illo. Animalis autem homo ex ſemine carnis natus hanc diuinam generationẽ non
Prou.18. percipit Non recipit ſtultus verba ſapientiæ,niſi ei dixeris,quæ verſantur in corde eius. In via enim ſtultus ambulans,cũ ipſe ſit inſipiens, omnes ſtultos æſtimat.& de Deo,iuxta corporum phantaſiam,vel legis litteram,vel rationẽ philoſophicam iudicat,& afficitur circa ea quæ ſenſus carnis appetit,ducens animalem vitam. Hi ſunt qui ſegregant ſemetipſos, animales, ſpiritum non habentes. Qui enim in ſenſu carnis eſt,ea,quæ ſunt ſupra ſenſum,intelligere nullo pacto poteſt. Non enim putat aliud bonum reperiri,niſi, quod eſt delectabile ſecundum carnem. Inferior non iudicat ſuperiorem,ſic humana ra-

tio nõ poteſt iudicare ea, quæ ſunt ſpiritus Dei. Curſus carnis tendit ad corruptionem: & qui ſeminat in carne, de carne metet corruptionem: ſed, qui ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam. Carnalis homo mundo plenus eſt, ſuperbit de honoribus, iactat diuitiarum opulentiam, ſed tranſibunt illa omnia, ſicut vmbra. Sed qui Spiritum ſanctum poſſidet, Deo plenus eſt, manentq. in illo gratiæ admirandæ, chariſmata cæleſtia, virtutes ſublimes, & dona prorſus diuina: eſt velut vas auri ſolidum, ornatum omni lapide pretioſo, plenum odoramentis, balſamo, & vnguentis optimis, ille eſt vas contumeliæ plenum cæno, vermibus, & putredine. Hic eſt lux in Domino, & ambulat vt filius lucis, ille eſt tenebra, & ambulat in tenebris, & cadit, & neſcit lapſum ſuum. Poteſt tamen tranſire ad dignitatem filiorum Dei, ſi dederit in corde locum ſpiritui, ſicut ferrum frigidum igniri poteſt. Manet natura hominis, nec deſtruitur, ſed ſuperadditur aliud eſſe, aliaq. vita diuina à Spiritu ſancto producta. Sicut enim homo viuit vita vegetatiua, & ſenſitiua, & rationali, & vna alteram non deſtruit, nec vna vita perit eo, quod alia ſimul ſit, ſed potius perficitur, vegetatiua à ſenſitiua, ſenſitiua à rationali. Sic natura noſtra humana, & rationalis recipiens per Spiritum ſanctum aliam vitam, ſcilicet diuinam, & ſupernaturalem, non tamen perit per aduentum ſublimioris vitæ, ſed perficitur, & mutatur in melius, ſicut ſi plumbum ſolis calore mutaretur in aurum.

Ita igitur optimus Deus, optimus, & omnipotẽs illud per tot ſacramenta, per tot myſteria, per verbũ ſuum, per ipſam Verbi incarnationem, mortẽ, & reſurrectionem, & aſcenſionem in cælis, illud voluit, in hoc ipſum tantum intendit, & curauit, vt homo mortalis Spiritum ſanctum ſuſciperet, & inaudito, miroq. modo regeneratus, Dei filius, & cælorum ciuis efficeretur. *Cyril. lib. 2 c. 24.*

Magna hominis dignitas, qui Deum habet in ſe manentem, & amantem: ineffabiles ipſius diuitiæ & delitiæ, qui ſummum bonum fœliciſſima poſſeſſione adeptus eſt. Adeſt quidem Deus omnibus creaturis ſuis, vt qui vbique eſt, cælum implet, & terram, & in ipſo mouemur, & ſumus: ſed aliud eſt habere Deum præſentem, aliud poſſidere diligentem. eſſentia enim diuina & natura illa immortalis & omnipotens, non longe abeſt ab vnoquoque noſtrum, & latet ſub rebus à ſe conditis, & nulla creatura tam vilis eſt, & humilis, in qua Deus non ſit, cum veritate naturæ ſuæ diuinæ, & reali præſentia Diuinitatis ſuæ: ita vt etiam in peccatoribus eſſe non dedignetur, conſeruans naturæ bonum, quod præſtitit, ne in nihilum decidat. Sed dicitur venire ad nos, & ingredi in corda noſtra, quaſi abſens ſit, quando in cordibus noſtris operatur mira, & diuina, expellens peccatorum fœdas commaculationes, purgans contaminata pectora, lauans quod eſt ſordidum, rigans quod eſt aridum, ſanans quod eſt ſaucium. Diciturq. mitti ad nos Dei ſpiritus, quaſi prius non fuerit, cum incipit eſſe ibi, vbi erat, non vt iudex ſupplicia pinitans, ſed vt pater chariſmatum patrimonia largiens, opes effundens, benedictiones communicans, virtutes donans, afferens munera ſapientiæ, ſcientiæ, & intellectus, & conſilij, cum confert animæ incredibilem fortitudinem, pietatem, & diuinum timorem, cum vnctione ſancta vngit hominem, & Regem facit eum, ponens coronam ſuper caput eius, & oleo lætitiæ perfundens præ ceteris hominibus gaudium, ſenſum humanum ſuperans, & pacem ineffabilem, & charitatem Deum amantem elargitur. Cum accendit lumen

ſibus obcæcatis, cum infundit amorem cordibus obduratis, cum infirma corporis noſtri, perpeti virtute confirmat. Cum impleta viſcera gaudent afflata ſancto Spiritu, cum linguæ ignitæ fantur Dei magnalia, & cæleſtes eructant laudationes.

Cum agit hominem, & eleuat ad ſublimia, & ad ardua virtutum excitat, & facit pati diuina, operari magna, & perficere heroica. Non enim de loco ad locum mouetur immutabilis, & immobilis, neque de cælo Deus deſcendens venit in cor noſtrum, ſed cum ipſe, qui potens eſt, operatur in homine opera mira, dicitur deſcendiſſe ad hominem. Sicut enim homo pauper, cum tenet in domo ſua ingentem theſaurum in arca incluſum ferro circumdata, & clauibus obſerata, & claues ſunt apud Regem, qui ibi Theſaurum ſuum depoſuit, non dicitur habere theſaurum, quia non eſt Dominus eius. & arcam aperire non poteſt, & vti illo, vt libet, ſed tunc vere diceretur habere theſaurum illum, cum Rex mitteret illi claues, vt arcam aperiret, & conſtitueret illum poſſeſſorem, & dominum illius theſauri, & daret plenam facultatem, vt eo & vti, & frui poſſet: Ita homo peccator, qui non eſt diues in Deo, ſed pauper in extrema poſitus neceſſitate, habet quidem Deum in ſe, & vere Deus in illo eſt, ſicut in omnibus rebus conditis ineſt, ſed Deus manet in ipſo obſeratus, & clauſus, & incommunicabilis, neque Deus illi gratias ſuas, & benedictiones cæleſtes communicat; eſt ibi abſconditus, ſicut theſaurus, qui eſt abſconditus in agro, qué Dominus ignorat, & frui illo non poteſt, & habere de illo gaudium non valet, quia non eſt Deus eius, & non poteſt dicere: Portio mea Dominus, & pars mea Deus in æternum.

Sed cum Deus, vult operari ſecundum miſericordias ſuas, & oſtendere diuitias bonitatis ſuæ, ſciens apud ipſum ſolũ eſſe glorias, & opes, & apud hominem mendicitatem, & rerum omnium penuriam, volens ipſe, qui magnificus eſt, & præſtabilis ſuper paupertaté, erigere pauperem, & ſuſcitare de terra inopem, vt collocet eum in gloriæ ſtatu, cum principibus glorioſis, & hominem deformatum peccatorum turpitudine, & in ſterquilinio culparũ proeuolutum, & ſordibus infectum, ad nihilum penè redactum, in diuinam quandam pulchritudinem reformare, & ad nitoré gratiæ reducere, & facere illũ lucis filiũ, & virtutum ſplendore reddere cõſpicuum, diſiectis tenebris, & immortalitatem elargiri, fugata morte, manens in medio cordis ignotus, & ſub caligine, quaſi ſol ſub nube, incipit ibi, vbi eſt, producere quoſdam effectus, mouendo cor, inducendo illud ad lamenta pœnitentiæ, oſtendens illi regnum Dei, & viaſ rectas, & dignitatem diuinarũ rerum, & ignis amore calefaciens, & fouens, & incipit ibi ordinare charitatem, & diffundere illam per totã animam, creando in illa nitorem quendam, & lucem prorſus diuinam, & gratiã inexplicabilem cum comitatu honorifico omnium virtutum. Dum enim Deus ſuo afflatu & inſpiratione influit in animam virtutem illam, cæleſtesq. benedictiones, tunc neſcio quomodo homo mutatus, ſentit ſe inclinari ad humilitatem, ad caſtitatem, ad actus patientiæ, & fortitudinis, ad pietaté animi, ad cogitandum diuina, ad loquendum Dei magnalia, ad diligendos homines vniuerſos. Et ſicut arbor poſt autumni tempora abſque folijs abſque floribus, deſtituta fructibus, & penè ſicca, tempore veris cum redit virtus ex radijs ignitis ſolis incipit vireſcere, germinare ramos, emittere virides frondes,

& flores

& flores diuerſi colores, & odoriferos, &, quod vltimum eſt producere fru-
ctus delectantes, & enutrire illos vſque ad maturitatem, vt quiſque illis frui
poſſit: ita anima cuius facies decolorata eſt, cuius vires obriguerunt, &
boni ſpiritus euanuerunt, & à qua receſſit lætitia bonæ voluntatis, & ſqual-
lens, & mærens facta eſt, & ſibimet ipſi derelicta patitur deliquium ſpirituũ
ſuorum, & cum mundi ſibilum audit, conſternatur, ſi redit ignis ille ſole mi-
cantior, & ingreditur penetralia eius, omnia intus luceſcunt, omnia vireſcũt,
& ſurgit intus nobile germen diuinæ charitatis, extenduntur rami ſereniſſi-
mæ ſpei, & apparet fides, niue candidior, numeroſaq. bonorum operum co-
hors, aſtris lucidior.

Homo enim qui peccauit, & Dominum ſuum dereliquit, & abalienatus
eſt retrorſum, ſequens ſpiritum carnis, & obediens concupiſcentijs eius, in-
cipit habere caput languidum, & cor mærens, & recedit ab eo ſanitas, &
incipit habere vulnera, & liuores, & tumentes plagas, & fit tanquam terra
deſerta, & quercus defluentibus folijs, & ciuitas ſuccenſa igne, & deſolata in
vaſtitate hoſtili, & derelicta, ſicut vmbraculum in vinea, & ſicut tugurium
in cucumerario, & fit meretrix, mulier fidelis: Argentum vertitur in ſco-
riam, vinum optimum aceſcit, & hortus irriguus fit inaquoſus, & luna pa-
titur eclypſim, & ſol tenebreſcit, quaſi opertus ſacculo, & vaſtante pecca-
to fit homo grauis corde, & quærit mendacium, claudicat, & fit ſemen
nequam, & filius ſceleratus.

Sed cum Deus, qui receſſit à peccatore, non quia diſtet localiter, ſed quia
deſinit illi largiri benedictiones ſpiritus ſui, vult rurſus hominem reſtituere
in priſtinum honorem, intus luceſcens incipit facere auroram, & excutere
tenebras mentis, & abluere ſordes, & lauare, & mundum facere, & auferre
malum cogitationum, & facit quieſcere cor, quaſi mare feruens, & docet
bene facere, & quærere quæ iuſta ſunt, & dare eleemoſynas, & ſubuenire
oppreſſo, & iudicare pupillo, & defendere viduam, & iuſtitia habitat in ea,
& anima cruenta, & infecta ſicut coccinum, quaſi nix dealbatur, & fit velut
lana candida, & fit ſicut arbor plantata iuxta decurſum aquarum, & emit-
tat folia, & folium non defluit, & fructum præbet in tempore ſuo, & læta- *Iſa. 35.*
tur deſerta, & inuia, & floret quaſi lilium: germinans, germinat, & exultat
lætabunda, & laudans. & anima fit ſicut Vrbs fortitudinis, Deus enim
tunc fit fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione ſua, ſpes à turbi-
ne, vmbraculum ab æſtu, & ponit in ea murũ, & antemurale, & robur pa-
nis, & abundantiã pacis, & ſedem ſapientiæ, & facit ibi conuiuium pinguiũ,
pinguium medullatorum, vindemiam defæcatam, & omnia opera noſtra ope-
ratur in nobis. Et quaſi ex ſomno expergiſcitur ibi anima, & inuenit in ſe-
ipſa theſauros, quos non congregauit, opes, quas non acquiſiuit. Deus enim
qui latebat in anima ſubdita peccatis, & nihil ei præſtabat præter vitam na-
turalem (ſicut vnguentum optimum, & pretioſum abſconditum in vaſe, fra-
cto operculo, emittit odorem ſuauiſſimum totam domum replentem) ſecreta
operatione excitat in ea vitales ſpiritus ſui motiones, diſponitq; in ea aſcen-
ſiones, & rimans abſcondita eius, & penetralia viſcerum, & medullarum fa-
cit eam ſicut paradiſum, vnicaq. diuini ſpiritus illuminatione mille pullulãt
in anima virtutes, veniuntq. omnia bona pariter cum ea: quicquid ad ani-
mæ ornatum pertinet, & ad pulchritudinem ſpectat, & ad decorem, affertur

per ſpiritum illum: omnia quæ in moribus praua erant, fiunt directa, & aſpera in vias planas, quia Deus emittit per viſcera eius lucem ſuam, & ſplendorem luminis ſui, & qui recipit eum, ambulat in lumine eius, & ſentit fœlices motus, & ſentit ſe fieri filium lucis, filium Dei, & vitam agere, quæ diuina eſt, & duratura eſt in æuum ſempiternum, & videt, & affluit, & miratur, & dilatatur cor eius, inundatio charismatum operit illum, & induitur veſtimentis ſalutis, & indumento iuſtitiæ, & coronatur corona ſempiterna, fitq. anima ſicut ſponſa ornata monilibus ſuis, gaudium, & exultationem obtinens.

Deus igitur in eſſentia ſua ſolus perfectus, & in ſe, & à ſe omnem bonorũ ſufficientiam, & abſolutam poſſeſſionem poſſidens, cui, nec poteſt ex quacumque retributione ſibi aliquid boni adcreſcere, nec ex quacumque communicatione creaturis facta, aliquid ſibi ſubtrahi, vt eius bonitas, & opulentia, & diuitiarum ſuarum magnitudo manifeſtetur, & intellectualis creatura in Deum, vt in ſuum finem, optime ordinetur, & perficiatur in natura ſua, & eleuet hominem ad altiorem ſtatum, ſpargit in cor eius Spiritum ſanctum ſuum, & eius afflatu excitatur homo ad opera virtutum, tàm earum, quæ intellectum, quam earum, quæ voluntatem ornant, vt ſupra communem & humanum modum operetur, ſicut diuinus homo: in præſentia illius Spiritus diuineſcit homo, poſſidetq. virtutes, non humanas, ſed heroicas, fortitudinem ſcilicet omnia patientem, & ſapientiam, & prudentiam omnia optime diſponentem. Ita vt homo ſecundum eas operans magis diuinus, quàm humanus videatur, & reſpectu aliorum hominum operantiũ, ſecundum virtutes communiter iniunctas, videantur iſti Dij quidam eleuati ſupra humanum modum viuendi, cognoſcendi, prouidendi, conſulendi, & Deum agnoſcendi, & conuerſandi cum hominibus, & ſuſtinendi ardua. Replet enim illum ſpiritus ſapientiæ, & intellectus, ſpiritus conſilij, & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ, & pietatis, & replet eum ſpiritus timoris Domini. Ornat eum fides candida, ſpes viridis, & charitas purpurea, & manſuetudo, humilitas, caſtitas, patientia, ceteræq. admirabiles virtutes, quibus ſplendeſcit anima, ſicut anulus adamante & piropo. & ſecundum huiuſmodi ſuperadditas diuinitus perfectiones, quibus homo bene operatur, excellentiſſimo, & diuino modo, vt paruus Deus inter homines videatur.

Quod in Apoſtolis viſum eſt, qui, poſtquam incubuit ſpiritus Dei ſuper eos, non in ſapientiæ humanæ verbis, nec temporali potentia, nec prudentia, & fortitudine humana freti, ſed roborati, & illuſtrati, & ex diuinis donis ſuper communem hominum ſtatum eleuati, mundum, & mundi rectorem vicerunt, & operati ſunt mira.

Cum autem à principio ſpiritum illum præſentem habuiſſent, exultabant præ magnitudine lætitiæ, videntes in illo lumine, quomodo Deus dederat ſe illis ad fruendum, vt ſummum bonum, & confortabantur, vt omnia poſſent in eo (poſſe enim vti diuitijs omnipotentis, eſt quodammodo eſſe omnipotentem) Loquebantur magnalia Dei cum poteſtate, & libertate, ita vt ſtuperent omnes, & admirarentur ad inuicem. Erat enim cor eorum ardens & feruens, & ſicut olla aqua plena magno igne præſente ita feruet, vt ſe eleuet ſuper ollam, ſic præſente diuino illo igne, corda eorum gaudio exultauerunt, ita vt Petrus princeps Apoſtolorum, qui prius ad vnius ancillæ vo-

cem

cem conſternatus, Chriſtum abnegauerat, tunc inter illam multitudinem virorum Iudæorum ſtans, eleuaret vocem ſuam, & loqueretur cum ſapientia, & fortitudine, & gratia; ita vt ad illius diuinam prædicationem magnæ Iudæorum turbæ conuerterentur, cum diceret illis Pœnitentiam igitur agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrû in nomine Ieſu Chriſti in remiſſionẽ peccatorum veſtrorum; & accipiétis donum Spiritus ſancti, & ſaluamini à generatione iſta mala & praua. Et faciebant Apoſtoli omnes multa prodigia & ſigna in Hieruſalem, & metus erat magnus in vniuerſis.

Proſequamur ergo enarrationes admirabiliũ rerum, quas Lucas Euangeliſta in libro actuum Apoſtolorum magnifice ſcripſit, & memoriæ omnium fidelium in Eccleſia commendauit.

Admirabilis aduentus Spiritus ſancti per diſpertitas linguas igneas ſuper diſcipulos Chriſti, obſtupeſcentibus omnibus, quoniam audiebant illos loquentes magnalia Dei. Et de ſermone Petri, quo conuertit tria millia hominum; de prodigijs, quæ fiebant, optimiſq; moribus primorum Chriſtianorum.

Cap. 252.

ERant autem in Hieruſalem habitantes Iudæi, viri religioſi ex omni natione, quæ ſub cælo eſt. Facta autem hac voce conuenit multitudo, & mente confuſa eſt, quoniam audiebat vnuſquiſque lingua ſua illos loquentes. Stupebant autem omnes, & mirabantur, dicentes: Nonne ecce omnes iſti, qui loquuntur, Galilæi ſunt? & quomodo nos audiuimus vnuſquiſque linguã noſtram in qua nati ſumus. Parthi, & Medi, & Aëlamitæ, & qui habitant Meſopotamiam, Iudæam, & Cappadociam, Pontum, & Aſiam, Phrygiam, & Pamphyliam, Aegyptum, & partes Lybiæ, quæ eſt circa Cyrenen, & aduenæ Romani, Iudæi quoque, & Proſelyti, Cretes, & Arabes, audiuimus eos loquentes noſtris linguis, magnalia Dei. *Act. c. 2.*

Stupebant autem omnes, & mirabantur ad inuicem dicentes: quid nam vult hoc eſſe? Alij autem irridentes dicebant, quia muſto pleni ſunt iſti. Stans autem Petrus cum vndecim, leuauit vocem ſuam, & locutus eſt eis: Viri Iudæi, & qui habitatis Hieruſalem vniuerſi, hoc vobis notum ſit, & auribus percipite verba mea; non enim ſicut vos æſtimatis, hi ebrij ſunt, cum ſit hora diei tertia. Sed hoc eſt, quod dictum eſt per Prophetam Ioel: Et erit in nouiſſimis diebus (dicit Dominus) effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem, & prophetabunt filij veſtri, & filiæ veſtræ, & iuuenes veſtri viſiones videbunt, & ſeniores veſtri ſomnia ſomniabunt. Et quidem ſuper ſeruos meos, & ſuper ancillas meas in diebus illis effundam de ſpiritu meo, & prophetabunt, & dabo prodigia in cælo ſurſum, & ſigna in terra deorſũ, ſanguinem, & ignem, & vaporem fumi. Sol conuertetur in tenebras, & luna in ſanguinem antequam veniat dies Domini magnus, & manifeſtus. Et erit omnis quicunque inuocauerit nomen Domini ſaluus erit. Viri Iſraelitæ, audite verba hæc: Ieſum Nazarenum virum approbatum à Deo in nobis, virtutibus, & prodigijs, & ſignis, quæ fecit Deus per illum in medio veſtri, ſicut vos ſcitis: hunc definito conſilio, & præſcientia Dei traditum per ma-

nus iniquorum affigentes interemiſtis: quem Deus ſuſcitauit ſolutis doloribus inferni, iuxta quod impoſſibile erat teneri illum ab eo, Dauid enim dicit in eum: Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi ne commouear. Propter hoc lætatum eſt cor meum, & exultauit lingua mea inſuper, & caro mea requieſcet in ſpe: quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi feciſti vias vitæ, replebis me iucunditate cum facie tua. Viri fratres, liceat audenter dicere ad vos de Patriarcha Dauid, quoniam defunctus eſt, & ſepultus eſt apud nos vſque in hodiernum diem, Propheta igitur cum eſſet, & ſciret quia iureiurando iuraſſet illi Deus de fructu lumbi eius ſedere ſuper ſedem eius, & prouidens locutus eſt de reſurrectione Chriſti, quia neque derelictus eſt in inferno, neque caro eius vidit corruptionem. Hunc Ieſum reſuſcitauit Deus, cuius omnes nos teſtes ſumus. Dextera igitur Dei exaltatus,& promiſſione Spiritus ſancti accepta à Patre, effudit hunc quem vos videtis & auditis. Non enim Dauid aſcendit in cælum, dicit autem ipſe: dixit Dominus Domino meo: ſede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. certiſſime ſciat ergo omnis domus Iſrael, quia & Dominum meum & Chriſtum fecit Deus, hunc Ieſum, quem vos crucifixiſtis. His autem auditis compuncti ſunt corde,& dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apoſtolos: Quid faciemus viri fratres? Petrus vero ad illos: Pœnitentiam, inquit, agite & baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti in remiſſionem peccatorum veſtrorum, & accipietis donum Spiritus ſancti. Vobis enim eſt repromiſſio, & filijs veſtris, & omnibus qui longe ſunt, quoſcunque aduocauerit Dominus Deus noſter. Alijs etiam verbis plurimis teſtificatus eſt, & exhortabatur eos dicens: Saluamini à generatione iſta praua. Qui ergo receperunt ſermonem eius, baptizati ſunt, & appoſitæ ſunt in die illa animæ circiter tria millia. Erant autem perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus. Fiebat autem omni animæ timor; multa quoque prodigia, & ſigna per Apoſtolos in Hieruſalem fiebant, & metus erat magnus in vniuerſis. Omnes etiam, qui credebant, erant pariter,& habebant omnia communia. Poſſeſſiones, & ſubſtantias vendebant, & diuidebant illa omnibus, prout cuiq. opus erat. Quotidie quoque perdurantes vnanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, ſumebant cibum cum exultatione,& ſimplicitate cordis, collaudantes Deum,& habentes gratiam ad omnem plebem. Dominus autem augebat, qui ſalui fierent quotidie in idipſum.

De Apoſtolis mundum ſpiritu intra paucos annos implentibus. Cap. 253.

Io. Gerſ. ſer. de Spir. Sã. quã habuit in Concil. Conſtantienſi.

VIncit omnem admirationem hoc, quod ab Apoſtolis factum eſt, cum per eos Spiritus ſanctus repleuit orbem terrarum, quod ſuper miracula connumerandum videtur: nam ipſi intra pauciſſimos annos, omnem regionem, quæ ſub cælo eſt, à Solis ortu, vſque ad occaſum, & ab Aquilone, & mari, peruagati ſunt tam ardenter, quam efficaciter homines pauciſſimi, & ignobiles, & inopes, replentes mundum Euagelio Dei, quod erat legi-

legibus, & moribus inueteratis ſumme contrarium, Iudæis ſcandalum, & Græcis ſtultitia, ſicut Aug. & Chryſoſt. eleganter exaggerant in confirmationem legis noſtræ. Hæc inquam omnia, & ſimilia miracula ſi ad ſpla corporalia reſpicias, videntur eſſe motui naturali contraria: Si vero naturam comparaueris ad gratiam, iudicabis naturam, vt ancillam, gratiæ ſicut Dominæ ordinabiliter paruiſſe. Ordo quippe qualis alter rectior, qualis naturalior eſt, quàm vt replente Spiritu ſancto orbem terrarum, fiant omnia noua, nouus rex, noua lex, noua ſigna, noua miracula?

Hunc beatum ſpiritum non ſolum Apoſtoli, ſed & alij innumerabiles non ſolum illis temporibus, ſed ſubſequentibus ſeculis, gratia Dei conſecuti ſunt, quorum nonnullos exempli gratia recenſebimus.

Monica D. Auguſtini mater acta à ſpiritu Sancto rapitur, ſicut & D. Thomas, atque alij. Cap. 254.

SPiritus Domini dum replet hominem incolam orbis terrarum, non neceſſitate (ſicut dictum eſt) ſed ſpontanea voluntate attollit ipſum, vt in aerem contemplatiuæ perfectionis aſcendat. Ipſam ſi quidem Spiritus Domini repletionem conſequitur libera mentis eleuatio ſurſum ducens. Inſtar teſtæ oui, de qua ferunt quod repleta rore, & obſtructa ſi ad feruidum ſolem expoſita ſit, ſurſum abit. Myſtice, ros gratia: Pondus meum (inquit Auguſtinus) amor meus. Illo feror, quocumque feror. Hoc perfectum amoris pondus (ſi non potius leuitas dicenda eſt) emergere facit ſpiritum à turbida fluctuantium phantaſmatum, & exundantium deſideriorum carnalium tetra caligine, vt ſuperas liber euadat in auras, vt feratur ſuper aquas cogitationum vagantium, & inſtabilium, ſomnioq. ſimilium, vt eruatur de tenebris, & vmbra, vbi prius erat vinctus in mendicitate, & ferro malæ conſuetudinis, & fomitis originalis. Senſerat experimento repletionem hanc ſpiritus Domini ſurſum agentem ipſa mater Auguſtini Sancta Monica. Hæc aliquando in Eccleſia Sancti Cypriani Martyris ſuſceperat ſacram communionem, in qua plenitudo gratiæ velut in ſuo fonte ſumitur, tùm protinus corpore à terra leuato, tales erupit in voces: Volemus in cælum, volemus in cælum fideles. A qua dum poſtmodum quæreretur, quid ſibi voluiſſet hæc inſolita clamoſitas, & eleuatio? Ipſa vt erat tota columbinæ ſimplicitatis, pie, benigneq. reſpondit: Et quid vultis? quid quæritis? Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Congruit id, quod ſequitur: Altaria tua Domine virtutum, ſupple contulerunt hanc eleuationem. Tale aliquid de Sancto Thoma referunt, cuius corpus etiam contemplatio leuabat à terra. Sic in beatis pœnitentiæ ſpeculis, Maria Magdalena. & Maria Aegyptiaca factum legimus. Simile aliquid ſenſit Auguſt. qui Deo loquens confitebatur: Introducis me aliquando in affectum quendam inuſitatum valde, qui ſi perficiatur, neſcio quid erit, quod iſta vita non erit, ſed reſorbeor. Hactenus Gerſon, & ibidem poſt multa ſubdit.

Mulier

Mulier deuota ita fuit Spiritu ſancto repleta, vt cum non poſſet vim tanti ſpiritus ferre in corde ſuo, exſpirauerit. Cap. 255.

FOrtis vt mors, dilectio, quia ſicut animam mors à corpore, ſic animum dilectio ſeparat à mundi vanitate, immo, & quandoq. ab ipſo corpore, Legiſſe memini me de quadam muliere deuota, quæ ſermonem ſuper transformatione mentis in Deum per dilectionem die Pentecoſtes audiens concutiebatur primo gemitibus inenarrabilibus, ſuſpirijs, atque ſingultibus, quæ dum culparetur, & pulſibus clanculis prohiberetur à circumſtantibus, ne turbaret audientes, ne hypocriſim oſtentaret, tace fatua, quieſce miſera: Ipſa compreſſo ſpiritu velut muſtum ſine ſpiraculo, quod laguncuIas nouas dirumpit, non valens plenitudinem amplius feruidi ſpiritus intra ſe capere, diruptis venis, & neruis exſpirauit. Beata per meam fidem, ſic enim piè credere fas mihi eſt: Beata martyr amoris effecta; quæ iam canere poterat nedum illud: amore langueo, philocapta ſum, amo per amorem. Vulnerata charitate ſum, ſed & amore mortua; mortua mihi, & amato viua.

Linguarum admirabile donum noſtro etiam ſeculo à Deo hominibus communicatum fuiſſe. Cap. 256.

Tho. Boz. de ſig. eccl. ſigno 22.

ENimuero vbi oportuit, haud negauit Deus Eccleſiæ ſuæ huiſmodi donum. Nam cum noſtri ad incognitæ gentis homines perueniunt in Indijs Orientalibus, & Occidentalibus, mirum quàm citò aſſequantur vſum linguæ ignotæ, nullo ſtudio, nullo labore. Nam qui potuiſſet admirandus ille Xauerius vndecim annorum ſpatio tot linguas percipere, tot linguarum populos alloqui, nullo ſæpe interprete, nullo adiumento?

Quamquam conceſſum fuerit aliquando noſtris, illud longe mirabiliſſimum, vt cum loquerentur vna lingua ad innumeros diuerſarum linguarum homines in vnum coactos, quorum multi haud percipiebant aliarum vim, nihilominus noſtri verba facientes ab omnibus adſtantibus intelligerentur; & quilibet ex audientibus cum ſono vocis aſſequeretur etiam ſenſa verborum. Id ætate maiorum noſtrorum contigiſſe Vincentio Ferrerio Hiſpano ex ordine Prædicatorum ſcribunt in eius vita; noſtra autem Aloyſio Bertrando ſimiliter ordinis ac nationis eiuſdē in Occidentalibus Indijs, nec non Martino Valentio in ijſdem locis, per quos Deus innumeros ad verum pietatis cultum traduxit, & plurima ſuæ diuinitatis beneficia populis illis eſt impertitus.

B. Vincentius agitante Spiritu ſancto, mira loquitur, mira operatur. Cap. 257.

Ex vita B. Vinc. Valē. per Io. Ant. Flamin. ſo-rocor. ſcri-pta.

MVlta inerat linguæ facundia in B. Vincentio Valentino ordinis Prædicatorum, quam à Spiritu ſancto pro munere obtinuiſſe ex eo apparet in primis, quoniam non modo mali Chriſtiani eius oratione moti priorem vitam abominantes ad rectum impellebantur, ſed etiam Iudæi, &

Gen-

Gentiles plurimi, tantaq. verbis illius vis inerat, vt cũ in flagitioſos homines in ſuis concionibus acerrime inueheretur, multi publice ante illius ſuggeſtum proſtrati ſceleribus ſuis veniam precarentur. Illud quoque hoc indicat, quod in omnibus fere concionibus populo lachrymas excutiebat. Sed tum præcipue vberem fletum, & ſibi, & auditoribus excitabat, vel cum de Chriſti paſſione ſermonem habebat, vel cum de pœnis inferni, & extremo iudicij die diſſerebat. Memoria erat tenaciſſima, & prope diuina. Nihil dicebat vel caſtigando, vel ſuadendo, vel confutando, quod diuinæ ſcripturæ, ac ſanctorum Doctorum teſtimonijs abunde non confirmaret. Omnium vero, quæ legerat, ſic memor erat, vt ſcientiarum, & auctoritatum, eorum omnium, qui in diuinis à condito orbe ſcripſiſſent, & exemplorum diuinus theſaurus haberetur. Tanti autem erant, quæ ex eius ore fluebant, vt non deeſſent, qui cuncta conſcriberent, vt etiam poſteritati prodeſſent. Quo quidem factum eſt, vt illius diuini ſermones in multa volumina digeſti ſint, ex quibus nonnulla etiam in Italiã peruenere, & per multa loca diffuſa ſunt. Eſſe tamen illa, tanquam vmbra eorum, quæ ab eo dici ſolerent, affirmabant ij, qui concionantem illum audierant. Tam vero acri, tam vehementi erat in Iudæos ingenio, tantus, ac tàm copioſus diſputator, ſic illis ſanctarum ſcripturarum ſenſa recludebat, vt in diuerſis Hiſpaniæ vrbibus, ſupra quinque, & viginti millia ex illis ad fidem Chriſti conuerterit. Gentilium vero, quibus per id tempus abundabat Hiſpania, ingentem quoque numerum, vtpote octo millium. Sed ex Iudæorum cõuerſione maior vtilitas. Ex ijs enim permulti ſunt inuenti, non ſolum in lege Moſis, verum etiam in liberalibus diſciplinis eruditiſſimi, qui magno vſui Chriſtianis fuere, qui vel ipſi, vel eorum liberi ad Eccleſiaſticas etiam dignitates admiſſi ſunt. Non minus efficax in ſedandis quoque odijs, atque diſcordijs fuit; hæc illi præcipua fuit cura. Quare nulla fuit Vrbs, nullus denique locus, vnde prius abſceſſerit, quàm illas prorſus ſedauerit. Moti illius diuina oratione, cum de remittendis iniurijs ſermonem haberet, profiliebant in medium, quibus cædem ſuorum paſſis, & vulnera, tenaciſſima odia, & diuturnæ inimicitiæ inſederant, largo fletu clamantes, ſeſe ad ignoſcendum paratos. Prodibant acciti aduerſarij, atque in conſpectu populi mutuis amplexibus, & oſculis, flentibus quicunque aderant, ingenti dulcedine tacti iungebantur, ac reconciliabantur. Habebat ſecum paratum ſemper notarium publicum, qui rite hæc omnia conſcriberet. Meretrices, lenones, pyratæ, latrones, homicidæ, proditores, & id genus homines ad xl. millia à ſcelerata, & dedecoroſa vita retraxit, & ad publicam quoque pœnitentiam impulit. Numerus quidem Chriſtianorum, quos illum à turpitudine vitæ, ad rectam viuendi normam retraxiſſe perhibent, centum, & amplius millium fuiſſe accepimus, præter Iudæos, atque Gentiles. Nec mirari quidem oportet, cum tot, ac tantis præditus, ac diues eſſet dotibus, ſanctitate vitæ, ac morũ integritate inenarrabili, eloquentia, & ſplendore ſermonis cum ſuauitate, ac venuſtate incredibili, crebritate ſententiarum, & grauitate eximia, rerum omnium doctrina, & memoria pene incomparabili: quæ vero dicebat, miracula plerunque ſequebantur, & mire confirmabant. Taceo aliàs penè innumerabiles virtutes, quæ ipſæ per ſe volumen expoſcerent. Vox autem illi, quæ maximum dicenti decorem, ac leporem addebat, adeo ſonora, & com-

moda fuit, vt non minus apte quandocuuque opus erat, illa vteretur, quàm ſoleat facilem equum peritus ſeſſor. Illud quoque miraculi vice erat, quod cum concionantem etiam remotiſſimi ita quidem audiebant, vt propinqui. Contigit etiam hoc illi diuinum munus, quod de Apoſtolis traditũ eſt. Nam apud quamcumque linguam, & nationem concionaretur, ſic quidem intelligebatur, ac ſi in ea gente natus eſſet, & educatus. Hoc autem Galli affirmabant, Anglici, Britones, Teutonici, atque Italici generis homines.

Non ab re futurum, nec iniucundum puto, ſi gentes, quas concionando peragrauit, in compendium redactas curſim enumerauero. Hæ igitur ſunt Cathalonia, Regnum Valentiæ, Aragonia, Gallitia, Portugallia, Nauarra, Galliæ vero partes, quem comitatum Tholoſanum dicunt, & regio, quam linguam vocant Anſerinam, ac Delphinatum. Tota denique (vt hic omnia complectar) Hiſpania, Auenio præterea cum finitimis Ciuitatibus, Sabaudia, Aruernia, Burgundia, Lugdunenſis regio, atque Suturia. Ad inſulas etiã transfretauit, quas poſteri Maioricam, & Minoricam nuncuparunt, Priſci Baleares appellarunt. In Britanniam quoque nauigauit, quam nunc Angliam dicimus, precibus Henrici adductus, vbi totum biennium manſit. Quo in tempore totam Inſulam peragrauit, de qua vberrimum fructum cum immortali laude retulit. Per id tempus Ducis Britanniæ vxor, quæ ſine liberis erat, nec vnquam conceperat, Beatum Vincentium rogauit, vt ſuis apud Deum precibus opem ſibi ferret, ne perpetuo ſterilis eſſet. Facta eſt voti compos. Nam vbi ille eius vterum cruce ſignauit, fœcundam reddidit. Peperit filios, quorum vnus fuit Petrus vir ſummus, & præclaris dotibus inſignis, qui Dux Britannorum fuit, quique legatos poſtea Romam ad Pontificem Maximum cum multis millibus aureorum miſit, vt beatus Vincentius catalogo Sanctorum inſcriberetur. Sed & aliæ complures feminæ eodem modo illius ope ſteriles eſſe deſierunt. Sanitatem plurimis ægrotantibus vbique in eadem Inſula reſtituit.

In Vrbe autem Venetenſi paralyticum, qui decem, & octo annos eo morbo laborauerat, cum partes corporis multas cruce ſignaſſet, incolumem reddidit. Venit quoque in Italiam, & cum totam Regionem Pedemontanam perluſtraſſet, vſque Genuam Liguriæ vrbem peruenit. Erat illi in animo ad alias quoque Italiæ Vrbes accedere, niſi regis Hiſpaniæ nuncijs fuiſſet in Hiſpaniam reuocatus. In ſuis autem peregrinationibus tempus ita diſpẽſabat. Nocturnæ quieti quinque horas, reliquam noctis partem lectioni, ac orationi dabat. Mane altaris ſacrum cum cantu celebrabat, deinde ſeſe ad locum, vbi à Populo concionaturus expectabatur, conferebat. Poſtquam finem fecerat, vt populi ſatisfaceret votis, manus illi præbebat oſculandas. Aegros ſibi oblatos ſigno ſalutiferæ Crucis ſanabat, verba illa de Euangelio proferens. Signa autem eos, qui crediderint in me, hæc ſequentur. Super ægros manus imponent, & bene habebunt. Deinde adijciebat, Ieſus Mariæ filius, mundi ſalus, & Dominus, qui te traxit ad fidem catholicam, te conſeruet, & beatum faciat, & ab hac infirmitate te liberare dignetur. Amen.

Petrus

Petrus Diaconus, S. Gregorij Papæ familiariſſimus, ſuper illius caput Spiritum ſanctum in Columbæ ſimilitudinem frequentiſſime perſpexiſſe fertur, quod & cōſtans Eccleſiæ traditio in huius ſanctiſſimi Pontificis imagine repræſentanda obſeruat. Cap. 258.

SAncti Gregorij Papæ, cognomento Magni, ſcripta opera tribuenda potius eſſe numini, quàm humanæ induſtriæ, manifeſta viſio declaraſſe fertur. Etenim ad ipſum Columbam deſuper lapſam, cum quid de ſacris litteris ſcribere vellet, viſam à Petro Diacono eſſe, & ea de cauſa columbam in capite ad aurem eius pingi conſueuiſſe, Ioannes Diaconus aſſerit, ea ex cauſa, ſcilicet, quod à diuino Spiritu (cuius Columba ſymbolum tenet) quæcumque ſcripta ab eo ſunt, ipſi eſſe ſuggeſta, conſtans opinio fuit. *Io. Diac. vit. S. Gre. l. 4. c. 69.*

Præſtat & hic elogium ſanctiſſimi viri de eodem S. Gregorio recitare, vt intelligere poſſis, quanta gloria fuerit acceptus à poſteris. Ildefonſus enim ille Toletanus Epiſcopus in libello, quem confecit de Viris illuſtribus (quem manuſcriptum Bibliotheca Vaticana cuſtodit) numeraturus eius ſcripta, ipſo ingreſſu operis, de Gregorio iſta habet.

Gregorius Papa, Romanæ Sedis, & Apoſtolicæ Præſul, compunctione timoris Dei plenus, & humilitate ſummus tantoq. per gratiam Spiritus ſancti ſcientiæ lumine præditus, vt non modo illi præſentium temporum quiſquam, ſed nec in præteritis quidem par fuerit vnquam. hucuſque ex Iſidoro de viris Illuſtribus, quem inferius citat; Pergit vero ipſe, hæc addens: *Iſid. de vir. illuſt. c. 27.* Ita enim cunctorum meritorum claruit perfectione ſublimis, vt excluſis omnium illuſtrium virorum comparationibus, nihil illi ſimile demonſtret antiquitas. Vicit enim ſanctitate Antonium, eloquentia Cyprianum, ſapientia Auguſtinum. At hæc ſi tibi videri poſſint hyperbolice dicta: quod ex his poſſis conſequi, illud eſt, quod ea æſtimatione ad poſteros fama de ſanctitate, & doctrina Gregorij propagata eſt, vt maxima quæque Gregorium diligentibus viſa ſint ipſo minora Gregorio.

Porrò iſtiuſmodi præmiſſis Ildefonſus de ipſo præconijs, ad enumeranda ea, quæ edidit commentaria, ſe conuertit.

Hildebrandi Archidiaconi ardor in obeundis Eccleſiaſticis negocijs, & Spiritus ſancti gratia, quæ in eius humilitate fulgebat, & Prophetiæ dono, & internarum cogitationum inſpectione. Cap. 259.

ALexander Secundus, vbi creatus eſt Pontifex, nihil antiquius habuit, quàm vt Hildebrandum iam Archidiaconum, crearet Cancellarium, penes quod officium vniuerſa Romanæ Eccleſiæ adminiſtratio verteretur. *Bar. tom. ann. 1061.* Pollebat Hildebrandus ad ea cuncta explenda ingenij viribus, & quod magis æſtimari debet, gratia Spiritus ſancti; quæ abunde inhabitabat in eo, adeo; vt ſupra homines diuinum quidpiam præſeferret eiuſdem ſancti Spiritus donis. Nam audi, quæ tunc contigiſſe, certa aſſertione S. Hugonis

Abbatis

Abbatis Cluniacenſis recitat Vuillelmus Malmesburienſis, ſeculi huius hiſtoricus, qui ait: Verùm quia Hildebrandi mentio ſe ingeſſit, de eo dicam, quæ non friuolo auditu hauſi, ſed ſeria relatione eius audiui, qui ſe illa ex ore Hugonis Abbatis Cluniacenſis audiſſe iuraret: quæ adeo admiror, & prædico, quia cogitationes aliorum prophetico mentis intuitu pronuntiabat. Alexander Papa efficax ipſius ſtudium conſpicatus, Cancellis Apoſtolorum præfecerat.

Circuibat ergo pro ſui contuitu officij prouincias, vt perperam acta corrigeret. Accurrebatur ab omnibus ordinum hominibus, deciſiones diuerſorum negotiorum poſtulantibus. Cuncta ei ſubmittebatur ſecularis potentia, tùm pro ſanctitatis, tùm pro miniſterij eius reuerentia. Vnde die quadam cum ſolito maior ad equitandum eſſet turma, Abbas prædictus in extremo agmine cum monachis ſuis ſenſim progrediebatur: Viſoq. eminus tanti viri honore, quod tot mundanæ poteſtates nutum illius præſtolarentur, huiuſmodi ſententias ventilabat animo: Homuncionem exilis ſtaturæ, deſpicabilis parentelæ, quo Dei iudicio tot diuitum ſepiri famulitio? tumere illum proculdubio, & metiri altiora merito pro tot obambulatorum obſequio. Vix hoc, vt dixi, mente verſarat, cum Archidiaconus reflexo equo, & calcaribus incitato, à longe clamans, & Abbatem obiurgans: Tu, tu, inquit, male cogitaſti falsò infamans huiuſce dumtaxat rei innocentem. Non enim mihi gloriam hanc (ſi gloria dici poteſt, quæ cito tranſit) vel ego imputo, vel ab alijs imputari volo, ſed beatis Apoſtolis; quorum exhibetur priuilegio. Suffuſus ille pudore, nec quicquam inficiatus, hoc ſolum retulit: Quæſo Domine, quomodo noſti cogitatum meum, quem nulli communicaui? Ab ore tuo, ait, quaſi per fiſtulas ad aures meas omnis illa cogitatio deducta eſt.

Item in eadem prouincia Eccleſiam Vrbanam ingreſſi, ante aram continuatis, & iunctis lateribus ſe proſtrauerant. In multam horam protracta oratione, reſpexit Archidiaconus Abbatem, turbulento rictu infrendens. Ille cum diutius oratum eſſet, fores egreſſus, cauſamq. commotionis percunctatus, reſponſum accepit: Si me amare vis, caue ne me vlterius hac iniuria expugnes: Dominus meus Ieſus Chriſtus, ſpecioſus ille præ filijs hominum, poſtulationibus meis viſibiliter aſtabat, intendens dictis, & ſerenis fauens oculis, ſed tuæ orationis adductus violentia me deſeruit, ad te conuerſus. Ita plane etiam in carne hic viuens Dominus facere conſueuit, vt de ſe ardentius concitaret deſiderium: ſic namq. repuliſſe viſus eſt Chananæam, ſic repuliſſe Mariam, ne tangeretur ab ea, ſic denique finxiſſe ſe longius ire, duobus illis diſcipulis Emmauntem ſe conferentibus. Sed pergit. Puto, quod tu ipſe non diffiteberis eſſe genus iniuriæ, ſi amico eripias auctorem ſalutis ſuæ. Præterea prænoueris mortalitatem hominum, & huic loco imminere excidium. Cuius coniecturæ ſignum habeo, quod Angelum Domini ſuper altare ſtantem vidi euaginatum gladium ſtringere, & huc, atque illuc rotare. Futuræ cladis notabilibus habeo indicium, quod iam ſpiſſus, & nebuloſus aer prouinciam iſtam circumuolat, vt vides. Maturemus igitur profugium, niſi cum alijs velimus ſubire exitium. His dictis introeuntes diuerſorium, ad curam corporis aſſedere. Continuoq. dapibus appoſitus, exortus in domo luctus auiditatem eſurientium repreſſit. Siquidem

dem vnus, & alter, & mox plures è Familia, dubium qua pernicie, interempti, animas ſubito amiſerunt. Tum eadem peſte per vicinas ædes graſſante, aſcenſis mulis diffugiunt, feſtinationem viæ ſtimulis timoris accelerantes. Hæc ex S. Hugonis relatione Vuillelmus. ex quibus tu diſcas eiuſdẽ Hildebrandi ſanctitatem, & Spiritus ſancti gratiam, qua vniuerſum Catholicum Orbem in ſui admirationem conuertit.

Gregorium Pont. Max. Spiritu ſancto repletum eſſe, columba ſuper eum volitans teſtata eſt. Cap. 260.

FActum eſt autem, cum idem Papa Gregorius Miſſarum ſolemnia celebraret, vir quidam Ioannes nomine, iuxta altaris crepidinẽ immobilis perſtitit. Cumq. ad altare deflexiſſet obtutus, ſubito in exſtaſim raptus, niueo candore columbam, cuius erat aureum guttur, ſupra eandem aram aſtare conſpexit. Quæ inde leuiter aduolans, ac ſupra dextrum Pontificis humerum recubans, alis protinus expanſis, vtrumq. protexit, ac tamdiu ſic perſtitit, quouſque commiſtio Dominici corporis, & ſanguinis in calice fieret. Iterumq. ſe in dexterum humerum colligens, inde ad altare deſcendit, caput blande ſuper hoſtiam flectens, viro illo, quid hæc ſibi vellent, non intelligẽte, cum volatu præpeti pleno roſtro remeauit ad cælum. Poſt hæc homo ille in ſe rediens, nulla penitus huius rei veſtigia memoria tenuit. Nocte vero ſubſecuta cum ſe ſopori dediſſet, vir quidam illuſtrior ſole, minaci vultu in medio ſuæ domus hoſpitio eidem apparuit. Quo ille viſo, de ſtrato exiliens, terrore correptus, fugam tentat arripere. Vir autem ille porrecta manu, continuit brachium eius ſuauiter tenens. Cum autem eius manus nequiret effugere, ac ſic vinctus, ſtetit inuitus, ad eius mox auxilium quidam niuea canicie aſperſus, indutusq. ſtola candida affuit, eiusq. mærorem conſolans, de manu ſe tenentis eripuit. Quem ille quiſnam hic eſſet tantæ claritatis vir, quæſiuit intrepidus: Hic, inquit, eſt iuſtitiæ ſol. & ille; Nomen quoque ait, tuum inquirenti ſimiliter pande. Nequaquam (ait ille) ſcire te oportet nomen meum, ſed mihi ad interrogata reſponde. Putasne recolis, quid heri, dum in eccleſia aſtares, vidiſti? Ille, cuius animum occupauerat obliuio, cæpit intra ſe voluere, quidnam eſſet, quod ab eo ſenior quæreret, ſubitoq. reminiſcens, cuncta ſibi quæ viderat, ex ordine retulit. & ille: Vade, inquit, celeriter, & hoc ipſum auribus Papæ intimato, vt conſtanter vigore ſancti Spiritus, quod cæpit, exſequatur. His dictis, ab oculis eius elabitur. hucuſque Leo. Leo Oſt. li. 3. c. 53.

At quid Columbæ viſio in Pontifice, niſi in Spiritus ſancti eum inſtinctu regi, & gubernari? Quid inſuper illud, quod eidem nuntiari mandatur, vt vigore ſancti Spiritus, quod cæpit, exſequatur, niſi manifeſtum diuino oraculo reddi? Quàm iſta opportuno tempore ſunt mortalibus diuino conſilio declarata, cum non apud ſchiſmaticos tantum, verum apud Catholicos tunc viuentes, & qui poſtea futuri eſſent, eiuſdem Pontificis fama in ſuſpicionem nimiæ auſteritatis adduceretur, periclitaretursq. proſciſſum calumnijs tanti Pontificis nomen? De quo aduerſus obloquentes, ac detrahentes illud apoſtolicum pro defenſione liceat vſurpare: Quis ſtabit aduerſus electos Dei? Deus, qui iuſtificat; quis eſt, qui condemnet? Vt quod diuino calculo recte

factum

factum probari poſſet, non auderet humana temeritas ſugillare, vt ſic ora loquentium mendacium prorſus obſtruerentur.

B. Ignatius Spiritu ſancto ductus mira operatur in Eccleſia Dei, & qualiter B. Philippus in eius vultu radios lucentes viderit. Cap. 261.

SEd & B. Ignatius venerandæ ſocietatis Ieſu ſapientiſſimus Inſtitutor, Spiritu ſancto plenus, & præſertim ſapientiæ dono conſpicuus Religionem ſuam inſtituit, quæ hodie per vtrumque orbem communi beneficio propagata mundum fulcit, ne cadat; qua in re videri poteſt, cuius Spiritus eſſet, qui opus tàm magnum facere potuit, & qualem à Spiritu ſancto ſanctitatem eſſet conſecutus, qui in Dei Eccleſia, collabentes virtutum ædificationes reſtaurabat. B. Philippus noſtri puſilli gregis inſtitutor B. Ignatium mirifice diligebat, aſſerebatq. ſæpe ſe in oculis, & vultu eius vidiſſe ſplendorem quemdam coruſcantem, & radios prælucentes, qui internæ pulchritudinis ſuæ, quam in eius animo Spiritus ſanctus efformauerat, teſtimonium præberent.

De miris operationibus ſancti Spiritus in B. Philippo. Cap. 262.

SIngulis diebus Philippus Spiritum ſanctum, quàm poterat ardentius precabatur, vt eum ſuis donis ornaret, nullumq. abeſſe ſinebat diem, quin eius opem imploraret: nec incaſſum hæc fuerunt. Nam laicus cum eſſet, annum vitæ trigeſimum non attingens, Chriſti ſcilicet anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo quarto, ea repente ſpiritus vi repleri ſenſit diuinitus, eoq. impetu, vt cor illicò ſibi intra corpus ſaltitare cæperit, eoq. ardore inflammari, vt eum natura innuſitata quadā cordis palpitatione, omnino ſe ferre non poſſe ſignificaret. Quamobrē benignus Dominus, quo illum ad plurimorum ſalutem diutius conſeruaret, confractis, atque in pugilli, eoque maiorem amplitudinem, elatis duabus ſiniſtri lateris coſtulis, quarta ſcilicet, & quinta, eiuſdem cordis ſinum, quo id liberius ageretur, mirum in modum ampliauit. Erat iſtiuſmodi fractura in anteriore parte pectoris, vbi coſtæ in cartilaginem deſinunt. Quo ex tempore adeo vehementer amplius quinquaginta tot annos agitari, concutiq. cæpit aſſiduè, plus, minusvè, cum mente rapiebatur in Deum, vt non modo toto corpore contremiſceret, verum etiam lectulus ipſe, aliaq. omnia, quibus ille inſidebat, quaſi terræmotu acta eo orante quaterentur. Quæ cum illi (cui corpus quadratum erat, neque gracile, neque obeſum) ſine vllo doloris ſenſu euenerint, & ad extremum vſque ſpiritum ſine dolore manſerint (nullæ enim nec intus, nec foris punctiones, doloreſve ſentiebantur) omnino ſupra vires naturæ fuiſſe, ac diuinum prorſus miraculum, Medici omnes, qui eius dum viueret, curationi, & poſtea corporis ſectioni interfuere, vna voce teſtati ſunt.

Mirum profectò erat hominem videre ætate confecta, plus quinquaginta annos, continuas, voluntariasq. cordis concuſſiones, palpitationesq. patientem

tem crederes illum humana iam omnia faſtidientem, Dauidis inſtar Domino dicere: Quis mihi dabit pennas ſicut columbæ, & volabo,& requieſcā? Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt! quando veniam, & apparebo ante faciem Domini?

Huius prætereea doni cæleſtis vi, tanta quoad vixit, ſpiritus, diuinæq. dulcedinis affluentia replebatur, vt mentem à cæleſtibus auocare, animumq. ſæpiſſime ad terrena conuertere, vt ſacrum facere poſſet, cogeretur. Quod non eo ſolum referente cognouimus, ſed reipſa comperimus. Quamquam enim ille omnem adhibebat curam ſe à diuinis auocandi, cum rem ſacram facturus pergeret, vt vni, & alteri ex ijs, qui ſibi noti erant, indicauit: vix tamen, quod nos plus millies hiſce vidimus oculis, ſacrificium abſoluere poterat. O magnam ſancti Spiritus vim! Alij etiam ſanctiſſimi viri, horis prius aliquot precationi impenſis, præuia diligentiq. præmiſſa præparatione, omni ope contendunt, vt aliquid pij in Deum affectus, cum rem ſacram acturi ſunt, acquirant, hic autem his adeo abundabat, vt non modo vlla egeret præparatione, verum etiam cum tot, tantosq. diuinitus immiſſos ardores ſuſtinere nequiret, animum ſuum, quàmmaxime poterat, ab illis diuellere cogeretur, Deumq. ne maiores tribueret, in dies rogare.

Id præterea in illo is ſpiritus efficiebat longe mirabilius, vt eum precibus inſiſtentem ſublime tolleret.

Medio vero hyeme, quo tempore maximum in Vrbe frigus eſſe ſolet, ad poſtremum vſque diem (quis crederet?) ita de repente eo orante ipſius cor, corpusq. diuino æſtuebat igne, vt validiſſima, ne æſtu necaretur, refrigeratione indigeret. Hinc ille octogenarius modiciſſimo cibo contentus, omni propemodum natiuo calore deſtitutus, vt eam amoris flammam aliquo modo reſtingueret, pectus nudare, feneſtras, foresq. cubiculi media nocte pandere, linteiſque, ac flabellis, aliaue opportuniore aëris agitatione vti ad ſe refrigerandum ſibi neceſſe erat; & quidem ni cordi, interno ac diuino conſumpto calore, hiſce rebus feſtinanter ſubueniſſet, repentè certe interijſſet.

In ijſdem rebus hoc fortaſſe etiam ponendum: cauſam quodam die huius tàm miræ, ac nouæ eius cordis agitationis à Federico Cardinale Borromæo interrogatus, præſertimq. num dolore aliquo in ea ſuſtinenda afficeretur? à Spiritu ſancto eam accepiſſe, modeſtè reſpondit. Laicus cum eſſem, dicere cœpit, ſanctum Spiritum, quàm ſuppliciter poteram, quotidie rogare conſueueram, vt mihi opem ferret, animumq. meum donis ſuis cumularet. Quodam die cum eum de more orarem meas exciperet preces, ipſo tandem volente factum eſt, vt cordis agitatio, de qua rogas, quæ nullos vnquam dolores mouit, initium habuerit, ſimulq. adiunxit: poſſem equidem eam cohibere, ſed ne animum, inter orandum, à diuinis auocare, atque ad eum motum cordis comprimendum referre cogar, idcirco ab ea re deſiſto.

Illud hic addam, quod eius cor adeò huius agitationis vi æſtu feruebat, vt calor ex eo proueniens ad totum plerumque corpus ſeſe diffunderet.

Ignis incluſus ardet fortius. Quapropter B. Philippus cum diuinum ſancti Spiritus ignẽ in cordis arca contineret, quamquam ipſe in diuinis gratijs occultandis ſtudioſiſſimus eſſet, tamen impedire non poterat, quin aliquando occulta ſpiritus flamma ſeſe proderet, cum aliquid agendum eſſet. Cap. 263.

IN precibus Deo fundendis eam adeptus erat facultatem, vt diuina potius vi, & ducente ſpiritu ad eas adduceretur, quàm noua aliqua de rebus cæleſtibus meditatione diuini amoris flammam in ſe ipſe excitare cogeretur. Tanta vero plerunque, cum precibus inſiſteret, cæleſtium gaudiorum copia perfundebatur, quantam ſuſtinere vix poterat, eamq. ob rem non humi ſolùm ſeſe proſternere, ſed his etiam vocibus ad Dominum clamare opus habebat: Sat eſt Domine, ſat eſt; contine iam, quæſo, vndas gratiæ tuæ. Quodam die cum ex nimia iſtiuſmodi dulcedinum vi haud procul exitio abeſſet, maiore quàm antea animi impetu diuinam cæpit implorare clementiã: Recede à me Domine, aiebat, recede; quandoquidem tantam cæleſtium gaudiorum molem ſuſtinere, mortalis cum ſim, nequeo: en morior Domine, ni confeſtim ſuccurras, ni opem feras: Cumq. ille hunc in modum diutius precatus eſſet, leniuit Dominus aliquantulum (vt ipſo referente cognouimus) ſummum animi eius ardorem. Ergo mirandum non eſt, ſi ſuo ille doctus periculo dicere ſoleret: Verè Deum amanti nil grauius, nil durius, aut moleſtius poſſe vita ipſa contingere: Sancti enim viri mortem in deſiderio, & vitam in patientia habere dicuntur.

S. Greg. li. 9 Reg. epiſt. 27. & l. 11 epiſt. 24. Aug. tra. 9. in ep. 1. Io.

Ardentis ſpiritus demonſtratio S. Paulini, & S. Auguſtini, pro conuerſione nobilis, & eruditi adoleſcentis. Cap. 264.

SI ſpiritus, & amor eſt, intus in corde vtiquè operatur, ſi operari renuit, amor nõ eſt, neſcit tarda molimina Spiritus ſancti gratia. Hinc ſancti viri, qui omnes ſpiritum Dei habent, quicquid agunt, ſpiritu Dei agunt, & aguntur, in quibus panditur ſpiritus eorum, vt contigit Paulino, & Auguſtino in conuerſione cuiuſdam adoleſcentis. Ad quem hæc Paulinus.

Pauli. Romaniano ĩter epiſt. D. Aug. ep. 36

Vereor fili, ne aures tuas aſperitate temerarij ſermonis offenderim, & per aures animo etiam tuo tædij mei vulnus intulerim. Sed in mentem veniat epiſtola tua, qua te muſicis familiarem modis intellexi; à quo ſtudio ego æui quondam tui non abhorrui. Itaq. mihi ad tuam mentem, ſi in aliquo exulceraſſem, deliniendam remedium, litteras tuas recordatus, reperi, vt te ad Dominum harmoniæ omniformis artificem, modulamine carminis euocarem. Quæſo te, vt aure audias, neque cauſam ſalutis tuæ in verbis meis ſpernas, ſed piam curam, & mentem paternam, etiam in deſpiciendis ſermonibus libenter accipias, quibus inſitum Chriſti nomen, quod eſt ſupra omne nomen, hanc deberi venerationẽ facit, vt non poſſit à credente contẽni.

Carmẽ elegiacũ Paulini ad Licentiũ iuuenem nobilẽ quõdã Auguſtini diſcipulum.

Quare age rumpe moras, & vincla tenacia ſecli,
 Nec metuas placidi mite iugum Domini,
Pulchra quidem, ſed mira vagis præſentia rerum
 Mentibus, at ſapiens non ſtupet iſta animus,

Nunc

Nunc te ſolicitat varijs male ſuada figuris,
Heu validos etiam vertere Roma potens;
Sed tibi nate precor, ſemper pater Auguſtinus
Occurſet cunctas Vrbis ad illecebras,
Illum tanta inter fragilis diſcrimina vitæ
Aſpiciens, & habens pectore, tutus eris,
Hoc tamen & repetens, iterumquè, iterumq. monebo,
Vt fugias duræ lubrica militiæ;
Blandum nomen honos, mala ſeruitus, exitus æger,
Quem nunc velle iuuat, mox voluiſſe piget:
Scandere celſa iuuat, tremor eſt deſcendere celſis,
Si titubes ſumma peius ab arce cades,
Nunc tibi falſa placent bona, nunc rapit omnibus auris
Ambitus, & vitreo fert caua fama ſinu;
Aſt vbi te magno damnoſus cinxerit æſtu
Baltheus,& ſterilis fregerit inde labor,
Serus, & incaſſum ſpes accuſabis inanes,
Et, modo quæ non vis, rumpere vincla voles,
Tunc reminiſcèris fruſtra patris Auguſtini,
Contempſiſſe dolens veridicos monitus.
Quare, ſi ſapiens, & ſi pius es puer, audi,
Et cape verba patrum, conſiliumq. ſenum,
Quid retrahis fera colla iugo? mea ſarcina lenis,
Suaue iugum Chriſti eſt, vox pia, crede Deo,
Et caput adde iugis, da mollibus ora capiſtris,
Demiſſosq. leui ſubde humeros oneri;
Nunc potis es dum liber agis; dum nulla retentant
Vincla, nulla thori cura, nec altus honor,
Hæc bona libertas Chriſto ſeruire, & in ipſo
Omnibus eſſe ſupra, non dominus hominum;
Non vitijs ſeruit, non Regibus ille ſuperbis
Tantum qui Chriſto ſe dederit Domino,
Nec tibi nobilitas videatur libera, quam nunc
Sublimem attonita conſpicis vrbe vehi.
Quam cernis tanta ſibi libertate videri,
Vt dedignetur flectere colla Deo;
Multis ille miſer mortalibus, & quoque ſeruis
Seruit, & ancillas, vt dominetur, emit,
Norunt eunuchos, & magna palatia paſſi,
Et quiſquis Romam ſponte miſer, patitur,
Quanto ſudoris pretio, damnoq. decoris
Conſtet, ibi clamydis, hic honor officij,
Nec tamen ipſe potens, qui celſior omnibus eſſe
Emerit, vt nulli ſeruiat, aſſequitur.
Cum bene ſe tota dominum iactauerit vrbe,
Seruit dæmonijs, ac ſimulachra colit;
Proh dolor, hos propter remoraris in vrbe Licenti,

Et regnum Chriſti ſpernis, vt his placeas,
Hos vocitas dominos, curua & ceruice ſalutas
Quos ligni ſeruos conſpicis, & lapidis,
Nomine diuino argentum venerantur, & aurum,
Religio eſt quod amat morbus auaritiæ,
Imprecor hos vt amet, qui non amat Auguſtinum,
Non colat & Chriſtum, cui placet hos colere,
Inde ait ipſe Deus, dominis non poſſe duobus
Seruiri, quoniam mens placet vna Deo,
Vna Fides, Deus vnus, & vnicus è patre Chriſtus
Haud duplex, vni ſeruitus eſt domino.
Quanta etenim cælo, ac terris diſtantia, tanta eſt
Cæſaris, & Chriſti rebus, & imperijs;
Tollere humo, ſed nunc dum ſpiritus hos regit artus
Mente polum penetra, ni mora carnis obeſt,
Corporeis iam nunc morere actibus, & bona vitæ
Cæleſtis liquido præmeditare animo.
Spiritus es, quamquàm tenearis corpore, ſi nunc
Mente pia victor carnis opus perimas.
Hæc tibi chare puer fide compulſus amore
Scripſi, ſi recipis, ſuſcipiere Deo.
Crede Auguſtinum tibi nunc in me geminatum,
Sume duos vna cum pietate patres:
Spernimur, abſtraheris maiore dolore duobus,
Audimur, pignus dulce duobus eris;
In te læta patrum ſudauit cura duorum,
Et tibi magnus honos lætificaſſe duos.
Sed me Auguſtino dum copulo, non meritorum
Iacto parem, ſolo comparo amore tui.
Nam quid ego effundam rorans tibi paupere riuo?
Me præter gemino flumine prolueris:
Frater Alipius eſt, Auguſtinusq. magiſter,
Sanguinis hic conſors, hic ſator ingenij,
Tanto fratre vales, & præceptore Licenti,
Et dubitas pennis talibus aſtra ſequi?
Quidquid agas (nam te nec ſperet mundus amicum)
Nec daberis terræ, debita Chriſto anima.
Tu thalamos licet, & celſos mediteris honores
Nunc, olim domino reſtituere tuo,
Credo vnum vincent iuſti duo peccatorem,
Et tua fraternæ vota preces abigent.
Ergo redi, qua voce parens, qua ſanguine frater
Ambo ſacerdotes te remeare iubent;
Ad tua te retrahunt, nam nunc aliena petiſſes,
Nec magè quæ retinent regna tui, tua ſunt.
Hæc repete, his inhia, exterius ne contere tempus,
Si tua nolueris, quiſquam aliena dabit?

Non eris ipſe tuus, miſſusq. per extera longe
Senſibus, heu, proprij pectoris exul ages:
Solicitum ſatis hæc nato cecinisſe parentem,
Dum tibi, quam mihimet, vel volo, vel metuo.
Hæc tibi, ſi recipis, fert olim pagina vitam,
Si renuas, eadem hæc pagina teſtis erit.
Incolumem mihi te fili chariſſime, Chriſtus
Annuat, & ſeruum det ſibi perpetuo.
Viue precor, ſed viue Deo, nam viuere mundo
Mortis opus, viua eſt viuere vita Deo.

Exhortatio vehementiſſima ad ſeruiendum Deo, ab inſigni charitate, & ſpiritu ardentiſſimo S. Auguſtini deprompta. *Cap. 265.*

Ibid. Aug. ad eundem Licentium epiſt. 36.

NVnc paucis (inquit ille) accipe pectoris mei æſtus de ſpe tua non tranſitoria, quonàm modo via tibi pateſcat in Deum. Mi Licenti, etiam atque etiam recuſantem, & formidantem compedes ſapientiæ, timeo te rebus mortalibus validiſſimè, & pernicioſiſſimè compediri. Nam ſapientia, quos primò alligauerit, & exercitatorijs quibuſdam laboribus edomauerit, ſoluit poſtea, liberatisq. ſeſe donat ad fruendum, & quos primo temporalibus nexibus erudiuerit, poſt æternis amplexibus alligat. Quo vinculo, nec iucundius, nec ſolidius cogitari quicquam poteſt. Prima hæc aliquantulum dura eſſe confiteor, illa vero vltima, nec dura dixerim, quia dulciſſima ſunt, nec mollia, quia firmiſſima. Quid igitur, niſi quod dici non poteſt, ſed credi tamen, & amari poteſt & ſperari? Vincula vero huius mundi, & aſperitatem habent veram, iucunditatem falſam: certum dolorem, incertam voluptatem: durum laborem, timidam quietem: rem plenam miſeriæ, ſpem beatitudinis inanem. His ne tu inferas, & collum, & pedes, & manus, cum & honoribus huiuſcemodi ſubiugari affectas, & facta tua nõ aliter fructuoſa exiſtimas, & ambis inhærere, quo non modo inuitatus, ſed nec compulſus quidem ire debuiſti. Hic tu fortaſſe Terentiani ſerui mihi reſponſum dederis: Ohe, tu verba fundis hic ſapientia. Cape igitur, vt fundam potius, quàm effundam: Aut ſi ego canto, tu autem ad aliam vocem ſaltas, nec ſic quidem me pœnitet. Habet enim ſuam hilaritatem ipſa cantatio, etiam cum ad eam membra nõn mouet, cui plena charitatis modulatione cantatur. Verba quædam in epiſtolis tuis me mouerunt, ſed de his tractare, cum factorum, vitæq. totius tuæ excoquat, ineptum putaui. Si verſus tuus momentis inordinatis, ſi ſuis legibus non ſtaret, ſi menſuris imparibus aures auditoris offenderet, puderet te certè, nec differres, nec deſiſteres, donec ordinares, corrigeres, ſtatueres, æquares verſum tuum diſcendo, & agendo artem metricam acerrimo ſtudio, & labore quolibet. Quod cum inordinatus ipſe peruerteris, cum legibus Dei tui ipſe non ſtas, neque in agenda vita honeſtis tuorum votis, & huic ipſi eruditioni tuæ concinis, abijciendũ poſt tergum putas, & negligendum, quaſi præ ſomno linguæ tuæ ſis tibi, & voce vilior, & incompoſitis moribus, quod offendis aures Dei leuius ſit, quàm ſi incõpoſitis ſyllabis tuis grammatica ſuccenſeret auctoritas. Scribis.

 O mihi

O mihi tranſactos reuocet ſi priſtina ſoles
Lætificis aurora rotis, quos libera tecum
Ocia tentantes, & candida iura bonorum.
Duximus Italiæ medios, monteſq. per altos
Non me dura gelu prohiberent frigora cano,
Nec fera tempeſtas Zephyrum, fremituſq. Borini,
Quin tua ſolicito premerem veſtigia paſſu:
Hoc opus, vt iubeas tantum.

Me miſerum ſi ego non iubeo, ſi non cogo, atque impero, ſi non rogo, atque ſupplico. Sed ſi aures tuæ aduerſus meas voces clauſæ ſunt, ori tuo pateant, pateant carmini tuo, exaudi te ipſum duriſſime, immaniſſime, ſurdiſſime. Quo mihi linguam auream, & cor ferreum? Quibus ego non carminibus, ſed lamentationibus ſufficiam plangere carmina tua? In quibus video, quam animam, quod ingenium mihi liceat apprehendere, & immolare Deo noſtro? Expectas vt ego iubeam ſis bonus, ſis quietus, ſis beatus, quaſi quidam mihi dierum gratius illuceſcat, quam vt ingenio tuo fruar in Domino, aut vere tu neſcias quàm te eſuriam, & ſitiam, aut non hoc ipſo id carmine fatearis. Reuoca animum, quo iſta ſcripſiſti, nunc mihi dic. Hoc opus vt iubeas tantum. Ecce iuſſum meum, da mihi te, ſi hoc opus eſt tantum, da Domino meo te, qui omnium noſtrum dominus eſt, qui tibi illud donauit ingenium. Nam ego quid ſum, niſi ſeruus tuus per ipſum, & conſeruus ſub ipſo? An ipſe non iubet? Audi Euangelium: Stabat, inquit, Ieſus & clamabat: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego vos reficiam, tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris, iugum enim meũ ſuaue eſt, & ſarcina mea leuis. Si hæc non audiuntur, aut vſque ad aures audiuntur, expectas ne Licenti, vt Auguſtinus iubeat conſeruo ſuo, & non plangat potius fruſtra iubere Dominum ſuum? Immo non iubere, ſed inuitare, & rogare quodammodo, vt qui laborant, reficiantur ab eo. Sed videlicet fortiſſimo, & præfidenti collo iugum mundi, iugum Chriſti eſt iucundius, qui ſi laborare nos cogeret, vide quis cogeret, qua mercede cogeret. Vade in Campaniam, vide Paulinum egregium, & ſanctum Dei ſeruum, quàm grande faſtum ſeculi huius tanto generoſiore, quanto humiliore ceruice incunctanter excuſſerit, vt eam ſubderet Chriſti iugo, ſicut ſubdidit, & nunc illo moderatore itineris ſui quietus, & modeſtus exultat. Vade, diſce quibus opibus ingenij ſacrificia laudis ei offerat, refundens illi quicquid boni accepit ex illo, ne amittat omnia, ſi non in eo reponat, à quo hæc ſunt. Quid æſtuas? quid fluctuas? quid imaginationibus mortiferarum voluptatum aurem accomodas, & auertis à nobis? Mentiuntur, moriuntur in mortem trahunt. Mentiuntur Licenti, ſic nobis, ſicuti optas, verum ratione pateſcat, ſic plus Eridano fluat, Non verum dicit, niſi veritas, quia Chriſtus eſt veritas. Veniamus ad eum, ne laboremus, vt ipſe nos reficiat, tollamus iugum eius ſuper nos, & diſcamus ab eo, quoniam mitis eſt, & humilis corde, & inueniemus requiem animabus noſtris, iugum enim eius leue eſt, & ſarcina eius leuis eſt. Ornari abs te Diabolus quærit. Si calicem aureum inueniſſes in terra, donares illum Eccleſiæ Dei; Accepiſti à Deo ingenium ſpiritualiter aureum, & miniſtras inde libidinibus, & in illo

Satanæ propinas te ipſum. Noli, obſecro, ſic aliquando ſentias, quàm miſero, & miſerando pectore hæc ſcripſerim, & miſerearis iam mei, ſi tibi viluiſti.

Eo tempore, quo Auguſtinus Mediolani adhuc morabatur, duo hæc *Auguſt. de*
memoratu digna contigerunt. Dicam (inquit ipſe) quid fecerit pauperri- *verb. Apoſt.*
mus homo, nobis apud Mediolanum conſtitutis, tàm pauper, vt proſeolos *ſerm. 19.*
eſſet grammatici, ſed plane Chriſtianus, quamuis ille eſſet paganus grammaticus, melior ad velum, quàm ad cathedram. Inuenit ſacculum (niſi me forte numerus fallit) cum ſolidis ferme ducentis. Memor legis, propoſuit Pitacium publice. Reddendum enim ſciebat, ſed cui redderet, ignorabat. Propoſuit pitacium publice: qui ſolidos perdidit, veniat ad locum illum, & quærat hominem illum (erat hæc forma pitacij) ille, qui plangens circumquaque vagabatur, inuento, & lecto Pitacio, venit ad hominem. Et ne forte quæreret alienum, quæſiuit ſigna: interrogauit ſacculi qualitatem, ſigillum, ſolidorum etiam numerum, & cum omnia ille fideliter reſpondiſſet, reddidit, quod inuenerat. Ille autem repletus gaudio, & quærens vicem rependere tamquam decimam, obtulit ſolidos viginti, qui noluit accipere: obtulit vel decem noluit accipere: ſaltem rogauit accipere quinque, ille negauit. Stomachabundus homo proiecit ſacculum. Nihil perdidit (ait) ſi non vis aliquid à me accipere, nec ego aliquid perdidi. Quale certamen fratres mei? quale certamen? qualis pugna? qualis conflictus? Theatrum mundus, ſpectator Deus. Victus tandem ille, quod offerebatur accepit: continuo totum pauperibus erogauit. Vnum ſolidum in domum ſuam non remiſit. Hæc Auguſtinus imitanda exempla populo ſuo Hipponenſi proponebat.

Pro certo cùm Mediolani eſſemus, audiuimus, quod cum debitum repe- *Aug. de cu-*
teretur à quodam defuncti patris cautione prolata, quod filio neſciente, à *ra agen. pro*
patre iam fuerat perſolutum: contriſtari homo grauiſſime cœpit, ac mira- *mortuis c.*
ri, quod ei pater moriens non dixerit, quid deberet, cum feciſſet etiam te- *11.*
ſtamentum. Tunc ei nimis anxio apparuit pater eius in ſomnis, & vbi eſſet repoſitum, quod illa cautio vacuata fuerat, indicauit. Quo inuento iuuenis atque mõſtrato, non ſolum falſi debiti calumniam propulſauit, ſed etiam paternum recepit Chirographum, quod pater non receperat, quando fuit perſoluta pecunia. Hic igitur putatur anima hominis curam geſſiſſe pro filio, & ad eum veniſſe dormientem, vt docens, quod ignorabat, à magna eum cura liberaret.

Græcorum pernicies, qui in feſto Spiritus ſancti imperium amiſerunt, capta Conſtantinopoli, & Turcis tradita, qui doctrina Eccleſiæ catholicæ credere ſuperbe recuſarunt, de Spiritus ſancti à patre & filio proceſſione. Cap. 266.

CVm venerit paraclitus, ille arguet mundum de peccato, præſertim de *Ioan. 16.*
incredulitate ex ſuperbia proueniente. Contigit autem Græcis de proceſſione Spiritus ſancti à Patre Filioq. procedẽtis credere nolentibus, vt Eccleſia Catholica eis credendũ proponebat, vt deſerti à Deo pœnas luerent,

Nicolaus Quintus Pontifex maximus, legatis à Conſtantino Imperatore miſſis dedit litteras plenas timoris, & horroris. Vbi aperte cum exſecratione vaticinatur excidium & internecionem extremam infelicium Græcorum, in quibus poſt alia multa (cum conuicia, & probra reſciſſet, quæ à Græcis quotidie impudentiſſime iactabantur) mire, & hoc dicit: Omnes gentes Decretum, quod ſancitum eſt, receperunt; Græci neque receperunt, neque ſpes eſt eos vmquam recepturos, quæ ſuper concordia, & coniunctione decreta ſunt. Procraſtinationes enim procraſtinationibus ab eis ſemper prætexuntur, excuſationes, & reſponſiones in ſingulis. Neque vero Græci arbitrentur Romanum Pontificem ita eſſe mente deſtitutum, omnéq. Occidentalem Eccleſiam, vt non intelligant, quæ in ſingulis dilationibus reſpondendo nugantur, optime cuncta nouimus. Sed toleramus, in Ieſum reſpicientes ſempiternum ſacerdotem, & Dominum, qui ſterilem illam ficum vſque ad annum tertium iuſſit aſſeruari, agricola iam ad excidendam arborem ſeſe accingente, quæ nullum fructum ferebat. O magnam calamitatis ruinam, anno milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo primo hanc conſcripſit epiſtolam, & milleſimo quadrigenteſimo quinquageſimo tertio capta eſt Conſtantinopolis. Num poteſtis dicere hæc vera non eſſe? minime gentium, cum id ſit manifeſtum, & res ipſa aperte loquatur. Tres, inquit, annos expectabimus, ſi vos forte à ſchiſmate, & ſeparatione coquerteritis, & vos vere decreto adiunxeritis, ſecundum Saluatoris de ficu præceptum. Sn minus, excindemini, ne terram otioſam, & inutilem reddatis. Hoc miraculorum miraculum maximum, quod vt in epiſtola ipſa ſcribit Nicolaus Papa, Græcorum gens illa magna, & formidabilis, ſapiens, clara, fortis, terrarum Domina, ob diuinam vltionem ita in Barbarorum ſeruitutem abducta eſt. Hæc narranti mihi ſubit lamentari, & deplorare excidium gentis noſtræ.

Hucuſque Gennadius Patriarcha Conſtantinopolitanus aduerſus ſuos gentiles Græcos recitans oraculum apertiſſimum à Nicolao Quinto prolatú, & euentu comprobatum, ipſo temporis ſpatio, quod prænunciauit. Oſtendant nunc Græci, & Proteſtantes, ex quo à nobis diſceſſere, quinàm fuerint inter eos vates futurorum præſcij, qui nunc ſint, aut non ita pridem fuerint.

Lutherus Anteſignanus Proteſtantium prædixit, intra annos duos futurum, vt Papæ memoria aboleretur è terris. Anni, ex quo id eſt vaticinatus homo vaniſſimus, quinquaginta præterierunt, & tantum abeſt vt Papæ nomen ſit deletum, vt potius eius poteſtas magis ſit intra hoc ſpatium temporis amplificata, quàm mille, & quingentis annis, quibus Lutherus non fuit. Ad extremos enim terminos orbis peruenit, intimos Indos penetrauit, Antipodas peruaſit.

Quicumque autem è Græcis diſceſſere à nobis, quàm magna ſibi prædictionibus ſuis augurati fuerint, & vt contra ipſis omnia contigerint, hinc apparet, quod eorum Patriarchæ ſibi nomen Oecumenici, ſiue vniuerſalis, arrogarunt, quaſi quicquid eſt terræ habitabilis, legibus eorum pareret vniuerſum. Quod cui contigit, nemo ignorat. Id certe accidit Græcis, vt quando diſſidebant à nobis in proceſſione Spiritus ſancti, an eſſet à Filio, & Patre, ipſo die ſecundo Pentecoſtes, qui filiò eſt ſacer, Conſtantinopolis cape-

caperetur, diuino ſcilicet ſpiritu ipſorum obſtinatos animos puniente, & eos omnino derelinquente. Quarto namq. Kalen. Iunij milleſimo, quadringenteſimo quinquageſimo tertio feria ſecunda, Conſtantinopolis eſt expugnata. Rurſus aliud longe mirabile obſeruandum. Græci nos excommunicarunt, & pro hæreticis omninò duxerunt, Michaele ſedente, circiter annum milleſimum quinquageſimum tertium, vt oſtendimus ſupra, & poſt annos quadringentos Conſtantinopolis capta, anno ſcilicet milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo tertio. At hic numerus criminum remiſſioni expiationiq. datur. Vt ſciamus ideo Græcos in ſeruitutem diuinitus Turcis datos, quod crimen aduerſus Eccleſiam Catholicam patratum non expiarint intra definitum à diuinis ſcripturis tempus.

Claudus à natiuitate ſua ad portas Templi mendicans, à Petro Apoſtolo mirabiliter in nomine Ieſu Chriſti, illico, ſolo verbo ſanatur, coramq. omnibus, vidente, & ſtupente populo per templum, Deum laudans ambulauit. Cap. 267.

Proſequamur, quæ à Petro Apoſtolo, & Ioanne primis illis diebus geſta ſunt, cum Spiritu ſancto repleti eſſent.

Petrus autem, & Ioannes aſcendebant in Templum ad horam orationis nonam, & quidam Vir, qui erat claudus ex vtero matris ſuæ baiulabatur, quem ponebant quotidie ad portam templi, quæ dicitur Specioſa, vt peteret eleemoſynam ab introeuntibus in templum. Is cum vidiſſet Petrum & Ioannem incipientes introire in templum rogabat, vt eleemoſynam acciperet; intuens autem in eum Petrus cum Ioanne, dixit: Reſpice in nos. At ille intendebat in eos, ſperans ſe aliquid accepturum ab eis. Petrus autem dixit: Argentum & aurum non eſt mihi, quod autem habeo, hoc tibi do. In nomine Ieſu Chriſti Nazareni ſurge, & ambula. Et apprehenſa eius manu dextera alleuauit eum, & protinus conſolidatæ ſunt baſes eius & plantæ, Et exiliens ſtetit, & ambulauit, & intrauit cum illis in templum, ambulans & exiliens & laudans Deum: & vidit omnis populus eum ambulantem, & laudantem Deum; cognoſcebant autem illum, quod ipſe erat, qui ad eleemoſynam ſedebat ad Specioſam portam templi, & impleti ſunt ſtupore, & extaſi in eo, quod contigerat illi. Cum tenerent autem Petrum & Ioannem, concurrit omnis populus ad eos in porticum, quæ appellatur Salamonis ſtupẽtes. Videns autem Petrus reſpondit ad populum: Viri Iſraelitæ quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quaſi noſtra virtute aut poteſtate fecerimus hunc ambulare? Deus Abraam, & Deus Iſaac, & Deus Iacob, Deus patrum noſtrorum glorificauit filium ſuum Ieſum, quem vos quidem tradidiſtis, & negaſtis ante faciem Pilati, iudicante illo dimitti. Vos autem ſanctum & iuſtum negaſtis, & petiſtis virum homicidam donari vobis, auctorem verò vitæ interfeciſtis. Quem Deus ſuſcitauit à mortuis, cuius nos teſtes ſumus, & in fide nominis eius hunc, quem vos videtis, & noſtis, confirmauit nomen eius; & fides, quæ per eum eſt, dedit integrãm ſanitatem iſtam in conſpectu omnium veſtrum. Et nunc fratres ſcio, quod per ignorantiam *Ex Act. b. Apoſt. c. 3.*

feci-

feciſtis, ſicut & principes veſtri. Deus autem, qui prænunciauit per os omniū Prophetarum pati Chriſtum ſuum, ſic impleuit. Pœnitemini igitur, & conuertimini, vt deleantur peccata veſtra, & cum venerint tempora refrigerij à conſpectu Domini, & miſerit eum, qui prædicatus eſt vobis, Ieſum, quem oportet quidem cælum ſuſcipere, vſque in tempora reſtitutionis omnium, quæ locutus eſt Deus per os ſanctorum ſuorum à ſeculo prophetarum. Moyſes quidem dixit: Quoniā prophetam ſuſcitabit vobis Dominus Deus veſter fratribus veſtris, tanquam meipſum audietis iuxta omnia quæcunque locutus fuerit vobis: Erit autem omnis anima, quæ non audierit prophetam illum, exterminabitur de plebe: & omnes prophetæ à Samuel, & deinceps, qui locuti ſunt, annunciauerunt dies iſtos. Vos eſtis filij prophetarum & teſtaméti, quod diſpoſuit Deus ad patres veſtros dicens ad Abraham: Et in ſemine tuo benedicentur omnes familiæ terræ. Vobis primum Deus ſuſcitans filiū ſuum, miſit eum benedicentem vobis, vt conuertat ſe vnuſquiſque à nequitia ſua.

Mira conſtantia, & fortitudo Petri, & diſcipulorum Chriſti in contemnendis increpationibus, & minis ſacerdotum, & ſeniorum, & fiducia in loquendo audacter verbum Dei, & de vnanimitate credentium, & contemptu diuitiarum propter inuentum Chriſtum, theſaurum indeficientem, & venditione bonorum, & proiectione pretij ante pedes Apoſtolorum.

Cap. 268.

Ix Actib. Apoſt.c.4. Loquentibus autem illis ad populum ſuperuenerunt ſacerdotes, & magiſtratus templi, & Saducæi dolentes, quod docerent populum, & annūciarent in Ieſum reſurrectionem ex mortuis, & iniecerunt in eos manus, & poſuerunt eos in cuſtodiam in craſtinum. Erat autem iam veſpera. Multi autem eorum, qui audierant verbum, crediderunt, & factus eſt numerus eorum quinque millia. Factum eſt autem in craſtinum, vt congregarentur principes eorum, & ſeniores & Scribæ in Hieruſalem: & Anna princeps ſacerdotum & Caiphas, & Ioannes, & Alexander, & quotquot erant de genere ſacerdotali, & ſtatuentes eos in medium interrogabant: In qua virtute, aut in quo nomine feciſtis hoc vos? Tunc Petrus repletus Spiritu ſancto dixit ad eos: Principes populi & ſeniores Iſrael, audite: ſi nos hodie diiudicamur in benefacto hominis infirmi, in quo iſte ſaluus factus eſt: notum ſit omnibus vobis, & omni plebi Iſrael, quod in nomine Ieſu Chriſti Nazareni, quem vos crucifixiſtis, quem Deus ſuſcitauit à mortuis, in hoc iſte aſtat coram vobis ſanus. Hic eſt lapis, qui reprobatus eſt à vobis ædificantibus, qui factus eſt in caput anguli, & non eſt in aliquo alio ſalus. Nec enim aliud nomen eſt ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri. Videntes autem Petri conſtantiam & Ioannis, comperto quod homines eſſent ſine litteris, & idiotæ admirabantur, & cognoſcebant eos, quoniam cum Ieſu fuerant: hominem quoque videntes ſtantem cum eis, qui curatus fuerat, nihil poterant contradicere. Iuſſerunt autem foras extra Concilium ſecedere, & conferebant ad inuicem dicentes: Quid faciemus hominibus

iſtis:

iſtis : quoniam quidem notum ſignum factum eſt per eos omnibus habitatoribus in Hieruſalem.

Manifeſtũ eſt,& non poſſumus negare,ſed ne amplius diuulgetur in populum, comminemur eis, ne vltra loquantur in nomine hoc vlli hominum, & vocantes eos,denunciauerunt,ne omnino loquerentur,neque docerent in nomine Ieſu. Petrus vero & Ioannes reſpondentes dixerunt ad eos. Si iuſtum eſt in conſpectu Dei,vos potius audire, quàm Deum, iudicate. Non enim poſſumus,quæ vidimus,& audiuimus,non loqui : at illi comminantes dimiſerunt eos : non inuenientes quomodo punirent eos propter populum, quia omnes glorificabant id quod factum fuerat in eo quod acciderat. Annorum enim erat amplius quadraginta homo,in quo factum fuerat ſignum iſtud ſanitatis. Dimiſſi autem venerunt ad ſuos,& annunciauerunt ad eos quanta ad eos principes ſacerdotum,& ſeniores dixiſſent. Qui cum audiſſent, vnanimiter leuauerunt vocem ad Deum,& dixerunt. Domine tu,qui feciſti cælum & terram,mare,& omnia, quæ in eis ſunt, qui Spiritu ſancto per os patris noſtri Dauid pueri tui dixiſti : Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania? Aſtiterunt Reges terrarum, & Principes conuenerunt in vnum aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius : conuenerunt enim vere in ciuitate iſta aduerſus ſanctum puerum tuum Ieſum, quem vnxiſti, Herodes,& Pontius Pilatus cum gentibus & populis Iſrael facere,quæ manus tua,& conſilium tuum decreuerunt fieri: & nunc Domine reſpice in minas eorum,& da ſeruis tuis cum omni fiducia loqui verbũ tuum, in eo quod manum tuam extendas ad ſanitates & ſigna,& prodigia fieri per nomen ſancti filij tui Ieſu. Et cum oraſſent,motus eſt locus in quo erant congregati, & repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & loquebantur verbum Dei cum fiducia. Multitudinis autem credentium erat cor vnũ,& anima vna : nec quiſquam eorum,quæ poſſidebat,aliquid ſuum eſſe dicebat,ſed erant illis omnia communia : Et virtute magna reddebant Apoſtoli teſtimonium reſurrectionis Ieſu Chriſti Domini noſtri, & gratia magna erat in omnibus illis. Neque enim quiſquam egens erat inter illos. Quotquot enim poſſeſſores agrorum,aut domorum erant,vendentes afferebant pretia eorũ,quæ vendebãt, & ponebant ante pedes Apoſtolorum. Diuidebatur autem ſingulis,prout cuiq; opus erat. Ioſeph autem,qui cognominatus eſt Barnabas ab Apoſtolis,quod eſt interpretatum, filius conſolationis,Leuites, Cyprius genere,cum haberet agrum,vendidit eum, & attulit pretium,& poſuit ante pedes Apoſtolorum.

Vir,& vxor mentientes Spiritui ſancto, & fraudantes de pretio agri terribilẽ increpante Petro,patiuntur interitũ. Vmbra Petri obumbrans infirmos mirabiliter ab omnibus curabat infirmitatibus : Apoſtoli carcerati ab Angelo liberantur,& intrepide prædicant Chriſtum,& contumelioſe cæſi, ibant gaudentes, quoniam digni habiti fuerant pro nomine Ieſu contumeliã pati.
Cap. 269.

VIr autem quidam, nomine Ananias, cum Saphira vxore ſua vendidit agrum, & fraudauit de pretio agri conſcia vxore,& afferens partem *Ex Actil. Apoſt.c.5.*
quam-

quamdam ad pedes Apoſtolorum poſuit. Dixit autem Petrus ad Ananiam. Anania, cur tentauit Sathanas cor tuum mentiri te Spiritui ſancto, & fraudare de pretio? Nonne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat poteſtate? Quare poſuiſti in corde tuo hanc rem? Non es mentitus hominibus, ſed Deo. Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit, & exſpirauit. Et factus eſt timor magnus ſuper omnes qui audierunt. Surgentes autem iuuenes amouerunt eum, & efferentes ſepelierunt. Factum eſt autem quaſi horarũ trium ſpatium, & vxor ipſius neſciens, quod factum fuerat, introiuit. Dixit autem ei Petrus: Dic mihi mulier, ſi tanti agrum vendidiſtis: at illa dixit: etiam tanti. Petrus autem ad eam: Quid vtique conuenit vobis tentare ſpiritum Domini? Ecce pedes eorum, qui ſepelierunt virum tuum ad oſtium, & efferent te. confeſtim cecidit ante pedes eius, & exſpirauit. Intrantes autem iuuenes inuenerunt illam mortuam, & extulerunt, & ſepelierunt ad virum ſuum. Et factus eſt timor magnus in vniuerſa Eccleſia, & in omnes, qui audierunt hæc. Per manus autem Apoſtolorum fiebant ſigna, & prodigia multa in plebe. Et erant vnanimiter omnes in porticu Salamonis: ceterorum autem nemó audebat ſe cõiungere illis, ſed magnificabat eos populus. Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum, ac mulierum, ita vt in plateas eijcerent infirmos, & ponerent in lectulis, ac grabatis, vt veniente Petro ſaltem vmbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur omnes ab infirmitatibus ſuis. Concurrebat autem multitudo vicinarum ciuitatum Hieruſalem afferentes ægros, & vexatos à ſpiritibus immundis, qui curabantur omnes. Exurgens autem princeps ſacerdotum, & omnes qui cum illo erant, quæ eſt hæreſis Sadducæorum, repleti ſunt zelo, & iniecerunt manus in Apoſtolos, & poſuerunt eos in cuſtodia publica. Angelus autem Domini per noctem aperiens ianuas carceris, & educens eos dixit: Ite, & ſtantes loquimini in templo plebi omnia verba vitæ huius: qui cum audiſſent, intrauerunt diluculo in templum, & docebant. Adueniens autem princeps ſacerdotum, & qui cum eo erant, conuocauerunt Concilium & omnes ſeniores filiorum Iſrael, & miſerunt ad carcerem, vt adducerentur: Cum autem veniſſent miniſtri, & aperto carcere, non inueniſſent illos, reuerſi nunciauerunt dicentes: Carcerem quidem inuenimus clauſum cum omni diligentia, & cuſtodes ſtantes ante ianuas, aperientes autem neminem intus inuenimus. Vt autem audierunt hos ſermones magiſtratus templi, & principes ſacerdotum ambigebant de illis, quidnàm fieret. Adueniens autem quidam nunciauit eis, quod ecce viri, quos poſuiſtis in carcerem, ſunt in templo ſtantes, & docentes populum. Tunc abijt magiſtratus cum miniſtris, & adduxit illos ſine vi. Timebant autem populum, ne lapidarentur. Et cum adduxiſſent illos ſtatuerunt in Concilio. Et interrogauit eos princeps ſacerdotum dicens: Præcipiendo præcepimus vobis, ne doceretis in nomine iſto, & ecce repleſtis Hieruſalem doctrina veſtra, & vultis inducere in nos ſanguinem hominis iſtius. Reſpondens autem Petrus, & Apoſtoli dixerunt: Obedire oportet magis Deo, quàm hominibus. Deus patrum noſtrorum ſuſcitauit Ieſum, quem vos interemiſtis ſuſpendentes in ligno. Hunc principem, & ſaluatorem Deus exaltauit dextera ſua ad dandam pœnitentiam Iſraeli, & remiſſionem peccatorum, & nos ſumus teſtes horum verborum, & Spiritus ſanctus, quem dedit Deus

omni-

omnibus obedientibus ſibi. Hæc cum audiſſent, diſſecabantur, & cogitabant interficere illos. Surgens autem quidam in Concilio Phariſæus, nomine Gamaliel, legis Doctor honorabilis vniuerſæ plebi, iuſſit foras ad breue homines fieri. Dixitq. ad illos: Viri Iſraelitæ attendite vobis ſuper hominibus iſtis, quid acturi ſitis. Ante hos enim dies extitit Theodas, dicens ſe eſſe aliquem, cui conſenſit numerus virorum circiter quadringentorum; qui occiſus eſt, & omnes, qui credebant ei, diſſipati ſunt, & redacti ad nihilum. Poſt hunc extitit Iudas Galilæus in diebus profeſſionis, & auertit populum poſt ſe, & ipſe perijt, & omnes quotquot conſenſerunt ei, diſperſi ſunt. Et nũc itaq. dico vobis, diſcedite ab hominibus iſtis, & ſinite illos. Quoniam ſi eſt ex hominibus conſilium hoc, aut opus, diſſoluetur: ſi vero ex Deo eſt, non poteritis diſſoluere illud, ne forte & Deo repugnare videamini. Conſenſerunt autem illi, & conuocantes Apoſtolos cæſis denunciauerunt, ne omnino loquerentur in nomine Ieſu; & dimiſerunt eos. Et illi quidem ibant gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati. Omni autem die non ceſſabant in templo, & circa domos docentes & euangelizantes Chriſtum Ieſum.

Anno Domini 34. Stephanus primus omnium Chriſtianorum martyrio coronatus eſt. Hunc tradunt patres fuiſſe iuuenem elegantiſſimæ formæ, & caſtum in virginitate ſua, & diſcipulum Gamalielis, Miniſtrum Iacobi minoris, Hieroſolymæ Epiſcopi, Primicerium Diaconorum: Dictus eſt prima Ouis, primus martyr, primus Chriſti pediſequus, primitiuus flos, plenus fide & Spiritu ſancto, plenus gratia, & fortitudine, datus nobis in exemplum animi igniti & generoſi, & inuictæ patientiæ, & magnanimæ dilectionis in inimicos, & fidei ſingularis, quæ magnitudine ſua viderit cælos apertos.

Res magnifice geſtæ, & nobile certamen Stephani Leuitæ in reddendo teſtimonio Reſurrectionis Ieſu Chriſti ab Euangeliſta Luca. Cap. 270.

IN diebus autem illis creſcente numero diſcipulorum, factum eſt murmur Græcorum aduerſus Hebræos, eo quod deſpicerentur in miniſterio quotidiano viduæ eorum. Conuocantes autem duodecim multitudo diſcipulorum dixerunt: Non eſt æquum nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis. Conſiderate ergo fratres, viros ex vobis boni teſtimonij ſeptem, plenos Spiritu ſancto, & ſapientia, quos conſtituamus ſuper hoc opus. Nos vero orationi, & miniſterio verbi inſtantes erimus. Et placuit ſermo coram omni multitudine, & elegerunt Stephanum, virum plenum fide, & Spiritu ſancto, & Philippum, & Prochorum, & Nicanorem, & Timonem, & Parmenam, & Nicolaum aduenam Antiochenum. Hos conſtituerunt ante conſpectum Apoſtolorum, & orantes impoſuerunt eis manus. Et verbum Domini creſcebat, & multiplicabatur numerus diſcipulorum in Hieruſalem valde: multa etiam turba Sacerdotum obediebat fidei. Stephanus autem plenus gratia, & fortitudine, faciebat prodigia, & ſigna magna in populo. Surrexerunt autem quidã de Synagoga, quæ appellatur Libertinorum, & Cyreneuſium, & Alexandrinorum, & eorum, qui erant à Cili-

Ex Actib. Apoſt. c. 6.

cia,

cia, & Aſia, diſputantes cum Stephano, & non poterant reſiſtere ſapien-
tiæ, & ſpiritui, qui loquebatur. Tunc ſubmiſerunt viros, qui dicerent,
ſe audiuiſſe, eum dicentẽ verba blaſphemiæ in Moyſem, & in Deum. Com-
mouerunt itaque plebem, & Seniores, & Scribas, & concurrentes rapue-
runt eum, & adduxerunt in Concilium, & ſtatuerunt falſos teſtes, qui dice-
rent. Homo iſte non ceſſat loqui verba aduerſus locum ſanctum, & legem.
Audiuimus enim eum dicentem: quoniam Ieſus Nazarenus hic deſtruetet
locum iſtum, & mutabit traditiones, quas tradidit nobis Moyſes, & in-
tuentes eum omnes, qui ſedebant in Concilio, viderunt faciem eius tanquam
faciem Angeli.

Cap.7. Dixit autem Princeps Sacerdotum: ſi hæc ita ſe habent? Qui ait: Viri
fratres, & patres, audite: Deus gloriæ apparuit patri noſtro Abrahæ, cum
eſſet in Meſopotamia, priuſquam moraretur in Charan, & dixit ad illum:
Gen.12.1. Exi de terra tua, & de cognatione tua, & veni in terram, quam monſtra-
uero tibi. Tunc exijt de terra Chaldæorum, & habitauit in Charan, & inde
poſtquam mortuus eſt pater eius, tranſtulit illum in terram iſtam, in qua
nunc vos habitatis, & non dedit illi hæreditatem in ea, nec paſſum pedis:
ſed repromiſit dare illi eam in poſſeſſionem, & ſemini eius poſt ip-
Gen.15.13 ſum, cum non haberet filium. Locutus eſt autem ei Deus: Quia
erit ſemen eius accola in terra aliena, & ſeruituti eos ſubijcient, & male
tractabunt eos annis quadringentis: & gentem cui ſeruierint, iudicabo ego,
Gen.17.10 dixit Dominus, & poſt hæc exibunt, & ſeruient mihi in loco iſto. Et de-
Gen.21.24 dit illi teſtamentum circumciſionis, & ſic genuit Iſaac, & circumcidit eum
Gen.25.24 die octauo: & Iſaac, Iacob; & Iacob duodecim Patriarchas, & Patriar-
26. chæ æmulantes, Ioſeph vendiderunt in Aegyptum, & erat Deus cum eo, &
Gen.29.31 eripuit eum ex omnibus tribulationibus eius, & dedit ei gratiam, & ſapien-
& 25.32. tiam in conſpectu Pharaonis Regis Aegypti, & conſtituit eum præpoſitum
Gen.41.37 ſuper Aegyptum, & ſuper omnem Domum ſuam.
Venit autem fames in vniuerſam Aegyptum, & Chanaan, & tribulatio
Gen.42.2. magna, & non inueniebant cibos patres noſtri. Cum audiſſet autem Iacob
Gen.45.3. eſſe frumentum in Aegypto, miſit Patres noſtros primum: & in ſecundo
cognitus eſt Ioſeph à fratribus ſuis, & manifeſtatũ eſt Pharaoni genus eius.
Mittens autem Ioſeph accerſiuit Iacob patrem ſuum, & omnem cogna-
Gen.46.5. tionem ſuam in animabus ſeptuaginta quinque. Et deſcendit Iacob in Ae-
gyptum, & defunctus eſt ipſe, & Patres noſtri, & tranſlati ſunt in Sichem,
& poſiti ſunt in ſepulchro, quod emit Abraham pretio argenti à filijs He-
mor filij Sichem. Cum autem appropinquaret tempus promiſſionis, quam
confeſſus erat Deus Abrahæ, creuit populus, & multiplicatus eſt in Ae-
gypto, quoadusque ſurrexit alius Rex in Aegypto, qui non ſciebat Ioſeph.
Hic circumueniens genus noſtrum, afflixit patres noſtros, vt exponerent
infantes ſuos, ne viuificarentur. Eodem tempore natus eſt Moyſes, & fuit
gratus Deo, qui nutritus eſt tribus menſibus in domo patris ſui. Expoſito
autem illo, ſuſtulit eum filia Pharaonis, & nutriuit eum ſibi in filium, &
eruditus eſt Moyſes omni ſapientia Aegyptiorum, & erat potens in verbis,
& in operibus ſuis. Cum autem impleretur ei quadraginta annorum tem-
pus, aſcendit in cor eius, vt viſitaret fratres ſuos Iſrael, & quemdam iniu-
riam patientem, vindicauit illum, & fecit vltionem ei qui iniuriam ſuſtine-
bat,

bat, percuſſo Aegyptio. Exiſtimabat autem intelligere fratres, quoniam per manus Deus ipſius daret ſalutem illis: at illi non intellexerunt.

Sequenti vero die apparuit illis litigantibus, & reconciliabat eos in pace, dicens: Viri, fratres eſtis, vt quid nocetis alterutrum? Qui autem iniuriam faciebat proximo, repulit eum dicens: Quis te conſtituit principem, & iudicem ſuper nos? Numquid interficere me tu vis, quemadmodum interfeciſti heri Aegyptium? Fugit autem Moyſes in verbo iſto: & factus eſt aduena in terra Madian, vbi generauit filios duos. Et expletis annis quadraginta, apparuit illi in deſerto montis Sina Angelus in igne flammæ rubi. Moyſes autem videns admiratus eſt viſum, & accedente illo, vt conſideraret, facta eſt ad eum vox Domini, dicens: Ego ſum Deus Patrum tuorum, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob. Tremefactus autem Moyſes, non audebat conſiderare. Dixit autem illi Dominus: Solue calceamentum pedum tuorum: locus enim, in quo ſtas, terra ſancta eſt. Videns vidi afflictionem populi mei, qui eſt in Aegypto, & gemitum eorum audiui, & deſcendi liberare eos. Et nunc veni, & mittam te in Aegyptum. Hunc Moyſen, quem negauerunt, dicentes: Quis te conſtituit Principem, & iudicem? hunc Deus Principem, & redemptorem miſit, cum manu Angeli, qui apparuit illi in rubo. Hic eduxit illos faciẽs prodigia, & ſigna in terra Aegypti. & in rubro mari, & in deſerto annis quadraginta. Hic eſt Moyſes, qui dixit filijs Iſrael: Prophetam ſuſcitabit vobis Deus de fratribus veſtris, tamquam me, ipſum audietis. Hic eſt, qui fuit in Eccleſia in ſolitudine cum Angelo, qui loquebatur ei in monte Sina, & cum Patribus noſtris, qui accepit verba vitæ dare vobis. Cui noluerunt obedire Patres noſtri, ſed repulerunt, & auerſi ſunt cordibus ſuis in Aegyptum, dicentes ad Aaron: Fac nobis Deos, qui præcedant nos: Moyſes enim hic, qui eduxit nos de terra Aegypti, neſcimus quid factum ſit ei, & vitulum fecerunt in diebus illis, & obtulerunt hoſtiam ſimulachro, & lætabantur in operibus manuum ſuarum. Conuertit autem Deus, & tradidit eos ſeruire militiæ cæli, ſicut ſcriptum eſt in libro Prophetarum: Numquid victimas, & hoſtias obtuliſtis mihi annis quadraginta in deſerto, domus Iſrael? Et ſuſcepiſtis tabernaculum Moloch, & ſidus Dei veſtri Rempham, figuras, quas feciſtis, adorare eas, & transferam vos trans Babylonem. Tabernaculum teſtimonij fuit cum Patribus noſtris in deſerto, ſicut diſpoſuit illi Deus, loquens ad Moyſen, vt faceret illud ſecundum formam, quam viderat. Quod & induxerunt, ſuſcipientes Patres noſtri cum Ieſu in poſſeſſionem gentium, quas expulit Deus à facie Patrum noſtrorum, vſque in diebus Dauid, qui inuenit gratiam ante Deum, & petijt vt inueniret tabernaculum Deo Iacob; Salomon autem ædificauit illi domum, ſed non excelſus in manufactis habitabat, ſicut Propheta dicit: Cælum mihi ſedes eſt: terra autem ſcabellum pedum meorum. Quando domum ædificabitis mihi, dicit Dominus? aut quis locus requietionis meæ eſt? Nonne manus mea fecit hæc omnia? Dura ceruice, & incircumciſis cordibus, & auribus: vos ſemper Spiritui ſancto reſtitiſtis, ſicut Patres veſtri, ita, & vos.

Quem Prophetarum non ſunt perſecuti, patres veſtri? Et occiderunt eos, qui prænunciabant de aduentu iuſti, cuius vos nunc proditores, & homicidæ fuiſtis, qui accepiſtis legem in diſpoſitione Angelorum, & non cuſtodi-

ſtis;

ſtis? Audientes autem hæc diſſecabantur cordibus ſuis; & ſtridebant dentibus in eum. Cum autem eſſet plenus Spiritu ſancto, intendens in cælum, vidit gloriam Dei, & Ieſum ſtantem à dextris Dei, & ait: Ecce video cælos apertos, & filium hominis ſtantem à dextris Dei.

Exclamantes autem voce magna continuerunt aures ſuas, & impetum fecerunt vnanimiter in eum, & eijcientes eum extra Ciuitatem, lapidabant, & teſtes depoſuerunt veſtimenta ſua ſecus pedes adoleſcentis, qui vocabatur Saulus.

Et lapidabant Stephanum inuocantem, & dicentem: Domine Ieſu, ſuſcipe ſpiritum meum. Poſitis autem genibus, clamauit voce magna dicens: Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum. Et cum hoc dixiſſet, obdormiuit in Domino. Saulus autem erat conſentiens neci eius.

Cap. 8. Facta eſt autem in illa die perſecutio magna in Eccleſia, quæ erat Hieroſolymis, & omnes diſperſi ſunt per regiones Iudææ, & Samariæ præter Apoſtolos.

Curauerunt autem Stephanum viri timorati, & fecerunt planctum magnum ſuper eum..

De occaſione necis S. Stephani. Cap. 271.

Vnde autem oborta occaſio fuerit necis Stephani, Lucas docet: quod ſcilicet cum ageret ſigna, & prodigia magna in populo, concitauit in ſe odium Iudæorum diuerſarum regionum, quarum collegia Hieroſolymis omnium Iudæorum metropoli erant, in quibus erudiebantur adoleſcentes, qui ex diuerſis prouincijs confluebant, vt diuinam legem addiſcerent: Græcorum vero ſcientias, vel nationum linguas haud licuiſſe publice tradi, Ioſephus teſtatur. Erat Stephanus vnus ex illis; eodem vſus fuerat legis magiſtro Gamaliele, cumq. Chriſti fidem libere, fortiterq. annunciaret, atque eam miraculis conſignaret; cùm ſodalium omnium, ac condiſcipulorum, tùm præſertim Sauli Tarſenſis, Synagogæ eorum qui erant à Cilicia facile principis, in ſe impetum mouit. Incentor enim omnium eſſe viſus eſt Saulus, quod ipſe in Iudaiſmo profeciſſet præ ceteris coætaneis ſuis, paternarum traditionum abundantius æmulator exiſtens: qui nec à cæpto deſtitit, donec eumdem lapidibus obrutum, ſicque iam eſſe cognouiſſet extinctum.

Ioſeph. ant. l. 20. c. vlt. Lucia. epiſt. de inuent. S. Stephan. Gal. 1.

De loco, vbi lapidatus eſt. Cap. 272.

De loco vero, vbi lapidatus eſt Stephanus, ex relatione Gamalielis, in Luciani epiſtola legitur; lapidatum fuiſſe extra portam, quæ vergit ad Aquilonem, & ducit ad Cedar, quæ poſtea nomine ſancti Stephani appellata reperitur, alio nomine, porta Ephraim. Locus ille neque integro ſtadio diſtabat Hieroſolymis, quem Eudoxia Auguſta, nobiliſſima Eccleſia ædificata, egregie illuſtrauit, vt auctor eſt Euagrius, & Marcellinus. Lapis ille ſuper quem poſitus ſuſcepit lapidum imbres, in Eccleſiam Apoſtolorum ad montem Sion poſitam, translatus, magna veneratione eſt habitus, vt Beda teſtatur.

Apud Bed. de lo. ſanc. c. 1. & Bur char. p. 1. c. 7. Euagr. hiſt. lib. 1. c. 22. Marcell. in Chron.

De

De lapide quodam, quo lapidatus eſt Stephanus, in Italiam translatus. Cap. 273.

VNum inſuper ex lapidibus, quo idem Protomartyr Stephanus percuſſus eſt, à quopiam Chriſtianorum collectum, poſtmodum in Italiam translatum fuiſſe, & Anconæ poſitum, ibiq. ea de cauſa in honorem martyris fuiſſe excitatam Eccleſiam, vbi in eius rei memoriam celebritas annua ageretur, teſtantur antiqua Martyrologia, quod & à Baronio notatum eſt in Martyrol. Rom. Adſtipulatur his omnibus S. Auguſt. duobus ſermonibus, quibus agit de miraculis eiuſdem Protomartyris. Sciunt (inquit ille) multi, quanta miracula per beatiſſimum Martyrem Stephanum in iſta Ciuitate fiant. Et audite quod miremini. Memoria eius antiqua ibi erat, & ipſa eſt ibi. Sed fortaſſe dicis corpus eius nondum apparuerat; Memoria ibi vnde erat? Latet quidem cauſa. Sed quid ad nos fama pertulerit, non tacebo charitati veſtræ. Quando lapidabatur ſanctus Stephanus, aliqui etiam innocentes, & maxime de ijs, qui iam in Chriſto crediderant, circumſtabant: dicitur lapis veniſſe in cubito, & excuſſus inde veniſſe ante quemdam religioſum. Tulit illum, & ſeruauit. Homo erat de nauigantibus, ſors nauigationis attulit illum ad littus Anconæ, & reuelatum eſt illi, ibi debere reponi lapidem illum. Ille obediuit reuelationi, & fecit quod iuſſum eſt. Ex illo cæpit eſſe, & memoria ſancti Stephani vbi eſt, neſcientibus hominibus quid contigiſſet. Verum autem intelligitur propterea ibi fuiſſe reuelatum, vt ibi poneret lapidem, qui de cubito martyris excuſſus eſt: quia Græce cubitum ἀγκὼν dicitur. Sed qui ſciunt, quæ ibi miracula fiant, ipſi nos doceant. Hæc Auguſtinus de lapide, quo percuſſus eſt Protomartyr.

Beda de lo. ſanct. c. 3.

Marty. Ro. die 3. Aug.

Auguſt. ſer. 31 & 32. de diuerſ.

Quod vero ad erectam tunc temporis Memoriam martyris ſpectat, his iungimus, quæ in epiſtola Martialis Apoſtolorum diſcipuli nomine prænotata, ad Burdegalenſes ſcripta (qualiacunque ſint) leguntur his verbis: Dum altaria Dæmonum in puluerem redigerentur, aram Ignoti Dei ad conſecrationem reſeruari iuſſimus: qua dedicata in nomine Dei Iſrael, & ipſius teſtis Stephani, qui pro eo à Iudæis paſſus eſt; non hominis cultum, ſed Dei in ea frequentatis. Stephanus enim non Deus, ſed amicus Dei fuit, qui pro teſtimonio eius animam ſuam poſuit, cuius ſanguine ipſa menſa eſt decorata. Rurſum, ne quid prætermittamus, legitur in conſtitutionibus Apoſtolicis, quæ feruntur nomine Clementis, inter Chriſtianorum ferias adnumerari natalem diem Protomartyris Stephani.

Martia. ad Burdeg.

Clem. conſt. lib. 8. c. 39.

De oratione S. Stephani, qua Saulum Eccleſia lucrata eſt. Cap. 274.

QValis vero, quantaquè ex martyrio Stephani facta ſit noſtris rebus acceſſio, vel ex eo ſaltem quis conſiderare facile poterit, quod Auguſtinus ſæpe teſtatur, precibus Stephani, Sauli expugnatam eſſe perfidiam;

diam. Erat ipſe conſentiens neci eius, & veſtium lapidantium cuſtos, quod
Act. 7. non tantum Lucas affirmat, ſed & ipſe Paulus ex Saulo conuerſus, agens
Act. 22. aliquando ſuæ fidei defenſionem, hæc inter alia pro concione habuit, cum ad Deum conuerſus hæc dixit: Domine, ipſi ſciunt, quia ego eram concludens in carcerem, & cædens per Synagogas eos, qui credebant in te, & cum funderetur ſanguis Stephani teſtis tui, ego aſtabam, & conſentiebam, & cuſtodiebam veſtimenta interficientium illum. Stephanus igitur Domini Ieſu memor exempli, qui pro tranſgreſſoribus, cum eſſet in Cruce, preces ad Deum fudit, dicens: Pater dimitte illis: non enim ſciunt,
Act. 7. quid faciunt: & ipſe his admonitus, poſitis genibus (inquit Lucas) clamauit voce magna dicens: Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum. Pu-
Aug. ſer. de diuer. tas (inquit Auguſtinus) verba iſta audiuit Saulus? Audiuit ſubſannans, ſed irriſit: & tamen ad orationem Stephani pertinebat. Adhuc graſſabatur, & iam pro illo Stephanus exaudiebatur. Et alibi: Si ſanctus Stephanus non oraſſet, Eccleſia Paulum non haberet. Sed ideo erectus eſt
Aug. ſer. 1. & ſer. 5. de ſanctis. Paulus, quia in terram inclinatus, exauditus eſt Stephanus. hæc eadem quoque alibi repetit.

De Sepultura, & nobili eius funere. Cap. 275.

Act. 8. QVæ vero pertinent ad ſepulturam eius, rem geſtam his paucis Lucas abſoluit, dicens: Curauerunt autem Stephanum viri timorati, & fecerunt planctum magnum ſuper eum. hæc ille: Sed appoſite quidem antequam ageret de eius funere, hæc verba præmiſit: Facta eſt autem in illa die perſecutio magna in Eccleſia, quæ erat Hieroſolymis, & omnes diſperſi ſunt per regiones Iudææ, & Samariæ, præter Apoſtolos. His dictis, de ſepultura, quæ narrauimus, ſubdit, ea nimirum ex cauſa; quod non ea die, qua necatus eſt, ſepulturæ traditus ſit, id prohibentibus Iudæis; ſed poſtea cum ea, quam refert, facta eſt perſecutio in Eccleſiam.

De ſepultura ipſius hæc ex relatione Gamalielis narrat Lucianus in ea, quam totus Chriſtianus Orbis recepit, Epiſtola de inuentione corporis eiuſdem Protomartyris his verbis: Lapidatus eſt à Iudæis, & Principibus ſacerdotum in Hieruſalem pro Chriſti fide, extra portam, quæ eſt ad Aquilonem, quæ ducit ad Cedàr: ibi die, ac nocte iacuit proiectus, vt ſepulturæ non daretur, ſecundum mandatum impiorum Principum, vt à feris conſumeretur corpus eius. Ex Domini autem voluntate, non tetigit eum vnum ex his, non fera, non auis, non canis.

Ego Gamaliel compatiens Chriſti miniſtro, & feſtinans habere mercedem à Domino, & partem cum Sancto viro fidei, miſi per noctem quantos poteram Religioſos Chriſtianos, & in Chriſto Ieſu fideliter credentes, habitantes Hieruſalem in medio Iudæorum, & hortatus ſum eos, & neceſſariam ſubſtantiam miniſtraui, ac perſuaſi illis ire occulte, vt portarent corpus eius meo in vehiculo ad villam meam, hoc eſt in Caphargamallam (quod interpretatur, Villa Gamalielis) viginti millia habens à Ciuitate: Et ibi feci illi planctum fieri diebus ſeptuaginta, & poni

eum

eum in meo monumento nouo iii Orientali theca, & præcepi meis, vt quæcunque neceſſaria erant pro eius planctu, de meo darent. Hactenus ille de ſepultura Stephani.

Nec aliter quidem ſanctus Hieronymus planctum magnum, quem factum narrat Lucas in funere Stephani, niſi magnificentiam funeris, intelligendum eſſe ait, ſcribens ad Paulam his verbis; Quod Stephano fecerint Hieroſolymæ fratres planctum magnum, & vtique planctus magnus non in plangentium exanimatione, vt tu putas, ſed in pompa funeris, & exequiarum frequentia intelligendus ſit. Idemquè alibi aduerſus Vigilantium ad Riparium ſcribens: Ergo, inquit, Martyrum immundæ ſunt reliquiæ? Et quid paſſi ſunt Apoſtoli, vt immundum Stephani corpus tanta funeris ambitione præcederent, vt facerent ei planctum magnum, vt eorum luctus in noſtrum gaudium verteretur? hæc Hieronymus, ſuperius ex Luciani Epiſtola enarratis conſentiens, qui etiam ex pluribus diuinæ Scripturæ locis egregiè monſtrat, planctum magnum, funeris amplitudinem ſignificare. *Hieron. ad Paul. epiſt. 25.* *Hier. ad Ri pa. epiſt. 53*

Apud Rabbi Iacob in Turim Tora Degha capite trecenteſimo quinquageſimo ſecundo legitur, adeo ſumptuoſa eſſe conſueuiſſe funera Iudæorum, vt interdum euenerit, vt qui ſufſſimis impenſis impares eſſent, ad tempus fugam arripuerint. Qui autem hæc corrigenda curarit; tradit fuiſſe ſeniorem Gamalielem, qui vili funeris pompa voluit ſepeliri, & inter alia, lineis tantum amictum ſepulturæ mandari, quem & poſteros eſſe imitatos affirmat.

Diligens priſcorum Chriſtianorum cura in ſepeliendis cum honore mortuorum reliquijs. *Cap. 276.*

Ceterum ipſorum Apoſtolorum exemplo, adeò ſplendidè per Gamalielem curantium Stephani ſepulturam, laudabilis in Eccleſia Dei in curandis defunctorum corporibus conſuetudo permanſit, vt eadem imprimis aromatibus condirentur: Vnde Tertullianus: Si Arabiæ quæruntur; ſciant Sabæi pluris, & carius ſuas merces Chriſtianis ſepeliendis profligari, quam dijs fumigandis. Gregorius Nyſſenus hæc in funere Meletij: Sindones mundæ, & panni ſerici, vnguentorum, & aromatum largitas, liberalitas mulieris ornatæ, & honeſtæ, &c. Gregorius Nazianzenus non ſine myrrha Cæſarium fratrem ſepeliuit. De qua etiam conſuetudine priſtina Prudentius agit his verſibus; *Tertull. in Apolog.* *Greg. Nyſſ. or. in funere Meletij.* *Greg. Naz. ad Sophro. epiſt. 18.* *Prudent. in Catahem. hym. de defunct.*

Candore nitentia claro
Prætendere lintea mos eſt,
Aſperſaq; myrrha Sabæo
Corpus medicamine ſeruat.

Et in fine,

Nos tuta fouebimus oſſa

Violis, ac fronde frequenti
Titulumq. & frigida ſaxa
Liquido ſpargemus odore.

Rurſum vero accenſis cereis, cantu proſequi pompam funeris apud Chriſtianos antiquo vſu receptum eſſe, multis habetur teſtatum exemplis, vt quod habet Pontius Diaconus de funere ſancti Cypriani martyris, his verbis: Inde cum cereis, & ſcholaribus in area cuiuſdam Candidi procuratoris magno triumpho ſepultum eſt. Quod inſuper Gregorius Nyſſenus factum tradidit in funere Meletij, cum ait: Quomodo vtrinque quaſi ignei amnes continentibus facibus, tractu continuo, perpetuoq. fluentes, quoad oculi longiſſime proſpicere ſolent, porrigebantur? Gregorius Nazianzenus de matre ſua in funere Cæſarij filij geſtante faces, hæc habet: Cum multiplici hymnorum cantu deducitur, celebriq. pompa ad Martyrum ſedem effertur, ſanctiſq. parentum manibus honoratur, matre accenſa face geſtante.

Pont. in act. paſſ. S. Cyp. in fin. Greg. Nyſſ. ora in fun. Meletij. Greg Naz. orat. in fun. Cæſarij.

Eadem plane, cum agit de funere Conſtantij in oratione prima aduerſus Iulianum Apoſtatam. Hoc etiam idem, qui ſupra Gregorius Nyſſenus, cum meminit de funere ſanctæ Macrinæ ſororis, teſtatur: idipſum Euſebius in funere Conſtantini. Sed, & Hieronymus de funere ſanctæ Paulæ, hæc ait: Tranſlata Epiſcoporum manibus, & ceruicem feretro ſubijcientibus, cum alij Pontifices, cereos, lampadeſque, alij choros pſallentium ducerent, in medio Eccleſiæ Speluncæ Saluatoris eſt poſita. Athanaſius eadem fœliciter, & explicat, & probat, cum ait: Si quis diem obierit, licet in aëre deponatur inhumatus, ne omiſeris oleum, & ceram, inuocato Chriſto Deo, ad ſepulchrum accendere: accepta enim Deo ſunt, plurimamquè ſecum referunt retributionem: oleum, & cera holocauſtum eſt; incruentæ vero hoſtiæ oblatio, propitiatio eſt. Quid, vero Chryſoſtomus? Quid, ait, ardentes quæſo, lampades ſibi volunt? nonne tamquam athletas eos comitamur? Quid autem hymni? nonne glorificamus Deum, & illi gratias agimus, quia iam defunctum coronauit, & ab incertitudine ſublatum penes ſe retinet? Idemquè aliàs laudatiſſimam Chriſtianorum conſuetudinem in celebrandis exequijs defunctorum ſæpe commendat.

Greg. Nyſſ. orat. in funere S. Macrinæ. Euſeb. in vit. Conſt. lib. 4. Hier. epiſt. 27. in funere S Paulæ. Recitat Io. Dam. lib. de mor. ſuſ. Chryſ. hom. 70 ad pop Ant. & 14 in 1. Tim. & 59. ad pop. & 4. in epiſt. ad Hebraeos.

Ceterum quod de Stephani funere dictum eſt, non vna die, ſed pluribus, vſque ad ſeptuagenarium numerum, ipſum curatum eſſe, Apoſtolica traditione in Eccleſia, etiam conſuetudo illa probata videtur, vt item non vna die tantum, ſed pluribus, pia Chriſtianorũ officia, ac religioſa Fidelium illis perſoluerentur obſequia: vnguentis enim primum delibuta cadauera, remanere duorũ, vel trium dierum ſpatio inſepulta conſueuerant. Quo tempore apud ipſa excubantẽs fideles, ſacras hymnodias cantantes Deum laudabant, ſacras hoſtias immolabant; ac poſtea ad ſepulchrum ducebant: inde poſt ſepulturam etiam pſalmorum cantica repetebant. At cum multa de his ſint exempla, quæ in medium adduci poſſent, ſatis illud eſſe putauimus, quod in Paulæ funere factum Hieronymus narrat his verbis: Hebræo, Græco, Latino, Syroq. ſermone pſalmos in ordine perſonabant, non ſolum triduo, do-

Hier. ep. 27

nec

nec ſubter Eccleſiam, & iuxta ſpecum Domini conderetur, ſed per omnem hebdomadam, cunctis, qui venerunt, ſuum funus, & proprias credentibus lachrymas. Et de ſacrificijs offerri tunc ſolitis teſtis locupletiſſimus eſt S. Auguſtinus, dum agit de tranſitu matris. Rurſus octaua, vigeſima, trigeſima, quadrageſima, ac ſexageſima die agi conſueuiſſe memoriam defunctorum, antiqui libri Rituales teſtantur. Itemq. anniuerſaria die, eadem pietatis officia repetere maiores conſueuiſſe, multa ſunt certiſſima teſtimonia. Tertullianus enim ait: Pro defunctis annua die facimus. & alibi: Pro anima eius, inquit, oret, & refrigerium interim, adpoſtulet ei, & in prima reſurrectione conſortium, offerat annuis diebus dormitionis eius. Gregorius Nazianzenus hæc item in eamdem ſententiam: Alia quidem perſoluimus, alia vero daturi ſumus; anniuerſarios enim honores, & commemorationes offerentes ij quidem certè, qui ſuperſtites relinquentur. At vero ne in his diutius immoremur: exequiæ Chriſtianorum ex traditione, vt vidimus, Apoſtolorum acceptæ, non tantum apud Fideles, ſed etiam Chriſtianorum hoſtes, ſibi conciliarunt honorem, ac reuerentiam: nam Iulianus Apoſtata, rerum noſtrarum acerbiſſimus inimicus, eiuſmodi religioſum officium in ſuas partes transferre ſtuduit: vt ex his videas, quantum homine illo perdito, ac peruerſo ſint infœliciores qui detrahunt, atque irrident ea, quæ ab hoſtibus Chriſtianæ fidei in honore habita ſunt.

Tertull. de coro. milit. lib. de Monog.

Greg Naz. ora. in fun. Cæſarij.

Epiſt. Iul. ad Arſaciũ apud Sozo. lib. 5. c. 15.

Enarratio D. Auguſtini gloriarum Stephani fortiſſimi martyris. Cap. 277.

Stephani præclariſſimi, & fortiſſimi martyris merita nulla pars orbis ignorat: paſſus enim eſt ipſo principio Eccleſiæ, in ipſa vrbe Hieroſolyma. Ibi enim Diaconus miniſtrauit, & in ipſo iuuentutis flore decorem ætatis ſuæ ſanguine purpurauit. Paſſio eius inſignis eſt, multumq. mirabilis. Hanc modo de libro Actuum Apoſtolorum, cum legeretur, audiuimus non ſolùm, ſed etiam oculis ſpectauimus. Chriſtus ergo caput Martyrum prior paſſus eſt pro nobis, relinquens vobis exemplum, vt ſequamini veſtigia eius. Cuius paſſionis veſtigia prior ſequutus beatus Stephanus, confitendo Chriſtum, lapidatus à Iudæis coronam meruit, tamquam ſuo ſibi nomine poſitam. Stephanus enim græcè, latinè corona appellatur. Iam coronæ nomen habebat, & ideo palmam martyrij ſuo nomine præferebat. Qui cum lapidaretur, non ſolum nō exſpectabat de perſecutoribus reportare vindictam, ſed eis potius de Deo veniam poſtulabat. Meminerat enim dixiſſe Dominum: Mihi vindictam, & ego retribuam dicit Dominus: Et iterum. Ne dixeris, vlciſcar me de inimicis meis, ſed exſpecta Dominum, vt tibi auxilium ſit. Expectare nos iubet Dominus Deus, vt in die futuræ retributionis cum ſanctis martyribus iudicemur. Beati enim, qui expectant Dominum, quoniam ipſi hæreditate poſſidebunt terram, quæ iuſtis eſt præparata.

D. Auguſt. ſer. de temp.

Tu autem, ò Chriſtiane, quæris vindicari de aduerſario tuo, qui tibi forſitan iniuriam fecit: æſtuas, furis, anhelas, feſtinas vindicari: attende Chriſtum medicum ægritudinis tuæ, attende redemptorem animæ tuæ. Propter te pependit in ligno, & nondum eſt vindicatus, & tu vis vindicari.

& non vis tantum, & talem Magiſtrum imitari? Ideo pati voluit, vt tibi patientiæ ſuæ demonſtraret exemplum. Vide pendentem, & tibi languenti de ſuo ſanguine medicamentum conficientem. Vide pédentem, & tibi de ligno tanquam de tribunali præcipientem. Audi precantem: Pater ignoſce illis, quia neſciunt, quid faciunt.

Sed potuit hoc Chriſtus, dices mihi, ego non poſſum. Ego enim homo ſum, ille Deus homo. Deus ergo vt quid homo, ſi non corrigitur homo? Sed hæc tibi loquor, ò homo. Multum eſt te imitari Dominum tuum. Attende Stephanum conſeruum tuum. Certe Stephanus homo erat, an Deus? Plane homo erat; hoc erat quod tu. Sed quod fecit, non fecit niſi donante illo, quem rogas & tu. Vide tamen quid fecit. Loquebatur Iudæis, ſæuiebat, & diligebat. Vtrumque debeo demonſtrare, & ſæuientem, & diligentem. Audi ſæuientem: duræ ceruicis (Verba ſunt ſancti Stephani, quando loquebatur Iudæis) duræ ceruicis, & non circumciſi corde, & auribus, vos ſemper reſtitiſtis Spiritui ſancto. Quem Prophetarum non occiderunt patres veſtri? Audiſti ſæuientem, audi & diligentem. Irati illi facti, & grauius inardeſcentes, & mala pro bonis reddentes, ad lapides cucurrerunt, & Dei famulum lapidare cæperunt. Hic probemus ſancti Stephani patientiã, & dilectionem. Hic victorem Diaboli, triumphatoremq. cernamus. Audiuimus ſæuientem aduerſus tacentes, videamus ſi diligat ſæuientes. Sæuiebat aduerſus tacentes, videamus ſi diligat lapidantes. Ecce Stephanus lapidatur, ſic conſtitutus quaſi ante oculos noſtros. Ecce membrum Chriſti, ecce athleta Chriſti. Inſpice illum, qui pependit in ligno. Crucifigebatur ille, iſte lapidabatur. Ille dixit: Pater ignoſce illis, quia neſciunt, quid faciunt. Iſte quid dicit? Audiamus illum, ſi forte vel ipſum imitari valemus. Primo beatus Stephanus ſtans orauit pro ſe, & ait: Domine Ieſu, accipe ſpiritum meum. Deinde genuflexit, & flexo genu ait: Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum: & hoc dicto, obdormiuit. Fœlix ſomnus, & requies vera. Ecce quid eſt requieſcere, pro inimicis orare.

Sed paululum quæſo te, ſancte Stephane, expone nobis hoc neſcio quid, quare pro te ſtans oraſti, & pro inimicis genuflexiſti? Reſponderet fortaſſe, quod intelligimus. Pro me ſtans oraui, quia pro me, qui recte Deo ſeruiui, orando, & impetrando non laboraui, quia qui pro iuſto orat, non laborat: ideo pro ſe ſtans orauit. Ventum eſt, vt oraret pro Iudæis, pro interfectoribus Chriſti, pro interfectoribus ſanctorum, pro lapidatoribus ſuis; attendit tàm multam, & magnam eſſe impietatem ipſorum, quàm difficile donari poſſet, genuflexit, & ait: Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum.

Ergo chariſſimi ſi non poteſtis imitari Dominum, imitamini conſeruum, imitamini ſanctum Stephanum, imitamini omnes martyres ſanctos. Homines erant, conſerui tui erant, ſicut tu, nati erant, ſicut tu, nati, ſed à Chriſto ſunt coronati.

Omni ergo Eccleſiæ beatus Stephanus datus eſt ad profectum. Adhuc laicus Diaconij meruit electionem, & Leuita martyrij obtinuit principatum. In plebe adhuc poſitus erat, ſed iam virtutibus eminebat. Humilis erat, ſed celſius fide. Diſcipulus erat ordine, ſed factus eſt Magiſter exemplo. Quo ſequebatur deuotione fidei, præceſſit velocitate martyrij. Scriptum eſt enim de eo in Actibus Apoſtolorum, quod ad miniſterium viduarum ſit ab Apoſtolis

ſtolis deputatus. In hac etiam re, quod præpoſitus eſt feminis, teſtimonium meruit ſinceriſſimæ caſtitatis. Beatus ergo erit, fratres chariſſimi, qui hunc ſectatus, qui hunc imitatus fuerit, & pudicitiæ palmam, & martyrij conſequetur coronam.

Enarratio S. Maximi Epiſcopi Taurinenſis de fortitudine S. Stephani ad inimicorum dilectionem martyris exemplo prouocans. Cap. 278.

POſt hæc ſubiecit Scriptura ſacra,& ait: Poſitis genibus clamauit dicens: Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum. Videte dilectiſſimi fratres, affectum beati viri: Videte magnam, & admirabilem charitatem. In perſecutione poſitus erat, & pro perſequutoribus ſupplicabat, atque in illa lapidum ruina, quando alius obliuiſci poterat etiam chariſſimos ſuos, ille Domino commendabat inimicos, Quid enim dicebat, cum lapidaretur? Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum. Plus itaq. tunc illorũ dolebat peccata, quàm ſua vulnera; plus illorum impietatem, quàm ſuam mortem. Et rectè plus: In illorum quippe iniquitate erant multa, quæ plangi: in illius autem morte non erat, quod debuiſſet doleri. Illorum impietatem mors ſequebatur æterna, huius autem mortem vita perpetua. Imitemur ergo in aliquo dilectiſſimi fratres tanti magiſtri fidem, tàm præclari martyris charitatem. Diligamus nos hoc animo in Eccleſia fratres noſtros, quo ille tunc dilexit inimicos ſuos. Sed quod peius eſt, aliquotiens non ſolum inimicos non diligimus, ſed nec amicis quidem fidem integram cuſtodimus.

Sed dicit aliquis: Non poſſum diligere inimicum meum, quem quotidie velut hoſtem patior crudeliſſimum. O quicunque ille es, attendis quid tibi fecerit homo, & non conſideras, quid tu feceris Deo? Quum enim tu multum grauiora in Deum peccata commiſeris, quare non dimittis homini parum, vt tibi Deus dignetur dimittere multum? Recole quid tibi in Euangelio veritas ipſa promiſerit, & quam tibi quodammodò cautionem fecerit, vel quale tecum pactum inierit. Si enim (inquit) dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater veſter cæleſtis peccata veſtra. Si autem non dimiſeritis, nec pater veſter dimittet debita veſtra. Videtis fratres, quia cum Dei gratia in poteſtate noſtra poſitum eſt, qualiter à Domino iudicemur. Si (inquit) dimiſeritis, dimittetur vobis.

Iam ſæpe dixi fratres, & frequentius dicere debeo, nemo ſe circumueniat, nemo ſe ſeducat; qui vel vnum hominem in hoc mundo odio habet, quicquid Deo in operibus bonis obtulerit, totum perdit, quia non mentitur Paulus Apoſtolus dicens: Si dedero omnes facultates meas in cibos pauperũ, & ſi tradidero corpus meum, vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt. Quam rem etiam beatus Ioannes confirmat dicens: Omnis, qui non diligit fratrem ſuum, manet in morte. Et iterum: qui fratrem ſuum odit, homicida eſt. Hoc loco fratrem omnem hominem oportet intelligi; Omnes enim in Chriſto fratres ſumus. Nemo itaq. ſine charitate de virginitate præſumat, nemo de eleemoſynis, nemo de orationibus confidat; quia quamdiu inimicitiam in corde tenuerit, neque iſtis, neque alijs quibuſlibet bonis operibus placare ſibi Dominum poterit. Sed ſi vult ſibi

Cc 4 habere

habere propitium Deum, non dedignetur audire conſilium bonum. Audiat non me, ſed ipſum Dominum ſuum: Si, inquit, offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduerſum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade, prius reconciliare fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum. At nos pugnas habentes intrinſecus, & dolos in corde verſantes, quaſi qui bonam conſcientiam habeamus, præſumimus accedere ad altare, non timentes quod ſcriptum eſt: Qui manducat, & bibit indigne, iudicium ſibi manducat, & bibit.

Sed dicit aliquis: Grandis labor eſt inimicos diligere, pro perſequutoribus ſupplicare. Nec nos negamus fratres. Non paruus quidem labor eſt in hoc ſeculo, ſed grande erit præmium in futuro. Per amorem enim hominis inimici, efficeris amicus Dei, immo non ſolum amicus, ſed etiam filius, ſicut ipſe Dominus dicit: Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui vos oderunt, vt ſitis filij Patris veſtri, qui in cælis eſt. Si te aliquis homo diues in hoc ſeculo vellet adoptiuum filium facere, quomodo ſeruires, quas indignitates etiam ſeruorum eius, quæ ſeruitia duriſſima, & aliquotiens etiam turpiſſima ſuſtineres, vt ad caducam, & fragilem hæreditatem illius peruenires? Quod ergo alius ſuſtinet propter ſubſtantiam terrenam, tu ſuſtine propter vitam æternam. Conuincimur enim certiſſima ratione, quia propter Deum poſſumus quidem, ſed nolumus iniurias ſuſtinere.

Denique ſi nobis aliqua potens perſona iniuriam faciat, ſi nobis etiam in facie maledicat, nec reſpondere aliquid aſperum, non dicam vicem reddere audemus. Quare? Ne ab illa perſona potente adhuc maiora, quàm pertulimus, patiamur. Quod à nobis extorquet hominis timor, debuerat à nobis exigere Chriſti amor. Si ergo potens perſona ſæuit contra nos, tacemus, & nihil dicere auſi ſumus. Si vero aut æqualis, aut forte inferior, vel leuem nobis contumeliam fecerit, quaſi fera beſtia ſine vlla patientia, ac ſine aliqua Dei contemplatione conſurgimus, & aut in præſenti noſtram iniuriã vindicamus, aut certe ad maiorem vicem reddendam noſtrum animum præparamus. Quid eſt hoc, quod quando potens perſona nobis iniuriam intulit, patienter accipimus: quando inferior, nimio furore ſuccendimur? Quod ibi timuimus hominem, hic Deum timere nolumus.

Vnde ergo nos, fratres, quantum poſſumus cum Dei adiutorio cor noſtrũ ad patientiam præparemus, & in omnibus malis hominibus, medicorum vicem agere ſtudeamus, & non ipſos homines, ſed illorum malitiam odio habeamus. Pro bonis oremus, vt ſemper ad meliora conſcendant: pro malis, vt cito ad emendationem vitæ per pœnitentiæ lamenta confugiant: Quam rem orantibus nobis ipſe præſtare dignetur, qui cum Patre, & Spiritu ſancto viuit, & regnat Deus in ſecula ſeculorum. Amen.

Sed inferamus hic aliqua exempla memoratu digna, quæ ætate noſtra cõtigerunt, eorum ſcilicet, qui inimicis pepercerunt imitatione B. Stephani.

Qui-

Quidam inimico parcere nolebat, quoniam vulnus, quod ab eo acceperat, curare non poterat, ſed cum tandem pacem præſtitiſſet, ſanatum vulnus diuinitus inuenit.
Cap. 279.

QVidam iuuenis vulnus in fœmore acceperat ab hoſte ſuo pila plūbea, quæ ex tormento ſulphureo igne impellente emittitur, intus in carnem ingrediente, quod cum negligenter curatum fuiſſet, vlceroſum factum eſt, & incurabile; quapropter memor iniuriæ, & doloris impatiens, odio habebat inimicum ſuum, & vindictam cogitabat. E contra vero, qui eum percuſſerat, pacem poſcebat, & cum obtinere non poſſet, aliquando per communes amicos, aliquando per principes, & magnæ auctoritatis viros, illud enitebatur, vt ei reconciliaretur, nec quicquam proficiebat. Nam ille ſemper cum vlceri mederetur, videns illud incurabile, & dolorem ſuſtinens, indignabatur, & vltionem meditabatur. Acceſſere interim ad illum multi viri religioſi, qui ei de dilectione inimicorum diſſerebant: hortabanturq. pijs rationibus, vt Chriſti amore veteris iniuriæ memoriam abijceret, & omnem vlciſcendi voluntatem deponeret, cum ſcriptum ſit: Diligite inimicos veſtros: Benefacite his qui oderunt vos.

Prædicabat eo tempore Dei verbum in ciuitate concionator ordinis Capuccinorum, tractanſq. quadam die argumentum Euangelij, vbi Chriſtus iubet, vt inimici diligantur, multiſq. rationibus & exemplis comprobans, quod dicebatur: cæpit iſte, qui concioni intererat, animum ad pacem flectere, ſed cum ad vulnus medicandum redibat, recrudeſcebat memoria illatæ iniuriæ, & obdurabat cor eius. Rurſus concionator aggreſſus eſt illum priuatis colloquijs, oſtendebatq. non eſſe prudentis viri, eum, qui corporis ſalutem, per vulnus alienum amiſiſſet, velle per odium proprium, quaſi per gladium animam trucidare: maiuſq. damnum ſibi ipſi inferre inimicum odio habendo, quàm inimicus intuliſſet vulnus inferendo.

Illud eſſe exploratiſſimum, neminem poſſe pacem, & ſalutem apud Deum habere, qui ex corde iniuriam inimico ſuo non remiſiſſet.

Quibus auditis cæpit ille vehementius cogitare, quid ſibi in re tàm magni momenti agendum eſſet. Succedebāt cogitationes inuicem altercantes. Parcamne (dicebat) illi, qui mihi non pepercit? patiar viuere illum, qui me voluit interemptum? qui meum fudit ſauguinem, qui meum maculauit honorem, qui nullam ſalutis meæ rationem duxit, vt ſuo ſceleri ſatisfaceret, glorioſus incedet? iactabit facinus ſuum? vicos ſecurus deambulabit?

Ego infirmus viribus, in diſcrimine vitæ poſitus, mihi grauis, alijs oneroſus, triſtis ſemper, & inglorius vitam agam? vel potius lente moriar?

Cumq. paulatim huiuſmodi animi indignationes conquieuiſſent, ſuccedebant ſalutis conſilia, & cogitationes pacis, ſecumq. alta mente voluebat: Quid patrauit cōtra me hoſtis meus? intulit ſcilicet mihi vulnus iniurioſum, violauit Chriſtianam charitatem, aſtrinxit ſe ſcelere peſſimo? Ego ſi vices rependam, & euaginato gladio illum repercutiam, ſanguinemq. eius fundam, particeps ero ſceleris ſui, illudq. committam, quod ipſum improbe com-

commiſiſſe contendo ? & vterque noſtrum reus erit ſanguinis ante Deum. At deridebunt me mundi huius amatores, ſi illum inultum relinquam: ſed ſi me deriſerit mundus, gloriam conſequar apud Deum, apud Angelos, apud viros iuſtos. Melius eſt autem placere Deo, quàm hominibus.

Qua fronte ante Deum meorum peccatorum veniam petam, quæ pene innumerabilia ſunt, qui fratri meo pro amore eiuſdem Dei, vnum peccatum dimittere non poſſum?

Hæc cum diutius ſecum meditatus eſſet, inclinauit animum ſuum, vt inimico parceret. Quapropter dixit concionatori, qui eum pluries admonuerat de pace componenda: accerſe inimicum meum, & veniat cras in templum, & ibi dimittam ei. Concionator lætus accerſiuit illum, & dixit vt craſtina die veniret in templum ad pacem recipiendam, & venit conſtituta die, & hora, ſed læſus non comparuit, nam cum veſpere, vt vulneri medelam ferret, colligationes fæmoris diſſoluiſſet, dum vult abſtergere ſaniem, dolore excruciatus rurſus contra inimicum infremuit. Qua de re cum poſtea Concionator increparet eum, & rogaret, vt promiſſam pacem facere nó denegaret, ille victus precibus eius rurſus pollicitus ſe facturum quod dixerat, & propterea accederet ad templum ſequenti die, & præfixa hora acceſſit Concionator conſtituto tempore, acceſſit & inimicus, ſed ille præterita nocte, vulnus pro more curans, & dolorem patiens rurſus ira percitus, pœnituit eum promiſſionis ſuæ, & accedere ad templum recuſauit.

Concionator iterum eum allocutus, obiurgat, & queritur, quod promiſſis non ſtaret, & offenſo Deo fidem frangeret. Quapropter ille ſeipſum accuſans, dixit Concionatori: Pater fac omnino, vt dicebam, accede cras ad templum, duc tecum inimicum meum, cui certiſſime craſtina die, pacem dabo. Quod vt executioni mandaret, noluit vt conſueuerat, vulneri ſuo mederi, ne forſan dum mederetur, moleſtiam doloris renouaret, & vltionem meditaretur, vt ei prius contigerat. Sequenti igitur die hora conſtituta acceſſit ad templum, & inuento ibi Concionatore, & inimico ſuo, amore Dei amplexus eſt eum, & largitus eſt pacem.

Domum reuerſus, cum vulnus, iturus cubitum mederi vellet, colligationibus diſſolutis, mirabile dictu, non vulnus cruentum, ſed obductam cicatricem inuenit, & ſe ſanum eſſe conſpexit, magna animi lætitia Deo gratias agens de impenſo beneficio: vt hoc mirabili ſucceſſu, vnuſquiſque intelligat, quantum placeat Deo, cum quis contra proprios animi impetus, in vltionem accendentes, pugnans vincit animi ſui duritiem, & propriam frangit iram, & inimico parcit, quod ſicut difficile, & arduum, ita Deo gratiſſimum eſt. Concionator ille hoc audiens, & admirans, & Deum laudans, vbicunque terrarum prædicabat hoc tàm mirabile ſignum, in concionibus ſuis recenſere ſolebat. Hoc retulit mihi Flaminius Ricius noſtræ Congregationis venerabilis Pater, iu cuius patria Firmana Ciuitate hoc dicebat contigiſſe.

Qui-

Quidam vulneratus in fæmore, nolebat inimico reconciliari; quamobrem fæmur magis intumuit, ſed morti proximus cum inimico parceret, & à morte eſt liberatus, & ex vulnere conualuit. Cap. 280.

PHilippus Alpherius Aquilanus, Ariſchiæ Baro, duplici vulnere vulneratus fuerat per igneum tormentum, quorum alterum erat ſuper genu, alterum in fæmore, fæmur autem vbi vulnus erat, intumuerat, & virulento humore intus plenum erat, & per multos menſes ijs vulneribus torquebatur. Quapropter inimico, qui eum vulnerauerat, parcere nolebat, quamquam pluries de hoc interrogatus fuiſſet, Quadam vice precibus conſanguinei ſui decreuit ampleċti ea, quæ pacis ſunt, præſertim cum alij eum de hoc vehementiſſime rogarent: deinde vero pœnitentia ductus, ad odium inueteratum reuerſus eſt. Quapropter fæmur magis magiſq. intumuit, morbusq. ita auctus eſt, vt penè moreretur; cumq. morti proximus eſſet, & à plurimis rogaretur, vt inimico ſuo parceret, vt in pace mori poſſet, deliberauit ex corde iniuriæ remiſſionem facere; cumq. ei pepercíſſet, & vocato inimico ſuo pacem reddidiſſet: ſtatim non ſolum mortem imminentem euaſit, ſed à morbo illo ita conualuit, vt ſanus factus ſit; pluſquè virium habebat in fæmore olim vulnerato, quàm in altero. Retulit mihi hoc quidam Eques Aquilanus, qui Romæ in Arce S. Angeli permanebat, qui fuit vnus ex illis, qui vulneratum illum ad pacem faciendam hortabatur.

Mulier nobilis proprij filij interfectorem occultat, ne capiatur à Miniſtris iuſtitiæ, & data pecunia hortatur ad captandam fugam, vt mortem euadat. Cap. 281.

PRæteritis annis Caietæ iuuenis quidam filium nobilis mulieris interfecerat. Iudex re ſtatim cognita vrbis portas obſerari, delictiq. reum à Curiæ lictoribus explorari, comprehendiq. iubet. Iuuenis hac illac ſibi fugæ præſidium quærit, vtq. è lictorum manibus effugiat, in eius, quem occiderat domum, in qua & ipſa extincti filij mater erat, confugit, ſeq. in cubiculo domus ſub lecto occultat. Inter hæc nuncius ad matrem ſuperuenit, interfectum eſſe filium. Illa conſtanti animo, ſubleuatis in cælum oculis; Benedictum ſit (inquit) nomen Domini: ſicut Domino placuit, ita factum eſt. Tum intelligens iuuenem, qui in domum ſuam confugerat, illum ipſum eſſe, qui necem filio intulerat, vt erat generoſo, & Chriſtiano ſpiritu prædita, non modo à vindicta abſtinuit, ſed eius ſaluti conſulens, in abditiſſimo loco ſeruauit occultum, quem lictores quærentes nequaquam inuenire potuerunt. Cumq. illi iam abijſſent, iuuenem in conſpectum ſuum prodire iuſſit, cui præ delicti dolore lachrymanti, & veniam ſuppliciter deprecanti, non ſolum benigne pepercit, ſed cum certam pecuniæ ſummã ſibi in argenteo vaſe iuſſiſſet afferri, totam illi liberaliſſime tradidit, præcipienſq. vt, ne forte à curiæ miniſtris comprehenderetur, quamprimum ab vrbe diſcederet, inultum à ſe defenſumq. in pace dimiſit. Magnus certè, & inauditus caſus, & factum non faciendum, niſi ab eo, qui haberet ſpiritum,

cui beatus Stephanus Leuita ſeruiuit. Audiui hæc, quæ facta ſunt ætate noſtra, à viris fide dignis.

Vxor interfecti viri, tandem inimico condonat, ſed cadente tegula ſuper homicidæ caput, recepit ille à Deo homicidij retributionem. Cap. 282.

CVm quædam in Regno Neapoli nobilitate ac diuitijs præpotens femina, cuius vir à quodam interfectus fuerat, magno ſtudio totisq. viribus, vt interfector comprehenderetur, & debito afficeretur ſupplicio, contenderet, de hoc ille, ac de pertinaci mulieris animo certior factus, ex illis partibus recedendo in cuiuſdam Principis aulam ſe recepit. Verùm poſt aliquos dies ſecum perpendens mulier, homicidam iam ter è ſatellitum manibus euaſiſſe, ac Diuino permiſſu hoc eueniſſe ſibi perſuadens, huiuſmodi iniuriã ei omnino remittere decreuit, ac tandem re ipſa amore Ieſu Chriſti, omnem ei iniuriam, omnemq. animaduerſionem ac ſupplicium condonans, illum vlterius perſequi deſtitit. Quamobrem quidam exulis amicus re cognita ſtatim eum adijt, cumq. comedentem reperiſſet: exoptatum, inquit, nunciũ ad té defero: mulier illa, cuius virum interemiſti; omnem tibi condonauit iniuriam; at ille hoc audito, qui aliàs de bono nuncio magna perfundi debuerat lætitia, tanto eſt timore, ac tremore perculſus, quod continuo veluti demens exclamare cæpit: heu me perditum, actum de me eſt, nam ſi mulieris vltionem euaſi, iuſti tamen Dei manus non effugiam; & paulo poſt tranſacta circiter hora è domo egrediens, graui cuiuſdam tegulæ, quæ è tecto in eius caput decidit, ictu percuſſus, illicò animam efflauit.

Angelus dat Subdiacono velum varijs coloribus pictum, in quo deſcriptus erat S. Stephanus, aſtans, glorioſam Crucem geſtans, portam cuiuſdam Ciuitatis Crucis cuſpide pulſans, & fugans ſerpentem teterrimum, & triumphali pede conculcans. Cap. 283.

Venan. Fortun. lib. 2. car. in hom. S. Crucis.

COnſuetudo erat apud Veteres oblata à fidelibus vela illis effigiari figuris, quæ ferrent imagines eorum Sanctorum, quibus darentur, docet hoc Venantius Fortunatus, dum de velis Cruci oblatis agit, eaq. crucibus intexta fuiſſe ſignificat. Nec eſt autem quod quis cauſari poſſit eiuſmodi conſuetudinem, vno in loco tantummodo viguiſſe. Nam de Tranſmarinis Eccleſijs in Africana prouincia, de velo ſacris imaginibus picto, diuinitusq. exhibito, & appenſo in Eccleſia S. Stephani Protomartyris in Vzalenſi Ciuitate, eius loci Epiſcopus Euodius, cuius meminit, & fidem probat S. Auguſtinus, æternæ memoriæ ſcriptis prodidit: & quidem rem geſtam ipſo viuente Auguſtino, paucos poſt annos, nempe ſub Honorio Imperatore, eandemq. diuino miraculo conſignatam, vt non habeat, de quo ambigat humanum ingenium, quod ſciat eſſe diuinitus comprobatum. In Vzalenſi igitur Ciuitate, poſt liberatam ipſam ab imminenti clade, precibus fuſis in Eccleſia Protomartyris Stephani, hæc contigiſſe, idem Euodius narrat his verbis.

Aug. de diuerſ. ſer. 32. 33. & de Ciu. Dei li. 22. c. 8.

Euod. de mira. S. Steph. lib. 2. c. 4. apud Aug. to. 10.

Ecce namq. altero die, procurante diuina diſpenſatione, quidam negotiator

tiator nunquam noſtræ cognitus regioni, ſubdiaconum noſtrum, nomine Sennodum, in loco Memblotutano vltrò conuenit, & ad ſe vocauit; & quiſnam, vel vnde eſſet, ab eodem flagitauit. Qui vbi ſe ſubdiaconum Vzalenſis Eccleſiæ memoratus eſt, reſpondit continuo idem ille ignotus homo, ſi tamen ſolum homo: credendum eſt enim, quia Angelus, & homo (nempe facie homo reuera Angelus) neque enim hoc vel inauditum, atque inexpertum eſt ſiue religioni Chriſtianæ, ſiue notitiæ humanæ, ſanctos Angelos terreno habitu, & viſibili ſpecie plerumq. hominibus apparuiſſe. Dedit ergo ſubdiacono memorato velum varijs pictum coloribus, in quo inerat pictura hæc. In dextera veli parte ipſe S. Stephanus videbatur aſtare, & glorioſam Crucem proprijs repoſitam humeris baiulare, qua crucis cuſpide portam Ciuitatis videbatur pulſare, ex qua profugiens Draco teterrimus cernebatur exire, amico Dei videlicet aduentante. Verùm ille ſerpens noxius, nec in ipſa fuga tutiſſimus, ſed triumphali pede martyris Chriſti contritus aſpiciebatur & preſſus. Talis itaque pictura veli, non omnino abſque myſterio Dei, vbi à memorato ſubdiacono allata pariter, atque ſuſpenſa eſt ante ipſam memoriam tanti Patroni, omnis ætas omniſq ſexus intueri, & mirari cæpit, tanquam ſpectaculum grande, quo ſcilicet auctore, quouè liberatore Draco ille extinctus eſt, hoſtiſq. deuictus.

Geſtæ quippe rei fidem præcedentis diei commendabat in animis omnium atteſtatio ſequentis diei. Namq. illud, quod ſtudioſius cernebatur in velo, hoc iam credibilius tenebatur in vero. Concurrebat enim pictura cum gratia, & tam diuinitus pridie geſtum ſalutis beneficium recolebatur, quam poſtea in veli imagine aduertebatur. Denique ex ipſa congruentia diei præcedentis, atque ſequentis veritatis, & imagine rerum, & quorumdam exemplarium, tantus in multis ſtupor, pariterq. amor, admiratio, & gratulatio accendebatur, vt à cunctis nihil aliud omninò vel diceretur, vel affirmaretur, niſi hoc vnum: Verè quia per amicum ſuum Deus iſtam liberauit Ciuitatem, & grandem à nobis depulit peſtem. Et reuera Dei fuit ad homines quædam allocutio in velocitate tacite ſignificantis admodum, & dicentis: O miſeri mortales, quale heſterna die draconis euaſeritis incendium, vel cuius pro vobis aduocati fuerit acceptum ſuffragium, iſto ſequenti die iuſtius veri figuratione intelligite, atque gaudete. Hinc veſtram, & præcedentem tentationem, & ſubſequentem liberationem apud voſmetipſos conferte: & exinde non dubij, ſed certi, Deo veſtro per amicum meum gratias agite. Ecce Draconem de veſtra Ciuitate cernitis fugatum, & expulſum: Ecce conterentem caput eius primum Martyrem meum: Ecce Crucis trophæum, per quod viciſtis inimicum. Hoc ergo modo ciuitate noſtra à tanto periculo primitus liberata, ac poſtea tali per congruentem picturam veli admonitione inſtructa, & illuminata, gemino miraculo eſt omnis pia anima in Dei gloria exhilarata. Hucuſque Euodius integerrimus teſtis qui & ea, quæ viderat, ſcripſit, & ad eos, qui eadem quoque perſpexerant.

Habes lector, digito Dei (quod nec negauerit ipſe Pharao) nempe diuinæ virtutis potentia, pictum ſacris imaginibus velum, & appenſum ante Eccleſiam Protomartyris, vt de facto certus ſis, & auctoritate factoris de religioſo ſacrarum imaginum cultu ſecurus. Habes & cum his de Occi- *Exod.* 8.

den-

dentalis Orbis Eccleſijs probatum velorum pictorum vſum. An non erit idipſum demonſtrare in Oriente? vel ſi nô in Oriente, an non & in Palæſtina, & Hieroſolymis ipſis? Acta quidem Mariæ Aegyptiacæ, eademq. recitata; ac probata in dicto Nicæno ſecundo Concilio, habent, ipſam in atrio Hieroſolymitani templi ſtitiſſe, quod ob nimia peccata ſua in Eccleſiam ingredi vetaretur: atque tunc oculos ſubleuaſſe, vidiſſeq. Dei genitricis imaginem: quam venerata, meruit templum antea inconceſſum libere ingredi.

Conc. Nice. 2. Ac. 4.

Ridicula autem eſt Hæreticorum, & Iudæorum religio, qui imaginibus inſultant, & eas lacerant, timentes ne idolatriam committant, & dum vane timent, vbi non eſt timendum, priuant ſe ingentibus bonis, quæ ex inſpectione Imaginum ſanctorum virorum percipiuntur.

Sed ad beati Protomartyris gloriam, recenſenda ſunt aliqua prodigia, & ſigna, quæ poſt eius obitum ab ipſo facta ſunt, vt, ſint in ſignum, quod viuit apud Deum.

Præclariſſima ſigna, & prodigia facta apud Reliquias B. Stephani martyris. A D. Auguſtino conſcripta. Cap. 284.

D. Aug. de Ciuit. Dei lib. 22. c. 8.

AD Aquas Tibilitanas Epiſcopo afferente Proiecto reliquias martyris glorioſiſſimi Stephani, ad eius memoriam veniebat magnæ multitudinis concurſus, & occurſus. Ibi cæca mulier, vt ad Epiſcopum portantem ſacra pignora, duceretur, orauit; flores quos ferebat dedit: recepit, oculis admouit, protinus vidit. Stupentibus qui aderant, præibat exultans, viam carpens, & viæ ducem vlterius non requirens. Memorati memoriam martyris, quæ poſita eſt in caſtello Sycinenſi, quod Hipponenſi coloniæ vicinum eſt, eiuſdem loci Lucillus Epiſcopus, populo præcedente, atque ſequente portabat, fiſtula, cuius moleſtia iamdiu laborauerat, & familiariſſimi ſui Medici, qui eam ſecaret, operiebatur manus, illius piæ farcinæ vectatione, vbi ſanctas attigit reliquias, repente ſanata eſt. Nam deinceps eam in ſuo corpore non inuenit. Eucharius presbyter ex Hiſpania Calamæ habitans, veteri morbo calculi laborabat, per memoriam ſupradicti martyris, quam Poſſidius illo aduexit Epiſcopus, ſaluus factus eſt. Idem ipſe poſtea morbo alio præualeſcente, mortuus ſic iacebat, vt ei iam pollices ligarentur: opitulatio memorati martyris, cum de memoria eius reportata fuiſſet, & ſuper iacentis corpus miſſa ipſius Presbyteri tunica, ſuſcitatus eſt. Fuit ibi vir in ordine ſuo primarius, nomine Martialis, æuo iam grauis, & multum à religione abhorrens Chriſtiana: Habebat ſane fidelem filiam, & generum eodem anno baptizatum: Qui cum ægrotantem multis, & magnis precibus, & lachrymis rogarent, vt Chriſtianus fieret, prorſus abnuit, eoſq. à ſe turbida indignatione ſubmouit. Viſum eſt genero eius, vt iret ad memoriam S. Stephani, & illic pro eo quantum poſſet, oraret, vt Deus illi daret mentem bonam, qua credere non differret in Chriſtum. Fecit hoc ingenti gemitu, & fletu, & ſinceriter ardente pietatis affectu: deinde abſcedens, aliquid de Altari florum, quod occurrit, tulit: eiq. cum iam nox eſſet, ad caput poſuit. Tunc dormitum eſt: & ecce ante diluculum clamat, vt ad Epiſcopum curreretur, qui mecum forte tunc erat apud Hipponem. Cum vero audiſſet eum abſentem, venire presby-

preſbyteros poſtulauit. Venerunt,& ſtatim ſe credere dixit: admirantibus, atque gaudentibus omnibus,baptizatus eſt. Hoc quandiu vixit, in ore habebat: Chriſte accipe ſpiritum meum: cum hæc verba beatiſſimi Stephani, quando lapidatus eſt à Iudæis, vltima fuiſſe neſciret, quæ huic quoque vltima fuerunt. Nam non multo poſt etiam ipſe defunctus eſt. Sanati ſunt illic per eundem Martyrē etiam tres Podagrici,duo Ciues,peregrinus vnus. Sed Ciues omnimodo, peregrinus autem per reuelationem, quid adhiberet, quando doleret, audiuit: & cum hoc feciſſet, dolor continuo conquieuit.

S. Stephanus poſt mortem prodigia, & ſigna magna operans, ſex mortuos in Africa ad vitam reuocauit. Cap. 285.

AVdurus nomen eſt Fundi, vbi Eccleſia eſt, & in ea memoria Stephani martyris. Puerum quendam paruulum, cum in area luderet, exorbitantes boues, qui vehiculum trahebant, rota obtriuerunt, & confeſtim palpitauit exſpirans. Hunc mater arreptum, ad eandem memoriam poſuit, & non ſolum reuixit, verum etiam illæſus apparuit. Sanctimonialis quædam in vicina poſſeſſione, quæ Caſpaliana dicitur, cum ægritudine laboraret, ac deſperaretur, ad eandem memoriam tunica eius allata eſt, quæ antequam reuocaretur, illa defuncta eſt. Hac tamen tunica operuerunt cadauer eius parentes, & recepto ſpiritu,ſalua facta eſt. Apud Hipponem, Baſſus quidam Syrus ad memoriam eiuſdem martyris orabat pro ægrotante & periclitante filia, eoq. ſecum veſtem eius detulerat: cum ecce pueri de domo cucurrerunt, qui ei mortuam nunciarent. Sed cum, orante illo, ab amicis eius exciperentur, prohibuerunt eos illi dicere, ne per publicum plangeret. Qui cum domum rediſſet, iam ſuorum eiulatibus perſonantem, & veſtem filiæ, quam ferebat, ſuper eam proieciſſet, reddita eſt vitæ. Rurſus idem apud nos Hyrenei cuiuſdam collectarij filius ægritudine extinctus eſt. Cumq. corpus iaceret exanime, atque alijs gementibus & plangentibus, exequiæ pararentur, amicorum eius quidam inter aliorum conſolantium verba ſuggeſſit, vt eiuſdem martyris oleo corpus perungeretur. Factum eſt, & reuixit. Itemquè apud nos vir Tribunitius Cleuſinus ſuper memoriam martyris, quæ in ſuburbano eius eſt, ægritudine exanimatum poſuit infantulum filium ſuum: & poſt orationem, quam multis cum lachrymis ibi fudit, viuentem leuauit. Quid faciam? vrget huius operis implendi promiſſio, vt non hic poſſim omnia commemorare, quæ ſcio: & proculdubio plerique noſtrorum, cum hæc legent, dolebunt me tàm multa prætermiſiſſe, quæ vtique mecum ſciunt. Quos iam nunc, vt ignoſcant rogo: & cogitent, quàm prolixi laboris ſit facere, quod me hic non facere, ſuſcepti operis neceſſitas cogit. Si enim miracula ſanitatum, vt alia taceam, modo velim ſcribere, quæ per hunc martyrem, ideſt glorioſiſſimum Stephanum,facta ſunt in Colonia Calamenſi & in noſtra, plurimi conficiendi ſunt libri, nec omnia colligi poterunt, ſed tantum de quibus libelli dati ſunt, qui recitarentur in populis. Id namq. fieri voluimus, cum videremus antiquis ſimilia diuinarum ſigna virtutum, etiam noſtris temporibus frequentari: & ea non debere multorum notitiæ deperire.

Aug. d. c. 8. lib. 22. de Ciuit. Dei.

Petro-

Petronia clariſſima femina ex magno, & diuturno morbo conua-luit, magno præmiſſo ſigno. *Cap. 286.*

Ibidem. VZali etiam, quæ Colonia, Vticæ vicina eſt, multa præclara per eundem martyrem facta cognouimus, cuius ibi memoria longe prius quàm apud nos, ab Epiſcopo Euodio conſtituta eſt. Sed libellorum dandorum ibi conſuetudo non eſt, vel potius non fuit: nam fortaſſe nunc eſſe cæpit.

Cum enim nuper illic eſſemus, Petroniam clariſſimam feminam, quæ mirabiliter ex magno atque diuturno, in quo medicorum adiutoria cuncta defecerant, languore ſanata eſt: hortati ſumus, volente ſupradicti loci Epiſcopo, vt libellum daret, qui recitaretur in populo, & obedientiſſime paruit. In quo poſuit etiam quod hic reticere non poſſum, quamuis ad ea, quæ hoc opus vrgent, feſtinare compellar. A quodam Iudæo dicit ſibi fuiſſe perſuaſum, vt anulum capillatio vinculo inſereret, quo ſub omni veſte ad nuda corporis cingeretur, qui anulus haberet ſub gemma lapidem in renibus inuentum bouis. Hoc alligata, quaſi remedio, ad ſancti martyris limina veniebat: Sed profecta à Carthagine, cum in confinio fluminis Bagradæ in ſua poſſeſſione manſiſſet, ſurgens, vt iter perageret, ante pedes ſuos illum iacentem anulum vidit, & capillatiam zonam, qua fuerat alligatus: mirata tentauit. Quam cum omnino ſuis nodis firmiſſimis, ſicut fuerat, conperiſſet aſtrictam, crepuiſſe, atque exilijſſe anulum ſuſpicata eſt. Qui etiam ipſe cum integerrimus fuiſſet inuentus, futuræ ſalutis quodammodo pignus de tanto miraculo, ſe accepiſſe præſumpſit, atque illud vinculum ſoluens, ſimul cum eodem anulo proiecit in flumen. Non credunt hoc, qui etiam Dominum Ieſum per integra virginalia matris enixum, & ad diſcipulos ſuos oſtijs clauſis ingreſſum fuiſſe non credunt. Sed hoc certe quærant, & ſi verum inuenerint, illa credant. Clariſſima femina eſt, nobiliter nata, nobiliter nupta Carthagine habitat: ampla Ciuitas, ampla perſona, rem quærentes latere non ſinunt. Martyr certe ipſe, quo impetrante, illa ſanata eſt, in filium permanentis Virginis credidit, in eum qui oſtijs clauſis ad diſcipulos ingreſſus eſt, credidit. Poſtremo, propter quod omnia iſta dicuntur à nobis, in eum, qui aſcendit in cælum cum carne, in qua reſurrexerat, credidit: & ideo per eum tanta fiunt, quia pro iſta fide animam poſuit ſuam. Fiunt ergo etiam nunc multa miracula, eodem Deo faciente, per quos vult, & quemadmodum vult: qui & illa, quæ legimus fecit: ſed iſta nec ſimiliter innoteſcunt, neque, vt non excidant animo, quaſi clara memoriæ crebra lectione tenduntur. Nam & vbi diligentia eſt, quæ nunc apud nos eſſe cæpit, vt libelli eorum, qui beneficia percipiunt, recitentur in populo? Semel hoc audiunt qui adſunt, plures qui nō adſunt: vt nec illi, qui adfuerunt, poſt aliquot dies, quod audierunt, mente retineant, & vix quiſquam reperiatur illorum, qui ei, quem non adfuiſſe cognouerit, indicet, quod audiuit.

Decem

Decem fratres, qui propriam matrem iniurijs affecerant, cælitus tremore omnium membrorum quatiebantur, ſed accedentes ad memoriam S. Stephani martyris, magna omnium admiratione liberati ſunt. Cap. 287.

VNum eſt apud nos factum, non maius, quàm illa quæ dixi: ſed tam clarum atque illuſtre miraculum, vt nullum arbitrer eſſe Hipponenſiũ, qui hoc non vel viderit, vel didicerit, nullum, qui obliuiſci vlla ratione potuerit. Decem quidem fratres fuerunt, quorum ſeptem ſunt mares, tres feminæ, de Cæſaria Cappadociæ ſuorũ ciuium non ignobiles, maledicto matris, recenti patris eorum obitu deſtitutæ, quæ iniuriam ſibi ab eis factam acerbiſſime tulit: tali pœna ſunt diuinitus coerciti, vt horribiliter quaterentur omnes tremore membrorum. In qua fœdiſſima ſpecie oculos ſuorum ciuium non ferentes, quaquauerſum cuiq. ire viſum eſt, toto penè vagabãtur orbe Romano. Ex his etiam ad nos venerunt duo, frater & ſoror, Paulus & Pauladia: multis alijs locis miſeria diffamante, iam cogniti: venerunt autem ante Paſcha fermè dies quindecim: eccleſiam quotidie ingredientes, & in ea memoriam glorioſiſſimi martyris Stephani frequentabant, orantes, vt iã ſibi placaretur Deus, & ſalutem priſtinam redderet. Et illic, & quocumque ibant, conuertebant in ſe ciuitatis aſpectum. Nonnulli, qui eos alibi viderãt, cauſamq. tremoris eorum nouerant, alijs & cuicumque poterant, indicabant. Venit & Paſcha, atque ipſo die dominico, mane cum iam frequens populus præſens eſſet, & loci ſancti cancellos vbi martyrium erat, idem iuuenis orans teneret, repente proſtratus eſt, & dormienti ſimillimus iacuit: non tamen tremens, ſicut etiam per ſomnium ſolebat, ſtupentibus, qui aderant, atque alijs pauentibus, alijs dolentibus, cum eum quidam vellent erigere, nonnulli prohibuerunt, ſed potius exitum expectandum eſſe dixerunt. Et ecce ſurrexit, & non tremebat, quoniam ſanatus erat, & ſtabat incolumis, intuens intuentes. Qui ergo intuentium ſe tenuit à laudibus Dei? Clamantium, gratulantiũ vocibus eccleſia vſquequaque completa eſt. Inde ad me cucurrit, vbi ſedebam iam proceſſurus. Irruit alter, quiſque poſt alterum: omnis poſterior quaſi nouum, quod alius prior dixerat, nunciantes. Meq. gaudente, & apud me gratias Deo agente, ingreditur etiam ipſe cum pluribus: inclinatur ad genua mea, erigitur ad oſculum meum. Procedimus ad populum: plena erat eccleſia, perſonabat vocibus gaudiorum: Deo gratias, Deo laudes, nemine tacente, hinc, atque inde clamantium. Salutaui populum, & rurſus eadem feruẽtiore voce clamant. Facto tandem ſilentio, ſcripturarum diuinarum ſunt lecta ſolemnia: vbi autem ventum eſt ad mei ſermonis locum, dixi pauca, pro tempore, & pro illius iucunditate lætitiæ. Magis enim eos in opere diuino, quãdam Dei eloquentiam non audire, ſed conſiderare permiſi. Nobiſcũ homo prandit, & diligenter nobis omnem ſuæ ac maternæ, fraternæq. calamitatis indicauit hiſtoriam, narrationis eius libellum in craſtinum populo recitandũ promiſi. Quod ex dominico Paſchæ die tertio fieret in gradibus exedræ, in qua de ſuperiore loquebar loco. Feci ſtare ambos fratres, cum eorum legeretur libellus. Intuebatur populus vniuerſus, ſexus vtriuſque, vnum ſtantẽ ſine deformi motu: alterum membris omnibus contrementem. Et qui ipſum non

Aug. ibid. d.c.8.

viderant, quid in eo diuinæ miſericordiæ factum eſſet, in eius ſorore cernebant. Videbant enim quid in illo gratulãdum, quid pro illa eſſet orandum. Inter hæc recitato eorum libello, de conſpectu populi abire eos præcepi: & de tota ipſa cauſa aliquanto diligentius cæperam diſputare, cum ecce, me diſputante, voces aliæ de memoria martyris nouæ gratulationis audiuntur, conuerſi ſunt eo, qui me audiebant, cæperuntq. cõcurrere. Illa enim vbi de gradibus deſcendit, in quibus ſteterat, ad ſanctum martyrem orare perrexerat. Quæ mox vt cancellos attigit, collapſa ſimiliter velut ad ſomnum, ſana ſurrexit. Dum ergo requirimus quid factum fuerit, vnde iſte ſtrepitus lætus extiterit, ingreſſi ſunt cum illa in baſilicam, vbi eramus, adducentes eam ſanam de martyris loco. Tum vero tantus ab vtroque ſexu admirationis clamor exortus eſt, vt vox continuata cum lachrymis non videretur poſſe finiri. Perducta eſt ad eum locum, vbi paulo ante ſteterat tremens. Exultabant eam ſimilem fratri factam, cui doluerant remanſiſſe diſſimilem. Et nondum fuſas preces ſuas pro ea, iam tamen præuiam voluntatem tacito exauditam eſſe cernebant. Exultabant in Dei laudem voces, ſine verbis tanto ſonitu, quantum aures noſtræ ferre vix poſſent. Quid erat in cordibus exultantium, niſi fides, pro qua Stephani ſanguis effuſus eſt?

De Megetia illuſtri femina, quæ paralyſi fuerat percuſſa, quæ inter medicorum manus defecerat, & currẽs ad ſanctum Stephanum à duplici infirmitate curata eſt propter peccati ſui confeſſionem. Viſo miraculo vir eius ad Chriſti fidem conuertitur. Pater autem eius vir Senatoriæ dignitatis Vitulæ coniugis precibus, & B. Stephani interceſſione fidem Chriſti amplectitur. Cap. 288.

Euod. Valenſis Epiſ. li. 2. de mirac. S. Stephani c. 2. To 10. operũ S. Aug. in Append. edit. Lou.

CArthaginenſis Ciuitatis quædam fuit nobilis genere, nobilior Chriſti fide, Megetia nomine, diues in ſeculo, ditior in Deo. Cui Chriſtiana mater erat nomine Vitula. Pagani autem erant maritus, & ſocer, & pater. Hæc cũ in vtero haberet, quarto menſe conceptus ſui, neſcio vnde, nauſeando prius, ac reijciendo frequentius pateretur ſtomachi concuſſionem, orisq. diſtenſionem, & vomitus prouocationem, in prauitatem, peſtemq. paralyſis cauſa perducta eſt, ita vt excluſis à locis ſuis ipſis cardinibus dentium, & arteriarũ, nequaquam poſſet dilapſa ora cõſtringere, neque peruios, atque integros palati motus, ac linguæ ad aliquid vel ore emittendum, vel in os recipiendum habere. Remanſerat in femina pia, & pudorata deformis quidam, & auerſandus aſpectus, & ibi vitij macula corpori erat infixa, vbi vtiq. nequaquam poſſet eſſe celata: facies quippe erat, de qua quidam dixerat: frons hominẽ præfert, quæ tegi ſine dedecore non poteſt: ceterorum namq. membrorum cum aliquo vitio officia præpediuntur, nonnulla induſtria ruboris ſubtrahuntur. At vero cum ipſe vultus aliqua fuerit fœditate turpatus, quicquid propter verecundiam tegminis adhibetur, ipſa verecundia magis augetur. Quid ergo faceret nobilis matrona, velamento abſcondens ora vitiata, dum venientibus ſalutatum ad ſe æque alijs nobilibus feminis, aut oſculum dare, aut ſermonem conferre ipſius vitæ ſocietas, atque humanitas compuliſſet, vt

vt taceam de cibo, & potu, quod vix ægre poterat manducare, vel haurire? namq. ingenium, induſtriaq. medicorum diu, multumq. circa eam laborantium, non ſolum nihil ſalutis ei conferre poterat, verum etiam in deterius cauſa pergebat, nec immerito. Ab illo enim conditore, & redemptore omnis naturæ Deo nondum in illa reformabatur, quod nonniſi eius virtute formatur, cuius cenſura omne hominis corpus & diſciplina conſtringitur, & medicina laxatur.

Tali igitur confecta mœrore, ac dolore, nec quorumcumque remediorum, aut medicamentorum vllo adiuta leuamine, fere iam ſexto menſe tabefactum fuerat delicatæ corpus, animusq. puellæ. Ob quam rem etiam illud, quod geſtabat à vitali ſpiritu iam deſtitutum, intra ſepta viſcerum retinebat emortuum. Ita cum prius ſub vno paralyſis vitio iam ipſa vita horreret, acceſſit aliud grauius, & periculoſius, vnde nec ipſa quidem viuendi poſſibilitas remaneret; nam ſi puella ſic defecerat ſub vitioſi oris labore, quomodo poſſet viuere cum mortuorum viſcerum collapſione? Septimus menſis inceſſerat; non vultus peſtifer à prauitate exuebatur, non aluus onere mortuo exuebatur. Pontius vero Megetiæ pater, ſocer autem Auitianus, & maritus Aduentius, vtpote adhuc gentilitatis erroribus adſtricti, quicquid non ſolum per induſtriam medicorum, verum etiam per artes dæmoniorum, & ſuperſtitioſarum figmenta vanitatum, quaſi pro vita intermorientis Megetiæ poterant attemptare, fruſtrà omnino, atque inaniter deſudabant.

Sed error infelix, quid ſaluti humanæ te crederes poſſe conferre, quam ſtuduiſti ſemper auferre? Refellit te vox veritatis in ſacratiſſimis Pſalmis, conteſtans generaliter, & breuiter, à quo vere ſit omnis ſalus animæ, corporiſq. dicens: Domini eſt ſalus. Soli enim Deo recte cantatur: Homines, & iumenta ſaluos facies Domine. Qui dignatus eſt creare, ipſe prorſus dignatus eſt, & ſanare. Proinde illis memoratis perſonis diu in talibus fruſtra laborantibus, & non corpore, ſed corde dormitantibus, ecce Deus ille magiſter, qui non dormit, neque dormitat, qui cuſtodit Iſrael, ipſe Deus, inquam, cui cura eſt pro omnibus, religioſam Vitulam Megetiæ matrem, fidei calore ſuccendit, atque vt ad Domni amici ſui Stephani ſuffragium accurreret, inſpirauit. Quam, vbi benedicta femina in ſacratarum reliquiarum loco de Carthaginenſe vrbe ad Vzalenſem profecta eſt, miſericordiſſimus Dominus, & miſerator excepit, exaudiuit, adiuuit, atque de filia compotem fecit, ac de Diabolo aduerſario ſuperato victricem triumphare permiſit.

Dici non poteſt, quibus illa pia femina amicum Dei flebilibus vocibus fuerit aggreſſa, & quanta cum miſeratione ante limina glorioſi martyris proſtrata effuſos ſui cordis dolores expreſſerit in hæc verba prorumpens: Domne Stephane, Chriſti amice, ſubueni matri miſeræ ad te confugienti pro ſalute periclitantis filiæ. Hic te ego planctibus oro, illic te ancilla tua præſentem medicum ſentiat imploro. Scis ipſe qualibus cauſis laboret Megetia, & in quo vitæ diſcrimine ſit conſtituta. Ecce enim ex quanto tempore iacet miſera, & toto corpore paralyſi diſſoluta, & viſceribus tabefacta.

Proximum eſt autem, vt ſeptimo menſe completo, comprehendatur ab

octauo, omnes deſperant de ſalute Megetiæ. Ego quæ ad Chriſtum, & te amicum eius confugio, credo, quia talis fructus de filia non imponetur capiti meo. Peto autem, & rogo, vt cum hinc à corona tua reuertens feſtinanter ad ancillam tuam proficiſci cæpero, recreetur anima mea de filia aliquo nuncio bono. His, & horum ſimilibus multis affatibus vbi ſatis viſa eſt ſibi idoneum inſtruxiſſe aduocatum ſanctum Stephanum apud iudicem Chriſtum, properè ad reuiſendam filiam, vnam, & ſolam ſuam maximam curam, mater parturibunda reuertitur. Oleum tamen ſanctificatum, & orarium, vel ſudarium orationum ſuarum, ſudoremq. pro ſalute filiæ laborantis teſtimonium, à beati martyris memoria ſecum pariter reportabat.

Ecce igitur in via cum declinandorum æſtuum gratia (nam æſtuum tempus erat, quo igneus ſol terras vrebat) ſeceſſiſſet, ſubito adueniente nuncio accepit litteras à viro ſuo de Carthagine directas, ſicut precibus ſuis poſtulauerat, in quibus proxime futura liberatio filiæ ſignificata erat: nam menſem octauum altera die ingreſſura filia dicebatur, aliquantulum tamen vegetior eſſe, & ſua iam partum ſigna præcedere, & bono animo illam de filia eſſe debere. Quod totum religioſæ Vitulæ matri non ore humano, ſed diuino oraculo nuntiabatur. His igitur primis votorum ſuorum releuata mater auſpicijs, perniciter aduolauit. Quæ vbi peruenit Carthaginem, ſuamq. natam in ipſo vitæ ſuæ articulo poſitam inuenit, ſtatim ſacrato oleo filiæ membra perunxit, ſudarium quoque amplexandum pectori tradidit. Quo facto, rediuiua Megetia vteri ſui partu exonerata, octaui menſis ingreſſa prægnantibus mulieribus tremenda lumina, ab ipſa mortis regia, rurſus auris eſt vitalibus reſtituta. Sic itaque vna lethali cauſa diſpuncta, archiatro cæleſti protinus altera curanda reſtabat. Quod vt iamiamq. fieret, fida mater Vitula filiam liberatam ad illam vitalis fontis venam, vnde ægræ ſuæ hauſtum cæleſte poculum attulerat, ſalubriterq. infuderat, ſecum reducere cupiebat.

Sed nondum recuperatæ vires Megetiæ, poſt laborem periculoſæ enixionis ſuæ, alterum itineris ſubire laborem minime permittebant. Interea vir, ſocer, & pater puellæ nihil adhuc permoti, in laudem Dei, veriq. eius martyris primi, de tàm mirabili cauſa vteri, rurſum cæpere ob eiuſdem curandam reliquam valetudinem, ideſt vitioſi oris prauitatem, illa hominum remedia, erroreſq. conſulere, & longas moras temporum fruſtrà conterere. Namq. annus integer, & aliquot fere menſes euoluti ſic erant.

Tandem fidelis mater Vitula, Archiatrum quendam Felicem nomine, Carthaginenſis Ciuitatis fideliſſimum præ ceteris, atque amicum domus ſuæ corrogauit ad ſe ipſam, ac ſuper ſalutem ipſius vnicæ obteſtando conſcripſit dicens: ſic vnica filia tua viuat, poteſtne curari Megetia de paralyſi iſta, an non? Tum ille: Fideliter dico filiam tuam de hac cauſa penitus curari non poſſe, quia ſic me voluiſti conſtringere. Ipſa (inquit) iunctura, quaſi carri, vbi oris, & maxillarum retinacula quædam continentur, excluſa eſt à locis ſuis. Cui reſpondens mater Vitula fidei ſuæ ſtabilitate fundata, continuo retulit dicens: Ego non ſic credo in Chriſto meo, quia ſic relinquetur filia mea in hoc tanto para-

lyſis

lyſis modo. At ille fidei firmitatem valde admirans in femina hac, inquit: Omnipotenti Deo licere facere cui credis: nam nihil ſperes ex nobis. Quibus religioſa Vitula auditis, dimiſſo à ſe Archiatro, aſſumens ſecum Megetiam ſuam adijt virum ſuum, & virum filiæ ſuæ, ac pio inflammata dolore, ſic fari exorſa eſt: Acquieuimus, inquit, vobis miſeræ vſque nunc, nec reſiſtere viris mulieres valuimus. Diu veſtras pertulimus voluntates, ex quibus nullus fructus ſalutis filiæ, nullus ceſſit effectus, ita vt ecce per annum, & quot excurrunt amplius menſes, inter manus medicorum corpus filiæ meæ tantummodo fatigetur, nec omnino, ſicut videtis, aliquid perficiendo ſanetur. Rogo aliquando permittite & nobis, vt faciamus & nos, quæ expediunt nobis. Eamus & nos ad medicum noſtrum. Credo in illum, quia, qui noluit Megetiam cum ſuo partu mortuo mori, ipſe etiam eam faciet ſano vultu ſuo inter homines conuerſari. His atque huiuſmodi querimonijs deploratis, iuſtis, ac veris, nequaquam illi viri tali feminæ virili animo inductæ valuerunt reſiſtere. Maluerunt ſponte cedere, quàm quolibet alio iudicante victi diſcedere. Flexis itaq. illis in hanc ſententiam matris Vitulæ, marito ſcilicet, ſimulq. patre Megetiæ, ſed marito quidem adhuc pagano, patre vero Chriſtiano cathecumeno effecto, nomine Pontio, ſenatoriæ dignitatis viro, dignum eſt, vt cuius fidem in Chriſto cæpimus pronunciare, eius quoque vocabulum iam incipiamus cum debito honore pariter nominare: qui ſanè quemadmodum initiatus Chriſtiano nomine fuerit, quoniam locus videtur exigere, minime nos pigebit aperire.

Quando enim religioſa Vitula, nondum de partus periculo liberata Megetia ad amicum Dei fuerat profecta, ibi in ſuis precibus etiam de huius viri venerabilis credulitate inſtruxerat, vt ille imbueretur fide, ac nomine Chriſtiano. Quod ſane eidem illa ipſa nocte tali eſt viſione reuelatum. Viſa eſt quippe ſibimet videre iuxta ipſam beati martyris memoriã duo ceroferaria luminoſa pariter igne flammantia, ibidemq. aſſiſtente ſecum, atque apparente memorato Pontio viro ſuo, ſibimet dictum fuiſſe: Vitula, melius lucet ceroferarium noſtrum. Vnde volo ſcias me poſuiſſe iam iugulos. Quo viſo auditoq. religioſa Vitula ſomno expergefacta, & mane facto oratione ſuppleta, hoc ipſum, quod in ſomnis viderat, quibuſdam ancillis Dei enarrare cæpit; & prior ipſa ſomnium ſuum interpretata reſpondit, dicens ad memoratas circumſtantes virgines: Nouerit ſanctitas veſtra, quia cito Pontius credet in Chriſto, ſicut confido de Chriſto meo: nam hoc eſt, quod per ſomnium mihi ſignificauit dicens: volo ſcias Vitula, quia poſui iam iugulos, non vtique, niſi ſub iugo Chriſti.

Sic ergo honorabilis Pontius effectus, vt dixi, primum cathecumenus, Chriſtianus ſequenti anno, iiſdem diebus, quibus à religioſa Vitula beatus Stephanus pro ſalute mariti æterna fuerat exoratus. Sed vt dicere cæperam, conſentientibus ſibimet viris ſuis, mater Vitula cum Megetia ſua pariter de Carthagine profectæ pariter ad memoriam beati martyris peruenerunt, ac deinde ante ſacrata ipſius limina proſtratæ die, nocteq. flentes, & eiulantes, cinere, & cilicio ſqualentes, inde nobiles feminæ homines non erubeſcentes, vt Deo eſſent placentes, ſuſceperunt illud, quod dictum in pſalmis audierant: Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die, ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, vbi eſt Deus tuus? etenim neque iſta de ipſa noſtra religioſa

Chriſtiana pijs, & nobilibus feminis deerant ab incredulis improperia; vnde ante Dominum flebilibus vocibus, & amaris, vt ſcriptum eſt verbis memorabant, & effundebant ſuper ſe animam ſuam. Dicebatur namq. ab inimicis fidei noſtræ, vbi eſt Deus veſter? Inclamabat ergo Vitula mater auribus amici Dei: Domne Stephane, ecce adduxi Megetiam tuam ad te, quam tu ipſe liberaſti de morte. Nec nos in gaudium inimici feciſti venire, non tradens nos in animas tribulantium nos, qui detrahunt, & deſperant de Chriſto Domino noſtro, & de te eius tanto amico. Fac rogo, fac iterum erubeſcere eos de tota, & de plena Megetiæ ſalute, ſicut iam feciſti erubeſcere eos de eius vteri periculoſiſſimo labore. Non omnino deficias ad minora, qui præſtitiſti maiora, quod promiſi eius viro pagano de te, imple propter te. Non confundatur mater in filia, quæ præſumpſit in te, quæ confugit ad te. Certe vt oculus cordis nondum credentium, nobisq. inſultantium ſanetur, os filiæ curetur, & vt acquiratur ſanitas animæ illorum, præſtetur puellæ ſanitas membrorum ſuorum.

Talibus in eiuſmodi ſenſum dictis lachrymabilibus deploratis ſeptima tranſierat dies, cum ecce nocte intempeſta viſitatur per ſomnum Megetia: videt apparentem ſibi inſignem virum, viſu diaconi præferentem habitum. Illa enim rogare cœpit velut quemdam medicum ſpiritualem, vt os ſuum inſpiceret, & ſi dignaretur, curaret. Verum ille mox, vt os eius inſpexit, vultu eam hilari, ſerenoq. intuitu ait: Equidem adhuc os tuum non rectum: ſed rurſum aſpice, & vide quid volitet ſuper caput tuum. Continuo illa ſuper ſe erigens oculos, vidit ſerpentem quendam teterrimum ſupra ſe pennarum remigio volitantem, atque huc, & illuc tortuoſis anfractibus oberrantem. At pauefacta Megetia horribili, monſtroſoq. viſo, inſignis illius viri exhortatione firmatur ad ipſam dicentis: niſi prius iſtum ſerpentem occideris, ſanari non poteris: ſed noli metuere, forti animo illi congredere, & omnino ſuperabis. Quo audito Megetia fidei ſuæ robore, & de tanti adiutorij ſui armata protectione, arrepta in tempore ſibimet velut virga oblata contra illum draconem teterrimum, & tortuoſiſſimum decertauit. Quem, & ſi diu exercita, diuq. ab reluctante aduerſario delaxata, ad extremum tamen vbi illum in capite percuſſit, continuo proſtrauit. Quo trepido gaudio expergefacta, ſtrato exiliens vigilauit. Cumq. ſomnij ſui, quid ratio portenderet, cogitaret nec liquido intelligere valuiſſet, exinde orauit viſitari, confirmariq. popoſcit, ac deinde ſe quieti permiſit. Ecce denuo vidit illum decorum habitu iuuenem, niuea veſte fulgentem, ac ſtatim iacenti ſibimet velut manu porrecta, audiuit iubentem, pariterq. dicentem: ſurge, ſic curaris. At vero Megetia, vt ante medico homini facere conſueuerat, capite oppoſito, quaſi fouenda ora ſua ei offerebat, ſed ille vtpote ignorantia corrigens factum, reſpondit eidem. Vt quid hoc facis? prius ſunt tibi oculi curandi. Illa retulit dicens, Domne meus, oculos ſanos habeo, ſed vt os meum cures rogo. Et ille: iam, inquit, tibi dixi, prius ſunt in te oculi curandi. Tunc velut cæleſtis Archiatrus ſpiritu cordis ſecreta introſpiciens, quaſi cutem medicinalem collyrium impoſuit, oculos ſuperliniuit, atque diſceſſit. Verum cum mane facto, hoc ipſum religioſa Megetia ſomnium ſuis chariſſimis ſuis, & ſanctiſſimis feminis indicaret, in ipſo ſermone narrationis ſuæ, vltro corde compuncta, & cuiuſdam peccati ſui recordatione ſubito

to ſtimulata, peccatum ſuum confiteri non diſtulit, ſed ſicut ſcriptum eſt: delictum ſuum agnouit, & iniuſtitiam non operuit. Ecce ergo, qui illi erant oculi prius curandi, non vtique corporis ſed cordis, quod vt ſpiritualis medicus glorioſus Stephanus pronunciauit illi dicens: prius ſunt tibi oculi curandi: ſanandum quippe erat, quod vitioſum latebat in mente, vt ſic demum ſanaretur, quod deprauatum cernebatur in corpore. Hinc ille quoque deterrimus ſerpens, qui ſuper caput volitabat, quia principalem rationalis animæ mentem obtinebat, conterendus fuerat, & vincendus. Dum enim reatus cuiuſque delicti humiliter agnoſcitur, caput colubri pœnitendo quaſſatur, cordis oculus confitendo purgatur.

Duodecimo igitur die, ex quo cum ſua ad Amicum Dei venerat matre, dum orat ad locum ſacratæ memoriæ pulſans fidei pietate, non ſolum affectu cordis, verum etiam motu corporis, ipſa oſtiola memoriæ impulſa patefacit, ac vim faciens regno Dei caput ſuum intromiſit interius, & ſuper cubile ſanctarum reliquiarum confixit, lacrimisq. ſuis omnia illic lauit, atque rigauit. Verum ecce illo deſuper miſerante, qui appropinquat contritis corde, Megetia famula Dei, quadam ſibi viſibili, & attrectabili manu, os ſuum corrigi, & compalpari perſenſit. Quæ poſteaquàm ab oratione ſurrexit, circumſtantibus choris Virginum ſanctarum, ibidemq. pro illa, & cum illa laudes Deo dicentium, tremens, & gaudens hoc ipſum indicauit. Quale tunc, quantumq. in omnibus mentibus fecerit gaudium, & flendi ante ipſum Deum excitauerit affectum, vix poterit explicari: ſed antequàm geſtæ rei ad finem optatiſſimum veniamus, vbi plenam, perfectamq. ſalutem religioſæ Megetiæ Amico Dei curante, atque auxiliante in nomine Chriſti demonſtraturi ſumus, quod in medio huius aliud mirabiliter contigerit, nequaquam præterire debemus. Cum ferme quadraginta diebus circa ſancti martyris locum orando mater, filiaq. perſiſterent, ecce repente venientibus litteris ſibimet Carthagine directis, quo pater puellæ honorabilis Pontius diceretur corpore ægrotare, ad eundem viſendum de Vzalenſi Ciuitate profectæ ſunt. Verum cum in medio itineris æſtuum cauſa, fouendi corporis gratia lauacris vti voluiſſent, affuit in præſenti quædam domeſtica ab infideli cognita Megetia, & in obuiam miſſa, non tàm ad ſalutandum, quàm potius ad explorandum. Quæ cum copioſius cuperet benedictæ Megetiæ nuda ora, vultusq. conſpicere, intrauit cum ea in obſequium, & vbi quantum voluit in faciem famulæ Dei intendit, prorſus integrum ſibimet apparens os Megetiæ, ſanumq. conſpexit. Quo viſo obſtupefacta, atque mirata illa domeſtica, quæ aliud, quàm ſperabat, inuenit, continuo ad quandam iuxta ſtantem ſacram virginem conuertit ſeſe, & nominatim iam compellãs, ait: Infans Helpidiana, ſana eſt prorſus domina Megetia: ſic enim Dei gratia vigebat in Megetia, vt licet eius plenior cura in corpore ex parte aliqua differretur, perfecta tamen ſanitatis ſpecies reuerberandis incredulorũ oculis obijceretur. Quod illa ancilla Dei intelligens magnum myſterium Dei, illi muliérculæ reſpondit, dicens: Increduli vel modo credite.

Rurſus apud Carthaginem cum benedicta Megetia quadam die cum viro ſuo pagano ſermonem conferret, & inter fabulas dum viro ſuo ore integro, vultuq. appareret, commotus tali viſione vir eius gratulari cæpit, ac dicere: Domina Megetia ſanam te prorſus aſpicio. Verùm illa diſſimulando

interim tegens, quod diuina virtus in ſe demonſtrabat, ſermonis ſui curſum tenebat. Sana es prorſus, Deo gratias. Et illa impleta gaudio, tandem ſubridens ait marito: Vel modo iam credes Chriſto? & ille: quid vis, inquit, faciam patri meo? nam, & ego Chriſtianus fieri volo. Sed vt iam ad terminum, quem promiſimus veniamus, dies Paſchæ ſanctiſſimus propinquabat, ecce benedicta Megetia à quadam amica, atque nobili femina Ruſtica rogabatur, vt voto ſuo ſoluendo beato martyri Cypriano in Mappalia ſecum pergeret, & ſolemnitati pariter intereſſet. Quod Megetia facere ſe non poſſe cauſabatur, ſciens quid in ſe Dei potentia infidelium oculis oſtenderet, quid plene ſalutis cæleſtis gratia reſeruaret. Tamen amicam contriſtari nolens non penitus negauit, ſed plane ad illum diem, quod Deus voluiſſet, facturã ſe eſſe promiſit. At vbi illa amica diſceſſit, non deſtitit die, noctuq. orationi inſtare Megetia. Buccellam ſane omni die in oleo ſanctificato tinctam prius accipiebat, & ſic ceteros cibos ſumebat. Quadam vero nocte viſitauit in ſomnis ita, vt iuxta memoriam beati Stephani ſtantem putaret, ibiq. iuuenem illum ſpcciosum cerneret candida luce perfuſum, & inſigni equo ſubuectum, lampadesq. quamplures lucentes, ac præcedens ei ſplendidiſſimum apparatum, ſibiq. ab eodem clara voce dictum: Ad te pertinet iſta lux Megetia, ſuſcipe illam. Poſt quam viſionem expergefacta, gaudioq. repleta, ſtatim vbi ſe ſanam ſenſit, manus ſuas ad os ſuum, faciemq. inſpiciendam applicauit, & quaſi præ nimio gaudio ſoli ſibi non credens, ancillas ſuas, quæ circa lectum ſuum quieſcebant, clara voce excitauit, & vt ad ſe inſpiciendam atque contemplandam accurrerent, aduocauit. Tum illæ, vt viderunt in domna ſua donum Dei fuiſſe impletum, votumq. omnium eſſe perfectum, omnesq. pariter in lætitiam exclamauerunt, & in laudem Dei eruperunt. Aduenit etiam ille ab amica præſtitutus ſibimet dies, venitur à diuerſis ad religioſam Megetiam: vt ſicut promiſerat, ad deſtinatum locum charas ſuas non deſerendo pergere dignaretur. Sed Megetia Dei famula velamento adhuc, ſicut ſolebat, ore contecto ab intimo cubiculo ad amicas ſuas foras egreſſa eſt. Quas vbi de ſe aliquamdiu triſtes eſſe permiſit, ſubito illo à facie velamento ablato, & vultu demonſtrato ait: Ecce, vos videte, quid in me Deus dignatus eſt perficere, & vnà mecum gaudete, & ipſi Domino pro me gratias agite. Quam vbi omnes conſpexere, gaudentes, & Dominum benedicentes, oſculis lambere, & eam complexari cœperunt. Tunc omnes vnà ad Eccleſiam perrexerunt cum ea, & vota ſua Domino perſoluerunt. Peracto autem ſancto Paſcha Domini etiam ad Vzalenſem Ciuitatem religioſa Vitula vna cum Megetia ſua alijsq. religioſis feminis venit, votaq. ſua de ſalute filiæ plena, & perfecta Chriſto Domino, Chriſtiq Amico in conſpectu omnis noſtræ Eccleſiæ congaudentis, atque congratulantis hilariter reddidit, feruenter exhibuit, fructuoſeq. perſoluit.

Conuerſio Iudæorum admirabilis, varijs rerum euentibus, & portentis plena ſacrarum reliquiarum S. Stephani martyris virtute. *Cap.* 289.

Contigit autem admirabilis conuerſio Iudæorum Inſulæ Minoricenſis, virtute ſacrarum reliquiarũ ſancti Stephani protomartyris, quas Oro-

ſius acceptas Hieroſolymis, ſecum in Hiſpaniam vexit. Acciderunt quidem res admirandæ, toti Chriſtiano orbi factæ perſpicuæ ex litteris Circularibus Seueri, eius Inſulæ Epiſcopi ad omnes Eccleſias datis, & publice vbiq. lectis; quas inter alios accepiſſe liquet Euodium Epiſcopum Vzalenſem in Africa, & coram popnlo eas recitare feciſſe: id enim inſcriptus ad ipſum liber teſtatur his verbis: Eodem namq. die, quo ingreſſæ ſunt Eccleſiam Beati Stephani ſanctæ reliquiæ, in ipſo principio canonicarum lectionnm, Epiſtola quoqne ad nos delata cuiuſdam Epiſcopi Seueri nomine, Minoricenſis Inſulæ, de pulpito in aures Eccleſiæ cum ingenti fauore recitata eſt: quæ continebat glorioſi Stephani virtntes, quas in Inſula memorata per præſentiam reliqniarum ſuarum in ſalutem omnium illic credentinm perfecerat Iudæorum. Vnde ex hac recitatione talium factorum ſuorum, tamquam extenſione manuum ſuarum, acclamantibus, & exultantibus fidelibus, ipſe dicere videretur: Ecce habetis martyrem.] hæc ad Euodium, cuius eſt apud ſanctum Angnſtinum honorifica mentio, ad quem etiam extant datæ complures eiuſdem Auguſtini Epiſtolæ, & ipſius ad eum ſcriptæ.

Euodius de mir. S. Stephani lib. 1 ca. 2. apud Aug. to. 10. edit. Plantinian.

Aug. de diuer. ſer. 32. & 33. & de Ciuit. Dei lib. 22. c. 18

Factum eſt autem eiuſdem Protomartyris gratia, vt inter ſcribendas Vaticanæ Bibliothecæ antiquitates ſtudio Cardinalis Baronij, eadem reperiretur Seueri Epiſtola integra in nullo detrimentum paſſa: quam integram deſcripſit tomo 5. Ann. Eccleſiaſt. vt egregium antiquitatis monumentum. Sic enim ſe habet:

Sanctiſſimis ac Beatiſſimis Dominis, Epiſcopis, Presbyteris, Diaconibus, & vniuerſæ fraternitati totius orbis terrarum, Seuerus Epiſcopus miſericordia Dei indigens, & omninm vltimus, in Chriſto Redemptore noſtro æternam ſalutem.] intelligis conſnetum huius temporis Symbolum Catholicorum, qni vt ſe longe abeſſe à Pelagiana ingruente hæreſi demonſtrarent, ſe in ipſo titulo gratia, & miſericordia Dei indigere profitentur. Sed ipſam reddamus Epiſtolam.

Baron. to. 5. Ann. Eccl. an. Domini 418.

Cnm Dei opera reuelare, & confiteri honorificum eſſe, Raphael Archangelus moneat, profectò ſilere, vel celare opera Chriſti, periculoſum eſt: In quibus tamen adnumerandis maior eſt gratia, ſi communi, & ſimplici ſermone referatur. Celatur enim quodammodo ſpecioſiſſima pulchritudo virtutis, ſi abundanti eloquio circumdata fuerit, atque fucata. Quapropter ego quoque magnalia, quæ apud nos Chriſtns operatus eſt, non compoſito, ſed veridico ſermone referre aggredior.

Inſula Minorica, vna ex Balearibus Inſulis eſt, quarum nomen cunctis populis, ſecularium quoque auctorum litteris, peruulgatũ eſt. Hæc inter Mauritaniam Cæſarienſem, & Hiſpaniam media propemodum æquoris ſpatio ſita, anguſtis admodũ terminis clauditur, longitudinem triginta, latitudinẽ vero tria millia paſſuum habens. Quæ nunc idcirco cõmemoraui, vt agnoſci poſſit, cõtemptibilia mundi à Domino non ſolum in hominibus, ſed etiam in locis eligi. In hac itaque Inſula, quæ omnium terrarum paruitate, ariditate, aſperitate poſtrema eſt, duo parua oppida, quibus à Pœnis indita nomina, è regione fundata ſunt: Iammona ad occaſum, Magona ad orientẽ ſpectat. In his mihi omnium mortalium vltimo nuper ſacerdotalis officij pondus impoſitum eſt. Sed Iammona antiquum à Deo munus etiam nunc retinet, vt Iudæi habitare in eo nunquam poſſint. Multos ſi quidem id temere audentes,

tes, aut ægritudine præuentos, aut repulſos, aut morte ſubitanea extinctos, aut etiam fulmine trucidatos tradit vetuſtas: adeo vt celebris huius rei fama ipſis quoque Iudæis, ne id vltra temerè audeant, metum fecerit. Nec hoc fide indignum ducimus, cum etiam lupos, vulpeſq. & omnia noxia animalia deeſſe videamus, cum earum quæ ad veſcendum bonæ ſunt, ferarum copia magna ſit. Illud etiam magis mirum eſt, quod colubri, & ſcorpiones ſunt quamplurimi, ſed amiſerunt omnino nocendi violentiam. Cum igitur Iammonam nullus Iudæorum, qui lupis, ac vulpibus ferocitate, atque nequitia meritò comparantur, ne hoſpitij quidem iure accedere audeat, Magona tantum veluti colubris, & ſcorpionibus (vt tradebatur) feruebat, vt quotidie ab his Chriſti Eccleſia morderetur. Sed antiquum illud beneficium carnale, nuper nobis ſpirituale renouatum eſt; vt illa (ſicut
Luc. 3. ſcriptum eſt) generatio viperarum, quæ venenatis ictibus ſæuiebat, ſubito diuina virtute compulſa, mortiferum illud virus incredulitatis abiecerit.

Namq. diebus pene iſtis, quibus ego tanti ſacerdotij nomen, licet indignus, adeptus ſum: presbyter quidam ſanctitate præcipuus, à Hieroſolyma veniens, Magonæ non longo tempore moratus eſt: qui poſtquam tranſuehi ad Hiſpanias, ſicut deſiderabat, nequiuit, remeare ad Aphricam denuo ſtatuit. (Erat enim Hiſpania obſeſſa hoc tempore à Gothis, quod ſuo loco eſt demonſtratum: & hic presbyter Hiſpanus erat Oroſius) Sed pergit: Tunc beati Stephani reliquias, quæ nuper reuelatæ ſunt, cum ad Hiſpanias portare conſtituiſſet, ipſas ſine dubio martyre inſpirante, in memorati oppidi
Luc. 12. Eccleſia collocauit. Quo facto, protinus ille ignis, quem Dominus venit mittere in terram, & quem valde ardere cupit, charitate eius accenſus eſt. Statim ſiquidem tepor noſter incaluit; & factum eſt cor noſtrum (ſicut
Luc. 24. ſcriptum eſt) ardens in via. Tunc enim ille in fide iam ardebat zelus, tunc ſpe ſaluandæ multitudinis erigebat. Denique ſtatim interciſa ſunt etiam ſalutationis officia, & non ſolū familiaritatis conſuetudo diuulſa, ſed etiam noxia inueteratæ ſpecies charitatis ad odium tēporale, ſed pro æternæ ſalutis amore tranſlata eſt. In omnibus plateis aduerſus Iudæos pugnæ legis, in omnibus domibus fidei prælia gerebantur.

Iudæorum populus maxime cuiuſdam Theodoſij auctoritate, & potentia nitebatur, qui non ſolum inter Iudæos, verum etiam inter Chriſtianos eiuſdem oppidi & cenſu, & honore ſeculi præcipuus erat: Si quidem apud illos legis doctor, & (vt ipſorum vtar verbo) pater patrum fuit; in ciuitate autem cunctis curiæ munijs exſolutus, & defenſor iam extiterat, etiam nunc patronus municipium habebat. Chriſtiani autem vt corde, ita etiam & viribus humiles, ſed veritatis robore ſuperiores, patroni Stephani patrocinium deprecabantur: donec vtriquè exercitus, cum iam diem certaminis condixiſſent, datis tunc inducijs diſceſſerunt, Iudæis id magnopere expectantibus, vt ſcilicet Theodorus, in cuius ſe omnis Synagoga viribus acclinabat, ex Maioricenſe Inſula reuerteretur, ad quam forte viſendæ poſſeſſionis gratia perrexerat. Qui quidem, ſtatim vt ad eum miſſa legatio eſt, remeans auctoritate ſua multos terruit, ſed non extinxit, ſed conſopiuit incendium: maiori ſi quidem illicò exardeſcens violentia, etiam vicinum oppidum fidei flamma corripuit. Et vt illud Salomonis impleretur: frater

fratrem

fratrem adiuuans exaltabitur, ſicut Ciuitas firma, & alta: ſtatuerunt multi famuli Chriſti, laborem itineris minime recuſantes, cunctas animi vires huic bello tradere. *Prou. 18.*

Pendente igitur prœlio, nos quidem qualia præparauimus arma, ſubditum huic epiſtolæ commonitorium probat; quod quidem non pro quorumdam inſtructione edi voluimus (quippe quia ea penitus egemus, & quam à beatitudine veſtra magis ſperamus) ſed vt animaduerti poſſit, non minimam nos ſollicitudinem ſecundum modulum poſſibilitatis noſtræ ſuſceptâ habuiſſe certaminis; Chriſtum vero, cuius regnum non in ſermone, ſed in virtute eſt, nobis ne verbum quidem proferentibus, ſuis omnia viribus conſummaſſe, & abſque vllo ſudore certaminis exercitui ſuo hanc, quam nemo aut optare audebat, aut ſperare poterat, victoriam conceſſiſſe. Iudæi igitur exemplis ſe Machabæi temporis exhortantes, mortem quoque pro defendendis legitimis ſuis deſiderabant. Itaque non ſolum libros reuoluere, ſed etiam ſaxa, ſudes, iacula, omniaq. telorum genera ad Synagogam conferre cæpere, vt Chriſtianorum aciem virtute ſancti Spiritus munitam (ſi ita res poſceret) etiam corporis viribus propulſarent.

Interea dum hi apparatus gererentur, magnoq. altrinſecus ſtudio futurum inſtituitur bellum: vtrinque exercitus inenarrabilibus, & abſolutiſſimis ſomnijs commouentur, quorum ſi nullam penitus facerē mentionem, nō minimam videbor partem diuinæ gloriæ operuiſſe. Sic enim S. Apoſtoli Pauli ſomnium Lucas ſacræ hiſtoriæ inſeruit, dicens virum Macedonem aſtitiſſe in viſione noctis, orantem, vt iuuaretur ab eo; & hac Apoſtolum viſione præmonitum, itineris aliò deſtinati curſum ad Macedoniam conuertiſſe. Quanto itaq. Domini noſtri Ieſu Chriſti maior eſt gloria, quod id minimis, atque indignis famulis reuelare dignatus eſt, quod etiam beato Apoſtolo demonſtratum, ſcriptura celare noluit? Igitur breuitatis cauſa, ne Beatitudini veſtræ faſtidium fortaſſe gignatur, duo tantum ſomnia inſeram. *Act. 16.*

Apud nos deuota quædam religioſiſſima nomine Theodora, quæ & virginitate corporis, & religione propoſiti, & nominis interpretatione typum portare Eccleſiæ mereretur, vidit in viſione noctis viduam quandam nobiliſſimam ad me, qui non pro merito, ſed pro diuini muneris largitate ſacerdotio fungor, inſertas litteras præmiſiſſe, quibus mihi cunctos agros ſuos ad ſeminandum ſuppliciter offerret. Simili etiam ſomnio me quoque vltimum peccatorum ad ſeminandum præcingere, & commonere dignatus eſt. Vidua enim quædam altera nobiliſſima, quam Synagogæ ſpeciem habuiſſe non dubium eſt, me, vt agros ſuos incultos ſuſciperem, eosq. quando tempus ſementis vrgeret, diligenter excolerem, deprecabatur. Quæ eſt autem altera nobiliſſima vidua, niſi illa, quæ Chriſtum impie perimendo, ſemetipſam crudeliſſime viduauit? Hoc ſomnium vtriuſque vnum eſt. Ante triginta ferme quàm impleretur dies, & vidiſſe nos, & licet ſolutionem eius ignoraremus, tamen fratribus indicaſſe, manifeſtum eſt.

Apud Iudæos quoque miro diuinæ diſpenſationis ordine, vt & nominis Theodori, & officij in vno homine ſocietas conueniret, Theodorus, qui ſummus Sacerdos perfidi populi erat, ſomnium, quod viderat, non ſolum Iudæis, ſed etiam propinquæ cuidam matrifamilias primariæ ipſius Ciuitatis, multisq. etiam alijs Chriſtianis, ante non parum, quàm adimpleretur tempus,

pus, his ſermonibus propalauit: Eunti mihi, inquit, in Synagogam, duodecim viri manus obuias obtulerunt, dicentes: Quo vadis? Leo illic eſt. Cũ ergo, audito leonis nomine, trepidare cœpiſſem; locum tamen, dum fugam paro, vnde introſpicerem, reperi, & vidi monachos illic mira ſuauitate pſallentes, maior mihi pauor illico adiectus eſt; & niſi in cuiuſdam nomine Ruben ingreſſus fuiſſem domum, & inde ad matrem propinquam curſu præcipiti conuolaſſem, nequaquam curam mortiferi terroris euaſiſſem. Illa me exanimem ſinu ſuo confouens, à diſcrimine pariter, & à metu eripuit. Hoc eius ſomnium valde clarum eſt, & interpretatione non indiget. Quis
Apoc. 5. enim Leo, niſi ille de tribu Iuda radix Dauid? quæ propinqua illa, niſi de
Cant. 6. qua ſcriptum eſt, vna eſt propinqua mea? Illud ergo ſolum videbatur obſcurum, quod in domũ Ruben Iudæi, à Leone cum terreretur, ingreſſus eſt: quod quidem nobis poſtmodum ab ipſo Leone, qui terruit vt ſaluaret, euidentiſſime expoſitum eſt, quod dehinc ſuo explicabimus loco. Nunc autem cœptæ rei ordinem proſequar.

Varij, & mirabiles euentus in conuerſione Iudæorum. Cap. 290.

Euod. vbi ſup. EX Iamonenſi Ciuitate ad profectionem famulorum Chriſti multitudo conuenit, quæ in ipſo oppido putabatur conſiſtere: tantaq. difficillimi itineris laborem alacritate confecit, vt triginta millia paſſuum iucundius tranſuolaret, quàm ſi ad ſuburbanum aliquod amœniſſimum ad conuiuia epulaturi vocarentur. Igitur Magonam peruenimus. Statim ego, miſſis clericis aduentum meum Iudæis nunciaui, & vt ad Eccleſiam ſanctam accedere dignarentur, popoſci. Illi autem inopinatum nobis nuntium remittentes, mandauerunt: Eccleſiam ſibi (ne, credo, polluerentur) ingredi die eadem non oportere: eſſe enim diem Sabbathi, cuius feſtiuitatem ſuis illi actibus corrupiſſent. Rurſum ego expetiui, vt me ad Synagogam, ſi mallent, opperirentur, quandoquidem ingreſſus Eccleſiæ pollutio videretur: non vtique eos à nobis in die feſti Sabbathi ad opus ſeruile compelli, futurum autem honeſtiſſimum de lege conflictum, nec excitandas lites, & fabulas eſſe miſcendas: aut, ſi non aſtute certamen fugerent, & ſimplicem afferrent excuſationem, oſtenderent præceptum, quod in eo die ſermonem conferre, prohibitum ſit. Ad hæc cum illi in omnibus contradictionem obſtinatiſſimam retuliſſent, tandem illius leonis terrore compulſi, ad domum in quam hoſpitio acceſſeram, confluxerunt. Ibi ego: Quæſo (inquam) fratres, quare quaſi aduerſus latrones, præſertim in ciuitate Romanis legibus ſubdita, aceruos ſaxorum, omniaq. armorum genera congregaſtis? Nos acquirere cupimus, vos perdere deſideratis? Non eſt (quantum arbitror) æquum, vt tàm varia lite alterutrum laboremus: vos vero (vt video) ſititis noſtrum ſanguinem, nos vero veſtram ſalutem.

Ad hæc illi paululum territi, negauere factum: noſtris affirmantibus ita ſe habere, etiam cum iureiurando renitebantur. Tunc ego, vt nodum cœptæ contentionis abſcinderem: Vbi res (inquam) oculis probari poteſt, iuratione quid opus eſt? eamus igitur ad Synagogam, & vtrum pro vitio, an veritate, veſtra nitatur aſſertio, vobiſmetipſis teſtantibus, comprobabitur.

Per-

Pergere igitur ad Synagogam cœpimus, & hymnum Chriſto per plateam ex multitudine lætitiæ canebamus: pſalmus autem, quem mira iucunditate etiam à Iudæorum populis decantabatur, hic fuit: Perijt memoria eorum cum ſtrepitu, & Dominus in æternum permanet. Sed antequam ad Synagogam perueniremus, quædam Iudeæ mulieres, ordinatione credo Dei, audaciam præſumentes, vt ſcilicet noſtrorum lenitas incitaretur, lapides in nos ex ſuperiori loco immaniſſimos iactare cœperunt, qui (mirum dictu) cum ſuper confertiſſimam multitudinem, grandinis inſtar, deſcenderent, neminem noſtrorum non ſolum ictu, ſed nec tactu quidem vexauere. Hic agnis ſuis Leo ille terribilis manſuetudinem paulułum abſtulit: omnes ſiquidem, reclamantibus nobis, ſaxa corripiunt, & paſtoris commonitione poſthabita, cum vnum potius conſilium cunctis zelus potius Chriſti, quàm ira ſuggereret, Lupos cornibus impetendos cenſuerunt; quamuis hoc illius, qui ſolus bonus paſtor eſt, nutu factum eſſe, nulli dubium ſit.

Denique ne cruentam gregi ſuo videretur præſtitiſſe victoriam, nemo Iudæorum ſe contactum ſaltem fuiſſe, ne pro inuidia quidem, vt mos eſt, ſimulauit. Sane quoniam omnimodis debemus vitare mendacium, vnus ex omni Chriſtianorum numero inuentus eſt, qui cum Acham illi ſimilis eſſe vellet, qui ſub Ieſu Naue, de anathemate ſpolia concupiuit: nam ſeruus cuiuſdam Chriſtiani ſolus, dum aliquid à Synagoga diripere concupiſcit, in lapidem offenſionis incurrit. Quidam verò noſtrorum, quaſi aduerſus Iudæum lapidem iniecit, qui capiti eius illiſus, vt capitis ſui, ideſt Chriſti, meminiſſet, admonuit: quod vulnus licèt periculoſum non fuerit, tamen & illum rapinæ ſuæ confiteri concupiſcentiam compulit; & cunctos, ne ſimiliter laberentur, præſenti terruit vltione. Ioſ. 7.

Igitur poſtquam Iudæis cedentibus, Synagoga potiti ſumus, nullus ex ea quicquam non dico abſtulit, ſed nec cogitauit diripere: omnia eius ornamenta exceptis libris, atque argento, cum ipſo pariete ignis abſumpſit: Libros ſanctos, ne apud Iudæos iniuriam paterentur, ſuſtulimus: argentum verò, ne vel de præda noſtra, vel de ſuo diſpendio quererentur, ipſis reddidimus. Euerſa itaque, cunctis Iudæis ſtupentibus, Synagoga, ad Eccleſiam cum hymnis perreximus: & auctori victoriæ noſtræ gratias referentes, effuſis precibus poſcebamus, vt vera perfidiæ antra Dominus expugnaret, & tenebroſorum pectorum infidelitas coargueretur à lumine.

Ruben quidam Iudæus, à Domino, vt primogenitus omnium conſtitueretur, eſt electus: nam clamore ſanctiſſimo lætificans corda multorum, abſolui ſe à vinculis Iudaicæ ſuperſtitionis deprecabatur: Statimq. primitiuus Iacob factus, ſignum ſalutare ſuſcepit; & inde noſtris lateribus, atque conſilijs inhærens, obſtinatiſſimam cunctorum duritiem nobiſcum increpat. Triduum (ni fallor) emenſum eſt, ex quo noſtri in oratione, & Iudæi in perfidia perſtitere. Poſt hæc venit Theodorus, multitudinis ſuæ agmine circumſeptus, ad locum, in quo ſoli Synagogæ parietes, qui poſt hæc, credentibus Iudæis ſunt ſubuerſi, ſupereſſe videbantur: ad quem locum Chriſtianorum pariter multitudo conuenit.

Ibi Theodorus cum audacter de lege differens, omnia quæ obijciebantur, irrideret, atque peruerteret, populus Chriſtianus videns, quod verbis ſuperari non poſſet humanis, auxilium de cœlo implorauit. Omnes itaque pariter

pariter clamantes, cum ſummo vnitæ vocis fragore dixerunt: Theodore, crede in Chriſtum. Mira indulgentiſſimi Domini miſericordia, adhuc parua petebantur, & maiora conceſſerat. Immo non mirum eſt de omnipotente miraculum. Ipſe enim virtutem clamoris huius in auribus Iudæorum
4. Reg. 7. commutauit, qui olim effecit, vt quatuor leproſi Regis Syriæ, qui Samariam obſederat, caſtris potirentur: & qui per Gedeon Madianitarum
Iud. 7. agmina conturbauit, deditq. trecentis eius viris ingentem ſine labore victoriam, efficiens per terrorem, vt mutuis hoſtium multitudo vulneribus proſterneretur.

Ita & nunc iſta vox longè aliter à circumſtantibus Iudæis ſuſcepta eſt, quam à noſtris immittebatur: omnes enim putauerunt dictum: Theodorus credidit. Itaque exiſtimantes principem perfidiæ ſuæ ad Chriſti fidem fuiſſe conuerſum, cuncti pariter trepidi, vbi timor non erat, terrebantur: Mulieres eorum ſparſis crinibus, occurrentes cum ferali vlulatu, nomen Theodori, repetitis vocibus, accuſabant, dicentes: O Theodore, quid feciſti? Viri autem alij ad deuios ſaltus & fixuras montium confugere: alij per ipſius oppidi angiportus diſcurrebant, locum in quo deliteſcerent, inuenire cupientes.

Ipſe Theodorus ſtupore perculſus, diuinam ſententiam in plebe ſua cernebat impleri: Fugit impius, nemine perſequente; ſed tamen non nemine,
Prou. 8. perſequebatur enim ille Leo terribilis, qui de Synagogæ loco (ſicut Theodoro fuerat reuelatum) per monachos rugitum miſerat, quo reſiſtentes tremefecit inimicos. Stabat igitur Theodorus in loco prorſus eodem, quo ei pridem per ſomnium terror fuerat Leonis iniectus: & cum cauſam tantæ trepidationis inquireret, & nomen ſolummodo noſtri Leonis audiret, nullam illic (ſicut ferebatur) feritatem videns, tantùm pſallentes monachos intuebatur; & ab omni ſuorum multitudine deſtitutus, atque elabi parans, etiam ipſe pedum viam proſpiciebat: quem cum horribili formidine apprehenſum, non ſolùm colore vultus, verumetiam vocis officio deſtitutum Ruben ille ſanctiſſimus aſpexiſſet, properè accedit, & trementem blando ſermone compellans, ad Chriſti fidem cohortabatur; atque ingerens ei pro ſuffragio metus, ſuæ credulitatis exemplum, domus figuræ, ad quam pauore Leonis confugeret, quodammodo ſatis facere videbatur.

Verùm, vt & nos fideliter vniuerſa narremus; & vos qui non eloquij ornatum, ſed veritatem quæritis, libentius audiatis, ipſius Ruben verba inſerens, nihil ex ſimplicitate dictorum eius ſubtraham. Aiebat enim: quid times, domine Theodore? Si vis certè ſecurus, & honoratus, & diues eſſe, in Chriſtum crede, ſicut & ego credidi. Modò tu ſtas, & ego cum Epiſcopis ſedeo: Si tu credideris, & tu ſedebis, & ego ante te ſtabo. Hos ſermones Theodorus alta mente ſuſcipiens, ad nos ait: Faciam quod vultis: tenete, inquit, promiſſionem hanc. Sed permittite mihi, vt prius alloquar plebem meam, vt maiorem conuerſionis meæ etiam ex reliquis poſſim habere mercedem. Hæc eius ſponſio cum inexiſtimabili cunctorum exultatione ſuſcepta eſt: alij in eum amabiliter irruentes, os ipſius & colla mulcebant; alij eum vlnis mollibus amplectebantur; alij autem dexteram dexteræ adiungere, & ſermonem conſerere geſtiebant.

Perrexit igitur Theodorus ad atrium ſuum quolibet officio noſtrorum

lætus, tamen anxietate non penitus carens. Nam licèt in domum Ruben per promiſſionem ſuam iam veniretur, ingreſſus tamen, & tunc trepidus erat, quia nondum ad propinquam venerat, quæ eum poſt triduum materno ſuſcepit ſinu, & ab omni trepidatione perturbationis abſoluit. Nos autem ad Eccleſiam cum hymnis, ex more perreximus. Benedictus eſt pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui dedit capiti noſtro aquam, & oculis noſtris fontem lacrymarum, vt ploraremus vulneratos populi noſtri. *Hierem. Thren. 1.*

Peractis ſiquidem myſterijs, Eccleſiam egreſſi, non minimam in occurſum noſtrum Iudæorum multitudinem conueniſſe inſpeximus. Omnes vnanimiter deprecabantur, vt Chriſti characterem à me, licèt indigno paſtore ſuſciperent. Reuerſi itaque ad Eccleſiam, & toto corde Domino gratias referentes, illico in frontibus eorum ſignum ſalutis impreſſimus. Quæ autem cum his, qui ad ſyluas, ſiue antra confugerant, Chriſti virtute geſta ſint, quæ lingua effabitur, præſertim cùm vnuſquiſque eorum propriam conuerſionis ſuæ habeat hiſtoriam? Sicut itaque nobis impoſſibile eſt, omnia dicere; ſic ingratum cuncta præterire. Quapropter vnum Chriſti miraculum, quod tùm à fidelibus, probatiſſimiſq. comperimus, precibus veſtris adiutus euoluam.

Meletius Iudæus Chriſti nomen menti ſuæ diuinitus impreſſum, cùm expellere non poſſet, ne fortè Chriſtianus fieret, exulat cum alio; verùm dum è via aberrat, & tenebris inuoluitur, & vepribus laceratur, Chriſti nomen inuocare coactus, reuertitur, & Chriſtianus efficitur. Cap. 291.

DVo quidem primarij Iudæorum, Meletius Theodori frater, & Innocentius, qui Hiſpaniarum cladem nuper effugiens, cum famulis ſuis ad hanc Inſulam venerat (ſicut nunc ipſi etiam cum ſacramentorum terribili interpoſitione confirmant) ad vnam ſpeluncam, vel potius rupem conuenerunt, aſſociando ſe duobus quibuſdam Iudæis humili loco ortis, qui iſtos communis fugæ principes legerant. Igitur cum in loco eorum trepidi, anhelanteſq. paululum reſediſſent, duos illos, qui ætate alacres, & audaces erant, explorandi gratia ad oppidum remittentes, ſoli derelicti ſunt ibi. Tunc prior Meletius: Quid eſt, inquit, frater, quod verbum (ſicut docet religio noſtra) blaſphemum auellere à corde meo nequeo? Ex quo enim fratrem meum conuerſum fuiſſe, Chriſtianorum populus inclamauit, nihil aliud mihi in corde ſuggeritur, niſi hoc verbum, mihi vſque ad hunc diem penitus ignoratum, CHRISTE IN NOMINE TVO. Quanto magis pulſare hoc ab animo meo nitor, tanto violentius, tenaciuſq. inhæreſcit. Ad hæc Innocentius: Non (inquit) fruſtrà hic ſermo, quem cor tuum (vt apud cunctos probatiſſimum eſt) antea nec cogitauit, nec vnquam protulit, hic præſertim menti tuæ, vt aſſeris, tàm violenter inſertus eſt; hoc ex Deo eſſe arbitror. Verumtamen elabora, obſecro, & fabulis his declinatis, interpellationem moleſtæ cogitationis expelle.

Tunc

Tunc Meletius ita obſtrepere, & conſuſis clamoribus perſonare cœpit, vt eum cum ſua mente luctari, non ſolum nutibus vultus, ſed etiam totius corporis indicio Innocentius cerneret, quod poſteaquam ne parum quidem proficere intellexit, & adiecit etiam illud, vt verba quædam profana, & turpia loqueretur, & tunc naribus corrugatis, aerem ſorbens inhoneſtos ſtrepitus promeret, nunc fœtidis riſibus cachinnaretur: ſed hæc ab animo eius nomen Chriſti extinguere nequiuit inſania, quia iam cunctas eius medullas ſanitatis ignis peruaſerat. Quid ergo (inquit) Innocenti frater? in contrarium verba iſta vertuntur: abolitionem mihi nominis Chriſti, nec ſcurrilitate verborum, nec ipſis poſſum obſcœni ſonitus extorquere blaſphemijs: aliud ſiquidem, mihi crede* ſentio, quod cordis mei auribus, quas fruſtrà obſtruere nitor, Chriſti nomen ingerere, inceſſabili clamore non deſinit. His Meletij verbis talia Innocentius retulit: Fratrem tuum Theodorum, doctrina, honore, & ætate maiorem, ad Chriſti fidem conuerſum, his auribus audientibus, plebs Chriſtiana teſtata eſt: poterit ne fieri, vt etiam tu germani conſtrictus exemplo religionem Iudaicam deſeras? Quid ergo in hac terribili ſolitudine diutius tempus terimus? quamdiu etiam inopia victus laborare poterimus? Quid cauſæ eſt, vt fame tabeſcamus, areſcamus ſiti, obrigeſcamus algore? ad poſtremum (quod iam patimur) noſtræ huius ſolitudinis horribili teneamur ſilentio? numquid latronum vincula, numquid barbarorum gladios fregimus? numquid ſanguinem noſtrum plebs tanta miſericors, quâ pro nobis flere conſpeximus, concupiſcit? recordemur, obſecro, quem vmquam læſerit vi noſtrorum, vel ſaltem irrogauerit iniuriam, reuertamur ad innoxios, quos in nullo læſimus inimicos, & quod Deo placuerit, fiat.

** alia lectio habet, mihi reddi.*

Ad hæc Meletius: Ego te (inquit) Innocenti frater, quem non ſolum Latinis, ſed etiam Græcis litteris eruditum ſcio, & legem iugiter meditari, oblitum reor, quod per Ezechielem Prophetam Dominus ait: Anima quæ peccauerit, ipſa morietur. Si enim legiſti hoc, cur me fratris mei Theodori exemplo attrahi poſſe ad fidem Chriſti exiſtimas? Habet ille animam ſuam, ita & peccatum ſuum: quod quidem peccatum mihi, ſi Dominum Deum non relinquo, non nocebit. Teſtor autem illum, qui eduxit patres noſtros de terra Aegypti, me, ſi hyemis violentia non obeſſet, abrepto quocumque nauigio, ad quaſlibet terras ſolum velle migrare: nec me poſſeſſionum amor, nec affectuum charitas detineret, quorum facilis mihi iactura eſt, tantum ne Deum patrum meorum negare compellar. Quod autem conſilio inutili ad Ciuitatem remeandum decernis, miror te prudentiſſimum virum non animo prævidere, quid de nobis futurum cenſeas, ſi Theodorus, columna Synagogæ noſtræ, in quo omnem fiduciam reponebamus, apoſtatare compulſus eſt. Hoc ergo ſanius eſt, vt eamus ad agrum meum, nec nos vltra Chriſtianorũ oculis ingeramus: poſſumus enim illic interim deliteſcere, donec opportuno tempore ad peregrina emigremus: quandoquidem in hac Inſula ita apud cunctos odium noſtræ religionis increuit, vt qui patriam non reliquerit, fidem patrum tenere non poſſit. Cur itaque non voluntarium ſuſcipiamus exilium, ad quod (ſicut res indicat) odijs ciuium, etiam ſi nolumus, deſtinandi ſumus? Hoc igitur conſilio vtriuſque ſententia confirmata, laborem deſtinati itineris arripiunt.

Ezech. 18.

Sed dum per anguſtiſſimum ingrediuntur callem, cogitationum tenebris

lucem

lucem occæcantibus oculorum, ipſum quem inſcij ſequebantur tramitem, perdiderunt, & in locis deſertis atque inuijs remanſere. Cum autem ſcinderentur ſentibus, aut vepribus lacerarentur, poſtquam corpus ſuum longis fœdauere vulneribus, ad tantam primo quidem anxietatem, deinde etiam ad deſperationem, atque formidinem venere, vt compellerentur fateri, ſe ea iudicio Dei ob incredulitatem perpeti. Igitur nomen Chriſti, quod ante ſe vltro ingerens repellebant, laceratis iam cruribus, inuocantes, ſemitam, quæ eos contra voluntatem, ac propoſitum ſuum ad oppidum retraxit, corripuerunt. Sed cum ad Ciuitatem inuiti, ac trepidi peruenifſent, curioſius omnia percunctantes, audierunt Theodorum etiam nunc Iudæum eſſe, nec vllam, ſicut exiſtimauerant, populi Chriſtiani pertuliſſe violentiam. Stupētes autem, & quod ipſis acciderat, non credentes, ad domum Theodori iter dirigunt, vbi cum eos, iam pene exacto prandio, ille excepiſſet, illicò inquirit cauſam, cur à ſe, & à Ciuitate abſceſſiſſent, vniuerſumq. ordinem geſtæ rei, magis cum riſu, quàm cum admiratione cognoſcit.

Plures Iudæi ad fidem conuertuntur. Prope eccleſiam B. Stephani prodigia magna fiunt, globus candidiſſimi luminis apparet. Grando inſtar mannæ de Cælo deſcendit. Theodorus Iudæus conuertitur, & plures Iudæorum ſequuntur illum. Cap. 292.

POſt triduum Theodorus cum concionari ad plebem ſuam, eosq. ad fidem Chriſti prouocare diſponeret, vltro ſe offerentium ad confeſſionem Iudæorum etiam ſeditionem pertulit. Nemo enim eorum ferme erat, qui non ſe palam ſenſiſſe Chriſti potentiam conteſtaretur: nam primo in Concilio eorum adoleſcens quidam ipſius Theodori conſobrinus, nomine Galilæus, vt congruum (ſicut dictum eſt) nominibus myſterium geſtæ rei vſque ad finem deduceretur, cum ingenti inuidia proclamare hoc cæpit: Conteſtor, inquit, vos omnes me Iudæorū eſſe non poſſe in poſſeſſione; ſiquidem in ea Chriſtianos conſortes habeo, quorum odijs, ſi in Iudaiſmo perſeuerare voluero, forſitan perimendus ſum. Ego igitur vitæ meæ periculo conſulens, ad Eccleſiam iam pergam, vt necem quæ mihi paratur, effugiam. Hæc Galilæus, cum ad tempus fugæ ſe pararet, quaſi vt cauſas conuerſionis ſuæ reddidiſſe videretur, de futuri ſeculi morte tunc nihil cogitans, veritatem inſcius loquebatur. Huic ſermoni, penè præteriens vir honeſtus, & non ſolum inter Iudæos, verumetiam in Ciuitate vſque adeo præcipuus, vt etiam nunc defenſor Ciuitatis electus ſit, Cæcilianus, vera Galilæum dicere, ſeq. ſimilem habere cauſam, ſimilia formidare atteſtabatur: quibus verbis tantam ſupramemorato iuueni adiecit confidentiam, vt in conſpectu omnium curſu rapidiſſimo ad percipiendum fidei brauium ad Galilæi noſtri conuolaret auxilium, & ab humilitate noſtra, vt eiuſdem inde nomine cenſeretur, expeteret. *Ead. Seueri Epiſt.*

Cæcilianus autem, cum eſſet Iudæorum pater, habito cum Florino fratre ſuo æquè Iudæorum patre ſeniore conſilio, huiuſmodi (ſicut agnouimus) verbis Synagogam adorſus eſt: Ego, inquit, cum ſim in honore Synagogę

poſt Theodorum primus, non ſicut iuuenis Galilæus, cunctos quaſi trepidus conſulo, conteſtorquè, ſed potius adhortor atque commoneo, denuntians, vt errore praui itineris derelicto (ſi fieri poteſt) omnes pariter ad fidem Eccleſiaſticam concurramus. Quod ſi vos ad Chriſtum tanta virtus non attrahit; ego certe, & Florinus frater meus, ſicut recuſantibus vobis tantam ſalutem, vim inferre non poſſumus, ita nos cum vniuerſa domo noſtra religionis huius, quam aſtruere non valemus, ludibria deſerentes, Chriſtianorum numero, fideiq. ſociabimur, qui nunquam vtique innumerabilibus ſcripturarum teſtimonijs non ſolum te, frater Theodore, qui peritior reliquis videris, ſed etiam cunctos conuincerent, niſi veritatem, quæ vinci non poteſt, ſectarentur. Tali Cæcilianum ſenſu plebem ſuam affatum comperimus, multosq. Iudæorum eadem die ad fidem Chriſti cum ipſo concurrentes cum ineffabili exultatione ſuſcepimus.

Prodigia ſane, quæ de cælo tunc facta ſunt, ſicut eloqui digne non audam, ſilere non audeo. Hora circiter ſeptima miſſam Dominicam ſolemniter cœpimus celebrare: nam, dum nos aduenientes ad Chriſti fidem Iudæos, vel exhortamur, vel adnotamus (ſi quidem nomina eorum ſcripſimus) populus autem tanti gaudij epulis ſaginatus carnalium non meminiſſet eſcarum, pars diei maior excurrerat. Cum igitur in Eccleſia, quæ paululum à Ciuitate ſequeſtri in loco ſita eſt, in qua ſancti martyris Stephani nuper reconditæ reliquiæ conquieſcunt, nobiſcum pariter plebs vniuerſa Miſſam operiebatur; duo quidem monachi, quos Dominus teſtes ſuorum miraculorum prælegit, in campo, qui ante fores Eccleſiæ protenditur, in herbis accubabant. Vir autem honoratus, Iulius nomine, cum alio quodam de Ciuitate Eccleſiam petens, cum per ipſos prætereire cœpiſſet, reſpiciente vno ex Monachis (viſo mirabili ſigno) conturbatus, confuſum emiſit clamorem, conuerſusq. ad ſe, protenſa manu, quæ verbo explicare non poterat, quid videret oſtendit: Erat globus quidam candidiſſimi luminis, proceritate ſui ſtaturam quaſi hominis adæquans, inſtar vaſculorum, quæ vulgo Orcæ appellantur, tantæ vero claritatis, & fulgoris, vt viſum fuit, quod fratri qui id prior notauit (ſicut ipſo referẽte cognouimus) ſol decidere videretur: hoc ſicut iſtis viſum eſt, quaſi trans baſilicam, in qua vniuerſus nobiſcum populus conſederat, lento lapſu demittebatur; verum ita propinquum putauere, vt ſe idem frater ſtupore percitus curſu præriperet, exiſtimans id poſt baſilicam deci diſſe: ſed ab illo retractus fratre, greſſum inhibuit: ille enim ita quidem etiam ſibi viſum, tamen longius fuiſſe non quaſi certus, ſed vt æſtimans, aſtruebat. Mulieres autem quædam tunc Iudææ, inter quas matrona Meletij illius, cuius ſupra mentio habita eſt, de cœnaculo perſpicientes, ita ſibi idipſum viſum affirmabant, quaſi ſupra baſilicam decidiſſet. Verum hoc, vtrum Angelus, an ipſe Stephanus, quod viſum eſt, fuerit, incertum eſt.

Eadem diei hora circiter quarta, ideſt, paulo antequam hoc ſignum demonſtraretur, grando minutiſſima, quam Incolæ Inſulæ illius gentili ſermone Abgiſtinum vocant, non vſquequaque copioſa defluxit: hęc, cum odor ex ea mellis fragrare cępiſſet, à multis quos per viam verberauerat, degu-
Exod. 16. ſtata, dulcior melle comperta eſt. Multi itaque ſapientes, cum eadem die filios Iſrael ab Aegypto perfidiæ ſuę, atque à ſeruitute egreſſos viderent, hęc quæ facta ſunt, ſignis illis, quę in Exodo legimus, comparabant huic populo

pulo, qui Deum credulo corde intuens, verumetiam Iſraelis nomen meruit, manna crederent innouari: columnam quoque ignis, quæ patres in Eremo præcedebat, vt etiam filijs à vera Aegypto atque fornace (ſicut ſcriptum eſt) ferrea egreſſis, ducatum præberet ad vitam, oſtenſam fuiſſe exiſtimarunt. Et re vera (ſicut lectione Exodi atteſtatur) ſimilitudo ſignorum minimè diſcrepat: nam, & illud quod niuem fuiſſe credidimus, ſemen coriandri minuti adæquabat, mellis ſaporem ferebat: & hoc quod apparuit, columnæ igneæ ſpeciem habuiſſe, manifeſtum eſt. Vtrumque autem ſignum etiam Iammonæ conſiſtentibus fratribus reuelatum fuiſſe cognoſcimus: nam, & pluuiam mellis multi, quibus intellectus requirendi, & per guſtus agnoſcendi datus eſt, probauere: & columna candidiſſimi illius luminis multorum, quos dignos Dominus iudicauit, ſe ingeſſit aſpectibus. Vnde intelligi datur, Iudæos per vniuerſum orbem fidei lumine viſitandos: quoniam quidem nobis, qui in hac Inſula, atque in hoc paruulo (vt ita dixerim) orbe conſiſtimus, tantus cæleſtis gratiæ ſplendor illuxit, vt vſque ad extremos terræ veſtræ terminos ſignorum viſio perueniret. Exod. 13.

Sequenti igitur die ſumma omnium expectatio, vt Theodorus ſponſioni ſuæ ſatisfaceret, admonebat: qui cum iuſtis (quantum videbatur) allegationibus cunctorum vota crederet differenda, dicens matronam prius ſuam, quam in Maioricenſi reliquiſſet Inſula, huc ſe velle deducere, ne forte ſi abſque conſenſu ſuo virum ſuum conuerſum fuiſſe agnouiſſet (ſicut ſolet) pertinax perfidia eſſet, perſuaſione matris præcipuè ſuæ, quæ adhuc ſupererat, & conſilijs dementata, & à coniugio viri religione diſcederet. Cum hæc Theodorus Chriſtianis iam acquieſcentibus propalaſſet: Iudæis qui conuerſi fuerant, acerrima commotione reſiſtentibus, amputata dilationis mora, ad matris propinquæ ſinum feſtinus ipſe, vt in ſomnis viderat, conuolauit. Poſt quem omnis, tanquam remoto obice, ad Eccleſiam Synagoga confluxit. Mirum dictu, inueterati illius legis Doctores ſine vlla altercatione verborum, ſine vllo ſcripturarum certamine crediderunt: tantum percunctati, an vellent fidem Chriſti ſuſcipere: credere ſe in Chriſto, & Chriſtianos fieri cupere profitebantur. Centum quidam, & duos (vt aſſerunt) ætatis, atque perfidiæ ſuæ habens annos, ſine trium commutatione verborum, ſpe futuræ vitæ alacer, decrepitus, optare ſe, vt in fine temporum ſuorum per fidem Chriſti ad ſpiritualem reuerteretur infantiam, nobiſq. putrefacta iam ſenio membra, vt quantocyus per baptiſmum regeneraretur ingeſſit.

Arthemiſia nobiliſſima Iudæorum femina, aquam, & rorem verſum in ſuauiſſimi mellis dulcedinem mirabiliter ſentiens, ad fidem Chriſti conuertitur.
Cap. 293.

FVerunt quidam Iudæi, qui prætereuntes, illuc appulſi, opportunitatem temporis, atque ventorum aucupabantur, qui nauigandi conceſſa opportunitate, credere maluerunt. Tres igitur tantum feminas, ſed nobiliſſimas Iudæorum, ad virtutis ſuæ gloriam dilatandam, in duritie perfi- Ead. Epiſt.

diæ ſuæ Chriſtus permanere aliquantulum paſſus eſt. Arthemiſia ſi quidem Lettorij, qui nuper hanc Prouinciam rexit, & nunc Comes eſſe dicitur, filia, coniugis Meletij conuerſione commota, cum vna ferme amica, & nutrice, & paucis ancillis, domum viri ſui deſerens, ad quandam ſpeluncam, licet in viñea, tamen remotiore paululum loco ſita, oblita femineæ infirmitatis euaſit. Erat in ea paruum, nouumq. torcular, lacusq. nouus factus, figuram quodammodo gerere credentis populi videbatur: non enim iſtos ſicut vtres veteres, ſed ſicut nouos lacus muſtum noui teſtamenti recepiſſe, & credimus, & videmus.

In eo igitur loco cum per biduum matrona à viro ſuo offenſa, inexorabilis permanſiſſet, vt primum tertia dies illuxit, famulæ aquam haurire imperauit: quam cum odore, & ſapore mellis dulcedinem referre ſenſiſſet, primo quidem miniſtræ ſuccenſere cæpit, & cur in eodem vrceo mel iniecisſet, indignans, inquirebat: poſtquam autem, vt quaſi negantem conuinceret, ad lacum pergit, de quo paululum concauis manibus hauriens, reperit aquam, qua per biduum vſa fuerat, in mellis ſuauiſſimi verſam dulcedinem. Aduocans itaque cunctas, quæ aderant, vt guſtarent rogat, ne forte fallax ſapor in faucibus tantum ipſius ſuauitatem mentiretur. Omnes guſtantes mira oblectatione affectæ ſunt, vt non aquam mellis ſapore delibutam, ſed mel ſinceriſſimum, ſolum aquæ ſimilitudinem cenſerent. Stupore igitur perciti, dum ad Ciuitatem reuerti parantur, curioſius agentes, etiam rorem, qui in herbis plurimis erat, deguſtatum ſimilem repererunt. Pergens itaque ad Ciuitatem matrona memorata, hæc marito retulit, & per eum omnibus indicauit, ſtatimq. ad Chriſti fidem ſine reluctatione conſenſit.

Iudæis ad Chriſti fidem paulatim venientibus per multos dies ſereno cælo pluuia mirifico odore comitante deſcendit. Orantibus Chriſtianis aliquæ obſtinatæ mulieres fidem recipiunt.
Cap. 294.

Ead. Epiſt. VErùm eadem die, qua Meletij vxor amaritudinem incredulitatis abijcere ex melle compulſa eſt, eadem inquam die, qua memorata filia
Exod. 15. Iſrael, quaſi in deſerto poſita illum antiquum Mara lacum, iniecto Crucis ligno, obdulceſcere perſenſit: ita mirifico vereque cæleſti omnis Eccleſia odore fragrauit, vt præſentiam Spiritus ſancti, quam ante iam aliquoties, ſed pauciſſimi ſenſeramus, fraternitas penè vniuerſa ſentiret: & mirum cunctis illud fuit, quod per eoſdem dies ſerena propemodum iugiter permanente, creberrimi imbres demittebantur, & paulatim venientes ad fidem Chriſti Iudæos pluuia præcedebat; ita vt hoc animaduertentes, vulgò inter nos, & quaſi iocula riter diceremus: Ecce iam pluit, ſcitote quoſcumque Iudæos ad Chriſti fidem acceſſuros. Mirum dictu, frequenter, dum adhuc talia loqueremur, à quibuſdam Iudæis fidei ianua
Pſal. 67. pulſabatur: nec immerito, ſicut ſcriptum eſt: Pluuiam voluntariam ſegregabit hæreditati ſuæ Dominus. Deſuper erant feminæ, quæ in odorem vnguentorum Chriſti currere recuſabant.

Inno-

Innocentij illius, cuius ſupra fecimus mentionem, matrona cum prole ſua, venerabilis (ſicut fama eſt) vidua, illicò vt Innocentium ſororis coniugem conuerſum eſſe conſpexit, nauim conſcendit, non ſolum permittentibus, ſed etiam ſuadentibus nobis, quia ad Chriſti fidem nec verbis, nec miraculis flecterentur. Vxor autem Innocentij per quatuor fere dies verbum ſalutis, quod ingerebamus, obduratis auribus recipiebat. Hæc cum omnem reſpuens medicinam, inſanabili incredulitatis valetudine opprimeretur, nulliſq. Innocentij coniugis, vel minis, vel precibus, vel lachrymis moueri poſſet; vniuerſa, Innocentio rogante, ad domum, in qua habitabat, fraternitatis multitudo conuenit, habens magnum dolorem animi, quod tantæ lætitiæ plenitudini vna mulier obſiſteret, quia iam ſoror eius manifeſtè putabatur. Cum igitur diu caſſa verba ſurdis auribus ingerentes nihil profeciſſemus, ad cognitum orationis præſidium conuolauimus; preceſq. quas humana repellebat pietas, ad cæleſtem miſericordiam vertimus. Itaq. vſque in horam tertiam ferme hymnorum, & orationum prælijs aduerſus Amalech hoſtem Ieſu, Ducis noſtri ſudauit exercitus. Inde cum iam penè (quod fatendum eſt) deſperantes, abſceſſionem moliremur, reſumptis rurſum viribus, orationem cunctis indiximus, ſoloq. ſtrati, diu fleuimus: & cum in conſummatione orationis, Amen, populus acclamaſſet, & illa credere ſe, & Chriſtianam fieri velle ſubiunxit. Nos itaq. hac etiam à Diaboli laqueis eruta, læti ad habitacula noſtra perreximus.

Sequenti, ideſt, octaua demum die, qua veneramus Iammona, remeare ſtatuimus, optima præclaræ victoriæ gaudia reportantes: ſed cum iam in procinctu itineris conſtituti Ciuitate digrederemur, Dominus populo ſuo, quaſi pro viatico, gaudium, quod ſolum deeſſe videbatur, adiecit. Affinis ſiquidem Innocentij illa vidua de pelago reducta eſt, quæ ſubito ſe meis genibus aduoluens, fidei noſtræ auxilium cum lachrymis deprecabatur. Cui ego: Cur, inquam, mulier tanta animi leuitate fratres tuos deſerere voluiſti? Ad hæc illa, & Iona, inquit, Propheta à facie Domini fugere voluit, & tamen voluntatem Dei, licet inuitus, impleuit. Suſcipe ergo tu, non ſolum me, ſed, & iſtas orphanas, & Chriſto eas nutri. Et hoc miſerabiliter acclamans, duas filias ſuas paruulas mihi cum fletibus ingerebat. Quis non prægaudio fleuit? Cui non extorſit lachrymas lætitiæ magnitudo? Suſcepi planè ouem, quam ex omni numero ſolam erraſſe putabamus, eamq. cum gemino fætu ad Chriſti ouilia reuocaui.

Quingentorum, & quadraginta Iudæorum conuerſione facta, euerſis ſynagogis, ijdem ad nouam Baſilicam Chriſto conſtituendam, pecunias, & ſaxa comportant. *Cap. 295.*

SAnè per hos octo, quibus hæc geſta ſunt, dies, ante initium Quadrageſimæ, Paſchæ à nobis celebrata eſt feſtiuitas: quingentas ſiquidem, & quadraginta animas ad Eccleſiam conſtat adiectas. Inane autem, & ſuperuacaneum non reor, vt cum multa propter infinitam copiam prætermiſero, in fine commemorem, neminem ex tanta Iammonenſis populi multitudine, qui per triginta millia paſſuum ante tot dies venerat, aut curam domus ſuæ,

auț prouiſionem ſubſtantiæ, aut deſiderij affectum huic operi prætuliſſe. Illud magis mirum, magisq. gaudendum eſt, quod ipſam Iudaicæ plebis terram diu inertem, nunc autem reciſis incredulitatis vepribus, & recepto verbi ſemine, multiplicem fructum iuſtitiæ germinare conſpicimus: ita vt nobis in ſpe tantorum noualium gaudeamus, vnde inſignem perfidiæ eruimus ſyluam, illic fertiliſſima fidei opera pullulare. Primum enim ipſa Synagogæ fundamenta euertere, deinde ad nouam Baſilicam conſtituendam nō ſolum impendia conferunt, ſed etiam humeris ſaxa comportant. Hæc beatitudo veſtra die quarta nonarum Februalium, virtute Domini noſtri Ieſu Chriſti arrepta, octo diebus ab eodem conſummata eſſe cognoſcat, poſt Cōſulatum Domini Honorij vndecimum, & Conſtantio iterum victore. Quamobrem ſi indigni, & peccatoris verbum dignanter admittitis, zelum Chriſti aduerſum Iudæos, ſed propter Deum, eorumdemq. perpetuam ſalutem, ſuſcipite. forſitan enim iam illud prædictum ab Apoſtolo venit tempus, vt plenitudine gentium ingreſſa, omnis Iſrael ſaluus fiat. Et forte hanc ab extremo terræ ſcintillam voluit Dominus excitari, vt vniuerſus orbis terrarum charitatis flagret incendio.] hactenus Seueri Epiſcopi Epiſtola: miſſa enim (vt diximus) hæc ad cunctos Chriſti fideles, inter alia loca, etiam Vzali in Africa; vbi Euodius Epiſcopus erat, lecta eſt, vt ante meminimus.

l. 24. de Iud. Cod. Theod. His autem quamcitiſſimè per vniuerſum Chriſtiani orbem vulgatis, Honorius Imperator legem tulit, qua Iudæos vetuit honoribus, & magiſtratibus fungi, militiæq. cingulo, ſi qui accepiſſent, exui: ratus nimirum, exemplo Minoricenſium Iudæorum, conuerſionem ipſorum eiuſmodi vexatione eſſe tentandam. Sed & illud accidit, vt cum eædem Seueri Epiſcopi litteræ per omnes Eccleſias legerentur, Chriſtianorum pariter omnium incenderentur animi ad conuerſionem Iudæorum aggrediendam, iiſdem initijs auſpicandam, qua cæpiſſe ſcirent Minoricenſes, nempe incenſione Synagogarum ipſorum. Tolerabilis viſa eſt magiſtratibus eiuſmodi ex pietate proueniens vis illata. Sed cum nec ob eam cauſam Iudæi conuerterentur, iiſdemq. apud Imperatorem queri minime deſiſterent, opus fuit tandem conſulere illis, factumq. eſt, vt poſt annos demum quatuor, Imperatores ſancirent edictum, quo eiuſmodi Synagogarum prohiberent incenſionem, & bonorum deprædationem. Sed quod nec ſic deſiſterent, qui ſemel ſumpta licentia hoc aggreſſi fuerant Chriſtiani, alijs eodem anno editis ſanctionibus, oportuit cohiberi. Extant ipſa edicta, primumq. ſic ſe habet.

ll. 25. 26. 27. de Iud. Cod. Theo. l. 25. de Iud. Cod. Theod. Placet in poſterum nullas omnino Synagogas Iudæorum, vel auferri paſſim, vel flammis exuri. Et ſi quæ ſunt poſt legem recenti molimine, vel ereptæ Synagogæ, vel Eccleſijs vendicatæ, aut certè venerandis myſterijs conſecratæ, pro his loca eis, in quibus poſſint exſtruere, ad menſuram videlicet ſublatarum præberi. Sed & donaria, ſi qua ſunt ſublata, eiſdem, ſi nec dum ſacris myſterijs ſunt dedicata, reddantur: ſin redhibitionem conſecratio veneranda non ſinit, pro his eiuſdem quantitatis pretium tribuatur. Synagogæ de cetero nullæ prorſus extruantur, veteres in ſua forma permaneant. Hæc Imperator 25. Kal. Martij Aſclepiodoto, & Maximiano Conſſ. Sequuntur duæ leges eodem argumento ſub iiſdem Conſulibus datæ, quas ne nimis prolixi videamur, prætermittimus recenſere. Ceterum, quod non idem eſt conſecutus euentus, plane notum factum eſt non Synagogæ conflagra-

gra-

gratione, ſed protomartyris virtute in oſtenſione ſignorum, Minoricenſes Iudæos ad fidem eſſe conuerſos, vt ex dicta epiſtola ſatis exploratum habetur.

Quare permittat Deus contra iuſtos, præualere in hoc mundo homines peccatores. *Cap. 296.*

HAec atque alia admiranda operatus eſt Deus in ſequentibus ſeculis, vt in primo hoc martyre apparet, quod illi, qui pro Dei gloria, pro fidei Chriſti veritate rapinas bonorum paſſi ſunt, opprobria & verbera, carcereſq. ſuſtinuerunt, & morti traditi ſunt, quamquam viſi fuerint iniquorum & inſipientum hominum iudicio eſſe morituri, & præualuiſſe videatur contra eos, iniquitas & iniuſtitia ſæuientium in eos, non tamen, ſi bene res inſpiciatur, fuerunt victi, ſed victores extiterunt, non mortui, ſed immortales, non ſub ſilentio, ſed in pace ſunt conſtituti, & poſt mortem conſecuti ſunt regnum, & vires indeficientes, vt omnia poſſint, quoniam viuunt apud eum, qui omnia poteſt. Aeſtimata eſt etenim afflictio exitus illorum, ſed animæ eorum in manu Dei ſunt. Et ſi coram hominibus tormenta paſſi ſunt, non tetigit illos tormentum mortis, ſed Deus tentauit eos, tanquam aurum in fornace probauit eos, & quaſi holocauſti hoſtiam accepit illos, quoniam non amiſerunt terram, ſed conſecuti ſunt cæli ſublimia, non abierunt in exterminium, ſed extra mundi terminos, & carceres egreſſi, cæleſtes regiones, & ſidereas manſiones obtinuerunt. Et fulgent ſicut Sol, & in paucis vexati, in multis bene diſponuntur, & vita illorum immortalitate plena eſt, quoniam donum, & pax eſt electis eius. Interim autem tormentis & contumelijs permiſit eos tentari, & morte turpiſſima condemnari, vt probaretur patientia eorum, donec corona ſempiterna poneretur ſuper caput eorum. Iuſtorum enim afflictiones, dolores, tormenta, & illatæ contumeliæ, ſunt quædam arcana, & veluti ſacramenta Dei, ſub quibus abſcondit mercedem iuſtitiæ, & ſpem gloriæ, ſub illis enim latet honor animarum ſanctarum: bonorũ enim laborum glorioſus eſt fructus. Impij autẽ & perſequentes viros iuſtos, & infligentes mala erunt in conſummatione, & ſecundum ea, quæ cogitauerunt, corruptionem habebunt, & brachia eorum conterentur, & peribunt, & vacua erit ſpes illorum, & labores ſine fructu, & inutilia opera, & à mercede, & gloria exterminabuntur. Etſi quidem longæ vitæ erunt, in nihilum computabuntur anni eorum, & ſine honore erit nouiſſima ſenectus illorum. Et ſi celerius defuncti fuerint, ſtatim tranſibunt ad mala, nec habebunt ſpem, nec in die agnitionis allocutionem. Gentis enim iniquæ diræ ſunt conſummationes. Iuſtus autem ſi morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Senectus enim venerabilis eſt, non diuturna, neque annorum numero computata. Cani enim ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata. Deo enim placuit, & inter peccatores viuens, tranſlatus eſt in tabernacula iuſtorum, vbi inuenit vitam æternam. Conſummatus in breui, expleuit tẽpora multa, propter hoc properauit Deus educere illos de medio iniquitatum. Et mors iuſti condemnat impios viuos, qui videbunt finem ſapientis, & iuſti, & non intelligent, quid cogitauerit de illo Deus: videbunt, & contemnent, contemptores autem Dominus irridebit, & ſubſannabit illos, & erunt poſt hæc decidentes ſine honore, &

[Margin: Sap. 3.] [Margin: Sap. 4.]

proijcientur ſicut puluis, quem proijcit ventus à facie terræ, & permanebunt in contumelia inter mortuos in perpetuum, quoniam commotis fundamentis, vſque ad ſupremum, deſolabuntur, & periet memoria eorum in ſempiternum, & in die anguſtiæ ſtabunt ante Deum iudicantem, & examinantem facinora eorum timidi, & traducent illos ex aduerſo iniquitates ipſorum. Et iuſti ſtabunt in magna conſtantia aduerſus eos, qui ſe anguſtiauerunt, mercedem iuſtitiæ recipientes de manu Domini, & coronam pulchritudinis, & regnum magnificentiæ, & ſplendorem gloriæ. Quapropter impij videntes mirabuntur & turbabuntur horribili timore, inſpicientes iuſtorum ſalutem, & gloriam, & claritatem, & gement præ anguſtia ſpiritus, & eleuabunt vocem dicentes: Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum calamitate plenum, & ſine honore: ſed ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt, & benedicti percipiunt regnum præparatum ſibi ab origine mundi. Ergo nos errauimus à via veritatis, & iuſtitiæ lumen non luxit nobis, & ſol intelligentiæ non eſt ortus nobis: defecimus, & laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus. Quid nobis profuit ſuperbia, aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Tranſierunt omnia illa ſicut vmbra, & tamquam nuncius præcurrens, & tanquam Nauis, quæ pertranſit fluctuantem aquam, cuius cum præterierit, non eſt veſtigium inuenire, neque ſemitam carinæ illius in fluctibus, aut tanquam Auis, quæ tranſuolat in aëre, cuius nullum inuenitur argumentum itineris illius, ſed tantum ſonitus alarum verberans leuem ventum, & ſcindens per vim itineris aërem commotis alis tranſuolauit, & poſt hoc ſignum nullum inuenitur itineris illius: aut tanquam ſagitta emiſſa in locum deſtinatum, & diuiſus aër continuo in ſe recluſus eſt, vt ignoretur tranſitus illius, ſic & nos nati continuo deſiuimus eſſe, & virtutis quidem ſignum nullum valentes oſtendere, in malignitate noſtra conſumpti ſumus. Talia dicent in inferno hi, qui peccauerunt, & mores ante mortem non emendauerunt. Dum autem ſunt inter viuentes, habent gaudium aliquod ad inſtar puncti, cuius extremum luctus occupat, & ſpes eorum tamquam lanugo eſt, quæ à vento tollitur, & tamquam ſpuma gracilis, quæ à procella diſpergitur, & tamquam fumus, qui à vento diffuſus eſt, & tamquã memoria hoſpitis vnius diei prætereuntis. Et ſi diuites facti fuerint, & multiplicata fuerit gloria domus eorum, non eſt æmulandum eis, quoniam ſicut herba velociter areſcent, & ſicut olera herbarum cito decident, & cum interierint, non ſument omnia, nec deſcendet cum eis gloria eorum: ducent in bonis dies ſuos, & in momento deſcendent ad infernum. Iniuſtitia enim mortis eſt acquiſitio, & impij manibus, & verbis accerſierunt illam, & æſtimantes illam amicam, defluxerunt, quoniam morte digni ſunt, qui ſunt ex parte illius.

Sap. 5. *Pſal. 36.* *I. b. 21.*

Quapropter non eſt mirandum ſi B. Stephano lapides torrentis dulces fuerunt, & ſi tanta animi celſitudine mortem paſſus eſt, inimicis parcens, neque ſimiliter de alijs, qui poſt eum ingentia ſupplicia perpeſſi ſunt propter Chriſti nomen, quorum virorum innumerabilis eſt exercitus, nam ſpectabant futuras glorias, & martyriorum inuictiſſimas palmas, vt cum palmis ad honorifica regna peruenirent, ipſorum eſt enim regnum cælorum.

Sed

Sed de hoc pluribus, cum de martyribus agemus.

Paulus vaſtabat Eccleſiam, Philippus Diaconus prædicatione, & ſignis magnis trahebat ad Chriſtum Samaritanos. Simon magus præſtigijs deludebat gentes, volenſq. pecunia emere Spiritum ſanctum, à Petro obiurgatur, & refellitur.

Cap. 297.

SAulus autem erat conſentiens neci Stephani. Facta eſt autem illa die perſecutio magna in Eccleſia, quæ erat Hieroſolymis: & omnes diſperſi ſunt per regiones Iudææ, & Samariæ præter Apoſtolos. Curauerunt autem Stephanum viri timorati, & fecerunt planctum magnum ſuper eum. Saulus vero deuaſtabat Eccleſiam per domos intrans, & trahens viros, ac mulieres tradebat in cuſtodiam. Igitur qui diſperſi erant, pertranſibant euangelizantes verbum Dei. Philippus autem deſcendens in Ciuitatem Samariæ prædicabat illis Chriſtum. Intendebant autem turbæ his, quæ à Philippo dicebantur, vnanimiter audientes, & videntes ſigna, quæ faciebat. Multi enim eorum, qui habebant ſpiritus immundos, clamantes voce magna exibant, multi autem paralytici, & claudi curati ſunt. Factum eſt ergo gaudium magnum in illa Ciuitate. Vir autem quidam, nomine Simon, qui ante fuerat in Ciuitate magus, ſeducens gentem Samariæ, dicens ſe eſſe aliquem magnum, cui auſcultabant omnes à minimo vſque ad maximum dicentes: hic eſt virtus, quæ vocatur magna. Attendebant autem eum, propter quod multo tempore magijs ſuis demétaſſet eos. Cum vero credidiſſent Philippo euangelizanti de Regno Dei, in nomine Ieſu Chriſti baptizabantur viri, ac mulieres. Tunc Simon, & ipſe credidit. Et cum baptizatus eſſet, adhærebat Philippo. Videns etiam ſigna, & virtutes maximas fieri, ſtupens admirabatur. Cum autem audiſſent Apoſtoli, qui erant Hieroſolymis, quod recepiſſet Samaria verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum, & Ioannem. Qui cum veniſſent, orauerunt pro ipſis, vt acciperent Spiritum ſanctum. Nondum enim in quemquam illorum venerat, ſed baptizati tantum erant in nomine Domini Ieſu. Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum. Cum vidiſſet autem Simon, quod per impoſitionem manus Apoſtolorum daretur Spiritus ſanctus, obtulit eis pecuniã, dicens: Date, & mihi hanc poteſtatem, vt cuicumque impoſuero manus, accipiat Spiritum ſanctum. Petrus autem dixit ad eum: Pecunia tua tecum ſit in perditionem, quoniam donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri. Non eſt enim tibi pars, nec ſors in ſermone iſto. Cor enim tuum non eſt rectum coram Domino. Pœnitentiam itaq. age ab hac nequitia tua, & roga Deum, ſi forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. In felle enim amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te eſſe. Reſpondens autem Simon dixit: Precamini pro me vos ad Dominum, vt nihil veniat ſuper me horum, quæ dixiſtis. hæc ibi. *Act. 8.*

Quid autem actum ſit de Simone hoc famoſiſſimo Mago, videbimus inferius, qui criminum ſuorum pœnas luit. Primus autem magno ſcelere inter primos fideles viros, Spiritum ſanctum emere tentauit, quod quidem crimen poſtea ſuccedentibus temporibus ſæpe Eccleſiam vexauit, & vaſtauit per de-

teſta-

teſtabiles viros, qui hoc crimeu reſumere viſi ſunt. Qua de re aliqua hic referre graue videri non debet.

Simon Magus, miniſter Diaboli, deteſtabile ſimoniæ crimen primus in Eccleſiam inuexit, quam Romani Pontifices, & Patres ab Eccleſia exterminare ſemper conati ſunt.
Cap. 298.

Vrbanus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Dilecto filio Lucio Præpoſito Eccleſiæ S. Iuuentij apud Ticinum ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Vrb. epiſt. Decretalis apud Gratian. diuer. in locis per fragmenta poſita, & in vnum collecta.

SAluator prædicit in Euangelio, circa finem ſeculi, pſeudoChriſtos, & pſeudoprophetas ſurgere, & multos ſeducere, & fideles ſuos in mundo multas habituros preſſuras, ſed tamen portas inferi aduerſus Eccleſiam non præualituras. Proin quia, vt ait Apoſtolus, oportet hæreſes eſſe, vt qui probati ſunt, manifeſti fiant, oportet nos cum Propheta ex aduerſo aſcendere, & murum opponere pro domo Iſrael, & cum eodem Apoſtolo per multas tribulationes intrare in Regnum Dei. Vnde non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Igitur, quia innotuiſti nobis, quod tibi obijcitur, Vtrum vendere Eccleſiaſticam rem, ſimoniacum ſit: hoc ſimoniacum eſſe, patenter colligitur ex hoc, quod beatus Petrus Apoſtolus ait Simoni: Pecunia tua tecum ſit in perditionem, quia exiſtimaſti donum Dei pecunia poſſideri. Donum quippe Dei eſt Spiritus ſanctus, & donum Dei eſt res ipſius Eccleſiæ oblata. Et ſi bene aduertis, Simon Magus, qui ficte ad fidem acceſſit, non Spiritum ſanctum propter Spiritum, quo ipſe indignus erat (quoniam vt ſcriptum eſt, Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum) ſed ideo, quantum in ipſo erat, emere voluit, vt ex venditione ſignorum, quæ per eundem fiebant, multiplicatam pecuniam, quam obtulerat, lucraretur. Nec Apoſtolus emptionem Spiritus ſancti, quam bene nouerat fieri non poſſe, ſed ambitionem talis quæſtus, ideſt auaritiam, quæ eſt Idolorum ſeruitus, in eodem Simone exhorruit, & maledictionis iaculo perculit.

Act. 8.

Sap. 1.

Quiſquis itaq. res Eccleſiaſticas, quæ Dei dona ſunt, quoniam à Deo fidelibus, & à fidelibus Deo donantur, quæque ab eodem gratis accipiuntur, & ideo gratis dari debent propter ſua lucra vendit, vel emit, cum eodem Simone donum Dei pecunia poſſideri exiſtimat. Ideo qui eaſdem res non adhoc, ad quod inſtitutæ ſunt, ſed ad propria lucra, munere linguæ, vel indebiti obſequij, vel pecunia largitur, vel adipiſcitur, ſimoniacus eſt, cum principalis intentio Simonis fuerit ſola pecuniæ auaritia, ideſt, idolatria, vt ait Apoſtolus Paulus. Alioquin cur Synodus Chalcedonenſis ſexcentorum triginta Epiſcoporum, procuratorem, vel defenſorem Eccleſiæ, vel quemquam regulæ ſubiectum, adeo per pecuniam ordinari prohibet, vt interuentores quoque tanti ſceleris anathematizet, niſi quod eoſdem ſimoniacos iudicet? Quod ſi præfati milites Eccleſiæ ob huius ſcelus taliter percelluntur, nemo ſapiens negabit non militantes Eccleſiæ multo damnabilius hanc ob cauſam, ideſt venditionis, vel emptionis debere percelli.

Paſch. Primus.

Sed, & beatus prædeceſſor noſter Paſchalis de conſecratione, & de rebus,

quæ proueniunt ex conſecratione, affirmat, quod quiſquis alterum eorum vendit, ſine quo alterum haberi non poteſt, neutrum non venditum derelinquit. Ac per hoc eum, qui rem Eccleſiæ vendit, vel emit, ſimoniacum intelligit. In nomine vero Procuratoris, intelligit præfata Synodus quemlibet Eccleſiaſticarum rerum adminiſtratorem, vt verbi gratia, Præpoſitum, Oeconomum, Vicedominum: Defenſoris nomine Aduocatum ſiue Caſtaldum, & Iudicem: In ſubiecto regulæ Archipresbyterum, Archidiaconum, Canonicum, Monachum, vel quemlibet Eccleſiaſtico mancipatum officio. Quod vero Spiritum ſanctum, quantum in ſe eſt, vendat, vel emat, qui Præpoſituram, vel huiuſmodi vendit, vel emit, audi Auguſtinum ſuper Ioannẽ: O quot præpoſitos fecerunt? Alterum Præpoſitũ habet Carthagine Primianus, alterum habet Maximianus, alterum habet in Mauritania Rogatus, alterum habent in Numidia illi, & illi, quos iam nec nominare ſufficimus. Circumit ergo aliquis emere columbam? vnuſquiſque præpoſitum ſuum laudat, quod vendit, &c.

Ecce Venerabilis Auguſtinus de Præpoſituræ diſtractione agens, in nomine columbæ ſancti Spiritus venditionem, vel emptionem accipit, ſicut, & omnes huius Euangelici Capituli tractatores. Penſandum vero eſt, qua pœna mulctentur, qui iam Deo, & Eccleſiæ ſuæ oblata vendunt, vel emunt, ſi cum flagellis à Dei Templo eiecti, qui quæ Deo erant offerenda vendebant, & emebant. Si de offerendorum venditoribus, vel emptoribus dictum eſt: Vos feciſtis domum Patris mei domũ negotiationis, & ſpeluncam latronum: *Ioan. 2.* quid dicetur iam de Eccleſiæ oblatorum venditoribus, vel emptoribus? Et ne quis inſanus obijciat, meritò hos Dominum tàm acerbè vindicaſſe, quia tunc illa in Dei Templo, Eccleſiaſticæ vero res modo extra Templum diſtrahantur: attendat ſuper his Auguſtini non determinantem locum venditionis, vel emptionis præpoſitorum, ſed tantum indefinite dicentem: Circumit aliquis emere columbam? vnuſquiſque Præpoſitum ſuum laudat, quod vendit, non adijciens in Templo, vel extra Templum. Hæc contra venditores, vel emptores ſacrarum rerum.

Inexpiabilis eſt culpa venditi myſterij, & vindicta tranſit ad poſteros, & mercatores ſpirituales in Eccleſia conſortium habere non poſſunt, qui ſancti Spiritus gratiam nundinentur. Enarratio ex S. Ambroſio. Cap. 199.

HAbes Domini præceptum, Vatis exemplum, gratis accipere, gratis dare: nec vendere miniſterium, ſed offerre. Non enim pretio taxatur Dei gratia, nec in ſacramentis lucrum quæritur, ſed obſequium ſacerdotis. *Ambr. lib. 4. ſup. Luc.* Non tamen ſat eſt, ſi lucrum ipſe non quæras, familiæ quoque tuæ cohibendæ manus ſunt: nec hoc ſolum expoſcitur, vt te ſolum caſtum, immaculatumq. cuſtodias. Non enim dixit Apoſtolus, te ſolum, ſed te ipſum caſtum cuſtodi. Quæritur ergo non ſolum tua ab huiuſmodi nundinis, ſed etiam domus tuæ caſtitas. Oportet enim irreprehenſibilem eſſe ſacerdotem, *1. Tim. 3.* ſuæ domui bene præpoſitum, filios habentem ſubditos cum omni caſtitate. Si quis autem domui ſuæ præeſſe neſcit, quomodo Eccleſiæ Dei diligentiam habebit? Inſtrue ergo familiam tuam, hortare, cuſtodi, & ſi te refellerit

ſer-

ſeruulus (humanam enim non excipio facultatem) prophetico deprehenſus repudietur exemplo. Cito turpem ſequitur lepra mercedem, & pecunia corpus, animamq. male quæſita commaculat. Accepiſti, inquit, pecuniam, & poſſidebis ex ea agrum, & vineas, & greges, & lepra Naaman adhærebit tibi, & ſemini tuo vſque in æternum. Vides quia facto auctoris, ſucceſſio damnatur hæredis. Inexpiabilis eſt enim vendita culpa myſterij, & gratiæ vindicta cæleſtis tranſijt ad poſteros. Denique Mohabitæ, & ceteri non intrabunt eccleſiam vſque ad tertiam, & quartam generationem. Tandiu videlicet, vt ſimplicius interpretemur, donec culpam auctorum multiplicis ſucceſſio generationis aboleret. Sed cum illi, qui in Deum idolatriæ errore deliquerint, in quartam generationem videantur eſſe mulctati, profecto durior videtur eſſe ſententia, qua Giezi ſemen vſque in æternum pro cupiditate habendi prophetica auctoritate damnatur. Præſertim cum Dominus noſter Ieſus Chriſtus per lauacri regenerationem omnibus remiſſionem dederit peccatorum, niſi magis vitiorum, quam generis ſemen intelligas. Sicut enim qui filij promiſſionis ſunt, æſtimantur in ſemen malum; nam, & Iudæi ex patre Diabolo non vtique carnis ſucceſſione, ſed criminis. Ergo omnes cupidi, omnes auari Giezi lepram cum diuitijs ſuis poſſident, & male quæſita mercede, non tam patrimonium facultatum, quam theſaurum criminum congregant, æterno ſupplicio, & breui fructu. Nam cum diuitiæ ſint caducæ, pœna perpetua eſt: quia neque auarus, neque ebrioſus, neque idolis ſeruiens, Regnum Dei poſſidebunt.

4. Reg. 5.

Idem lib. 9 eiuſdē c. 2. Cathedras autem vendentium columbas cur euerterit, ſecundum litteram non intelligo. Neque enim nundinatores auium vendicare ſibi poterant honorati alicuius in nundinis ſolij dignitatem. Nā quę prærogatiua dignitatis eſt in columbis? Admonet tamen Domini forma baptiſmatis, quando deſcendit Spiritus ſanctus in columbæ typo, eiectorum de templo huiuſmodi mercatorum, in Eccleſia Dei conſortium eos habere non poſſe, qui ſancti Spiritus gratiam nundinentur. Gratis enim, inquit, accepiſtis, gratis date. Denique Simoni, qui ſanctificandi munus pretio in ſe putauit poſſe conferri, reſpondit Petrus: Pecunia, inquit, tua tecum ſit in perditionem, quoniam gratiā Dei putas te pecunia cōſequi poſſe: Non eſt tibi pars, neque ſors in hac fide. Venditores quoque ouium & boum eos puto, qui de labore alieno, vel ſimplicitate fœdi auctionatores, quaſdam nundinas aucupantur, aut quia oues eijciuntur, & boues & columbæ iubentur auferri, populus videtur Iudæus excludi. Effræm enim ſicut columba, quod eorum Dominus, & ſucceſſiones oderit, & labores. Aes effunditur, vt gratia colligatur. Menſa nūmulariorum euertitur, vt Domini ſubrogetur: Ara deijcitur, vt erigantur altaria. Atque hoc non aliqua ſuccinctus manu, diuitijsq. faciebat, ſed flagello de reſtibus cædebat turbas, & reſiſtere nullus audebat.

Epiſcopus quidam cum honorem Epiſcopatus pretio comparaſſet, vocatus in Concilio Epiſcoporum, in reddenda Gloria Deo, Spiritum ſanctum, miraculo grandi, nominare non poteſt. Cap. 300.

QVodam tempore cum ſimoniaca hæreſis penè totam Italiam, & Burgundiam occupaſſet Victor II. Pontifex Romanus miſit à latere ſuo Subdiaconum Hildebrandum (qui poſtea cum creatus fuiſſet Pontifex appellatus eſt Gregorius VII.) ad Vltramontanas partes cum quibuſdam Epiſcopis. Cum autem ad Lugdunenſem Prouinciam perueniſſet, in ea Synodum celebrauit: in qua per ipſum Subdiaconum Deus maximum dignatus eſt operari miraculum. Reſidentibus enim in ea Synodo Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliarum Eccleſiarum Prælatis; Archiepiſcopus vir quidam litteratus, & eloquens accuſatus eſt de crimine ſimoniæ. Qui ſequenti nocte omnes ſuos accuſatores pecunia corrupit, & ſibi amicos fecit. Mane autem facto rediens ad Synodum, audacter dixit: Vbi ſunt, qui me accuſant? exeat in publicum, quicumque me voluerit damnare. *Ex antiqu. geſt. Rom. Põt. collect. per Nicol. Arag. Car.*

Tunc obmuteſcentibus cunctis, prædictus Subdiaconus, tanquam vir diſcretus, & ſapiens, conuertens ſe ad illum dixit: Crediſnè, ò Archiepiſcope, Spiritum ſanctum cum Patre, & Filio vnam eſſe ſubſtantiã Deitatis? quo reſpondente: Credo. Addidit Subdiaconus: Dic, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto. Tunc, Gloria Patri, & Filio, expedite dicebat, ſed Spiritum ſanctum nullatenus proferre poterat.

Quem cum frequenter inchoaret, & nihil proficeret: videns ſe per diuinum iudicium omninò confuſum, procidit ad pedes Subdiaconi, & confeſſus eſt ore proprio ſe ſimoniacum eſſe. Poſtquam vero à Sacerdotali, & Epiſcopali officio eſt depoſitus, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, libera, & clara voce decantauit. Quod factum ſimoniacos intantum perterruit, quod præter alios Prælatos Eccleſiarum vigintiſeptem, Epiſcopi quadragintaquinque ſimoniacos ſe eſſe confeſſi ſunt, & ſuis honoribus abſque vlla alia accuſatione renuntiauerunt. Celebrata Synodo, & alijs rebus ritè ordinatis, & compoſitis Legati ad Vrbem redierunt.] hæc ibi, ſed male ſub Papa Stephano, in hoc enim collector deceptus eſt. Iſta autem hoc modo geſta eſſe reperiuntur apud Deſiderium Abbatem Sancti Benedicti, preſbyterum Cardinalem Sanctæ Cęciliæ, hoc tempore viuentem, atque ſcribentem Auctorem, qui in libris Dialogorum, quos ſcripſit, iſta ipſum Hildebrandum ita narrantem adducit. Ait enim:

Venerabilis Gregorius Papa, cuius ſuperius mentionem feci, quid circa eamdem ſimoniacam hæreſim ſe præſente Dominus oſtendere voluit, ſæpe mihi ſolitus eſt referre. Cum eſſem (inquit) Subdiaconus, & à beatæ memoriæ Victore huius Apoſtolicæ Sedis Pontifice in Galliam pro Eccleſiaſticis negotijs diſcutiendis eſſem tranſmiſſus, curæ mihi fuit Epiſcoporum conuocare Concilium, vt illis coram poſitis de Eccleſiaſticis negotijs tractaremus. In eadem vero ciuitate, in qua Synodus agebatur, Epiſcopus erat, qui pretio honorem comparaſſe Epiſcopatus à multis infamabatur. Igitur vocatus Epiſcopus venit in medium. Cum ergo eum exhortari ſaluta- *Eod. hiſt. ex Deſid. Abb. Caſſin. in lib. dialog.*

lutaribus monitis cœpiſſemus, vt quæ ſibi opponebantur, conſcientia iam fatente, humiliter confiteretur: ille, tùm quia eiuſdem Ciuitatis erat Epiſcopus, tùm quia fretus auxilio Comitis terræ ipſius, plenus ſuperbia, omnino verba noſtra vilipendebat. Sed cum à nobis, & à ceteris, qui aderant Epiſcopis, ſub iuſtitiæ regula ſe (quod non ſperauerat) conſtringi conſpiceret, nec effugiendi habere licentiam: negare pertinaciter cœpit, quod ante vix audire dignabatur. Cumq. verba producerentur in longum, & maximum diei ſpatium eſſet conſumptum, & ille nihilominus in ſua pertinacia negando perſiſteret: hoc modo eum cum ceteris, qui aderant, religioſis Epiſcopis nobis adiurare viſum fuit, & totum iudicium in oſtenſione Spiritus ſancti committere: In nomine (inquam) Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, cuius donum gratiæ te comparaſſe audiuimus, vt huius rei nobis veritatem ediſſeras, adiuramus. Quod ſi amplius, vt cœpiſti, negare tentaueris, Spiritum ſanctum, donec quæ vera ſunt, confitearis, nominare non valeas. Qui Epiſcopus cum abunde eloquens eſſet & à nobis exoraretur, vt Spiritum ſanctum nominaret, Patrem quidem, & Filium ſatis diſerte nominabat, Spiritum vero ſanctum, mirum in modum nominare nullo modo poterat. Tunc omnibus, qui aderant, luce clarius patuit, quod honorem Epiſcopatus dato pretio emerat, qui nonniſi Spiritus ſancti gratia largiente tribuitur. Tunc virtute Spiritus ſancti tremefactus Epiſcopus, humiliter coram omnibus confiteri coactus eſt, quod ante inflatus ſuperbia, Dei timore poſtpoſito, procaciter negare præſumpſerat.

S. Io. Gualbertus Petrum Epiſcopum Florentinum ſimoniæ arguit, & accuſat per ſuos monachos apud Alexandrum II. Pont. Rom. in Concilio Lateranenſi. Venitur ad periculoſum experimentum ignis, & Petrus monachus ad hoc electus, per æſtuãtes ignes intrepida mente & inuicta fide ingreſſus, per medios ardores illæſus in conſpectu populi, famoſo miraculo pertranſijt. Cap. 301.

ALexandro primæ Sedis reuerentiſſimo, & vniuerſali Epiſcopo, Clerus, & populus Florentinus ſinceræ deuotionis obſequium.

Epiſt. Florenti. ad Alex. Pap. quam ad verbum recitat S. Atto piſtorien. Epiſcop. in vit. Sanct. Ioã. Gualbert.

Iam diu tædium, & laborem noſtrum, nec non certamen monachorum contra ſimoniacam hæreſim paternitas veſtra bene nouit, & nunc quoque dignum eſt, vt qualiter Deus excelſus pie, ac miſericorditer ſcrupulum huius rei de cordibus noſtris abraſerit, pernoſcatis. Signa enim, & mirabilia Dominus noſter de nobis fecit, & per ea cæcitatem ignorantiæ, & dubietatis caliginem, ac tenebras erroris de pectore hominum pepulit, & fidem nobis augendo, & dilatando, & in ſe ſolidando lucem mentibus ſuæ veritatis clementer infudit. Paſtor quidem bonus de cælo venit, & ouibus aſſiſtentibus, atque ad ſe totis medullis clamantibus, ſententiam ſereno clariorem, ſoleq. lucidiorem, omniq. dicto apertiorem, omniq. viſu certiorem de medio ignis populo ſuo dedit.

Quid vero Plebi Florentinæ de Petro Papienſi, qui ſe noſtrum Epiſcopum haberi volebat, tenendum ſit, in ſuo tremendo iudicio declarauit. Sed licet

miraculorum narratio videatur aliquantulum protelari, tamen vnde ad hæc ventum eſt, nequaquam inutiliter putamus debere ſuccinctè perſcribi.

Quadam etenim die omnes Florentinæ Ciuitatis Clerici vnà congregati cæpimus tàm de clericis locis ſuis expulſis, quàm etiam de nobis ipſis ante Papienſem Petrum conqueri. De abiectis enim, quia conſilium, & ſolatium eorum miſeramus: & quia etiam Prior, & Archipresbyter noſter metu hæreſis è Ciuitate ſeceſſerant: de nobis autem, quia bona pars ciuium noſtrorum nos hæreticos acclamabat. Nam videns nos ire ad eum, dicebat: Ite, ite, hæretici ad hæreticum: ite, quia per nos hæc Ciuitas voragini dabitur, qui Petrum Apoſtolum expugnantes, Simonem Magum pro eo inducendo colitis. Quid plura? Rogamus eum, vt tàm nos, quàm ſe ab hac infamia liberet, dicentes: Ecce nos (ſi te mundum ſenſeris, ſi tu nobis iuſſeris) Dei pro te iudicium ſubire non dubitamus; aut ſi probationem, quam monachi hic, & Romæ facere voluerunt, recipere vis: ad eos imus, eoſq. obnixe rogamus. Ad hæc ille inquit, neutrum ſe iubere, neutrum ſe velle, neutrum recipere. Quin etiam edictum à Præſide per legatos ſuos impetrauit: Vt quicumque laicorum, quicumque clericorum, ſiue Epiſcopo non cederet, ſiue ſuo imperio non obediret, ad Præſidem vinctus duceretur, ſed & traheretur. Si autem quis noſtrum his minis territus, de Ciuitate fugeret, ad dominium poteſtatis aſſumeretur quidquid poſſediſſet. Clerici vero, qui ſub tutela regiminis Beati Petri Apoſtoli, agendo contra ſimoniacam hæreſim in Oratorium eius confugerant, aut ſibi conciliarentur, aut ſine ſpe audientiæ extra ciuitatem pellerentur.

Hincq. factum, vt veſperaſcente Sabbato initij ieiunij, cum apud prædictam Eccleſiam Beati Petri Apoſtoli ipſi clerici lectionum, ac reſponſoriorum ſequentis Dominicæ recordarentur, municipalis Præſes, eo quod ſe cum ſalua reuerentia Petri Apoſtoli, ſimoniaco hæretico non poſſe obedire reſponderint, illos extra immunitatem Oratorij, Beatum Petrum Apoſtolum paruipendens, eijceret. Fit denique pro hoc ſcelere concurſus Catholicorum virorum, & maxime fœminarum, velamina capitum proijcientium, ſparſis crinibus flebiliter incedentium, pectora pugnis miſerabiles ad Deum voces mittendo, dure tundentium, vt ſuper virorum, ac filiorum morte triſte lamentantium; nam in plateas luto plenas ſe proſternentes, aiebant: Heu, heu, ò Chiſte, tu hinc eijceris; & quomodo nos deſolatas relinquis? Tu nobiſcum habitare non ſineris, & nos quomodo hic habitamus? Videmus quia hic nobiſcum habitare noluiſti; ſed vadis, quia Simon Magus te non permittit. O Sancte Petre, numquid à Simone Mago tu vinceris, quia ad te confugientes non defendis? Nos putauimus ipſum in infernalibus pœnis vinctum, & catenatum; Sed ecce cernimus illum ad tuum dedecus hoſtiliter ſuſcitatum.

Virorum quippe alij ad alios dicebant: videtis, & aperte videtis: Chriſtus hinc diſceſſit, abijt, quia legem ſuam adimplens ſe pellenti non reſiſtit. Et nos, viri fratres, Ciuitatem hanc, quo hæretica pars ea non gaudeat, incendamus, atque cum paruulis, atque vxoribus noſtris, quocumque Chriſtus ierit, ſecum eamus. Si Chriſtiani ſumus, Chriſtum ſequamur. His ergo eiulatibus, hiſq. doloribus nos quoque clerici commoti, qui ipſi Papienſi videbamur eſſe fautores, & aſſeclæ, & qui ab alijs hæretici

accla-

acclamabàmur, eo quod ipſum ſequebamur, obſeramus Eccleſias, & mœrore proiectorum non tangimus campanas, populis non Pſalmos, non denique canimus Miſſas.

Nec mora, nobis congregatis, fit Domino inſpirante, Concilium, ad quod Dei monachos, qui in Septimo in Monaſterio ſancti Saluatoris degunt, communi voto, quoſdam noſtrum mittimus, petentes, & orantes, dubietatem huius rei velle prodere, & veritatem cognoſcere, agnitamquè firmiter promittentes tenere. Reſponſum autem eſt nobis, quia ſi Catholicam fidem pro viribus vellemus tenere, atque defendere, & ſimoniacam hæreſim impugnando deſtruere, Virtus Saluatoris tàm huius negotij dubietatem, quàm etiam cæcitatem de cordibus noſtris eliminaret. Fatemur, promittimus de hac re hoc ſequi, quod, & ipſi, ſi ſuum factum compenſarent dictis. Quid plura? ſtatuitur dies omni voto quæſita, in qua, & dubietatem prodidimus, atque veritatem, quam monachi dicebant, pro poſſe defendendo tenemus.

Quarta namq. feria in prima hebdomada Quadrageſimæ dies conſtituitur ſecunda, & tertia feria ſpecialiter Deum pro hoc oramus, & vt Deus, qui vnica eſt veritas, veritatis huius reſeraret oſtium, obſecramus. Illuceſcente verò quarta feria, à quodam noſtrum itur ad virum Papienſem, qui rogans eum, inquit: Fac Domine, prò Dei tremore, proq. remedio animæ tuæ: Si eſt de te, quod monachi dicunt, noli clericos, noli populum in eundo laboribus afficere, noli Deum experiendo tentare, ſed huius negotij veritatem, ad Dominum te conuertendo, pande; aut ſi hoc te noſcis immunem reatu, nobiſcum venire dignare. Ad quem ille reſpondit: Nec ego illuc, neque te, ſi me diligis, ire volo. Ad hæc dictum eſt ſibi: Profectò Dei iudicium, quia omnes vadunt, videre ibo, & quid ibi agatur, ſolerter ſcire curabo, & quodcumque Deus Iudex iuſtus in iudicio ſuo recto monſtrauerit, ſecundum meum valere defenſabo: nec tibi moleſtum meum ſit iter, quia te hodie, qualis ſis, ſententia Dei rectè oſtendet. Aut enim te hodie magis, quàm vnquam fueris, habebimus charum, aut viliorem, & contemptum.

Nos interim, quaſi cæleſti præmoniti oraculo, non expectabamus Nuntium: Curritur à nobis clericis, ac laicis, & feminis ad Septimum, in quo eſt ſancti Saluatoris monaſteriū. O mira Domini potentia, miraq. clementia, qui voluntates non ſolum expeditis mulieribus, ſed etiam prægnantibus vires ad eundum donauit! Numquid enim longitudo matronas? Numquid via cœnulenta multitudine aquarum delicatas terruit? Numquid pueros ieiunium exaſperauit? Congregatis denique omnibus clericis, & laicis promiſcui ſexus, & ætatis fere tribus millibus apud prædictum monaſterium: interrogamur à ſeruis Dei: Cur fratres veniſtis? Reſpondetur à nobis, vt illuminemur, & errorem relinquentes, veritatem ſequamur. Quomodo, inquiunt, illuminari vultis? Nos, inquam, reſpondentes, vt copioſo probetur igne, quod de Papienſe Petro dicitis. Quem, inquiunt, fructum hoc facto habebitis? Aut quem honorem inde Deo reddetis? Reſpondemus omnes: Erimus, erimus vobiſcum, rectam fidem defendentes, & ſimoniacam hæreſim abominando, Deo gratias ſemper agentes.

Quid longius immoramur? Fiunt ſtatim à populo duæ ſtrues lignorum altrinſecus iuxta ſe in longitudine poſitæ, ſingillatim vero longitudo vtriuſ-

que

que pedum decem, latitudo autem ambarum ſigillatim quinque pedum, & dimidium dimidij pedis: altitudo denique vtriuſque ſeparatim fuit quatnor pedum, & dimidij: inter vtraſque vero pyras in longitudine, ſemita vnius brachij extitit, & ipſa ſtrata ſiccis lignis, & ad ardendnm bene paratis. Interea finnt pro hac re pſalmodiæ, litaniæ, ſupplicationes. Monachus intraturus ignem eligitur iuſſu Abbatis, celebraturus Miſſam ad Altare procedit; Miſſa vero cantatur cum magna deuotione, & ſupplicatione omnium; Chorus monachorum, & clericorum, necnon & laicornm ex corde lachrimatur. Vt antem ventum eſt ad, Agnus Dei: quatuor Monachi, vnus imaginem Crucifixi, alter aquam ſanctificatam, tercius duodecim cereos benedictos, quartus thuribulum thure plenum baiulantes, procedũt ad ſuccendendum præſcriptas lignorum pyras.

His igitur viſis, clamor omnium in cælum attollitur, Kyrie eleiſon, flebiliſſime pleno ore cantatur: Ieſus Chriſtus creberrime, vt exurgat, cauſamq. ſuam defendat, oratur: Maria eius mater, vt hoc ſibi ſuadeat, multum à viris, plurimumq. à feminis ſupplicatur: Petri Apoſtoli nomen, quo Simonem perdendo damnet, millies ingeminatur: Gregorius Vrbis Præſul, vt ad ſuas verificandum properet ſanctiones, ſuppliciter obſecratur. Interea dum pro ingenij capacitate ab omnibus oratur, presbyter perceptis ſalutaribus myſterijs, & expleta Miſſa, exutaq. caſula, ceterisq. ſacerdotis indumentis ſibi retentis, crucemq. Chriſti portans, cum Abbatibus, & Monachis litanias faciendo, ad ſtrues lignorum, iam rogos fieri incipientes appropinquat; ibiq. Deus, quàm multipliciter, ac vniformiter ab omnibus adoratur, nulla lingna id fari, nullus ſenſus colligendo valet meditari. Tandem ſilentinm cunctis imponitur, & vt conditionem rei, pró qua hæc fiebant, intente audiamus, & bene intelligamus, monemur. Eligitur denique Abbatum vnus clamoſus voce, apertus lingua, qui aperte ad intelligendam orationem, in qua conditio petitionis ad Deum continebatur, populo legit. Collaudantibus autem cunctis conditionem, iterum alius Abbatum ſilentium petit, eleuansq. vocem, alloquitur omnes, dicens: Viri fratres, & ſorores, pro ſalute animarum veſtrarum, teſte Deo; hoc facimus, vt deinceps à ſimoniaca lepra, quæ ferè iam totum ſordidat mundum, caueatis. Huius autem lepræ contagium, tàm magnum eſſe ſciatis, quod iſtius immanitati cetera crimina comparata, ſunt quaſi nihil.

His ergo expletis, cum vtrique rogi iam ſe ex maiori parte in flammiuomos conuertiſſent carbones, & cum media ſemita igniuomarum copia prunarum valde æſtuaret, vt vſque ad talos pedes euntis (ſicut poſtea probatione patuit) in prunas infigi poſſent: ſacerdos, & monachus iuſſu Abbatis hanc orationem cum magna voce, audientibus, & flentibus ferè tribus millibus, fudit ad Dominum.

Domine Ieſu Chriſte, vera lux hominum in te credentiũ, tuam miſericordiam peto, tuam clementiam exoro, vt ſi Petrus Papienſis, qui Florentinus Epiſcopus dicitur, interuentu pecuniæ, ideſt munere à manu (quod eſt ſimoniaca hæreſis) Florentinam arripuit ſedem, nunc tu Fili æterni Patris, ſalus mea, in hoc tremendo Iudicio ad adiuuandum feſtina, & me illæſum ſine macula mirabiliter conſerua, ſicut quondam illæſos ſeruaſti tres pueros in camino ignis ardentis, qui cum eodem æterno Patre, & Spiritu ſancto: om-

nia cooperaris, & viuis, & regnas in ſecula ſeculorum.

Cumque omnes, qui aderant, reſpondiſſent, Amen: pacis oſculum fratribus dedit, & accepit. Atque interrogamur omnes: Quamdiu vultis ipſum in igne manere? Reſponſum eſt ab omnibus: At, at, quid dicitis? ſufficit, Domini, ſatis cum ſolemni grauitate pedetentim ignem, flammaſq. tranſire. Iubetur quidem ſacerdoti, & monacho voluntati noſtræ ſatisfacere. Tunc ipſe ſacerdos contra ignis ardorẽ, Salutare ſignum ✝ faciens, crucemq. Chriſti baiulans, ipſam flammarum multitudinem non attendens, intrepidus mente, hilaris vultu, cum quadam celebritate grauitatis, illæſus in corpore, illæſus & in omnibus, quæ ſecum portabat, in virtute Ieſu Chriſti mirabiliter ignem pertranſijt. Nam flammæ vndique concurrentes, & circumquaque exurgentes, Albam quaſi byſſinam intrabant, & implendo inflabant, ſed naturæ ſuæ immemores nihil ipſi vltionis inferre poterant: manipulum denique, & ſtolam, eorumq. fimbrias, more ventorũ ſuſtollendo, huc illucq. varie ferebant, ſed calore perdito, ipſas in nullo comburere valebant. Pili quoque pedum eius inter flãmoſos carbones immittebãtur. Sed ò mira Dei potentia, ò Chriſti laudanda clementia! eorum nulli ardore ignis lædebantur, inter capillos nempe flammæ circumſurgentes intrabant, eosq. ſtando leuabant, & releuabant, ſed nec ſummitatem alicuius eorum, vires ſuas oblitæ adurendo retorquere valebant. Erant quippe flammæ ex omni parte ipſum concludentes ad Saluatoris miraculum, non ad ardoris incendium: ardorem Catholicæ fidei ſentiebant, ideoq. non ardebant. Deus profecto noſter ignis conſumẽs aderat; ideoq. ipſo uolente, corporeus ignis nihil nocere poterat. Proculdubio verum erat, quod à ſeruis Dei dicebatur, quia illorum teſtis, veritate iuuante, ab igne miraculoſe liberatur. Veritas enim ſemper liberat, quos falſitatis macula non coinquinat.

Poſtquam autem egreſſus eſt de igne, dum iterum vellet focum repedare: capitur à populo, deoſculantur præ deſiderio pedes eius, præ gaudio quidem beatum ſe quiſque putabat, qui veſtimentorum quamcumque particulam deoſculari valebat. Graui namq. præmebatur anguſtia populorum, ſed magna cum difficultate liberatur viribus clericorum. Laus Deo ab omnibus vna, præ gaudio, etiam flendo, cantatur; certi iam, quia verbum Dei numquã mutatur. Simon Petrus magnis laudibus ſublimatur, Simon deniq; Magus, ve ſtercus pedibus conculcatur. Nomen Petri Apoſtoli in ore oĩum ſuper mel, & fauũ, cũ laudibus magis, magiſq. dulceſcit: nomen impij Simonis ſuper fel, & ſulphur, cum vituperationibus magis, magiſq. putreſcit. Magnitudinem quippe horum Chriſti ſignorum, copiamq. gaudij noſtri, & quotidianam gratiarum actionem, nec ſenſus cordis cogitare, nec linguæ plectrum exprimere, nec manus, ſicut eſt, vnquam ſufficit ſcribere. Hactenus Epiſtola.

His autem cognitis Dominus Alex. Papa præfatum Petrum ſimoniacum de omni Epiſcopali officio deponere curauit.

Petrus autem, qui poſtea cognomento igneus dictus eſt, ex tanta multitudine monachorum ob inſignem virtutem humilitatis, & obedientiæ ad tãtum experimentum eſt delectus: etenim nobili ortus genere ex ſtemmate dominorum Aldobrandinorum, inſignitus inſuper ſacerdotio, tamen vaccarũ, & aſinorũ miniſterio inſeruire gaudebat, ſic quidẽ ſeruus fidelis in nouiſſimo
Luc. 14. loco recumbens meruit à patrefamilias audire illud: Amice aſcende ſuperius.

Domi-

Dominicus loricatus electus in presbyterum per ſimoniam, crimen hoc tàm vehementer exhorruit, vt ſeculo contempto arduum vitæ genus inter monachos elegerit, & donec vixit, ſacroſancti altaris miniſterium vſurpare non præſumpſit. Cap. 302.

Ex vita venerab. viri Dominici Loricati per Pet. Dam. ad Alexan. Papā ſcripta ex Lippom. to. 8. Sur. to. 5.

DOminicus, cognomento Loricatus, cum eſſet in ſeculo clericus, quia tūc ſimoniaca vigebat hæreſis, quæ & nunc vtinam prorſus eſſet extincta, vt presbyter fieret, à parentibus eius data eſt Epiſcopo hircinæ pellis aluta: Sed quia, ſicut ait Apoſtolus, diligentibus Deum omnia cooperantur in bonū, hæc vna beati viri culpa, multorum poſt bonorū probatur exſtitiſſe materia. Nam hoc pauore perterritus, contempſit ſeculum, induit monachum, arduūq. mox eremiticæ vitæ, tanquam bellator intrepidus arripuit inſtitutum: ſed quia male promotus eſt, donec vixit, ſacroſancti altaris vſurpare miniſterium non præſumpſit. Virgo vſque ad obitum fuit, vitam eremiticam non omiſit. Vbi nimirū ſub magiſterio ſancti viri Ioānis, qui dicebatur de Mōte Feretrio, per plurimos vixit annos. In illa igitur eremo, quæ ſcilicet erat in regione quæ dicitur Luceoli, cōſtituta, decem, & octo videbantur cellulæ ad habitandum fratribus deputatæ, vbi nimirum ſub hac regula viuebatur, vt nunquam vinum biberent, nunquam adipe alimenta condirent, vnum in Dominica die, ſed, & in quinta feria pulmentum ſumerent, quinque per hebdomadā diebus, pane, & aqua ieiunium celebrarent: ſolis autem orationibus vacantes, vel manuum operibus inſiſtentes, non agriculturam exercebant, non prædia, vel aliquam ſubſtantiam, præter vnum ſagmarium poſſidebant. Cum quo ſcilicet aſello, vel equo vnus erat miniſter, qui vel ad acquirendas, vel ad tradendas fruges indeficiens diſcurrebat, ſolusq. eos cunctis neceſſitatibus ſuſtentabat, Ioannes ſcilicet, qui poſtmodum loci Abbas factus, ſub honeſta rexit adminiſtratione conuentum. Tenebat autem per totam hebdomadam diſtricta cenſura ſilentiū, quod vtiq; Dominica die poſt veſperam cibumq. ſoluentes, habebant loquendi inuicē vſque ad completionis officium libertatem. Nudis præterea pedibus, & cruribus iugiter in cellulis morabantur. Dixit autē mihi, quia cum cohabitaret Anſoni, religioſo videlicet viro, quem & ipſe vidi, quotidie per omnes Canonicas, diſciplinam ſibimet inuicem ſcoparū ictibus ingerebant. Qui videlicet Anſo ſibi aliquando conqueſtus eſt, quod nouem diarias panis penſas in ventre ſimul haberet. Tanta quippe macerabantur inedia, vt aridus panis conſtiparetur in ilibus, ac digeri difficile poſſet.

Philippus Diaconus, ab Angelo admonitus, Eunuchum virum potētem Candacis Reginæ Aethyopum docet Chriſti fidem, & baptizat. Cap. 303.

Act. 8.

ET illi quidem teſtificati, & locuti verbum Dei, redibant Hieroſolymā, & multis regionibus Samaritanorū euangelizabant. Angelus autē Domini locutus eſt ad Philippum dicens: Surge, & vade contra meridianum, ad viam quæ deſcendit ab Hieruſalē in Gazam, hæc eſt deſerta. Et ſurgens abijt, & ecce vir Aethyops eunuchus, potens Candacis reginæ Aethyopum, qui erat ſuper omnes gazas eius, venerat adorare in Hieruſalem, & reuertebatur ſedens ſupra currum ſuum, legensq. Iſaiam prophetam. Dixit autē ſpiritus Philippo: Accede, & adiunge te ad currum iſtum. Accurrens autē Philippus audiuit

eum legentē Iſaiam prophetam, & dixit: Putâſne intelligis, quæ legis? Qui ait: Et quomodo poſſum, ſi non aliquis oſtenderit mihi? Rogauitq. Philippū, vt aſcenderet & ſederet ſecum. Locus autem ſcripturæ, quā legebat, erat hic. Tanquam quis ad occiſionē ductus eſt, & ſicut agnus coram tondente ſe ſine voce, ſic non aperuit os ſuum: In humilitate iudicium eius ſublatū eſt: generationem eius quis enarrabit? quoniā tolletur de terra vita eius. Reſpondēs autem Eunuchus Philippo dixit: Obſecro te, de quo propheta dicit hoc? De ſe, an de alio aliquo? Aperiens autem Philippus os ſuum, & incipiens à ſcriptura iſta, euangelizauit illi Ieſum. Et dum irent per viam venerunt ad quādam aquam: & ait Eunuchus: Ecce aqua: Quis prohibet me baptizari? Dixit autem Philippus: Si credis ex toto corde, licet: Et reſpondens ait: Credo filium Dei eſſe Ieſum Chriſtum, & iuſſit ſtare currum, & deſcenderunt vterque in aquā, Philippus & Eunuchus, & baptizauit eum. Cum autē aſcendiſſet de aqua, Spiritus Domini rapuit Philippum; & amplius non vidit eum Eunuchus. Ibat enim per viam ſuam gaudens. Philippus autē inuentus eſt in Azoto. Et pertranſiens euangelizabat ciuitatibus cunctis, donec veniret Cæſareā.

De eodem Eunucho Candacis Reginæ ad fidē conuerſo, & de fonte vbi baptizatus eſt, & martyrio eius, & ſepultura. Cap. 304.

Pſal. 67. Act. 8. Euſeb. li. 2. c. 1. Cyrill. cathec. 17. Nicep. hiſt. lib 2. c. 6. & 7. Hier. epiſt. 103. & in Iſa. c. 53. Hier. ep. 1. ad Paulin.

EVnuchus Candacis Reginæ Aethyopum mirabili modo Chriſti fidē amplexus eſt, ita vt videatur in eius perſona impletum eſſe, quod olim cecinerat Dauid: Aethyopia præueniet manus eius Deo. Euſebius id in primis teſtatur, atque Cyrillus Hieroſolymitanus, & Nicephorus, ſicut & idipſum Hieronymus, cum ait: Hoc teſtimoniū Iſaię, cum in Actis Apoſtolorū Reginę Candacis Eunuchus rheda veheretur, & legens non intelligeret, interpretante Philippo ſuper paſſione, & morte Saluatoris intellexit, & ſtatim baptizatus in agni ſanguine, quem legebat, vir meruit appellari, & Apoſtolus genti Aethyopum miſſus eſt. Et alibi admirans ait: Nec ſanctior ſum hoc Eunucho, nec ſtudoſior, qui de Aethyopia, ideſt, de extremis mundi finibus venit in templum reliquerat aulam regiam, & tantus amator legis, diuinæq. ſcientiæ fuit, vt etiā in vehiculo ſacras litteras legeret; & tamen cum librū teneret, & verba Domini cogitatione conciperet, lingua volueret, labijs perſonaret, ignorabat eum, quē in libro neſciens venerabatur. Venit Philippus, & oſtendit ei Ieſum, & qui clauſus latebat in littera. O mira Doctoris virtus! Eadē hora credit Eunuchus, baptizatur, & fidelis, & ſanctus factus eſt, ac de diſcipulo magiſter: plus in deſerto fonte Eccleſiæ, quàm in aurato ſynagogæ tēplo reperijt.

Hier. de lo. Hebraic. Doroth. in ſynopſi.

Hucuſque Hieronymus, qui & de fontis ſitu, vbi iſte Eunuchus eſt baptizatus, hæc ait: Bethſur in tribu Iuda, ſiue Beniamin, & eſt hodie Betheſeron vicus, euntibus nobis ab Aelia Chebron in vigeſimo lapide, iuxta quem fons ad radicem montis ebulliens, ab eadē, in qua gignitur, ſorbetur humó, & Apoſtolorū acta referunt Eunuchū Candacis Reginæ in hoc eſſe baptizatum à Philippo. Addam his, quæ de eodem Eunucho à Dorotheo ſcriptis mandata ſunt; ait enim: Eunuchus Candacis Reginæ Aethyopum in Arabia felici, & in Inſula Taprobana, inquè vniuerſa Erythra Euangelium Domini N. Ieſu Chriſti prædicauit: ferunt & martyriū glorioſe tuliſſe, ibiq. ſepultum eſſe, & cęmeterium ipſius munimentum inſuperabile eſt fidelibus, Barbaros ſceleſtos fugās, morbos pellens, & ſanationes operans vſque ad præſentem diem. hæc ille.

Saulus contra Chriſti diſcipulos ſæuiens, cælitus à ſuperiori lumine circumfuſus, obcæcatus cecidit, & vocem Domini audiens, intus illuminatus, & humiliatus, in ciuitate Damaſci viſum recepit, baptizatus eſt, & impletus eſt Spiritu ſancto, & vbique confitebatur Ieſum eſſe Chriſtum. Cap. 305.

SAulus autem adhuc ſpirans minarum, & cædis in Diſcipulos Domini, acceſſit ad principem ſacerdotum, & petijt ab eo Epiſtolas in Damaſcum ad ſynagogas, vt ſi quos inueniſſet huius viæ viros, ac mulieres vinctos perduceret in Hieruſalem. Et cum iter faceret, contigit, vt appropinquaret Damaſco, & ſubito circumfulſit eum lux de cælo, & cadens in terra audiuit vocem dicentem ſibi: Saule, Saule, quid me perſequeris? Qui dixit: Quis es Domine? Et ille: Ego ſum Ieſus, quem tu perſequeris: Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare. Et tremens ac ſtupens dixit: Domine quid me vis facere? & Dominus ad eum: Surge, & ingredere ciuitatem, & ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere. Viri autem illi qui comitabantur cum eo, ſtabant ſtupefacti, audientes quidem vocem, neminem autem videntes: ſurrexit autem Saulus de terra, apertiſq. oculis nihil videbat. Ad manus autem illum trahentes introduxerunt Damaſcum. Et erat ibi tribus diebus non videns, & non manducauit, neque bibit. Erat autem quidam diſcipulus Damaſci, nomine Ananias, & dixit ad illum in viſu Dominus; Anania? at ille ait: Ecce ego Domine: & Dominus ad eum: Surge, & vade in vicum, qui vocatur Rectus, & quære in domo Iudæ Saulum nomine Tarſenſem: ecce enim orat. (Et vidit virum Ananiam nomine introeuntem, & imponentem ſibi manus, vt viſum recipiat.) Reſpondit autem Ananias: Domine audiui à multis de viro hoc, quanta mala fecerit Sanctis tuis in Hieruſalem, & hic habet poteſtatem à Principibus ſacerdotum alligandi omnes, qui inuocant nomen tuum. Dixit autem ad eum Dominus: Vade, quoniam vas electionis eſt mihi iſte, vt portet nomen meum coram gentibus, & Regibus, & filijs Iſrael. Ego enim oſtendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati. Et abijt Ananias, & introiuit in domum, & imponens ei manus dixit: Saule frater, Dominus miſit me Ieſus, qui apparuit tibi in via, quà veniebas, vt videas, & implearis Spiritu ſancto. Et confeſtim ceciderunt ab oculis eius tanquam ſquamæ, & viſum recepit: & ſurgens baptizatus eſt, & cum accepiſſet cibum, confortatus eſt. Fuit autem cum Diſcipulis, qui erant Damaſci per dies aliquot, & continuo ingreſſus in ſynagogas prædicabat Ieſum, quoniam hic eſt filius Dei. Stupebant autem illi, qui eum audiebant, & dicebant: Nonne hic eſt, qui expugnabat in Hieruſalem eos, qui inuocabāt nomen iſtud? Et huc ad hoc venit, vt vinctos illos duceret ad Principes ſacerdotum? Saulus autem multo magis conualeſcebat, & confundebat Iudæos, qui habitabant Damaſci, affirmans quoniam hic eſt Chriſtus. Act. c. 9.

Cum autem implerentur dies multi, conſilium fecerunt in vnum Iudæi, vt eum interficerent. Nocte autem factæ ſunt Saulo inſidiæ eorum: Cuſtodiebāt autem & portas die ac nocte, vt eum interficerent. Accipientes autem eum diſcipuli nocte, per murū dimiſerunt eum, ſubmittentes in ſporta. Cum autem veniſſet in Hieruſalem tentabat ſe coniungere diſcipulis, & omnes timebant:

bant eum, non credentes quod eſſet diſcipulus. Barnabas autem apprehenſum illum duxit ad Apoſtolos, & narrauit illis, quomodo in via vidiſſet Dominum, & quod locutus eſt ei, & quomodo in Damaſco fiducialiter egerit in nomine Ieſu, & erat cum illis intrans, & exiens in Hieruſalem, fiducialiter agens in nomine Domini. Loquebatur quoque gentibus, & diſputabat cum Græcis, illi autem quærebant occidere eum. Quod cum cognouiſſent fratres, deduxerunt eum Cæſaream, & dimiſerunt Tharſum. Eccleſia quidem per totam Iudæam, & Galilæam, & Samariam habebat pacem, & ædificabatur ambulans in timore Domini, & conſolatione ſancti Spiritus replebatur.

Occaſione mirabilis conuerſionis Pauli, libet hic ſcribere ſimilem aliam conuerſionem cuiuſdam, qui plenus minarum, tempore, quo in cædem anhelabat, de cælo tactus, & dextera Dei mutatus, & conuerſus, deinde fuit etiam clarus miraculis. Cap. 306.

Ex vita S. Dominici Ab. & cõf. ſcripta ab Alberico Mon. Caſſin. & Car. tit. SS. mar. quatuor Coronatorum.

Diebus illis frequenter vir beatus Dominicus Abbas, & confeſſor Ordinis S. Benedicti, locis Campaniæ, quibus Sublacus, & Azzole vocabula ſunt, ſuam præſentiam exhibebat, ſæpeq. eorundem locorum Presbyteris de obſeruanda pudicitiæ caſtimonia ſermonem exhortatorium faciebat. Verum gehennæ, perpetuæq. damnationis filij, vitæ conſilia in mortis argumenta verterunt: præerat eo tempore memoratis locis inuicem presbyter quidam Amatus nomine, homo prauus, impudicus, audax, improuidus, temerarius, nullo gerenda quæque conſilio, nulla mentis deliberatione præueniens. Hunc igitur ceteri locorum Presbyteri adeunt, conquerentes Dominicum à mulierum ſe complexibus iucundiſſimis, quod ſummum in vita ducebant bonum, totis viribus conari ſeiungere, pretijq. non exigui ſummam ſi eis per ipſum ſubueniretur pollicentes: non ſuſtinuit homo veſanus, vt conqueſtionem Presbyteri conſumarent, vtq. prece ſui ad imminens periculum expellendum, vt in talibus moris eſt, repetita auxilium flagitarent, clauſit nec dum mediato eloquio eorum ora, atque ne ſuper huiuſmodi verbum vltra effunderent imperauit, dicens, primis ſe verbis continuo percepiſſe quæcunque annectenda diſponerent; acturumq. ſe ocyus, & ſub omni maturitate, quod factum gratum omnes, acceptumq. habebunt. In hæc verba diuiduntur alterutrum. Non quieuit vir peſtilens, quod animus ſuggerebat, implere: egreſſus igitur oppidum, equo vectus, armatusq. ad locum cui campus Artinace nomen eſt, proficiſcitur, ibiq. latens Dominici præſtolatur aduentum, viſoq. eminus Dominico, quantum eſt iactus lapidis, fodit equum calcaribus, vibrat dextera lanceam Dominici pectori infigendam, cum ecce appropinquanti, iam iamq. fere lancea virum Dei contingenti, vires decidunt, tremunt viſcera, dentes ſtrident, pallet facies, vix leuat clypeum, vix valet dextera lanceam ſuſtinere, equoq. totus pene occaſurus concutitur. Appropinquat Dominicus homini, & quid dicturus, quidue facturus venerit ſciſcitatur. Nihil ad primam ſciſcitationem reſponſum eſt, ad ſecundam, ad tertiam etiam lingua faucibus hæſit: iam ad quartam trementia labia: Veni; veni, veni, tertio profuderũt, nihil prorſus addere præualentia. Iubet poſt iſta

ſanctus,

ſanctus, vt lanceam porrigat: porrexit continuo;iubet deponat clypeum,fecit quod imperatum eſt;iubet equo deſiliat, paruit abſque mora; præcepit,vt loquatur, remeauit ad linguam protinus loquendi valentia; confitetur facinus lugens,ac in ſe reum,Dominicum Iudicem rogat promulgare ſententiá. Quem Dominicus veſte excultiore exutum, veſte protinus pellicea induit, eumq. vt nugis ac ineptijs mundi huius abrenunciaret commonuit, humanum ei propter carnis infirmitatem iniungens, vt ſicuti exhibuerat membra ſua ſeruire nequitiæ, & iniquitati, ita deinceps eadem exhiberet ſeruire iuſtitiæ in ſanctificatione. At quid tantis? obtemperauit monitis ſalutaribus presbyter abſque omni prorſus dilatione. Itaq. in cunctis moribus, in omni conuerſatione mutatus eſt, vt qui prioris vitæ eius turpitudinem nouerant, tantamq. conſequutam morum honeſtatem videbant, Dauidicum illum erumpere compellerentur verſiculum: Hæc eſt immutátio dexteræ excelſi. Factusq. eremi accola primo,poſt vero prædicator facundus,ſignorum etiam perhibetur virtutibus claruiſſe. Diuinæq. virtute potentiæ factű eſt, vt qui Dominico mortem venerat exterioris hominis illaturus, per Dominicum à morte rediret interioris hominis ſuſcitatus, atque per ipſum in reſurrectione prima, atque expiatione vitiorű,& indulgentia facinorum haberet partem, ne mors in eo ſecunda Iuris ſui exerceret poteſtatem, fieretq. in ipſo illa diuina pro malis bonorum recompenſatio, vt qui multi venerat cauſam mali (vt putari poterat) magis profuturus multis rediret, per Dominicum, ſancti formam traditurus exempli.

Petrus Aeneam paralyticum illico ſanat. Dorcam diſcipulam bonis operibus & eleemoſinis plenam, ad vitam mirabiliter reuocat. Cap. 307.

FActum eſt autem, vt Petrus dum trãſiret vniuerſos, deueniret ad ſanctos qui habitant Lyddæ: inuenit autem ibi quendam hominem, nomine Aeneam,ab annis octo iacentem in grabato, qui erat paralyticus. Et ait illi Petrus: Aenea, ſanet te Dominus Ieſus Chriſtus: Surge & ſterne tibi: & continuo ſurrexit. Et viderunt eum omnes, qui habitabant Lyddæ & Saronæ, qui conuerſi ſunt ad Dominum. In Ioppe autem fuit quædam diſcipula,nomine Thabita, quæ interpretata dicitur Dorcas: hæc erat plena operibus bonis, eleemoſinis, quas faciebat: factum eſt autem in diebus illis vt infirmata moreretur, quam cum lauiſſent, poſuerunt eam in Cœnaculo. Cum autem prope eſſet Lydda ad Ioppen, diſcipuli audiẽtes,quod Petrus eſſet in ea, miſerunt duos viros ad eum rogantes: Ne pigriteris venire vſque ad nos. Exurgens autem Petrus venit cum illis; & cum adueniſſet,duxerunt illum in Cœnaculum, & circumſteterunt illum omnes viduæ flentes, & oſtendentes ei tunicas & veſtes,quas faciebat illis Dorcas. Eiectis autem omnibus foras, Petrus ponens genua orauit, & conuerſus ad corpus dixit: Thabita, ſurge: At illa aperuit oculos ſuos, & viſo Petro reſedit. Dans autem illi manum erexit eam, & cum vocaſſet ſanctos & viduas, aſſignauit eam viuam. Notum autem factum eſt per vniuerſam Ioppem, & crediderunt multi in Domino. Factum eſt autem, vt dies multos moraretur in Ioppe, apud Simonem quendam coriarium. Act.9.

Admirabilis viſio Petri Apoſtoli, in qua docetur, omnes gentes eſſe vocandas ad Deum, quæ timent eum, & operantur iuſtitiam: & quomodo prædicante Petro, cecidit Spiritus ſanctus ſuper omnes, qui audiebant: & in nationes effuſa eſt Spiritus ſancti gratia: & Cornelius Italus, & ceteri baptizati ſunt. Cap. 308.

Act. c. 10. VIr autem quidã erat in Cæſarea, nomine Cornelius, Centurio cohortis, quæ dicitur Italica, religioſus, & timens Deum cum omni domo ſua, faciens eleemoſinas multas plebi, & deprecans Deum ſemper. Is vidit in viſu manifeſte quaſi hora diei nona Angelum Dei introeuntem ad ſe, & dicentem ſibi: Corneli? At ille intuens eum, timore correptus, dixit: quis es Domine? dixit autem illi: Orationes tuæ & eleemoſinæ tuæ aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei, & nunc mitte viros in Ioppem, & accerſi Simonem quemdam, qui cognominatur Petrus. Hic hoſpitatur apud Simonem quemdam coriarium, cuius eſt domus iuxta mare, hic dicet tibi quid te oporteat facere. Et cum diſceſſiſſet Angelus, qui loquebatur illi, vocauit duos domeſticos ſuos, & militem metuentem Dominum ex his, qui illi parebant: quibus cum narraſſet omnia, miſit illos in Ioppem. Poſtera autem die iter illis facientibus & appropinquantibus ciuitati, aſcendit Petrus in ſuperiora, vt oraret circa horam ſextam, & cum eſuriret, voluit guſtare. Parantibus autem illis, cecidit ſuper eum mentis exceſſus, & vidit cælum apertum, & deſcendens vas quoddam velut linteum magnum quatuor initijs ſubmitti de cælo in terram, in quo erant omnia quadrupedia terræ, & volatilia cæli, & facta eſt vox ad eum: Surge Petre, occide, & manduca. Ait autem Petrus: Abſit Domine, quia nunquam manducaui omne commune & immundum, & vox iterum ſecundo ad eum: quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris. Hoc factum eſt per ter. Et ſtatim receptum eſt vas in cælum. Et dum intra ſe hæſitaret Petrus, quidnam eſſet viſio, quam vidiſſet: ecce viri, qui miſſi erant à Cornelio inquirentes domum Simonis, aſtiterunt ad ianuam; & cum vocaſſent, interrogabant, ſi Simon qui cognominatur Petrus, illic haberet hoſpitium? Petro autem cogitante de viſione, dixit Spiritus ei: Ecce viri tres quærunt te: Surge itaque & deſcende, & vade cum eis nihil dubitans, quia ego miſi illos. Deſcendens autem Petrus ad viros dixit: Ecce ego ſum quem quæritis, quæ cauſa eſt, propter quam veniſtis? Qui dixerunt: Cornelius Centurio, vir iuſtus, & timens Deum, & teſtimonium habens ab vniuerſa gente Iudæorum, reſponſum accepit ab Angelo ſancto accerſiri te in domum ſuam, & audire verba abs te. Introducens ergo eos recepit hoſpitio. Sequenti autem die ſurgens profectus eſt cum illis, & quidam ex fratribus ab Ioppe comitati ſunt eum.

Altera autem die introiuit Cæſaream, Cornelius vero expectabat illos, cõuocatis cognatis ſuis, & neceſſarijs amicis. Et factum eſt, cum introiſſet Petrus, obuius venit ei Cornelius, & procidens ad pedes eius adorauit eum: Petrus vero eleuauit eum dicens: Surge, & ego ipſe homo ſum, & loquens cum illo intrauit, & inuenit multos, qui conuenerant, dixitq. ad illos: Vos ſcitis, quomodo abominatum ſit viro Iudæo coniungi, aut accedere ad alienigenam; ſed mihi oſtendit Deus neminem communem, aut immundum dicere homi-

hominem. Propter quod ſine dubitatione veni accerſitus. Interrogo ergo quam ob cauſam accerſiſtis me? & Cornelius ait: A nudius quarta die vſque ad hanc horam orans eram hora nona in domo mea, & ecce vir ſtetit ante me in veſte candida, & ait: Corneli, exaudita eſt oratio tua, & eleemoſynæ tuæ commemoratæ ſunt in conſpectu Dei. Mitte igitur in Ioppen & accerſi Simonem, qui cognominatur Petrus: hic hoſpitatur in domo Simonis Coriarij iuxta mare: confeſtim ergo miſi ad te, & tu bene feciſti veniendo. Nunc ergo omnes nos in conſpectu tuo adſumus audire omnia quæcunque tibi præcepta ſunt à Domino. Aperiens autem Petrus os ſuum dixit: In veritate comperi, quod non eſt perſonarum acceptor Deus, ſed in omni gente, qui timet eum, & operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi. Verbum miſit Deus filijs Iſrael, annuncians pacem per Ieſum Chriſtum: hic eſt omnium Dominus. Vos ſcitis, quod factum eſt verbum per vniuerſam Iudæam: incipiens enim à Galilæa poſt baptiſmum, quod prædicauit Ioãnes. Ieſum à Nazareth: quomodo vnxit eũ Deus Spiritu ſancto, & virtute, qui pertranſijt benefaciendo, & ſanando omnes oppreſſos à Diabolo, quoniam Deus erat cum illo. Et nos teſtes ſumus omnium, quæ fecit in regione Iudæorum & Hieruſalem, quem occiderunt ſuſpendentes in ligno. Hunc Deus ſuſcitauit tertia die, & dedit eum manifeſtum fieri non omni populo, ſed teſtibus præordinatis à Deo, nobis qui manducauimus & bibimus cum illo, poſtquam reſurrexit à mortuis, & præcepit nobis prædicare populo, & teſtificari, quod ipſe eſt, qui conſtitutus eſt à Deo Iudex viuorum & mortuorum. Huic omnes prophetæ teſtimonium perhibent remiſſionem peccatorum accipere per nomen eius, omnes, qui credunt in eum. Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus ſanctus ſuper omnes, qui audiebant verbum, & obſtupuerunt ex circumciſione fideles, qui venerant cum Petro, quod & in nationes gratia Spiritus ſancti effuſa eſt: Audiebant enim illos loquentes linguis, & magnificantes Deum. Tunc reſpondit Petrus. Nunquid aquam quis prohibere poteſt, vt non baptizentur hi, qui Spiritum ſanctum acceperunt, ſicut & nos? & iuſſit eos baptizari in nomine Ieſu Chriſti. Tunc rogauerunt eum, vt maneret apud eos aliquot diebus.

Nomen eleemoſynæ glorioſum eſt in populo Chriſtiano, quoniam magna & glorioſa operatus eſt Deus propter eam, & quoniam ſuperius legimus hiſtoriam, in qua Vidua illa iam defuncta, propter eleemoſynas ab ipſa elargitas, fuit ab Apoſtolo Petro ſuſcitata, & Cornelius Centurio propter eamdem cauſam meruit miraculo magno primus inter Gentes Chriſti fidem recipere, & Spiritus ſancti gratiam, ideo ad inflammanda corda in diuitijs huius ſeculi torpentia, ad exercendum tàm laudabilis miſericordiæ opus, operæpretium eſt enarrare aliqua, quæ à Patribus, & ſanctis Viris de ea magnifice ſcripta ſunt. Sunt autem huiuſmodi.

Enar-

Enarratio laudis, & beatitudinis eorum, qui miſeris pauperibus eleemoſynas, ac beneficia infœlicibus impertiunt exemplo Iob, qui multa diſperſit, & fortiter multa paſſus eſt. ex Origene. Cap. 309.

Orig. lib. 1. in Iob tr. 1.

VEre inæſtimabilis, atque æterna beatitudo eſt, vt eum quis diues effectus fuerit, non confidat in auro, nec intendat in argenti repoſitione, ſed recondat hæc in mandato altiſſimi, & det ea in eleemoſynas pauperibus, & ſeminet atque ſpargat ea latè per animas miſerorum, per ora eſurientium, per deſtitutos, atque miſeros, iuxta hoc quod dictum eſt: Seminate vobis ad iuſtitiam, vt metatis fructum vitæ: &: Diſperſit dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi. Eiuſmodi vero metet multipliciter in die reſurrectionis. Eiuſmodi eleemoſynarum iuſtificationibus tamquam lux effulget coram Angelis Dei. Talis fuit B. Iob, apud quem nunquam hoſpes foris manſit, cuius ianua omni aduenienti patuit, quem inualidi nunquam prætermiſerunt rogare de his, quæ opus habuerunt, qui non dimiſit pauperem exire de domo ſua vacuum. Ad cuius tonſuram ouium, omnium pauperum ſcapulæ calefactæ ſunt, ob hoc enim, & iſtam multitudinem pecorum nutriuit, & maximam agriculturam exercuit, vt plurimis impertiret, vt plurimis benefaceret, vt plurimorum memor eſſet. Non propter os ſuum tantum, ſed vt multos eſurientes ſaturaret, atque plurimos nudos veſtiret, & multis miſerabilibus atque infœlicibus refrigeraret, & miniſterium eius nimis copioſum, quot miniſtrabat hoſpitibus, & infirmis miſerantibus deſtitutis, & peregrinis, & pauperibus? Pro horum ergo omnium ſuſceptione nimium copioſum habuit miniſterium, puto, quod in cælo, & in excelſis copioſum habuit miniſterium. Plurimi miniſtrauerũt ei ſuper terram pro miſerorum ſuſceptione, ſed pluriores miniſtrabant ei in cælis cæleſtes Angeli, incorruptibiles eleemoſynas, atque bona opera eius in memoriam coram Deo in cælum deferentes, ſicut dictum eſt ad Cornelium: Orationes tuæ, & eleemoſynæ aſcenderunt ſurſum coram Deo. Atteſtantur autem Angeli nõ ſoli Iob, ſed, & omnibus qui ſimiliter, vt Iob eleemoſynas miſeris, ac beneficia infœlicibus impertiunt. Infra: Hæc Iob opera, hic ſunt perfecta, in cælo vero demonſtrata; hic ſeminata, illic vero meſſa; hic diſperſa, illic autem collecta; hic Deo fænerata, illic vero cum gloria à Deo fænerantibus reddita. Qui enim miſeretur pauperi, fæneratur Deo: ſecundum autem datum illius, retribuet illi Dominus.

Valida, & efficax increpatio in eos, qui cetera mandata ſeruant, ſed egentibus nec obolum præſtare volunt: & obiurgatio grauis in multos, qui parietes veſtiunt, & equos ornant & pauperes nudos deſpiciunt: & de ſtultitia aliquorum, qui dum viuunt, dare eleemoſynas pauperibus nolunt, ſed poſt mortem per teſtamenta legata relinquunt. Cap. 310.

S. Baſil. hõ. 7. cont. diuit. auaros. Matt. 19.

QVidam adoleſcens, cum audiſſet à Chriſto Domino, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, receſſit triſtis. Mihi eueniſſe huic

ado-

adoleſcenti, vel propinquis ipſius videtur, quod illi ſolet euenire, qui iter facit Ciuitatis alicuius ſpectaculi viuendi ſtudio, properatq vſque ad mœnia, ibi reperto diuerſorio requieſcit, modicumq. quod reſtat viæ ob pigritiam atque deſidiam ire detrectat, ſimul & toleratum itineris laborem inanem reddens, & ſpectaculo bonorum, quæ videre poterat in Vrbe, excludens. Sic & huiuſcemodi ſunt Homines, qui cetera quidem mandata obſeruant, ad bonorum vero ſuorum erogationem claudicant. Vidi ego multos ieiunantes, orantes, præteritorum pœnitentia ſuſpirantes, omnem denique ſine ſumptu pietatem oſtendentes, egentibus vero ne obolum quidem præbentes. Quid his cetera virtutum diligentia prodeſt? non propterea regnum Dei conſequentur: Idcirco inquit Dominus: Difficilius eſt diuitem intrare in Regnum cælorum, quam Camelum per foramen acus: hoc teſtimonium validum, qui teſtatur verus, perſuaſi vero pauci. Quid quæſo grauaris? Quid doles audiens, vende omnia quæ habes? Si enim te in futurum ſeculum ſequerentur, profecto præ illis pretioſioribus, quæ ibi reperies, & hæc nihili penderes. Sed quando neceſſe eſt ea hic remanere, cur ex eorum actione non lucri facis maiora longe reperiendo? Nam ſi alacri lætoq. animo das aurum, vt equos poſſideas, cur id Regno Dei potius commutari ſuaſus doles, petenti denegas, & abnuis, mille ſumptuum occaſiones commemorando? Quid miſer Iudici reſpondebis? Parietes veſtis, hominem non veſtis? Equos phaleris ornas, fratrem tuum laceris amictum pannis aſpernaris? Frumentum retinendo perdis, Eſurientes non reſpicis? Aurum in terram condis, & oppreſſum non curas? Infra: Si inquis, ego quidem bonis dum vixero, frui volo, poſt mortem verò in teſtamento hæredes facultatum mearum, ac dominos pauperes faciam. Heu miſer! tunc benignus ac liberalis hominibus eris, cum amplius inter homines non ages? Cum te cadauer aſpiciam, tunc fratris amantem appellabo? Magna dignus eris liberalitatis laude, magnus tibi honor debebitur, aut gratia, ſi in ſepulchro iacens, & in terram conuerſus magnificus ac ſumptuoſus apparebis. Dic cuius mercedem temporis potiſſimum expoſces, vitæne, an mortis? Nam ſi tempore, quod ad promerendum datur, in voluptatibus abſumpto pauperes nequaquam reſpexiſti, mortuus cuiuſnàm actionis, aut operis mercedem petiturus es? Oſtende opera, & tunc primum mercedem repete. Nullus enim poſt mercatum ſolutum negociatur: neque demum poſt certamina accedens coronatur, nec poſt bellum fortia gerit, nec item poſt vitam, pietatis laudem præmiumue capiet. Atramento, & tabulis pulchra opera, & commendanda gerere ſtudes? Quis de mortis genere ſponſor? Quot videmus repentino, ac vi, caſuq. extingui, qui præ doloris & ſpiritus anguſtia, nec vocem quidem emittere potuerunt? Quot etiam febris à ſenſu alienos fecit? Quid igitur tempus expectas, in quo ſæpe rationis tuæ compos non eris? Immo qui hæreditati inſidiatur, paratus aderit omnia tantum quæ ad eius faciant vſum, adhortans, ac tua irritare conſilia quærens? Quod ſi nihilominus contigerit, vt & verbo, & ſcripto res tuæ palàm mandentur, vna tantum tranſpoſita littera, vnum non probe appoſitum ſignum totam ſententiam mutare, ac irritam facere valebit. Duo item, aut tres improbi teſtes totam hæreditatem in alios conuertent.

Qualis debeat eſſe ornatus Domus, vt placeat Chriſto, pulcherrimum ſcilicet eleemoſynarum veſtimentum. Cap. 311.

Chryſ. hom. 84. in Mat.

ZAcchæi domum cogitatione ingredere,& conſidera,cum audiſſet Chriſtum apud ſe manſurum,quomodo eam ornauit. Non enim curriculo ad vicinos contendit,menſas, ſedes, ſubſellia petens eburnea, nec extraxit è loculis Laconica quædam menſarum velamina,ſed ornatu Chriſto gratiſſimo decorauit. Quod porro iſtud ? Dimidium bonorum meorum do pauperibus. Sic, & nos oro domus noſtras exornemus, vt Chriſtum ſuſcipere mereamur. Hæc pulcherrima portarum velamina. Hæc in cælis ſolummodo fiunt; ibi texuntur, ibi cælorum Rex habitat. Sic Matthæus, ſic Centurio domum ſuam eleemoſynis ornauit. Vnde ſactum eſt, vt vſque in hodiernam diem fulgentiſſimam habitet regiam.

Qui eleemoſynas non præſtat pauperi cum poteſt, ſimilis eſt latroni,qui ſpoliat. Pauperes vltro à diuitibus requirendi ſunt, nec ſcrutandi quales ſunt. Qui præſtat humanitatem, non debet expoſcere vitæ rationem. Cap. 312.

Io. Chryſ. hom. 7. in Luc. quæ eſt concio 2. de Lazaro. Iſa. 3.

RApina eſt pauperibus non impertiri de tuis facultatibus. Ac fortaſſis vobis mirum eſſe videatur quod dico, verum ne miremini, teſtimonium enim vobis ex diuinis ſcripturis proferam. Itaque Dominus Iudæos accuſans per Prophetam dicit: Produxit terra prouentum ſuum, & non intuliſtis decimas, ſed rapina pauperis eſt in domibus veſtris. Quoniam inquit,oblationes ſolitas non dediſtis, rapuiſtis ea, quæ ſunt pauperis. Hoc autem dixit declarans diuitibus quod res pauperum poſſident, etiam ſi paternæ hæreditates obuenerint. Ac rurſus alibi dicit: Ne ſpolies vitam pauperis,qui vero ſpoliat, aliena tollit. Propter hoc igitur diſcamus, quod quoties eleemoſynam non præſtiterimus,pari cum his qui ſpoliant ſupplicio afficiemur. Steriles enim pecuniæ ſunt vndecunque eas collegerimus, & ideo tibi plura poſſidere conceſſit Deus, non vt in ſcortationes, temulentiam, ingluuiem, in veſtes ſumptuoſas, aliamq. molliciem conſumeres, ſed vt ea deſtribueres egentibus. Quemadmodum enim receptor quiſpiã, qui regias pecunias accepit, ſi neglexerit his quibus iuſſus eſt diſtribuere, inque proprias conſumpſerit delicias, pœnas dat, ac perditur, ita ſane, & diues receptor eſt pecuniarum, quæ pauperibus diſtribui debebant. Parcamus igitur ijs tanquã alienis,vt fiant noſtra; quod erit, ſi pauperum manibus impertiuerimus. Diues Lazarum in ſinu vidit Abrahæ. Hoſpitalis erat Abraham: vt igitur redarguatur diuitis inhoſpitalitas, propterea Lazarum cum illo videt; ille etiam prætereuntes venabatur, & in domum pertrahebat ſuam: hic vero etiam intra domum iacentem deſpexit, cumque talem theſaurum haberet, ſalutis parandæ materiam, præteribat quotidie, nec in quod oportebat, vſus eſt pauperis propinquitate. At Patriarcha pro foribus ſedens,introducebat prætereuntes omnes,& quemadmodum Piſcator iacto in mare rete piſcem quidem attrahit, attrahit autem frequenter aurum,

&

& margaritas, & hic itidem reti captans homines, piſcatus eſt tandem & Angelos, quodq. mireris, etiam inſciens, in quod & Paulus in huius laudibus dixit: Sectare hoſpitalitatem; per hanc enim quidam inſcientes hoſpitio receperunt Angelos. Ac recte dixit, inſcientes. Nam ſi ſciens illos excepiſſet tanta cum humanitate, nihil magni, mirive feciſſet, ſed eos credens homines viatores, cum alacritate vocauit. Iutro Abraham non excutiebat, quales eſſent prætereuntes, nec vnde venirent, quemadmodum, & nos nunc facimus, ſed ſine delectu prætereuntes excipiebat omnes. Nam eum, qui præſtat humanitatem, non oportet expoſcere vitæ rationem, ſed inopiæ mederi. Vnicum habet opus patrocinium pauper, quo eget, ne quid ab illo poſtules amplius, ſed etiam ſi fuerit omnium improbiſſimus, & neceſſario victu eguerit, ſedemus eius famem. Ita enim Dominus dixit: Eſtote ſimiles Patris veſtri, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos. Portus eſt in neceſſitate conſtitutorum homo miſericors. Portus autem omnes, qui in naufragium inciderint, excipit liberatque, ſiue mali fuerint, ſiue boni: Tu proinde ſi videris hominem, qui in neceſſitatis naufragium inciderit, ne iudica; ne vitæ geſta examina, ſed medere miſeriam: liberauit te Deus omni tali ſollicitudine, & curioſitate. Cur ergo curas ſuperuacaneas uobis accerſimus? Aliud eſt Iudex, aliud eleemoſynæ largitor: ideo vocatur eleemoſyna, quod eam & indignis damus. Vnde, & Paulus dixit: Quod bonum eſt, facite erga omnes, maxime erga domeſticos fidei. Vnde etiam Infidelibus etiam beneſaciendum docuit. Et Iob Abrahæ nepos aiebat: Oſtium meum iugiter patebat cuiuis aduenienti. Non ſic huic patebat, vt alteri eſſet occluſū, ſed indifferenter apertū erat omnibus.

Heb. vlt.

Matth. 5.

Gal. 6.

Eleemoſyna eſt planta fructifera, quæ ad cælum vſque pertingens admirabiles, cæleſtes, & æternos producit fructus.
Cap. 313.

IN Cornelio vide eleemoſynæ vim. Vide etiam, quanti fecerit, vt credat, vt Angelus miſſus, & ſpiritus operatus, & Princeps Apoſtolorum accerſitus, viſionemq. talem vidit, & nihil omnino intermiſſum eſt. Eleemoſyna fons puriſſimus eſt, iuxta quem non pini, & quercus, & cypariſſi; ſed plantæ illis multo proceriores, amor Dei, laus hominum, gloriaq. in Deo, beneuolentia ab omnibus, peccatorum abolitio, multa fiducia, opum contéptus: Eleemoſyna autē, per quam charitatis planta nutritur. Nihil enim ita charitatem fouere ſolet, ac dum quis ſe miſericordiam exhibet. Hic ramos in ſublime erigi facit. Hic fons melior eo quod eſt in Paradiſo, non in quatuor diuiſus initia, ſed in cælum ipſum ſurgit. Hic parit flumen illud, quod ſalit in vitam æternam; in hunc, ſi mors inciderit, tamquā flamma à fonte conſumitur, ſic vbi irrorauit, magna operatur bona. Hic ignis flumen extinguit, vt ſcintillam. Quemadmodū in horto fons non nunc quidem profundit flumina, nunc vero areſcit, alioqui non eſſet iam fons, ſed ſemper ſcaturit, ita & noſter ſemper largius profundit flumen in eos qui maxime indigent miſericordia, vt maneat fons. Si tu huius fontis aperueris ora, fontis Dei talia erunt ora, vt omnium abyſſum vincant. Occaſionem ſolam quærit à vobis accipere Deus, & profundit ex penuarijs ſuis bona, ſi ſon-

Io. Chryſoſ. hom. 22. in Act. Apoſt.

ſi fontem tuum non obturaueris, nec ille obturabitur, planta in pauperum manibus, quæcunque volueris; nihil hac terra pinguius, in ipſum peruenit cælum arbor, quæ plantatur. Iam quod plantatur in terra, prius quam fruaris, præripit mors. Hæc arbor, quando mortuus fueris; fructum tibi afferet.

Dura increpatio in eos, qui paſcunt animanlia ratione carentia, & eſurientes pauperes dimittunt inanes. Qui mulos, lectos, ſedilia, & ſcabella, hominibus egentibus, crudeliter præparant. Cap. 314.

Io. Chryſoſ. hom. 11. in epiſt. Pauli ad Rom. 6. RApinæ atque auaritiæ incumbis, non paupertate preſſus, non fame te ad id impellente, ſed quo equi tui frænũ, domus tectum, columnarum capita copioſe inaurentur. Hoc ipſum vero quantam gehennam meretur? Cum tu fratrem tuum, qui videlicet bonorum arcanorum tecum particeps effectus, atque eo vſque à Domino honoratus eſt tuo, in infinitas calamitates præcipitem agis, vt lapides, vt domus tuæ pauimentum, vt animantium ratione carentium corpora exornes? Te ne tam ſollicitam alendi canis curam gerere, hominem autem, ſeu, verius dicam, Chriſtum ipſum, propter canem ad ſummam famem adigi? Quid hac confuſione peſtilentius? Quid hac iniquitate lætalius? Quot tandem ignei fluuij ad huiuſmodi animam depaſcendam ſatis eſſe poſſunt? Hem qui ad Dei ſimilitudinem expreſſus eſt, pannoſus indecoruſq. iacet per tuam inhumanitatem, muli autem vxorem tuam portantes, tum autem pelles, & ligna quibus tectum illud texitur, multo auro ſplendeſcunt: ac ſi ſedile, ſi ſcabellũ conficiendum eſt, vbiq. aurum, vbiq. argentum. Chriſti autem membrum, iſq. propter quem Deus de Cælo ad nos deſcendit, ſanguinemq. pretioſum effudit, auaritia tua ne neceſſarium quidem cibum habet? Et lectuli quidem argento vndique cincti, vndique ornati ſunt, ſanctorum vero corpora, vel neceſſario operculo carent, ac tibi minoris ſit ipſe Chriſtus, quàm muli, quàm lectus, quàm ſedile, quam ſcabellum?

Eleemoſyna eſt penna ad cælum pœnitentem peccatorem eleuans: eſt mercatura ſpiritualis, vili pretio caleſtes diuitias comparans. Eſt ars omnium quaſtuoſiſſima, & facit ingredi ianuas cæli magna cum libertate. Cap. 315.

Io. Chryſoſ. hom. 5. de pœnit. to 5. Act. 10. SIne plumis eleemoſynæ, pœnitentia volare non poteſt. Quapropter Cornelio bene pœnitenti religionis, & pietatis penna eleemoſyna fuit. Eleemoſynæ enim tuæ, inquit, & orationes in cælum aſcenderunt. Videmus in foro captiuos pauperes lachrymantes; nundinæ nobis profecto mirabiles ſunt: harum nulla eſt alia profeſſio & negociatio, nulla alia intentio, quam paruo quidem emere, magno vendere; nam ea cuiuſq. negociantis induſtria. Tales Deus nobis nũdinas propoſuit, modico iuſtitias eme, quo multo vendas in ſeculo futuro. Hic iuſtitia modico emitur pro panis fragmento, Marc. 9. vili pro veſtimento, pro calice aquæ frigidæ: Amen dico vobis (inquit ſpiritualis mercaturæ doctor) non perdet mercedem ſuam calix aquæ frigidæ dignus

gnus eſt mercede. Frigida aqua in qua nec ligna conſumis, vt calefiat, mercedem habet. Qui miſeretur pauperis, fœneratur Deo. Si Deo fœneramur, is ergo nobis debitor erit. Quem ergo eum tibi eſſe velis, debitorem, an Iudicem? Debitor veneratur fœnerantem, Iudex nequaquam mitigatur ab eo cui ipſe fœneratus eſt. Fœneranti dicit Deus: Non credis huic per inopiam, mihi per diuitias crede. Vidit pauperem, nec ſpreuit Deus, ſed ſemetipſum dedit pignus nihil habenti, atque inopi aſtitit ſua multa bonitate, aſtitit à dextris pauperis. *Prou. 19. Eccl. 20.*

Eleemoſyna enim eſt omnium artium quæſtuoſiſſima: ait Chryſoſtomus: Eleemoſyna ex manibus mortis nos eripit, & vtraque vita claros exhibet, & manſiones ædificat in cælis, & æterna parat illa tabernacula. Hæc lampades noſtras non ſinit extingui, nec ſordidis indutos veſtibus in nuptijs videri, ſed lauat & niue mundiores reddit. *Io. Chryſoſ. hom. 33. ad pop.*

Dans eleemoſynam ſicut oportet dare, diſcit aſpernari diuitias; qui pecunias didicit aſpernari, malorum radicem excidit, itaque non minus accipit, quàm præſtat beneficium. Qui dat eleemoſynam, diſcit non admirari pecunias neque aurum. Hoc autem inſtructa mente, maximum in cælum aſcendendi principium accepit, & innumeras contentiones & litis, & inuidiæ, ac triſtitiæ ſuſtulit occaſiones. Docuit eleemoſyna, ne res proximi concupiſcas. Quomodo namq. id faciet, qui ſua diſpergit, & largitur? Non vltra locupleti inuidet, quomodo namque, cum velit pauper fieri? Tanta eſt vis eleemoſynæ, vt ſuos in cælum introducat alumnos. Eſt enim cæli nota ianitoribus ſponſalis thalami fores obſeruantibus, quin & venerabilis, & quos ſui cultores agnouerit, cum multa introducet libertate, & contradicet nemo. Nam ſi Deum in terram deduxit, & hominem fieri perſuaſit, multo magis in cælum hominem poterit reducere. Hanc diligamus non vno die vel altero, ſed in omni tempore, vt nos agnoſcat. Si ipſa nos agnouerit, & Dominus agnoſcet; ſi non agnouerit ipſa, ignorabit & Dominus, & dicet: Neſcio vos. Multo maius eſt, quàm in nomine Ieſu mortuos ſuſcitare, eſurientem paſcere Chriſtum. Nam hic quidem tu de Chriſto bene mereris, illic autem ipſe de te. Hic in ſignis ipſe Deo debes, in eleemoſyna vero Deum habes debitorem. *Io. Chryſoſ. hom. 34. & 35.*

Fac tibi Deum debitorem, & tunc eum pete, vt cum fœnore recipias. Mutua & tandem Deum repete. Non in manuum extenſione ſatis eſt audiri. Extende manus tuas non in cælum, ſed ad pauperum manus. Si ad pauperum manus extenderis manum, ipſum cæli verticem tetigeris: qui enim illic ſedet, eleemoſynam ſuſcipit; ſi vero porrexeris vacuas, nihil profeceris. Audi namq. Iſaiam Prophetam dicentem: Si extenderitis manus veſtras, auertam oculos meos à vobis, & ſi multiplicaueritis orationem, non exaudiam vos. Sed quid ait: Iudicate pupillo, & humili, & iuſtificate viduam, & diſcite bene facere. Ita licet deorſum manus habeamus, audiri poterimus, licet nihil loquamur, aut petamus. *Iſai. 1.*

Fabiola nobilis femina Romana, vendito patrimonio ampliſſimo, admirabilis, & vix imitabilis charitatis erga pauperes reliquit exemplum. Cap. 316.

D. Hieron. epiſt. 30. ad Oceanum Epitaph. Fabiolæ to. 1.

OMnem cenſum quem habere poterat (erat autem ampliſſimus, & reſpondens generi eius) vendidit, & inde pecuniam congregatam vſibus pauperum præparauit, & prima omnium Xenodochium conſtruxit, in quo ægrotantes colligeret de plateis, & conſumpta languoribus atque inedia miſerorum membra foueret. Quoties morbo regio, & pedore confectos humeris ſuis ipſa portauit? Quoties lauit purulentam vulnerum ſaniem, quam alius aſpicere non valebat? Præbebat cibos propria manu, & ſpirans cadauer ſorbitiunculis irrigabat. Ille quem deſpicimus, quem videre non poſſumus, ad cuius intuitum nobis vomitus erumpit, nobis ſimilis de eodem nobiſcum formatus eſt luto, iiſdem compactus elementis. Quodquod patitur, & nos pati poſſumus. Vulnera eius exiſtimemus propria, & omnis animi in alterum duritia clementi in noſmetipſos cogitatione frangetur. Non mihi ſi linguæ centum ſint, ferrea vox, omnia morborum percurrere nomina poſſim, quæ Fabiola in tanta miſerorum refrigeria commutauit, vt multi pauperum ſanè languentibus inuiderent. Quamquam illa ſimili liberalitate erga clericos, monachos, ac Virgines fuerit. Quod Monaſterium non illius opibus ſuſtentantum eſt? Quem nudum non Fabiolæ veſtimenta texerunt? In quorum ſe indigentiam non effudit præceps, & feſtina largitio? Anguſta miſericordiæ eius Roma fuit. Peragrabat ergo inſulas, & totum Etruſcum mare, Volſcorumq. prouinciam, & reconditos curuorum littorum ſinus, in quibus monachorum conſiſtunt chori, vel proprio corpore, vel tranſmiſſa per viros ſanctos, ac fideles munificentia circumibat.

Quædam quæ eleemoſynam deformant, & ſterilem reddunt. Cap. 317.

D. Hieron. in l. 1. prouerb. cap. 3. tom. 7.

HOnora Dominum de tua ſubſtantia, & de primitijs frugum tuarum da pauperibus, & implebuntur horrea tua ſaturitate, & vino torcularia redundabunt. Multi multa pauperibus, ſed de aliena ſubſtantia, ac frugibus, quas vi vel fraude rapuerant, tribuunt. Multi largiuntur de ſuo, ſed largiendo Dominum non honorant, quia fauoris humani, & non amore ſuperni inſpectoris faciunt. Qui ergo proficuum ſibi eleemoſynæ fructum fore deſiderat, & de ſuis proprijs, & in conditoris honorem tribuat, vt ſcilicet homines, qui eius plaſma ſunt, & ad eius imaginem facti recreentur. Qui autem terrena ſubſidia largitur inopibus, ditior dando cælesti remuneratione redditur, & ideo ait: Et implebuntur horrea tua.

Qui nunc implent manus pauperum largiendo, poſt mortem manus ſuas inuenient plenas diuitijs in retribuendo. Omnes homines eleemoſynas facere poſſunt, etiam pauperes, ſi bonam habeant voluntatem, & recipient mercedem pro bona voluntate ac ſi vere eleemoſynam largiti fuiſſent. Cap. 318.

Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus ſuis. Venerunt diuites in hanc vitam, & per cupiditates tẽporales quaſi obdormierunt hic, & exceperunt illos diuitiæ, & vanæ pompæ volaticæ, & tranſierunt, & non intellexerunt, quantũ inde boni poſſet fieri. Nam ſi noſſent, illic ſibi theſaurizarent, quod hic erat periturum, ſicut Zacchæus, qui Dominum recipiens in domum ſuam, dixit: Dimidium bonorum meorum do pauperibus: Non erat iſte in vanitate ſomniantium, ſed in fide euigilantium. Dormierunt in cupiditatibus ſuis viri diuitiarum, ſed tranſijt ſomnus iſte, tranſijt via iſta, & nihil inuenerunt in manibus ſuis, quia nihil poſuerunt in manu Chriſti. Vis inuenire aliquid in manibus tuis poſtea? Noli contemnere modò manum pauperis; & reſpice manus inanes, ſi vis habere manus plenas. Dixit enim Dominus: Eſuriui, & dediſtis mihi manducare, &c. Eſurire in pauperibus voluit, qui diues in cælo eſt, & tu dubitas homo dare homini, cum ſcias te Chriſto dare quod das, à quo accepiſti quicquid das? D. Aug. in Pſal. 75.

Qui ſeminant in lachrymis, in exultatione metent. In iſta vita, quæ lachrymis plena eſt, quid ſeminabimus? Opera bona, opera miſericordiæ ſemina noſtra ſunt. De quibus ſeminibus ait Apoſtolus: Bonum autem facientes, non deficiamus; tempore enim ſuo metemus bona. Itaq. dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domeſticos fidei. Loquens autem de ipſis eleemoſynis quid ait? Hoc autem dico, qui parce ſeminat, parce, & metet. Ergo, qui multum ſeminat, multum metet, & qui nihil ſeminat, nihil metet. Seminate quantum poteſtis. Sed parum habes, vnde eleemoſynam facias? habes voluntatem? Quomodo nihil eſſet, quod habes, ſi non adeſſet bona voluntas, ſic, & quia non habes, noli eſſe triſtis, ſi eſt tibi dandi bona voluntas. Quid enim ſeminas? Miſericordiam. Quid metes? Pacem. Nunquid dixerunt Angeli: Pax diuitibus in terra? non; ſed pax hominibus bonæ voluntatis. In vidua magna voluntas, in Zacchæo magna voluntas: multum dedit, multum ſeminauit. Ergo vidua illa, quæ duo minuta miſit, parum ſeminauit? Immo vero tantum, quantum Zacchæus, minores enim facultates ferebat, ſed parem voluntatem habebat, miſit duo minuta de tanta voluntate, de quanta Zacchæus dimidium patrimonij ſui. Fac aliquem non habere vel duos nummos. Eſt aliquid vilius, quod ſeminemus, vt metamus illam meſſem? Eſt. Calicem aquæ frigidæ, qui dederit Diſcipulo, non perdet mercedem ſuam: quod ſi nec hoc habeat, ſecurus ſit: Pax in terra hominibus bonæ voluntatis: tantum illum timeat, ne habeat, & non faciat. D. Aug. ſup. Pſal. 125.

Frangens eſurienti panem illuminabitur, ſanabitur, & exaudietur, cum clamauerit ad Dominum. Non eſt perfecta miſericordia, quæ precibus extorquetur. Cap. 319.

BEatus, qui intelligit ſuper egenum, & pauperem, in die mala liberabit
Pſal.40. eum Dominus: Nullam patietur perniciem, qui comparauerit elee-
moſynis pietatem. De hoc Iſaias dicit: Solue colligationes impietatis.
Frange eſurienti panem tuum, & egenos, vagosq. induc in domum tuam:
cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris. Tunc erum-
Iſa.58. pet quaſi mane lumen tuum, & ſanitas tua citius orietur: Tunc clamabis, &
Dominus exaudiet te; vocabis, & dicet: Ecce adſum. Perfecta miſericor-
Aug. hom. dia eſt fratres, vt ante occurrat eſurientibus, quàm roget mendicus. Non
39. lib.50. enim eſt perfecta miſericordia, quæ precibus extorquetur, ſed ſi tacet men-
homil. dicus, loquitur pallor in facie. Imitare Deum tuum, qui ſolem ſuum oriri
facit ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos: Et ecce ve-
niet tibi pluuia, antequam roges, deſcendet vbertas nocte, dum ſtertis, dum
adhuc in lecto es: Ex præcepto vigilat dies, excubant elementa, fructus te
neſciente effunduntur. Iactat cælum, & parturit terra tot cellaria meſſium,
dum neſcimus; ſic accipimus, & tantas opes, antequã rogemus. Et tu homo,
modicus eſt ipſe panis, & precibus vendis? non rogauerunt quatuor millia
Ieſum in deſerto ſeptem panes, & paucos piſces, vt infinita agmina prande-
rent. Dedit nobis Deus ſecundum baptiſmum. Quis enim ſine peccato?
nam ſicut aqua extinguit ignem, ſic eleemoſyna extinguit peccatum. In
horreis noſtris habemus abundantiam, quæ flammas noſtras oblatione vnius
panis extinguat, & ante fores gehennæ ſtat miſericordia, & neminem per-
mittit in carcerem mitti. Et quicunque miſertus fuerit, miſerebitur ei, & ſi
quis non fuerit miſertus, non miſerebitur ei. Da panem, cum potes, quia
non habebis poſt mortem frumentum, nec inuenies illic aliquando mendi-
cum, quia non erit tempus miſerendi. Hæc Auguſtinus.

Debet autem eleemoſynarum ſplendor elucèſcere non ſolum in ſecularibus viris, quotquot eleemoſynas effundere poſſunt, ſed multo magis in ſummis viris, in Sacerdotibus, & Eccleſiæ Prælatis.

Sacerdotes, & Epiſcopi eleemoſynas elargientes, & Eccleſiaſtici patrimonij diſpenſatores debent eſſe, non ſolum deuota miſericordia, & benigna pietate conſpicui, ſed prudentia ornati, vt diſpenſatio ordinate fiat, & diſcretione magna, quæ docetur ex doctrinis Patrum. Cap. 320.

Diſt.86. c. EPiſcopus largam habeat manum, neceſſitatem patientibus ſuccurrat,
fratrem. alienam inopiam ſuam credat, quia ſi hoc non habet, in vacuum no-
men Epiſcopi tenet. In ipſa autem liberalitate, modus adhibendus eſt rerum,
& perſonarum: rerum (inquam) vt non omnia vni, ſed ſingulis quædam
præſtentur, vt pluribus prodeſſe poſſimus, iuxta illud: Diſperſit, dedit

pau-

pauperibus) perſonarum vero, quia primo iuſtis debemus dare, &c.

Circumſtantiæ, quæ attendendæ ſunt in executione liberalitatis, ſunt fides, cauſa, locus, tempus, modus, neceſſitudo, ætas debilitas, conditio. Grandis culpa eſt, ſi fidelis egeat te ſciente: ille præcipue, qui egere erubeſcit. Item probanda eſt alia liberalitas, vt proximos ſanguinis tui non deſpicias; quibus pudor eſt ab alijs poſcere, non vt illos diuites facias, ſed vt paupertatem, eorum iuues. Conſidera ætatem, vt ſenibus plus largiaris, qui ſibi iam nequeunt victum quærere. Conſidera etiam debilitatem: Conſidera verecundiam, quæ ingenuos prodit natales. Non tamen vult Dominus ſimul effundi opes, ſed diſpenſari, & in ipſo pauperis dato menſuram tenere, vt abundes pluribus. Quanto enim minora ſunt, quæ ſparguntur, tantò plures erunt, qui recipiant. Et puro affectu, ac ſincero fiat eleemoſyna, non conciliandi fauoris gratia vltra modum effundendum.

Ibid. c. non ſatis & ſequent. *Diſt 86. c. ſiderande.* *Amb. 2. off.*

Aurum habet Eccleſia, non vt ſeruet, ſed vt eroget, & neceſſitatibus ſubueniat. Melius eſt, vt vaſa viuentia ſerues, quàm metallorum. Sed reſpondebis: Timui, ne templo Dei deeſſet ornatus. Dico tibi, quod aurum ſacramenta non quærunt, neque aurô placent, quæ auro non emuntur. Ornatus ſacrorum, redemptio captiuorum eſt, &c. Et Ambroſius ipſe fatetur, ſe aliquando in inuidiam hominum incidiſſe, quia fregerit vaſa Dominica, ob redimendos captiuos.

Idem Amb. relatus 12. q. 2. *86. diſt. c. pulchra.*

Liberalis anima non ſinit noſtras lampades extingui: internas veſtes ex rubeis candidiores niue facit. Hæc eſt, quæ in perpetuum tibi ſeruat, quæ hic poſſides: hæc facit præclaros homines hic, & in futura vita. Melius namq. eſt habere famam miſericordis, humani, benigni, quàm eloquentiſſimi oratoris. Tu igitur memento, vt miſericordiæ potius, quàm liberalitati ſeruias: miſericordia enim pietatem parit, liberalitati verò ſæpe vanitas inſidiatur.

Chryſ. hom. 53. ſuper Matth.

Largiens debet habere prudentiam largiendi. Primo enim attendendum, ne ſerò præbeatur, quod cito dandum eſt, iuxta illud: Ne dixeris amico tuo, vade, reuertere, cras dabo tibi, cum ſtatim poſſis dare. Secundo, ne ſub ſpecie largitatis inutiliter ſpargant ſua, aut multa dent, vbi pauca ſufficerent, iuxta illud: Non vt alijs ſit remiſſio, vobis autem tribulatio, qui enim ita ſua effundunt, vt poſtmodum egeant, frequenter in impatientiam præcipitantur. Tertio, ne totaliter vacuum dimittant pauperem, cui ſemper aliquid, vel parum dandum eſt, iuxta illud Luc. 6. Omni petenti te, tribue. Quarto, ne aliquid demus, cui nihil penitus dandum eſt, vt hiſtrioni.

Greg. in 3. p. paſ. c. 21. *Cor. 8.*

Officij ſacerdotalis eſt, vt viduis, ac maritali regimine deſolatis, impartiri ſolatia debeatis, vt vnde in hoc mundo humanæ conſolatione priuantur, ſacerdotali tuitione poſſint remedia reperire.

Greg. ep. 13. ad Domin. Epiſc. commendans ei quandam viduam.

Gregorius ipſe, & adiuuabat, & intercedebat pro viduis, & dicebat: Si in proximorum neceſſitatibus habita compaſſione, benigna mente occurrimus, noſtris proculdubio petitionibus clementem Dominum reperimus. Et iubet illi dari certam annonam. Et alijs plurimis epiſtolis commendat viduas, ac iubet Epiſcopis, quod ſint, vt earum Procuratores.

Epiſt. 57.

Iubet etiam, vt varijs perſonis egentibus, ac monaſterijs detur annona ex proprijs redditibus.

Greg. epiſt. 43. lib. 2. Idem ad Bonifacium Epiſcopum, poſtquàm commendauit eum, quod operibus miſericordiæ vehementer inſiſtebat, ſubiungit: Sed illud (fateor) non leuiter mentem meam momordit, quòd eadem opera multis vosipſi nunciaſtis. Ex qua re collegi, quod mens veſtra non ſtudeat Dei oculis, ſed humano iudicio placere. Vnde neceſſe eſt frater chariſſime, vt cum bona exterius agis, hæc interius cum magna cautela cuſtodias: ne appetitus placendi hominibus ſubrepat, & omnis labor boni operis incaſſum fiat.

Greg. epiſt. 25. lib. 6. Quidam miſerat Gregorio pecuniam, vt in eleemoſynas diſpenſaret; reſpondet: Quod triſte ſibi erat hoc facere, quia vltra onus, quod habebat reddendi rationem Deo, quomodo diſpenſabat redditus Eccleſiæ, addebatur ei nouum onus reddendi etiam rationem, quomodo diſpenſabat alienas pecunias. Et dicit illi: Orate, vt ego diſcretè diſpenſem, ne vnde *Epiſt. 23.* vos peccata minuitis, nos inde cumulemus. Et alibi in ſimili caſu dicit: Oro, vt Dominus mihi concedat, abſque peccati contagio diſpenſare, ne maculer, vnde vos peccata detergitis.

Ibidem contra quemdam, qui ſub Xenij ſpecie, nonnulla à quodam monaſterio ſuſtulerat, dicit: Sine dilatione reſtitue, ne auaritiæ culpa te redarguat, quem largum erga monaſteria Sacerdotalis magis debuerat munificentia demonſtrare.

Epiſt. 20. Admonebat etiam, vt quis ſic operibus miſericordiæ iuxta virtutem ſubſtantiæ inſiſtat, vt tamen ſupra virtutem inſiſtere cupiat. Et alibi arguit quemdam, quia ſubtraxerat eleemoſynas conſuetas à ſuo prædeceſſore, ſub quadam prouidentiæ ſpecie, dicens: quod quamquam laudabile ſit futura proſpicere, infirma tamen eſt cautela, quæ pietatis adiutorio non munitur: præſertim quia quod tribuitur pauperi, non eſt donum, ſed mutuum, quia quod datur, multiplicato ſine dubio fructu percipitur. Hæc *2. Tim. 1.* ille. Immo etiam appellatur depoſitum. Vnde fidenter cum Apoſtolo dicere poteſt eleemoſynarum largitor: Scio cui credidi, & certus ſum, quia potens eſt ſeruare depoſitum meum in illum diem: præſertim Epiſcopus, qui non dat parta, aut hæreditate acquiſita, ſed ea quæ ſibi, vt daret, data ſunt.

Greg. epiſt. 21. lib. 11. Idem arguit valde Abbatem cuiuſdam monaſterij, quia diu diſtulit petere ab eo eleemoſynam annuam ad quoddam monaſterium ſuſtentandum, & hoc (vt ille fatebatur) ex erubeſcentia. Arguit autem eum, tùm quia certum eſt, quòd ille minus amatur, qui adhuc erubeſcitur: tùm quia ipſe non diſpenſabat res ſuas, ſed pauperum. Et valde (ait) accuſabilis eſt verecundia, non petere à diligente, & tenente locum diſpenſationis in rebus pauperum. Pondera hæc ò paſtor: non largiris tua, ſed aliena. Quid ergo mirum, quod tota die luſtrent domum Epiſcopi pauperes, cum ſit ea domus diſpenſatoris rerum ipſorum? poſſent enim vociferare ad valuas, immo vſque ad ſecretum cubiculum dicentes: Da nobis noſtra, alioquin contra te vociferabimus ad Dominum rerum, tuæ diſpenſationi commiſſarum, dicentes: Domine, non vult nobis dare, quæ illi, vt nobis daret, dediſti.

Ber-

Bernardus ad Henricum Epiſcopum Senonen. habet hæc verba tremenda. Clamant pauperes ad Pontifices: Cur in ſuperfluitates veſtras conſumitis, quæ noſtris debentur neceſſitatibus? Noſtris enim neceſſitatibus detrahitur, quidquid accedit vanitatibus veſtris. Quid conferunt tot mutatoria? Noſtrum eſt quod effunditis, nobis crudeliter ſubtrahitur, quod inaniter expenditis. Nos ſumus fratres veſtri, & vos de noſtra portione paſcitis oculos veſtros, & ita vita noſtra cedit vobis in ſuperfluas copias. Duo mala ex eadem radice prodeunt, dum vos ipſos vanitatem ſequendo perditis, & nos ſpoliando perimitis. Et quæ ſic conſumitis, neque labore manuum, neque negotiationis ſtudio, neque iure hæreditario poſſidetis, ſed bona noſtra ſunt. Et quamuis hi pauperes (ait) modo non audeant aperire os aduerſum vos, & exigere partem ſuam, quibus interim pro ſua vita neceſſe habent potius ſupplicare, tamen in futuro ſtabunt in magna conſtantia aduerſus eos, qui ſe anguſtiauerunt: ſtante pro eis patre orphanorum, & iudice viduarum, qui dicet vobis: Quamdiu non feciſtis vni ex his minimis meis, nec mihi feciſtis. *Bern. epiſt. 42.* *Matth. 25.*

Vnde exiſtimas Epiſcopis noſtris exuberare hanc rerum affluentiam, veſtium ſplendorem, menſarum luxuriam; &c. niſi de bonis ſponſæ? Inde eſt, quod illa pauper, & inops, & nuda relinquitur, facie miſeranda, inculta, hiſpida, exanguis, cum munus illorum ſit cuſtodire, & ornare ſponſam. Iam non eſt in hoc tempore ornare ſponſam, ſed ſpoliare: non cuſtodire, ſed perdere: non inſtruere, ſed proſtituere: non paſcere, ſed mactare, & deuorare, quibus dicit Dominus: Qui deuorant plebem meam, ſicut eſcam panis: nam plus vigilant ſubditorum euacuandis marſupijs, quàm vitijs extirpandis. Alto demerſi ſunt obliuionis ſomno, ad nullum Dominicæ comminationis tonitruum expergiſcuntur, vt vel ſuum periculum expaueſcant. Inde eſt quod non parcent ſuis, qui non parcunt ſibi, perimentes pariter, & pereuntes. *Idem Bern.* *Pſal. 13.*

Suadet etiam, vt egenis, & maxime incluſis curam impendāt. Et ad Regem Siciliæ dicit, quod egenis, & non cupidis dandæ ſunt eleemoſynæ, quia ſcriptum eſt: Beatus qui intelligit ſuper egenum, & pauperem, non ſuper cupidum, illum inquam pauperem, qui inuite petit, verecunde accipit, & accipiens glorificat patrem ſuum, qui eſt in cælis. *Bern. epiſt. 206. ad regem. Hieron ſal. ep. 207.* *Pſal. 40.*

Auguſtinus dicit hæc verba. Conſanguinei veniunt ad me, aliquando cū minis, aliquando cum blandimentis, dicentes: Da nobis aliquid Pater, caro enim tua ſumus: & tamen Dei gratia, & veſtris orationibus, nondum ditaui aliquem conſanguineum, quia cariores mihi reputo pauperes, quàm diuites, quia bona Eccleſiarum patrimoniū pauperum ſunt. & ſerm 52. qui eſt penultimus, & eſt indubitatus Auguſtini, vel Chryſoſt. dicit, quod neceſſe habet Epiſcopus exhibere humanitatē aſſiduam quibuſque venientibus, ſiue tranſeuntibus; quod ſi non fecerit, inhumanus ſit. Eccleſiaſtici, quod multa colligentes à populo, pauca largiuntur, & ferè omnia conſumunt, ſūt illi, de quibus ſcriptum eſt: Qui deuorant plebem meam, ſicut eſcam panis. O diligentiſſimi exactores decimarum, primitiarum, votorum, & negligentiſſimi datores verbi Dei: Dicite quæſo, quomodo in morte fiducialiter commendabitis animas veſtras Domino, quod hic pauperes eius non pauiſtis? Omnis veſtra cura eſt, vt reddĭtus Eccleſiæ non minuantur: de diminutione ve- *Aug. ſer. 21 ad Erem.* *Pſal. 13.*

ro fidei, & charitatis minor eſt ſollicitudo: ille dicitur bene rexiſſe Eccleſiã, qui opes eius auxit, etiamſi in curandis ouibus negligentior fuerit. Et diſt. 22. dicitur, Epiſcopus pauperibus, vel infirmis, qui nõ poſſunt laborare, largiatur victum, & veſtitum, quantum poſſibilitas tulerit. Et in Concil. Aurelianen. 50. (quod eſt prouinciale) & celebratum eſt circa annum 580. habes, quod illi, qui ſunt in carcere Eccleſiaſtico ob aliqua delicta, ab Archidiacono, vel Præpoſito Eccleſiæ viſitentur, iuſſu Epiſcopi: & Epiſcopus deputet perſonam, quæ eos in ſuis neceſſitatibus de bonis Eccleſiæ ſuſtentet. Et ibidem ſubiungitur, quòd Epiſcopus inter omnes egentes præcipue curam gerat infirmorum, qui vltra laborem infirmitatis, conſtringuntur inopia, illisq. victum, & veſtitum prouideat. Et in Conc. Matiſconen. 20. dicitur, quod domus Epiſcopalis ad hoc eſt inſtituta, vt ſine perſonarum acceptione, omnes in hoſpitalitate recipiat: & ideo non debet habere canes, quia non morſibus, & latratibus canum, ſed hymnis cuſtodienda eſt domus eius, ne hi, qui cõfidunt ibi ſe inuenturos leuamen miſeriarum ſuarum, verſa vice morſibus canum lanientur. Domus Epiſcopi debet eſſe commune hoſpitium omniũ: laicus enim vnum, aut duos, aut paucos recipiens, impleuit hoſpitalitatis officium: Epiſcopus, niſi omnes receperit, inhumanus eſt.

Conc. Aurel. an. 520.

S. Hier. in epiſt. ad Titum, & adducitur in Cõc. Aquiſgran.

Referamus hic nonnulla beneficia à Deo pijs viris eleemoſynarum largitoribus collata: cetera autem mirabilia exempla ad eleemoſynam pertinentia, quæ penè innumera ſunt, in ſubſequentibus hiſtorijs recenſebuntur.

Medicus clariſſimus de futura vita ambigens, propter eleemoſynas ab ipſo profuſius elargitas, cælitus illuminatur.

Cap. 321.

S. Aug. ad Euod. de anim. ſolut. corp. & de viſis prodigioſ. 1. epiſt. 100.

NArrabo autem vnum aliquid breuiter (inquit S. Auguſtinus) Frater noſter Gennadius, notiſſimus fere omnibus, nobisq. clariſſimus Medicus, qui nunc apud Carthaginem degit, & Romæ ſuæ artis exercitatione perpolluit, vt hominem religioſum noſti, atque erga pauperum curam impigra miſericordia, facillimoq. animo benigniſſimum; dubitabat tamen aliquando, vt modo nobis detulit, cum adhuc eſſet adoleſcens, & in his eleemoſynis feruentiſſimus, Vtrum eſſet vlla vita poſt mortem. Huius igitur mentem, & opera miſericordiæ, quoniam Deus nullo modo deſereret, apparuit illi in ſomnis conſpicuus iuuenis, & dignus intendi; eiq. dixit: Sequere me: quem dum ſequeretur, venit ad quandam Ciuitatem, vbi audire cœpit à dextera parte ſonos ſuauiſſimæ cantilenæ, vltra ſolitam, notamq. ſuauitatẽ: tunc intento quidnam eſſet, ait: hymnos eſſe beatorum, atque ſanctorum. Siniſtra autem parte, quid ſe vidiſſe retulit non ſatis memini. Euigilauit, & ſomnum, vt fuit, tantumq. de illo, quantum de ſomnio cogitauit. Alia vero nocte, ecce idem ipſe iuuenis eidem rurſus apparuit, atque ab illo vtrum cognoſceretur, interrogauit: reſpondit ipſe, quod eum bene, planeq. cognoſceret. tunc ille quæſiuit vbi ſe noſſet. Nec memoriæ defuit, quod iſte identidem reſponderet, totumq. viſum illum, hymnosq. ſanctorum, ad quos audiendos eo duce venerat, qua recentiſſimos recordabatur, facilitate narrauit. Hic ille percontatus eſt, vtrum nam id, quod narrauerit, in ſomnis vidiſſet, an vigilans? Reſpondit, in ſomnis. At ille: bene inquit, recolis, verum

in

in ſomnis illa vidiſti, ſed etiam nunc in ſomnis te videre ſcias. Hic cum viδiſſe iſta, ita eſſe credidit, atque id reſponſione firmauit: tunc qui hominem docebat adiecit, & ait: Vbi eſt modo corpus tuum? Ille reſpondit, in cubiculo meo. Sciſne, inquit, in eodem corpuſculo nunc illigatos eſſe, & clauſos, & otioſos oculos tuos, nihilq. illis oculis te videre? Reſpondit, ſcio: tunc ille: qui ſunt ergo, inquit, iſti oculi quibus me vides? ad hoc iſte non inueniens, quid reſponderet, obticuit. Cui hæſitanti, ille quid his interrogationibus docere moliebatur, aperuit, & continuo, ſicut, inquit, illi oculi carnis tuæ vtique in dormiente, atque in lectulo iacente, nunc vacant, nec aliquid operantur, & tamen ſunt iſti, quibus me intueris, & iſta vteris viſione, ita cum defunctus fueris, nihil agentibus oculis carnis tuæ, vita tibi inerit, qua viuas, ſenſusquè, quo ſentias. Caue iam deinceps, ne dubites vitam manere poſt mortem. Ita ſibi homo fidelis ablatā dicit huius rei dubitationem prouidentia, & miſericordia Dei, pij Medici eleemoſynas inſpicientis.

Præſtabilis miſericordia in pauperes tempore validæ famis (homines enim à morte liberat) & viro volenti occidere filium paruum, vt manducaret illum, ſuccurrit Deus cum eleemoſyna ceruæ. Cap. 322.

QVodā anno grauiſſima fames Germaniæ populos oppreſſit, maxime circa Rhenum habitantes, nam vnus modius de frumento Mugantiaci, vendebatur decem ſiclis argenti. Morabatur autem eo tempore Rabanus Archiepiſcopus in quadam Villa parochiæ, cui vocabulum eſt Vuinyella, & pauperes de diuerſis locis venientes ſuſcipiens, quotidie pluſquam trecentos alimento ſuſtentabat, præter illos, qui in præſentia illius veſcebantur aſſidue. Venit autem, & mulier quædam penè conſumpta inedia cum puerculo paruulo inter ceteros refocillari deſiderans. Quæ priuſquam limen portæ trāſcenderet, præ nimia imbecillitate corruens ſpiritū exhalauit; puer vero mammillam matris mortuæ quaſi viuentis de ſinu protrahens, & ſugere tentans multos intuentes gemere, & flere coegit.

Quidam etiam in illis diebus de Grabfelden cum vxore ſua, & filio tenero in Thuringiam proficiſcens, vt malum inopiæ temperare poſſet, vxorem in itinere in quadam ſylua ſic affatus eſt: Nonne inquit, melius eſt, vt puerum iſtum occidamus, & manducemus carnes eius, quàm omnes inedia cōſumamur? illa verò contradicente, ne tantum ſcelus committeret, tandem vrgente fame, filium de brachijs maternis per vim rapuit, & voluntatem opere compleſſet, niſi Deus illum ſua miſeratione præueniſſet: nam ſicut idē poſtea in Thuringia poſitus plurimis retulit, cum euaginaſſet gladium, vt mactaret filium, & in ancipiti poſitus necē diſtuliſſet, vidit eminus duos lupos ſuper vnam ceruam ſtantes, & lacerantes carnes eius, ſtatimq. parcens filio, ad cadauer ceruæ occurrit, & lupos inde abigens tulit de carnibus prægustatis, & cum incolumi filio ad vxorem reuerſus eſt. Prius enim quando filium tulerat de manibus matris, paululum ab ea declinauerat, ne illa morientem puerum videret, & audiret.

At illa veniente marito, videns recentes carnes, & cruore perfuſas, puta-

bat filium occiſum, & cecidit retrorſum penè exanimis: ille autem accedens conſolatus eſt eam, & erigens illam oſtendit puerum viuentem. Tunc illa reſumpto ſpiritu Deo gratias egit, quia filium ſanum recipere meruit: nec minus ille, quia eum Deus à liberi interfectione innocuum dignatus eſt conſeruare; ambo tamen carnibus lege prohibitis, neceſſitate coacti ſe recrearunt, per Dei prouidentiam accepta eleemoſyna.

Iuuenis Hiſpanus agens luxurioſam vitam, & malis operibus maculatam, confeſſionem peccatorum in multos annos differens, & crebras interim eleemoſynas elargiri conſueſcens pauperibus, improuiſam paulo ante mortem contritionem obtinet, peccatorum confeſſionem facit, & moritur in pace. Cap. 323.

APud Hiſpanos in Ciuitate Valentiæ fuit quidam iuuenis, qui ſeculi vitam amplexus, & obſcœnis concupiſcentijs obtemperans, tempus in diuinorum præceptorum tranſgreſſionibus conterebat. Quapropter odio habens, & faſtidiens ea, quæ ſpiritus ſunt, abhorrebat diuina ſacramenta, & ad confitenda ſacerdotibus peccata, quaſi funibus conſtrictus, ire non poterat. Multiq. anni præterierant, quibus peccata ſua confeſſus non fuerat. Tandem improuiſa quadam peccatorum deteſtatione tactus intrinſecus, profectus eſt ad Templum venerabilium Patrum Societatis Ieſu, vbi tanta cordis compunctione, tot oculorum lachrymis ſua confeſſus eſt peccata, vt confeſſarius eius admiraretur, & ſciſcitaretur ab ipſo, quæ bona opera peregiſſet vnquam, vnde meruiſſet hanc miſericordiam à Deo impetrare. Reſpondit iuuenis: Ego multa, & grauiſſima mala in vita mea me commiſiſſe recordor, totumq. tempus, quod vixi, conſumpſi penè peccando, & viuendo in fœdis luxurijs. Tot malis operibus, vnum tantùm bonum opus admiſcui, delectabar enim facere eleemoſynas, & pauperibus benefacere, cum ſeſe occaſio offerebat. Et pergens per viam, ſi pauper aliquis occurrebat, diuidebam illis nummos, vt poteram. Quod ſi aliquando contigiſſet me non habere in crumena pecuniam, quam indigenti præberem, in proximam aliquam officinam ingrediebar, & petebam à mercatore, vt mutuaret nummos, cui ſi forſan notus non fuiſſem, loco pignoris, enſem, quo eram accinctus, & pugionem relinquebam. Hic igitur iuuenis expleta confeſſione, & obtenta peccatorum abſolutione ægrotauit, & poſt biduum mortuus eſt, & vt credi poteſt, cum ſalute à miſericordi Deo receptus eſt. Ex qua quidem narratione apertiſſime patet, eleemoſynam à morte perpetua eum liberaſſe, neque permiſiſſe animam eius ire in tenebras, vbi eſt ſtridor dentium.

Audiui hoc à religioſo viro eiuſdem Societatis.

B. Philippus Nerius, operibus miſericordiæ intentus in altiſſimam foueam noctu delapſus, diuinitus à morte eripitur. Cap. 324.

PHilippus Nerius, Auctor Congregationis noſtræ, ſicut ceteras, ita miſericordiæ virtutem poſſidebat, & quo maioribus à Deo in ſingulos dies augebatur beneficijs, vehementius in eius pectore exardeſcebat pietas, quæ ſeſe per opera manifeſtabat.

Quapropter cum quodam tempore pauperes nimia inopia premerentur, ipſe intempeſta nocte, cum ſomno ſepulti ſunt omnes, vt neſciret ſiniſtra quid faceret dextera, miſerabilium perſonarum domos obibat, quibus, quæ ad victum neceſſaria erant, largè, abundèq. ſuppeditabat.

Nocte autem quadam, cum panem viro cuidam nobili, ſed pauperrimo deferret, diaboli opera factum eſt, vt intentus ille quo pacto currũ præcipiti curſu ſe ferentem declinaret, mox in altiſſimam foueã caſu delapſus ſit. Sed Domino opem ferente, ab Angelo confeſtim inter cadendum capillo capitis mirabiliter retinetur, indeq. nulla læſus parte, ab eodem incolumis eripitur, vt is, qui ad aliorum vitam ſuſtentandam ambularet, is à benigno Domino vitæ beneficium reciperet.

Pauperis ſpecie Angelus ab eo ſtipitem accipit, vnde ad largiendas eleemoſynas vehementius inflammatur. Cap. 325.

QVodam die cum pietatis opera ardentius quàm ſolebat, ſequeretur, Angelus pauperis ſpecie ei ſeſe oſtendit, ſtipem petit; cui cum ille quã habebat pecuniam libenti, promptoq. animo elargiretur, experiri veneram, dixit ei illico Angelus, quid facturus eras? & his dictis euanuit. Qua ex re, eo Philippus miſerationis affectu in pauperes ferri cæpit, vt ex eo die nemini vnquam poſcenti eleemoſynam negauerit. Pauperibus viris, ac feminis, quibus opus habebant, abundè ſuppeditabat. Iuuenibus ad litterarum ſtudia propenſis pecunia, & libris, ac veſtibus non deerat. Hebdomada nulla erat, quin eleemoſynam ijs, qui in carcere retinebantur, mitteret. Nemini tandem pauperum ſtipem denegabat.

Idem veſte propria ſe ſpoliat, vt nudam cooperiat; priuat ſe panibus, vt alios ſuſtentet. Cap. 326.

CVm pauperrimæ feminæ nuditatem audiuiſſet, ſuam ſibi veſtem detraxit, vt inopi traderet. Egenis adoleſcentibus, quibus cupiditas erat Cœnobijs ſe mancipandi, probato eorum ſpiritu, tantum donabat pecuniæ, coëmendis veſtibus ad inſtitutum, quod amplectebantur, appoſitis, ſatis eſſet. Iure ergo, meritoq. de eo dicere poſſumus: nihil habebat, & omnia poſſidebat; quandoquidem beneficium ille Eccleſiaſticum poſſedit nullum, pecuniæ contemptor eximius, vt ſi quis alius: tamen in omni vita nihil ei vnquam, nec ad proprium vſum, nec ad aliorum ſubleuandam inopiã defuit.

Anno Chriſti 1551. cum ſumma eſſet in Vrbe annonæ caritas, ſex ad Philippum

lippum panes deferuntur. Sed quid ille? acceptos panes non attingendos ſibi, ſed pauperibus tribuendos putans, Hiſpano cuidam ſacerdoti pauperi in Chriſti Domini Noſtri gratiam hilari vultu largitur. Quo peracto, cum quæreretur ex eo, quid cauſæ eſſet, quòd portionem ſuam omnem egenti ſacerdoti tribuerit, modeſte id ſe feciſſe reſpondit, quòd facilius erat panem ſe ab amicis accepturum, quàm ſacerdotem illum peregrino cælo natum; Quapropter illo ipſo die panibus carens paucas dumtaxat oliuas guſtauit.

Modicus panis, & vinum in magna penuria indigentibus erogatum, nunquam deficit. Cap. 327.

PORtia femina ſatis pia & deuota erga Deum, in pauperes vero ſupra modum miſericors, Cæſari Cardinali Baronio eius filio quaſdam mirabiles gratias ſibi à Deo collatas cum lachrymis enarrabat.

Cum in quadam extrema annonæ penuria, magna pauperum multitudo ad eam confugeret, ſolebat quotieſcunque panem pro eius familia alenda coqueret, ſemper duodecim panes in fruſta concidere, & in arca ad pauperum inopiam ſubleuandam reponere; quibus in magno numero concurrentibus, omnibus benigne eleemoſynam erogabat, & ne de Dei bonitate diffidere videretur, in arca aſpicere nunquam volebat, ſed omnibus petentibus large & indiſtincte, donabat: vnde factum eſt, vt panis, qui tam magnæ multitudini pauperum ſufficere nullo modo potuiſſet, nunquam tàm benignæ, & miſericordi manui defecerit.

Retulit idē etiam accidiſſe, in quadam vini caritate. Anno quodam calamitoſa cecidit grando, quæ vineas omnes deuaſtauit, ita vt nullus fere vinū collegerit: illa habebat dolium ſed paruum, vino plenum, quare omnes infirmi, pauperes, & ſacerdotes pro miſſa celebranda ad eam confugiebant, quibus omnibus vinum diuidebat, & quamuis vinum illud in dolio neque ſibi, neque ſuæ familiæ ſufficere potuiſſet ad ſitim leuandam, tamen omnibus, quotquot petebant, magna pietate diſtributum, omnibus ſatietatē ſubminiſtrauit. Hæc retulit Baronius Antonio Gallonio noſtræ Congreg. presbyt.

De Sepulchro Dauid; Theſauro ibi aboſcondito; deſcenſu Herodis in illud, & flamma erumpente. Cap. 328.

NOn eſt autem prætermittendum, referre hic aliquid, quod his temporibus contigit, & quidem hiſtoria, & obſeruatione dignum. Nam ſepulchrum Dauid, quod & Salomonis dictū eſt, eo quod illic ipſe conditus eſſet, remanſit integrum vſque ad extremam omniumq. nouiſſimā Iudæorum cladem per Hadrianum illatam. Tunc temporis antequam illa ſequeretur, quaſi in prodigium futuri vltimi Iudæorum generis exterminij, ſponte corruit, vt Dio Caſſius auctor eſt in Hadriani vita, quam ſcripſit. Eiuſdem ſepulchri Ioſephus ſæpe meminit, quod non tantum auguſtis ædificijs Salomonis opera extructis erat inſigne, ſed & theſauro nobilitatum: ingentem enim vim auri ab eodem Salomone illic fuiſſe recluſam, haud dubium eſt; teſtatur etenim idē auctor, Hyrcanū, cum obſideretur ab Antiocho, cognomento Pio, ablatis è ſepulchro Dauidis tribus millibus talentis, ijs totius

Dio Caſſius in Hadria. vita.
Ioſeph. ant. lib. 7. c. vlt.

populi

populi vexationem redemiſſe. Rurſum vero quid Herodi idem ſepulchrum perſcrutanti obuenerit, idem teſtatur his verbis: Herodes multum pecuniarum domi, foriſq. profundens, audito, quod Hyrcanus, qui ante eum regnauit recluſo Dauidis ſepulchro tria millia talentorum argenti extuliſſet, ſupereſſeq. multo plura, quæ poſſint quantumuis magnis ſumptibus ſufficere, multo tempore animum habuit idem aggredi. Tunc vero noctu apertum ſepulchrum ingreditur, cũ prius accuratè cauiſſet, ne hoc ſciret populus, aſſumptis tantum amicorum fidiſſimis, repoſitas tamen pecunias, ſicut Hyrcanus, non inuenit, ſed mundi pretioſi, & aureorum ornamentorum vim magnam inde ſuſtulit. His inuitatus ad diligentius ſcrutandum, interius proceſſit vſque ad conditoria Salomonis, ac Dauidis, vbi duos ſatellites amiſit, erumpente (vt fertur) ex adytis flamma contra progreſſos temere: quo caſu exterritus exiuit, & tactus religione, ad expiandum ſe, in aditu ſepulchri monumentum è cãdido marmore condidit ſumptuoſiſſimis impendijs. Eius operis & Nicolaus illius temporis ſcriptor meminit, ſed non item de deſcenſu Regis præter decorum id factum exiſtimans, idq. more ſuo fecit. Viui enim Regis,hoc auribus dedit,captans gratiam. Hæc Ioſephus. Sepultũ fuiſſe Dauidem in Ciuitate ſua,quæ dicta eſt Sion,habet diuina ſcriptura; Hieroſolymis nimirum, vbi eſt Sion; à Salomone tumulatum fuiſſe Dauidem item Ioſephus teſtatur. Admiratione ſanè dignum, quod à Tito ea ciuitate funditus exciſa, nihilominus idem ſepulchrum remanſerit integrum, nec niſi temporibus Hadriani (vt ex Dione dictum eſt) ſponte corruerit. Verùm quid dico, corruerit? Id quidem non ſic accipiendum eſt, vt ſolo adæquatum fuerit, ſed tantum aliqua ex parte collapſum: Nam Hieronymus ad Marcellam ſcribens, relegens loca ſancta, ac ſi ipſum integrum remaneret, in Mauſoleo Dauidis precari ſolitum tradit.

Ibid.li.16. c.11. *2.Reg 5.* *2.Reg.2.* *Ioſeph.ant. lib.7.c.vlt.* *Hier. ep.17 prope fin.*

Petrus egregius Princeps Chriſtianorum, mirabili fulget virtute, Angelicamq. Rempublicam gubernat, gentes conuertens. Cap. 329.

IGitur in principio Orientis Eccleſiæ apparebant Petri præclara, & tali Præſide digniſſima facta. Erat Petrus os omnium, cauſam fidei agit pro omnibus; doctrina ſua inſtruit omnes; ipſe præcipuus fidei aſſertor eſt, præcipuus cathechiſta habetur, & primus extitit verbi concionator, & primus coegit Eccleſiam, eamq. non ex Hieroſolymitanis, & circumcirca habitantibus Iudæis, ſed ex Parthis, Medis, Phrygijs, Libicis, Aegyptijs, Arabibus, aduenis Romanis, & alijs: & qui omnium Paſtor fuit à Domino inſtitutus, ex omnibus nationibus cogere cæpit oues: docuit eos fidem ſimul, & Apoſtolicos mores, nempe renunciare omnibus, ſimul conuenire in oratione, & panis à Chriſto edocta fractione, Erant enim (inquit Lucas) perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, & communicationis fractionis panis, & orationibus: fiebat autem omni animæ timor. Quamobrem non tantum Chriſti fidem ſuſceperunt,ſed & quæ habebant,in communem omnium vſum contulerunt. Omnes enim qui credebant (addit Lucas) erant pariter in eodem loco, & habebant omnia cõmunia; poſſeſſiones, & ſubſtantias vẽdebant, & diuidebant illas omnibus, prout cuiq. opus erat.

Io.Chryſoſ. in Act. Ap. hom.4. *Act.2.*

Hæc

Chryſoſt. in Act. Apoſt. hom. 5. & 7. Hæc erat (ait Chryſoſtomus) Angelica reſpublica, nihil dicere proprium, hoc protulit primum germen naſcens Eccleſia. Petrus plantat verbo, rigat baptiſmate, ſed qui incrementum dat, Deus eſt. Ac rurſus] Petrus piſcator hos ſuperauit, quaſi cum mutis piſcibus certamen fuiſſet: nec enim aliter quàm piſcator mutos piſces, ita hic illos ſuperauit. Et paulo poſt: vbi nunc Græciæ faſtus? vbi nomen Athenarum? vbi Philoſophorũ deliramenta? ille Galilæus, ille Bethſaide natus, ille ruſticanus vniuerſos illos deuicit: age dum, non ad nominatam patriam illius, qui hos deuicit, erubeſcitis? quod ſi nomen ipſum hominis audietis (Cæphas enim dictus eſt) multo magis obtegitis faciem. hæc ille Chriſti in Petro admirabilem virtutem prædicans.

De vmbra corporis Petri, quæ mirabiliter ſanabat ægrotos. Cap. 330.

Act. 5. MAgis autem (primis illis, & aureis tẽporibus) augebatur credentium in Domino multitudo virorum, ac mulierum: videbant enim mirabilia quæ fiebant, præſertim autem per Petrum, in quo tam affluenter miraculorum gloria corruſcabat, vt (ſicut dictum eſt) in plateas eijcerent infirmos, & ponerent in lectulis, & grabatis, vt veniente Petro ſaltem vmbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus ſuis. Concurrebat autem & multitudo vicinarum ciuitatum Hieruſalem, afferentes ægros & vexatos à ſpiritibus immundis, qui curabantur omnes. Tanta enim diuinæ virtutis affluentia ſanctum vndique repleuerat, vt non modo redundaret in corpora eorum, qui illius contactu potiti ſunt, ſed & in ea, quæ corpus ipſius referre aliquo modo viderentur, vt eſt vmbra: proinde videre licet re ipſa impletum eſſe quod dixerat Chriſtus: Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ille faciet, & maiora illis faciet. Chryſ. ora. aut. Gent.

Sed auget admirationem, vt ex contextu ipſo elici videtur, & Chryſoſt. etiam colligit, quod vno duntaxat è multis ægrotis obumbrato, cuncti, qui ob id in plateas deportati fuiſſent, quamuis ad eos vmbra non perueniſſet, mirabiliter ſanabantur: & hoc forte ad commendandam vnitatem, vt ſicut multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna, ita ſimul expoſitorum languentium multitudo vnum corpus cenſeretur. His addit Auguſtinus (quod ex aliqua traditione accipiſſe neceſſe eſt) Petri vmbra non tantum priſtinæ ſanitati ægros reſtitutos eſſe, ſed, & mortuos ipſos ad vitam reuocatos: ſic enim ait; Cum tota fiducia Chriſtum prædicantes, in eius nomine multa ſigna faciebant, ita vt quendam mortuum tranſeunte Petro vmbra eius tetigerit, & reſurrexerit. Idipſum diſertis verbis confirmat Chryſoſtomus, dum de eodem Petro agens inquit; Corporis huius vmbra mortuos ſuſcitauit. Et alibi, tanti viri potentiam, virtutemq. admiratus exclamat: O Idiotæ miraculum! O Illiterati ſapientiam! Petrus ſua ipſa vmbra paralyticos ſolidauit, & mortem deſtruxit. Hæc Chryſoſtomus. Aug. de Catho. rud. ca. 23. Lib. 4. Gẽt. Ora. de SS. Apoſt. Pet. & Paulo.

Cum autem non tantũ Petrus, ſed & ceteri Apoſtoli Hieroſolymis eſſent: quidnam eſt quod oculi omnium conuertuntur in Petrum? quid iſta in plateis ægrotantium exhibitio, vt veniente Petro vmbra ſaltem illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur non ab vno, vel altero, ſed ab omni-

omnibus, quibus tenerentur morbis? certe quidem non per Petrum tantum, ſed per ceteros etiam Apoſtolos fieri ſolita ſigna, & prodigia idem, vt nuper vidimus, qui hæc ſcribit, teſtatur Lucas. Verùm, ſicut inter omnes Apoſtolos, Petrus à Chriſto primatu in omnes eſt auctus, ita etiam præclariora quædam, & inſigniora ab eo miracula edi conceſſit. Hinc ſolius Petri fuiſſe curare languentes vmbra corporis tranſeuntis, ſatis Euangeliſta declarat; nam ſi id ceterorum Apoſtolorum vmbra præſtitiſſet, quid tanta compreſſio in exponendis infirmis, quos Petri tranſeuntis vmbra curaret? Vnde Arator Diaconus, qui heroico carmine eadem cecinit Acta Apoſtolorum, dum de his agit, hæc egregie: *Arator Diac.*

Excute Petre gradus: tecum medicina ſalutis
Ambulat, adde viam, is pes eſt ad gaudia velox;
In pedibus non eſſe moram, tua ſemita vita eſt:
Si properas, iam nemo iacet: tu motibus vmbræ
Corpora cuncta leuas, atque hoc ſimul inſcia voti
Sumit turba tacens; quod cum rogat, accipit vnus.
Quærite quos agitat tanti reuerentia facti;
Quid typicum res iſta ferat, librisq. volutis
Noſcite, quod ſoli ceſſa eſt gloria Petro,
Quæue ſub hac ſpecie lateant documenta, videte.

Quod etiam hic in vmbra per Petrum agitur (nam in imagine pertranſit homo) in cælo veritate præſtari, idem pluribus verſibus docet. Quid inſuper vmbra Petri, niſi imago expreſſa corporis Petri? certe quidē non aliunde, quàm ex eiuſmodi imaginibus vmbra formatis picturam duxiſſe originē ferunt, vt ex his videas imaginum pium cultum in vmbra Petri à Deo primitus in primori illa Eccleſia, tot tantisq. miraculis eſſe diuinitus conſecratum. Rurſus verò nec illud prætermittimus, ex quo in rebus geſtis myſteria latere noſcuntur, quod cum eandem Deus virtutem vmbræ Petri indiderit, quam & corpori Petri, illud certè typice expreſſum eſſe videtur, tantā à Deo Principi Apoſtolorum gratiarum copiam eſſe collatam, vt eadem dona perſonæ Petri conceſſa, ſic in vmbrā æquè tranſtulerit vt eadem in ſucceſſoribus, qui referunt perſonam Petri, fęliciter propagari voluerit, nimirū; vt quamuis non oēs æquè ſancti eſſent, vt Petrus, ſed ex ipſis aliqui moribus eſſent futuri diſſimiles, tamen quia eiuſdem agerent perſonam Petri, eandem etiam retinerent à Deo illi traditam poteſtatem, ſcirentq. omnes reſpectu Petri honori habendos eſſe, qui vmbram ſaltem Petri hac ex parte referrent. *Clem. Alex. adu. Gent.*

De Agrippa Rege, quem Alexandriam venientem Alexandrini magno ludibrio exceperunt, conſilio Flacci Præſidis, qui Iudæis Alexandrinis poſt Chriſti mortem, Deo permittente, primitias calamitatum intulit.

Cap. 331.

HOc tempore erat quidam inſanus nomine Carrabas, non ex illo conſpicuo furioſorum genere, ſed leuiore correptus inſania: is interdiu, noctuq. nudus oberrabat per compita, nec æſtum, nec frigus deuitans, puerorum, & adoleſcentium ludibrium. Hunc miſerum propulſum ad gymna- *Philo in Flac.*

gymnaſium, in ſuperiori loco ſtatuunt, vt ſpectari poſſit ab omnibus, moxq. capiti diadema impoſuerunt papyraceum, pro paludamento corpori ſtoream induunt, pro ſceptro fruſtum arundinis humo ſublatum quidam ei dedit in manum, ſic ornatum regijs inſignijs, & in Regem transformatum more hiſtrionico adoleſcentes perticas in humeris geſtantes ſtipabant pro ſatellitio: tùm alij ſalutatum accedebant: alij ſibi reddi iura petebant: alij conſulebant eum de republica: poſt hæc acclamatum eſt à circumſtantibus magna voce, Marim, appellantibus, quod nomen Syris ſignificabat Dominum; norant enim Agrippam Syrum genere, & regnare in bona portione Syriæ. His auditis, immo viſis Flaccus, cum debuiſſet illum inſanum coniicere in carcerem, ne illuſoribus præberet materiam petulantiæ, atque etiam ipſos ſubornatores, quod Regem Cæſaris amicum à Senatu Romano honoratum ornamentis prætorijs auſi ſint apertis, obliquiſq. contumelijs laceſſere, non ſolum eos non caſtigauit, ſed ne cohibere quidem dignatus eſt, licentiam dans malitioſis, & quicquid videbat, audiebatq. diſſimulans. Hactenus Philo de his, quæ in Regem Iudæorum Agrippam facta ſunt Alexandriæ: quæ quidem ſi quis attentiori conſideratione perpendat, atque examinet, & altius cauſam repetendo diſquirat, profectò quid vehementi admiratione dignum inueniet. Ecce tibi nouus poſt Chriſtum, idemq. primus, atque nouiſſimus Rex Iudæorum, quàm inſigniter eſt illuſus in Carraba, quorum Rex verus, idemq. Chriſtus olim ſub Pilato Regio habitu illuſione perſonatus eſt, atque deriſus ab illis, qui Barabbam ſibi dari petentes, in Chriſtum Crucis ſupplicium conclamarunt, magna ſanè rerum geſtarum, ac nominis conuenientia, immò fortaſſe idem Carrabas, quod Barrabas, ſed pro B. C. errore librariorum græce ſcriptum.

Idem Phil. Idem Flaccus Præſes infenſus Iudæis edictum propoſuit, in quo nos appellabat Inquilinos, & Exteros, nec cauſæ quidem dicendæ poteſtatem faciens, ſed iniudicatos cõdemnans: quo quid poteſt eſſe magis Tyrannicum? Ipſe ſibi vſurpabat partes delatoris, amici, teſtis, Iudicis, pœnarum exactoris. Tertium quoque ſcelus addit, non contentus duobus prioribus, paſſus quoslibet in Iudæos tanquam bello captos ſæuire: qui nacti licentiam quid fecerunt? quinque ſunt vrbis regiones denominatæ à primoribus litteris: harum duæ dicuntur Iudaicæ, quod in his plurimi Iudæi habitent, quamuis & in alijs non pauci ſparſim habebant domicilia. Quid igitur fecerunt? è quatuor litteris expulſos Iudæos concluſerunt in vnius partem anguſtiſſimam. At illi quod plures eſſent, quàm is locus eos caperet, egrediebantur ad litora, & monumenta, & ſterquilinia exuti rebus ſuis omnibus. Inimici verò facto in deſertas domos impetu, prædas tanquam iure belli partas diuidebant, effractiſq. Iudæorum officinis, quæ tùm propter luctum mortis Druſillæ clauſæ fuerant, hinc quoque plurima egeſſerunt, quæ in medium forum tranſlata verterunt in vſus proprios: ſed minus nocebant rapinæ, quàm abrupta negociatio, cùm creditores amiſiſſent pignora, nec ſineretur vllus agricola, nauta, negociator, opifex exercere artes ſolitas. Ita non ſimplex eis parabatur pauperies, vel quod vna die ſpoliabantur ſuis facultatibus, vel quod non dabatur quæſtum facere more ſolito. Hæc quamuis moleſta videbantur, tamen tolerabilia collata cum ceteris. Et poſt multa, hæc ſequuntur.

Poſt

Poſt domos direptas, exactis habitatoribus, atque ita deſolatas partes vrbis pleraſq. tamquam obſeſſi vndiq. ab inimicis, & oppreſſi graui victuiq. rerum neceſſariarum inopia, inſpectanteſq. paruos liberos, & vxores ante ora ſua fame deficere inducta per aduerſarios, nam de cetero fœlix annona erat, vbiq. & flumen ſtagnationibus iuſtis arua inundarat largiter, & campi frugiferi frumenti copiam magnam protulerant. Iam egeſtatis impatientes quidam ad cognatorum, & quondam amicorum ædes ibant, præter ſolitum, petituri ſtipem neceſſariam; alij generoſiores aſpernati mendicorum fortunam, vt illiberalem, prodibant in forum, tantum vt ſibi ſuiſq. cibos emerent miſeri: mox enim à vulgo ſeditioſo correpti ſunt, occiſique: corpora quoque horum per totam Vrbem raptata, vt ne ad ſepulturam quidem vllum membrum fieret reliquum. Eadem rabie perierunt, & alij plurimi nouis crudelitatis formis excogitatis per efferatam in mores belluinos plebeculam: nam vbicunque Iudæi conſpicerentur, aut ſaxis coniectis enecabantur, aut inflictis fuſtibus; nec ſtatim plagis læthalibus appetebantur, ne accelerata morte cito eriperentur cruciatibus. Alij ferociores abuſi præſenti licentia, contemptis hebetioribus arma acceperunt efficaciſſima, ignem, ferrumq. & multos gladijs confecerunt, nec pauciores concremauerunt. Interdum familias integras, maritos cum vxoribus, paruulos cum parentibus in medio foro exurebant immaniter, nec ſenium, nec teneram ætatem miſerati, nec eius innocentiam: & quoties ligna deerant, collectis ſarmentis, non tàm igne, quàm fumo necabant eos, quo diutius morerentur, & miſerius: quorum cadauera ſemiuſtulata confertim iacebant, & promiſcue: triſte, horrendumq. ſpectaculum. Quod ſi lignatores ſarmenta inferrent tardius, impoſitos ligneæ ſupellectili vrebant eius dominos, ſubtracta pretioſiore, viliori vtendo pro lignis vulgaribus ad rogos extruendos. Multos etiam in alterum pedem fune iniecto trahebant, interim inſultando calcibus, excogitato genere mortis acerbiſſimo: nec in extinctos remittebant iram, grauius ſæuiendo in cadauera propemodum per omnes vrbis angiportus raptata, donec lacerata cute cum neruis, & carnibus, & fruſtis ſparſim in aſpero ſolo hærentibus minutim concerperentur.

Interea quidam eorum tanquam in Theatro ſe indoleſcere ſimulabant ad talia ſpectacula: ceterum, qui verè dolebant ſuorum vicem cognati, amiciq. confeſtim pœnas dabant, intempeſtiuæ, vt inimicis videbantur, miſericordiæ, arreptiſq. flagris cædebantur, & poſt omnia tormenta, quæ poterant excipere corporibus, tandem in crucem agebantur. Poſtquam autem Flaccus perfodit omnium Iudæorum parietes, & nihil intactum reliquit, in eorum perniciem, immane quiddam commentus eſt, nouarum ſemper inuentor iniuriarum: nam è Senatu noſtro, quem Auguſtus ſeruator, optime de nobis meritus inſtituit, ceu publicum Iudæorum conſilium, miſſis ſuper ea re litteris ad Maximum, deſignatum Aegypti Præſidem, triginta octo comprehenſos in ſuis priuatis ædibus confeſtim vinciri iuſſit, traductoſq. egregia pompa per medium forum ſenes, reductis in tergum manibus ligatos, partim oris, partim ferreis catenis induxit in Theatrum, ſpectaculum miſerabile, nec illi tempori, aut loco debitum; ſtatutoſq. coram inimicis eorum ſedentibus, ad maiorem ignominiam iuſſit nudatos flagellari, tanquam ſceleſtos, & nocentiſſimos, vt conſciſſi verberibus aliquot mox, vt inde ſunt ela-

Iudæi vindicāte Deo flagellātur & crucifiguntur.

Iudæi ligātur manib. producūtur in publicū, & nudati cadūtur flagellis vſque ad mortē.

elati, exhalarint animam, reliqui deſperata ſalute cum diuturno morbo conflictati ſunt: quod facinus, etſi alias deprehenſum eſt, nihilominus hic quoque declarabitur. Ex dicto Senatu tres, Euodius, Triphon, Andron bonis ſpoliati fuerant, direptis eorum ædibus vno impetu: nec id latuit Præſidem; didicerat enim accitis noſtris Magiſtratibus, quaſi acturus de concordia, & tamen quamuis ſciret ſpoliatos fuiſſe, verberabat in conſpectu eorum, qui ſpoliarant, vt alteris calamitatem geminaret, addito ad paupertatem cruciatu corporis, alteri duplicem voluptatem caperent ex conceſſis ſibi alienis opibus, & inimicorum ignominia. Dicam paruum quiddam, quod an inter tanta mala dicendum ſit, dubito; ſed quamuis paruum, non paruam tamen indicat malitiam.

Eſt in illa vrbe flagrorum differentia, pro eorum conditione, qui cæduntur ab Alexandrinis lictoribus, quos vocant Spatephoros: hunc morem, & in noſtris hominibus ſeruarunt ſuperiores Præſides, & ipſe quoque Flaccus, primis ſui magiſtratus temporibus. Eſt certe, & in pœna paruum quoddam ſolatium, & in cruciatu remiſſionis nonnihil, quando res ita, vt ſunt, ſinuntur, nec augetur malitioſe moleſtia, ſed cum accedit odium, nihil æquitatis relinquitur.

An nõ igitur iniquiſſimum fuit, cum de plebe Alexandrina Iudæi liberalibus, & ciuilibus flagris punirentur, ſi quando viderentur commeriti magiſtratus, ſenatoreſq. honoratos, vel ipſis appellantibus, hac parte inferiores haberi ſuis ſubditis, & ex æquo cũ Aegyptiorum obſcuriſſimis maximorum flagitiorum pœnas luentibus corpore? Omitto dicere, quod etiam ſi peccaſſent grauiſſime, debuerant habere temporis rationem, atque reuerentiam, & differre mulctationem in aliud, nam bonis Præſidibus, & recte, non inſolenter adminiſtrantibus Rempublicam, mos eſt in neminem damnatum animaduertere, donec ſolemnes celebritates, natalitiaq. Auguſtorum feſta prætereant. At ille per hos ipſos dies iniuſtis pœnis affligebat homines innoxios: an non poterat poſtea, ſi voluiſſet eaſdem ab illis exigere? ſed properabat, vrgebatq. negocium, vt turbis aduerſariorum gratificaretur, ratus eo modo ſe impetraturum eorum fauorem ad exequenda conſilia, quæ agitabat. Atqui noui quoſdam iam crucifixos inſtanti tali feſto de Cruce depoſitos, & ad ſepulturam ex more cognatis redditos; quandoquidem decebat vel ad mortuos redire aliquem fructum ex Imperatoris natalibus, ſimulq. celebritati ſuum ſacrum honorem ſeruari. At iſte non mortuos deponi de crucibus, ſed viuos crucifigi iubebat, quibus ipſum tempus, non quidem abſolutionem, breuem tamen dabat veniam, & pœnæ procraſtinationem: nihilominus ante flagellabantur in medio Theatro, & igne, ferroq. torquebantur, ſpectaculis diſtributis in hunc modum: Mane vſque ad horam tertiam, quartamue Iudæi flagellabantur, ſuſpendebantur, loris alligabantur, damnabantur, per mediam Orcheſtram ducebantur ad ſupplicium: deinde poſt hæc tàm præclara exempla edita, inducebantur ſaltatores, mimi, tibicines, aliaq. ludicra ſcenicorum certaminum. Quid multis? excogitata eſt ſecunda vaſtatio, vt militaris quoque multitudo in nos armaretur per occaſionem nouæ calumniæ, quaſi Iudæi haberent arma in ædibus. Accitus itaque à Præſide Caſtus Centurionum fidiſſimus, iubetur, aſſumpto à ſua cohorte quoque audaciſſimo, in domos eorum irrumpere,

pere, ſcrutari, numquid armorum ibi lateat: properauit ille mandata exequi. At Iudæi non præmoniti, primum obſtupuerunt, vxoribus, ac liberis eos complectentibus, effuſis in lachrymas metu captiuitatis, hoc enim malum expectabant reliquum: vt vero audierunt à quodam è ſcrutatoribus: Quo poſuiſtis arma? reſpirarunt paululum, & intima quæque aperiẽtes oſtendebant, partim læti, partim gementes; læti, quia còarguebantur calumnia: ſoliciti, primum quia tantæ calumniæ tàm facile contra eos, vel fingerentur, vel crederentur; denique quia mulierculæ incluſæ nunquam è conclaui egredi ſolitæ, & virgines præ pudore declinantes etiam aſpectum familiarium, tunc non ſolum ignotis, verùm etiam militari ferociæ ſpectabantur pauidæ. nihilominus accurata facta ſcrutatione non inueniebantur iſta, quæ ſolent eſſe in armamentarijs galeæ, loricæ, clypei, conti, gladij, neque baliſtæ, arcus, fundæ, ſagittæ, iacula, immo ne cultri quidem apti quotidianæ culinæ vſibus. Vnde ſtatim apparuit victus ſimplicitas, nihil delicatum, aut magno emptum in cibos admittentium, ex qualibus ferè naſcitur ſaturitas; & ex hac porrò petulantia malorum initium, quin & Aegyptijs paulò ante arma dempta fuerant per Baſſum quemdam à Flacco iuſſum id curare. & inferius. Totum id negotium dolus erat Flacci pertinaciter nobis infenſi, & vulgum exaſperantis in nos, non parcendo vel mulieribus. Nam non ſolum in foro, ſed & in medio theatro tanquam captiuæ corripiebantur, & ob quamuis calumniam in ſcenam trahebantur non ſine grauiſſimis contumelijs, deinde cognitas eſſe alterius generis dimittebantur: multas quaſi Iudæas comprehendebant prius quàm rem diligentius diſpicerent. Quoties autem noſtræ comperiebantur, ex ſpectatoribus facti tyranni, & domini, iubebant eis carnes ſuillas afferri, quas quotcumque metu tormentorum guſtabant, ſine alia maiore vexatione dimittebantur; quæ vero ſibi temperabant, tortoribus tradebantur ad cruciatus maximos, quod fuit eximium argumentum earum innocentiæ. Hucuſque Philo de iniurijs per Flaccum illatis in Iudæos Alexandrinos. Proſequitur iſta etiam in libro, quem ſcripſit de legatione ad Caium, vbi de ignominia Synagogis illata pluribus agit.

Quod autem ſpectat ad Iudæos, non caſu quidem factum eſt, vt Deus permitteret tàm immanem beſtiam in eos ſæuire; initia enim hæc voluit eſſe dolorum, & futurarum calamitatum: ſicut enim ſcelus illorum omnia ſuperauit ſcelera, ita, & pœnæ eorum ſupergreſſæ ſunt vniuerſas. Peccatum quippe illorum, quo Chriſtum Deum crucifixerunt, ſcriptum (quod ait Propheta) ſtylo ferreo in vngue adamantino, in ipſos clamans meritas expoſcebat pœnas. At ſunt hæc diuinæ vltionis in Iudæos præludia, quæ in Aegypto hoc anno cæpta, in alijs orbis terrarum Prouincijs, vbi Iudæi agerent, in dies magis magisq. aucta, atque eorum magno dolore propagata, neque in ipſa quoque immani, atque aſperrima Hieroſolymorum excidione finem acceperunt.

De vindicta Dei in Herodem, qui dum quæreret augere regnum, priuatus regno exulat in Gallia, vnà cum Herodiade. Cap. 432.

Ioſeph. de bell. Iud. li. 2. c. 8. in fi. CVm veniſſet in Regnum Agrippa, Herodis Tetrarchæ cupiditates per inuidiam ſuſcitauit. Irritabat autem eum maximè in ſpem regni Herodias vxor, exprobrans ei ſocordiam, & dicens, quia per hoc, quod noluerat ad Cæſarem nauigare, careret poteſtate maiore: nam cum Agrippa ex priuato Regem feciſſet, quomodo dubitaret illum ex Tetrarcha eodem honore donare? His adductus Herodes venit ad Caium. Agrippa vero, inquit Ioſephus, cognita eorum mente, ac apparatu, ipſe quoque ſe accinxit ad reſiſtendum, & quàmprimum eos è portu ſoluiſſe didicit, ipſe etiam Romam miſit Fortunatum, ſuum libertum, ad Imperatorem cum muneribus, & litteris ſcriptis contra Herodem: ſimulq. mandauit, vt per occaſionem amplius cum Principe ſuper hoc negotio diſſereret. Qui ſubſecutus Herodē, & ſecunda nauigatione vſus tantummodo à tergo relictus eſt, quod tùm primum illo ad Cæſarem admiſſo venit, litterasq. reddidit, vterque enim Puteolos appulit, & Caius tùm forte apud Baias repertus eſt. Itaq. Caius ſimul ac ab Herode ſalutatus eſt (priorē enim eum admiſerat) ſimul Agrippæ perlegit litteras accuſantes Herodem, quod prius cum Seiano conſpiraſſet in Tiberium, & nunc iterum Artabano Partho faueret contra Caij nouum imperium. Argumentum erat ipſius Tetrarchæ apparatus, qui in armamentarijs ſuis haberet tantum armorum, quantum inſtruendis virorum ſeptuaginta millibus ſufficeret. Quare Cæſar commotus, percontatus eſt Herodem, verane eſſent, quæ nuntiarentur de armorum numero? quo annuente; neque enim vera negare poterat, ſatis approbatam putans defectionem, ademptam illi Tetrarchiam ad Agrippæ regnum adijcit, pecuniam quoque eius donans Agrippæ indici. Herodem vero perpetuo damnauit exilio apud Lugdunum Vrbem Galliæ. Cognito deinde ſororem Agrippæ eſſe Herodiadem, pecuniā ei propriam conceſſit, & ratus non libenter fore marito calamitatis ſociam, in Agrippæ gratiam ſe illi parſurum promiſit. Ad hæc illa: Tu quidem Imperator, vt tua maieſtate dignum eſt, loqueris, ſed mihi coniugalis amor impedimento eſt, quominus fruar hac indulgentia; non enim æquum cenſeo, vt cui ſecundæ fortunæ fui ſocia, eum nunc in aduerſa deſeram. At ille indigne ferens tàm excelſum animum in femina, ipſam quoque cum Herode expulit, & bona eius Agrippæ largitus eſt. Atque hæc fuit vindicta, quam Deus intulit tùm Herodiadi, fratris ſucceſſus indigne ferenti; tùm Herodi ad obſequendum vaniloquentiæ vxoris nimis facili. Hæc omnia Ioſephus.

Ioſeph. ant. lib. 18. c. 9.

Hegeſip. de excid. Hieroſ. li. 2. c. 5 Hegeſippus addit Herodem mœrore animi conſumptum interijſſe: Porrò huius diuinæ planè in Herodem, & Herodiadem vltionis cauſam ſi quis altius petat, non in Agrippæ fœlicitatis inuidentiam eam reijciet, ſed tùm ob Ioannem Baptiſtam immaniter occiſum: tùm etiam ob Chriſtum ab eo ſpretum, ac malè habitum hæc prædictos paſſos eſſe, neminem puto non intelligere. Sicut enim ipſe Chriſtum Dominum, Scribis conſtanter accuſantibus, non defendit, neque innocentem ex manibus eorum eripuit, ſed contempſit illum cum exercitu ſuo, & illuſit veſtiens illū veſte alba: ita & ipſe

accu-

accuſatus coram Imperatore ſe defendere nō potuit, & ab eo contēptus, ſpoliatus eſt veſte regia, & regno, & miſſus in exilium, vbi mœrore confectus eſt.

De Pontio Pilato, ſub quo paſſus eſt Dominus, qui ſibi miſerabili exitio mortem intulit. Cap. 333.

SVb Olympiade ducenteſima quarta, anno tertio Caij Imperatoris, Pilatum quoque olim Iudææ Procuratorem miſeranda morte interijſſe, Euſebius ſcribit his verbis: Pontius Pilatus in multas incidēs calamitates, propria ſe manu interfecit, vt ſcribunt Romani Hiſtorici. hæc Euſebius. Affirmat id ipſum Caſſiodorus in Chronico. Viennæ autem in Gallijs id cōtigiſſe cùm multi referant, Ado eiuſdem ciuitatis Epiſcopus in hunc modum rem ſcribit: Pilatus, qui ſententiam damnationis in Chriſtum dixerat, & ipſe perpetuo exilio Viennæ recluditur; tantiſq. ibi irrogante Caio languoribus coarctatus eſt, vt ſua ſe tranſuerberans manu multorū malorum compendiū mortis celeritate quæſierit. Denique conſentiunt omnes, Pilatum ſummâ deſperatione actum, ſibi necem intuliſſe.

Euſeb.

Caſſiodor. in Chron.

Ado in Chronic.

De Legatione Philonis ad Caium, qui iuſſerat poni ſibi ſtatuam in templo, vt pro Ioue adoraretur. Et quo modo iuſto Dei iudicio Iudæi, qui verum & ſummum Dominum recipere noluerunt, coguntur recipere infandum Caij Idolum. Cap. 334.

ANno Chriſti quadrageſimo ſecundo, Caij Imperatoris quarto, Philo Hebræus vnà cum collegis Alexandriæ agentibus, legatus ad Caium Imperatorem mittitur, ab Alexandrinis vero alij miſſi legati (inter quos Apion Grammaticus, Iudæorum infenſiſſimus hoſtis) ad Imperatorem aduerſus eoſdem legantur. Rem geſtam ſummatim, ſic Ioſephus complectitur: Cum inter Iudæos, & Græcos Alexandriam habitantes exorta eſſet ſeditio; terni ab vtraque parte delecti legati ad Caium miſſi ſunt, Apion vero, Alexandrinorū legationis Princeps, multa in Iudæos iactauit crimina, interq. cetera, quod Cæſarem non proſequerentur debitis honoribus. Nam cum quàmlate patet orbis Romanus, Caio exſtruantur templa, & altaria, & pari honore colatur cum ceteris numinibus, ſolos iſtos turpe putare, dedicare illi ſtatuas, aut iurare per nomen Cæſaris: his acerbe inuecto Apione, multiſq. alijs, quæ ad exaſperandum Caium facerent, Philo Iudæorum legatis prior, vir per omnia clariſſimus, Alexandri Alabarchæ frater, & non imperitus Philoſophiæ, parabat cauſam ſuæ gentis agere: ſed repulſus eſt à Cæſare, iubente illum abire, & per iracundiam vix temperante ab iniuria: quaprópter eiectus conuitio, conuerſus ad Iudæos aſſectatores: nunc, inquit, oportet bono eſſe animo, quando Caius iratus eſt, nunc enim Deus contra illum aderit. hæc Ioſephus.

Ioſeph. ant. li. 18. c. 10. Philo leg. ad Caium.

Cumq. Caius in propoſito perſiſteret, vt vellent, nollent Iudæi, ponerēt ſibi Coloſſum in aditis intimis Templi, aſcito in titulo Iouis cognomine; & dum ſtatua hæc Caij coloſſea Sidone pararetur, Petronius Syriæ præfectus honoratiores Iudæorum ſacerdotes, & magiſtratus euocat indicaturus eis Caij mandata, ſimulq. ſuaſurus, vt patienter ferant iuſſa Domini, & cauerent mala imminentia: paratū enim eſſe robur exercitus Syriaci ad edendas per totam eorum regionē ſtrages maximas; putabat enim ſi horū præmolliret animos,

mos,poſſe per eos moueri ad obſequiũ ceteram multitudinem. Sed valde ſua opinione deceptus eſt: perculſi enim ad primam eius rei memoriã, tanquam in præſenti calamitate obmutuere, quaſi è fonte profundendo lachrymas, capillos, barbasq. vellendo cum lamentis huiuſmodi: En, quo nimis beati ſeneſcendo peruenimus, vt quod nemo maiorum vnquam vidit, nos ſpectaremus. quibus tandé oculis? hos enim prius abijciemus cum ærumnoſa vita, & miſerabili, quàm tantum nefas inſpiciamus, quod nec auditus, nec mens ſuſtinet. Interea qui in ſancta vrbe, ceteraq. regione famam huius conatus audierant, velut de cõmuni ſententia coorti, teſſerã dante dolore publico, profecti ſunt vno agmine deſertis oppidis, caſtellis, & ædibus; continuatoq. itinere venerũt in Phœniciã, vbi tunc agebat Petronius. Id Petroniani quidã conſpicati curſim ei renuntiarunt, caueret ſibi à turbis, infeſtum agmen exiſtimantes: moxq. nullis ſtipata ſatellitijs multitudo Iudæorũ, ceu nubes repente ſuperuenit, totam Phœnicẽ occupans, vt miraculo eſſet neſcientibus gentis frequẽtiam. Ac primum tantus clamor cum fletu, planctuq. ſublatæ ſunt compellationes, ac preces, quales dictare ſolent calamitoſa tempora: erant autem diſtributi in ſex ordines ſeniorum, iuniorum, puerorum: rurſum alia parte anuum, mulierum, Virginum. Vbi vero Petronius in loco ſuperiore conſpectus eſt, vniuerſi ordines velut ad vnum edictum humi procumbunt ſupplices cum eiulatu quodã flebili: iuſſiq. ſurgere, & accedere propius, vix tandem ſurrexerunt, & conſperſi multo puluere, defluentesq. lachrymis accedebant, reductis in tergũ, more damnatorum, ambabus manibus. Tum Senatus 72. ſeniorum humi procumbens, manusq. retrò reflectentes, oſtendebat illi vxores, liberos familiasq. mœrentes: ſimulq. ipſi ſingultibus, lachrymisq. precabantur Petronium, ne quid in Templũ nouum fieret. Dum ſic impij Iudæi torquebãtur, credendum eſt fideles Iudæos, qui Chriſto crediderant, exprobraſſe contribulibus ſuis, & accepta occaſione ad memoriam reuocaſſe execrandũ facinus in Chriſtum innocentiſſimũ, & de omnibus optime meritum, perpetratũ, quod illum primum abieciſſent, ac in crucem agendũ clamaſſent: Tolle hunc, crucifige: nam, & illud ipſum crucis Chriſti voluebatur tempus, nẽpe paſchale, quo fruges in Iudæa maturæ iam erãt ad meſſem, cum hæc corã Petronio facta ſunt (vt idem Philo paulo inferius tradit) Paſchali enim tẽpore manipulus ſpicarũ offerebatur. Adieciſſe inſuper, quod cum Deum, & Regem Chriſtum negantes ſe nonniſi Cæſarem habere regem conteſtati eſſent, iuſte modo digneq. & Cæſarem Regem, & diuinitatem ambientẽ experirentur: ac deniq; quod qui contempſiſſent, carceri mãcipaſſent, ac flagellis ſubieciſſent ſalutis viam admonentẽ Petrum, Petronium adire, pedibusq. illius aduolui, & colla ſubijcere cogerentur. Adhuc etiã addidiſſe, hæc ipſa, & his maiora à Chriſto prædicta fuiſſe, nimirum abominationẽ deſolationis in templo eſſe videndam, ciuitatẽ ſanctam expugnandam, Templumq. excidendum. Hæcq. & alia id genus commemoraſſe, non quidem inſultantes, ſed cõmiſerantes, & cum flentibus flentes, ſicut olim Ruben fratribus ſuis calumnias patientibus in Aegypto, & hæc loquentibus dixerat: Merito hæc patimur, quia peccauimus in fratrẽ noſtrum, videntes anguſtias animæ illius, dum deprecaretur nos, & non audiuimus; idcirco venit ſuper nos iſta tribulatio: nunquid non dixi vobis, nolite peccare in puerũ, & non audiſtis me? en ſanguis eius exquiritur. Eoſdemq. rurſus ſummis à Deo precibus cõtendiſſe putamus (vt olim Ieremias,

Daniel, & alij viri ſancti fecere) ne tàm cito de rebellante ſibi populo vindictam ſumeret, ſed adhuc expectaret, ſi forte admiſſi ſceleris pœnitentes, viam ſalutis ingredientes,quod fecerant plurimi, Chriſtum quem eiecerant, auidius reciperent, ac prædicarent; quorum precationibus etiam factum existimamus, vt Caij conſilium irritum redderetur, & flagellum imminens differretur.

Diuina in Iudæos vltio. Cap. 335.

ADmiratione quidem dignum eſt,quantopere Iudæos hoc tempore vltio diuina vexarit; non tantum his perturbationibus tùm in Aegypto,tùm etiam in Syria agentes exagitans, ſed trans Euphratem apud Babylonem habitantes maxima omnium clade afficiens. Qui etenim Babylone male habiti fugerunt Seleuciam, conſpirantibus ſimul Syris cum Græcis illic agentibus omnes, qui ibi erant, ſupra quinquaginta millia virorum ex improuiſo occiſi ſunt, adeo vt ne vllus quidem euaſerit, niſi quem amici aut vicini ſeruarit miſericordia: hæc Ioſephus. Pluribus lentis velut paſſibus in eos indignatio diuina procedens ſic primum, & eos qui ſub Romano eſſent imperio, & qui apud externas nationes eſſent,afflixit. Peccauerant quidem in Chriſtum, non tantum qui Hieroſolymis agebant Iudæi, ſed & ceteri omnes æquè in eum inſauientes, & cruci affigendum clamantes, à Pilato iſtud ipſum clamoribus extorquentes. Ceterùm quoniam qui Hieroſolymas ac Iudæam habitabant Iudæi, longe grauius deliquiſſe videbantur, quod tamdiu admoniti Chriſti miraculis tantam gratiam contempſiſſent, nec Apoſtolorum prædicatione reſipuiſſent, grauioribus relinquuntur plectendi ſupplicijs, illis ipſis ſcilicet, quæ in eos obuentura Chriſtus ante prædixerat; vaſa enim illa iræ Dei in ipſos effundenda, ac penitus conſummanda ad tempus dilata, diuino conſilio ſeruabantur, vt interim ex his aliqui per Euangelij prædicationem ſalui fierent, ſicut eſt in pſalmis: Dediſti metuentibus te ſignificationem, vt fugiant à facie arcus, vt liberentur dilecti tui. *Ioſeph.ant. lib.18.c.12*

Sed conſideratione quoque digna res eſt, Deum optimum maximum eodem tempore,quo in Iudæos gladium iræ ſuæ cæpit exerere, gentes ſibi conciliare cæpiſſe, illisq. ad ſalutem per baptiſmum aditum reſeraſſe, cum Petrum in primis, tàm patenti diuinitus oſtenſa viſione de illis admonuiſſet. Sed quo magis magisq. ex gentibus colligenda propagaretur Eccleſia,quem ad hoc opus elegerat,Paulum adhuc Tharſi agentem (& quod dictum eſt de Ieremia) quaſi ſagittam electam, adhuc in ſua pharetra latitantem, Deus ad faciendam, quod habet pſalmus, vindictam in nationibus, & increpationes in populis, educere in medium feſtinauit, vt factum eſt. *Ierem. 1.*

Sed reuertamur ad id, quod ſupra dictum eſt à S. Luca, quod Paulo, & Barnaba docentibus,illis diebus fideles credentes primũ Chriſtiani nominati ſunt.

De dignitate, & ſublimitate Chriſtiani nominis. Cap. 336.

QVod ad res pertinet Eccleſiaſticas, reſerato ſemel aditu gentibus ad Chriſti fidem, Antiochiæ primum ex gentibus magna facta eſt acceſſio *Act.11.*

fidelium ad Eccleſiam, adeò vt ibi primum Chriſtianum nomen exortum fuerit, & fœliciter propagatum. Quibus vero progreſſibus hæc facta ſint,
Act.c.11. Lucas his verbis ſignificauit: Erant autem ex diſcipulis viri Cyprij, & Cyrenei, qui cum introiſſent Antiochiam, loquebantur ad Græcos, annunciantes Dominum Ieſum, & erat manus Domini cum eis, multusq. numerus credentium conuerſus eſt ad Dominum. Peruenit autem ſermo ad aures Eccleſiæ, quæ eſt Hieroſolymis ſuper iſtis, & miſerunt Barnabam vſque ad Antiochiam. Qui cum perueniſſet, & vidiſſet gratiam Dei, gauiſus eſt; & hortabatur omnes in propoſito cordis permanere in Domino, quia erat vir bonus, & plenus Spiritu ſancto, & fide. Et appoſita eſt multa turba Domino. Profectus eſt autem Tharſum, vt quæreret Saulum, quem cum inueniſſet, perduxit Antiochiam, & annum totum verſati ſunt ibi in Eccleſia, & docuerunt turbam multam, ita vt cognominarentur primum Antiochiæ di-
Ignat. ad Magn. epiſ. 6. ſcipuli, Chriſtiani. hæc Lucas. In ſede igitur Petri feliciſſimum nomen Chriſtianorum eſt auſpicatum. Qua de re Ignatius: Simus digni cognomento, quod accepimus. Qui & alio nomine appellatur, hic non eſt Dei,
Iſa. 62. non accepit prophetiam loquentem de nobis: Et vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit, & erit populus ſanctus. Hoc autem nomen à Chriſto ſeu chriſmate, ideſt regali vnctione, deductum eſt.

De nominis Chriſtiani excellentia, cum tàm multa, magnaq. à ſanctis Pa-
Greg. Nyſſ. ad profeſſ. Chriſt. tribus ſint prædicata, vna tantum Gregorij Nyſſeni ſententia ſcripta hic referenda eſt: Participatione, inquit, Chriſti Chriſtiani appellationem ſortiti ſumus; ita, & per conſequens conuenit omnium quoque ſublimium nominum nos aſciſcere communionem, & ſocietatem, vt quemadmodum in catena, qui eum, qui in extremitate eſt, anulum attraxerit, eos, qui continet inter ſe cohærentes neceſſe ſit attrahi..

De nomine Fratrum, Sanctorum, Fidelium; & Credentium. Cap. 337.

Matth. 23. Luc. 22. Ioan. 20 21 Tertull. in Apolog. ca. 39. LIcet vero peculiare, propriumq. nomen credentium fuerit, vt Chriſtiani appellarentur, tamen alijs quoque nominibus, quibus antea ab ijſdē Apoſtolis, nominati reperiuntur, & frequentius dicti Fratres: qua nomenclatura ſæpe vſus eſt Chriſtus, & Apoſtoli frequentius, idemq. perſeuerauit in Eccleſia; ſic & fraternitas, ipſe Chriſtianorum cœtus dictus reperitur. Cuius nominis cum infamarentur à Gentilibus, Tertullianus rationem reddidit in hæc verba: Sed, & quod fratres nos vocamus, non aliàs opinor, infamāt quàm quod apud ipſos omne ſanguinis nomen de affectione ſimulatum eſt. Fratres autem etiam veſtri ſumus iure naturæ, matris vnius, & ſi vos parum homines, quia mali fratres. At quanto dignius fratres, & dicuntur, & habentur, qui vnum Patrem Deum agnouerunt, qui vnum ſpiritum biberunt ſanctitatis, qui de vno vtero ignorantiæ eiuſdē ad vnam lucem exſpirauerunt veritatis. Sed eo fortaſſe minus legitimi exiſtimamur, quia nulla de noſtra fraternitate tragœdia exclamat, vel quia ex ſubſtantia familiari fratres ſumus, quæ penes vos ferè dirimit fraternitatem. Itaq. quia animo, animaq. miſcemur, nihil de rei communicatione dubitamus: omnia indiſcreta ſunt apud nos, præter vxores: in iſto loco conſortium ſoluimus, in quo ſolo ce-

teri homines conſortium exercent; qui non amicorum ſolummodo matrimonia vſurpant, ſed, & ſua amicis patientiſſime ſubminiſtrant, ex illa credo maiorum, & ſapientiſſimorum diſciplina Græci Socratis, & Romani Catonis, qui vxores ſuas amicis communicauerunt, quas in matrimonium duxerant liberorum cauſa, & alibi creandorum, neſcio quidem an inuitas: quid enim de caſtitate curarent, quam mariti tàm facile donauerant? O ſapientiæ Atticæ, ò Romanæ grauitatis exemplum! Leno eſt Philoſophus, & cenſor, quid ergo mirum, ſi tanta charitas conuiolatur? hæc Tertullianus. His ſimilia Athenagoras Philoſophus Chriſtianus, Iuſtinus, & Minutius Felix, cū eandem à gentibus calumniam illatam refellunt. Ex Platonis enim Republica erat prædictorum fraternitas, qui ſicut conciues omnes fratres appellat, ſic æque & vxores inter eos voluit eſſe communes.

Rurſum verò, qui olim Chriſtiani, ijdem nominabantur Sancti. Vnde Paulus ad Romanos Chriſtianos ſcribens: Omnibus, qui ſunt Romæ vocatis ſanctis. & alibi: Proficiſcar Hieruſalem miniſtrare ſanctis. & illud: Salutant vos omnes ſancti. Itemq. Salutate omnes ſanctos. Vel cum ait, coram Agrippa Rege: multos ſanctorum ego in carceribus incluſi. Lucas itidem: Petrus cum tranſiret vniuerſos, deuenit ad ſanctos, qui erant Lyddæ. Eo etiā nomine vſi ſunt poſteri, Ignatius, Polycarpus, Tertullianus, & alij. At demum obtinuit vſus, vt illi tantummodo ſancti in Eccleſia dicerētur, qui eminentiori, probatioriq. fulgerent ſanctitate. Apud Græcos autem, vt auctor eſt Plutarchus, Hoſij, hoc eſt Sancti, honoris cauſa dicebantur ſacerdotes. Nominabantur olim Chriſtiani etiam Credentes, cuius nomenclaturæ plura ſunt exempla. Itemq. Fideles, quod nomen ad poſteros dilapſum eſt, & frequentius vſurpatum, præſertim Romæ, vbi (vt auctor eſt Ambroſius) qui baptizati ſunt, Fideles nominari conſueuerunt: videasq. in vſitatis eiuſdem Eccleſiæ precibus Chriſtianos ferè ſemper appellari, fideles. vnde & Pontius Diaconus in vita Cypriani: Quid, inquit Chriſtiana plebs faceret, cui de fide nomen eſt?

Athenag. orat. pro Chriſtian.
Iuſtin. ora. ad Anton. Pium.
Minut. in Octau.
Clem. Alc. 5. ſtrom.
Lact. lib. 3. c. 21.
Act. 4. 5. 19.
2. Theſſ. 1
Act. 26.
Plutarc. de orac. defect. in fin.
Ambroſ. de ſacram. li. 1. c. 1.

De nomine Catholicorum. *Cap.* 338.

SIcut credentium Chriſto fuit nomen peculiare, vt Chriſtiani dicerentur, ita, & ijſdem cognomen eſt inditum, vt & Catholici nominarentur. Cū enim, vt vidimus, & hæretici Chriſtiano nomine iactanter gloriarentur, ad diſtinguendos veros à falſis, Catholicum eſt nomen inuentum, & id quidem temporibus Apoſtolorum: nam eorum auctoritate vera Dei Eccleſia in eorum ſymbolo, Catholica eſt cognominata, vt ea diſcriminatione nominis ab hæreticorum conuenticulis cognoſceretur eſſe diſtincta. Agens Pacianus aduerſus Nouatianos, hæc ait de Catholico nomine: Chriſtianus mihi nomen eſt, Catholicus vero cognomen: Illud me nuncupat, iſtud oſtendit: hoc probor; inde ſignificor. Et ſi reddenda poſtremò Catholici vocabuli ratio eſt, & exprimenda de Græco interpretatione Romana, Catholicus, vbiq. vnum, vel vt doctiores putant, obedientia omnium nuncupatur. Et paulò poſt: Ergo qui Catholicus, idem obediens, idem eſt Chriſtianus, atque ita Catholicus Chriſtianus eſt.

Pacian. ad Sempron. Nouat.

Thadæus Chriſti Diſcipulus Abagarum Regem ad fidem conuertit. Cap. 339.

Euſeb.li.1. hiſt.ca.13. HOc etiam tẽpore, anno ſcilicet 43. à Chriſti natali, vt Euſebius auctor eſt, Thadæus, vnus ex ſeptuaginta duobus diſcipulis, Edeſſam Syriæ profectus, Abagarum Regem, atque populum Edeſſenum ad fidem conuertit: hæc autem vt facta ſunt, Euſebius his verbis deſcribit. Poſtquam Ieſus aſſumptus fuit, Iudas, qui & Thomas dicebatur, Thadæum Apoſtolum vnum ex ſeptuaginta, ad Abagarum miſit, qui eo profectus, ad Tobiam Tobiæ filium diuertit. Vbi vero fama de illo paſſim manaſſet, & miraculis ab eo editis eſſet conſpicuus, Abagaro nunciatum eſt Apoſtolum illuc à Ieſu, ſicut per litteras antea ſcripſerat, aduentaſſe. Cæpit ergo Thadæus per virtutem, & potentiam Dei, cuiq. morbo & languori medicari, ſic vt omnes in magnam traduceret admirationem. Simulatq. Abagarus magnas, incredibiliterq. res geſtas, & miracula ab eo edita audiuiſſet, & quo pacto per nomen, & virtutem Ieſu Chriſti, morbum quemquam depelleret, confeſtim ſecum cogitare cæpit illud eundem eſſe, de quo Ieſus per Epiſtolam ita ſignificauerat: Poſtquam receptus fuero ad eum, qui miſit me, quendam ex diſcipulis meis mittam ad te, qui te morbo afflictatum recreet, & ad integram valetudinem reſtituat. Accerſito igitur Tobia, apud quem diuerſabatur, dixit: Accepi virum quendam præpotentem Hieroſolymis huc acceſſiſſe, qui domi tuæ iam commoratur, multaſq. in nomine Ieſu facit curationes. Hic reſpondit: Sanè quidem Domine, hoſpes, qui huc aduenit, apud me eſt, & multa edit miracula. Tùm ille: Adduc eum, inquit, ad me: Tobias autem rectà ad Thadæum ſe conferens, dixit illi: Abagarus huius loci princeps, vbi me ad ſe acciuerat, iuſſit, vt te ad ipſum adducerem, quo morbo, qui eum cruciat, curationem adhibeas. & Thadæus: Eamus, inquit, quoniam reuera ad eum miſſus ſum.

Poſtridie ergo primo mane Tobias aſſumpto ſecum Thadæo perrexit ad Abagarum. Vt autem venit, cum iam Proceres Abagari ei preſto aſſiſterent, extemplo in ipſo ingreſſu magnum quoddam, & illuſtre viſum in vultu Thadæi Apoſtoli elucere Abagaro cernebatur: quod cum Abagarus conſpiceret, ſupplex Thadæum adorauit. Admiratio omnes, qui aderant, amplexa eſt; Illi enim viſum, quod ſoli Abagaro apparuit, minime cernebant, qui etiam à Thadæo ſciſcitabatur: Tunè vero diſcipulus es Ieſu filij Dei, qui ſic mihi per litteras pollicitus eſt: Mittam ad te quendam ex diſcipulis meis, qui omnem morbi tui ægritudinem leuet, & tibi tuiſq. vitam largiatur? Cui Thadæus: Quoniam inquit, magnam fiduciam in Domino Ieſu, qui miſit me ad te, collocaſti, ob eam cauſam ad te miſſus ſum. Et rurſus: ſi fides quam in illum contuleris, magis magiſq. creuerit, mentis tuæ poſtulata tibi, vt credideris, euenient. Ad quem Abagarus: Sic, inquit, in illum credidi, vt vellem maxime Iudæos, qui eum cruifixerunt, exercitu ad eam rẽ collecto prorſus è medio tollere, ſi Romanorum Imperium non eſſet meo inſtituto impedimento. Et Thadæus: Dominus noſter, inquit, & Deus Ieſus Chriſtus voluntatem ſui Patris expleuit, quod vbi ab illo factum ſuit, ad Patrem denuò aſſumptus eſt.

Cui

Cui Abagarus: Et ego, inquit, in illum credidi, & in Patrem eius. Tum Thadæus: propterea, inquit, in nomine ipſius Domini Ieſu manum ſuper te pono. Quod vbi fecerat, è veſtigio morbo, & calamitate, qua diuexabatur, releuatus eſt. Abagarus igitur magnopere miratus, quod ſicut de Ieſu auribus acceperat, ſic per diſcipulum eius, & Apoſtolum Thadæum, qui illum abſque medicamentis, & herbis integre valetudini reſtituiſſet, re ipſa comperiebat. Atque non modo hunc, ſed Abdum etiam filium Abdi, podagræ doloribus oppreſſum, ad priſtinā valetudinem reduxit. Qui cum Thadæum adiret, abiecit ſe ad pedes illius, cuius manum cum corpori ſuo haberet impoſitam, quod ei in optatis erat, aſſecutus, penitus conualuit. Complures item alios illorum conciues idem Apoſtolus ex morborum moleſtijs eripuit, magnas res geſſit, & cùmprimis admirabiles, verbum Dei paſſim diuulgauit. Poſt iſta Abagarus: Tu Thadæe, inquit, virtute Dei id facis, nobiſq. magnam excitas admirationem. Verùm deinceps de aduentu Ieſu quo pacto contigerit, & de eius potentia, & qua tandem virtute fecitauerit ea, quæ fama, & creber hominum ſermo ad nos pertulit, mihi quæſo oratione explica.

Et Thadæus: In præſentia, inquit, ſilebo: ſed quoniam ad verbum Dei prædicandum miſſus ſum, cras mihi omnes ciues tuos congrega, & inter illos palàm verbum Dei exponam, ipſum vitæ ſermonem inter eos diſſeminabo, atque adeo de aduentu Ieſu, qua ratione acciderit, de eius ad terram miſſione, & cur à Patre in mundum miſſus ſit, vbèrius diſſeram: quin etiam de virtute rerum ab illo geſtarum, de myſterijs, quæ in mundo locutus ſit, qua vi, & potentia ipſa tranſigeret, de noua, & inaudita eius prædicatione, de abiectione, & contemptu ſuiipſius, de humilitate exterioris hominis, qui cuiuſq. oculis patebat, quo pacto etiam ſe ipſum deiecerit, mortem obierit, atque adeò diuinitatem aliqua ex parte imminuere viſus ſit: quæ à nefarijs Iudæis perpeſſus, quomodo in crucem actus, qua denique ratione ad inferos deſcenderit ille, ſed cum ingenti multitudine ad Patrem ſuum aſcenderit: quo pacto ad dexteram Dei Patris cum gloria in cælis aſſideat: quemadmodum cum ſplendore, & potentia ad ſententiam de viuis, & mortuis ferendam venturus ſit, apertè explanabo. Abagarus ergo præcepit, vt prima luce ciues ſui in vnum conuenirent, Thadæum concionantem attente audituri. Paulò poſt auro tùm cælato tùm rudi, & informi illum donari mandauit. At ille reſpuit, ſic fatus: Si noſtra prorſus dereliquimus, quomodo accipiemus aliena? Iſta quadrageſimo tertio anno poſt Chriſtum natum geſta ſunt. Quæ ſanè non abſque fructu, & vtilitate ex Syriaca lingua ad verbum conuerſa, opportuna ſint in hunc locum concluſa. Hæc Euſebius.

Agrippa Rex, Iudaicæ Religionis obſeruatiſſimus, vexabat, vt poterat Chriſti fideles. Percuſſit autem Iacobum fratrem Ioannis gladio, cuius mors gratiſſima extitit incredulis Iudæis. Cap. 340.

De Iacobo hoc Maiore, filio Zebedæi, fratre magni Ioannis ex multis, quæ magnifice geſſit, pauca ſciuntur, quorum aliqua referre locus ad-

admonet ex Eccleſiaſticis monimentis, & nouo Teſtamento, item Euſebio, & alijs grauiſſimis Auctoribus.

Matt.4. Iacobus Zebedæi filius, Ioannis Apoſtoli germanus frater Galilæus, inter *Marc.3.* primos Apoſtolos vocatus cum fratre, relictis patre, ac retibus, ſecutus eſt Dominum, & ambo cum Ieſu Boanerges, ideſt, tonitrui filij, ſunt appel- *Matt.17.* lati. Is vnus fuit ex tribus Apoſtolis, quos Saluator maxime dilexit, & *Matt.9.* teſtes eſſe voluit ſuæ Transfigurationis, & intereſſe miraculo, cum Archiſy- *Matt.26.* nagogi filiam à mortuis excitauit, & adeſſe, cum receſſit in Montem Olioeti, patrem oraturus, antequam à Iudæis comprehenderetur.

Verùm Iacobus poſt Ieſu Chriſti aſcenſum in cælum, in Iudæa, & Sama- *Breu.Rom.* ria prædicans eius diuinitatem, plurimos, in quibus Hermogenem, & Philetum magiæ deditos ad Chriſtianam fidem conuertit, qui poſtea à dæmone decepti iterum in Aegyptum redierunt.

Euſeb. lib. Quæ vero eiuſdem Beati Apoſtoli martyrium præceſſerint, his verbis ex *2.hiſt.c.9.* Clemente Alexandrino ſcribit Euſebius. Eodem tempore (Claudio videlicet iam ſummam rerum adminiſtrante, quando dira fames erat) miſit Herodes Rex, vt affligeret quoſdam de Eccleſia: occidit autem Iacobum fratrem Ioannis gladio.

De iſto Iacobo Clemens ſeptimo libro ὑποτυπώσεων hiſtoriam plane memorabilem inſerit, eamq. narrat quaſi ex traditione maiorum acceptam: nimirum, cum ipſum, qui Iacobum in iudicium adduxiſſet, cum teſtimonium Chriſto illum tàm liberè perhibentem cerneret, ea re commotum, ſe etiam Chriſtianum ingenue confeſſum eſſe. Igitur ambobus vnà ad ſuppliciũ adductis, hunc inter eundũ à Iacobo poſtulaſſe veniam, & Iacobũ dixiſſe: Pax tibi: illumq. oſculatum eſſe. Et hinc tandem vtrumque ſecuri percuſſum vitã deſeruiſſe, cum paulò ante ipſe Beatus Apoſtolus paralyticum ſanaſſet. Corpus eius poſtea apud omnes in confeſſo eſt Compoſtellam translatum, ſumma ibidem celebritate coli, conuenientibus eo religionis, & voti cauſa ex toto terrarum orbe peregrinis.

De eodem Apoſtolo agit Suidas in Herode: Græci in Menologio pridie Kal. Aprilis his verbis:

Sancti Apoſtoli Iacobi, fratris Ioannis Theologi, qui propter Chriſtianæ fidei confeſſionem ab Herode Rege ſecuri percuſſus eſt.

Romanum vero Martyrologium de eo ita octauo Kal. Auguſti.

Sancti Iacobi Apoſtoli, fratris Beati Ioannis Euangeliſtæ, qui propè feſtum Paſchatis ab Herode Agrippa decollatus eſt: Eius ſacra oſſa ab Hieroſolymis ad Hiſpanias translata, & in vltimis earum finibus apud Galleciam recondita, celeberrima earum gentium veneratione, & frequenti Chriſtianorum concurſu Religionis, & voti cauſa illuc aduentantium piè coluntur.

Iaco-

Iacobus maior, frater Ioannis propter inſignem eius ſanctitatem Iudæis non placens, in diſperſione facta ſub Stephano ſeceſſit in Hiſpanias. Reuerſus, protomartyr Apoſtolorum factus eſt, multiſq. honoribus poſt mortem ſublimatus. Cap. 341.

IAcobus igitur poſt Ieſu Chriſti aſcenſum in cælum, in Iudæa, & Samaria prædicans eius diuinitatē, plurimos conuertit: cito autem, & inter ceteros Apoſtolos primus ad necem quæſitus eſt: audacter enim Chriſtum prædicabat, & ceu tonitrui filius ſe ipſum, vt in nube non continens ſeceſſit poſt diſperſionem factam ſub Stephano in Hiſpanias, obita Iudæa, Samariaq. In *Act. 8.* Hiſpanias eum perueniſſe, ibique prædicaſſe, graui multorum teſtimonio, ac traditione confirmari poteſt, hodieq. monumentum extat Virgini matri conſtructum Cæſarauguſtæ, Virginis eiuſdem monitu ad Iacobum, Iacobi iuſſu, Templum.

In Breuiario Toletano Inſtitutionis S. Iſidori, habetur ſacer hymnus, quo de eius acceſſu in Hiſpaniam agitur: vbi etiam inter alios hi verſus deſcripti habentur: *Baron. in Martyrol. 25. Iul.*

Magni deinde filij tonitrui,
Adepti fulgent prece matris inclytæ
Vtrique vitæ culminis inſignia,
Regens Ioannes dextra ſolus Aſiam,
Et læua frater poſitus Hiſpaniam, &c.

Beda etiam in collectaneis, Iacobum hunc in Hiſpanias eſſe profectum teſtatur. Id ipſum Turpinus in libro de rebus geſtis Caroli Magni Imp. id denique Calliſtus Papa Secundus (eius enim nomine litteræ Apoſtolicæ ſcriptæ reperiuntur) affirmare videtur.

Ferunt Apoſtolum ipſum, nimirum, ſicut Ioannem, virginem permanſiſſe. Sunt, & alia plura, quæ incerto Auctore ſcripta ferantur, non tamen prorſus contemnenda, de conuerſione Magorum Phileti, & Hermogenis, horum namq. meminit Paulus ad Timotheum ſcribens: Scis, inquit, hoc, quod accerſiti ſunt à me omnes, qui in Aſia ſunt, ex quibus eſt Philetus, & Hermogenes. De Phileto etiam ſequenti capite in hæc verba, de hæreticis loquens: Sermo eorum, vt cancer ſerpit: ex quibus eſt Hymenæus, & Philetus, qui à veritate exciderunt, dicentes reſurrectionem eſſe iam factam, & ſubuerterunt quorumdam fidem. Sicut enim Simon Magus, licet initiatus ſacro Baptiſmo, tamen ad magiam reuerſus, contra Apoſtolos bellum inijt; ita etiam, & dicti Magi Philetus, & Hermogenes feciſſe viſi ſunt, dum primo per Iacobum ad fidem conuerſi, inde vero à fide excidentes, aduerſus Eccleſiam pugnantes, hæreſim ſtatuerunt. *Epipha. hæreſ 58.* *2. Tim. 1. & 2.*

Mirandum eſt hac in re Dei iudicium, qui iſtum Apoſtolum ſtatim Herodis pati ſententiam voluerit, Petrum, ceteroſq. Apoſtolos reſeruans. Cauſam vero eſſe poſſe dici poteſt, vt ille in condemnationem Iudæorum occiſus ſit, hi doctrinæ Domini reſeruati ſint, ſicut Vrias Propheta ex Aegypto, quo fugerat, reuocatus, iuſſu Regis Ioakim gladio percuſſus eſt; Ieremias non item, qui iam tenebatur in carcere. *S. Hier. lib. 5. in c. 25. Ierem.* *Ier. 26.*

Debe-

Lor. in ibid. Debetur ſanè Stephano titulus Protomartyris: at eſt inter Apoſtolos protomartyr Iacobus proprie quodammodo datus ceteris in exemplum Apoſtolis, nec vt ille furentis impetu populi, ſed condicto, latoq. damnatus à Rege iudicio, propter eam, quæ adiecta eſt, cauſam, & ob alia mirifica facinora, ſeu in Hiſpania, ſeu in Hieruſalem facta.

Iam vero Iacobus tàm cito ex hac vita ſubductus, & ad dexteram in Regno admiſſus, relicta fratri ſiniſtra longioris iſtius inferioris æui, quo pauciores, minoreſq. hic viuens honores conſequi ei licuit, hoc maiores, ac plures mortuus conſecutus eſt, non ab Hiſpanis modo, apud quos iacet, ſed ab vniuerſo orbe Chriſtiano, qui religioſe ad ſacrum ipſius corpus viſendum peregrinatur, experiens ingentem vim diuinorum beneficiorum: qua de re permulta extant teſtimonia in Hiſpaniarum hiſtorijs.

Sanctarum Reliquiarum S. Iacobi in Hiſpaniam tranſlatio. Patronus fit totius Hiſpaniæ. Compoſtella in Epiſcopalem dignitatem erigitur. Cap. 342

COmpoſtellanæ Eccleſiæ monimentis traditur S. Iacobi, Zebedæi filij, corpus ex vrbe Hieroſolyma per vaſtiſſimum mare ſingulari Dei prouidentia aduectum, ad extremas Hiſpaniæ oras appuliſſe. Cumque in Iriæ Flauiæ (quod eſt Galleciæ oppidum) portu primum conſtitiſſet, non longe ab eo portu, in loco, qui nunc Compoſtella dicitur, conditum, ob frequentes perſecutiones longo tempore latuiſſe. Sacrum hunc theſaurum Alphonſo Rege Legionis (qui ob inſignem pudicitiam Caſtus dictus eſt) diuinitus indicatum, idem Rex inſigni baſilica, alijſq. regijs donis exornauit.

Ab eo tempore multis, magniſq. miraculis S. Iacobi memoria nobilitari cœpta eſt. Ipſe etiam glorioſiſſimus Apoſtolus in difficillimis prælijs palàm ſe conſpiciendum præbens, Hiſpanos aduerſus infideles pugnantes mirifice iuuit. Quare factum eſt, vt vniuerſa Hiſpania S. Iacobum præcipuum ſibi patronum diuino munere conceſſum, adſciuerit, & vſque ad hunc diem inprimis coluerit. Ceterùm tanti Apoſtoli crebra miracula non modo intra Hiſpanias, ſed in omnibus etiam Chriſtianis prouincijs celebrata fuerunt, vt quemadmodum Hieroſolymam, ad ſepulchrum Domini, & Romam ad Apoſtolorum limina, ſic etiam Compoſtellam, ad S. Iacobi reliquias vndique confluant Religionis, & voti cauſa ex toto Chriſtiano orbe peregrini. Huc uſque Compoſtellanæ eccleſiæ monimenta.

Leonis Papæ Tertij auctoritate, Compoſtella ſedem, & dignitatem Epiſcopalem ſortita eſt, rogatu (vt aiunt) Caroli Magni. Cum enim venerabile corpus Apoſtoli id temporis vſque latuiſſet, Theodomiro Epiſcopo Irienſi diuinitus reuelatú eſt. Cuius rei fama excitus Carolus Magnus, eò peregrinationis cauſa, vt erat religioſiſſimus, profectus, deinde Leonem Papam rogauit, vt locum adeò ſanctum, & venerandum Epiſcopali dignitate nobilitaret: Facile conceſſit in tàm piam petitionem pientiſſimus Pontifex, & Irienſem Sedem Compoſtellam tranſtulit, ita tamen, vt Epiſcopi Irienſis titulū retineret, quod ita obſeruatum eſt vſque ad annum circiter octingenteſimum ſeptuageſimum ſeptimum. Quo tempore Ioannes Octauus Pontifex Romanus Eccleſiam ab Archiepiſcopatu Bracarenſi exemit, & Metropolitanam

Io. Vaſ. in Chro. Hiſp. an. 798.

tanam

tanam fecit. Placuit hoc Alphonſo Caſto; & Ciuitatem Compoſtellanam Eccleſiæ illi cum alijs prouentibus, ac muneribus dono dedit, vt annotat Alphonſus Venetus ex Chronico quodã, qui ad Diui Dominici Legione ſeruari ait: Poſtremus Epiſcopus Iriæ, & primus compoſtellæ fuit Theodemirus vir ſanctus.

Mirabilis reuelatio Sepulchri S. Iacobi apud Hiſpanos. Cap. 343.

NVnc operæpretium facturus mihi videor, ſi quæ de ratione occultati, atque ignorati ſanctiſſimi Sepulchri, ac de reuelatione eiuſdem in hiſtoria Compoſtellana reperi, hoc loco ſubiungam (ait Ioannes Vaſæus) ea vero habent ad hunc modum. Floruerat antiquitus in illo loco (de Compoſtella loquitur) inter Catholicæ fidei cultores Chriſtiana religio, ſed tempore perſecutionis ingruente, & ſuperba Paganorum tyrannide Chriſtiani nominis dignitatem conculcante, totus fere Chriſtianæ religionis cultus longo iam tempore euanuerat. In toto igitur tempore Sarracenorum, & longo etiam tempore poſt reſtitutionem fidelium, veneranda B. Apoſtoli tumba nullius Chriſtiani acceſſu frequentata, fruticum; ſyluarumq. ſpiſſitudine manſit diuitiſſime cooperta, nulliq. vſque ad tempus Theodemiri Irienſis Epiſcopi, fuit reuelata, aut cognita. Sed quando optimo Deo placuit Eccleſiam ſuam laborantem viſitare, & eius aduerſitatem in proſperitatis tranquillitatem conuertere, ſtatim tempus ſuo potenti imperio mutauit. Prænotatis autem Epiſcopis fertur ſucceſſiſſe Theodemirus, cuius tempore diuinæ Maieſtatis omnipotentia Occidentalem Eccleſiam, ſepulchro tanti Apoſtoli reuelato, viſitare, & illuminare dignata eſt. Reuelatio autem hoc modo facta eſt. Quidam namq. perſonati, & magnæ auctoritatis viri præfato Epiſcopo retulerunt luminaria in nemore, quod ſuper B. Iacobi tumulum diuturna vetuſtate excreuerat, nocturno tempore ardentia multoties vidiſſe, ibiq. Angelos ſibi frequentius apparuiſſe. Quo audito ipſemet ad eum locum, vbi illi ſe talia vidiſſe aſſerebant, acceſſit, & luminaria in prædicto loco ardentia proprijs oculis proculdubio aſpexit. Diuina igitur inſpiratus gratia præfatum nemuſculum feſtinanter adijt, & diligenter circumſpiciens, quandam domunculam marmoream, tumulum intro ſe continentem inter ſyluas, & frutices inuenit. Qua inuenta, Deo gratias referens Caſti Regis Ildefonſi, qui tunc in Hiſpania regnabat, præſentiam incunctanter adiuit, eiq. rem, vt audierat, & proprijs oculis viderat, veraciter notificauit. Ipſe vero tantæ audientiæ gaudio diffuſus, citato calle has partes intrauit, & ad honorem tanti Apoſtoli Eccleſiam reſtaurans, Epiſcopum Irienſis Sedis in hunc locum, qui Compoſtella dicitur, multorum Epiſcoporum, ac Dei ſeruorum, nobiliumq. virorum auctoritate; atque priuilegio regali commutauit. Hoc autem factum eſſe ſub tempore Caroli Magni, à multis referentibus audiuimus. Theodemirus vero Epiſcopus tanto fidentius oculos mentis ad cæleſtis patriæ conſiderationem erigebat, quanto frequentius B. Iacobum poſt Baſilicam ſibi factã miraculis, & virtutibus coruſcare conſpiciebat. Spe ergo cæleſtium præditus, aliquo interiecto tempore, vitam ſecurus effudit finali ſorte interueniente. Hæc ad ver-

Ioan. Vaſ. ibid.

verbum ex hiſtoria Compoſtellana. Hucuſque Vaſæus.

Translatum fuit ſancti Apoſtoli corpus ex Iria Flauia Compoſtellam octauo Kalen. Auguſti, quo die eius martyrij memoria ab Eccleſia, vbique iuſtis de cauſis maxima celebritate recolitur.

Fernandus Princeps bellicoſus, pugnante pro eo Iacobo Apoſtolo, viſibiliter Coimbriam à Mauris detentam glorioſa victoria obtinuit. Cap. 344.

Rod. Tolet. lib. 6. c. 11.

REx Fernandus factus Monarchus Hiſpaniæ vlterioris, ſcilicet Galleciæ Aſturiarum, Legionis, & Caſtellæ &c. Cumq. in tranquillitate ſecura gauderet, congregato exercitu proceſſit, vt Portugalliam, & Luſitaniam occuparet, quas tunc temporis Arabes detinebant. Itaque munitionibus occupatis propoſuit Coimbriam, maiorem illius patriæ ciuitatem, cum Dei adiutorio impugnare, & ad petendum diuinum ſubſidium Eccleſiam Beati Iacobi viſitauit, & implorato per triduum diuinæ auxilio Maieſtatis, Beati Apoſtoli oraculo confortatus, contra Coimbriam exercitum congregauit; vbi fixis tentorijs circumquaque machinas, & caſtra lignea eleuauit. Verum Chriſtianis viriliter inſiſtentibus, machinis vndique quaſſantibus, auxilio Dei, & Beati Iacobi interuentu, murus irrumpitur Ciuitatis. Quo viſo Arabes conſternati Ciuitatem, & opes Fernando Principi obtulerunt. (& paucis interiectis) Eo tempore fertur Græculus ex Hieroſolyma cauſa peregrinationis ad Eccleſiam S. Iacobi aduenisſe, qui in deuotione pernoctans, audiuit indigenas enarrare, vt militem in Chriſtanorum prælijs apparere, ſed ipſe licet deuotus Apoſtolo prædicabat non militem, ſed piſcatorem; cumq. in tali pertinacia permaneret, reuelatione diuina meruit intueri equum ſplendore conſpicuum Apoſtolo præſentatum, & armorum inſignibus decoratum, obſidentibus Coimbriam ſubuenire, & peregrinus, de quo diximus, viſione huius certus factus, & diem, & horam captionis Coimbræ in Eccleſia Apoſtoli publice prædicauit, & ſicut ipſe prædixit, ſic poſtea rei veritas patefecit. hæc Rodericus Ximenius. Eandem hiſtoriã

Rode. Santius hiſt. Hiſp. p. 3. c. 26.

deſcripſit & Rodericus Santius, qui ait: Fernandus optimus Princeps fuit, & valde bellicoſus Coimbriam in Portugallia ab Arabibus occupatam S. Iacobo viſibiliter apparente obtinuit. Nam (vt ait Lucas Tudenſis) dum hic Fernandus eandem Ciuitatem Coimbriæ à Mauris detentam obſideret, accidit quemdam Epiſcopum Græcum, nomine Hoſtianum, limina S. Iacobi viſitaſſe. Dum igitur ibi ea nocte dormiret, apparuit ei S. Iacobus dicens: Noli Hoſtiane dicere me non fore militẽ contra Chriſti perſecutores, quod vt explorato habeas, ecce iam equito laturus auxilia Regi Fernando, qui per ſeptem annos obſedit Coimbriam; & vt ſis certior, conſpice claues, quibus cras hora tertia aperiam portas Ciuitatis. Qua reuelatione perterritus, facto mane Canonicis Eccleſiæ Compoſtellanæ reuelauit, & compertum eſt ita eueniſſe. hucuſque ille.

Sanctus Iacobus apparet equo inſidens, vexillum baiulans, cuius auxilio multa hoſtium millia proſternuntur. Cap. 345.

REx Ranimirus nolens otioſus à Dei ſeruitio inueniri, aggreſſus eſt loca Arabum,& tàm in villis,quàm in agris,cuncta quæ reperit,etiã Anagarum incendio concremauit. Tunc Sarraceni cum maxima multitudine occurrerunt. Exercitus autem Regis Ranimiri viſa multitudine in locum, qui Clauigium dicitur, ſe recepit. Cum in nocte de certamine dubitaret, apparuit ei Beatus Iacobus confortans eum, vt certus de victoria,ſequenti die bellum Arabibus inſtauraret. Cumq. diluculo ſurrexiſſet, viſionem Epiſcopis, & Magnatibus reuelauit. Qui pro viſione gratias exſoluentes, ad pugnàm omnes ſe communiter parauerunt, Apoſtoli oraculo roborati. Sed ex alia parte Sarraceni de multitudine confidentes, ad prælium proceſſerunt. Hinc inde itaque conſerto prælio, Sarraceni confuſione turbati Gallijs terga dederunt. Itaque ex eis ferè ſeptuaginta millia ceciderunt. In quo bello B. Iacobus in equo albo vexillum manu baiulans fertur apparuiſſe. Tunc Rex Ranimirus cepit Albaidam, Clauigium, Calagurrim, & multa alia, quæ Regno adiecit. Ex tunc (fertur) hæc inuocatio inoleuit: Deus adiuua, & S. Iacobe. Tunc etiam, & donaria B. Iacobo perſoluerunt, & in aliquibus locis non ex triſtitia, aut ex neceſſitate,ſed deuotione voluntaria adhuc ſoluunt. hucuſque Rodericus. & Santius: Hic fœlix Rex cũ Sarracenis apud Calagurrim decertauit,in quo bello ſanctus Iacobus apparuit, & cæſa ſunt multa millia Arabum, & Calagurra cum adiacentibus partibus in deditionem Raimiri deuenit. Bello(inquam)apparuit S.Iacobus aperte. Merentur Catholici Principes diuina auxilia, cum infideles perſequuntur zelo ampliandi legem Dei, non augendi Regna temporalia: ſic Machabæis pro lege Dei ſui certantibus contra Timothæum, viſus eſt ſenſibiliter de cælo vir Dei Iudæis auxilium præbens, & Iudam incolumem ſeruans: & iterum contra Lyſiam apparuit ſanctus Dei de cælo in veſte candida, haſtam contra hoſtes vibrans: hæc Santius.

Roderic. de reb. Hiſpa. lib. 4. c. 13. Vaſ. Hiſp. Chron. an. ſal. human. 825. Alphonſ. à Cartag. regum Hiſp. Anacephaleoſi c. 54. Franc. Zarapha de Hiſp. regib. Chriſti an. 819. Sant. p. 3. Hiſpa. hiſt. c. 10.

Sed quis enarrare poterit miracula, quæ Deus per Apoſtolum ſuum Iacobum in Hiſpania operatus eſt, atque operatur in præſens? nullus opinor. Meritò itaque Cæſar Cardinalis Baronius, Sanctiſſimi Apoſtoli ſepulchrum vniuerſo patens Orbi, Miraculorum promptuarium, nominari poſſe affirmat & docet.

Baron. to. 9

Ranimirus Rex S. Iacobi auxilio fretus, prænarratam victoriã memorabilem obtinet contra Sarracenos, in quo conflictu plus quàm ſexaginta millia Barbarorum cæſa ſunt. Cap. 346.

ANno Regni ſecundo, Sarraceni à Ranimiro per Legatos petierunt, vt tributum Chriſtianarum virginum, quod Mauregatus annuum promiſerat, ex pacto ſolueret, ſi pacem cum eis ratam eſſe vellet. Ranimirus re cum primoribus Regni communicata, reſpondit, ſe tam indignis pactis

Vaſæus in chro. Hiſp. an. 825.

ſtare

ſtare nolle, atque adeo ne pacem quidem illorum velle. Quod vt re ipſa comprobaret, conſcripto iuſto exercitu, agros illorum vaſtare cœpit Anagarum vſque. Sed & hoſtes cum numeroſiſſimis copijs obuiam profecti, ancipiti prælio cum Ranimiro conflixere, tantiſper, dum nox pugnam diremit. Chriſtiani beneficio noctis periculo erepti, in locum editiorem (Clauium dicebatur) ſe receperunt, vbi de rei euentu ſolliciti, noctem totam lachrymis, & precationibus tranſegerunt, opem diuinam toto pectore implorantes. Mox Regem ſomno oppreſſum Diuus Iacobus Apoſtolus in ſomnis iubet de exitu pugnæ ſecurum eſſe, victoriam Chriſtianorum haud dubie fore; ſe Apoſtolum Iacobum eſſe, cui tutela Hiſpaniæ commiſſa ſit, cuius propitium numen poſtero die in prælio experturi ſint: Tantum animis ab omni vitiorum inquinamento ſalutari confeſſione expiatis & ſacroſancto corporis Dominici ſacramento communitis, ad conflictum poſtridie ſpe pleni procederent. Rex inſomnium Epiſcopis, & magnatibus commemorat, qui tàm fauſtum omen læti accipiunt, atque Apoſtoli iuſſa diligenter faceſſunt. Mox ſe ad prælium alacribus animis comparant, tam certo pignore freti, Dei, ac ſancti Iacobi numen inuocantes. Tantamq. in Sarracenos ſtragem edidere, vt ſupra ſexaginta millia Barbarorum in acie cæſa ſint. Diuus Iacobus in eo conflictu equo candido, vexillo niueo, & in eo cruce rubea conſpicuus apparuit. Rex Calagurrim, & nônulla alia municipia, atque arces finitimas recepit. Ab eo tempore receptũ eſt Hiſpanis, in prælijs omnibus, præcipue ſi cum infidelibus, ac paganis res eſt, Dei, ac Diui Iacobi numen implorare, quod ipſis pro militari teſſera eſt.

Raimirus, ne ingratus eſſet Apoſtolo pro tàm inſigni beneficio, de communi Præſulum, ac nobilium conſilio ſtatuit, vt pro ſingulis boum iugis, certa tritici menſura, qua in ſoluendis primitijs vtuntur, & de ſingulis vini modijs altera vini, ſingulis annis Diuo Iacobo ſolueretur. Quod hodie quoque nonnullis in locis ſoluitur, & votum appellatur, idq. vere: nam communi Regis, præſidum, magnatum, ac plebis conſenſu perpetuo votum eſt, cum duriſſimis execrationibus, ſi quis in poſterum violaret. Præterea, vt in ſpolijs, ac manubijs diuidundis, Eccleſia D. Iacobi in ſortem veniret, atque vnius equitis numero eſſet.

Extant de ea re litteræ ipſius Regis Raimiri datæ Calagurri menſe Maio, vel ſecundum alios, Iunio, quo menſe victoriam hanc conſequutus videtur, in quibus hæc omnia, quo diximus modo referuntur, & voti inſtitutio, atque confirmatio declaratur. Quæ litteræ ſingulis annis in Eccleſijs Metropoli Compoſtellanæ ſubiectis vulgo recitantur. Quin & Paſchalis Romani Pontificis litteras Apoſtolicas vidi, Anno Pontificatus ſui quarto datas, quibus ea vota confirmat. Hæc Vaſæus.

Almanzor Sarracenus, memor acceptæ cladis iterum parat bellum, iterum iuuante Iacobo vincitur. Cap. 347.

Idem Vaſ. an. 931.

ALmanzor memor acceptæ cladis, & maculam tantam abolere cupiens, non ſolum collecta in Hiſpania, ſed ex ipſa vſque Africa euocata, tanquam pro communi aſſerenda religione, infinita Barbarorum multitudine, vaſtandam Caſtellam venit. At Ferdinandus Gundiſaluus Comes, cum qua-

quadringentis quinquaginta equitibus, & quindecim millibus peditum obuiam profectus, maiori eos quàm prius clade affecit. Continuatum eſt per tres dies prælium, niſi quantum nox interualli reficiendis corporibus dedit. Poſtremo die, Diuus Iacobus in acie viſus Chriſtianis laborantibus opem ferre. Quod Pelagius Monachus iam morte functus, in ſomnis Comiti futurum prædixerat. Nam Comes, priuſquam tàm ancipiti prælio ſe committeret, ad monaſterium Diui Petri, de quo iam diximus, Pelagij precibus ſe commendaturus acceſſerat. Quem vt cognouit mortem obijſſe, ægrè animo affectus, ab eodem in ſomnis confirmatus eſt.

Almanzor, & Sarraceni cum parietem Eccleſiæ S. Iacobi demoliti eſſent, vlciſcente Iacobo morti traditi ſunt penè omnibus pereuntibus. Cap. 348.

RODericus Velaſquus, & pater Pelagij Epiſcopi, cum ceteris Conſulibus huius Prouinciæ Sarracenos cum Duce eorum Almanzore in Galleciam euocauerunt. Qui Compoſtellam profecti, maiorem partem parietis eccleſiæ S. Iacobi diruerunt, intacto tamen ſacratiſſimo ipſius Altari. Ceterum Apoſtolus, ne ſe tantum ſcelus inultum abſtuliſſe gloriarentur, tanto eos dyſenteriæ morbo percuſſit, vt plurimis morbo conſumptis, pauci in patriam reduces fuerint. Almanzor vbi tantam ſuorum cladem vidit, ſuos dicitur conſuluiſſe, quiſnàm ille eſſet tantæ internecionis auctor? Qui reſponderunt, vnum ex diſcipulis filij Mariæ Virginis ibi ſepultum. Quo ille audito, pœnitentia rerum geſtarum ductus, fugam quammaximè potuit, accelerauit. Sed in itinere repentino correptus morbo, apud Medinam Cæli, vbi ſepultus eſt, animam in ſinum Mahometis infœliciter tradidit. Rex continuò pietate motus Compoſtellam venit, & eccleſiam Apoſtoli dirutam, Petro Epiſcopo adiuuante inſtaurauit. Qua poſt inſtaurationem conſecrata, Petrus Epiſcopus obdormiuit in Domino.

Peregrinis penè ducentis vnà cum Comite de S. Aegidio clamantibus ante portas Oratorij S. Iacobi, vt illas aperire dignaretur, vt vigilias ibi facerent mirabiliter vltro apertæ ſunt. Cap. 349.

NVper Comes de S. Aegidio, nomine Pontius, cum fratre ſuo cauſa orandi ad S. Iacobum venerunt. Qui cum eccleſiam ingreſſi fuiſſent, & oratorium, quo corpus Apoſtoli iacet, ingredi pro ſui libitu non potuiſſent, rogauerunt ædilem, vt eis idem oratorium aperiret, quatenus nocte illa ante corpus Apoſtolicum vigilias facere potuiſſent. Cum autem ſuas preces effectu carere viderent (nam mos illic fuerat, vt poſt ſolis occubitum ianuæ prædicti oratorij, donec illuceſceret mane, clauſæ manerent) ad ſua hoſpitia triſtes abſcedunt. Quo dum perueniſſent, peregrinos ſuæ ſocietatis omnes adeſſe iubent, quibus aſſiſtentibus, dixit Comes S. Aegid. ſe Iacobũ velle adire, illis ſecũ pari animo comitantibus, ſi forte illis per ſemetipſum dignaretur aperire. Cumq. illi concorditer, libenterq. hoc ſuſciperent, parauerunt ſibi luminaria, quæ manibus in eiſdem excubijs tenerent. Veſpere itaq. facto ac- *Ex M. S. antiq. bibl. Baſilicæ S. Petri Rom.*

Ii cenſis

cenſis luminaribus eccleſiā ingreſſi ſunt viri numero fermè 200, qui venientes ante B. Apoſtoli oratorium eleuata voce precati ſunt: Beatiſſime, inquiũt, Apoſtole Dei Iacobe, ſi tibi placet, quod nos veniſſemus ad te, aperi nobis oratorium tuum, vt noſtras faciamus vigilias coram te. Mira res, nec dum verba finierant, & ecce eiuſdẽ Oratorij ianuæ tanto ſtrepitu inſonuerunt, vt omnes qui aderant, in minutas partes eas confractas fuiſſe putarent. Verum inſpectis illis repagula, ſeræ, atque catenæ, quibus obſerantur, ruptæ, atque diſiunctæ ſunt, ſicq. ianuæ ſine manibus hominum inuiſibili virtute patefactæ peregrinis ingreſſum præbuerunt. Qui vehementer lætificati introierunt, tātoq. magis ex eodem miraculo exultauerunt, quanto euidentius B. Apoſtolũ inuictiſſimi Imperatoris militem veriſſimè viuere probauerunt, quem tam celeriter eorũ petitioni affuiſſe viderunt. Qua in re perpendi poteſt, quàm ſit exaudibilis piæ petitionis, qui ſeruorũ ſuorũ tàm benignus affuit precationi.

Petrus Eccleſiæ orationibus protectus, inſigni miraculo, fractis cathenis, apertis vltro portis, ab Angelo ductus, ex manibus Herodis eripitur. Cap. 350.

Act.12. VIdens Herodes Agrippa, quia placeret Iudæis, appoſuit apprehendere, & Petrum (erant autem dies Azimorum) quem cum apprehendiſſet, miſit in carcerem, tradens quatuor quaternionibus militum cuſtodiendum, volens poſt Paſcha producere eum populo. Et Petrus quidẽ ſeruabatur in carcere: oratio aũt fiebat ſine intermiſſione ab eccleſia ad Deum pro eo. Acceperat à Claudio Herodes Agrippa non tantũ regnum plurium prouinciarũ acceſſionibus auctum, ſed ius etiā in res ſacras, nimirum in templum, & ſacerdotiũ, ſicq. non tantũ ex animi ſui ſentẽtia ſummos Põtifices dimouebat, & creabat: ſed arbitratus ſe, quod prædixerat Dominus, obſequiũ præſtare Deo, in Apoſtolorum verticem Petrum, quaſi nouis dogmatibus ſollicitantem populum, è medio tollere feſtinat. Magno ſanè terræmotu Chriſti Eccleſia, tunc concuti viſa eſt, dum ipſā petrā in Eccleſiæ fundamẽto locatā in tanta agitatione conſpicerent. Hinc iuges illæ fidelium omnium ſunt (quod & mirandũ eſt) pro Petro ad Deum preces effuſæ. Nam etſi alios complures Apoſtolorũ carceri mancipatos ſæpe legamus, non tamen legimus populum adeò vehementer oraſſe pro illis, ſicut pro Petro, vtpote communi omniũ parente, atq; paſtore. Sed audiuit Deus orationem eorum, & vinctum ſuum non deſpexit. Cũ enim, inquit Lucas, producturus eum eſſet Herodes, in ipſa nocte Petrus dormiens inter duos milites, vinctus catenis duabus, & cuſtodes ante oſtiũ cuſtodiebant carcerem. Vnde quæſo tanta hæc diligentia, & tàm exquiſita cuſtodia? Iam alias ante decennium Iudæi experimento didicerant, Angelum
Act.5. Domini Petrum, ac ceteros Apoſtolos ſimul vinctos eduxiſſe de carcere. Timens igitur Herodes, ne quod ſemel factum erat, iterum eueniret, ſtultè admodum tot artibus, Dei conſiliũ, ac ſapientiam eludere conatus eſt. Sed quid
Pſal.32. tùm ille qui reprobat conſilia Principum? Ecce, inquit Lucas, Angelus Domini aſtitit, & lumen refulſit in habitaculo carceris, percuſſoq. latere Petri, excitauit eum dicens: Surge velociter: & ceciderunt catenæ de manibus eius. Dixit autem Angelus ad eum: Præcingere, & calcea te caligas tuas, & fecit ſic. & dixit illi: Circumda tibi veſtimentum tuum, & ſequere me. Et

exiens

exiens ſequebatur eum,& neſciebat,quia verum eſt,quod fiebat per Angelū: exiſtimabat autem ſe viſum videre. Tranſeuntes autem primam & ſecundam cuſtodiam,venerunt ad portam ferream, quæ ducit ad ciuitatem, quæ vltro aperta eſt eis,& exeuntes proceſſerunt vicum vnū, & continuò diſceſſit Angelus ab eo. Et Petrus ad ſe reuerſus dixit:Nunc ſcio verè,quia miſit Dominus Angelū ſuum,& eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorū.Errant mea ſententia,qui putant Herodianum carcerē hunc, *Baron. an. 44.* in quem detruſus eſt Petrus, extra Hieroſolymam ciuitatem fuiſſe poſitū ſub ſuburbijs,& quod dicat Lucas de Angelo,& Petro è carcere educto:Venerūt ad portam ferream, quæ ducit ad ciuitatē,quæ vltrò aperta eſt eis : neſcientes Hieroſolymam ciuitatē vſque ad tempus huius,de quo eſt ſermo, Agrippæ Regis,duplici fuiſſe circundatam muro : ipſum vero Agrippam, & tertiū addere aggreſſum eſſe,ſed non abſoluiſſe. Cū igitur Petrus è carcere ab Angelo ductus per portam ferream ingreſſus ſit ciuitatem,ſatis declaratur carcerem Herodianum inter primum, & ſecundum murum extitiſſe. Ceterùm Ioſephus,tàm in primo, quàm in ſecundo muro teſtatur fuiſſe erectas muni- *Ioſeph. de bel. Iud. li. 6. c. 6.* tiſſimas turres,in quarum vnàm,ad delinquentes coercendos mancipatā,Petrus cōiectus, ac vinctus fuit à militibus cuſtoditus. Angelus igitur Petrum è carcere non ad fugam,ſed ad triumphum velut educens,non foras,ſed intra ciuitatem,per portam,quæ ferrea dicta eſt,quamuis clauſam, ſed diuina virtute reſeratam perduxit, vt ſic liber paſtor relictus,ſolicitum de ſe gregem inuiſeret. De hac ferrea porta Petro pateſacta, hæc Arator Diaconus.

Ferrea quid mirum ſi cedunt oſtia Petro?
Quem Deus ætheréæ cuſtodem deputat Aulæ,
Eccleſiæq. ſuæ faciens retinere cacumen,
Infernum ſuperare iubet!

Venit ergo,inquit Lucas,ad domum Mariæ matris Ioannis,qui cognomi- *Arat. in Act. lib. 1.* natus eſt Marcus,vbi erant multi congregati,& orantes. Pulſante autem eo oſtium ianuæ,proceſſit puella ad videndum,nomine Rhode,& vt agnouit vocem Petri,præ gaudio non aperuit ianuam,ſed intro currens,nunciauit ſtare Petrum ante ianuam. At illi dixerunt ad eam: Inſanis. Illa autem affirmabat ſic ſe habere. Illi autem dicebant : Angelus eius eſt. Petrus autem perſeuerabat pulſans. Cum autem aperuiſſent, viderunt eum,& obſtupuerunt. Innuens autem eis manu,vt tacerent, narrauit quomodo Dn̄s eduxiſſet eum de carcere:dixitq. Nunciate Iacobo,& fratribus hæc: & egreſſus abijt in alium locum.

Præconia Auguſtini in Petri Cathenas. Cap. 351.

Vincula Petri,veluti nobiliſſimæ victoriæ glorioſa Trophea,omniū fere ſanctorum Patrum egregijs celebrata præconijs, in Eccleſia ſunt perpetua memoria apud omnes conſecrata. Inter ceteros de Petri Vinculis Au- *Auguſt. de Sanct. ſer. 29.* guſtinus in illa verba : Tu es Petrus,& ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiā meam : Dignus certè,inquit,qui ædificandis in domo Dei populis lapis eſſet ad fundamentum, columna ad ſuſtentaculum, clauis ad regnum. De hoc ait ſermo diuinus : Et ponebant infirmos ſuos,vt vmbra ſaltem tranſeuntis Petri obumbraret eos, ſi tunc opem ferre poterat vmbra corporis, quanto magis nunc plenitudo virtutis? ſi tunc ſupplicantibus proderat aura quædam pertranſeuntis,quanto magis gratia nunc permanentis? Meritò per omnes Chri-

ſti Eccleſias auro pretioſius habetur ferrum illud pœnalium vinculorum ; ſi tàm medicabilis fuit obumbratio viſitantis , quanto magis catena vincientis ? vt vmbra, inquam, tranſeuntis Petri obumbraret eos ? ſi inanis quædam ſpecies vacuæ imaginis , habere potuit in ſe vim ſalutis ; quanto magis de corpore meruerunt attrahere ſalubritatis ferreo pondere ſacris impreſſa membris vincula paſſionis ? ſi ad præſidia ſupplicantium tàm potens fuit ante martyrium, quanto magis efficax poſt triumphum ? Fœlices illi nexus , qui de manicis, & compedibus in coronam mutandi, Apoſtolum contingentes, martyrem reddiderunt . Fœlices catenæ , quæ nudatis penè oſſibus inhærentes, viuas reliquias de ſanguinis ſudore, iam attrita carne rapuerunt ; tactuſq. membrorum cruciatus ſui ſanctificat inſtrumentum, in quo dum afflictio creſcit ad pœnam, cauſa pœnæ proficit ad gloriam . Fœlicia vincula, quæ reum ſuum vſque ad Chriſti Crucem non tàm condemnatum, quàm conſecratum miſerunt .

Hæc Auguſtinus de vinculis Petri,licet non de illis,quibus hoc anno vinctus eſt Hieroſolymis,nondum enim reperta fuerant,quæ temporibus Theodoſij iunioris Auguſti in lucem ſunt prodita : ſed de illis , quibus Romæ eſt detentus in carcere, antequam Crucis ſubiret ſupplicium .

De illis autem catenis, quibus vinctus Hieroſolymis fuit Petrus , ac tandem Romam tranſlatis , hæc cecinit Arator .

——————— manet omne per æuum
Pignoris huius apex, & ſyderis obtinet inſtar ,
Corpore quod Petrus ſacrauit , & Angelus ore
His ſolidata fides , his eſt tibi Roma Catenis
Perpetuata ſalus , harum circumdata nexu
Libera ſemper eris : Quid enim non vincula præſtant
Quæ tetigit, qui cuncta poteſt abſoluere ? &c.

Harum autem catenarum hiſtoriam ex antiquioribus monumentis erutam, recitat Metaphraſtes die 1. Auguſti , necnon & Surius .

De antiquo , & laudabili more primorum Chriſtianorum , qui in periculis poſiti , & in tribulationibus , & quibuſuis neceſſitatibus conſtituti , ſemper ad orationem confugiebant , & quicquid piè petebant , ſiebat illis . Cap. 352.

INterim dũ Petrus Hieroſolymis ferreis premebatur catenis , & Herodes, vt Iudæis rem gratam faceret, iuſſerat, vt poſt Paſcha, coram populo interficeretur, ſicut de Iacobo factum fuerat, Eccleſia , puſillus grex eorum , qui in Chriſtum crediderant, videns in tàm magno diſcrimine vniuerſalem Patrem conſtitutum,orabat ſine intermiſſione ad Deum pro eo,ad vnicum orationis refugium confugiens . Ex qua re colligitur laudabilis,& antiquus naſcentis Eccleſiæ mos, & imitanda conſuetudo accedendi ad Deum per orationem: quæ orandi conſuetudo in ipſius Eccleſiæ decurſu ſemper retenta eſt, omneſq. ſerui Dei , quotquot vnquam fuerunt , in eorum neceſſitatibus , in difficillimis rerum euentibus , in plagis , in tribulationibus , in periculis imminentibus ſemper oratione vſi ſunt , & per illam acceſſum ſibi fecerunt ad Deum, pro vitandis malis,& ſalute conſequenda : & re ipſa millies experti ſunt , Deum per orationem humilem placari hominibus , & parcere illis , & afferre auxilia in tempore opportuno , vt res ſit ad-

mira-

miratione digna, quàm bene affectus ſit Deus erga illos, qui orandi conſuetudinem habent. Et in tanta æſtimatione eſt apud eum oratio, vt penè nolit in nos effundere bona ſua, niſi per orationem.

Quod ſerui Dei animaduertentes, ſummis præconijs orationem in cælum extulerunt dicentes, illam eſſe clauem auream, & cæleſtium arcarium, vbi repoſiti ſunt cæleſtes theſauri, & eſſe columnam mundi, parentem virtutum, & cordis humani fulcimentum, & miniſtram gratiarum, opulentiam inexhauſtam, & inuiſibilem, lucrum pauperis hominis, quæ ſola ſoluit vincula mortis, & mortuos reſurgere facit, & quæ eſt mentium illuminatrix & purgatrix earum, & non parcens aliquid abſurdum aut ſordidum habitare in animis noſtris. Dum perſuadet Dei reuerentiam, & docet qualis ei honor præſtandus ſit, & monſtrat ſeculi impoſturas, mundi inſidiatoris machinationes, & dolos, & nefandorum ſpirituum fraudes, fugatq. noxias cogitationes, & obſcœna phantaſmata, mentemq. in contemptu obſcœnarum voluptatum firmat, orantemq. ipſum tantis ornamentis honeſtat, vt ſi quis multis virtutibus conſpicuus videretur, & orationem non haberet, iſte tamē nihil eſſe ſine oratione crederetur, virtutesq. illas quis diceret aut inutiles eſſe, aut falſas. Oratio enim tamquam baſis aliqua, omnibus virtutibus ſubſternitur, qua ablata, ſtatuam ruere neceſſe eſt, ſicut & concuſſo fundamento domus ruinæ proxima eſt. Qui autem poſſidet illam, hoc tantum reſpectu beatus dici poteſt. Vt enim deſiderata bona conſequi poſſimus, indigemus oratione, ſicut arbor humore, famelicus pane, oculus luce, miles enſe, & piſcis aqua indiget; impoſſibileq. prorſus eſſe ſancti viri aſſeruerunt in Dei ſeruitio perſeuerare, & ambulare per vias rectas ad patriā, niſi quis perpetuā habeat comitem orationem. Sed de virtute, & omnipotentia eius plura diximus in libello noſtro exercitiorum ſpiritualium. Nunc tantum enarrabimus, quæ de ea glorioſe à Patribus tradita ſunt.

De excelſa dignitate, & pulchritudine hominis orantis, & quàm ſit pretioſa, opulenta, & admirabilium rerum operatrix oratio. Enarratio ex D. Io. Chryſoſtomo.

Cap. 353.

AD iuſtitiæ, omniumq. virtutum perfectionem omnes ſerui Dei contendere debent. Id autem cito, & præclare fit, ſi per omne tempus precationis, ac Dei cultui, ſtudioq. pietatis dediti viuamus: hanc vitam, hanc ſanitatem, hanc opulentiam, hanc bonorum omnium ſummam exiſtimantes, vota noſtra offerre Deo, ſincero, puroq. corde. Etenim quemadmodum Sol lucem præbet corpori, ſic animæ lumen eſt precatio. Proinde ſi cæco damnoſum eſt, non intueri Solem, quanto grauius damnum eſt homini Chriſtiano, ſi non aſſidue deprecetur, neque Chriſti lucem orando in animum ſuum inducat? Quis non obſtupeſcat, & admiretur tantam benignitatem, ac beneuolentiam, quam in nos homines declarat Deus? qui mortalibus tātum honoris largiatur, vt dignos nos habuerit, qui cum ipſo colloquamur, noſtraq. vota ad ipſum deponamus? Nam verè profectò cum Deo confabulamur, quoties vacamus deprecationi, per quam ſimul, & Angelis copulamur, & ſocietatem, quam cum brutis animantibus habebamus, procul effu- *Chryſoſt. li. 1. de orat. Deo.*

gere videmur, Angelorum enim opus eſt deprecatio, ſuperans interim etiam illorum dignitatem, ſi tamen maius eſt Angelorum dignitate, colloquium miſcere cum Deo. Atqui quod id ſublimius ſit, ipſi nos docent, multo quidem cum tremore vota ſua offerentes, ceterùm nobis exemplum præbentes, vnde ſciamus, ac diſcamus, quod quiſquis Deum adit, multo cum gaudio, multoq. rurſum cum tremore, id facere oporteat. Tremore quidem, dum metuimus, ne videamur indigni, qui Deum precibus alloquamur: rurſus gaudio repleamur, reputantes honoris magnitudinem, quod Deus mortaliũ genus, tanta, ac tali ſua cura dignatus ſit, vt aſſidue diuino colloquio frui liceat: per quod etiam illud aſſequimur, & vt mortales, & temporarij eſſe definamus, natura quidem mortales, ſed colloquio, conuictuq. quem agimus cum Deo, ad immortalem vitam tranſeuntes. Neceſſe eſt enim, vt qui cum Deo familiaritatem habet, ſuperior euadat & morte, & omnibus, quæ corruptioni ſunt obnoxia. Et quemadmodum nullo pacto fieri poteſt, vt qui Solis radijs fruitur, non effugiat tenebras: ita nulla ratione fieri poteſt, quin qui cum Deo conſuetudinem agit, definat eſſe mortalis: ſiquidem ipſa dignitatis ſublimitas, nos ad immortalitatem transfert. Etenim ſi qui cum Cæſare miſcent ſermones, familiariterq. cum eo verſantur, & hoc honoris ab illo ſunt adepti, non poſſunt eſſe pauperes: multò minus fieri poteſt, vt qui Deum deprecantur, cum eo familiariter colloquentes, animas habeant mortales. Nam mors animæ eſt impietas, ac vita pugnans cum lege diuina. Ex quo conſequitur animæ vitam eſſe Dei cultum, ac vitam eo cultu dignam.

Porrò vitam piam, ac Dei cultu dignam miris modis oratio conciliat, conciliatam auget, ac ceu theſaurum recondit animis noſtris. Etenim ſiue quis virginitatis amore tenetur, ſiue quis ſtudet amplecti honorabilem coniugij caſtimoniam, ſiue quis meditatur inijcere frænum iracundiæ, & cum manſuetudine familiaritatem habere, ſiue quis cupit ab inuidentiæ lue purus eſſe: denique ſi quis aliud quippiam facere ſtudet, quod ad rectè viuendum pertinet, duce precatione, ac huius vitæ viam præparante, commodum ſimul, & facilem habiturus eſt pietatis curſum. Neque enim fieri poteſt, non poteſt, inquam, fieri, vt qui poſtulant à Deo pudicitiam, iuſtitiam, manſuetudinem, ac benignitatem, non aſſequantur id quod petunt. Petite

Matt.7. *Luc.11.* enim, inquit Dominus, & dabitur vobis, quærite, & inuenietis, pulſate, & aperietur vobis. Quiſquis enim petit, accipit: & qui quærit, inuenit: & pulſanti aperitur. Ac rurſus alibi: Quis eſt, inquit, ex vobis, à quo ſi filius petat panem, det illi lapidem? aut ſi piſcem poſtulet ille, porrigat ei ſerpentem? Quod ſi vos cum ſitis mali, noſtis bona munera dare filijs veſtris: quantò magis pater veſter cæleſtis, dabit Spiritum ſanctum his, qui hunc ab ipſo petunt? Talibus quidem dictis, ac tali ſpe prouocauit nos ad orandum vniuerſorum Dominus. Nos vero decet obtemperantes Deo, ſemper omnem vitam in laudibus Dei, precibusq. tranſigere, maiori ſtudio curam agentes diuini cultus, quàm vitæ noſtræ. Sic enim continget, ſemper viuere vitam homine dignam. Quiſquis enim non orat Deum, nec diuino colloquio cupit aſſiduè frui, is mortuus eſt, & vita carens, experſq. ſanæ mentis. Nam hoc ipſum euidentiſſimum eſt argumentum amentiæ, non intelligere magnitudinem huius honoris, nec amare deprecandi ſtudium, nec

hoc

hoc habere perſuaſum, quod animæ mors ſit,non prouolui ad Dei genua. Quemadmodum enim corpus hoc noſtrum, ſi non adſit anima, profectò mortuum eſt, ac fœtidum: ſic anima, niſi ſe ipſam incitet ad orandum,mortua eſt, ac miſera, & grauiter olens. Quin inſuper quod oporteat quauis morte triſtius exiſtimare, ſi quis deprecatione priuetur, pulchrè nos docet Daniel ille Propheta magnus, qui maluerit emori, quàm triduo dumtaxat arceri ab orando. Nec enim hoc ab eo exigebat Rex Perſarum, vt impietatem admitteret: tantum illud obſeruabat, ſi quis intra triduum quicquam petere deprehenderetur ab vllo Deorum, aut hominum, præterquam ab ipſo. Sed Propheta ne tantulum quidem temporis ſuſtinuit ab orando ceſſare; propterea quod niſi Deus propenſus ſit in nos, nihil omnino bonorum in animas noſtras venire poſſit. Dei vero propenſio ſimul adiuuat labores noſtros, hosq. pulchre ſubleuat, ſi conſpexerit nos amare precandi ſtudium, ſi continenter orare Deum, ſi viderit expectantes, omnia bona nobis illinc defluxura. *Dan. 6.*

Itaq. cum videro quempiam non amantem orandi ſtudium, nec huius rei feruida, vehementiq. cura teneri, continuo mihi palàm eſt eum nihil egregiæ dotis in animo poſſidere. Rurſus vbi quem conſpexero, inſatiabiliter adhærentem cultui diuino, idq. in ſummis damnis numerantem, ſi non continenter orauerit, coniecto talem omnis virtutis firmum eſſe meditatorem, ac Dei templum. Etenim ſi veſtitus hominis, ſi pedum inceſſus, ſi riſus dentiū declarat, qualis quiſque ſit, quemadmodum ſapiens dixit Salomon: multo magis deprecatio, cultusq. Dei, ſignum eſt totius iuſtitiæ, cum ſit ornatus ſpiritualis, ac diuinus, multam pulchritudinem, ac decorem concilians mētibus noſtris, dum vniuſcuiuſque vitam componit, nec ſinit quicquam ſordidum, aut abſurdum dominari noſtro animo, dum perſuadet reuereri Deū, & honorem, quem illi debemus, præſtare, dum docet vniuerſam mali ſpiritus impoſturam reijcere, turpes, & abſurdas cogitationes profligans: denique dum cuiuſque mentem conſtabilit in contemptu voluptatum: nam hæc ſuperbia ſola decet eos, qui Chriſtum venerantur, videlicet, nulli ſeruire turpitudini, ſed mentem ſeruare in libertate, morumq. puritate. Arbitror itaq. cunctis eſſe manifeſtum, quod ſimpliciter impoſſibile ſit, abſque precationis præſidio cum virtute degere, cumq. hac huius vitæ curſum peragere. Etenim qui fiat, vt quis virtutem exerceat, niſi continenter adeat, & ſupplex ad genua accidat ei, qui virtutem omnem ſuppeditat, ac largitur hominibus? Rurſum qui fiat, vt aliquis concupiſcat eſſe temperatus, ac iuſtus, niſi cum eo conſuetudinem & colloquium habeat, qui cùm hæc, tùm his etiam plura exigit à nobis? Quin & illud paucis demonſtrare volo, quod etiam ſi nos peccatis refertos precatio deprehenderit, celeriter purgatos reddit. Quid itaq. maius, aut diuinius obtingere poſſit, quàm deprecatio, cum hanc animis ægrotantibus pharmacum quoddam eſſe liqueat? Itaq. primi occurrunt Niniuitæ, quos clarum eſt deprecationis præſidio, plurimorum ſcelerum, quibus diuinam iram in ſe prouocarant, remiſſionem accepiſſe. Simul enim, atque illos cepit deprecandi ſtudium, illicò iuſtos reddidit, ac Ciuitatem, quæ iam aſſueuerat laſciuiæ & malitiæ, breuiter vitam exlegē, & impiam viuere, ſtatim correxit, nimirum potentior diutina peccandi conſuetudine, cum Ciuitatem illorum cæleſtibus legibus impleſſet: pariter ſecum *Eccl. ſ. 19.* *Ione 3.*

trahebat temperantiam, humanitatem, manſuetudinem, curamq. pauperum. Nec enim ſuſtinet deprecatio abſque his virtutibus verſari inter pauperes: ſed in quorumcumque pectore ſibi domicilium delegerit, eos reddit plenos omnis iuſtitiæ, erudiens, & exercens ad virtutem, ac malitiam omnem propellens: & ſanè ſi quis tùm ingreſſus fuiſſet ciuitatem Niniuitarum, qui prius eandem probè nouiſſet, nequaquam agnouiſſet eam, adeò repente à turpiſſima vita ad pietatem reſilierat.

Quemadmodum enim ſi quis mulierem mendicam ſordidis pannis veſtiri ſolitam, poſt aureis veſtibus ornatam videret, nequaquam agniturus ſit mulierculam: ita ſi quis eam Ciuitatem prius nouiſſet mendicam, hoc eſt vacuam omnibus theſauris ſpiritualibus, nimirum ignoraſſet, quænàm eſſet illa Ciuitas, in qua transmutanda, tantum valuiſſet deprecatio, vt & mores; & vitam ad virtutem reduceret. Iam vero, & mulier quædam, quæ totum vitæ tempus in laſciuia, & impudicitia peregerat, ſimulatq. ſe proiecit ad pedes Christi, ſalutem aſſequuta eſt. Proinde deprecatio non ſolum purgat à peccatis, verumetiam ingentia pericula depellit. Siquidem ille Rex ſimul, & Propheta mirabilis Dauid, multos, ac ſæuos inimicos effugit precationis ope, non alijs armis exercitum muniens, atque ita tradidit ſuis militibus potiri victoria, quietis interim, ac ſecuris. Quemadmodum alij quidam Reges incolumitatis ſuæ ſpem ponere conſueuerunt in militum peritia, & arte belli gerendi, in ſagittarijs, in cataphractis, in equitibus: ita magnus ille Dauid, ſanctis precibus mœnium vice ſuum cinxit exercitum, nequaquam reſpiciens Imperatorum, Tribunorum, ac Centurionum ferociam, neque pecunias colligens, nec arma comparans, ſed orando, diuinam armaturam è cælo deportans. Nam verè cæleſtis eſt armatura deprecatio, quæ Deo funditur, ſolaq. firmam cuſtodiam præbet his, qui ſeſe Deo tradiderunt.

Luc.7.

Si quidem Cataphractorum & robur, & peritiam, tùm ſagittariorum experientiam, atque in prodendo hoſte calliditatem, ſæpenumero ludit, ac fruſtratur, vel ipſa belli facies, vel hoſtium fiducia, cumq. his alia permulta: ceterum deprecatio, armatura eſt inexpugnabilis, ac tutiſſimum, nec vnquam fallens munimentum, pari facilitate, vel vnum repellens militem, vel innumerabilia hoſtium millia. Quandoquidem admirandus ille Dauid, de quo modò diximus, Goliath illum immanem, cum veluti dæmon quiſpiam formidandus irrueret, non armis, neque gladijs, ſed precibus deiecit: vſque adeo Regibus quidem aduerſus hoſtes in prælijs valida arma ſunt deprecatio. Quin eadem, & nobis æque valida ſunt arma aduerſus dæmones. Sic & Ezechias Rex ſuperior euaſit in bello, quod illatum eſt, à Perſis, non cum armaret exercitum, ſed preces tantum opponeret hoſtium multitudini: Itidem & mortem effugit, vbi cum qua decuit religione, ſe Deo proſterneret, ſolaq. deprecatio facile puram reddit. Docet nos Publicanus ille, qui petijt à Deo remiſſionem peccatorum, & impetrauit. Docet & leproſus, qui ſimul vt procidit ad pedes Dei, mundatus eſt. Quod ſi Deus corpus morbo corruptum celeriter ſanauit, multo magis animam, quæ morbo tenetur, humaniter ſanabit. Etenim quanto pretioſior eſt anima corpore, tantò magis conſentaneum eſt, hanc Deo maiori curæ futuram. Quamquam innumera recenſeri poſſint exempla, tùm vetera, tùm noua, ſi quis velit

1. Reg.7. *4. Reg.19.* *Iſa.37.* *Luc.18.* *Matt. 8.*

omnes

omnes enumerare, qui deprecationis beneficio ſeruati ſunt. Verùm aliquis forſitan ex eorum numero, qui ſocordiæ, ſegnitiæq; dediti, nolunt attente, ac diligenter orare perſuaſurus ſit, in hoc Deum illa verba dixiſſe: Non omnis qui dicit mihi: Domine: Domine, intrabit in Regnum Cælorum, ſed qui facit voluntatem patris mei qui eſt in cælis. Atqui ego ſi crederem ſolam precationem ad ſalutem noſtram ſufficere, non iniuriè ſermonem hunc nobis obijceret aliquis. Nunc cum profitear deprecationem caput eſſe bonorum omnium, baſim, ac radicem vitæ frugiferę, non eſt quod quiſquam illis verbis abutatur ad excuſationem ſuæ ſocordiæ. Neque enim ſola Temperantia poteſt homini ſalutem adferre, ſi cetera deſint bona, neque cura pauperum, neque benignitas, neque quicquam aliorum, quæ cum virtute geruntur, ſed oportet, vt omnia ſimul concurrant in animas noſtras.

Ceterum precatio, ceu radix, & baſis omnibus cæteris ſubſternitur. Neque ſecus, ac Nauem, & domum, ea, quæ ſubſtrata ſunt, validam reddunt, ac ne ſoluatur, continent; ita noſtram vitam orandi ſtudium, & continet, & vbique firmam reddit, adeò vt abſque hoc nihil nobis boni poſſit contingere, neque quod ad ſalutem conducat. His dę cauſis Paulus tanto ſtudio non ceſſat huc adhortari nos, dicens: Deprecationi inſtate, *Coloſſ.4.*
vigilantes in ea cum gratiarum actione. Atque alibi iubet, vt citra intermiſſionem oremus, in omnibus gratias agentes: hæc eſt enim, inquit, voluntas Dei. Ac rurſus alio in loco: Orate omni tempore, in ſpiritu, in hoc ipſum vigilantes cum omni inſtantia, & obſeruatione. Adeo multis, ac diuinis vocibus ad orandum nos aſſidue prouocat ille Apoſtolorum Princeps. Decet igitur nos ab illo doctos, cum precatione vitæ curſum peragere, atque hac mentem aſſidue rigare. Siquidem hoc omnes homines, non minus opus habemus, quàm arbores aquarum humore. Neque enim valent illæ fructus producere, niſi bibant humorem radicibus; neque nos pretioſis pietatis fructibus poterimus eſſe grauidi, niſi precibus irrigemur. Quapropter oportet, & ſtratis relictis, diuino cultu præuenire Solis exortum, & cum ad menſam accedimus, & cum nos ad nocturnam quietem recipimus. Quin oportet, ſingulis horis vnam precationem offerre Deo, vt orandi curſus, diei curſum æquet. Ceterum hyberno tempore decet etiam noctis maximam partem precibus impendere, ac flexis genibus, multo cum tremore inſtare deprecationi; hoc ipſo nos beatos exiſtimantes, quod Dei cultui vacamus. Dic mihi, qua fronte Solem intueberis, niſi prius adoraueris, qui lumen illud dulciſſimum oculis tuis mittit? quo pacto frueris menſa, niſi prius adoraueris eum, qui tibi tantum bonorum largitur, ac ſuppeditat? Quá ſpe trades te ipſum nocturno tempori, qualibus cum inſomnijs putas tibi rem fore, ni te ipſum præmunieris orando, ſed incuſtoditus ad ſomnum acceſſeris? Nimirum contemptibilem, captuq. facilem te ipſum præbebis ſceleſtiſſimis ſpiritibus, qui continenter obambulant, obſeruantes nos, vt ſi quem deprehenderint nudatum deprecationis præſidio, protinus abripiant. Si nos conſpexerint deprecatione communitos, illicò reſiliunt, non aliter quàm prædones, ac facinoroſi, vbi conſpiciunt militis gladium in caput ſuum vibrari. Quod ſi contingat aliquem eſſe nudum precationis præſidio, hic auulſus deportatur à dæmonibus, & in calamitates, variaq. mala impellitur. Oportet igitur, vt hæc omnia metuentes,

1.Theſſ.5. *1.Pet.4.*

preci-

precibus, & hymnis ſemper nos ipſos circumuallemus, vt Deus omnium miſertus dignos efficiat regno cælorum, per vnicum filium ſuum, cui gloria, & imperium in ſecula ſeculorum. Amen.

Quod Prælatus ſublimis, non debet eſſe totus in litibus dirimendis, & rerum temporalium occupationibus, ſed debet habere tempus orationis, & meditationis; & qualis moribus eſſe debeat. Enarratio pulcherrima ex Diuo Bernardo. Cap. 354.

S. Bern. de conſid. ad Eugenium Pontificem.

MAxime condoleo occupationibus, ſi tamen doles & tu: quod ſi non doles, tunc longe magis doleo, ſciens longius, à ſalute eſſe membrum, quod obſtupuit: & periculoſius laborare, quod ſe eſſe ægrum non ſentit. Abſit, vt de te id ſuſpicer, vtpote aſſuetus delitijs dulcis quietis: ideo non potes deſueuiſſe tàm citò, neque ſubito non dolere ſubtractas: quoniam plaga recens, dolore non caret: nondum obcalluit vulnus, & verſum eſt in inſenſibile. Scio quod non deeſt tibi materia iuſti doloris à quotidianis iacturis, inuitus auelleris à tuæ Rachelis amplexibus; & quoties auelleris, toties renouatur dolor; nihil tamen plus metuo tibi, quàm quod per cõſuetudinem ad hoc deuenias, vt iam non ſentias dolorem, quoniam auelleris à Rachele, & implicaris negotijs. Noli nimis credere affectui tuo, qui nunc eſt: nihil tàm fixum animo, quod neglectũ tempore non aboleſcat. Vulneri vetuſto, & neglecto callus obducitur: & eo inſanabile, quo inſenſibile fit. Denique dolor continuus, & acerbus diuturnus eſſe non poteſt, quia aut de remedio conſolationem accipiet, aut de aſſiduitate ſtuporem. Quid non inuertat conſuetudo? quid non aſſiduitate duretur? Primum importabile tibi videbitur onus negotiorũ: proceſſu temporis ſi aſſueſcas, reputabis non adeo: paulo poſt leue ſenties: poſt, neque ſenties: paulo poſt, etiam delectabit: ita paulatim in cordis duritiam itur; & ex illa in auerſionẽ. Vereor, ne in medijs occupationibus (quoniam multæ ſunt) dum diffidis finem, frontem dures: & ita ſenſim te ipſum priues ſenſu iuſti, vtilisq. doloris. Itaque multo prudentius erit, quod te ſubtrahas occupationibus ſaltem ad tempus, quàm quod patiaris trahi ab ipſis, & duci ad cor durum, quod ſemetipſum non exhorret, quia neque ſentit: quod compunctione, & deuotione non ſcinditur, pietate non emollitur: &c. Nemo autem duri cordis ſalutem vnquam adeptus eſt, niſi quem miſerans Dominus auferat ab eo cor lapideum, & det ei cor carneum. Ad hoc te trahent maledictæ iſtæ occupationes, ſi te totum dederis illis, nihil tibi relinquens. Volo eſſe tibi Iethro, ac dicere tibi, ſtulto labore conſumeris in tot occupationibus temporalibus, quæ non ſunt niſi afflictio ſpiritus, euiſceratio mentis, euacuatio gratiæ: nam fructus horum quid niſi aranearum telæ: de mane vſque ad veſperam litigare, aut litigantes audire? Igitur ſi hæc deploras, emenda; nequè te vnquam ad iſta duraueris quolibet vſu, vel aſſiduitate. Nolo quod in hoc habeas patientiam, immo impatientiam. Hebetati cordis inditium eſt, propriam non ſentire continuam vexationem, ac ſeruitutem.

Itaque

Itaque conſulo tibi, non fias ſeruus hominum, non conſumas totum tempus in audiendo leges Iuſtiniani, lites, & cauillationes. Dic: Narrauerunt mihi inqui fabulationes: ſed non vt lex tua. Tuum principale munus eſt ædificare Eccleſiam, docere populos, meditari in lege Domini, quæ eſt immaculata, conuertens animas. Non dico, quod totum te ſubtrahas illis ſecularibus occupationibus: ſed quod non tradas te totũ. Si es homo omnium, omnibus omnia factus, eſto etiam tui: alioquin quid tibi prodeſt, ſi vniuerſos lucraris, & te ipſum perdas? Habe igitur te, & ſi omnes veniunt ad bibendum de fonte tuo, bibe etiam & tu. Tu ſolus ſitiens permanebis? Qui ſibi nequam, cui bonus? Itaque non totum te des actioni, neque ſemper: ſed conſiderationi aliquid tui cordis, & temporis ſequeſtra, vacans Deo, quia, & ibi præordinas quæ agenda ſunt ſecundum Deum, ne præcipitanter fiant. Ibi primo ſcrutaris, & ordinas affectus, & actus tuos, demum alienos. Itaque huic tàm pio, quàm vtili otio, nullam in vita operam dare, vitam perdere eſt. Imitare S. Gregorium, qui vltimam partem Ezechielis obſcuriſſimam in otio expoſuit, eo tempore quo Vrbs erat obſeſſa: & in ſumma tempeſtate negotiorum, vt ex eius præfatione liquet. *Pſ. 118.*

Non te (ait) ingeras iudicare de terrenis poſſeſſiunculis hominum: etiam contemptibiliores, qui ſunt in Eccleſia, illos conſtituite ad iudicandum, dicebat Apoſtolus. Illæ autem cauſæ grauiores, quas ad te intrare neceſſe eſt, aſſueſce breuiter decidere, præcidens fruſtratorias, ac venatorias dilationes: nihil enim ita abſque labore, manifeſtam facit veritatem, vt breuis, & pura narratio. *1. Cor. 6.*

Cauſa viduæ intret ad te, cauſa pauperis, & eius qui non habet quod det.

Multas cauſas etiam indignas audientia iudica, vt illæ, quæ præferunt manifeſtam ambitionem. Si Diſcipulus Chriſti es, igneſcat zelus tuus, exurgat auctoritas tua contra generalem impudentiam ambitioſorum &c. Flagella eos cum Chriſto, nec aures eis præbeas; timeant te nummularij, nec fidant in nummis, ſed diffidant: abſcondant æs ſuum à te, ſcientes te paratiorem ad effundendum, quàm ad recipiendum.

Quatuor ergo tibi conſideranda ſuadeo, ſcilicet: Te, quæ ſub te ſunt, quæ circa te ſunt, quæ ſupra te ſunt. Primo noſce te: alioquin nihil tibi proderit ſcire myſteria omnia, ſi te neſcieris. A te ergo incipiat conſideratio tua, immo etiam in te ſemper finiatur. Quicquid ſe offerat, quod non pertineat ad ſalutem tuam, mox reſpuendum. De te ergo conſidera quis, & qualis ſis. Abiectus eras in domo Dei, dictum eſt tibi: Amice, aſcende ſuperius ſuper gentes, vt probaret te, an amicus eius ſis. Non certè eleuatus es ad dominandum, ſed vt euellas, & deſtruas, & diſperdas, & ædifices, & plantes:

Quid horum faſtum ſonat? ſchemate quodam ruſticani laboris, labor ſpiritualis expreſſus eſt. Sarculo tibi opus eſt, non ſceptro. Abſit, quod delitijs reſoluaris, aut pompis. Non blandiatur tibi Cathedra excelſa: eſt enim ſpecula, vnde omnia proſpectes, vnde ſollicitudine vrgearis omnium Eccleſiarum, non auri, & argenti, quæ in te abominabilis erit: non vt domineris; plane enim Apoſtolis, & tibi interdicitur dominatus, cum dicitur: Reges gentium dominantur eorum &c. Vos autem non ſic &c. Et *Luc. 22.*

Apo-

2.Cor.11. Apoſtolus probabat ſe plus miniſtrum, quia in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter. Non licet tibi gloriari in Cathedra: ſed cum ipſo Apoſtolo in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti. Fœlix qui dicere potuit: Plus omnibus laboraui. Et ſi labor terret, merces inuitet. Exi ergo in agrum Domini tui, & vide, quantis ſyluefcat ſpinis, & tribulis: Accingere gladio tuo (quod eſt verbum Dei, & auctoritas puniendi) fac vindictam in nationibus, increpationes in populis.

Gal.6.

Filius es Apoſtolorum, & Prophetarum, eſto fide, & moribus, per quæ vicerunt, & operati ſunt iuſtitiam. Valde tibi commendo humilitatem: nulla ſplendidior gemma in ornatu Pontificis: quo enim ceteris excelſior, eo humilitate apparet illuſtrior. Item monſtruoſa res eſt, gradus ſummus, & animus infimus: ſedes prima, & vita ima: ſermo multus, fructus nullus: lingua magniloqua, manus otioſa: vultus grauis, & actus leuis: ingens auctoritas, & nutans ſtabilitas.

Confer ergo tua poſteriora prioribus: Si in Pontificatu profeciſti, in virtute, in ſapientia, in intellectu, in ſuauitate morum &c. an forte defeceris: ſi ſis patientior, an impatientior ſolito: iracundior, an lenior: inſolentior, an humilior: affabilior, an auſterior: exorabilior, an difficilior: puſillior animo, an magnanimior: ſerus magis, an pluſculum diſſolutus: timoratior, an forte fidentior, quàm oportet &c. Oportet etiam, quod innoteſcat tibi zelus tuus, clementia tua, diſcretio quoque moderatrix earumdem virtutum: qualis ſis in donandis iniurijs, qualis in vlciſcendis: quàm in vtroque prouidus obſeruator modi, loci, temporis: nam hæc tria ſunt conſideranda in vſu virtutum harum, ne non ſint virtutes, ſi præter hæc reperiantur: nam caligante oculo diſcretionis, vna præripit locum alterius, ſeu occupat terminos. Procedit autem hæc caligo, vel ex ira præcipitante, vel ex molliori affectu cenſuram iudicij eneruante. Oculus ita turbatus, nihil intuetur clementer, ſuffuſus autem quadam fluxa, & muliebri mollitie animus, rectum non videt. Non eris innocens, ſi punias eum, cui forte parcendum eſſet: aut parcas ei, qui fuerat puniendus.

Examina etiam, qualem te in tribulationibus inuenis, ſi cōſtantem in tuis, ſi condolentem in alienis. Peruerſiſſimi cordis eris, ſi in tuis inueniaris impatiens, & in alienis incompatiens. Item ſi in proſperis, vel modice animum relaxas à ſui cuſtodia, & diſciplina, quod pauci vitant: nam in incautis, proſperitas ſe habet ad diſciplinam, ſicut ignis ad ceram, & radius Solis ad glaciem: & facilius inueniuntur, qui in aduerſitate retinuerunt ſapientiam, quàm qui in proſperitate non perdiderint. Magnus ille eſt, cui inter proſpera ſaltem riſus indecentior, aut ſermo inſolentior, aut immoderatior cura corporis, vel veſtis, non irrepſit. Nugæ ſint longe ab ore tuo, nam inter ſeculares, nugæ, nugæ ſunt: in ore ſacerdotis blaſphemiæ: interdum ſi incidant, ferendæ fortaſſis, referendæ numquam: immo magis interueniendum caute, & prudenter nugacitati, & prorumpendum in aliquid ſerium, quod vtiliter, & libenter audiatur, & ſuperſedeatur otioſis. Conſecraſti os tuum Euangelio, talibus iam illud aperire illicitum; aſſueſcere, ſacrilegum eſt. Verbum ſcurrile, quod faceti, vrbaniue nomine colorant, non ſufficit peregrinari ab ore, procul etiam ab aure relegandum. Fæde ad

cachinnos moueris, fœdius moues: detrahere autem, aut detrahentem audire, quod horum damnabilius ſit, non facile dixerim. De auaritia non loquor: quia pecuniam, quaſi paleam dicaris habere.

Hæc, & plura ibi Bernardus, inſtruens Eccleſiaſticos viros, quo modo in oratione, & meditatione, & actione ſe habere debeant.

Eccleſiaſticus vir, quibuſuis prematur occupationibus, deuotionem tamen, orationes, & meditationem deſerere non debet, ne ipſe à Deo deſeratur. Cap. 355.

SIt Epiſcopus ſingulis per compaſſionem ſocius, ſuper omnes contemplatione ſuſpenſus, interiorum curam exteriorum occupatione non minuens, exteriorum prouidentiam internorum ſollicitudine non relinquens. Etenim propter ſarcinam paſtoralem, non eſt deſerenda delectatio contemplationis. *Gregor. in Paſt. p. 2. c. c. 5. in prin. D. Tho. 2. 2 q. 134. a. 2.*

Væ tibi Epiſcope, ſi fons deuotionis in te ſiccatus fuerit. Quid aliud eſt deuotio, quàm fons aquæ viuæ, rigans omnia noſtra virtutis exercitia, quæcumque ſine illa, ſine qua mox areſcunt? eſt etiam vinum cæleſte, cor hominis lætificans, eſt balſamus omnem ſanans paſſionem, eſt cibus animæ, eſt lingua qua cum Deo loquimur: qua carens, non habet linguam, vt cum Deo loquatur, vt Ber. ait: eſt manna de cælo. &c. Ipſa eſt quæ dicit: Spiritus meus ſuper mel dulcis. &c. At non datur diligentibus terrenas conſolationes, in menſa, in honoribus. &c. ſicut neque manna datum eſt, niſi dimiſſis cepis, & alijs Aegypti. Fauum dulciſſimum deuotionis non poſſunt fabricare porci, ſed apes ſollicite volantes ſuper flores vitæ Chriſti &c. Dulcedo internorum exercitiorum eſt cibus animæ, quo confortatur ad laborandum in vinea Domini & portandum pondus, & æſtus externorum negotiorum. Etiam in vertiginibus cauſarum ſecularium, ſemper maneat quædam candela accenſa in pectore noſtro. Poſt has autem vertigines confugiat paſtor ad leuamen orationis, & ad colloquium familiarium ſpiritualium, quos habere debet, quemadmodum D. Gregorius facere ſolitus erat. Vnde idem in paſtorali dicit: Quia valde inter humana verba cor noſtrum defluit, & vſus humanæ conuerſationis indeſinenter deſtruit vim ſollicitudinis, atque prouidæ circumſpectionis erga cæleſtem vitam, oportet quod per meditationem ſacrorum eloquiorum, iugiter reſtauretur. Et quoniam ad vetuſtatem vitæ per ſecularium ſocietatem ſemper itur, ad amorem ſpiritualis patriæ, compunctionis aſpiratione ſemper renouetur. Cũ indubitanter conſtet, quod exterius occupationum tumultibus cor à ſemetipſo impulſum, corruat, ſtudere inceſſabiliter debet, vt per orationis, & meditationis ſtudium reſurgat. Ideo Dauid Rex dicebat: Quomodo dilexi legem tuam, tota die meditatio mea eſt. Numquam autem rector à ſacræ lectionis ſtudio recedat. Bibe aquam de ciſterna tua, ac deinde fluenta deriuentur in plateas: quia prædicator debet prius potare de ſapientia ſua, deinde in alios diffundere. *Eccl. 24. p. 2. c. 11. ante med. Pſal 118. Prou. 5. In paſt. p. 3 c. 25. à med.*

Heu me, quia cum crederem me, ſaltem noctibus, in amplexu meæ Rachelis, ideſt vitæ contemplatiuæ, quieturum, clanculum me inuito introducitur Lia, ideſt cura, & conſideratio diurnorum negotiorum.

Greg.

Greg. epiſt. 62 lib. 5. Greg. admonens Epiſcopũ Carthaginen. ita ait: Et ſi cogamur terrenis negotijs intendere, mens tamen noſtra ſeculari varietate non defluat, ſed tota in *Pſal. 26.* vnum currat, atquè confluat finem; de quo Dauid: Vnam petij à Domino, hanc requiram &c. In hoc mens ſe tota ſuſpendat: tunc enim vere atque bene, ad opera dilectionis proximi deſcendimus, ſi ex toto corde, & viribus in ardenti Dei dilectione perſiſtimus. Timeo tibi Eugeni (ait Bern.) *Bernar. de conſid. ad Eugen.* ne multitudo continua negociorum, intermiſſa oratione, & conſideratione, te ad cor durum perducat: quod deuotione non incaleſcit, compaſſione non molleſcit, compunctione non ſcinditur, & ſe ipſum non exhorret, quia nec ſentit. Vnicum refrigerium laborum Epiſcopi debet eſſe, quandoque *Marc. 6.* confugere ad ſolitudinem, ad orandum, & meditandum. Quapropter Apoſtoli cũ renunciaſſent Domino omnia, quæ egerant, & docuerant, dixit *Marc. 5.* eis Dominus: Venite ſeorſum in deſertum locum, & requieſcite puſillum. Officium ſacerdotis eſt, ſacrificare, orare, docere, viſitare, ſi eſt Epiſcopus. Quid dignius, & quid ouibus vtilius, quàm paſtorem offerre quoti- *Pſal. 165.* die vitam, & paſſionem Chriſti Deo patri pro eis? Benedictus Dominus, *Aug. ibid.* qui non amouit orationem meam, & miſericordiam ſuam à me: hoc eſt, non amouebit miſericordiam ſuam, quamdiu ego non amouero orationem meam. Quanti feruoris debet eſſe, qui vi ſui feruoris debet frigidos ca- *Cyprian. epiſt. 2.* leſacere? Idoneus non poteſt eſſe ad martyrium, qui ab Eccleſia non armatur ad prælium: & mens deficit, quam accepta Euchariſtia non erigit, & accendit.

Machar. hom 40. B. Macharius Aegyptius: Perſeuerare (inquit) in oratione, eſt caput totius boni inſtituti, ac vertex omnium honeſtarum actionum; cuius beneficio reliquas virtutes, à Domino obtinemus. Monaſteria ſunt officinæ vir- *Bracharen. in Stim. Paſtor.* tutum; ex quibus multi monachi conducti ad Epiſcopatus officium, pluribus, quibus in monaſterijs fuerant aſſuefacti, & durati, emicuerunt. Diligenter negotia ſunt agenda, ſed non anxie. Memento quòd omnia debent ſeruire ſpiritui: ne pedes ſupra caput erigas, nec caput ad vilitatem pedum deprimas. Semper liber, atque expanſus permaneat ſpiritus ad radios Domini: & poſt orationem igneam, maneant cineres æſtuantes ad tempora negotiorum.

Ad hoc igitur ſummè annitendum, ſummiſq. gemitibus à Domino petendum, vt in turbine negotiorum, etiamſi obruere animum videantur, animus tamen ſemper liber, ſecurus, magnuſq. Domino ſiſtatur. Debemus ergo negotia diſponere, & non eis immergi, habentes oculos ad Dominum erectos, ac ſidentes: dicendo intra nos illum Pſalmum: Leuaui oculos meos, *Pſal. 120.* &c. Pondera verba dicta Epiſcopis, Actuum 20. Attendite vobis, & vniuerſo gregi, primum vobis, deinde gregi. Occurrentibus difficultatibus, periculis, criminibus curandis, beneficijs, aut officijs diſtribuendis &c. mox toto corde ad orationem confuge, ad patrem luminum, & conſolationum, &c. hæc enim iugis impulſio ad orandum, magna occaſio eſt proficiendi. Dicas igitur: Domine tibi ſoli in hoc opere placere cupio: illumina ergo faciem tuam ſuper ſeruum tuum. Væ tibi paſtor, ſi omiſſa paulatim oratione, ac proinde cognitione tui, & officij, atque oneris tibi impoſiti, incipias ſine ſanctis, & rationabilibus ſcrupulis viuere, cum oporteat in dies illis pungi, & corrodi, & lumen ſemper à Deo petere.

Forte

Fortè Dauid cecidit, quia paulatim in exercitijs ſpiritualibus remiſſior factus fuerat. Quando paſtorem contingat incedere magna ſtipatum caterua &c. tunc vel maxime mens erigenda in Deum eſt; vt eo temporis articulo faciebat Bern. recogitans illa eſſe pura ſomnia, culiceſq. circumſtantes, mortaleſq. morituros. Ad hoc autem oportet diligenter, mentem ſpirituali bitumine linire, ſicut in arca Noè factum eſt, quoniam per poros etiam corporis ingredi poteſt, & ventus, & aqua. Iactauerunt te in vndas Oceani, in ſumma pericula ſalutis: Væ tibi, ſi incipias gaudere de cathedra: cum oporteat iugiter clamare ad Dominum: Circumdederunt me dolores mortis, pericula inferni inuenerunt me &c. conſtanter operando, quæ oportet vſque ad mortem magnos, & continuos ſemper deuorando labores. *Pſal. 21.* Quidam vir probus dicebat: illum ſcrupulum maxime timédum Epiſcopo, ne ad eum nauem illideret; videlicet, ſi obrutus negotijs externis, ac proinde affectu intus areſactus, tepide oraret, & exercitia ſpiritualia intermitteret, aut minueret: ac deinde frigidos, atque parum vtiles ſermones haberet, vel prorſus dimitteret. Hoc enim fit, vt actus eſſentiales, & principales dimittat propter minus principales, ac denique paulatim in defectus, & vitia labatur. Contra quod periculum non video aliud remedium, niſi vt præter quotidianæ orationis exercitium, etiam cum maximè negotia fuerint, non tradere totum cor illis, ſed interea ſemper ſeruare anhelam affectionem ad Deum. Dic enim mihi nonne in omni negotio Deus eſt? ibiquè inueniri poteſt, vt finis, vt auctor, vt iuſſor, vt cooperator, ac conſultor? &c. Intuere igitur eum ibidem, quando negotium tractatur, & tunc intus requieſces: dilatabitur, illuminabitur, lætabitur cor tuum. Atque hoc ipſum ſummis gemitibus à Deo impetrare contende. Cur dicis, non ſuppetit tempus ad ſpiritualia negotia? Nonne noſtris temporibus multi ſancti Epiſcopi (vt B. Antoninus) non ſolum tempus habent ad orandum, & ſacrificandum, ſed etiam ad ſcribendum tot libros, & prædicandum? &c. Viliſſimus omninò eſt (niſi ſanctitate, & ſcientia præcellat) qui eſt dignitate præſtantior. 1.q.1.cap. viliſſimus, è Symacho Papa. Quòd ſi contingat eum qui ad Epiſcopatum eligitur, non ea effulſiſſe ſanctitate, quæ Epiſcopum decet, dum in minoribus agebat; ſaltem poſtquam in candelabrum erectus eſt, ſatagere omninò debet, vt vita reſpondeat nomini, & loco. Triplex eſt ſtatus mentis in homine implicato negotijs, ſimulq. Deum quærente. Primus, quando habet otium: tunc enim mente, & affectu vehementer debet in Deum ferri, atque operam dare, ne imagines, quæ tunc (velimus nolimus) ſeſe ingerunt, trahant cor poſt ſe, ſed etiam ſi circumuolent nos, mens tamen ſuper omnia temporàlia ſtabiliatur. Secundus, quando vacat negotijs omninò ebibentibus attentionem omnem: vt quando quis ſupputat, aut legit aliquid difficile intellectu, aut audit negotium varijs nodis implicitum, quod oportet rectè intelligere ad ſententiam iuſte ferendam &c. Quo tempore, quamuis non maneat actualis amor Dei, neque ſimplex ille intuitus ipſius, manet tamen quædam impreſſio amoroſa relicta ex frequentia actualis amoris, quæ magnam pacem, & quietem affert exercitatis: quam non amittunt etiam in ipſo negotiorum turbine; & per quam (illis tranſactis) mox redeunt ad centrū, ac theſaurum ſuum, immittens ſagittas actualis amoris. Tertius vero ſtatus eſt, quando inten-

intendit communibus negotijs, quæ non ita magnam exigunt attentionem: quibus non ita magna pars cordis tribuenda, vt non ſua etiam particula Deo ſeruetur. Quid ſtultius dici poteſt, quàm, quoniam officium paſtorale eſt multis negotijs implicitum, ideo non ſit quotidie celebrandum? Immo quia tale eſt, oportet, vel ſpatium celebrationis ſeparare Domino ad munimen contra tentationes, ad lumen in negotijs, ad conſolationem inter tot afflictiones, vt vel tunc reſpirare liceat. In paſtorali officio multa ſunt, quæ deuotionem nutriunt, ſcilicet continuæ vexationes, & anguſtiæ. Nam Ioannes exul in Pathmos inſula, vidit ſecreta cæleſtia: & Stephano inter ictus lapidum, diuina ei claritas fulſit. Compellunt enim anguſtiæ ad Deum clamare; vnde Deut. 8. dicitur: afflixit te penuria, & dedit tibi cibum manna. Et Apoſtoli, & Prophetæ inter preſſuras mundi ardebant deuotione. Et attende, quod ſicut Iudæi tantum colligebant de illo ſua manna, quantum erat neceſſarium, atque ſufficiens ad totam diem: ita oportet virum diurnis horis occupatum, tantum nocturnis vacare exercitijs, quantum ſufficiat ad ferenda dulciter officij onera propter Deum.

Aug. lib. 6. confe. c. 3. Auguſtinus poſtquam dixit, quod nunquam poterat longiori mora quærere aliquid ab Ambroſio, propter turbas negotioſorum hominum, quorum infirmitatibus iugiter ſeruiebat, addit; quod cum ſępe ingrederetur cubiculum eius (non enim vetabatur aliquis intrare) eramus (inquit) ibi in diuturno ſilentio, ipſo tacite legente (quis enim auderet eſſe oneri, ſic intento?) deinde diſcedebamus, & coniectabamus eum illo paruo tẽpore (quod reparandæ menti ſuæ nanciſcebatur, feriatum ab ſtrepitu cauſarum alienarum, nolle in aliud auocari. Denique frequenter, qui illum adibant (ne illum perturbarent) taciti reuertebantur, licet ipſos vidiſſet.

Diuinæ orationis præclara deſcriptio, eiusq. multiplices, ſed omnes excellentiſſimi effectus, ex D. Auguſtino, qui ſingulariter orationis doctrinam tradit.

Cap. 356.

Auguſt. in ſ. r. de ieiu. & orat. to. 10. & in tract. de miſeric. in fin. ORatio eſt aſcenſio animæ de terreſtribus ad cæleſtia, inquiſitio ſupernorum, inuiſibilium deſiderium. Abeat diſſenſio ſecularium morum, quibus premitur mens humana quotidie. Quid eſt oratione præclarius? Quid vitæ noſtræ vtilius? Quid animo dulcius? Quid in tota noſtra religione ſublimius? Oratio eſt, quæ ad bonum nos Chriſtianos prouocat.

Oratio eſt, qua cum Deo loquimur, qua Patrem eum dicimus, qua vniuerſa deſideria noſtra in conſpectu Maieſtatis eius effundimus.

Oratio eſt, quæ cælos penetrat, nubes tranſit, Dei aures attingit. Hæc in Eccleſia vniuerſis gradibus neceſſaria eſt. Hæc Cathecumenis ſpiritum, fidelibus præſidium, pœnitentibus ſolatium præſtat. Hæc iuſtos continet, ſubleuat peccatores. Per hanc etiam qui ſtant, non cadunt, & qui eliſi ſunt, eriguntur. Hac vtitur ætas omnis, & ſexus, ac conditio omnis, & dignitas. Hæc magna ſeruat, hæc tutatur & minima. Per hanc diuites tuti ſunt, per hanc pauperes non deficiunt. Hæc pro illorum abundantia excubat, hæc vt ab iſtis penuria expellatur, exorat. In hac gubernamur in proſperis, per hanc fiduciam gerimus in aduerſis. Hæc nobis in gaudijs iu-

cunda

cunda eſt, hæc in luctibus ſuauis. Per hanc lætitiam percipimus, per hanc triſtitiam declinamus. Huic animi noſtri pondus, & tædium, nociuaq. omnia commendamus. Hanc quaſi idoneam quandam, & tutiſſimam nauem vniuerſorum deſideriorum noſtrorum mercibus oneramus, quæ ad omnipotentem Deum precamur expanſis manibus, fuſiſq. precibus proſpero fœliciq. curſu perueniat. Per hanc omnia timoris Domini ornamenta percipimus.

Per hanc quicquid fides inchoat, ſpes cumulat, charitas decorat, aſſidua deprecatione ſeruamus. Per hanc caſtitatem tuemur, continentia virtuteq. omni gubernamur. Per hanc in confeſſione perſiſtimus, in tentatione duramus. Per hanc pro Chriſto corporis vincula ſuſtinemus. Per hanc poſtremo, beata martyria conſumamus.

Non verbis, ſed rebus agendum eſt apud Deum; qui ideo nos ad orandum prouocat, vt mentem noſtram ad petita recipienda extendat. Cap. 357.

QVæri poteſt, cur opus ſit verbis ad Deum orare, qui omnia ſcit, antequam fiant, & nouit quid nobis ſit neceſſarium, antequam petamus ab eo? Hic reſpondetur, non verbis nos agere debere apud Deum, vt impetremus quod volumus, ſed rebus, quas animo gerimus, & intentione cogitationis, cum dilectione pura, & ſimplici affectu: ſed res ipſas verbis nos docuiſſe Dominum noſtrum, quibus memoriæ mandatis eas ad tempus orandi recordaremur. *D. Aug. li. 2. de ſerm. Domini in monte c. 3. tom. 4.*

Sed rurſus quæri poteſt, ſiue rebus, ſiue verbis orandum eſt, quid opus ſit ipſa oratione, ſi Deus iam nouit, quid nobis neceſſarium ſit? niſi quia ipſa orationis intentio cor noſtrum ſerenat, & purgat, capaciusq. efficit ad excipienda diuina munera, quæ nobis ſpiritualiter infunduntur.

Non enim ambitione precum nos exaudit Deus, quia paratus eſt ſuam lucem dare nobis, non viſibilem, ſed intelligibilem, & ſpiritualem: ſed nos non ſemper parati ſumus accipere, cum inclinamur in alia, & rerum temporalium cupiditate tenebramur.

Sit ergo in oratione conuerſio cordis ad Deum, quia ſemper dare paratus eſt, ſi nos accipimus quod dederit.

Deus nouit, quid in hac vita expediat, quid poſt hanc vitam daturus ſit. *Super epiſt. ad Roman. propoſit. 46.*

Externi actus corporis in oratione quid orationi conferant. Cap. 358.

CVm oramus, ad Orientem conuertimur, vnde cælum ſurgit: non tanquam ſit ibi Deus, & quaſi ceteras mundi partes deſeruerit, qui vbique præſens eſt, non locorum ſpatijs, ſed maieſtate potentiæ; ſed, vt admoneatur animus ad naturam excellentiorem ſe conuertere, ideſt, ad Dominum, cum ipſum corpus eius, quod terrenum eſt, ad corpus excellentius, ſcilicet cæleſte, conuertitur. *Vbi ſup. de ſer. Dom. in monte to. 4.*

Conuenit etiam gradibus religionis, & plurimum expedit, & omnium ſenſibus, & magnorum, & paruulorum, vt benè ſentiatur de Deo.

De modo oran. lib. de cura pro mort. agen. c. 5. to. 4.

Quod orantes de membris ſui corporis faciunt, ſupplicationibus cógruit, cum genua figunt, extendunt manus, vel etiam proſternuntur ſolo, & ſi quid aliud faciunt viſibiliter, quamuis eorum inuiſibilis voluntas, & cordis intentio Deo nota ſit, nec ille indigeat ijs indicijs, vt animus ei pandatur humanus: ſed hinc magis ſeipſum excitat homo ad orandum, gemendumq. humilius, atque feruentius.

Et neſcio quomodo hi motus corporis, niſi præcedente motu in animo fieri poſſint; eiſdem rurſus exterius viſibiliter factis, ille interior inuiſibilis, qui eos fecit, augetur. Ac per hoc, cordis affectus, qui, vt fierent iſta, præceſſit, quia facta ſunt, creſcit.

Verùm ſi eo modo quiſque teneatur, vel etiam ligetur, vt hoc de ſuis membris facere nequeat, non ideo non orat interior homo, & ante oculos Dei, in ſecretiſſimo cubili verbi compungitur, ſternitur.

Non eſt præſcripta corporis compoſitio in oratione; ſed ſtantes, genuflexi, ſedentes, & iacentes in lecto orant ſerui Dei. Cap. 359.

Lib. 3. qq. ad Simplic. q. 4. to. 4.
Luc. 18.
Act. 7.
Pſal. 6.

NOn eſt præſcriptũ, quomodo corpus conſtituatur ad orandum, dum animus Deo præſens peragat intentionem ſuam. Nam, & ſtantes oramus, ſicut ſcriptum eſt: Publicanus autem de longe ſtabat. Et fixis genibus: ſicut in Actibus Apoſtolorum legimus. Et ſedentes: Sicut Dauid, & ſanctus Elias, quando pluuiam orando impetrauit. Niſi etiam iacentes oraremus, non ſcriptum eſſet in Pſal. Lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lachrymis meis ſtratum meum rigabo.

Cum enim quiſque orationem quærit, collocat membra ſua, ſicut ei occurrerit, accommodata pro tempore poſiti corporis ad mouendum animum. Cum autem non quærit, ſed infert appetitus orandi, hoc eſt, cum aliquid repente venit in mentem, quo ſupplicandi moueatur affectus gemitibus inenarrabilibus, quocumque modo inuenerit hominem, non eſt vtiquè differenda oratio, vt quæramus, quo recedamus, aut vbi ſtemus, aut vbi proſternamur. Fingit enim ſibi mentis intentio ſolitudinem, & ſæpe etiam obliuiſcitur ſe, vel quam cæli partem, vel in qua poſitione corporis membra illud tempus inuenerit.

Orandi forma à Chriſto habetur. Qualitas loci, horarum interualla, diuturnitas orationis, qualia ſint, docetur. Cap. 360.

Lib. de ora. Domin. t. 4.

ORandi formam Chriſtus ipſe dedit, ipſe quid precemur monuit, & inſtruxit. Qui fecit viuere, docuit & orare: ea benignitate, qua cetera dare, & conferre dignatus eſt.

Dicitur lib. de ſer. Domini in monte. Tom. 2. ep. 121. c. 9.

Clauſo oſtio ora patrem tuum in abſcondito. Parum eſt intrare cubiculum, ſi pateat importunis inquietationibus oſtium, per quod ea, quæ foris improbè ſe immergunt, & interiora noſtra irrumpunt.

Hæc ſunt temporalia, & viſibilia, quæ per carnales ſenſus cogitationes noſtras penetrant, & turbam variorum phantaſmatum orantibus generant.

Per

Per certa interualla horarum, & temporum verbis rogamus Deum, vt illis rerũ ſignis nos ipſos admoneamus, quantũq. in hoc deſiderio profecerimus, nobis ipſis innoteſcamus, & ad hoc augẽdũ nos ipſos acrius excitemus. *In epiſt. ad Probam.*

Dignior enim ſequetur effectus, quẽ feruentior præcedit affectus. Et infra. *Cap. 10.*

Diu orare, cum vacat, ideſt, cum aliarum bonarum, & neceſſariarum actionum non impediuntur officia, quamuis & in eis deſiderio ſemper orandum ſit, non eſt improbum, nec inutile.

Neque enim, vt nonnulli putant, hoc orare eſt in multiloquijs, ſi diutius oretur: Aliud eſt enim ſermo multus, aliud diuturnus affectus, nam & de ipſo Domino ſcriptum eſt, quod pernoctauerit in orando, & quod prolixius orauerit: vbi quid aliud, quàm nobis præbebat exemplum in tempore precator opportunus, cum patre exauditor æternus? Dicuntur fratres in Aegypto crebras quidem habere orationes, ſed eas tàm breuiſſimas, & raptim quodammodo iaculatas, ne illa vigilanter erecta, quæ oranti plurimum neceſſaria eſt, & per productiores moras euaneſcat, atque hebetetur intentio. *Luc. 6.*

Ac per hoc etiam ipſi ſatis oſtendunt, hanc intentionem, ſicut non eſt obtundenda, ſi perdurare non poteſt, ita ſi perdurauerit, non citò eſſe rumpendam. Abſit enim ab oratione multa loquutio, ſed non deſit multa precatio, ſi feruens perſeuerat intentio.

Eſt igitur orationibus inſtandum horis, & temporibus conſtitutis. Quod ait Apoſtolus, ſine intermiſſione orate: Saniſſimè ſic accipitur, vt nullatenus intermittantur certa tempora orandi. *To. 2. epiſt. 109.*

Nullus dies, nulla hora, nullum momentum temporis inuenitur, quo non à ſanctis orationes Deo, vbiq. fundantur, ab his hic, ab alijs alibi: cum tamen ab orationibus nullum ſit tempus immune, quandoquidem diebus, & noctibus, cum alij cibo accepto reficiuntur, alij quodlibet aliud agunt, alij dormiunt, non vtique deſunt, quos deſiderium ſanctum orare compellat. *De hæreſibus. lib. 2. cont. Maximinũ ca 9.*

Quid ſit clamare ad Chriſtum in oratione, & quid agendum in oratione. Quod oratio debet eſſe ſobria, pura, & vigilans, & exploſis inutilibus cogitationibus ſoli Deo vacans, & perſeuerãs, & vox cum corde concordans, humilis, & munda. Cap. 361.

Clamare ad Chriſtum eſt gratiæ Chriſti congruere bonis operibus. Hoc dico, ne fortè ſtrepentes ſimus vocibus, & muti moribus. *Debet fieri oratio cum charitate*

Qui clamat ad Chriſtum, vox eius in factis ſit, incipiat mundum contẽnere, copiam ſuam diſtribuere, pro nihilo habere, quæ homines amant: contemnat iniurias, non appetat vindicari, paret maxillam percutienti, oret pro inimicis, ſi quis ei abſtulerit ſua, non repetat, ſi quid alicui abſtulit, quadruplum reddat. *li. de verb. Dom. ſerm. 18. to. 10.*

Gratior eſt Deo pro fratre deprecatio, vbi ſacrificium charitatis offertur. *In epiſt. ad Antoni. t. 2 epiſt 126.*

In vera charitate ad Deum noſtrum perueniamus, vt ab eo petitionem obtineamus. Beatificemus amicos Dei, indulgeamus inimicis, eius laudemus potentiam, admiremur ſapientiam, prædicemus bonitatẽ, approbemus æquitatem: oſtendamus ei neceſſitatem noſtram, indicemus ei miſeriam noſtram, detegamus ei infirmitatem noſtram, confiteamur ei culpam noſtram, offeramus ei obedientiam noſtram, manifeſtemus ei aduerſariorum noſtrorum, ſci- *Lib. de orãdo Deum.*

licet dæmonum, & prauorum hominum malitiam, iniquitatem, crudelitatē, aſtutiam, & tyrannidem, & qui ei aduerſantur, qui nos perſequuntur, qui nobis hoſtes ſunt, qui ei contradicunt. Malimus nos iram inimicorum propter eum, quàm cum eis abire contra eum.

To.2. epiſt. 121. c.13. *Pſalm.76.* Debet eſſe oratio cum ſobrietate (in prædicta epiſt. ad Probam) ieiuna & ab alijs voluptatibus, ſine ſalutis neglectu, carnalis concupiſcentiæ refrenatio, maximæq. eleemoſynæ multum adiuuant orationem, vt poſſimus dicere: In die tribulationis meæ Deum exquiſiui manibus, & nocte coram eo, & nō ſum deceptus. Quomodo enim Deus incorporalis, & impalpabilis manibus exquiritur, niſi operibus exquiratur? Debet eſſe cum omni puritate.

Lib. de vita Chriſtiana. Cap.11.t.9. *1.Tim.2.* Volo autem viros orare in omni loco, leuantes ſanctas manus: ait Apoſt. Ille enim ad Deum merito extollit manus, ille preces bonæ conſcientiæ fundit, qui poteſt dicere: Tu noſti Domine, quàm ſanctæ, quàm innocentes, quam puræ ſint ab omni fraude, & iniuria, & rapina, quas ad te expando, manus: quàm iuſta, quàm immaculata labia, & omni mendacio libera, quibus tibi, vt mihi miſerearis, preces fundo.

Ser. de ora. Dominica. Quando ſtamus ad orationem, fratres dilectiſſimi, vigilare, & incumbere ad preces debemus. Cogitatio omnis carnalis abſcedat, ne quicquam tunc animus, quàm id ſolum cogitet, quod precatur. Ideò, & ſacerdos ante orationem præfatione præmiſſa parat fratrum mentes dicendo: Surſum corda: vt dum reſpondet plebs: Habemus ad Dominum: admoneatur, nihil aliud ſe, quàm Deum cogitare debere. Claudatur contra aduerſarium pectus, & ſoli Deo pateat, nec ad ſe hoſtē Dei tempore orationis adire patiatur. Obrepit enim frequenter, & penetrat, & fallens ſubtiliter preces noſtras à Deo auocat, vt aliud habeamus in corde, aliud in voce, quando intentione ſyncera Dominum debeat non vocis ſonus, ſed animus, & ſenſus orare.

Quæ aũt ſegnitia eſt alienari, & capi ineptis cogitationibus, & prophanis, cum Dñm deprecaris? quid aliud eſt, ꝙ magis debeas cogitare, quàm id quod cum Deo loqueris? Quomodo te audiri à Deo poſtulas, cum te ipſe non audias? Vis eſſe Dominum memorē tui, cum rogas, quando tu ipſe memor non ſis? Hoc eſt, ab hoſte in totum non cauere: hoc eſt, quando oras Deum, Maieſtatem Dei negligentia orationis offendere: hoc vigilare oculis, & dormire corde, cum debeat Chriſtianus cum dormit oculis, corde vigilare.

In trac. ſup vlt. Prouer. to.10. In orando Deo, in omni deprecatione ſua non debet homo habere firmā conſcientiam ſuam de opere futuro, ſed de præterito: ex eo quod fecit, non ex eo quod facturus eſt, petere debet.

Serm. 45. de diuerſ. *Lib. de ſalutarib. docu. c.28. to. 4.* Hoc, mi frater, ſtude in vita tua, vt orationē tuam puram offeras Domino Chriſto, ne cogitationes huius ſeculi conturbent animum tuum, neque in diuerſa rapiatur mens tua.

Memento enim te ſub Dei ſtare conſpectibus, qui occulta cordis proſpicit, & ſecreta tuæ mentis nouit.

Vigilanter igitur, & aſſiduè aſta in conſpectu Dei in tempore orationis, vt imminentem diaboli tentationem facilius poſſis euadere.

Si enim cogitationes huius ſeculi malæ, & ſordidæ turbant cor tuum, & cogunt illicitum aliquid perpetrare, per orationes puras, & vigilias ſanctas depellantur ab anima tua. Oratio namq. iugis munitio eſt animæ.

Per orationes puriſſimas omnia nobis vtilia tribuuntur à Domino, & cūcta noxia

noxia effugantur. Et ne diutius de hoc diſputem, vel immorer, ſicut ex carnalibus eſcis alitur caro, ita ex diuinis eloquijs, & orationibus interior homo nutritur, & paſcitur.

Plerumque meritum orationis ſuperat affectus precantis: clamor etiam ad Deum, non vocis eſt, ſed lachrymarum. *Lib. 6. de baptiſ. con. Donatiſtas tom. 7.*

Quia, vt dicit, Quid prodeſt ſtrepitus oris muto corde?

Quamdiu hic ſumus, rogemus Deum, vt non à nobis amoueat deprecationem noſtram, & miſericordiam ſuam, ideſt, vt perſeueranter oremus, & vt perſeueranter miſereatur. *Super Ioan. ſer. 9. to. 8.*

Multi enim langueſcunt in orando, & in nouitate ſuæ conuerſionis feruenter orant, poſtea languidè, poſtea frigidè, poſtea negligenter, quaſi ſecuri fiunt. *Super Pſal. 65.*

Vigilat hoſtis, dormis tu? Ipſe Dominus præcepit in Euangelio, Quia oportet ſemper orare, & non deficere, ergo non deficiamus in oratione. Ille quod conceſſurus eſt, etſi differt, non aufert. Securi de pollicitatione ipſius, non deficiamus orando. *Luc. 18.*

In pſalmis, & hymnis, cum oratis Deum, hoc verſetur in corde, quod profertur in voce. *Tom. 2. ep. 109.*

In corde precantis eſt Deus; vbique enim Deum præſentem habet, cuius fidelis eſt vox. *Pſal. 129. Tom. 2. ep. 109.*

Cum quis orat, ſanctum in ſe ſpiritum aduocat. Ideo oratio magis eſt agenda corde, quàm voce: Melius enim eſt orare corde, ſine ſono vocis, quàm ſolis verbis ſine intuitu mentis. *In ſer. 2. de orat.*

Aſſignat autem huius rei cauſam. Quo ſtudio, & quo affectu à nobis orandus ſit Deus; ex noſtra miſeria ſimul, & ex conditoris miſericordia conſiderare poſſumus. *lib. de orã. de Deum.*

Quid enim affectius hominem ad orandi ſtudium excitaret, quàm miſeria, & calamitas tantorum malorum, quibus premitur? Aut quid iucundius ad affectum traheret, quàm miſericordia conditoris, quam toties inter mala ſua experitur? Ne ergo mens humana ad orandum ſit pigra, illinc ex vna parte neceſſitate compellitur, & ne aut diffidens oret, aut trepidans, illinc miſericordia Dei prouocatur.

Debet eſſe oratio cum cordis humilitate. Munda cubiculum cordis. Vbi fueris, vbicunque oraueris, intus eſt, qui exaudit. Nam qui te exaudit, non eſt præter te. Non longe vadas, non te extollas, vt quaſi attingas illũ manibus. Magis ſi extuleris, cades; ſi te humiliaueris, ipſe appropinquabit tibi. *Tract. 10. ſuper Ioan. tom. 9.*

Quid ſupplicaturus Deo locũ ſanctum, & aptum requiris? Interiora tua munda, & inde omni mala cupiditate depulſa, præpara tibi in cordis tui pace ſecretum. Volens in templo orare, in te ora, & ita age ſemper, vt Templum Dei ſis, ibi enim Deus exaudit, vbi habitat. *Lib. de ſent. Proſp. ca. 333. 1. 3*

Oratio debet habere comitem verecundiam, & diſciplinam, quia Deus non vocis, ſed cordis auditor eſt. Cap. 362.

SIt orantibus ſermo, & precatio cum diſciplina, quietem continens, & pudorem. Cogitemus nos ſub conſpectu Dei ſtare. Placendum diuinis oculis, & habitu corporis, & modo vocis: nam, vt imprudentis eſt clamo- *Serm. de ſimb. & or. Dominica.*

 ribus

ribus ſtrepere, ita congruit verecundiorem modeſtis precibus orare.

Quando in vnum cum fratribus conuenimus, & ſacrificia diuina cũ Dei ſacerdote celebramus, verecundiæ, & diſciplinæ memores eſſe debemus, non paſſim ventilare preces noſtras inconditis vocibus, nec petitionem commendandam immodeſtè Deo, aut tumultuoſa loquacitate iactare: quia Deus non vocis, ſed cordis auditor eſt. Nec admonendus eſt clamoribus, qui cogitationes videt.

Orantes non infructuoſis, non nudis precibus ad Dominum veniant: inefficax petitio eſt, cum precatur Dominum ſterilis oratio.

Citò orationes ad Dominum aſcendunt, quas ad Dominum merita noſtris operibus imponunt, ſicut Raphael Angelus orationes Tobiæ.

In epiſt. ad Rom. Nonnunquam oramus, & quid expediat, neſcimus: nam in hac ipſa vita multa poſſunt nobis proſpera videri, quæ aduerſa ſunt, & aduerſa, quæ proſpera. Nam, & tribulatio quando accidit ſeruo Dei ad probationem, vel emendationem, videtur nonnunquam minus intelligentibus inutilis: ſed *Pſal. 59.* ſi referatur ad illud, quod dictum eſt: Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana ſalus hominis: intelligitur quod plerunque de tribulatione nos adiuuat Deus: & fruſtra ſalus optatur, quæ aliquando aduerſa eſt, cum delectatione, & amore huius vitæ implicat animam: vnde eſt etiam illud: Tri- *Ibid.* bulationem, & dolorem inueni, & nomen Domini inuocaui.

Forma humilis orationis, quæ cælos penetrat, & efficit magna, virtute ſua, & quid ſit impedimento virtuti eius.
Cap. 363.

Lib. 2. qq. Euang. q. 1 tom. 4. c. 3. Tom. 9. lib. de ſpeculo.

DEus infinitæ miſericordiæ, & maieſtatis immenſæ, pietatisq. gratuitæ, qui ſeruos tuos inter aduerſa, & proſpera mirabiliter dirigis, atque cuſtodis, ſicq. moderaris vitam illorum in vtraque parte, vt aduerſa proſperis, & proſpera ſuccedant aduerſis. Confiteantur ergo tibi Domine omnia opera tua, & ſancti tui benedicant tibi, nec taceant laudes tuas ipſi etiam peccatores. Quorum vnus ego, licet in peccatis pronior, corde tamen deſideranti tuas decanto laudes: ſi non ea qua debeo laude, vel dignitate, facio qua valeo facultate: reſpice quæſo ſereno vultu ad huius meæ exiguitatis obſequium, & propitiabili dignatione, accipe tantillum ſacrificium confeſſionis fidei meæ, vt ad te redeat, quod à te venit: non reſpiciens tantum ad id, quod deuotus affero, quantum ad ea, quæ dicere volui. Nam volui quicquid te decet: & quod te offendit, abhorret anima mea. Vtinam poſſem talia, qualia illi Angelici Chori. O quàm libenter totum me in laudibus tuis effunderem, & luculenter in medio Eccleſiæ canticum gloriæ tuæ infatigabiliter perorarem. Sed quia illud nequeo, penitus tacebo? Væ Domine tacentibus de te, quia ora mutorum reſoluis, & linguas infantium facis diſertas.

Verùm, quia paruulis licet laudes tuas, vel balbutire, ſuſcipe ſacrificium precor de manu linguæ meæ, de cordis amore. Sed ignoſce rogo Domine indigniſſimo, & infælici tecum de te diutius loquenti ſeruo. Ignoſce pie, non temeritate præſumptionis, ſed auiditate tui deſiderij, huic deporatiunculæ operam dedi.

Oratio

Oratio pura cælorum altitudinem penetrat, & vſque ad conſpectum Diuinæ Maieſtatis aſcendit. Orationibus, liberamur non ſolum à vitijs, ſed etiā à pœnis æternis. Orationibus noſtri proſternuntur inimici, & fideles Deo efficiuntur amici. Orationibus conuincuntur tentamenta Diaboli, & æternæ beatitudinis dona acquiruntur. Per orationes omnia nobis à Domino vtilia tribuuntur, & cuncta nobis noxia procul effugantur. Sed tribus modis orationes impediuntur, aut cum quis à Deo petit, quod ſuæ ſaluti reſiſtit; aut cum orat, & ab iniquitate non ceſſat: aut ſi delinquenti in ſe debita non relaxat. Quod triplex malum dum à ſe vnuſquiſque ſtudioſius abſtraxerit, ſecurus ſtudio orationis incumbat, & ea quæ petit precibus, ſe impetrare libera mente confidat.

In ſer.2.de orat.

Quare Chriſtus Dominus orauerit. Cap. 364.

PRopterea orauit Chriſtus, vt nos orare doceret: ad hoc paſſus eſt, vt doceret pati: ad hoc reſurrexit, vt doceret ſperare reſurrectionem.

Super Pſal. 56. tom.8.

Quando Chriſtus orabat, qui ſine peccato erat, quanto magis peccatores oportet orare? Et ſi ille per totam noctem iugiter vigilans precibus orabat, quanto magis in frequentanda oratione debemus vigilare?

Lib.de ora. Dominica.

De Domino noſtro ſcriptum, quod procidens in terram ita orauit, vt ab eo guttæ ſanguinis ſtillarent. Quid autem indigebat Chriſtus, vt taliter ſupplicaret? Non ille quicquam indigebat, ſed nobis exemplo ſuo orationis remedia præparabat. Orat miſericordia, & non orat miſeria: orat charitas, & non humiliatur iniquitas: proſtratus in terra orat medicus, & non humiliatur ægrotus. Orat innocentia, & non orat nequitia: Orat qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius, & non ſe proſternit multis obnoxius: Orat Iudex, & deſiderat parcere, & non orat reus, vt indulgentiam mereatur accipere: Orat iudicaturus, & orare diſſimulat iudicandus. Non ergo pigeat noſtram infirmitatem, quod vnuſquiſque proſtratus in terra ſe pro ſe humiliet.

In ſerm. de orat.

Quid in oratione petendum. Cap. 365.

ORandum eſt, vt non ſolum liberemur à malo, quo caremus, ſed etiam ab illo, quo iam inducti ſumus: quod cum factum fuerit, nihil remanebit formidoloſum, nec omninò metuenda erit vlla tentatio.

Idē de ſer. Domini in monte.

Ora beatam vitam. Hanc enim habere omnes homines volunt. Nam & qui peſſime, & perdite viuunt, nullo modo ita viuerent, niſi eodem modo ſe eſſe, vel poſſe beatos putarent. Quid igitur te aliud oportet orare, niſi id, quod cupiunt mali, & boni: ſed ad quod perueniunt non niſi boni?

Ad Prob. epiſt.121.

Quid oramus, cum dicimus: dimitte nobis debita noſtra: niſi vt vulnera noſtra ſanentur? Et quid aliud petimus, cum dicimus: Et ne nos inferas in tentationem: niſi ille, qui inſidiatur, vel certat extrinſecus, nulla irrumpat ex parte, nulla nos fraude, nulla nos poſſit virtute ſuperare?

Tract. 52. ſuper Ioan. tom.9.

Oratio Dominica vtrumque petendum commonet, & vt dimittantur nobis debita noſtra, & vt non inducamur in tentationem: illud, vt præterita ex-

lib.de nat. & gratia, c.18.to.7.

 pien-

pientur;hoc, vt furta vitentur. Quod licet non fiat,niſi voluntas adſit,tamen vt fiat, voluntas ſola non ſufficit: ideo pro hac re, nec ſuperflua, nec impudens Domino immolatur oratio. Nam quid ſtultius quàm orare, vt facias quod in poteſtate habeas?

Lib. 2. de verb. Dom. ſer. 7. Conuerſi ad Dominum Deum patrem omnipotentem, puro corde, quantum poteſt paruitas noſtra, maximas, atque vberes gratias agamus, precantes toto corde ſingularem manſuetudinem eius, vt preces noſtras in beneplacito ſuo exaudire dignetur: inimicum quoque à noſtris actibus, & cogitationibus ſua virtute expellat, nobis multiplicet fidem, mentem gubernet, ſpirituales cogitationes concedat, & ad beatitudinem ſuam perducat.

Lib. ſoliloq. ad Deum, cap. 2. & 9. Ecce ad te clamo factura tua. Vita es, viuifica me. Ecce ad te reſpiro tuum plaſma. Plaſmator es, reſtaura me. Parce mihi Domine, nihil enim ſunt dies mei. Quid eſt homo, vt poſſit alloqui Deum factorem ſuum? Parce mihi colloquenti tibi: ignoſce ſeruo, qui præſumit Deo ſuo loqui. Legem non habet neceſſitas, dolor me compellit dicere: & exclamare me compellit calamitas, quam patior, Aeger ſum, ad medicum clamo: cæcus ſum, ad lucem propero: mortuus ſum, ad vitam ſuſpiro.

Tu es medicus, tu lux, tu vita, Ieſu Nazarene. Miſerere mei fili Dauid, miſerere mei fons miſericordiæ: audi, qui ad te clamat, infirmum. Lux, quæ tranſis, expecta cæcum; præbe manum, vt ad te veniat, & in lumine tuo lumen videat. Vita viuens reuoca mortuum.

De Senten. Proſp. c. 88. Fideliter ſupplicans Deo pro neceſſitatibus huius vitæ nonunquam miſericorditer non auditur.

Quid enim infirmo ſit vtile, magis nouit medicus, quàm ægrotus. Si enim poſtulat quod Deus & præcipit, & promittit, fit omnino quod poſcit, quia accipit charitas, quod parat veritas.

Qualiter orandum ſit ad Sanctos. *Cap. 366.*

Idem in li. medit. c. 24 tom. 9. Foelices vos ſancti Dei omnes, qui pertranſiſtis huius mortalitatis pelagus, & peruenire meruiſtis ad portum perpetuæ quietis, ſecuritatis, pacis: ſecuri & tranquilli, ſemperquè tranquilli, atque gaudentes eſtis. Obſecro per veſtram charitatem, qui ſecuri eſtis de vobis, ſolliciti eſtote de nobis: ſecuri eſtis de veſtra immarceſcibili gloria, ſolliciti eſtote de noſtra multiplici miſeria. Per ipſum vos rogo, qui vos elegit, qui vos fecit, de cuius pulchritudine iam ſatiamini; de cuius immortalitate facti eſtis immortales, de cuius beatiſſima viſione ſemper gaudentes, eſtote iugiter memores noſtri: ſubuenite nobis miſeris, qui adhuc in ſalo huius vitæ circumſtantibus agitamur procellis. Vos portæ pulcherrimæ, quæ in magnam ſurrexiſtis altitudinem, adiuuate nos vile pauimentum, longe inferius iacentes. Date manum, & erigite iacentes, vt conualeſcentes de infirmitate, fortes efficiamur in bello. Intercedite, atque orate conſtanter, & indefinenter pro nobis miſeris, multumq. negligentibus peccatoribus, vt per veſtras orationes, veſtro ſancto conſortio coniungamur, quia aliter ſalui eſſe non poſſumus. Sumus namq. valde fragiles, , & nullius virtutis homunciones: animalia ventris, & carnis mancipia, in quibus vix probitatis appareat veſtigium. Veruntamen niſi finiatur noſtra miſeria, non complebitur tota-

totaliter fœlicitas veſtra: & vos ex nobis fuiſtis, ex hominibus homines: Et nos ſub confeſſione Chriſti poſiti, ligno crucis ferimur, nauigantes per hoc mare magnum, & ſpatioſum, vbi ſunt reptilia, quorum non eſt numerus, vbi animalia puſilla cum magnis, vbi eſt draco ſæuiſſimus ſemper paratus ad deuorandum, vbi ſunt loca periculoſa, Scylla, & Carybdis, & alia innumerabilia, in quibus naufragantur incauti, & in fide dubij. Orate Dominum pijſſimi, orate omnia agmina beatorum, & vniuerſus cætus ſanctorum, vt veſtris precibus adiuti, ſalua naue, & integris mercibus, peruenire mereamur ad portum perpetuæ ſalutis, & quietis, & continuæ pacis, & nunquam finiendæ ſecuritatis.

Exemplar deuotiſſimæ, & vtiliſſimæ orationis. Cap. 367.

CLementiſſime Domine, concede nobis miſericordia tua, vt deſideria carnalia delectatio ſpiritualis minuat, & pietas in nobis crudelitatis iram reſtringat, & malignitatem patientia coerceat, & libidinem prudentia vincat, animoſitatem tranquillitas toleret, ſcurrilitatem, & verboſitatem taciturnitas moderata compeſcat, curioſitatem ſtudium ſpirituale in vigilijs, & orationibus, & eleemoſynis ſuccidat, ebrietatem ſobrietas domet, iræ, & furori manſuetudo dominetur, leuitatem maturitas regat, luxuriam vera caſtitas excludat, mundi cupiditatem Dei, & proximi charitas refrænet, iactantiam, & ſuperbiam conculcet profunda humilitas, quia humilitas homines ſanctos Angelos facit, & ſuperbia dæmones ex Angelis fecit. *Lib. de ſalutarib. document. ca. 18. to. 4.*

Pone Domine lachrymas meas in conſpectu tuo, & perueniat ad te in cælum deprecatio mea: Adeſto precor, & ſubueni, atque in manibus tuis commendatam tibi me ipſam ſuſcipe: liberans me de ore ſæuiſſimi draconis, & de manu atrociſſimi Inferni, cum acceperis me, & auferes de medio vmbræ mortis, immo deduces in ſemitam lucis, & in clariſſimam regionem viuentium. Colloca me in caulis tutiſſimis gregum tuorum, quia tu es paſtor bonus, qui requiris, & reducis perditam ouem, tueris, & ſaluas inuentam, foues, & ſanas languidam. Tu es miſericors Dominus, quia ſperantes in te non confundis: requirétes te, non derelinquis: reuertentes ad te, non reſpuis: ſed exaltando, & laudando ſuſcipis, atque in æterna beatitudine vnà cum ſanctis tuis æternaliter regnare concedis, quia eſt tibi cum æterno Patre, & Spiritu ſancto vna Diuinitas, gloria, virtus, imperium, & poteſtas in ſecula ſeculorum Amen. *Ibid. c. 65.*

Sed vltra orationis laudes, recenſeamus, quæ mirabilia per orationem facta ſunt.

Imperator M. Aurelius Antoninus apud Sarmatas cum exercitu ſuo ad extremum periculum redactus propter aquæ inopiã, orationibus Chriſtianorum militum impetrata pluuia largiſſima, diuinitus liberatur. Cap. 368.

EVſebius de hac re agens, Apollinarem, Tertullianumq. adhibens teſtes, hæc ait: Antonini fratrem Marcum Aurelium Cæſarem, fama eſt, contra Germanos, & Sarmatas aciem inſtruentem cum exercitus illius ingenti *Euſeb. li. 5. cap. 5.*

ſiti

fiti opprimeretur, omnino non habuiſſe quid ageret: Vnde milites in ea regione, quæ Melitana appellabatur (quæ ſanè ab illo tempore ad hanc noſtram ætatem magnoperè propter fidem commendata eſt) in ipſa acie contra hoſtes inſtructa, genibus humi poſitis, vt nobis, cum oramus, in more eſt, ſe ad preces Deo adhibendas totos conuertiſſe. At dum hoſtes huiuſmodi ſpectaculum magnopere mirabantur, aliud quoddam multo admirabilius ſtatim conſecutum fertur: fulmen enim hoſtes in fugam vertiſſe, eosq. interemiſſe, & imbrem in exercitum eorum, qui diuini numinis opem implorauerunt, de cælo affatim ruentem, eum vniuerſum refeciſſe, recreaſſeque, qui parum aberat, quin præ ſiti intolerabili iam extingueretur.

Dio in M. Aurel. Claudia. in 6 Honorij Conſulatu lib. 1.

Eadem hiſtoria apud Gentiles ſcriptores, qui longè à noſtra religione diſſentiunt, quique laborem ceperunt ea, quæ illis temporibus agebantur, litteris proſequendi, recenſetur. Commemoratur etiam à noſtris: ſed à Gentilibus ſcriptoribus, vtpote à fide alienis, quamquam miraculum illud ponatur, tamen quod noſtrorum hominum precibus euenerit, ex eorum ſcriptis minime certe conſtat: at à noſtris, vtpote veritatis fautoribus, ſimplici quadam oratione, & minime fucata, res vere, vt edita fuit, explicatur. Ex quorum numero eſt Apolinaris, qui affirmat, legionem, cuius precibus miraculum edebatur, latino ſermone, Fulmineam vſque ab illo tempore appellatam, illudq. nomen rei euentum ſcite exprimens ab Aurelio Cæſare ei tributum. Hæc Euſebius, qui mox teſtimonium ſubdit Tertulliani.

Tertul. Apolog. c. 5.

Idemq. auctor in Chronico eandem rem, his verbis teſtatam reliquit, Imperator Antoninus multis aduerſum ſe naſcentibus bellis, ſæpe ipſe intererat, ſæpe Duces nobiliſſimos deſtinabat, in quibus ſemel perniciter exercitu, qui cum eo in Quadorum regione pugnabat, ſiti oppreſſo, pluuia diuinitus miſſa eſt. Cum è contrario Germanos, & Sarmatas fulmina perſequerentur, & plurimos eorum interficerent. Extant litteræ Marci Aurelij grauiſſimi Imperatoris, qui illam Germanicam ſitim, Chriſtianorum fortè militum precationibus impetrato imbre diſcuſſam conteſtatur. Hucuſque ille.

Nyſſen. or. 2. in 40. Mart.

His addendum eſt notabile teſtimonium S. Gregorij Nyſſeni, qui celebrás laudes Sanctorum Quadraginta militum Martyrum, qui Sebaſte in Armenia paſſi ſunt, ab hiſce militibus Chriſtianis, qui tàm inſigne miraculum ediderunt, encomium auſpicatus eſt, ea nimirum occaſione, quod Gentiles fermè eſſent, nempe Armeni omnes. Nam quod ait Euſebius, Melitinam eam legionem fuiſſe antea dictam, id accidit quod Melitinenſes eſſent populi in Armenia, vnde illi nomen deductum eſſe videtur. Gregorius igitur rem geſtam his verbis deſcripſit: Erat vetus quædam circa vicinam Vrbem militum manus, præſidium totius gentis aduerſus impetus Barbarorum. Illis ex quadam ante oblata diuinitus apparitione, maiori ſtudio fides erat, quàm res ac diſciplina militaris: ac forſitan non intempeſtiuum fuerit, vnum quoddam fidei virorum illorum facinus egregium obiter commemorare. Bello enim eis aduerſus Barbaros aliquando conflato, cum omnibus locis opportunis ab exercitu hoſtium præoccupatis, aquæ quoque in eorum poteſtate eſſent, ad extremum periculum redacti, ſiue imperitia noſtrorum Ducum, ſiue meliore, ac diuino magis conſilio, atque diſpoſitione, vt vel per hoc maxime appareret, quid intereſſet inter Chriſtianos, atque externos, & à fide alienos; cum nulla ratione rebus præſentibus mederi poſſent, magnaq.

trepi-

trepidatio, ac deſperatio eſſet, cum nullus fons eo loco, aut aliunde prouenientis aquæ facultas eis appareret, periculumq. eſſet, ne ſiti expugnati, ab aduerſarijs ſubigerentur. Tunc præclari illi atque egregij, omiſſo armorum præſidio inuictum, cuiue reſiſti non poſſet, auxilium in rebus aſperis animaduerterunt.

Relictis enim in caſtris, qui nondum fidem receperant, ac per ſe ſeparati, imitantur id, quod tempore Eliæ Prophetæ factum eſt miraculum, communi, atque coniuncta voce precibus petentes, vt ex rebus deſperatis, in quas incidiſſent, eriperentur. Atque illi quidem precabantur; preces vero ex templo in opus conuertebantur. Cum enim adhuc ipſi in oratione perſeuerarent, flatu violento nubes aliunde coacta ſublimis in arce caſtris hoſtiũ imminebat. Deinde fragoribus ingentibus ſuperintonans, & fulgurum in ſubiectos incendia immittens, aquam fluminibus vehementiorem præcipitabat adeo, vt aduerſarijs quidem tùm continentia fulmina, tùm continuatio imbrium, ferè extremi exitij cauſa exiſteret. His vero, qui precum aciem oppoſuerant, ad vtraque ſufficeret, tàm ad vincendos hoſtes, quàm ad ſitis leuamen, quippe defluentibus torrentibus abunde potum ipſis ſuppeditantibus. His igitur adiunctus eſt noſter cætus eorum, qui de exercitu narrationibus illis etiam ipſi circa fidem confirmati, & eiſdem ſtudijs, & exercitijs innutriti, in tantam animi indolem, ac magnitudinem euecti ſunt, vt excellentia virtutum aduerſus ſeſe inuidiam excitarint.

Sed præſtat ipſas Marci Aurelij litteras ad ſenatum tùm ſcriptas, hic recitare. Deſcriptæ quidem illæ reperiuntur ad calcem Iuſtini Apologiæ ad Antonium Pium, eodemq. loco vnà cum ipſius Iuſtini operibus typis excuſæ; eſt igitur huiuſmodi ex codice Vaticano earum editio.

Imp. Cæſar M. Aurelius Antoninus Auguſtus Parthicus. Germanicus. Sarmaticus, Pontifex Maximus, Tribunitię Poteſtatis xxviij. Imp. vij. Coſ. iij. Pater Patriæ, Procoſ. S. P. Q. R. S. D.

Certiores vos feci de conſilij propoſitiq. mei magnitudine, & quæ in Germania mihi in diſcrimine atque obſidione, alia ex alijs acciderunt, cum in eius medio, labore atque æſtu confectus fuiſſem. Sane dum Carnuti eſſem, ſpeculatores nobis indicarunt ſeptuaginta quatuor hoſtium dracones prope nos nouem millibus adeſſe; idemq. Pompeianus, quem bello Ducem præfecimus, quod nos quoque videbamus, renunciauit. Cumq. in noſtrorum militum exercitu haberemus tantùm legiones Primam, Decimam, Geminam, & Fretenſem; hoſtium vero nongentorum, & ſeptuaginta ſeptem millia, meaſq. ipſius copias cum ingenti Barbarorum, atque hoſtium exercitu comparaſſem, Deos Patrios votis ſuſceptis rogaui. Sed cum ab eis negligerer, meq. ab hoſtibus premi animaduerterem, copiarum mearum paruitatem contemplatus, eos qui apud nos Chriſtiani dicuntur, accerſiui, ac rogaui, inueniq. magnam eorum multitudinem, illoſq. minis compuli, quod minime decuerat, propterea quod poſtea illorum vim, ac poteſtatem cognoui. Itaque non ad telorum comparationem, non ad armorum, neque ad tubarum vſum ſe contulerunt; hoc enim illis facere Dei cauſa & nomine, quem in conſcientia geſtant, gratum non eſt. Aequum igitur eſt, vt quos impios eſſe, & à Deo alienos opinabamur; eos exiſtimemus Deo munitos eſſe. Cum enim ſe humi proieciſſent, non ſolum precati ſunt pro me, ſed

etiam

etiam pro toto hoc exercitu, vt famis, ac ſitis, qua vrgebamur, remedium aliquod afferretur; quinque enim diebus aquam non ſumpſeramus, quod ea non ſuppeteret; eramus enim in media Germania, montibus vndique concluſi; ſimul autem atque ſeſe humi abiecerunt, ac Deum illum precati ſunt, quem ego ignorabam, ſtatim è cælo pluuia delapſa eſt, in nos quidem frigidiſſima, in Romanorum vero hoſtes grando, ignis ſpecie, ac ſimilitudine, & fulmina: eorumq. orationibus ac precibus ſtatim præſto Deus fuit, qui neque vinci, neque expugnari poteſt. Quamobrem illinc exorſi, concedamus talibus, vt ſint Chriſtiani, nequa arma eius generis contra nos petant, & impetrent. Cenſeo autem neminem, quod Chriſtianus ſit, eſſe in crimen, & in Iudicium vocandum. Quod ſi quis inuentus fuerit, crimini dare cuipiam, quod Chriſtianus ſit, ei quidem, qui in crimen vocatur, manifeſtum fieri volo, ſi nihil aliud obiectum eſt, quàm quod Chriſtianus tantum, dimitti; eum tamen, qui Chriſtianum accuſauit, viuum exuri; illum vero, qui Chriſtianum ſe eſſe profeſſus fuerit, periculo omni, quod ob eam rem ei intendebatur, liberatum; Is cui prouincia commiſſa eſt, nequaquam ad pœnitentiam adigat, aut libertatem ei adimat. Hæc autem S. C. etiam ſanciri volo, atque hoc meum edictum in foro Diui Traiani propoui, vt legi poſſit. Curæ autem erit Vetraſio Pollioni Præfecto Vrbis, vt ad omnes Prouincias hæc Conſtitutio mittatur, neque quiſquam, qui eam tranſcribere, vel ipſa vti voluerit, prohibeatur. Valete.

Meminit harum litterarum Tertullianus, quarum exemplaria ſuo tempore complura exſtitiſſe tradit Oroſius. Porrò Pompeianus, cuius in litteris Marci mentio habetur, gener Marci fuit, cui Lucillam viduam nuptui tradidit. *Oroſ.lib.7. c.15.*

Extat hactenus tàm egregij miraculi, Chriſti virtute editi, quampræclarum, atque egregium monumentum in nobiliſſima illa Antonini Columna cochlide inſigniter inſculptum, vnà cum alijs eiuſdem Marci Aurelij Imperatoris in bello Marcomannico facinoribus fortiter geſtis. Egregium Chriſtianæ victoriæ trophæum æterna memoria conſecratum; quippe quæ celebre illud factum contineat, cum (quod eſt in pſalmis) Intonuit de cælo Dominus, & Altiſſimus dedit vocem ſuam, grando & carbones ignis; miſit ſagittas ſuas, & diſſipauit eos, fulgura multiplicauit, & conturbauit eos. (Romanis vero apparuerunt fontes aquarum) Et quod alibi dicitur: Fulgura in pluuiam fecit. Viſitur adhuc in ea imago expreſſa rei tàm inſigniter geſtæ, ſed ijs plane ſignis, vt Iouis imbres dantis, & illis fulgura admiſcentis repræſentet effigiem, quæ omnibus perſpicua eſt.

Nauis quædam oneraria cum eſſet in terra, & ad mare prouolui non poſſet, oratione, quaſi animata eſſet, ad Mare peruenit. *Cap. 369.*

Niceph.lib. 14.c 39. Socr.hiſt.li. 7.c.36.

IN littore Troiano ingens oneraria Nauis, quæ magnas columnas ferret, constructa fuerat; Platem, à latitudine, eam Nautæ nominant. Hanc cũ opus eſſet in mare prouoluere, multi, qui funibus eam in vndas traherent, cõfluxere. Illa vero diebus pluribus moueri loco non potuit, & homines immobilem eius ſtationem dæmonis efficaciæ aſcripſeruut: quapropter Epiſcopum

ſcopum Siluanum adierunt, & ab eo, vt precationem ſuper eâ faceret, petierunt, eam ipſam ſolam ad commouendam nauim ſuffecturam eſſe credentes. Ille pro modeſtia ſua, non ipſius, vt hominis peccatoris, id opus, ſed alterius cuiuſpiam, in quo diuinum numen conquieſceret, eſſe dixit. Vbi vero illi magis etiam ei multa precati inſtitere, petitioni eorum vix tandem cedens, ad littus aduenit; & oratione peracta, funem vnum attigit, & alios operi ei inſiſtere iuſſit. Paulululum nauis ab illis impulſa eſt, & illa perinde atque animata eſſet, celeritate multa prouoluta ad Mare peruenit. Hæc res in prouinciam omnem vulgata, religionem magnam Siluano eſt atteſtata.

Quidam in mortis articulo conſtitutus, oratione ſua impetrat, ne mori poſſet, priuſquam ſacramentis Eccleſiaſticis eſſet communitus. Cap. 370.

POſt mortem Domini Federici de Blanckenheim, Traiectenſis Eccleſiæ Epiſcopi, propter electionis diſſidum duos accidit pro Epiſcopatu contendere, è quibus alter, quamuis canonicè electus, & à ſubditis receptus, paulò poſt tamen vi denuò eſt extruſus atque fugatus. Eam ob rem Martino Papa in rebelles ſchiſmaticosq. excommunicationis cenſura animaduertente, accidit multos tùm eccleſiaſticos, tùm plebeios Deum amantes à Traiecto, propterea quod apoſtolica ibi cenſura contemnebatur, diſcedere; quippe qui inobedientiæ exilium præferre mallent. Inter hos lanius quidam non minus pius, quàm diues, ne peccatis conſentiret alienis, neuè anathema ta contemneret, in Gorcum, quod eſt Olandiæ oppidum, exul ſeſe continuit. Nomen viro erat, Henrico Vock. Hic diuam virginem, ac martyrem Barbaram quotidie conſueuerat venerari; audierat namq. quiſquis hanc in honore habuiſſet in vita, abſquè confeſſione, & Euchariſtiæ ſacramento non mori. *Tilm. Bredenb. coll. ſacr. lib. 4. c. 1.*

Agebat vitæ ſuæ annum fermè ſeptuageſimum, qui diuinæ incarnationis erat milleſimus quadringenteſimus quadrageſimus octauus, dum ex agro redeunti hæc accidit calamitas: Siquidem in nocte, qua feſtum agitur diui Auguſtini, quando labore rurali fatigatus dormiebat, candela ardens in ſtramina, quorum tùm forte ingens copia aderat, cecidit, vnde domus accenſa illicò tota flagrauit. Euigilarunt prædictus Henricus & Andreas filius eius, & pariter territi vix incendium, vel nudi euaſere. Nam Andreas inter fugiendum ab igne circa genitalia læditur. Henrico vero patri induſium, quo caput inuoluerat, duobus in locis ardere cæpit, verùm corpore liberatus, pro pecuniæ amiſſione, maiori ſolicitudine cæpit vrgeri. Quare in domum redire ſtatuit extracturus nummos. Itaquè ſigno crucis ſe muniens, vbi in domum flammis relictam cucurrit, hæc ante ſuper corpus eius nudum corruit, quàm ad conclaue, in quo pecunia recondita iacebat, perueniret. Hinc cum certe iam mors inſtaret, tametſi vrentibus flammis grauiter torqueretur, maiori tamen dolore afficiebatur, quod ſacramentis Eccleſiaſticis non eſſet præmunitus. Eapropter deſperata corporis ſalute, pro animæ dumtaxat remedijs ad diuam Barbaram, qua tunc potuit deuotione, ſe contulit. Orans igitur: ſancta, inquit, Barbara, quod per ſponſum tuum nunc potes, ſuccurre miſero, & in peccatis morienti. Fiat tuis

pre-

precibus in me, quod olim pro Chriſto tibi morienti cęlitus eſt promiſſum. Memor ſit ſponſus tuus ſanguinis tui roſei, atque virginei, memor ſit caſtiſſimi, atque feruentis amoris tui, ne de corpore meo egrediatur anima, niſi confeſſionis ſacramento ante purgata, & ſaluifico viatico præmunita. Vix orationem finierat, & ecce Virgo aſtat decora, ſanctiſſima Barbara, eo ſcilicet ſchemate, quo in templo picta cernebatur. Hæc pallio ſuo mox ignium globos reſtinguens, per flammineum tectum candida ſua manu illum eduxit, atque tuto in loco ſtatuens, ſic illi locuta eſt: Quia grata mihi ſæpenumero deuotionis obſequia obtuliſti, & modò diuinam miſericordiam per meum patrocinium imploraſti, meo ſcias interuentu tibi ad auroram vſque vitam prorogatam; quo viuendi ſpatio, confeſſionis, Euchariſtiæ, atque extremæ Vnctionis ſacramenta recipias. His dictis, ad ſuperna rediens Barbara Virgo diſparuit. Sæuiebat interea ignis, & vicinas domos abſorbere feſtinabat. Clamant vigiles, & pulſatis campanis ciues excitati accurrunt. Ceterùm Henricus ille prædictus, ſanctiſſimæ Barbaræ præſidio flammis ereptus, ab imo pedum vſque ad verticem capitis fuerat aduſtus, nec minus intus quàm extra in corpore torridus. Vnde aſſati cadaueris ſpeciem magis quàm hominis præferebat. Si quidem verenda eius ignis edax adeò abſumpſerat, vt hiantibus in inguine vulneribus, etiam exta nudarentur cremata. Nates, & clunes eius flamma vorauit hipochondria, venter, pectus, aſcellæ, collum, ac ſcapulæ non modò aduſta, ſed inflexibilia quoque, & vt ferrum rigida erant. A vertice denique capitis capilli cum carnibus defluentes, & oſſa nudantes in genis hærebant. Quid multa recenſeo? Adeo fuit crematus, vt oſſibus vix modica adhæreret caro tamquam Aethiopis nigra; nam præter oculos, linguam, & cor, quæ per B. Barbaræ ſubuentionem ex diuina miſeratione adhuc ſuo in vigore viuebant, nihil in eo manebat reliquum.

Hic itaque, quamuis in eo nihil cerneretur præter admirabile, horrendumq. cunctis ſimulachrum, per duos longos vicos, & plateam dictam (de Moelonſtraet) de incendij loco ad filiæ ſuæ dilectæ Dietuardæ, quæ viro honorabili Neudoni filio Arnoldi dudum nupſerat, domum ſolus iuit: vbi arentes pedicæ inter eundum à corpore eius decidentes, combuſtionis pariter, ac miraculi euidens teſtimonium præbuere. Hæ tamen altero die collectæ, humando eius corpori ſociatæ ſunt. Itaque ad filiæ domum poſtquam aduenit, præmortuum eius corpus lecto impoſitum eſt: ipſe vero nihil aliud, quàm ſacramenta eccleſiaſtica, paulò poſt moriturus expetijt, omnibus interim manifeſtans, quanta ſit Dei miſericordia, beatæ Barbaræ precibus ac meritis in ſe collata. Quippe cuius mortuo atque cremato corpori, ne ſacramentorum expers moreretur, vita ſeruabatur. Percrebuit interea per ciuitatem ſtupendi huius miraculi rumor; & licet incendium interim omni ferè momento ſe ipſo fieret maius, adeò vt ad templum vſque Diuæ Agnetis tunc aliquoties etiam accenſum multas domos abſumeret, ad ſpectaculum tamen hoc mirabile cadaueris, vt ita dixerim, morituri, plures, quàm ad reſtinguendum ignem confluebant. Idcircò vt maius fieret miraculum, confortatus à Deo Henricus, perinde ac ſanus & incolumis, populo aduentanti prædicabat. Noſcebat omnes, & ad terrenorum contemptum, cæleſtiumq. amorem, quoſcunque poterat, inuitabat, flentes pro

ſe

ſe propterea arguebat, quod pro ſe non vltra dolendum ſentiebat, quippe cum quo Deus miſericordiam fecerat. Hortabatur quoque eos, qui aderant, vt Deum in cunctis eius operibus laudarent, caſta ac feruenti oratione colerent, & eius matrem virginem Mariam, pia veneratione diligerent, ſanctiſſimam quoque Chriſti ſponſam Barbaram præcipua deuotione honorarent. Hæc enim, inquit, vt cernitis nunc oculis veſtris, honorantibus ſe ſacramenta confeſſionis & Euchariſtiæ ante mortem impetrat. Ad hæc miraculi huius in ſe facti narrans ordinē, atque modum replicat, addens illuceſcēte aurora quantocyus in teſtimoniū veritatis è ſeculo ſe migraturū. Ne vero de miraculi adhuc veritate quis dubitaret, aut quod diuinæ erat miſerationis, naturæ, aut fortunæ adſcriberet, rogabat honeſtiſſimos quoque vtriuſque ſexus ſenes, vt accederent, & exploratis viſu, tactuq. probatis ſingulis, & membris, & locis, diſcerent non virtutis humanæ, quod viueret, ſed poteſtatis eſſe diuinæ. Accedentibus ad lectum multis, & cum trepidatione tangentibus: Non ſentio, inquit, veſtro tactu læſionem. Tangite ſecuri aduſta membra, & hiantia vulnera, corporiſq. rimas, quoniam gloriam Dei loquuntur, etiam oculis explorate. Videbitis quidem combuſta, ac præmortua omnia, nec ſine mirabili Dei virtute mihi adeſſe vitam. Ad hæc humana curioſitate permoti, cum multi omnia luſtraſſent, Dei omnipotentiam, & ſanctæ Barbaræ merito benedixerunt.

His ita precatis, cum omnium peccatorum ſuorum ab infantia confeſſionem feciſſet, & ſumptis ſacramentis, ter adhuc confeſſionem repetiſſet, S. Barbaram electam ſuam patronam, Diuumquè Laurentium inuocauit, orans, vt hæc aſſatio corporalis, & temporalis, quam ſuſtinuerat, incendij pœna, ſibi in omnium cederet expiationem peccatorum. Poſtremò illuceſcente aurora, Confeſſori, & aſtantibus dixit: O pater amande Confeſſor, ceteriq. omnes amici, adeſt iam hora, qua moriens à vobis recedam; quapropter hoc temporis breui ſpatio à me, quæſo, nolite recedere, ſed orationibus me veſtris iuuate. Hæc dicens ad Deum orando ſe conuertit, atque beatiſſimæ Virginis Mariæ, B. Barbaræ atque omnium Dei electorum precibus ſe commendans, ſuorum veniam peccatorum iterum orauit. Poſt hæc ſonora voce: Domine, inquit Ieſu Chriſte, miſericordiſſime Deus, qui me in ara ſanctæ Crucis pretioſiſſimo ſanguine, & acerbiſſima morte redemiſti, miſerere mei, ecce in manus tuas commendo ſpiritum meum. Hæc dicens, emiſit ſpiritum. Ad laudem igitur Dei, & honorem beatæ Virginis, ac glorioſæ Barbaræ, crematum eius corpus oculis omnium intra domum contuēdum exponitur, & tandem in templo Gercumenſi iuxta ſuggeſtum, ciuibus omnibus pro amore viri occurrentibus veſpere ſepelitur. His ego Theodoricus Pauli de Gercum, quia interfui, & prædicti Henrici confeſſionem quater audiui, ſacramenta adminiſtraui, vulnera eius ac membra tractaui, tractandaq. alijs obtuli, ipſum præterea tenui inter brachia mea morientē, & ne modico quidem tempore, vt rogatus quoque à filiabus & amicis, ab eodem receſſi, non potui tàm glorioſo miraculo teſtimonium non præſtare, & hæc ad Dei gloriam ſcribere.

Caueant qui ſceleratè viuunt, ne huiuſmodi exemplis ſemetipſos decipiāt, qui tales traditiones non ſunt perpetuæ, neque infallibiles, vt habetur in prima Synodo Prouinc. Camerac. anno 1565.

Diuus

Diuus Thomas conſueſcens per orationem, mentem in Deum eleuare, orationis vi cælitus illuſtratur, diuinarumq. rerum, & cæleſtium arcanorum notitiam admirabiliter conſequitur. Cap. 371.

DIuus Thomas Aquinas, excelſus Theologus, orationis ſtudium præcipuum habere voluit, quapropter admirãdas rerum diuinarum illuſtrationes habere meruit. Quoties ad legendum accederet, aut diſputationem iniret, vel ſcriptionem aliquam diuinæ tractationis aſſumeret, ſemper prius orare ſolitus fertur. Legitur hodie à multis formula deuotiſſimæ orationis, quam antequàm libros euolueret, præmittere ſolebat. Cogitabat enim nihil rectè auſpicari, nihil recte agi ſine maieſtatis diuinæ inuocatione, cuius totum eſt, quicquid benè fit, benè dicitur, benè cogitatur; ita vt eius exemplo ſatis pateat, cæleſté lucem, & diuinas veritates peruenire ad nos, non cum curioſe libros legimus, ſed cum deuote oramus, & inuocamus luminum
Sap. 7. patrem. Inuocaui enim, & datus eſt mihi ſpiritus ſapientiæ, dixit Sapiens.
Pſal. 118. & Propheta ſummus: rogabat quotidie, Domine da mihi intellectum, & viuam: &: Scrutabor legem tuam, & cuſtodiam illa in toto corde meo. Quapropter illi, qui tàm auide ſanctum hunc virum ſequuntur diſputantem, ſequantur etiam illum deprecantem.

Igitur vir iſte ſanctus, dum doctrinæ operam daret, orationi ſemper primum locum dabat, & priuſquam ad codices verteret intuitum, mentem per orationem eleuabat in Deum. Ex hac autem orandi conſuetudine, habitum quemdam eleuandi ſe ſupra ſe admirabilem tùm conſecutus eſt, & tamquã aquila quædam pennis inſtructa, ad cæleſtia volabat, cum volebat. Quibus quidem eleuationibus ſuperiori lumine mirabiliter illuſtrabatur, vt illa, quæ contemplabatur, videretur ſibi habere ante oculos. In ſacrificio autem miſſæ ſacræ totus Euchariſtiæ intentus, ſemper orare, & vbertim flere ſolebat, quaſi corporeis oculis Chriſtum dira tormenta patientem conſpiceret.

Ex Io. Anton. Flamin. foro corneliensi in vita eiuſdem S. Thomæ Aquinatis. Quare cum die quodam Neapoli multi milites ſacrificanti adeſſent, & corporeis ſanctus vir ablatus ſenſibus diutius in ſacrificio moraretur, nec pergeret, quidam ex cœnobitis ad eum acceſſere, qui tamquam alto quodam ſopore correptum excitantes monuerũt, vt ſacrum proſequeretur. Quo peracto cum quidam ex familiaribus illis militibus, qui ſacrificanti adfuerant, acceſſiſſent, ac impenſe rogaſſent, vt ſibi diceret, quid in eo mentis raptu vidiſſet, tacuit conſtanter, nec vllo modo adduci potuit, vt diceret. Mos illi erat ſacrificare quotidie, niſi ægritudine impediretur. Nec ſuo tantum contentus ſacrificio, vel ſocio ſuo, vel alij ſacrificanti aderat, ac plerunque miniſtrabat. Poſt breuem admodum dormitionem noctu ſurgebat, & eccleſiam ingrediebatur ad locum, quem ſibi ad orandum elegerat, vbi proſtratus humi orando diuinitus edocebatur, quæ poſt orationem, vel ſcriberet, vel dictaret. Ita præter illud breuiſſimum tempus, quod ſomno, & refectioni corporis pro conſeruanda valetudine dabat, totum quod reliquum erat, ſanctis actionibus impendebat, nec vacuum elabi ne punctum quidem temporis ſinebat; adeò, vt ſi quando vel ſuorum cœnobitarum, vel nobilium virorum ſe adeuntium cauſa, relicto ſtudio in locũ, quod Locutorium

rium dicunt, deſcendere cogeretur, mentis exercitationem tamen non dimitteret. Nam, vel ſacræ ſcripturæ aliquam recenſebat hiſtoriam, vel aliud, quod foret auditoribus vtile, proponebat; ſi quod vero temporis ſuperfuiſſet, priuſquam ad cubiculum ſuum (cellam cœnobitæ vocant) rediret, ſurgens de loco, vbi conſederat, ſic taciturnus ac repente abibat, vt neminem ibi cernere aut relinquere videretur; & ita cogitabundus, vel per ſepta monaſterij ſolus, vel per hortum ſpatiaretur, vt ſic quidem ſuas meditationes, vel ſpeculationes non intermiſiſſe, ſed continuaſſe videretur. Erat autem illius mens ſic in Deum ſemper intenta, vt cogitatio illius nunquam ab eo recederet. Quoties docturus erat, aut ſcripturus, ad locum orationis prius ſe recipiebat. Quare quicquid docuit, & ſcripſit, cælitus infuſum illi creditum eſt. Sancti etiam, & perpetui illius ſocij fideliſſimum teſtimonium id confirmauit, qui cum à Monaſterio Foſſæ Nouæ, poſt obitum ſancti Magiſtri ſui Neapolim redijſſet, in cuius locum ſuffectus erat, vt ipſe quoque ibi doceret, eſſetquè interpretationes continuaturus ex eo loco, vbi finem ille fecerat, in magnum prorupit fletum, cum ſe quis eſſet, & quis ille, in cuius locum ſuccedebat, fuiſſet, conſideraret, ſequè altitudini, & claritati doctrinæ illius longe imparem cerneret: de qua cum verba faceret, audientibus magna cum admiratione, qui aderant, omnibus, dixit: Magnum vobis Arcanum, chariſſimi fratres, nunc pandam, quod nulli ante ſanctiſſimùm obitum magiſtri mei ex iuſſu illius fas mihi fuit aperire, diuinitus illum edoctum fuiſſe quæcumque docuit, quæcumque ſcripſit, atque dictauit. Mos enim illi erat, priuſquam talia faceret, ad orationem accedere, ibiq. inſtrui. Quomodo enim tàm ſublimi, & ſacro præditus ingenio, niſi talia diuinitus edoctus, vel docere, vel ſcribere potuiſſet? Quare ſi quid vnquam difficile cogitanti, vel legenti occurriſſet, quod proprijs viribus conſequi non poſſet, ad opem, quam diximus, orationis confugiebat.

Exponebat ſanctus Doctor profunda Iſaiæ Prophetæ myſteria prophetiæ; cumque ad quendam locum difficillimum perueniſſet, nec ſatis arcana verborum perciperet, vt ſibi ſatisfaceret, ingenti mærore afficiebatur, nec animo quieſcere poterat. Ad opem igitur diuinam conuerſus ieiunijs, & orationibus à Deo petebat propheticum ſibi arcanum recludi. Voti demum compos factus eſt: nam nocte quadam venere ad eum Petrus, & Paulus Apoſtoli, qui locum expoſuerunt, quos ego cum eo loquentes audiebam. Sed neque qui eſſent, neque quid loquerentur, percipere poteram. Poſt longam illorum collocutionem, & diſceſſum ſanctus me Doctor vocauit, & dixit: Rainalde, ſurge, & candelam accende, ac illas reſume paginas, in quibus me dictante ſuper Iſaiam proximis diebus ſcribebas, & quæ dictabo, diligenter excipe. Cœpi ego ſtatim ſcribere, illo non aliter dictante, quàm ſi legeret illa quæ dictabat. Cumq. ſcripſiſſem, dixit: Redi iam ad quieſcendum, quia adhuc multum noctis ſupereſt. At ego, qui tenebar incredibili deſiderio ſciendi, quibuſcum tamdiu paulò ante ſermonem habuiſſet, ad genua illius procubui, precibusquè, & lachrymis obſecrare, ac obteſtari illum cœpi, vt mihi diceret, quinàm ij fuiſſent, aſſerens, me non aliter ab eius receſſurum pedibus, nec orandi finem facturum.

Recuſauit ille diu quidem, & arcanum texit dicens: Non opus eſſe, me talia ſcire: ſed meis demum euictus precibus, & lachrymis dixit: Quando pertinaciter hoc ſcire contendis, faciam, quod te velle tantopere video, ſed ea lege, ne cui ante obitum meum pandas, quod tibi nunc aperiam. Vidiſti me hiſce diebus valdè anxium ſuper difficultate loci prophetiæ huius,quem nunc expoſui, cuius cum ſenſum percipere non poſſem, & ea me res mirifice angeret, non prius precibus, & lachrymis deſtiti, quàm à Deo impetraui, vt mihi liceret ſcire, quod vt ſcirem,tantopere laborauerам. Quare pius Dominus ſerui ſui miſertus,beatos ad me Apoſtolos Petrum, & Paulum hac nocte miſit, qui mihi (ſicut vides) rem planam & apertam fecere. Hæc ergo,fratres chariſſimi,pro Dei laude, ac tanti Doctoris gloria vobis occulta eſſe nolui, vt hinc ſcire poſſetis, qualis cenſenda ſit tanti Magiſtri doctrina, quàm vera, & quàm omni fide digna, quam cæleſtes illum doctores edocuere. Sed aliud non minus memorabile idem Rainaldus narrauit, quod ſibi à ſuo magiſtro paulo ante obitum fuiſſe patefactum dixit: Veniſſe ad eum aliquando magnam Dei Genitricem, & quàm grata eſſet Deo illius vita, & ſcientia, declaraſſe.

Addidit prætereà,nihil eum per ipſam a Deo petiſſe, quod non impetraſſet, cuius etiam fauore, ac beneficio creditum eſt, Deum mirandam illam, ac vere diuinam doctori ſancto ſcientiam contuliſſe. Ex quibus vnicuique facere coniecturam licet, quanta illi cum cæleſtibus eſſet ciuibus familiaritas. Quare congruum fuit, vt mentis altitudinem, qua ſemper in cælo diuerſabatur, etiam corpus imitaretur, quod ſublatum à terra ſæpius conſpectum eſt, vt, cum orante illo in æde Salernitani Monaſterij ante aram templi maximam raptum duobus à terra cubitis Rainaldus idem, & alter cœnobita, cui nomen Iacobus, poſt nocturnum officium attoniti conſpexere. Simile eſt,quod referam.Dominicus Caſertanus in Neapolitano Monaſterio vitæ ac fidei cœnobita memorabilis, atque probatæ, cui etiam vigilanti alia quoque mira Deus oſtendere ſolebat, retulit ſanctum conſueuiſſe doctorem, dum Neapoli eſſet,noctu ſemper ante nocturnum officium in eccleſiam ad orationem deſcendere, ac vbi matutinale ſignum daretur, in cubiculum ſuum, ne ab alijs cerni poſſet, reuerti. Se vero illum ſemper diligentius obſeruaſſe, vt videret, quid rerum id temporis in eccleſia ageret, ac in loco non procul ab ara Diui Nicolai, vbi orare ille ſolebat, delituiſſe. Se igitur cum ingenti ſtupore vidiſſe, ibi orantem illum ante Chriſti ſacram effigiem bipedali à terra ſublatum menſura, Chriſtiq; de cruce vocem audiſſe dicentis: Bene ſcripſiſti de me Thoma: quam ergo recipies pro tuo labore mercedem? Reſpondiſſe illum: Domine, nonniſi te ipſum volo. Quod ideo dictum illi à Chriſto fuit, quia tunc forte Tertiam ſcribebat Summæ de Paſſione Chriſti, ac reſurrectione partem, poſtquam pauca ſcripſit, propter mira, quæ illi Deus aperuit, & Chriſti verba inditio fuere, non illum deinceps multa ſcripturum, cum quo iam de mercede laboris agebatur.

Simile eſt quod referam, quod vt non prætercam,hic me locus admonet: Orta eſt aliquando inter Theologiæ magiſtros Pariſienſes de accidentibus ac dimenſionibus ſacræ Euchariſtiæ magna diſputatio circa quam cum variæ ferrentur ſententiæ, nec verum pertingere quiſquam videretur, componendam

dam beato Thomæ commiſerunt ſic, vt illius ſententiæ omnes acquieſcerent. Quam quidem operam, vbi diligenter præmiſſa (ſicut illi mos erat) oratione præſtitiſſet, libellum, quem de ea re ſcripſerat, in eccleſiam pertulit, ác in altari locauit, præſentibus Monaſterij Præfecto, & cœnobitis compluribus, ac ibi Deum rogauit, vt aliquo ſigno ſibi declararet, an recte de ea re ſenſiſſet, & ſcripſiſſet. Affuit precanti Chriſtus, & audientibus qui aderant omnibus ait: Bene de hoc ſacramento ſcripſiſti Thoma, quantum in corpore adhuc mortali conſtitutus quiſpiam poſſit: & his dictis euanuit.

Quæ quidem eximij, & ſanctiſſimi Doctoris ſcripta quantum omnes poſtmodum approbauerint, ex ipſius Chriſti verbis, ac teſtimonio vnuſquiſque facere coniecturam poteſt. Sic enim cæleſtibus eius mens inhæſerat, atque ita Deo erat intenta, vt nulla ratione inde auelli poſſet, ac terrenis implicari. Hinc fiebat, vt corporeis frequenter auferretur ſenſibus, & immobilis diu alta cogitatione ſibi ſubtractus permaneret. Cuius rei duo de plurimis illuſtria ſubijciam exempla. Sanctus Rex Franciæ Ludouicus libenter illum ſolebat in rebus arduis conſulere, quia & prudentiam eius, & vtilitatem conſilij fuerat expertus, ideoq. ſanctum Virum plurimi faciebat, ac eius conſuetudine maxime delectabatur, conuiuamq. illum habere cupiebat, & ea de cauſa, qui illum ad ſe vocarent, miſerat. Recuſabat vir ſanctus, nec vllo pacto adduci poterat, vt iret, niſi monaſterij Archicœnobita illi oſtendiſſet, non oportere, nec æquum eſſe aduerſus tantum Regem in tali ſententia perſtare: & petitioni Regis ſuum iuſſum adiecit, & cum eo ipſe etiam profectus eſt.

Dum autem epularetur, & beatus Thomas apud Regem diſcumberet, eadem animo volutans, quæ paulo ante Summam Theologiæ dictans mente agitauerat, manu menſam præ gaudio percuſſit, quia tùm demum inueniſſet, quod diu quæſiuerat, & ait: Modo concluſum eſt contra hæreſim Manichæi. Tunc Archicœnobita, qui illi hærebat, tractum veſte velut ex alto ſomno excitauit, & dixit: Aduerte magiſter, & memento, nunc te cum Rege Franciæ diſcumbere. Excitatus ille, ac circumſpiciens erubuit, & à Rege veniam petijt, qui ea re plurimum delectatus, & Sanctum magis Doctorem admiratus, quod nec illum tanti Regis inuitatio delectaſſet, nec ſuo ad locum, & conſpectum tàm illuſtrem acceſſu, quicquam de ſua cogitatione omiſiſſet, ſuum ad ſe ſcribam vocauit, vt ea, quæ ſanctus Doctor excogitauerat, veritus ne forte obliuioni traderentur, ſcriberet. Huic ſimile quod referam, Campanus Archiepiſcopus beati Thomæ diſcipulus, apud Cardinalem quendam in Neapolitano Regno legatum, multa de ſuo magiſtro mira narrabat:

Quæ audiens Cardinalis, optare maxime cæpit eum videre ſimul, & alloqui. Cum ergo ea de cauſa vocatus de ſuo cubiculo, vbi tunc forte dictabat, ſanctus Doctor, deſcendiſſet, id quod mente agitabat, non dimiſit, ſed corporeis ablatis ſenſibus in eo permanſit. Cum igitur aliquandiu in ipſius conſpectu Cardinalis, tamquam ſtatua quædam perſtitiſſet, nec dixiſſet quicquam, aut vllum reuerentiæ ſignum edidiſſet, cæperat illum deſpicere Cardinalis, ac velle abire: ſed eum Archiepiſcopus, ne mi-

raretur admonuit, quia propter mentis, & cogitationum altitudinem, quas frequenter animo volueret, ſic illi mos eſſet abſtrahi, ac ſenſibus auferri. Paulo poſt hilarem præſeferens faciem ſanctus Vir dixit: Modo habeo, quod quærebam. Tunc Archiepiſcopus veſte vehementer tractum excitauit. Ille tamquam profundo euigilans ſomno, viſo Cardinale, ac tanto virorum nobilium cœtu, ſtupuit, & erubuit, ac veniam petijt, quod debitam illi reuerentiam non exhibuiſſet. Interrogatus, cur in illa mentis abſtractione adeò hilarem habuiſſet faciem, quia, inquit, ſuper quadam quæſtione, quod diu quæſieram, tandem inueni; ex qua re gaudium, quod cepi, facie indicaui.

Poſthumius Abbas ſine intermiſſione orans, tunc deſiit orare, quando ab Angelis adductus eſt in cœlum, ad quod perpetuo ſe perduci oratione poſtulauerat. Cap. 372.

Ex vit. Patr.

POſthumius quoque Abbas, vſque adeo orandi ſtudio ducebatur, vt nulla corporis debilitas animi ſedulitatem coerceret: aduerſa valetudine preſſus, cum de lectulo ſurgere non valeret, iacens orabat. Iam languor vehemens expeditius loquendi ademerat facultatem, & tacitus labiorum motus etiam tùm illum orare teſtabatur; denique diſcedens anima non prius orationem, quàm corpus reliquit. Orantem adhuc Angeli exceperant, & ad cælum tollentes, Domino obtulerunt, vt ſemper lætari poſſit, eam ſe beatitudinem impetraſſe, quam ſemper petebat.

Siſinius per triennium in ſepulchro ſe occludens, per orationem in cælis conuerſatur. Cap. 373.

Ibid.

SIſinius Elpidij Abbatis diſcipulus, cum annos ſeptem ſub illius inſtitutionibus fuiſſet conuerſatus, tandem diſcedens, quodam ſatis grandi monumento lapideo ſe occludens, per triennium ſemper rectus oraſſe dicitur, neque interim, aut ſediſſe, aut iacuiſſe, aut inde pedem extuliſſe. Quid prius mirer? an anguſtè habitantem, an immobiliter ſtantem, an continenter orantem? Cuncta quidem dura factuquè difficilia, niſi quod corporis laſſitudinem, animus Deo intentus, minus ſentire potuit. Qui enim tàm perſeueranter orauit, is in cælo magis, quàm in ſepulchro fuit.

Mulier

Mulier Chriſtiana captiua apud infideles Iberos, orationibus ſuis mouet in admirationem gentem illam, paruulumq. infantem oratione ſanat. Reginam graui corporis dolore laborantem liberat, Regemquè, & Reginam, & populum Chriſti fidem edocet.

Cap. 374.

PEr idem tempus etiam Iberorum gens, quæ ſub axe Pontico iacet, verbi Dei fœdera, & fidem futuri ſuſceperat regni. Sed huius tanti boni præſtitit cauſam mulier quædam captiua, quæ apud eos reperta, cum fidelem, & ſobriam ſatis, ac pudicam duceret vitam, totiſq. diebus ac noctibus obſecrationes Deo peruigiles exhiberet, in admiratione eſſe ipſa rei nouitas Barbaris cœpit, & quid hoc ſibi velit, curioſius perquirebant. Illa, vt res erat, ſimpliciter Chriſtum ſe Deum hoc ritu colere fatebatur. Nihil ex hoc amplius Barbari præter nouitatem nominis mirabantur. Verum (vt fieri ſolet) ipſa perſeuerantia curioſitatem quandam mulierculis inferebat, ſi quid emolumenti ex tanta deuotione caperetur. Moris apud eos eſſe dicitur, vt ſi paruulus ægrotet, circumferatur à matre per ſingulas Domos, quo ſcilicet ſi quis experti aliquid remedij nouerit, conferat laboranti. Cumq. mulier quædam paruulum per omnes circumtuliſſet ex more, nec aliquid remedij cunctas domos luſtrando cepiſſet, venit etiam ad captiuam, vt ſi quid ſciret, oſtenderet. Illa ſe humani quidem remedij nihil ſcire teſtatur, Deum tamen ſuum Chriſtum, quem colebat, dare ei deſperatam ab hominibus poſſe ſalutem, confirmat; cumq. cilicio ſuo paruulum ſuperpoſuiſſet, atque ipſa deſuper orationem fudiſſet ad Dominum, ſanum matri reddidit infantem. Ruffin. lib. 1.c.10.

Sermo defertur ad plures, factiq. fama magnifici ad aures Reginæ perlabitur; quæ dolore quodã grauiſſimo corporis afflicta, in deſperatione maxima erat. Rogat ad ſe captiuam deduci: illa ire abnuit, ne præſumere amplius aliquid quàm ſexus fineret, videretur, ipſam ſe Regina deferri ad captiuæ cellulam iubet. Quam ſimiliter ſupra cilicium ſuum poſitam, inuocato Chriſti nomine, continuò poſt precem, ſanam, & alacrem fecit exurgere: Chriſtumq. eſſe Deum Dei ſummi filium, qui ſalutem hanc contulerit, docet, eumq. quem ſibi auctorem ſuæ ſciret eſſe incolumitatis, & vitæ, commonet inuocandum. Ipſum namq. eſſe, qui & Regibus regna diſtribuat, & mortalibus vitam. At illa cum lætitia domum regreſſa, marito percunctanti cauſam tàm ſubitæ ſanitatis aperuit: quique cum pro ſalute coniugis lætus, mulieri munera deferri iuberet, illa: Horum, inquit, ò Rex nihil captiua dignatur; aurum deſpicit, argentum reſpuit, ieiunio quaſi cibo paſcitur: hoc ſolum ei muneris dabimus, ſi eum, qui me illa inuocante ſanauit, Chriſtum Deum colamus. Ad hoc tunc Rex ſegnior fuit, & interim diſtulit, ſæpius licet ab vxore commonitus: Donec accidit quadam die, venante eo in ſyluis cum comitibus ſuis, obſcurari denſiſſimis tenebris diem, & per tetræ noctis horrorem luce ſubducta, cæcis iter greſſibus denegari. Alius aliò diuerſi ex comitibus oberrant, ipſe ſolus denſiſſima obſcuritate circundatus, quid ageret, quo ſe verteret neſciebat: cum repente anxios ſalutis deſperatione animos cogitatio talis aſcendit: Si vere Deus eſt Chri-

ſtus ille, quẽ vxori ſuæ captiua prædixerat, nunc ſe de his tenebris liberet, vt ipſum ex hoc omiſſis omnibus coleret. Illicò, vt hæc nondum verbo, ſed ſola mente deuouerat, reddita mundo dies, Regem ad vrbem perducit incolumem. Quique Reginæ rem protinus, vt geſta eſt, pandit. Euocari iam iamq. captiuam, & colendi ritum, vt ſibi tradat, expoſcit: neque ſe vltra alium Deum quàm Chriſtum veneraturum eſſe confirmat. Adeſt captiua, edocet Deum Chriſtum; ſupplicandi ritum, venerandiq. modum, inquantum de his aperire feminæ fas erat, pandit. Fabricari tamen eccleſiam monet, formamq. deſcribit.

Igitur Rex totius generis populo conuocato, rem ab initio, quæ erga ſe ac Reginam geſta fuerant, exponit, fidemq. edocet, & nondum initiatus in ſacris, fit ſuæ gentis Apoſtolus. Credunt viri per Regem, feminæ per Reginam, cunctiſq. idem volentibus eccleſia exſtruitur inſtanter, & eleuato iam perniciter murorum ambitu, tẽpus erat, quo columnæ collocari deberent; cumq. erecta prima, vel ſecunda, ventum fuiſſet ad tertiam, conſumptis omnibus machinis, & boum hominumq. viribus, cum media iam in obliquum fuiſſet erecta, & pars reliqua nullis machinis erigeretur, repetitis ſecundo & tertio, ac ſæpius viribus, ne loco quidem moueri attritis omnibus potuit. Admiratio erat totius populi, regis animoſitas hebeſcebat; quid fieri deberet, omnes ſimul latebat, ſed cum interuentu noctis omnes abſceſſiſſent, cunctiq. mortales, & ipſa opera ceſſarent, captiua ſola in oratione pernoctans manſit intrinſecus; cum ecce matutinus, & anxius cum ſuis omnibus ingrediens Rex, videt columnam, quam tot machinæ ac tot populi mouere non quiuerant, erectam, & ſupra baſim ſuam librate ſuſpenſam, nec tamen ſuperpoſitam, ſed quantum vnius pedis ſpatio in aẽre pendentẽ. Tunc vero omnes populi contuentes, & magnificantes Deum, veram eſſe Regis fidem, & captiuæ religionem, præſentis miraculi teſtimonio perhibebant. Et ecce mirantibus adhuc, & ſtupentibus cunctis, in oculis eorum ſenſim ſupra baſim ſuam, nullo contingente, columna depoſita, ſumma cum libratione conſedit. Poſt hoc reliquus numerus columnarum tanta facilitate ſuſpenſus eſt, vt omnes quæ ſuperfuerant, ipſa die locarentur.

Poſtea verò quàm eccleſia magnifice conſtructa eſt, & populi fidem Dei maiore ardore ſitiebant, captiuæ monitis ad Imperatorem Conſtantinum totius generis legatio mittitur; res geſta exponitur, ſacerdotes mittere oratur, qui cæptum erga ſe Dei munus implerent. Quibus ille cum omni gaudio, & honore tranſmiſſis, multò amplius ex hoc lætatus eſt, quàm ſi incognitas Romano Imperio gentes, & regna ignota iunxiſſet. Hæc nobis ita geſta, fideliſſimus vir Bacurius, gentis ipſius Rex, & apud nos domeſticorum Comes (cui ſumma erat cura & religionis, & veritatis) expoſuit, cum nobiſcum Palæſtini tunc limitis Dux, in Hieroſolymis ſatis vnanimiter degeret.

S. Gummarus alienam arborem ſuccidens, à domino arboris obiurgatus, arborem cæſam in priſtinam formam oratione ſola conſolidauit. Cap. 375.

SAnctus Gummarus ex nobili progenie ortus, apud Emblehem Renenſis prouinciæ Vicum, natus eſt, & enutritus. Hic fide, & virtute creſcens, & auertens ſe à vanitate mundi, & ludis, ad cælum ſuſpirabat, illic patriam ſuam eſſe affirmans. Lenis erat ſermone, conſtans in bono opere, humilitate ſubmiſſus, benignitate profuſus, vigilijs, & ieiunijs corpus caſtigans, & in præſtandis eleemoſynis liberaliſſimus. Ad ſummum vero perfectionis culmen ſine ſcientia litterarum peruenit. Non enim habuerat magiſtros, nec legere ſcripturas didicerat: legem vero Dei in tabulis carnalibus circumferebat, magiſtrumq. habebat, quem & metuebat Deum. Multi litterati, multi ſapientes ei comparari non poterant. Iſti enim plerunque legunt antiquorum & recentiũ patrum ſcripta, & ex notitia ſcripturarum, quaſi ſemina concipiunt, vt fructum inde referant, & diſcant operari bonum, & tamen ad bonum opus faciendum non exurgunt. Huius igitur viri ignorantia, illorum virorum ſcientiam confundit. Namq. Deum diligens, & proximum, & declinans à malo, & faciens bonum ſuper docentes magiſtros intellexit. Sed attendamus opera eius.

Sanctus vir Gummarus quodam tempore, primo ſuſcepti itineris die, non longè à domo ſua progreſſus, fixit tentorium iuxta fluuium Neatam, arboremq. pulcherrimam illic ſtantem, quod ad fulciendum tentorium eſſet neceſſaria, iuſſit ſuccidi. Mox adeſt loci illius poſſeſſor ruſticus, planèq. iracundus in omnes inuehitur, nulliq. parcens, cunctos incuſat: verſuſq. ad ſanctum Gummarum, multa verborum aſperitate eum vexans; cur, inquit, agrum meum peruaſiſti? En hic iumenta, & tentoria veſtra: ita vobis aliena vendicatis, tamquam propria. Omnia depaſcitis, omnia proſternitis. Quid mihi, & tibi, Gummare? Quid mali tibi feci? Neque te offendi, neque quemquam tuorum læſi. Quod ſi nulla in me culpa hæret, quid ita, innocentem conteris? Et vt cetera damna prætercam, hoc vnum præcipuè doleo, quod arborem hanc, quam ipſe plantaui, quam tot annis ſeruaui, ſuccidi voluiſti. Reſpondit placido vultu ſanctus Gummarus: Agnoſco peccatum meum: ſed ſi iniuriam irrogaui, ita vt par eſt, ſatisfaciam tibi. Aut præciſam arborem reſtituam, aut iuſtum eius pretium perſoluam. Saltem hac nocte, obſecro, quieſce. Vix multis precibus adduci potuit ruſticus, vt vſque mane ſileret. Illo autem abeunte, cum intempeſta nocte omnes ſopor, & ſilentium obtineret, S. Gummarus ad conſuetum præſidium, & ſolita orationis arma confugit: Domine, inquit, tu refugium factus es nobis, adiutor optimus in tribulatione. Ne auertas faciem tuam à clamore meo, ne claudas aures tuas ad preces noſtras. Quod ſi ego, Domine, exaudiri non mereor, ſaltem eos, qui mecum ſunt, attende. Si verò adeo peccatis noſtris prægrauamur omnes, vt non aſcendant ad te preces noſtræ, fac propter temetipſum Domine, cuius nec benignitas habet finem, nec dona menſuram. Reueletur hominibus gloria tua, prædicetur ab incredulis nomen tuum; vt ſciant quænàm ſit vna fides noſtra, & vt non deſperet ſperantes in

Vita S. Gũmari Conf. apud Sur. tom. 5.

te maieſtas tua. Tu ergo Domine, qui de nihilo omnia condidiſti, qui die tertio herbas, arbores, & virgulta de terra produxiſti, reſtitue arborem, vt prius, integram, & aufer à ſeruis tuis, quam ignoranter incurrimus, contumeliam. Ita cum oraſſet, iuxta arborem proſtratus, ſurgens collegit arborem, eamq. zona ſua colligauit: Res mira, & venturæ generationis memoria digna: Adeo conſolidata eſt arbor illa, ac ſi nihil prorſus antea ceſa fuiſſet: atque etiamnum in eodem loco illam ſanam videmus, ſola veſtigia circumligatæ zonæ retinentem in gloriam Dei, & laudem ſerui eius. Mane rediit ruſticus, vt conuentum erat, heſterna adhuc ira tumidus, pro damno accepto iurgia repetens. At ſanctus Gummarus blandis verbis, & iucundo vultu eum compeſcens, manu eius apprehenſa, perduxit ad arborem, eamq. inuiolatam oſtendens: Ecce, ait, fili, arborem, quam tantopere dolebas præciſam. Adhibuit Deus ſolatium dolori tuo, abſtulit angorem cordis tui. Gratias age omnium largitori Deo, cuius benignitate munus memorabile percepiſti. Cernens ruſticus tantum miraculum, qui prius impatienter tumultuatus erat, diuina inſpiratione compunctus, ait: Virtus Dei hæc eſt. Non eſt humani operis, vt arbor ſucciſa, exiguæ noctis ſpatio in priſtinum conſurgat ſtatum. Arbor hæc, quam hoc miraculo tibi dedicaſti, deinceps mea non erit. Hanc ego tibi do, & quicquid hoc in loco mihi hæreditariũ eſt, eius ego te volo perpetuum, & ſtabilem eſſe poſſeſſorem. Ab illa die firma inter illos inita eſt amicitia, & poſt mutua oſcula, & amplexus pacificè diſceſſerunt.

Rex Angliæ Richardus, dæmonis nequitia captiuatus, ab Angelo Domini liberatur, & canitur miſſa, quæ eſt de vinculis Petri, pro eius liberatione. Cap. 376.

Roger. in annal. Anglic. ann. 1194. CHriſti anno 1194. Richardus Rex Angliæ liberatus eſt ea, qua tenebatur captiuitate, traditus iuſſu Imperatoris Aleonoræ matri à duobus Archiepiſcopis, Moguntio & Colonienſi, ita Rogerius in Annalibus Angliæ eodem anno, qui idem tempus captiuitatis eius numerat annum vnum, hebdomadas ſex, & dies tres: additq. iſta: Cum Coloniam perueniſſet, ab Archiepiſcopo Colonienſi dignè exceptus eſt, qui præ gaudio Miſſam illam de vinculis Petri celebrari iuſſit, cuius eſt introitus ille: Nunc ſcio vere, quia miſit Dominus Angelum ſuum, & liberauit me de manu Herodis, &c. Sed audi miranda, quæ auctorem vinculorum Regis, & malorum omnium improbum fuiſſe dæmonem oſtendunt, & quæ Vvillelmus Neubrigenſis ſcriptor *Neubrig. lib. 5. c. 7.* huius temporis narrat, agens de quadam apparitione, quam peregrinus perterritus retulit Epiſcopo Cenomanenſi: remq. geſtam certis ſignificantionibus, quibus licuit, teſtatam reliquit, & ipſe ſcripſit, veri amantiſſimus auctor, his verbis:

Aliud quoque ipſo tempore in pago Cenomanenſi accidiſſe fertur, quod eundem Regem Richardum non fruſtrà territum, ſuæ propenſius ſalutis admonuit. Res pluribus nota eſt, quàm noſtræ ſimpliciter narrationi inſerimus, prout nobis viri venerabiles, & fide digni tradidere, à Cenomanenſi Epiſcopo id ipſum ſe accepiſſe proteſtantes. Vir quidam ex eiuſdem Epiſcopi clientela, piæ deuotionis inſtinctu, profectus in Hiſpaniam ad memoriam

B. Ia-

B. Iacobi Apoſtoli, cum ſoſpitate ad propria remearat; qui poſt modicum calore fidei, & deuotionis fortius igneſcens, longe laborioſiori peregrinatione ſepulchrum inuiſere Dominicum voluit. Vale dicens ergo ſuis, iter opportunè arripuit, & cum forte ſolus graderetur, repente in iſta via obſtitit ei quidam enormiori corpore, & vultu terribili. Pauefactus homo, eleuata manu, Chriſtianàm ſumpſit armaturam, nempe ſignum Crucis. Ille vero tamquam non reputans ſalutare ſignaculum, nequaquam, inquit, hoc modo tueri te poteris, quin meus ſis: porrò ſi procidens adoraueris me, faciam te locupletem, & inclytum valde. Ad hæc homo pauorem fiducia ſuperans, cum libertate reſpondit: Liquet te eſſe partis ſiniſtræ, ſint tua tibi: Nam mihi ſufficit omnipotentis Dei largitio, quem ſolum adoro. Et ille, oportet, inquit, te vel inuitum aliqnid habere de meo, & proferens tamquam pallium ſubtilis materiæ, iactauit ſuper caput hominis, quod mox attractu igneo capillis exuſtis, cutem quoque capitis denigrauit. Profilienſq. hoſtis, hominem periculo anxium per brachium apprehendit. Homo vero, cum tanta perurgeret neceſſitas, S. Iacobum ex recentis obſequij conſcientia fortiter inclamauit. Qui B. Apoſtolus in ſpecie veneranda manifeſtè mox affuit, & potenti verbo inuaſorem improbum increpauit. Vt autem homo de manu inimici furentis ereptus, tuto iam auditu perciperet, quorum, vt creditur, audiendorum gratia per voluntatem Dei articulum illum inciderat: Apoſtolus ad nequam illum: Dic, inquit, qui ſis, vel quid negotij habes? Qui conſtrictus imperio: dæmon, inquit, ſum, generi humano infeſtus, & mille nocédi artibus inſtructus. Ego enim grande illud ſcandalum, & Chriſtianæ poſſeſſionis iacturam in Oriente patraui: Ego inter Reges Chriſtianos in terra promiſſionis, vt nil ab eis ageretur, nec proſperaretur opus Dei in manibus eorum, deteſtabilem diſcordiam ſeminaui: Regem Anglorum à Syria digreſſum per miniſtrum nequitiæ meæ Ducem ſcilicet Auſtriæ, captiuaui, multimodam exinde malorum occaſionem Regnis Chriſtianis concinnans, eundem quoque Regem de captiuitate propria reuertentem comitatus, in partibus iſtis nunc conſiſto: cubili Regis tamquam familiaris miniſter frequenter aſſiſto, & circa theſauros eius apud Chinonem repoſitos peruigili cautela obſeruo. His dictis, malignus diſparuit. Apoſtolus etiam confortato homine in ſuæ ſe claritatis ſecretū recepit. Homo vero ad Vrbem Cenomanenſem mature reuerſus, Epiſcopo, vrbiſq. prudentibus cuncta per ordinem replicauit, & in argumentum fidei, caput depilatum, & brachium manus peſtiferæ contactu vſtulatum indicauit. Quibus actis, poſt dies aliquot propoſitum iter repetijt. Nec latuit hoc Regem Richardum. Qui nimirum eius, qui tangit montes, & fumigant, timore compunctus, ſalubrioris inſtinctu conſilij, cubiculum ſuum, vt accepimus, de cetero caſtius eſſe voluit, & de theſauris ſuis largiores indigentibus eleemoſynas erogare. Hæc Neubrigenſis.

Aegypti monachis in carcere à Iuliano Apoſtata detentis, vt militiæ cingulum coacti ſumerent, aſtat ſplendidus Angelus, & patefactis ianuis, & cuſtodibus incuſſo terrore, impune abire permittuntur, ſicut Petro factum eſt.

Cap. 377.

VExatam quidem fuiſſe Aegyptum perſecutione Iuliani, Apollonij ſanctiſſimi monachi acta fidem inter alia faciunt; in quibus cum multa de eo præclare geſta narrentur, quæ hoc potiſſimum tempore Iuliani, ipſum pati contigerit, his verbis deſcripta ab Euagrio referuntur: Hic cum audiſſet, Iuliani ſcilicet temporibus, fratrem quendam ad militiam comprehenſum detineri in carcere (cogebat impius clericos, & monachos militare) in carcere venit ad eum conſolandi gratia, vt moneret eum in neceſſitate tenere conſtantiam, atque imminentia contemnere, ac deridere pericula; tempus enim, ait, certaminis adeſt, in quo fidelium mentes tentationibus probandæ ſint & noſcendæ. Cumq. his & alijs verbis adhortaretur animum adoleſcentis; ſuperuenit Centurio, & indignatus, cur introire auſus eſſet, claues intrinſecus carceri impoſuit; ipſum quoque & omnes qui cum eo venerant, pariter concluſit, quo ſcilicet etiam ipſi ſimiliter ad militiæ detinerentur officium, conſtituens quoque cuſtodes quamplurimos, abſceſſit. Medio autem noctis, aſtare viſus eſt Angelus ingenti luce reſplendens, & obſtupefactis, perterritiſq. cuſtodibus, carceris clauſtra patefecit. Tunc vero ipſi cuſtodes aduoluti ad pedes Sanctorum, rogabant eos diſcedere, dicentes: melius ſibi eſſe mori pro his, quàm diuinæ virtuti obſiſtere, quæ eorum curam gerebat. Mane vero etiam ipſe Centurio cum principalibus viris feſtinus ad carcerem venit, rogans, vt diſcederent omnes, qui teneri videbantur. Dicebat enim, domum ſuam terræmotu magno concidiſſe, & electos quoſque famulorum ſuorum peremiſſe. Sancti verò his auditis, hymnum Deo, laudeſq. cecinerunt, & egreſſi ad Eremum, erant in vnum poſiti, ſecundum Apoſtolorum exemplum, habentes cor vnum, & animam vnam.

Euagri. in Vit. Patr. in Apollon. c. 7.

Nobilis vir falſis criminibus accuſatus, & carcere mancipatus, facta oratione, diſruptis vinculis, patefactis foribus, diuinitus ex carcere educitur, & liberatur.

Cap. 378.

ILlud autem ſatis notum exploratumquè, quamuis ab Apoſtolorum temporibus penè inauditum, vt Apoſtoli Petri è carcere diuinitus liberati, vetus exemplum inſtauratum quodam modo noſtra tempeſtate videatur. Anno poſt Chriſtum natum circiter 1570. Vir quidam genere, ac factis clarus (nomen auctores non edunt; credo quod ipſe celatum voluerit) ab vno ex primoribus Italiæ Principibus in cuſtodia vinctus habebatur. Et falſis oneratus criminibus, iudice vtebatur iniquo inſenſoquè. Ergo cum haud dubiè inſtare ſibi vltimum ſupplicium cerneret, Lauretanam implorat Virginem, orans vt priuſquam è vita diſcedat, faciat ſibi Lauretanæ cel-

Turſel. Lauret. hiſt. lib. 4. c. 20.

læ viſendæ poteſtatem : & piæ inſontis preces Deiparæ cordi fuere. Sub noctem anxietate animi grauatum corpus arctior complexus eſt ſomnus. Dormienti præclara Lauretanæ Virginis oblata ſpecies, quæ mœrentis pectus ingenti gaudio permulſit. Repentè diſruptis vinculis, foribusq. carceris diuinitus patefactis (obuerſabatur autem ſomniantis animo, quod extra ſomnium gerebatur) rei nouitate attonitum exire compellit : egreſſum ad proximum Vrbis vicum deducit adhuc dormientem ; protinusq. eius ſubducitur oculis. Tùm verò ille expergefactus, vinculis, & carceri ereptum ſe cernens, haud vanam ſibi in quiete obiectam imaginem ſenſit. Gratijs ergo Virgini enixè actis, lætitia ex mœrore geſtiens domum ſuam recipit ſe. Ceterùm haud ignarus fore, vt à ſatellitio Principis conquireretur ſumma ope, & grauius in ſemet tamquam fugitiuum conſuleretur ; implorata denuo Virgine Lauretana, facinus edidit memorabile. Summo mane, diuina fiducia armatus inſenſum Principem vltro adit. Obſtupeſcenti ad eius aſpectum, rem omnem ordine (vti geſta erat) exponit. Nec in tanto diſcrimine clienti Virgo defuit ſuo : Principi extemplo iniecta religio eſt eius violandi, quem Deiparens ſaluum voluiſſet: enimuero id haud leue eſſe innocentiæ argumentum. Igitur diuina vi tactus, quandoquidem, inquit, Lauretana Virgo tanto te miraculo liberauit, & ego mea ſententia libero. Agedum auguſtiſſimam illam cellam, vti vouiſti, perge, & Dei matrem propitiare nobis memento. Itaque ille duplicis voti reus, Lauretum venit, noxis confeſſione elutis, vota beatæ Mariæ lætus exſoluit. Tàm inſigne miraculum ipſemet Raphaeli Rieræ Pœnitentiario enunciauit, qui ad poſteritatis memoriam id litteris prodidit.

Duo fratres diſſidentes, & ciuili bello alter contra alterum pugnans, precibus Crotildis Reginæ matris, ad concordiam reuocantur. Cap. 379.

CHildebertus Rex cum patruele Theodoberto in fratrem Lotharium inſurgit, ſed matre eorum ſatis agente Crotilde apud Deum, ne inter fratres fieret ciuile bellum, horrenda tempeſtate coerciti, cum ſuper Lothariũ ne ſignum quidem apparuerit horroris huiuſcemodi, reddunt ſe fraternæ paci.] At cuius virtute hæc geſta ſint, à Gregorio accipe, qui ſic ait : Childebertus autem, & Theodobertus commouentes exercitum contra Clotarium iræ diſponunt. Ille autem hæc audiens, exiſtimans ſe horum exercitũ non ſuſtinere, in ſiluam confugit : & concides magnas in ſiluis illis fecit, totamq. ſpem ſuam in Dei pietatem transfundens. *Sigebert. an.540.* *Greg. Turon. de geſt. Franc. li. 3. c. 28.*

Sed & Crotildis Regina hæc audiens, B. Martini ſepulchrum adijt, ibiq. in oratione proſternitur, & tota nocte vigilat, orans ne inter filios bellum ciuile conſurgeret. Cumq. hi venientes cum exercitibus ſuis eum obſiderent, tractantes illum die ſequenti interficere : mane facto, in loco quo erant congregati, orta tempeſtas tentoria diſſecat, res diripit, & cuncta ſubuertit, immixtaq. fulgura cum tonitruis, ac lapidibus ſuper eos deſcendunt ; ipſi quoque ſuper infectam grandine humum in faciem proruunt, & à lapidibus deſcendentibus grauiter verberantur: nullum enim eis tegumen remanſerat, niſi parmæ tantùm ; hoc maxime metuentes, ne ab ignibus cæleſtibus cremaren-

matentur. Sed & equi eorum ita diſperſi ſunt, vt vix in vigeſimo quoque reperirentur ſtadio: multi enim ex eis prorſus non ſunt inuenti. Tunc illi (vt diximus) à lapidibus cæſi, & humo proſtrati, pœnitentiam agebant, & precabantur veniam à Deo, quod iſta contra ſanguinem ſuum agere voluiſſent. Super Clotharium vero neque vna quidem pluuiæ gutta cecidit, aut aliquis ſonitus tonitrui eſt auditus, ſed nec anhelitum vllius venti in loco illo ſenſere. Hi quoque mittentes ad eum nuncios, pacem & concordiam petierunt: qua data, ad propria ſunt regreſſi. Quod nullus ambigat hanc per obtentum Reginæ beati Martini fuiſſe virtutem. Hucuſque Gregorius: quæ quidem, & alij, qui res Francorum ſunt proſecuti, teſtantur.

Beatus Odo fuſis precibus, vt monachos transgreſſores ab eſu carnium coerceret, lacum coniunctis magno miraculo inter ſe collibus, impetrat. Cap. 380.

Io. Monachus in vita S. Odon. Abb. Cluniac. Sur. to. 6.

PEr idem (inquit ille) tempus Albericus Princeps contulit nobis Monaſterium Sancti Eliæ, cuius beatus Gregorius in Dialogo meminit. Cum ſit autem durum (vt idem beatus Gregorius ait) in mente veteri noua meditari, monachos quos illic inuenimus, ab eſu carnium retrahere non potuimus. Conſtituit autem ibidem Pater noſter Præpoſitum vnum è fratribus noſtris, Theodardum nomine. Is vt vidit ſe virtute, & ſanctitate ab eo vitio eos reuocare non poſſe, cæpit in finitimis regionibus piſces emere, vt vel ſic eorum ſatisfaceret voluntati. Iam enim penitus defecerant equi, quos ei pater Odo reliquerat, huc illucq. diſcurrentes. Eam vero illorum improbitatem, ſuumq. laborem Præpoſitus Patri noſtro identidem ſignificauit. Illo igitur Dominum deprecante, vallis cui Monaſterium præeminet, non ita procul, coniunctis inter ſe collibus, ita concluſa eſt, vt exiguo torrenti per eam manantì, aditus precluderetur. Inde igitur paulatim magna aquarum collecta vis Lacum effecit, vt nec deinceps opus fuerit Præpoſitos piſces emere, lacu illo eos ſuppeditante. Cui vero hoc tribuendũ eſſet, quidam imperiti homines minime aduerterunt, eo quod eius preces, quas eadem cauſa beatus Odo ad Dominum fuderat, auribus ſuis non percepiſſent.
Pſal. 11. Non attendentes illud Pſalmographi: Deſiderium pauperum exaudiuit Do-
Pſal. 3. minus, præparationem cordis illorũ audiuit auris tua: itemq. illud: Voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet.] In quo plane impletum illud quod eſt in promiſſionibus Domini, vt qui habuerit
Marc. 11. fidem quantum granum ſinapis, montes è loco moueat.

Validiſſimus exercitus ſola oratione fugatur. Cap. 381.

Luitprand. lib. 4. c. 11. Vuitich. li. 2.

REbellantibus aduerſus Othonem Regem Henrico fratre, Eberardo Duce Francorum, atque Giſeberto Duce Lotharingiæ, comparatoq. validiſſimo exercitu, Othone vero aduerſus eos expeditionem parante; vt oſtenderet Deus, non vinci hoſtes armis tantum, ſed precibus; & præualere iuſtam cauſam omni apparatui validiſſimo; atque fidendum potius diuinæ, quàm humanæ potentiæ, in tranſitu Rheni ſic permiſit Othonis diſcindi copias, vt alij in citeriore remeantibus cum Othone, neceſſe fuerit illis qui tranſ-

tranſmiſerant amnem, ex improuiſo apparente ingenti exercitu hoſtium, cum illis conferre manus, & quamuis pauciſſimo numero eſſent, eos tamen vicerunt atque fugarunt, incruenta parta victoria. Vt autem iſta ſe habuerunt, Vviticbindus Saxo deſcribit, & Luitprandus & alij. Tunc Rex (inquit Luitprandus) denique ſuorum tantam conſtantiam non ſine diuino inſtinctu conſiderans, quoniam fluuio intercedente, corporali præſentia ſuis ſubuenire non poterat, recordatus populi Domini, qui repugnantes ſibi Amalechitas orationibus Moyſi ſerui Dei deuicerat, protinus de equo deſcendit, ſeq. cum omni populo lachrymas fundens ante victoriferos clauos manibus Domini noſtri Ieſu Chriſti affixos, ſuæq. lanceæ impoſitos, in orationem dedit, quantumq. iuſti viri (ſecundum iuſti viri ſententiam Iacobi) tunc valeret oratio, res manifeſta probauit; Eo namq. orante, cum ex ſuis nullus occumberet, hoſtes ſunt in fugam conuerſi, nonnulliq. eorum, cur fugerent, penitus ignorabant. Hæc Luitprandus.

In magno & periculoſo nauali bello, piorum oratione Turcarum exercitus frangitur, & nobilis victoria obtinetur. Cap. 382.

IIſdem tẽporibus in vltimo ferme rerum diſcrimine, Lauretanæ Virginis vis precibus exoratæ, vel maxime enituit. Selimus Turcarum Imperator Cypro per vim potitus, ceteræ Venetorum ditioni, orbiq. Chriſtiano imminebat. Pius ergo V. Pontifex communi periculo communibus viribus occurrendum ratus, Venetis, & Hiſpaniarum Rege in armorum ſocietatem aſſumptis, ingenti mole bellum apparare cæpit. M. Antonius Columna Dux illa tempeſtate inter Romanos genere famaq. clariſſimus, Pontificiæ claſſi præpoſitus eſt, & mature ſoluere in Turcam iuſſus. Ibi eius coniux Fœlix Vrſina pari nobilitate mulier, ſtimulante metu orbitatis ſuæ, liberorumq. ſtatuit in tot maritimi belli caſibus ad Lauretanam confugere Virginem orationis gratia. Properè igitur cum honeſtiſſimo comitatu Lauretum accurrit, haud dubia, per Deiparam facile propitiari poſſe cæleſte numẽ ſibi, viroq. Solemnibus expiata myſterijs in Sacroſancta Cella ſupplex pernoctauit, veniam opemq. ſibi, viroq. ſuo à Deo, Deiq. matre impenſius expoſcens. Inde B. Virgine accenſis ſtudijs, votiuiſq. muneribus culta, in eius gratiam Hebræum adoleſcentulum inibi è ſacro fonte ſuſcipit, & aureo donatum torque in ſuam adſciſcit familiam. Nec irrita ſupplicatio, aut gratia fuit. Haud longo tempore intermiſſo, cumulati voti compos extitit. Coniugem ſuum ex tàm atroci prælio non reducem ſolum, ſed victorem etiam recepit; Eundemq. in Vrbe Roma, veteri Romanorum more renouato, inſigni pompa ouantem læta conſpexit. Ceterùm eodem bello haud certiorem illa in priuata re, quàm pius Pontifex in publica, Lauretanæ Virginis expertus eſt opem. Chriſtianam claſſem vltimæ dimicationi inſtructam, intentamq. eſſe iuſſerat. Nec ignarus erat ſummam rerum in eo prælio verti. Proinde Pontifex, vere Pius, priuatis publiciſq. ſupplicationibus Deum conciliare inſtitit. Præcipue in auguſtiſſima Cella Lauretana orari aſſidue Deiparã iuſſit, vt in vltimo rerum diſcrimine pia Mater adeſſet Chriſtianis. Nec Pij Pontificis piorumq. ſpes & oratio in irritum cecidit. Inita pugna nauali, non tàm humanæ, quàm diuinæ opis res viſa,

Torſel. l. 4. c. 21. hiſt. Lauret.

Obſe.

Obſecundante Chriſtianis,qui ante pugnam aduerſus erat, vento, fumumq. bombardarum, ac tela hoſtium in ipſorum ora retorquente, nobiliſſima eſt de Barbaris parta victoria.

De ſtudio, eximia cura, & pracipuo amore, quem habuit Philippus Nerius erga orationem,& de magnitudine ſcientia eius circa illam;multa etiam,& magna,quæ per orationem operatus eſt. Cap. 383.

SEculo autem noſtro B. Philippus Nerius excelluit in orationis dono à Deo ſibi collato. Hic enim orationis dignitatem conſiderans æſtimauit illam, ſicut cupidi ſolent aureas pecunias, exiſtimans nullum eſſe theſaurum precioſiorem, quàm orationis, & per longæuam vitam ſuam, quam vſque ad octoginta annos protraxit, ſemper voluit habere comitem orationem. Orabat mane, meridie, & veſpere. Veſpere autem diei ſolebat accendere lucernam, & ante eam laminam ponere, vt parum luceſceret, & deinde ſuper humilem ſedem ſedens (eum enim ſæpe eligebat in orando corporis ſitum, qui prolixæ orationi, oneri non eſſet) diſponebat aſcenſiones in corde ſuo, & per tres horas totus erat in oratione. Cum ibat dormitum,ſuſpendebat Chriſti crucifixi imaginem lecto proximam, vt eam videre poſſet, & memor eſſet Dei ſui ſuper ſtratum ſuum, & modico ſomno contentus, pernoctabat. De mane redibat ſurgens ad orationem, deinde pergebat ad Eccleſiam, vt audiret pœnitentium confeſſiones; quod ſtudium habuit perpetuum in tota vita ſua, & tùm adhuc orationem non intermittebat. Nam dum pœnitens peccata admiſſa recenſebat, iſte pro illo Deum, vt parceret, rogabat. Cum autem expleta confeſſione, abſolutionem impertiri vellet,apparebat ardor orationis èius; nam pœnitentis caput amplexans, & trahens illud ſuper pectus ſuum, animum ad Deum dirigens, toto animi motu ferebatur in Deum, vt propitius eſſet peccatori illi, vt ipſemet peccator cordis Philippi intra pectus agitationem reipſa perciperet. Etenim ſenſibilis illa cordis palpitatio ita erat vehemens, vt frontem eius pectori adhærenté, pulſaret;hoc enim plurimi ſe expertos fuiſſe affirmabát. Cum autem interdiu plures ad ipſum viſitandum ad eius cubiculum aſcenderent, & loquerentur cum ipſo,ipſe tamen animũ orandi aſſuetum ab oratione non relaxabat. Conſuetudo enim orandi frequentiſſima operata fuerat in eo,vt facillime,cũ volebat, animum leuaret ad Deum, neque patiebatur quodammodo interpellationem, eo ipſo tempore, quo cum altero colloquia miſcebat. Et ſicut bonus citharedus, citharizandi expertus, nonnunquam cum aut loquitur, aut audit alium loquentem, citharam plectro pulſare non deſinit, hoc enim facit propter excellentiam citharizandi, quod alius, qui non ita perfecte artem illam callet, facere non poteſt; ita & ipſe, qui orationis ſcientiam perfecto quodam modo poſſidebat,quamquam cum altero loqueretur, & conuerſaretur, & negocia tractaret, habebat tamen Deum in conſpectu ſuo, & orabat eum ſecretis & inuiſibilibus orationibus: hoc autem innoteſcebat, quia ſæpe extra, aliquibus corporis indicijs per extraordinarios motus fiebat manifeſtum, cum aliquid intrinſecus meditaretur.

In

In miſſa, in qua diuina tractantur, cum dulcedinem beatæ præſentiæ Domini ſui mirabiliter guſtaret, miros paſſus fuiſſet exceſſus, ſi ſe ipſum non cohibuiſſet. In omni loco, ſicut in omni negocio orationem inueniebat, orabat in cubiculo, orabat in Eccleſia, orabat cum ambularet, & ſi ad ſuburbana diuertiſſet, dimiſſis ſocijs, donec illi in aſpectu horti occuparentur, ipſe in aliquo ſecreto loco ſecedens, orabat. Omnis vinea, omnis hortus, omnis domus, omne pratum, ad quæ aliquando, vt pœnitentes filios recrearet, accedere conſueuerat, erat oratorium ſuum.

Si quid aduerſi vel ipſe pateretur, vel alium patientẽ audiuiſſet, ſiue in tribulatione, ſiue in ægritudine, ſiue in perſecutione moleſta, ſiue in tentatione, quæ ad peccandum induceret, ſiue in priuatis, ſiue in publicis neceſſitatibus, ſemper oratio erat ei domus refugij, ſicut petra refugium Herinaceis.

Præterea autem orationis amore ſuccenſus, vt rerum ſummam in ſpiritualibus rebus ab ipſa dependere demonſtraret, voluit Congregationẽ puſilli gregis ſui, vocari Congregationem Oratorij, vt ſcirent quicumque non orarent, ſe ad Congregationem Oratorij non pertinere.

Non ſolum autem ipſe totus orationi deditus erat, ſed etiam alios ad orationem perpetuo hortabatur, & docebat eos, quaſi magiſter orationis, quo modo orarent; & ſicut matres & nutrices infantes ſuos fari, & verba rite inter balbutientia labia pronunciare docent, ita ipſe orandi ignaros docebat orandi modum, & exponebat illis, quomodo ſe coram Deo in oratione habere deberent. Erat autem in hoc ſtudio, ſi quiſquam, peritiſſimus, omnia enim ſciebat ad hoc munus pertinentia, nam orando, orare didicerat. Tantum autem labore, & patientia ſua profecerat in doctrina orationis, vt multos ſeculares viros, artifices, fabros, mercatores, aulicos, medicos, legis ciuilis Doctores, atque huius farinæ homines haberet, qui ita benè nouerant orare, ſicut monachi, & religioſi in monaſterijs ſuis. Et illis diebus, quibus in Vrbe, magna erat in rebus ad ſpiritũ pertinentibus deſidia, ipſe tam diligenter incumbebat, vt animos rudes, & temporalium cura diſtentos doceret orare, vt ſecularium hominum multas domos feciſſet domos orationis. Quo quidem tempore, oratio, quæ ex vrbibus egreſſa, vix in ſeptis monaſteriorum locum obtinebat, viſa eſt illis diebus quaſi poſtliminio, ad ſeculum eſſe reuerſa. Et tàm potenter orandi rationem illos docuerat, & ſpiritum orandi vulgatum fecerat, vt illi non vulgarem, ſed inſolitam cordis bonitatẽ per orationem adepti, in domibus ſuis, ita deuote ambularent, ſicut religioſiores viri in medijs clauſtris ſuis. Et vt omnes, ſi fieri poſſet ad orandum induceret, Oratorium ædificandum curauerat, vt ſi forſan in proprio domicilio quiſquam non haberet orandi opportunitatem, ad Oratorium pergens, ibi orare poſſet. Et cũ multa in eo loco exercitia ad ſpirituale profectũ pertinentia inſtituiſſet, illud imprimis curauit, vt ibi perpetua eſſet oratio, vt ſcilicet qualibet die circa diei veſperã publice oraretur per horæ ſpatiũ; in quo quotquot accederent, orantes tractare poſſent cum Deo arduum, & ſublime ſalutis opus, quod ab ipſo introductum, multo cum fructu vſque in præſentem diem fœliciter perſeuerat. Vt mirum ſit ſingulis quibuſque diebus ſeculi homines officinas, tabernas, bibliothecas, domicilia, & propria tecta relinquere, & venire ſine intermiſſione ad orandum, & proſternendum ſe coram Deo, & effundenda coram Altiſſimo corda ſua, vt ipſe

diri-

dirigat illos rectas facere ſemitas eius, vt non oberrent per mundi abrupta, vt non infigantur in limo profundi, & mundi procellis obruantur.

Nouimus nos aliquos ex huiuſmodi viris tàm ardéter per plurimos annos exercuiſſe ſe in oratione, & tanto ſpiritu eam ad plurimos annos ſine intermiſſione perpetuaſſe, vt miraremur in ſeculo tantæ perfectionis viros reperiri, vt vel ipſos ſpirituales ſacerdotes ſuperare viderentur, æmuli religioſorum effecti.

Hoc autem beatus ſenior imprimis curabat, hoc ſatagebat, hoc inprimis voluebat in animo, vt homines doceret orare, ne forſan ſine oratione perirent, & ſine lumine orationis viam vitæ non inuenirent: priuatim, & & publice docens, & dicens, quod homo ſine oratione, erat animal ſine ratione.

Vt merito quis beatum hunc virum propter eximium eius erga orationem amorem, & orandi conſuetudinem, orationis Patrem, & Magiſtrum, & Miniſtrum appellare poſſit.

Totoq. tempore, quod ſibi ad viuendum à Domino conceſſum fuerat, illud ſemper obſeruauit, vt nunquam ad aliquod negotium tractandum declinaret, niſi prius illud idem negocium cum Deo in oratione pertractaſſet.

Fuit autem ei in ſenectute oratio, ſicut mel, in medio annorum ſicut vinum, in adoloſcientia ſicut lac; in florenti enim illa ætate fruebatur oratione ſicut lacte.

Erat enim nutrimentum cordis eius, quo ita delectabatur, vt tunc omnes libros, quotquot haberet, venderet, ne librorum lectione detentus minus orationi vacare poſſet. Dicebat enim, quod ſiue oratio, pro deuotione & ſpiritu acquirendo, ſiue lectio librorum pro ſcientijs comparandis, totum hominem requirit.

Diebus autem illis, vt magis excitaretur ad orandum, conſueuerat ſolus peregrinari, quaſi perpetuo ad ſeptem Vrbis Eccleſias, in quibus animum oratione ſaginabat, & per campos ardorem ſpiritus, quem continere non poterat, exhalabat, & aliquando in aliqua porticu dictarum Eccleſiarum extra vrbem poſita pernoctabat orans.

Viſitabat etiam ſacra cœmeteria, & præſertim in cœmiterio S. Caliſti integras ducebat noctes, & in ſilentio, & horrore illarum Criptarum, vbi ſacra Martyrum corpora ſepulta iacent, mens illius ſurgens, & diſperſas vires colligens, prout ſpiritus dabat illi, magna animi ſui dulcedine feruidas orationes fuſas coram Deo, & Martyribus eius fundebat.

Et nonnunquam ætate illa, cum vires ſuppetunt firmiores, in hebdomada, quam Sanctam appellant, ſpatium quadraginta horarum pertranſibat, ita ieiunans, vt nullam prorſus eſcam ſumeret, & ita orans, vt nihil aliud ageret, quàm oraret, vt mirum ſit potuiſſe illum per illud tempus perſeuerare, ſine intermiſſione orando, & nunquam ſe cibando.

Noctuq. ſæpe ſurgebat, & comitatus aliquibus ex ſuis, quos educabat, proficiſcebatur ad venerabilem Eccleſiam B. Mariæ ſupra Mineruam poſitæ (diligebat auté mirifice patres illos) ibiq. audiebat matutinas horas, & orabat ſæpe, & plorabat plurimum.

Frequentiſſimus autem eius vſus erigendi ſe per orationem ad Deum, qui

eſt

eſt in cælis, operabatur, vt anima eius magis eſſet vbi oraret, quàm vbi habitaret: præſentando enim ſe qualibet hora ante Deum in cæleſtibus, fiebat diuturnus incola cælorum. Quo circa, cum propter vitæ, officiorumq. neceſſitates opus ſibi erat ad terrena deſcendere, patiebatur anguſtias anima eius, ſtatimq. ex breui hoc terræ domicilio præripere ſe cupiebat, vt ad cæli latitudines reuerti poſſet, optabatq. vt dirumperentur vincula eius, vt ibi ſemper eſſet re, vbi quotidie erat in ſpe: carnis enim ſarcina aggrauatus terrena inhabitatione depreſſus, gemebat ſicut Gigas ſub aquis mundi huius, & ſitiebat cæleſtia, ſicut ceruus aquarum fontes, & anhelabat, vt non amplius biberet de torrente in via, ſed de fluminibus corda lætificantibus in patria.

Philippus Dæmonem orationi inſidiantem, oratione confundit. Cap. 384.

DAemon autem orationis inimicus animaduertens virum hunc orationis ſtudioſiſſimum, vt animum eius ab oratione abriperet, mentem ipſius ſpectris moleſtiſſimis perturbare cæpit. &, de nocte, quo tempore orationi attentius vacabat, ei ſe videndum offerebat: totis enim viribus contendebat ille, vt eius impetus, quibus ferebatur in Deum, ſi non reprimeret, certè retardaret.

Nocte quadam ſupplices ad Deum preces more ſuo offerente, adeſt Dæmon, vt terrorem incutiat. Id vbi B. Vir aduertit, fuſa illicò ad ſanctiſſimā Dei matrem oratione, & eum timorem paruo negotio diſcuſſit, & inimici artes pia audacia diſſoluit: atque ad orandum vehementius inſurrexit; dæmon enim, vbi faciem oſtentes, timidus eſt: vbi terga verteris, audax euadit.

Philippus precibus ſuis Franciſcum Mariam Tauruſium acquirit, lucratur, & tradit Deo, & docet eum orandi artem. Cap. 385.

FRanciſcus Maria Tauruſius, vir genere nobilis, Philippo ad confeſſiones vti cæperat: idq. vbi primùm aggreſſus eſt, flammam illicò diuini amoris ſuo inſidere pectori ſenſit, quæ vſque eò hominem ſtimulauit, quoad aſſiduis Philippi lachrymis, precibusq. eius animus mollitus, totum ſe illi, vt generoſus erat, ac nobilis, anno huius ſeculi quinquageſimo ſexto regendum, gubernandumq. tradidit.

Neque illud hic ſilentio prætereundum, quòd volens Philippus in hoc, de quo loquimur, viro, formare Chriſtum, illum in ſuum ducere cubiculum conſueuerat, vbi eo præſente precibus dans ſeſe, eam ſpiritus dulcedinem in eius animum inſtillare cæpit, vt in terra cum is eſſet, quendam tamen cæli, rerumq. cæleſtium guſtum ſibi percipere, totusq. dulcedine liquefieri videretur.

B. Philippus pro morientis incolumitate orans, rapitur in altum, & ſalutem ægroto impetrat. Cap. 386.

MOdius ſacerdos in graui morbo conſtitutus, cum ſenſibus prope omnibus deſtitutus, haud procul abeſſet interitu, adfuit Philippus, qui vt hominem, ex cuius priuatis colloquijs multus colligebatur animorum fructus, à mortis faucibus eriperet, ſolus ſe in quodam cubiculo abdidit: ibi pro ægri ſalute eo animi ardore diuinam cępit implorare clementiam, vt ſuſpenſus in aëre videretur, ſplendoremq. emittere, quaſi diuina pateretur: cum ſic autem vnam, & dimidiam circiter horam precibus inſtitiſſet, ingreſſa mulier, cui Margaritæ nomen, quæ Modio cibaria præparabat, in cubiculum orantis, eum diuina vi ſublatum, & circũ ſplendentem conſpexit; quo viſu illa primùm territa, miraculum, exclamat, miraculum. Exciti hoc clamore, qui morienti aſſidebant, confeſtim accurrunt. Summis in tenebris ſplendere omnia, Patremq. in altum elatum cernunt. Interim ille in ſe reuerſus gratulabundus ad Modium tendit, aſtantibus tantæ rei miraculo ſtupentibus, manibusq. eius capiti admotis, hominem nominatim inclamat; Bono animo eſto, haudquaquam ex iſto morbo morieris. Quibus dictis redire ægro mox cæpit vox cum ſenſu; B. Patri reſpondit, quocum longum ſermonem habuit, ac paucis poſt diebus è morbo planè conualuit. Hanc porrò rem adeò miram, vt erat geſta, ſacramento mihi, alijsq. narrauit poſt Philippi obitum, Bernardinus Corona Ciuis Romanus, affecta ætate vir, pietatiq. deditus, atque vnus ex antiquioribus eius alumnis; eo enim viuente id ipſe vni tantum, vel alteri ſecretò aperuerat; omnibus enim palam indicare nunquam auſus fuerat, ne Philippi modeſtiam offenderet, quam quidem offendiſſet grauiſſimè.

Nec vna hac in re Philippi is expertus eſt opem: non multo poſt cum veſicæ calculo laborans, vrinæ reddendæ difficultate vexaretur, grauitas morbi fecit, vt deſperatis iam medentium auxilijs, ſalute periclitaretur. Ergo inuiſit eum Philippus, eoq. vt par erat, ad patientiam cohortato, in Templum ad preces pro illo fundendas perrexit: ibiq. in feruore ſpiritus orans continuo ſalutis filij deſiderio, lachrymæ in eius facie eſſe cæperunt, quæ ſimul atque ex oculis fluere viſæ ſunt, eo ipſo momento vrinæ ſimul, & calculo iter patuit: qua ex re ita ſe æger alleuatum ſenſit, vt ex incommoda illa valetudine penitus emerſerit.

Philippus orans, quibuſdam dulcem orationis ſpiritum impetrat. Cap. 387.

ADdam hic præterea, quod Philippus tantopere cupidus erat ſuos in Chriſto filios ad ſtudium orationis inflammandi, vt eorum pectora ſuis precationibus mirum in modum accenderet. Rem exemplo notificabimus.

Cum per id tempus Simon, vnus de illis, orationi in eius cubiculo inſiſteret, tanta repentè, Philippo pro eo ſupplicante, lætitiæ cæleſtis vi perfundi ſe ſenſit, vt integram horam, quam in oratione conſumpſerat, momenti inſtar iudicaret, perpetuoq. orare ea dulcedine perfuſus elegiſſet.

Non

Non omittimus recenſere, quòd Martius Alterius, nobilis Romanus (qui Paulo III. Pont. relicto ſeculo, Chriſto, magno, fortiq. animo ſe adiunxerat) dicere ſolitus erat, ea lætitia, cum in Philippi cubiculo eſſet, perfundi, vt id cubiculum iam non ſibi cubiculum, ſed Paradiſus quædam terreſtris eſſe videretur.

Philippus inſuper illud præter cetera erat aſſecutus, vt quos pectori admoueret, in Dei amorem inflammaret mirificè, eorumq. animos ad virtutis deſiderium impelleret.

Dæmonem canis nigerrimi ſpeciem præferentem à moribundo ſacerdote Philippus oratione fugat. Cap. 388.

EO tempore, Perſianus Roſa ſacerdos, qui Philippo à Confeſſionibus erat, ægrotabat grauiſſimè; cumq. ad vltimum periculi veniſſet, à Diabolo nigerrimi canis ſpecie vexari cœpit acerrimè.

His in anguſtijs diuinum magna animi demiſſione implorabat auxilium, illud Pſalmi frequenter inclamans: Iudica me Deus, & diſcerne cauſam meam: cumq. hunc in modum cum communi hoſte decertaret, venit improuiſo Philippus, quem vbi ille vidit, clamare continuo cœpit, Adiuua me ſancte Philippe: eſt hic canis colore nigerrimus, qui me lacerare nititur; ſuccurre quæſo, ſuccurre, quod potes, ne deuorer. Quibus verbis motus B. Pater humi illico, aſtantibus primum, vt pro ægro, vel ſemel orationem Dominicam recitent iuſſis, ſeſe proſtrauit; quod cum faceret, ecce tibi, ille de repentè magna voce dicere cœpit: Canis recedit, fugit canis; en in limine oſtij ſtat. Tum ſurgens ab oratione Philippus piacularis aquæ aſperſione Dæmonem ab eo etiam loco fugauit, magno cum ſolatio morientis, qui lætus effectus nullum faciebat agendi gratias Deo, beatoq. Patri modum: ea verò moleſtia, horribiliq. viſu non modo in præſens, ſed etiam in poſterum liberatus, magna cum animi tranquillitate è vita migrauit Kal. Aprilis. Pſal. 42.

Diabolus in Philippum infeſtus, ne oret. Cap. 389.

ANno poſt Chriſtum natum milleſimo quingenteſimo nonageſimo tertio, cum quodam die precibus de more inſiſteret, Dæmon, cuius ſtudium ſæpe fuit interpellare orantem, veſtem eius, quem ferre non poterat, ſordibus aſperſit: quod ſacramento teſtati ſunt, qui adfuere.

Sed plurima, quæ hic ad orationem eius pertinentia dici poſſent, pluribus inferius locis ſuis recenſebuntur.

Et quoniam oratio, quo eſt communior, eo eſt fortior, Deus enim aliquando, quod vni non concederet, multiplicatis interceſſoribus concedere ſolet. Ideo S. Carolus Borromæus, vt vſus iſte communiter orandi introduceretur, Indulgentias orantibus impetrauit.

S. Carolus Borromæus ad Chriſtianæ pietatis progreſſionem, exercitationem communis orationis inſtituit. Hoc vero modo precantibus ſummus Pontifex Indulgentias elargitur. Cap. 390.

Conc. Prou. Mediol. 3. VNa omnium optima indigentiæ noſtræ interpres, & conciliatrix eorũ, quæ neceſſaria, tùm ad animæ, tùm ad corporis bona à Deo patre expetuntur, eſt oratio ſancta; cuius ſtudium, vt proprium fidelium eſt, ſic neceſſarium, atque omnino iuſſu diuino debitum, id cæleſtis magiſter, Chriſtus Dominus exemplo docuit, verbo præcepit, crebris cohortationibus monuit. Eo igitur ſtudio fideles, quo vehementius exardeſcerent, ſe ſeq. quotidie ſinguli certa hora colligentes, id quod Chriſtianarum mentium eſt, vitæ à ſe illo die actæ rationes inſpicerent, malæq. actæ pœnitentes, ardenti oratione veniam precarentur, & Deo gratias agerent de beneficijs, quæ acceperint; inſtituta eſt in Mediolani prouincia orationis communis exercitatio, quæ ad Chriſtianæ pietatis progreſſionem introducta, vt etiã perpetuo conſeruetur, vt augeatur item, id cùm omni ſtudio Epiſcopus curet, tùm propoſitis ſpiritualis gratiæ muneribus Sedis Apoſtolicæ benignitate, eius rei cauſa conceſſis. Itaq. à Parochis ſuis ſingulis ſanctiſſimi D. N. Gregorij XIII. litteras de Indulgentia huius Prouinciæ hominibus conceſſa, qui in orationis communis inſtituto ſeſe exercuerint, ter in ſingulos annos de ſcripto, vel ſummatim pronunciari iubeat, ſemel ineunte Aduentu, iterum Dominico die quadrageſimæ primo, tùm ſolemni die Pentecoſtes.

Epiſcopus præterea pro temporum ratione certam horam ſtatuat, qua datis huius rei cauſa campanarum ſignis, patresfamilias ſuæ quiſque domi, vnà cum reliqua familia certo loco ad orandum conueniant.

Vt autem, qui in eo precandi inſtituto ſe exercuerint, Indulgentiæ conceſſæ donum conſequantur, diem itidem Dominicum Quadrageſimæ proximè præcedentem is conſtituat, quo illi confeſſi, omnes ſimul ſacram Euchariſtiam ſumant.

Imminentibus verò calamitatibus, quo tempore cum nullum certius præſidium ſit, quàm illud, vt fideles ad Deum Patrem miſericordiarum aſſiduis precibus confugiant, certã aliquam præterea rationem is diligenter ineat, vt & à Clero, & à populo ſine intermiſſione, ac religioſius in orationem incumbatur.

Litteræ SS. D. N. Gregorij Papæ XIII. de Indulgentijs Orationis à Carolo Borromæo Cardinale inſtitutæ.

Act. Mediol. p. 7. CAeleſtia arma, quibus inter cetera, dum in hoc ſeculo nequam peregrinantur Chriſtifideles, aduerſus ſuæ ſalutis hoſtes in colluctatione aſſiduè vtendum eis eſt, preces ſunt, & oratio ſancta: Cuius quidem orationis ſtudium, cum & perpetuum, & proprium, & neceſſarium eiſdem eſſe, non ſolum verbis, ſed exempli ſui conteſtatione docuerit vnigenitus Dei filius, Chriſtus, Virtus, & Sapientia Patris; nos, quæ ad ſanctam illam precandi, orandiq. exercitationem piè ac religioſè inſpirante Deo inſtituta ſunt, in ijs

illos

illos ſolicitè verſari, ſpiritaliq. virtute longius in dies ſemper progredi, ſummopere in Domino cupimus.

Quare cum inter alia, quæ ad exercendam populi ſui pietatem, ſollicitudinis ſtudio dilectus filius noſter Carolus Borromæus, tituli S. Praxedis S.R.E. Presbyter Cardinalis, Eccleſiæ Mediolanenſis Archiepiſcopus, vtiliter inſtituit, illud ab eodem nuper introductum eſſe acceperimus, vt ſingulis diebus dato certo campanarum ſigno, patresfamilias, tùm in vrbe Mediolani, tùm in Diœceſi vnà cum reliquis qui de familia ſunt, ſuæ quiſque domi ad orandum in locum vnum conueniant, ſalutare hoc inſtitutum (nos illius commendantes charitatem in vobis) vt in conſuetudinem vſumq. perpetuũ recipiatis, per crucem Domini noſtri vos noſtra Apoſtolica auctoritate hortamur.

Quò autem ardentiori pietatis zelo ac frequẽtiſſime in ea re tàm religioſè inſtituta perſeueretis, ſpiritualibus vos gratijs proſequi, & ſanctæ matris Eccleſiæ amplioribus etiam donis ac theſauris cumulare voluimus.

Itaque de omnipotentis Dei, cuius Vicarium in terris gerimus, miſericordia, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi, omnibus & ſingulis vtriuſque ſexus Chriſtifidelibus, humili, & contrito corde ad Deum conuerſis, qui datis campanæ ſignis, certo eo temporis ſpatio ab eodem Cardinali & Archiepiſcopo præſcripto, aut pro tempore præſcribendo, orationi vacauerint; quoties id fecerint, dies centum; qui verò ſingulis diebus per totam hebdomadam ad præſcriptum illud temporis ſpatium in ea orandi exercitatione perſeuerauerint, ijs annum prætereà, qui per menſem, illis annos ſeptem, & totidem quadragenas, de iniunctis, vel alias quomodolibet debitis pœnitentijs; qui autem ſalutaris huius inſtituti vſum retinuerint, ſi contriti & confeſſi, die Dominico Quadrageſimam proximè præcedente, ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum deuotè ſumpſerint, ijs plenariam omnium, & ſingulorum peccatorum ſuorum Indulgentiam, ac plenariam item in articulo mortis, miſericorditer in Domino concedimus & elargimur.

Vtq. ad alias etiam eiuſdem Mediolanenſis prouinciæ Vrbes, Oppida, Vicos, & loca quæuis orandi hæc inſtituta exercitatio ſanctè deriuetur, & quæ vſquam inſtituta eſt, piè retineatur, & conſeruetur; nos, pro ea quam gerimus omnium Eccleſiarum ſolicitudine, hanc ipſam Indulgentiam omnibus & ſingulis Chriſtifidelibus, qui vſquam in eadem prouincia hoc precandi inſtitutum, à ſuo Epiſcopo iam introductum, vel in poſterum introducendum amplexi ſunt, aut amplectentur, eodem vt ſupra modo in Domino concedimus his litteris, quas ſub quibuſuis ſimilium, vel diſſimilium Indulgentiarum reuocationibus, ſuſpenſionibus, vel derogationibus, per nos, ſeu ſedem Apoſtolicam, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſuis clauſulis, & decretis pro tempore editis & edendis, nullatenus comprehenſas, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illa edentur, in priſtino ſtatu eſſe, & cenſeri, atque ijſdem Chriſtifidelibus perpetuò ſuffragari debere decernimus. Dat. Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo piſcatoris die 24. Octob. 1572. Pontificatus noſtri anno Primo.

De ſummis Angelis, Enarrationes ex Patribus. *Cap. 391.*

SEd non recedentes à narratione earum rerum, quæ in hac Petri captiuitate memorabiliter contigerunt, conſideremus etiam admirabilem prouidentiam Dei, quam cœpit oſtendere, quando primis illis temporibus Chriſtiana Eccleſia, glorioſum Dei opus, ædificari cœpta eſt. Ex qua quidem perſpicuum fit, quanta ſit Regis ſummi bonitas erga Chriſtianum populum, eruens eum ex imminentibus preſſuris, & cuſtodiens illum ſicut pupillam oculi, & mittens Angelos ſuos, & mandans eis, vt protegant eum in omnibus vijs ſuis, & portent eum in manibus, ne forte offendat ad lapides pedes ſuos: vt in magnis periculis conſtitutus habeat, vnde ſperare poſſit.

Pſal.90.

Qua quidem in re reſplendet etiam hominis dignitas, qui cum videatur putredo & vermis, adhuc tamen conditor eius magnificauit illum, ordinans, vt vnaquæque rationalis creatura ab ortu ſuo habeat Angelum, qui cuſtodiat eam, & ſtet in circuitu ipſius, & eripiat eam, cum adeſt, qui rapiat.

Homo enim paulominus ab Angelis diminutus eſt, & tamen iubente Deo habet Angelum, qui ducat illum per difficillimos calles, & inſeruiat illi in aduerſis mundi rebus, & doceat, & ducat per vias rectas, & in caligine tenebrarum harum ſit homini rerum ignaro miniſter luminis, & director itineris.

Sed, quoniam intereſt hominis agnoſcere Angelicam dignitatem, & perſpectã habere nobilitatem illius ſupernæ naturæ, quæ noſtri curam gerit, & illud agit, vt nos perducat ad conſortium cæleſtis Regni, in quo ipſi dominantur, & exercent principatus ſuos, ideo illud ſtudere deberemus, vt apud nos eſſet ſatis nota Angelica ſocietas; habemus enim ſocios noſtros, Reges, & Principes, & Dominatores. Ita enim fieret, vt excellentiam naturæ illius veneraremur, & diligeremus, qui nobis præſto ſunt in auxilijs opportunis, & ita diligunt nos, vt non dedignẽtur nobis iugiter eſſe præſentes, & nos illuminantes. Hæc enim ſi cognita haberemus, vtique redderemus pro præſentia reuerentiam, pro beneuolentia deuotionem, pro cuſtodia fiduciam: Magnaq. prorſus eſt iniuria, & reprehenſibilis valde aliquorum hominum, qui nec quidem hoc ſciunt, quod habeãt Angelum tutorem, & cuſtodem; vel ſi ſciunt, paruipendunt tantum Ducem, & tanti beneficij ſunt prorſus immemores, & raro de Angelo ſuo cogitant, aut ad illum confugiunt, cum periclitantur, aut ponunt in manu illius orationes, quas faciũt, vt præſentent illas Angelorum hominumq. Regi. Illi enim ambitioſo quodam famulatu, deſideria, & poſtulationes noſtras ad æternum, & inuiſibilem Deum perpetuo, & fideli myſterio peruehunt. Sed antequam tutelas eorum circa genus humanum ab ipſis dilectum commemoremus, videamus aliqua, quæ Patres de Angelis magnifice ſcripſerunt.

Angelicarum Hierarchiarum altiſſima conſideratio, & per myſtica ſigna inſpectio: Et quomodo Angeli ad nos diuina, & inuiſibilia Dei deferunt circumuelata. Enarratio ex D. Dionyſio Areopagita. Cap. 392.

OMne datum optimum, & omne donum perfectum de ſurſum eſt, deſcendens à patre luminum. Quin etiam luminis, quod patris inſtinctu ac nutu effunditur progreſſus omnis, ad nos conceſſu ac munere Dei perueniens, rurſum nos, vt vis coniungens excitando dilatat, atque ad colligentis ſpiritus, vt ita dicam, vnitatem diuinamq. ſimplicitatem conuertit. Nam & ab eo proficiſcuntur, & ad eundem conuertuntur omnia, quemadmodum ſacroſancta ſcripta tradiderunt. Itaq. appellato Ieſu, qui lux eſt patris, quæ eſt, vera eſt, quæ omnem hominem in hunc mundum venientem illuminat, cuius benignitate nobis ad patrem, lucis auctorem, aditus patuit, ad illuſtrationes ſacrarum ſcripturarum, quas Patres tradiderunt, quoad eius fieri poterit, veniamus; cæleſtiumq. mentium atque naturarum hierarchias, quas nobis ſignis, ac intelligentijs quibuſdam ſubobſcuris expreſſerunt, pro ingenij noſtri viribus, conſideremus; lumenq. illud primigeniũ, principioq. ſuperius, quod munere patris, qui eſt diuinitatis fons ac principium, datum eſt, & beatiſſimas Angelorum hierarchias nobis ſignis quibuſdam figuratis exprimit, materiæ expertibus ac tremore vacuis, mentis oculis ſecuti, rurſus nos ex eo ad ſimplicem ipſius radiũ ſplendoremq. referamus. Neque enim vnquam ipſum ſua illa intima coniunctio deſerit, ſed cum ad excitandas in cælum hominum mentes, coniunctionemq. eorum quæ prouidentia reguntur, largè benignèq. augeatur & progrediatur, manet tamen ipſum ſecum firmum ac ſtabile, in eodemq. ſtatu immobili fixum permanet, easq. qui ad ſe, quantum cuique licet, aſpirant, & pro cuiuſque modo ac captu excitat, & pro ſimplici ſua vnitate copulat. Neque enim aliter diuinus radius, niſi & ſacroſanctorum integumentorum varietate aptè ad erigendas in cælum mentes obtectus, & paterna in nos cura ac prouidentia aptè accommodatèq. diſtinctus atque comparatus, nos illuſtrare vllo modo poteſt. *Ex Dionyſ. Areop. de caleſt. Hierarch. c. 1.*

Itaq. ſanctiſſimam noſtram hierarchiam prima illa ſacrorum myſteriorũ inſtitutio cum diuina cæleſtium hierarchiarum imitatione dignam iudicaſſet, & hierarchias, quas omni materia carere dixi, figuris corporeis, varijsq. formis diſtinxiſſet, tradidit, vt pro captu noſtro ſimulachris ſacroſanctis illis ad ſimplicium illarum, & minimè figuris adumbratarum rerum vitam, ſimilitudinemq. efferamur; non enim mens noſtra ad illam cæleſtium hierarchiarum materiæ expertem imitationem, contemplationemquè contendere poteſt, niſi rerum corporearum ſibi notarum præſidio vtatur, tùm pulchritudinem, quæ videatur, ſpeciei ac pulchritudinis occultæ atque reconditæ ſimulachrum quoddam eſſe cogitans, tùm ſuaues odores, qui ſub ſenſum cadant, effigies eſſe eius ſuauitatis, quæ ſola ratione intelligatur; tùm lumina hæc corporea, luminis incorporei, quod datur ſimulachrum; tùm ſatietatis eius, quæ ſola mentis contemplatione habetur, ſacras diſciplinas, quæ latè patent; tùm habitus rebus diuinis accommodati, atque ad eas intenti eas graduum & ordinum, qui hic ſint, deſcriptiones; tùm Ieſu commu-

 nionis,

nionis, diuinæ Euchariſtiæ perceptionem, aliaq. omnia, quæ naturis illis diuinis diuinitus, nobis verò ſignis quibuſdā tradita ſunt. Huius ergo diuinitatis pro captu noſtro adipiſcendæ cauſa, Deus pro ſua in genus hominum benignitate & charitate, cæleſtes etiam hierarchias, nobis patefaciens, noſtramq. hierarchiam ita abſoluens, vt miniſterio communi quàm poſſimus proxime ad diuini eorum muneris officijq. ſimilitudinem accedamus, ſimulachris ſub ſenſum cadentibus mentes illas cæleſtes in ſacroſanctis ſcripturæ libris deſcripſit, vt nos.& rebus ſenſum mouentibus ad eas, quæ animo, ac ratione cernuntur, & ſignis, quæ effecta ſint, ad ſummam cæleſtium hierarchiarum ſimplicitatem perducat.

Quomodo Angeli diuinitatis ſimilitudinem participant, & pulchri fiunt, & ordinate illuſtrationes ſuas hominibus participant. Ennarratio ſecunda ex Dionyſio Areopagita. Cap. 393.

Idem li. 1. c. 3. EST quidem Hierarchia, mea quidem ſententia, ſacer ordo, ſcientia & actio, quæ & ad diuinitatis ſimilitudinem, quoad eius fieri poteſt, accedit, & proportione illuſtrationum, quæ ei diuinitus datæ ſunt, ad Dei imitationem traducitur.

D. Dionyſ. Areop. li. 1. eccleſ. Hier. c. 4. Quoniam rectè à nobis Hierarchia quid ſit, diffinitum eſt, ſequitur vt Angelicam Hierarchiam laudibus ornemus, ſacraſq. eius effigies, quæ in ſacris litteris traduntur, cæleſtibus oculis inſpiciamus, vt & myſticis ſimulachris, ad earum ſimplicitatem, quæ diuinam proximè imitatur, transferamur, & omnis Hierarchiæ ſcientiæ auctorem, ac principem religione Deo digna colamus, eiq. gratias agamus. Illud autem primum omnium verè dici poteſt, Deum bonitate ductum omnes naturas in lucem protuliſſe; eſt enim hoc omnium auctoris, & bonitatis, quæ ad omnia pertinet, proprium, naturas ad ſui communionem vocare, vt cuiuſq. captus moduſq. poſtulat. Ac omnes quidem naturæ, prouidentia ſummæ omniumq. effectricis diuinitatis gubernantur. Neque enim eſſent, niſi eorum, quæ in rerum natura ſunt, eſſentiæ, principijq. eſſent participes, ea quidem omnia, quæ vitæ beneficio carent, hoc ipſo quod ſunt in natura rerum, ea participant. Omnium enim ſtatus eſt, quæ ſtatum omnem longè multumq. ſuperat, diuinitas; ea vero quæ viuunt, ipſa vi effectrice vitæ, quæ vitam omnem ſuperat, participant; eæ autem naturæ, quæ rationis, & mentis ſunt participes, eiuſdem per ſe perfectæ, ac principalis ſapientiæ, quæ omni, & rationi, & menti plurimum præſtat, ſunt compotes. Perſpicuum eſt autem, eas naturas circum diuinitatem eſſe, eiq. præſto eſſe, quæ multis modis eius communione teneantur. Itaque ſancti cæleſtiū illarum naturarum ordine maioribus, ac pluribus diuinitatis muneribus, ac beneficijs, quam eæ naturæ, quæ tantum ſunt in rerum natura, quæ rationis expertes ſunt, & quæ apud nos ratione vtuntur, aucti ornatiq. ſunt. Nam quoniā, & mente ſe ad Dei imitationem exprimunt, atque effingunt, & admirabiliter diuinitatis ſimilitudinem intuentur, & mentis ſuæ ſpeciem ad eam formare cupiunt, merito maiore cum ea ſocietate iunguntur; dum vicinæ quidem ſunt, & ſemper quantum fas eſt, ad maiora, & meliora in diuini ſtabiliſq. amoris con-

ten-

tentione nituntur, & illuſtrationes, quæ à principio proficiſcuntur, ſine materia, vllaq. concretione recipiunt, ad eas ſe accomodant, & vitam omnem mentis propriam habent. Hæ enim ſunt, quæ cum primo ac variè diuinitatis ſint participes, primo etiam loco, ac multis modis, diuinitatis veritatem, tenebris quibuſdam rectam aperiunt, & enunciant. Itaque ſemper, ac vbiq. Angelorum præcipue nomine appellantur, propterea quod primum in eis inſit diuina illuſtratio, ac per eas ad nos perueniant eæ, quæ naturam noſtram ſuperant, patefactiones.

Sic enim lex, vt diuina ſcripta teſtãtur, per Angelos nobis data eſt. Atque etiam claros illos, qui legem anteceſſerunt, eamq. ſecuti ſunt, patres noſtros, Angeli ad diuinitatis notitiam perduxerunt; cum vel ad id, quod agendum erat, inducerent, vel ab errore eos, vitaq. ſceleſta, ad rectam veritatis viam traducerent, vel ſacros eis ordines, vel miniſteriorum diuinorum occultas viſiones, aut diuinas quaſdam prædictiones interpretando enunciarent, & aperirent. Quòd ſi quis illinc etiam per ſe ſine vllo medio, nonnullis ſanctis Deum viſum eſſe contendatis, diſcat hoc etiam apertè ex ſacris litteris, id quod in Deo occultum ſit, vidiſſe, aut viſurum eſſe neminem; Deum vero ſanctis viſum, ac oſtenſum eſſe illum quidem, ſed enunciationibus, quæ Deo dignæ ſint, per quaſdam ſacras, & eorum, quibus oſtenduntur, captu accomodatas viſiones. Theologia autem ſapientiſſima, viſionem illam, quæ in ſe deſcriptam diuinitatem, quaſi ſpecie, & habitu eorum, quæ nulla forma depingi poſſunt, prodidit, rectè ex eo, quod ad diuinitatem eos, quibus oſtenditur, erigat, Dei viſionem nuncupat, propterea quod ea in mentibus eorum, qui vident, quendam diuini luminis radiũ, infundat, & aliqua rerum diuinarum doctrina eos erudiat. Has autem diuinas viſiones clariſſimi illi patres noſtri cæleſtium virtutum opera, didicerunt. An non etiam ſacram illam legislationem illinc quidem à Deo Moſi datam, & conceſſam eſſe diuina ſcripta tradiderunt, vt nos vere eam diuinæ ac ſacræ ſimulacrum eſſe doceant? Sed hoc etiam eadem Theologia nos docet, eam Angelorum opera ad nos perueniſſe, quaſi illud ordo diuinæ legis ſanciat, ea, quæ ſecundum locum obtinent, ab ijs, quæ primum, ad diuinitatem erigi & excitari? Etenim non ſolum in ſummis atque infimis mentibus, ſed etiam in his, quæ ſunt eiuſdem ordinis, hæc lex à Deo ſancita eſt, vt in quaque Hierachia & primi ſint, & medij, & poſtremi ordinis, inferiorumq. ſuperiores doctores ſint, eiſq. quaſi digito viam monſtrent, aditumq. oſtendant ad diuinitatem, illuſtrationem, atque conſociationem. Diuinum etiam humanitatis Ieſu miniſterium Angelis primùm enunciatum, ac patefactum eſſe video; deinde per eos ad nos cognitionis beneficium peruenit. Sic Gabriel Zachariam quidem pontificem docuit, fore, vt puer propheta ex ipſo, nec opinato, diuina benignitate naſceretur, ex quo diuinum Ieſu opus, quod & adiumentum, & ſalutem mundo afferret, facilè perſpiceretur: Mariam autem, quemadmodum in ea diuinum miſteriũ, quo Deus homo factus eſt, fieret. Alius verò Angelus Ioſeph docuit vere completa eſſe, quæ diuinitus Dauidi promiſſa fuerant. Alius paſtoribus, qui ſe à multis ſecernendo & quieſcendo, pura, integraq. mente eſſent, gaudium nunciauit, cumq. eo multitudo cæleſtis exercitus hominibus magna laude dignum illud gloriæ eloquium tradidit. Sed vt ſummas, quæ à ſcriptura

Act.7. Dan.7. Deut.9. Act.7. Gal.3. Luc.1. Matt.1. Luc.2.

ptura traduntur, luminis viſiones recordemur: ipſum etiam Ieſum, qui cæleſtium eſſentiarum auctor eſt, omni eſſentia ſuperior, cum ſine vlla mutatione ſpeciem, figuramq. noſtram indutum veniſſet, ab eo ordine homine digniſſimo, quem ipſe præſcripſiſſet, atque delegiſſet, non diſceſſiſſe animaduerto, ſed eum facile Patris, ac Dei per Angelos figuris obſcure expreſſiſſe; eorumq. officio Ioſeph, filij in Aegyptum ſeceſſio, quæ patris
Matt. 2. Oſee 2. prouidentia extitit, nunciatur, ac eiuſdem ex Aegypto in Iudæam reuerſio: eundemq. per Angelos patrijs legibus ſubiectum cernimus. Prætermitto enim dicere, vt ſcienti ea, quæ ſacroſanctis noſtris inſtitutis tradita ſunt,
Luc. 22. de Angelo, qui Ieſum confirmauit, aut illum ipſum, cum pro ſua in ſalutem noſtram beneficentia, in numerum eorum, qui myſteria enunciant,
Iſai. 9. aſcriptus eſſet, magni conſilij appellatum eſſe Angelum; etenim, vt ipſe
Io. 15. pro Angeli, nuncijq. dignitate dixit, omnia, quæ à Patre audiuit, nobis nunciauit.

Cæleſtes ſpiritus cur Angeli nominentur. Cap. 594.

Ibid. c. 5. QVærendum autem eſt, quid ſit, quamobrem Theologi, omnes quidem illos cæleſtes ſpiritus appellent Angelos; cum autem ad exprimendas cæleſtes ipſas diſtinctiones veniant, ordinem Angelorum proprie appellent eum, qui diuinos, cæleſteſq. ordines explendo claudat; ſupra hunc vero Archangelorum deſcriptiones collocent, Principatus, Poteſtates, atque Virtutes, eaſq. omnes naturas, quas his ſuperiores, ſacrorum librorum interpretationes eſſe ſciunt? Hoc autem confirmamus in omni ſacra deſcriptione, eos quidem ordines, qui ſuperiores ſint, eorum etiam, qui inferiores ſunt, illuſtrationibus, virtutibuſq. eſſe præditos; extremos autem ijs, quæ in ſuperioribus inſint, carere, ac ſanctiſſimos quidem ſummarum naturarum ordines, etiam Angelos ij, qui de diuinis rebus diſſeruerunt, nuncupant, propterea quod ij etiam diuinæ illuſtrationis ſunt interpretes. Eum autem cæleſtium naturarum ordinem, qui poſtremum locum tenet, abſurdum eſt Principatus, & Thronos, ac Seraphim vocare, neque enim ſummarum illarum naturarum eſt particeps: ſed quemadmodum is ordo ſacros Principes, qui hic ſunt diuina mente permoti, ad eos ſplendores diuinitatis, qui eis præſcripti ſunt, erigere ſolet: ſic ſanctæ Virtutes, quæ huic ordini præſtant, perducere ſolent ad diuinitatem, quæ Angelicas Hierarchias explet. Niſi quis forte hoc etiam afferat, Angelorum nomen commune eſſe cæleſtium naturarum omnium ad diuinitatis ſimilitudinem, & diuini luminis munus inferioribus concedendum, & eximiam excellentemquè conſociationem. Sed quo facilius ea quæ diximus, diſtinguantur, vniuſcuiuſque cæleſtis deſcriptionis proprietates, quæ nobis in ſcriptis diuinis traditæ, expreſſæq. ſunt, videamus.

Angeli diffinitio, ac officium: & cur Deus illum fecerit; & quod in ſuperbiam elata pars Angelorum; cecidit à gloria ſua; & de dominio Angelorum in creatura corporea, & de ſcientia eorum. Enarratio ex D. Auguſtino.
Cap. 395.

ANgelus autem ſpiritus eſt, ſubſtantia incorporea, inuiſibilis, ſenſibilis, rationalis, intellectualis, immortalis. Spiritus ſunt Angeli, & cum ſpiritus ſunt, non ſunt Angeli; cum autem mittuntur, fiunt Angeli; Angelus enim officij nomen eſt, non naturæ. Quæris nomen huius naturæ? ſpiritus eſt, quæris officium? Angelus eſt. Ex eo quod eſt, ſpiritus eſt, ex eo quod agit, Angelus eſt: ſicut in homine nomen naturæ homo, officij preco, id eſt, qui erat homo, fit preco: non qui erat preco, fit homo; ſic ergo qui erant iam ſpiritus conditi à creatore Deo, facit eos Angelos, mittendo eos nunciare quod iuſſerit, Angeli nuncij ſunt: Nuncios autem rectiſſime accipimus omnes, qui ſalutem cæleſtem hominibus nunciauerunt. Vnde & Euangeliſtæ, Boni nuntij poſſunt interpretari, quia Angelus nuntius interpretatur: quicumque autem Epiſcopus, aut presbyter, aut etiam laicus, frequenter de Deo loquitur, & quomodo ad vitam perueniatur æternam, annuntiat, meritò Angelus dicitur. Ille ſummus, atque incircumſcriptus ſpiritus, qui initio caret & fine, cum nollet quaſi ſolitarius eſſe, diſpoſuit quodammodo ſibi ſimiles ſpiritus creare, qui gloriæ cognitione, vel participatione, in perpetuū gauderent, ſuoq. creatori laudes continuas hilariter exhiberent. Creatisq. Angelicis turmis, noluit ab eis timeri quaſi Dominus, ſed obediri & amari quaſi pater & creator benigniſſimus. Coacta enim ſeruitia nequeunt illi fore grata. Ideoq. eis liberum arbitrium conceſſit, innuens, quod eorum ſeruitio minime indigeret, de quibus tamen, ſi humiliter ſtarent, & obedirent, profectò gauderet. Verum ſicut Rex potens & inæſtimabilis, ad ſibi obſequendum non creauit clientes aliquo indigens, ſed eos, atque eorum ordines ordinatiſſime ſtabiliuit. Quibus omnibus vnum præeſſe conſtituit, qui tanto clarior atque mirabilior appareret, quanto ſingulariter omnibus illis eminentior fuit. Ille vero, quia ſe vidit pulchrum & liberum, atque tot ſpiritibus prælatum, confeſtim gloria quadam priuata, cæpit in ſe & non in Domino gloriari. & libertatem, quam ad bonum acceperat, ad non bonum & illicitum vſurpauit. Attribuit enim ſibi ſoli poteſtatem in ſubditos dominandi, & vt ipſe ſine vllius dominatu maneret, & nec ſe, nec ſuum dominium ab aliquo recognoſceret, ſuam ſedem in latere Aquilonis cogitauit ſtatuere, quaſi per ſe poſſit exiſtere, & omnia cælorum agmina opinatus eſt ad ſuum velle poſſe flectere. Quorum quidam eadem prauitate principaliter infecti, quidam vero minus cauti, huic tàm inaniter ſuperbienti fauentes, cum eodem vituperabiliter damnati ad ima ceciderunt, vbi ſine ſpe alicuius remedij perpetualiter cruciantur. Et meritò illi primitus ſuperbienti, remedij aditus denegatur, qui à bono bonus atque perfectus creatus, nihil in ſe fragilitatis geſtabat, pro quo à veritate ſequeſtraretur, ſi ſtare voluiſſet; nec erat alius ante illum prauus, cuius inſtigatione ad malè agendum prouocaretur. Malum quoque non ſubſiſtebat, ad quod accedendo macu-

S. Aug. lib. de cognit. vera vita c. 6.
Aug. ſuper Pſal. 103. ſer. 1.
Aug. lib. de Pœnit.
Aug. ſup. Apoc. hom. 11.

macularetur, ſed à ſe potius, & in ſe prauitatem concipiendo reperiens,tanto deterius deliquit, & grauius ruit, quanto ſapientior, ac celſior fuit.

Poſtquàm autem huius fautores cum eodem pari ſunt pœna mulctati, ceteri, qui ab amore creatoris non receſſerunt, verbo ſunt Domini conſolidati, ita quod de cetero caſum aliquem non pertimeſcant. Hoc nempe tunc promeruerunt, quando peruerſo prælato non conſenſerunt, & quia cum libere poſſent & velle, & agere malum, bono potius tenaciter adhæſerunt; inde conſecuti ſunt, quod iam non poſſunt velle malum, nec volunt poſſe. In hoc enim apparet Dei mirabilis rectitudo, qui tàm æquum diſtrictumq. iudicium, in vtriſque partibus egit, taliter eas ordinans, vt quod quiſque ſua ſponte eligeret, hoc perpetualiter poſſideret, nec de priore electione redire, & aliud eligere aliquando liceret. Illis itaque merito ſuæ prauitatis abiectis, & iſtis ob meritum ſuæ perſeuerantiæ in bono ſolidatis, tali differentia fuit illa ſupernorum ſpirituum ordinatio diminuta, quod ille ſupernus artifex, qui eos compoſuerat mirabiliter, non potuit ferre æquinamiter,ſed diminutionẽ eorum reintegrare, & per hominem reparare diſpoſuit. Ideo diſtinguuntur ratione lapſus. Angeli atque homines pro eo quod rationales ſunt facti, æternitatis, ac beatitudinis donũ in ipſa naturæ ſpiritualis creatione diuinitus acceperunt, ita ſcilicet, vt ſi dilectioni creatoris ſui inhæſiſſent, ſimul æterni beatiq. manſiſſent; ſi vero propriæ libertatis arbitrio contra ſummi creatoris imperium, ſuam niterentur facere voluntatem, protinus à contumacibus beatitudo diſcederet, & ad ſuppliciũ eis relinqueretur æternitas miſera, horroribus,doloribusq. crucianda. Et de Angelis quidem hoc diſpoſuit, & impleuit, vt ſi quis perderet bonitatem voluntatis, nunquam diuino munere repararet. Pars itaq. Angelorum, quæ à ſuo creatore Deo, à quo ſolo beata fuit, voluntaria proſus auerſione diſceſſit, æquitatis ſupernæ iudicio, initium ſuæ damnationis,in ipſa auerſione voluntatis inuenit;vt non aliud ei eſſet incipere iam puniri,quàm illius beatifici boni dilectione deſtitui,quam Deus in ęterno ſic totam præcepit remanere ſupplicio; vt etiam ei ignem æternum præpararet; in quo omnes illi præuaricatores Angeli, nec mala poſſunt voluntate carere, nec pœna. Sed permanente in eis iniuſtæ auerſionis malo, permaneret etiam iuſtæ retributionis æterna damnatio, ceteris Angelis in ſuæ dilectionis æternitate firmatis.

Aug. lib. de fid. Petr. part. 1.

Sublimibus Angelis Deo ſubdite fruentibus; & Deo beatè ſeruientibus, ſubdita eſt omnis natura corporea, omnis irrationalis vita, omnis voluntas, vel infirma, vel praua, vt hoc de ſubditis, vel cum ſubditis agant, quod naturæ ordo poſcit in omnibus, iubente illo cui ſubiecta ſunt omnia. Proinde illi in illo veritatem incommutabilem vident, & ſecundum eam ſuas dirigunt voluntates. Fiunt ergo illi participes æternitatis, & veritatis, voluntatem eius ſemper facientes ſine tempore & loco. Mouentur autem eius imperio etiam temporaliter, illo non temporaliter moto. Nec ita, vt ab eius contemplatione reſiliant, aut defluant, ſed ſimul & illum ſine loco, ac tempore contemplantur, & eius in inferioribus iuſſa perficiunt, mouentes ſe per tempus & locum, quantum eorum congruit actioni.

Aug. lib. 8. sup. Geneſ. cap. 24.

Mali Angeli beneficia præſtando amicis ſuis, magis decipiunt; ſed nihil horum poſſunt, niſi quando permittuntur alta & ſecreta Dei pro-

Aug. lib. 8. de Ciuitate Dei.

uidentia

uidentia; ij autem à ſanctis Angelis tàm longe abſunt, quàm longe abſunt à virtutibus vitia, & à bonitate malitia.

Lōgè aliter nota eſt creatura Dei, Angelis, aliter nobis, excepto hoc, quod cum in verbo Dei norunt, per quod facta ſunt omnia, etiam in ſe ipſa dico longe aliter notam eis, quàm nobis. Illis enim primordialiter, vt ita dicam, vel originaliter, ſicut eam Deus primitus condidit, & poſt eam conditionem à ſuis operibus requieuit, non condendo amplius aliquid, nobis autem ſecundum rerum antea conditarum adminiſtrationem iam per ordines temporum, ſecundum quam Deus vſque modo operatur. Hoc differt inter illorum & noſtram ſcientiam, quod ipſi omnes cauſas rerum, antequàm eueniant, præſciunt, nos autem vix, & cum magno labore inueſtigamus eas, poſtquàm in actu conſtabunt.

Aug. lib. 5. ſup. Gen.

Aug. lib. de cognit. vera vit. cap. 6.

Angelis bonis omnis corporalium, temporaliumq. rerum ſcientia, qua inflantur dæmones, vilis eſt, non quod earum ignari ſint, ſed quod illis Dei, qua ſanctificantur, charitas chara eſt, præ cuius non tantum in corporali, verùm etiam incommutabili, & ineffabili pulchritudine, cuius ſancto amore inardeſcunt, omnia quæ infra ſunt, & quod illud eſt, non ſunt, ſeq. ipſos inter illa contemnunt, vt ex toto, quod boni ſunt, eo bono, ex quo boni ſunt, perfruantur. Et ideo certius etiam temporalia, & mutabilia iſta nouerunt, quia eorum principales cauſas in verbo Dei conſpiciunt, per quod factus eſt mundus. Quibus cauſis quædam probantur, quædā reprobantur, cuncta ordinantur. Dæmones autem non æternas temporum cauſas, & quodammodo cardinales in Dei ſapientia contemplantur, ſed quorundam ſignorum nobis occultorum, maiori experientia, multo plura quàm homines futura proſpiciunt; diſpoſitiones quoque ſuas aliquando pronunciant; denique ſæpe iſti, nunquam illi omninò falluntur. Aliud eſt enim temporalibus temporalia, & mutabilibus mutabilia coniectare, eiſq. temporalem, & mutabilem motum ſuæ voluntatis, & facultatis inſerere, quod Dæmonibus certa ratione permiſſum eſt; aliud autem in æternis atque incommutabilibus Dei legibus, quæ in eius ſapientia viuunt, mutationes temporum præuidere, Deiq. voluntatem, quæ tàm certiſſima, quam potentiſſima eſt, diuini ſpiritus eius participatione cognoſcere, quod ſanctis Angelis recta diſcretione cognoſcere donatum eſt. Itaque non ſolum æterni, ſed etiam beati ſunt.

Aug. de Ciuit. Dei lib. cap. 22.

Præterea Auguſtinus in Soliloquijs ſuis, ita alloquitur Dominum Angelorum, opitulationes eorum erga homines enarrans. Domine qui facis Angelos tuos ſpiritus. Hi ſunt Ciues beatæ ciuitatis ſupernæ Hieruſalem, quæ ſurſum eſt mater noſtra in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis, vt eos liberent ab inimicis ſuis, & cuſtodiant in omnibus vijs ſuis: confortent quoque & moneant, & orationes filiorum tuorum offerent in conſpectu gloriæ maieſtatis tuæ.

Aug. Soliloq. c. 27.

Diligunt nempe Angeli conciues ſuos, per quos ſuæ ruinæ ſciſſuras inſtaurari expectant. Ideoq. magna cura, & vigilanti ſtudio adſunt nobis omnibus horis, & locis, ſuccurrentes, & prouidentes neceſſitatibus noſtris, & ſolicitè diſcurrentes inter nos, & te Domine, gemitus noſtros, & ſuſpiria noſtra referentes ad te, vt impetrent nobis facilè tuæ benignitatis propitiationem, & referant ad nos deſideratam tuæ gratiæ benedictionem.

Ambu-

Ambulant enim nobiſcum in omnibus vijs noſtris, intrant, & exeunt nobiſcum, attentè conſiderantes quàm piè, quamquè honeſtè in medio prauæ nationis conuerſemur, quanto ſtudio, quantoq. deſiderio quæramus regnum tuum, & iuſtitiam eius, quanto timore, & tremore ſeruiamus tibi, & exultemus in lætitia cordis noſtri. Adiuuant laborantes, protegunt quieſcentes, hortantur pugnantes, coronant vincentes, congaudent gaudentibus, compatiuntur patientibus. Grandis eſt eis cura de nobis, & magnus dilectionis affectus eorum erga nos, & hoc totum propter honorem tuæ inæſtimabilis charitatis, qua dilexiſti nos. Diligunt enim quos tu diligis, cuſtodiunt, quos cuſtodis; odiunt, quos oderis. Quoties bene agimus, gaudent Angeli, & triſtantur Dæmones; quoties verò à bono deuiamus, Diabolum lætificamus, & Angelos tuos ſuo gaudio defraudamus. Gaudium enim eſt eis ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, ſed Diabolo ſuper vno iam iuſto, pœnitentiam deſerente. Da igitur Pater ſemper eis gaudere de nobis, vt & tu per eos ſemper lauderis in nobis, & nos cum eis in vnum ouile tuum adducamur, & confiteamur ſimul nomini ſancto tuo.

Angeli diffinitio ex Dionyſio Areopagita. *Cap. 396.*

Dion. Areopa. de diu. nom. c. 4.

IMago Dei eſt Angelus, latentis lucis declaratio, ſpeculum nitidum, perlucidiſſimum, integrum, incorruptum, non inquinatum, quo recepit vniuerſam, ſi fas eſt dictu, figuræ diuinæ bonitatis pulchritudinem, atque ſimpliciter in ſe, quantum poteſt, abſtruſi ſilentij bonitatem cum ſplendore inſerit.

Sed his hactenus. Subdamus nunc per exempla, ſanctorum Angelorum patrocinia erga genus humanum.

Pulchra & nobilis virgo Chriſtiana iuſſu impij Imperatoris ad lupanar ducta, à lucidiſſimo Angelo defenditur, & permanet inuiolata. *Cap. 397.*

Metaphra. in vit. Ind. & Domn. Lippoman. tom. 5. Sur. tom. 6. Niceph. hiſtor. l. 7. c. 6

IMperator Maximianus perſequebatur Virgines Chriſtianas ad ſtuprum, vt eis auferret & puriſſimam caſtitatem, & fidem. Inter eas autem, tanquam inter claras, & lucidas ſtellas vna mirandum in modum reſplendebat inſtar Lunæ, & pulchritudine, & genere, & virtute alijs præſtans; ea vero vocabatur Theophila. hoc autem longe melius res ipſa oſtendit. Cum enim illa eſſet vultu adeo formoſa; traheretur autem à lictoribus, & iam ad probri, & contumeliæ officinam violenter introduceretur, manus ſimul & oculos in cælum tollens; & miſerabiliter aſpiciens: Mi Ieſu, dixit, meus amor, mea lux, meus ſpiritus, meus cuſtos caſtitatis, & vitæ, vide eam, quæ eſt tibi deſponſa, vide ò ſponſe, in quem nulla cadit reprehenſio, & feſtina quoniam non eſt quidem tempus precandi, ne pactum conuentum fallam, ne prodas me beſtijs, ne lupi tuam pecudem lanient. Serua ſponſe ſponſam, meam conſerua caſtitatem, fons caſtitatis; vt tuum quoque nomen maxime glorificetur, quod intelligenter glorificatur ab Angelis.

Hæc illa quidem orauit cum lachrymis, effectum autem Deus reddidit.

Sed

Sed eſt adhibendus animus narrationi. Introducitur virgo ad proſtibulum: Illa vero etiam in tali loco & tempore non eſt oblita eorum, quæ oportuit; ſed protinus eijciens id, quod habebat in ſinu, id autem erat ſacroſanctum Euangelium, aperuit, & dat operam lectioni. Vnus vero ex intẽperantibus, æſtro inſano percitus ad eã ingreditur, qui aliquantiſper quidem eam audiuit legentem. Cum autem iam prope eſſet, à maximo metu inuaditur, & tremore valido agitatur, & humi procubuit mortuus, & ſic iacebat ad pedes Theophilæ non ſpirans. Multæ horæ præterierant, & cum alijs viſum eſſet, quoniam non exibat, eum non poſſe ſatiari virgine; vbi alius quoque ingreditur, ipſe quoque iam prope ſtans, lucis quidem, quæ verbis exprimi non poteſt, fulgore illuſtratur; deinde eum à luce tenebræ excipiunt, & obtutu orbatus, quærebat obiens, non amplius virginem, ſed quemadmodum citra offenſionem exiret extra fores.

Cum autem multi quidem talia paſſi eſſent, & nonnulli etiam magis horribilia, nulli fuit amplius cordi ingredi; ſed & ſi quis ingrediebatur, non ingrediebatur captus amore, ſed ſolum volens ſcire ea, quæ facta fuerant. Poſtquam autem ingreſſi ſunt complures, vident ea, quæ, & ad videndum erant terribilia, & ad dicendum alijs maxime admirabilia, puellam quidem honeſte ſedentem, & libro incumbentem; adoleſcentẽ autem quendam prope eam ſtantem luce quidem ineffabili, pulchritudine vero incredibili veluti quædam tela fulguris emittentem ex oculis. Hæc poſtquam viderunt, & metu obriguerunt, & vix tandem; Quis eſt ſicut Chriſtianorum Deus? exclamauerunt, & ſimul non ferentes ſpectaculum, recte ſecum agi putabant, ſi fugerent, & celeritate maxima domo exibant; omnes quidem obliti libidinis, nonnulli autem etiam ipſa impietate abiurata. Sed nec hæc quidẽ ignorauit Maximianus: at cum reſciuiſſet, virginem quidem non poſſe capi ab his qui ipſam ſeruabant militibus, quin etiam multos ex ſuis eſſe victos, & didiciſſe Deum piè colere: Dei gratiam adſcribit incantationi, dicens, Chriſtianos vti artificijs ad vulgus decipiendum. Sed ille quidem hæc dicens, ſe ipſum potius decipiebat, & quicumque his nugis animum adhibebant. Ille autem plenus lumine, qui videbatur virgini aſſiſtere, cum eam domo eduxiſſet, ſuo lumine præcedens deducebat: Deinde cum etiam adduxiſſet vſque ad ſacram eccleſiam, eam ſtatuit in veſtibulo, & cum, pax tibi, dixiſſet, receſſit. Eam autem inuaſit & metus, & gaudium; metus quidem quòd eam ille reliquiſſet, gaudium vero quod ſic libidinoſorum manus effugiſſet, nihil paſſa indecorum. Accedens ergo pulſat oſtium populi iam congregati, & nocturna de more Deo canentis.

Cum autem ianuæ ſtrepitum ſenſiſſet quidam Diaconus, & quænam eſſet, reſciuiſſet, renunciauit ijs, qui erant intra eccleſiam. Omnes itaq. ad eam confluunt, nam aliqui erant etiam illuſtri genere, ſicut audiuimus, virtute autem multo illuſtriores: Cum ergo eam vidiſſent; & quos, & quidnã volentes effugiſſet, intellexiſſent, & quænam illa in eos feciſſet miracula; quos nam quidem fontes lachrymarum non mouerunt? Quaſnam autem voces in Deum non emiſerunt? In principio quidem raptum virginis miſerantes, in fine quidem impios miſeros ducentes; Illam vero quibuſnam non proſequuntur beatitudinibus? Illa autem ſe ipſam iacit humi, & aræ ſacros tangit cancellos. Flet vero tàm vehementer, vt eos etiam qui videbant, ad ſimili-

militudinem moueret affectionem, & fluenta lachrymarum, ſitq. communis ad Deum gratiarum actio toto pectore. Sed ita quidem ſe habebant res virginis] ſic ibi.

De cuiuſdam ſenis naufragio ſtupenda narrantur miracula, ad cuius tutelam miſit Deus Angelos ſuos in circuitu eius, & eripuit eum de profundo maris. Cap. 398.

Ex Epiſt. S. Paulini Epiſcopi Nolani ad Macharium 34.

OPera Domini prædicare honorificum eſt, quæ mihi cauſa huius epiſtolæ fuit, quia patrisfamilias huius, quem ad vnanimitatem tuam proſequor, Secundiniani negocium, vt probatis, non poteſt ſine Domini gloria, & laude narrari. Sicut enim dixit in Euangelio: Pater meus adhuc operatur, & ego operor, ita & nunc facit, neque deſinet bonus Dominus fidem veſtram euidentibus veritatis ſuæ excitare, ac vere prouocare documentis. Itaque in diuerſis, vt ſcriptum eſt, argumentis apparens nobis Saluator Deus, terra, mariq. pro nobis operatur, & quod in ſingulis agit, multorum fidei, ſalutiq. procurat. Videt enim quàm admirabile, & prædicabile opus ſit, quod Ieſus Dominus in vno ſene cum Angelis ſuis ſanctis operatus eſt. Hæc enim cauſa eſt ſupradicti amici, & fratris, qui eſt vir in Chriſto fidelis. Hyeme ſuperiore compulſus in Sardinia cum ceteris quippe nauicularijs inuehendas fiſcalibus horreis fruges miniſterio propriæ nauis accipere, non expectato tempore ſoliti commeatus ante æſtiuam temperiem, onuſtum nauigium, vi publica vrgente demiſit. Illuc, vt mihi retulit in proximo freto exorta tempeſtas, temere de portu ſolutam multarum nauium claſſem à curſibus deſtinatis retorſit, & fregit in littore, huius nauem in quodam eius inſulæ loco, quem ad Puluinos vocant, ne ſimiliter illideretur, anchoris fundare conati ſunt, ſed hyemis eiuſdem violentia præualeſcente, rumpentibus vinculis, nautæ exterriti ſcaphulam demiſerunt, vel vt nauis fortius continendæ renouatis, & altius ſtabilitis anchoris ſubuenirent, vel vt ſe ipſos, ſi poſſent, à diſcrimine nauis eriperent. Sed illos ſtatim cum fragili perfugio limbuli ſui arripuiſſe in ſcopulos procella dicitur, & ſuperfuſis fluctibus obruiſſe; vnum ex omni numero nautarum ſenem ſentinando deputatum, vel metu immemores, vel vt vilem animam contemnentes relinquunt. Interea deſtituta nautis, & anchoris nauis aufertur in pelagus: ſenex ille, qui neſcierat ſe relictum, vt iactari, voluiq. ſenſit, ab intimo nauis emergit, vacua omnia, mare vndiq. & vndiq. cælum videt, cum & metum, & periculum miſero ſolitudo cumularet, ſex dies, & noctes ieiunus comedit. Fuerunt enim illi lachrymæ panes die, ac nocte; tùm ipſum iam mortis, quàm vitæ cupidiorē, finemq. pœnarum animæ exitu deſiderantem, miſericors, & miſerator Dominus adire cominus, & verbi cibo animare dignatus eſt. Refert ipſe adhuc lachrymans fęlicitatem periculi ſui, nec ſine lachrymis cordis, & gaudio ſpiritus audiri poteſt, vt compellatus adeunte Chriſto, vt confortatus hortante ſit, vt arborem iuſſus incideret, quam excidi in eo tempore remedium nauis erat: ſed, quod multi, atque validiſſimi ſine ſuo, & nauis periculo vix poſſunt, ſolus, & debilis arripere non audens, Dei verbo auſus eſt, bis tantum, & leuiter, vt à ſenili manu tactus magis quàm ictu ſecuris, malus ita proſiliuit

uit à vulnere, vt longè extrà uauem in vndas expulſus, tutò ceciderit: deinde varijs, vt marina iactatio, & naualis inſtructio poſcit, officijs, cum aut artemone armari oportebat, aut ſentinam repleri neceſſe erat, nomine Victoris vocatus ad Dominuo, porrigere tantum ſpecie agendi manum ad quālibet operam iubebatur. Non enim in multa, & varia circa hunc ſenem mirabilium diuinorum gratia, hoc quoque Dei munus prætereundum videtur, quod etiam nomen accepit, quo nunc, & regeneratione cenſetur, & ab hominibus, & ab Angelis ſcribitur; gentilitio enim ſigno Valgius vocabatur, qui nunc Victor à Domino dicitur, & eſt victor in Domino, qui illi aptum ad opera ſua id ipſum nomen impoſuit, quia videlicet & iu mari de tempeſtatibus, atque naufragio per adiutorium Chriſti, & nuper in terra per eiuſdem gratiam de peccatis, & Diabolo triumphauit; videlicet, vt totus in Chriſto nouandus, neque in nomine, neque in homine veteri permaneret.

Mira fides, & ineffabilis pietas Domini ſaluatoris, qui ſenē, ſi forte ſomno piger lentius ad gerenda conſurgeret, & molli manu ante præpalpans, ne trepidus expergeſieret, vellicata blandè auricula, ſuſcitauit, cum leniter adnitens ſenex à primo ſtatim conatu ſuo manibus Angelicis res effectas videret, vt vix rudentem attigerit, cum velum videret iam exſinuatum in cōtos ſuos, ſi parum ſtabat, vel nauis vela faciebat, vel aqua rimis nauis accepta mergere tentauerat, & poſt vnum vel alterum breuis ſentiuaculi hauſtum ore deſtricto, ſiccataq. naui quod ageret non habebat: ſtupens laborē ſibi ſine labore præcerpi, & actum ſuum occulta manu præueniri, ſi bene occulta dicitur, quæ tàm perſpicuum præſtabat auxilium. Sed nec ipſi operatores ſimplicibus innocentiſſimi ſenis oculis ſubtrahebantur. Nam ſæpe vidit armatos videlicet de exercitu cæli milites excubare nauigio, & cuncta nautici muneris admiuiſtrare, nec ſanè uauem illam, niſi Angeli nautæ decebant, cui gubernaculum erat mundi gubernator. Ipſe enim Dominus nunc ſuo vultu coruſcus, vt in Apocalypſi deſcribitur, & coma fulgidus, nunc confeſſoris & amici ſui Domini mei communis patroni, Felicis ore venerabilis in puppi ſedebat, ſicut nautico vſu dicitur ad timones, vel potius pro timonibus, quos cum ancoris pariter & nautis in illo naufragio littore nauis amiſerat infœlix fęliciter, vt pro amiſſis omnibus viris, & armis ſuis, aut Domini martyrem, aut Dominum martyris obtineret. Narrat gaudio lachrymans ſenex, ſe ad illius pedes nunc Domini, nunc martyris gubernantis ſibi ſolitum procubare etiam familiarius ipſo allectante; in genibus quoque, ac ſinibus ſacris beatum, & adflatibus diuinis odorem reclinati capitis puluinar habuiſſe. Dubitemus nunc patriarcharum ſinus fidelibus in Chriſto ſeruis patere, cum immenſa eius bonitas, etiam cathecumenum tunc iſtum, vel ſuo, vel ſancti ſui fouerit gremio? Nam & in ſancto ſuo ipſe aderat, qui dixit, vt noſti, ad patrem: Ego claritatem, quam dediſti mihi, dedi eis, vt vnum ſint, ſicuti & uos vnum. Ego in eis, & tu in me: & iterum ad Apoſtolos, in quibus vniuerſo corpori ſuo dixit: Ecce vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſeculi. Quod quotidie nobis in manu, & Apoſtolorum ſuorum, & Martyrum operante conſpicuis virtutibus potentia probat, vt credamus Dei filium, & Dominum noſtrum Ieſum ex reſurrectione mortuorum regnantem iu cælis ad dexteram Patris, viuorum eſſe Dominum, non mortuorum. Ergo cum & ſancti ſui Confeſſoris effigie ſenē

nautam ſouebat, ipſe aderat in ſancto ſuo, & feſſum, atque depoſitũ blandis mulcebat alloquijs, nec magis cibo, quàm verbo reficiebat, quia ipſe eſt verus panis, qui de cælo deſcendit dare eſcam omni carni. In omni enim homine opus ſuum diligit, & omnem, quantum in ipſo eſt, hominem ſaluum fieri vult, quia mortem non fecit vitæ dator, & vita totus, nec lætatur in perditione viuorum, qui mauult miſericordiam, quàm ſacrificium; nec perſonas accipit, qui fecit omnes, ſed pro meritis iudicat, quia Deus iudex eſt. Deniq; non illi hic de calamitate naufragij, neque de ſenio, & egeſtate nauta vilior fuit, ſed ijs omnibus, quibus eum, & ſocij ſpreuerant Chriſtum mouit, & viſcera diuina concuſſit: Oculi enim eius ſemper in pauperẽ reſpiciunt. Profecto & iſte pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum, cui forſitan ad precandum etiam voces propheticas Dominus, & ipſa periculi cauſa dictauerit, vt clamaret: Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vſque ad animam meam. Veni in altitudinem maris: non me demergat tempeſtas aquæ, neque abſorbeat me profundum. Cito anticipet me miſericordia tua, priuſquam infigar in limo profundi, & vrgeat ſuper me puteus os ſuum: Reſpice in me, quoniam vnicus & pauper ſum ego, & factus ſum ſimilis pelicano ſolitudinis, ſicut nycticorax in domicilio, & ita in naui mea, ſicut paſſer vnicus ſuper tectum. Audiuit Dominus, & miſertus eſt eius, & miſit Angelos in circuitu eius, & factus eſt in ſalutem; Imperauit procellæ, & ſtetit in aurã, Increpauit mare, & ſiluerunt fluctus eius, & deduxit eum in aquis multis videntem opera Domini, & mirabilia eius in profundo: Cibauit eum adipe frumenti, & colloquente Chriſto quaſi de petra melle ſaturatus eſt: Reſpexit humilem, qui beauit pauperes ſpiritu. Flentem affatus eſt, qui promiſit lugentibus conſolationem, & qui eſurientibus, & ſitientibus iuſtitiam ſaturitatem dat: Ipſe hunc deficientem, qui panis, & iuſtitia, & fons vitæ eſt, de ſe ipſe irrigans pauit, nec alia iſtum pietate, quàm omnem hominem in huius mundi pelago volutantem, dedita patri vſque ad crucis mortem pietate miſeratus eſt, quia videlicet vnus homo vniuerſitatis portio, & vniuerſitatis vnius forma hominis, & cauſa eſt. Denique non ſolum nauem, ſed etiam eum, cuius cauſa nauem tuebatur, regens, & in eo carnis, & ſpiritus officia diſcreta diſpenſans, noctu ſecurum requieſcere, die vigilare ſollicitum iubebat, ſe pro dormiente vigilaturum, & vigilanti cooperaturum eſſe promittens. Nempe illum in ijs verbis Domini recognoſces affectum, quo ſemper ita ſpem noſtram fouet, vt ſollicitudinem non relaxet, ita infirmæ carni conſulit, vt ſpiritus promptus eſſe non deſinat. Et ideo ſic dormiri permiſit ſeni feſſo, vt ne ſeni quidem, & fatigato ſine vigilandi negocio ſecuritatem remitteret, ne ſcilicet reſolueretur in ſomnos inertes, & inciperet non ſolum corpore, ſed & mente dormire: quod metuens quidam ſanctus ait: Illumina oculos meos Domine, ne vnquã obdormiam in mortem. Vicina enim morti labes eſt torpor animorum; Et tunc dicet inimicus, præualui aduerſus eum, ſi & mentis oculos ſomnus oppreſſerit. Recognoſcimus ergo ipſum ſeni affuiſſe, qui dixit dormitantibus ſuis: Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem: Et iterum vigilantibus ait, iam ſcilicet excitatorum vigore ſecurus: Dormite iam, & requieſcite; quod quidem non magis de corporeo ſomno, quàm de fidei firmitate dictum, alibi docet dicens: Conſtantes eſtote, quia ego vici mundum. Vera enim hominis hæc requies eſt, ſi fide conſtans,

& vi-

& victoria Chriſti ab omni hoſte ſecurus, pace vnanimi perfruatur. Ipſe enim quies noſtra, qui pax nobis eſt, quique pro nobis vigilat, vt requieſcat in nobis, & qui nunc vigilare nos pro quiete perpetua iubet, ipſe Dominus hæc eadem pietatis ſuæ munera, quæ toto vult agi mundo, in hoc ſene vno agere dignatus eſt; cum blandimento ſeuerus, nec ſine fræno timoris indulgens aurem vellit, vt ſomnum torporis excuteret; ſinum præbuit, vt quietem perpetuam miniſtraret. Viginti tres dies homo non modo à terris, ſed & ab hominibus excluſus, omnium ventorum ludibriũ, omnis terræ exul, diuerſi maris hoſpes, & exors generis humani, inter fluctus, & belluas maris, in vago erraticæ nauis hoſpitio, ieiunijs, ſenio, timore confectus, quæſo te, nunquid natura ſua perdurauit? Cui ergo obſcurum ſit, Deum in illo fuiſſe? Eum dixi Deum, qui facit mirabilia ſolus; qui vocat ea, quæ non ſunt tamquam quæ ſint; cuius ope natabat toto nauis ſecreta pelago, & inuiſibili gubernatore quaſi vacua, & tamen graui mole ſe promouens, clauſis intra cameras ſuas homine cum frugibus, velut illa diluuio fœta mundi ſeminibus arca fluebat, nec vno maiori iactata curſu cum tempeſtatibus immutauit. Primò ad vrbem acta Romani portus Farum vidit, deinde Campaniam longis tractibus legit, mutatiſq. turbinibus in Aphricæ littora trãſuolauit, atque ab ipſis rurſus abrepta Siciliam tranſcurrit, circa quam concita, & verticoſa crebris, vt ferunt, inſulis freta, & periculoſus etiam ſub gubernatore nauibus curſus inter ambages, & obices inſularum, tàm directo otioſus ſenex, inoffenſoq. nauigio præterijt, vt quaſi diuina nauis, & immiſſo diuinitus ſpiritu ſapiens ſua ſponte cauenda vitaret, ſequenda peteret, & vtiliter, ac peritè per neceſſarios obitus flecteretur.

Vigeſimo demum tertio die, miſerante iam Domino, finem errorum, atque diſcriminum in Lucanis poſitura littoribus, quibus propinquanti Dominus æternus, vt indefeſſa eius bonitas vſque ad terminum ſuſceptæ ſibi nauigationis operaretur mirabilia ſua, tacito ſuæ adſpirationis inſtinctu compulſos à littore in duabus nauiculis piſcatores obuiam miſit, qui nauem hanc eminus conſpicati primo aſpectu territi refugerunt: plenam enim armatorum, & Liburnæ æmulam ſibi viſam ipſi poſtea retulerunt: deinde magnis, & ſæpe repetitis ſenis noſtri vocibus aliquando reuocati, ratione ſecum habita, & agente ſic Domino, nihil ſibi ab ea naui timendum, in quam vocarentur intellexerunt. Acceſſere nauigio, vacuumq. militibus eſſe, quod longè ſtipatũ viderant vix ſene conteſtanti, & aſcenſa tandem naui ſuis oculis crediderunt; vbi receptos ſenex prandio, quod pridie iuſſus à Domino præpararat, excepit, multaq. mercede copioſis amiſſorum nautarum panibus ſaturauit, atque donauit: quibus ſtipendijs læti famulantibus limbulis ſuis, quaſi emeritam, graui è bello, & de certamine coronatam, quippe vt ſuperſtitem naufragij, victricem ventorum, & fluctuum nauem ad portum ſuum remulio præeunte duxerunt. Quid de hac naui feciſſet eorum vanitas, qui errore eo, quo colunt omne, quod fingunt, factam Argonautarum infęlicium puppem fabuloſis litteris ſacrauerunt, atque in cælum nunc videre ſe credunt, & inter aſtrorum choros numerant? Nec minori dementia vectricem draconis Epidauro nauem illudente ipſo, cuius corporeum fantaſma vexerunt, ſerpentem venerantur. Sed fugiamus à fictis, & alienis, neque mendacia, & venena pereuntium, noſtræ veritatis lumini miſceamus. Sunt nobis noſtræ naues, vt

dignius veris, & domeſticis vtamur exemplis: Habemus & arcam Noe: Habemus & nauem Tharſi, nauemq. Tharſenſis. Sed illa de qua Dei fugitiuum prophetam vltor, & cuſtos cetus excepit, eatenus huic naui comparari poteſt, quatenus ante ſortem periclitata eſt; tertia vero nauis exemplo meo congruit hinc quod Apoſtolum, & martyrem vexit: propter quod ipſum & in ipſo Chriſtum recepit, vel cum illi totam perituræ nauis multitudinem redonauit.

Proponamus ergo nobis animo, & mente cernamus pulcherrimum diuini operis ſpectaculum, videntes nauem vnam de multarum nauium, omniumq. nautarum naufragio raptam, vno ſene maria diuerſa peragrante ſolam in pelago, & in ea ſolum iam illa nobis arca diluuij ante oculos Eccleſiæ imago verſabitur ſuper orbem diuerſum vna vbique diffuſi maris facie, inter effuſas cæli, & abyſſi aquas ſolidè, toto innatans mundo, cuius iſta imaginem multis modis in modulo minore geſtauit; nam vt illa omnigenum ſeminum, ſic & iſta variarum plena frugum fuit, cui præter onus publicum, plura etiam de ſtipendijs, & peculijs nauticis inerant. Illa vnam familiam ad generis humani reparationem, & iſta vnum hominem ad multorum fidem vexit. Illi pacis ramum columba detulit, huic pacem agnus exhibuit; Illam in imaginem ſancti Spiritus ales intrauit, & hanc per imaginem confeſſoris ſui Chriſtus acceſſit.

Reſpiciamus & Ionæ nauem largiore hanc munere virtutis eiuſdem ſeruatam videbimus, & maiore miraculo. Illa enim omnibus ſaluis præter vnum, iſta omnibus amiſſis vno manente ſeruata eſt. Sed & cetum illum prophetæ viuentis innocuum voratorem videtur hæc nauis imitata, cum æque vtero ſuo clauſum hominem per maris alta geſtauerit, & littori expoſuerit incolumem; ſicut illum indigeſtum ieiuna prædæ ſuæ bellua iuſſis ſingultibus ab ergaſtulo ſpatioſi ventris excuſſum refudit Deo, quo iubente ſuſceperat, & myſterio ſalutiferæ paſſionis expleta, tertia die in ſpem reſurrectionis euomuit. Nauis vero illius turba fęlicior, quæ Apoſtolo condonata eſt, non ſuis quidem meritis, nam & ipſi naufragium meruerunt, qui contempto Apoſtoli conſilio nauigarant. Sed non minus ex hoc poſſumus in diuinis operibus nauigio gloriari, cuius viris, quamquam defuerit ſimilis aduocatus, tamen ipſi in vnico nauta ipſe Apoſtoli Deus adfuit gubernator, & quo pro vnius innocentis ſalute meruit liberari; quod illa, quæ Vas electionis in vinculis prima ſuſceperat, ob Apoſtoli contemptum, & captiuitatem carceris crimine damnata non meruit. Illa vero nauis cohors mihi videtur propter gratiæ myſterium liberata, vt de naufragio nauis aditæ nudi euaderent, ſcilicet vt eos à prioris nauis, id eſt, ab Adæ carnis peccato liberatos, & ipſis, per quos euaſerunt, fluctibus expiatos, atque omnium, quas in mare abiecerant, ideſt ſecularium ſarcinarum leues, & vndis quaſi peccatis graui, & madida veteris hominis veſte nudatos, integra, & ſolida nauis acciperet, quæ plenam fidei Eccleſiæ exhibens formã, tutos in portu, Romamq. peruexit. In quibus ſimiliter myſtica argumẽta formantur, nam mutata nauis, nouata in Chriſto vita eſt, & portu ſalutis Eccleſiæ, teſte Græcia, nomen eſt Roma virtutis. Benedicamus ergo Deum, & exultemus in Deo noſtro, qui in altis habitat, & humilia reſpicit, cui non in viribus equi, neque in tabernaculis viri, ſed in humilibus, & timentibus eum

bene-

beneplacitum eſt, & qui, vt in iſto etiam ſene oſtendit, ſanat omnes contritos corde, & alligat omnes contritiones eorum. Nimis garrio frater; ſentio, ſed paucis quæſo adhuc feras me: interrogare enim libet, vlla ne te huius ſeculi dignitate, quàm hac Dei dignatione affici malles, qua ſenex iſte perfunctus eſt? Beatiores ne tibi videntur, qui purpura fulgent, qui gemma bibunt, toga fulciuntur, palmataq. pinguntur, & hominibus commortalibus, ac pleriſque melioribus dominantes, cupiditatum, ac rerum ſuarum ſerui ſunt, de Dei muneribus inſolentes, Deo Chriſto egentes, peccato diuites, vita ſteriles, morte fœcundi.

Quid huic quæſo obfuit ſeni perſona ſeminatoris, & in nautis viliſſima, inops habitus, & maſtruca Sardorum (nam pellibus ſutis veſtiebatur) cum illum Dominus virtutum, rex gloriæ, & alloquio ſuo beabat, & illuminabat aſpectu, & gremio ſopiebat? Profectò & idipſum in eo diligens, quod Eliæ Meloten, & præuij Ioannis habitum veſte ſetigera imitabatur. Regem ſeculi videre propius, & eius vel faſtidioſo ſermone reſpergi, magna pars mundi tàm beatum putat, vt ſi aliter non obtineat, etiam damnis emat, idq. adeptus non modo hominum, ſed & ſui immemor fiat. Quantorum hic dignitate fęlicior, quem Rex regum honorauit? quantorum nobilitate nobilior, quem Chriſtus agnouit? quantorum diuitijs opulentior, cui tanta tot ſanctorum bona pariter collata ſunt, vt Chriſtum videret ſicut Iſrael? cum cæli rege loqueretur facie ad faciem ſicut Moyſes? & eadem propemodum familiaritate requieſceret in ſinu Chriſti, qua Ioannes in pectore recumbebat? Denique vt nouum nomen acciperet, ſicut amici Dei, quos in Patriarchis, & in Apoſtolis bene noſti?

Te ego paulò ante interrogabam, an huius gratia donari omnis huius ſeculi gloriæ præoptaris. Ipſos equidem rectores harum tenebrarum, ſi videre mereantur, prælaturos arbitror beatiſſimam ſenis, & inopis noſtri calamitatem ſuis miſeris fęlicitatibus, & gaudijs perenne lugendis. Quæras forſitan, quibus hoc meritis vetus nauita ſemper in tenebris ignorantiæ demoratus, & tàm ab operibus iuſtitiæ, quàm à ſcientia veritatis alienus obtinuiſſe videatur, quod pauciſſimis certe operarijs, quamquam à cuſtodia matutina vſque in noctem totius diei pondus, & æſtus ſubſtinuerint, facile côceditur? Reſpondebit tibi Apoſtolus profectò, quia ſine pœnitentia ſunt gratiæ, & donationes Dei, & quia non ex operibus iuſtificabitur omnis caro, tempus eſt gratiæ, & fides ad iuſtitiam deputatur, quia de lapidibus filij Abraham quotidie ſuſcitantur. Nunc enim tempus acceptum, nunc dies ſalutis, quo pacis, & laudis hoſtias immolamus, & ſacrificium Deo ſpiritus contribulatus eſt. Et in homine templum Dei, & in corde credenti ſalutaria, & in deſęcatis pectoribus ſancta ſanctorum; quare qui cor contritum, & humiliatum non ſpernit, ipſe noſtrum ſenem placitam ſibi naturalibus bonis hoſtiam in odorem ſuauitatis accepit; nam ingenita ſimplicitate tàm purus animi ſemper fuiſſe perhibetur, vt peccare neſcierit; iam in extrema ætatis ſenecta puer, & malitia paruulus, non ſolum gratiæ, ſed & mentis infantiam gerit; nuper enim. vt ſupra dixi, renatus in Chriſto, & Domino dedicatus eſt, per quem mala vitæ, per quem aquas mortis euaſit. Accipe igitur eum lætus in Domino, vt bonum Chriſti odorem, vt agnum menſis nouorum, quem ad vnanimitatem tuam de rudi matris Eccleſiæ fœtu immaculatum

candente lanitio paſtor exigui gregis, ſed magni pignoris munerator, vt xenium ſpiritale tranſmiſi. Non enim alium tali munere digniorem putaui, quàm te, qui iuxta Dei gratiam, & operationem, illum & aſpicere, & ſuſcipere nouiſſes. Videre enim mihi videor, qua gratulatione, qua admiratione, qua fide, & auditurus de illo, & viſurus ipſum ſis, cum quo nauigaſſe Angelos, cui Martyrem gubernaſſe, quem in ſinu Chriſti dormiſſe, cui Chriſtum aurem vellicaſſe, nomen impoſuiſſe reputaueris.

Fateor tibi affectionem meam, dum nimium tàm inſignia in noſtri temporis homine Dei geſta admiror, & diligo, penè in ipſum ſenem fuiſſe crudelem. Nam tàm aſſidue aurem ipſius retractaui, vt penè detriuerim. Voluiſſem quoque, vel vnius partem auris abſcindere, niſi in illo vulneris, quæ mihi pignoris res fuiſſet: Non enim alter affectus homines ad Hieroſolymam rapit, niſi vt loca, in quibus corporaliter præſens fuit Chriſtus, videat, atque contingant, poſſintq. & de ſuo fructu edicere: Introiuimus in tabernacula eius, & adorauimus, vbi ſteterunt pedes eius. Quamquam & altior & hic intellectus habeatur, tamen & ſimplici ſenſu ſecundum litteram, cum res poſtulat, non abutendum eſt. Si ergo religioſa cupiditas eſt loca videre, in quibus Chriſtus ingreſſus, & paſſus eſt, & reſurrexit, & vnde conſcendit, & aut de ipſis locis exiguum puluerem, aut de ipſo crucis ligno aliquid ſaltem feſtucæ ſimile ſumere, & habere benedictio eſt, conſidera quanto maior, & plenior gratia ſit viuum ſenem, vel teſtimonio diuinæ veritatis inſpicere? Si præſepe nati, ſi fluuius baptizati, ſi hortus orantis magiſtri, ſi atrium iudicati, ſi columna diſtricti, ſi ſpina coronati, ſi lignum ſuſpenſi, ſi ſaxum ſepulti, ſi locus reſuſcitati, euectiq. memoria diuinæ quõdam præſentiæ celebratur, & veterem veritatem præſenti fide comprobant in rebus exanimis viua documenta, quàm religioſè aſpiciendus eſt hic, quẽ alloqui Dei ſermo dignatus eſt? cui ſe facies diuina non texit; cui nunc Martyrem ſuum, nunc ſemetipſum Chriſtus oſtendit? in cuius viuente terra Dominici corporis videmus impreſſa veſtigia, ſi fidelibus oculis, & acie ſpiritali, quod in eo ſinus Chriſti, quod manus contigit, perlegamus, & caniciem, quæ ſæpe ſuper Domini genu iacuit, ſæpe Domini ſinu tepuit, noſtra manu ſæpe mulcentes, & auriculam ſæpe palpantes, quam cæleſtes digiti Domino iocante traxerunt. Habes mi frater xenium meum, ede ipſum ſpiritu charitatis; & ſi loquacitatis meæ amaritudine nauſeaueris, de gratia Domini, & cæleſtis hiſtoriæ ſuauitate faſtidium temperabis.

S. Ioannes Chryſoſtomus, cum ſacrificium incruentem offerebat in templo, omni ferè tempore domum Dei Angelis refertam videbat. Cap. 399.

S. Nilus in epiſt. ad Anaſtaſ.

IOannes (inquit S. Nilus) ſacerdos admirandus eccleſiæ Cõſtantinopolitanæ, immo vero totius orbis ſplẽdor, vir animi perſpicacis, omni ferè tempore videbat domũ Domini refertã Angelorum cætu, & tunc in primis cum diuinum & incruentum ſacrificium offerebatur: quo quidem tempore, ſtupore, & lætitia plenus, rem præcipuis amicis ſpiritualibus priuatim enarrauit, cum cæpiſſet, inquit, ſacerdos ſanctum ſacrificium ſeu oblationem facere, plurimæ ſtatim ex illis virtutibus è cælo deſcendentes, ſtolis indutæ ſplen-

ſplendidiſſimis, nudis pedibus, intentis oculis, pronæ altari, magno cum ſilentio, & reuerentia, quoad venerandum illud miſterium expletum fuit, circumſteterunt; deinde huc illuc ſingulæ per totam domum diffuſæ, Epiſcopis, presbyteris, & diaconibus diſtributionem corporis, & pretioſi ſanguinis miniſtrantibus adhæſerunt, ſatagentes, & ſedulo adiuuantes. Hæc autem ſcribo, vt diuini ſacrificij dignitatem cognoſcentes, caueatis, ne illud negligenter, diuino timore abiecto, adminiſtretis: nec permittatis, vt aliqui inter ſe contendant, & cum tumultu ad ipſum accedant, aut audacter annuant, & è loco ſuo proſiliant, aut huc aut illuc circumſpiciant, & ignaue, & petulanter ſe gerant. Hactenus Nilus, quem ſpectata eruditio atque conſpicua ſanctitas fecerunt illuſtrem.

S. Marcellus, fortiter pro pietate certans, ab Angelo defenditur. Cap. 400.

IAm ab ipſo Leonis Imperatoris exordio exegerat Aſpar, vt filius eius Cæſar crearetur, idq. tamquam ex pactis conuentis, quod Aſpar feciſſet, vt Leo euaſerit Imperator. Acccidiſſe vero aliquando tradunt, vt cum id Aſpar expoſceret, diceretq. comprehenſa eius veſte, Imperator, tali purpura amictum non licet mentiri: Reſponderit Imperator: Sane hoc quoque Imperatorem decet, nemini cedere, aut ſubditum eſſe, maxime cum incommodo Reipublicæ fuerit. Hæc habent Nicephorus, & Cedrenus, qui hæc omnia doloſe acta eſſe hoc anno à Leone Imperatore cognoſcere potuerunt ex dictis lucubrationibus Priſci; nimirum, huiuſmodi inter eos tùm initum coniugium, nonniſi fallendi artem, & decipiendi fuiſſe conſilium. Vt vero tantam diu cupitam dignitatem filio ſuo Aſpar conſequi poſſet, quod impedimento eſſe videbatur Ariana perfidia, primum voluit eam à filio Cæſare creando, damnari; ſed & ſe ipſum etiam ad id perſuaſum oſtendit. Cedrenus enim hæc de his. Eodem anno Aſparis filius Patricius Cæſar à Leone creatur, ac Alexandriam mittitur, quia Aſparem ab Ariana ſecta abduxerat, & ſibi beneuolum reddiderat. Hæc ipſe, ſed anno ſuperiori nempe duodecimo Leonis Imperatoris. Nicephorus item tradit, laboraſſe Leonem Auguſtum, vt eos ab hæreſi abſtraheret Ariana.

Ex actis S. Marcel. extant apud Sur. die 19. Decemb.

Niceph. li. 15. c. 27. Cedren. in Compend. an. 1. Leon. Imp.

Ceterùm ex Actis ſancti Marcelli liquet, deſignatum eſſe Cæſarem filium Aſparis, cum adhuc eſſet Arianus, & ob eam cauſam magnas turbas excitatas fuiſſe Conſtantinopoli. Sed audiamus rem geſtam accurate in ijſdem Marcelli actis expreſſam his verbis: Cum multa accidiſſent inter Ardabarium & Imperatorem, quæ inter ſeipſos inimicitiam alebant & ſuſpiciones, ex vtriſque quidem natum eſt odium. Cum autem vtrinque magnum in ſe inuicem immineret periculum, neutri autem eorum facilis erat victoria; conuertuntur ad communia ineunda fœdera, nempe, vt Aſparis quidam filius, frater autem Ardaburij, cum duxiſſet vxorem filiam Imperatoris, Cæſar crearetur. Hoc autem, qui accepiſſet, eſt alius (vt dixerit quiſpiam) Subimperator; eſt enim ei & aurata purpura, & alia inſignia Imperij, niſi quod aurea corona non habet omnia inſignia Imperij. hæc ibi. Verũ ſi de Cæſaris nominatione primam originem, cauſam, & ſignificationem cupis, conſule quæ habet Cicero ad Atticum. Pergit vero auctor de Cæſaris dignitate

Cicer. ad Attic. li. 14 ep. 8.

& poteſtate. Is itaque accepta hac dignitate; cum viuente quidem Imperatore erat omnia facturus communiter; eo autem mortuo, ipſe primus, & ſolus accepturus Imperium, & tamquam debita ſibi ſceptra ſuſcepturus: ea res vero non parum conturbabat eccleſiam, ſi rurſum ſit Imperium Arianus inuaſurus. Aſpar enim, & filij, & tota domus, Arij inſaniam mirum in modum amplectebantur. Cum itaq. omnes eſſent pleni tumultu, communiter conuenerunt, & ducibus Geladio, & Marcello, viro ſanctiſſimo monaſterij Acœmetarum Archimandrita, de quo ſuperius mentio facta eſt, venerunt ad Hippodromum, vt ab inhoneſto & indigno hoc cæpto arcerent Imperatorem, qui ipſe quidem ad hoc erat prompto & alacri animo, ſed cedebat tempori Aſparis & Ardaburij. Cum ergo ſic paratus eſſet Chriſti exercitus, eis quoque Deus oſtendit Ducem, & tantum intereſſe inter ſanctum Marcellum Acœmetarum Abbatem, & alios ſacerdotes atque Pontifices, quantum inter exercitus Ducem, & Imperatorem, atque adeo (ſi velis) inter militem & Ducem. Hoc fuit euidens ſignum, nam inter ambulandum, videbant ij qui digni erant ea videre, iuuenem quidem ſtatura maximum, forma autem pulcherrimum, & zona cinctum aurea, aſpectu quidem tàm candidum, vt niuem videretur ſuperare; tàm lucidum autem, vt luce corruſcaret; læna vero erat tunica, eaq. niue candidior: eum ergo videbant à ſiniſtris ſimul cum magno Marcello ambulantem veluti quemdam ſatellitem, ſimul terribilem, & manum veluti ſupponentem ſuſtinuiſſe ſenem, & cum maxima reuerentia non deſijſſe ei inſeruire. Viſio tamen (vt auctor ait) non omnibus manifeſta, ſed teſtibus præordinatis à Deo.

Cum autem ingreſſi eſſent in eum locum, in quo ſolebat ſedere Imperator, erat quidem ſic quoque Marcellus omnia ijs, qui erant Eccleſiæ; quin etiam libere loquebatur ad Imperatorem, & illis addebat animum, & quodammodo eos hortabatur ad certamen pro Chriſto ſuſcipiendum. At illi quidem, cum omnia effeciſſent, propter quæ venerant, quæ quidem erant, vt Aſparis filius aut rectam diſceret opinionem, aut dignitatem Cæſaris non acciperet, hæcq. cum illis pollicitus eſſet Imperator, lætantes exierunt. Ille vero rurſus adoleſcens, & altiſſimus, & ſplendidiſſimus, viſus eſt adhuc adeſſe, & verſari cum Marcello. Cum vero eum deduxiſſet vſque ad portas, de cetero euanuit ab oculis. De quo nullus dubitauit ex his, qui viderant, ſed euidens omnibus fuit, eum fuiſſe Dei miniſtrum virili habitu indutum, qui miſſus fuerat, vt eſſet cuſtos & ſatelles Marcelli, qui ab eo fuit habitus tanto honore. Hæc quidem, qui puriores oculos habuerunt, comites ſancti Marcelli videre meruerunt, quæ ceteris erant occulta; quibus plane ſignificatum eſt, pijs pro fide certantibus Angelos ad miniſterium præſto eſſe. Teſtatur & Zonaras, clericos & monachos conueniſſe Imperatorem, & exclamaſſe contra eum, vt Cæſar catholicus crearetur. Haud ita poſt (ſubdit auctor) acceperunt finem ea, quæ idem Marcellus prædixit.

Zonar. Annal. to. 3.

Cum ſe poſt orationem ſomno aliquando dediſſet, ei apparet viſio illa; erat autem huiuſmodi. Pugnabant inter ſe leo, & draco; ſed draco quidem, cum eſſet ingentis magnitudinis, cauda leonem verberabat & torquebat; leo vero dolebat quidem, & ad ſe defendendum excitabatur, & draconem obiēs inaniter depugnabat, & eum nihil lædebat; quouſque ipſe quidem defeſſus plagis humi totus iacebat afflictus & imbecillus. Repræſentabat viſio ſtatū

illum

illum Leonis Imperatoris, cum anno ſuperiori dolo Aſparis florentiſſimus in Aphricam miſſus exercitus perijt, & claſſis relicta eſt Genſerico comburenda. Sed ſubdit: Inde cum ſe rurſum Leo paululũ recreaſſet, & veluti è quodam ſomno ſurrexiſſet, magno vehementiq. impetu in draconem inſilijt, eumq. pronum in ventrem proſtrauit. Hoc cum diuinus vidiſſet Marcellus, & accuratiſſime conieciſſet, prædixit haud ita poſt Aſparem & Ardaburium eſſe cum toto genere interimendum ab Imperatore. & inferius: Haud ita multo poſt acceperunt finem ea, quæ prædixit.

Angelorum auxilio Romani victoriam conſecuti ſunt ex Sarracænis hoſtibus circiter centum millibus, ſeſe metu in Euphratem præcipitantibus. Cap. 401.

ITaque ſimulatque Imperator Romanus intellexerat Perſas maximas copias contra ipſum comparaſſe, ſpe tota belli adminiſtrandi in Deo collocata, maximum exercitum ex aduerſo miſit. Imperatorem autem ſummũ protinus à Deo beneficium accepiſſe, quod eius ope confidebat, ex hoc perſpicuum eſſe poterit. Cum enim Conſtantinopolitani anxio & ſolicito animo eſſent, & propter incertam belli fortunam ancipiti cura diſtracti, Angeli Dei in Bithynia nonnullis, quos negotia neceſſaria ire cogebant, apparentes, iubent renunciare Conſtantinopolitanis, vt bono animo ſint, precibus, ſe dedant, & firmam in Deo ſpem ponant; Romanos victores fore, ſe enim adminiſtratores belli à Deo miſſos dicebant. Quo audito non ſolum ciuitas confirmata fuit, verumetiam militum animi multo ad bellum facti alacriores. Socr. lib. 7. c. 18.

Vbi bellum erat ex Armenia in Meſopotamiã translatum, Romani Perſas in Vrbe Niſibenorum concluſos obſidione cingunt, turreſq. ex ligno fabricatas, quæ machina quadam voluebantur, mœnibus admouent, multos, qui ex mœnibus pugnare, eaq. defendere nitebantur, trucidant.

Baratanes igitur Rex Perſarum certior factus, cùm regionem Azazenorum vaſtatam, tùm ſuos milites, qui erant in vrbe Niſibenorum concluſi, à Romanis obſeſſos, ipſe cum omnibus ſuis copijs contra Romanos ire conſtituit. At quoniam Romanorum exercitum vehementer formidabat, auxilium poſtulat à Sarracęnis, quibus id temporis præfuit Alamundarus, Vir excelſo animo, & bellicoſo, qui infinita Sarracænorum manu ſecum adducta, Regem Perſarum confidere iubet, quin etiam pollicetur, neque id adeo multo poſt, illi non ſolum ſubacturum Romanos, ſed Antiochiam, quæ eſt in Syria, traditurum. Verum eius promiſſio non ſucceſſit ex ſententia; nam Deus adeo ingentem Sarracænis incuſſit timorem, vt Romanorum copias in ipſos de repente irruiſſe exiſtimarent, atque cum inter ipſos tumultuarentur, & non haberent à quo aufugerent, ipſi ſe armatos præcipitarunt in fluuium Euphratem, in quo homines circiter centum millia ſubmerſi ſunt. Sic cum Sarracęnorum copijs actum eſt. Hoc Socrates, ſubditq. alia. Sed breuitatis cauſa relinquimus.

Chri-

Chriſtianorum Exercitus, Angelo duce, ex magnis anguſtÿs, incolumis ad propria reſtituitur. Cap. 402.

Vuillelm. Tyr. lib. 16. c. 8. 11. 12. 13.

VIdentes infideles hoſtes, quod obſidentes Palęſtinam non proficerent, ad alia ſe conuertunt molimina. Erat ſane regio tota vepribus & fruteris humilibus, cardonibus aridis, & ſinapis ſilua, veteribus ſtipulis, & frugibus iam maturis obſita: his omnibus ignem ſubijciunt, vento noſtris obuio fomitem, & vires miniſtrante. Hic incendij vicinioris afflatu, fumiq. occurrentis nube denſiſſima noſtris ingeminatur moleſtia. Cum ecce ad Venerabilem virum Dominum Robertum Nazarenum Archiepiſcopum, qui crucē Dominicam baiulabat, omnis populus clamore, & eiulatu conuerſus, poſtulabat cum lachrymis dicens: Ora pro nobis pater, & per hoc viuificæ crucis lignum, quod manibus geſtas, in quo noſtræ ſalutis auctorem credimus pependiſſe, erue nos ab his malis: nam diutius ſuſtinere non poſſumus: Erat autem populus in modum fabrorum ferrariorum officinas exercentium, vento agitante fuliginem, tàm facie, quàm toto corporis habitu nigredine factus decolor, & tàm æſtatis, quàm incendiorum caumate duplicato ad ſupremum afflictus ſiti, ſupra vires laborabat. Ad has itaque gementes populi voces, vir Deo amabilis, contritus corde, & animo valde compatiens, ſalutare lignum erigit contra incendia, quæ illi totis viribus procurabant, & inuocato de ſuperius auxilio, ſtatim affuit virtus diuina, & in momento conuerſis in oppoſitum flatibus, incendia tetra, ſimul cum fumi caligine, in hoſtes, qui noſtrum præcedebant exercitum, ſe dirigunt, & quæ in noſtram parauerant læſionem, in ſuam vident retorta perniciem. Stupent hoſtes nouitate miraculi, & ſingularem reputant Chriſtianorum fidem, quæ tàm præſens à Domino Deo ſuo pro votis impetraret beneficium. Et paulo inferius; Cum in alia ineuitabilia Chriſtianorum exercitus incidiſſet diſcrimina, vt errarent omnes in inuio & non in via, & anguſtijs locorum intercludendi, ab ingruentibus hoſtibus omnes cædendi eſſent, prauio ignoto duce, nempe cæleſti nuntio, eodemq. ſignifero, per alias vias eſt ſecure deductus Hieroſolymam vſque. Qui & admirabili perfunctus miniſterio, ab omnium mox euanuit oculis.

Puella, ne quidam vir ære alieno preſſus ſe interficeret, omnes ſuas facultates ei elargitur: ſed ipſa poſtea propter egeſtatem egens, meretrix facta eſt, quæ cum baptizari vellet, neminem habens, qui eam ſuſciperet, ab Angelis adiuta, baptizata eſt. Cap. 403.

Ex Prat. ſpir. c. 207.

NArrauit (inquit Auctor Prati ſpūalis) nobis Abbas Theonas, & Theodorus, ꝙ Alexandriæ ſub Paulo Patriarcha, puella quædā relicta fuerat pupilla à parētibus magna facultate locupletibus. Erat aūt adhuc ſine baptiſmo. Die vero quodam ingreſſa pomariū, quod ſibi reliquerant parentes eius (ſunt enim in medio ciuitatis pomaria) vidit quēmdam parantem ſibi laqueum, vt ſe præfocaret. Cucurrit igitur, & dixit ei: Quid facis homo? Dixit au-

tem

tem ei: Dimitte mè, mulier, quoniam in multa tribulatione ſum. Quæ ait: Dic mihi cauſam, & fortaſſis adiuuare te potero. Dixit illi: Graui ære alieno premor, & valde ſuffocor à creditoribus, elegiq. potius vitam finire, quàm quotidie mori. Quæ dixit illi: Quæſo te, accipe omnia, quæ habeo, & redde, tantum ne perdas te ipſum. Sumens vero ille reddidit omnia. Puella ergo anguſtiari cæpit, non habens, qui ſui curam gereret: itaque deſtituta parentum ſolatio, fornicari inſtituit, & inde ſibi victum quærere. Dicebant ergo viri illi ſancti Theones, & Theodorus, admirantes ſcilicet: Quis nouit iſta, niſi ſolus Deus; quomodo ſcilicet permittatur anima propter cauſam aliquam ipſi ſoli cognitam, ad tempus derelinqui? Poſt aliquantum vero temporis infirmata eſt puella, & in ſe conuerſa compuncta eſt, orauitq. Pontificem, vt faceret illam Chriſtianam. Omnes autem aſpernabantur eam, dicentes: Quis hanc ſuſcipiat, quæ meretrix eſt? Affligebatur autem vehementer. Cum vero in his eſſet anguſtijs, aſtitit illi Angelus in ſpeciem hominis, cum quo miſericordiam fecerat. Cui illa dixit: Cupio fieri Chriſtiana, & nemo vult pro me loqui. Qui ait: Nunquid reuera iſtud cupis? Reſpondit illa: Vtique, Domine, & deprecor te, vt hoc mihi impertias. Qui ait: Noli triſtari. Ego adducam aliquos, qui te accipiant. Adduxit ergo alios duos, & ipſos ſanctos Angelos. Duxeruntq. illam ad Eccleſiam. Rurſusq. ſe ipſos transformantes in perſonas quaſdam illuſtres, & notas in ordine Auguſtalium, vocant Clericos, Presbyterum ſcilicet, & Diaconum qui in hoc ipſum conſtituti erant.

Dicunt ei Clerici: Veſtra claritas pro ea pollicetur? Illi autem reſponderunt: etiam nos pro illa pollicemur. Sumentes ergo illam baptizauerunt; & albis induta, rurſus ab eis ſubuecta eſt. Quam cum depoſuiſſent, euanuerunt. Vicini ergo cum illam ita albis indutam viderent, poſtquam receſſerunt illi, dicunt ei: Quis te baptizauit? Nunciauit autem eis rem totam, dicens: Venerunt quidam, & tulerunt me in eccleſiam, locutiq. ſunt clericis, & baptizauerunt me. Et dixerunt ad illam: Qui ſunt illi? Cum vero non poſſet dicere, qui eſſent illi, abeuntes nunciauerunt Epiſcopo. Dixit autem Epiſcopus his, qui ad baptizandum conſtituti erant, & confeſſi ſunt ſe illam baptizaſſe, exhortatos ab illo, & illo Auguſtalibus. Porrò accerſitis ex prætorio his, quos clerici dixerant, dixit Epiſcopus: Num ipſi pro iſta fideiuſſiſtis? Qui dixerunt: Neque nouimus, neque conſcij ſumus nos hoc feciſſe? Tunc vero iam cogitauit Epiſcopus, Dei hoc eſſe opus. Conuocanſq. illam, dixit ei: Dic mihi, filia, quid geſſiſti boni? Quæ ait: Meretrix exiſtens, & paupercula, quid boni facere potui? Dixit illi Epiſcopus. Nihil omnino operata es? Dixit: Non; niſi quod videns quemdam, qui à creditoribus premebatur, ſe ſuffocare volentem, data illi omnia ſubſtantia mea, liberaui eum. Et his dictis, continuo obdormiuit in Domino. Tunc Epiſcopus glorificans Dominum, dixit: Iuſtus es, Domine, & rectum iudicium tuum. Hucuſque auctor, non abſque probatorum virorum teſtificatione hæc aſſerens.

Caſtus Iuuenis, cum temerè ſeſe occaſioni perdendæ caſtitatis expoſuiſſet, ab Angelo verberatus eſt, vt reſipiſceret.
Cap. 404.

Ex Specul. exemplorũ diſt. 10. c. 9.

ZVVollis Oppidum inſigne Traiectenſis Diœceſis eſt, vbi quod dicturus ſum, firma didici relatione contigiſſe. Erat ibi ſicut & in ceteris ſcholis nõ arguenda cõſuetudo, vt ſcholaribus ibidem frequentantibus vno vel duobus diebus in ſeptimana concederetur decentibus ludis tenſum ſtudendi rigorem paululum relaxare, ne ſi nimium iuueniles animos indeſeſſa ſtudioſitate laſſeſcerent, aut ſcholæ faſtidium, aut ſenſuum perturbata ratione incurrerent detrimentum. Nam ſicut duratas trabes ſi nimium flexeris, franges: ſic tenera adoleſcentum ingenia, ſi immoderato rigore grauaueris, premes. Preſſa enim in ſublime ferri non poſſunt. Modus tamen ſecundum Quintilianum in huiuſmodi remiſſionibus ille ſeruandus eſt, ne aut odium ſtudiorum faciant negatæ, aut ocij conſuetudinem nimiæ. Quidam igitur eiuſdem Oppidi ſcholares hac ſua conceſſione vti volentes, eo pacto luſuri campos intrauerunt, vt hi, qui ludentes amitterent, bibendam illo veſpere ceruiſiam ſoli ſoluerent, ſuosq. victores ab expoſitione tutarent. Cumque huiuſmodi luſibus diem duxiſſent in veſperum, ac ſufficiente ſymbolo facto remeandum viderent, vnus ex illis, qui eorum ſignifer, atque dux ad inſolentiam videbatur; quoniam, inquit, ſufficiens ſymbolum luſuum indicio factum eſt, abundatq. pecunia, hoc veſpere in potibus conſumenda: nunc quia vrgentibus tenebris eſt Oppidum repetendum, vel ſemel adhuc ea lege ludamus, vt quiſquis noſtrum victor extiterit, quodcumque libuerit, eo pacto alijs imperet, vt qui imperantis iura implere contempſerit, vnus & ſolus futuræ cœnæ ſoluat impendia, atque ſic lucrata hactenus pecunia in aliud tempus reſeruetur. Placet omnibus concepta, propoſitaq. inuentio, & reparato ludo quiſque, vt ſic præcipere ceteris liceat, arte, atque induſtria qua poteſt elaborat. Verùm, quia frequenter fœliciores euentus prauis arrident, ſoleatq. improbos comitari fortuna ſecundior, is qui omnibus nequior erat, iuuante victoria præceptor effectus eſt. Vnde ſolemni, celebriq. cęna completa, cunctis imperat ſe ſequantur. Quo imperato ſurgit nequam à cęna: exit: idem præcedit, ceteri ignari, & neſcij quo iturum ſceleris ducem ſubſequuntur. Heu res nefanda. Ingreditur lupanar infauſtus lupus, & poſtquam completa libidine exiſſet, vt ſimiliter viciſſim omnes facerent, ſub penalis pacti euaſione turpis bellua imperauit. Parent omnes nefando præcepto libenti animo: nam libidine æſtuabant, quod agere iuſſi ſunt, adimplerunt. Vnus tamen ex eis, quem nedum forma corporea, quæ in eo elegantiſſima erat, decorum effecit, verùm etiam probitas, & honeſtas, nec non & virgineus quidam rubor pulchris reddiderat pulchriorem, ad exitiale preceptum exhorrens pallentibus genis intremuit: petijt ſodales, vt liber ſibi præberetur egreſſus, maxime quia hactenus ſeruaſſet inuiolata caſtra pudoris: firmaſſetq. animo ſe vitam potius, quàm virginitatem perditurum. His adoleſcentis verbis non compuncti, ſed prouocati ſodales, vi abſtractum è collo palliolum tenent: nec ſe illud reddituros affirmant, niſi expectantis ſe feminæ amplexibus iungeretur. Non tu, in-

quiunt

quiunt, ſeruata caſtimonia vnus, & ſolus noſtram omnium luxuriam irridebis. Tum iuuenis vt obſtinatam ſodalium malitiam vidit: non ignarus cõſilij lætos, atque feſtiuos reinduit vultus, & lacerum doloribus animum ſerena fronte diſſimulãs: ſi omninò, inquit, libet me veſtris amplexibus habere conſortem, valeat nunc fęlix virginitas, & cum id tempus exegerit, memorem ſe faciat quod hactenus cum ſumma veneratione in meis ſit laribus hoſpitata. Et cum hæc dixiſſet, rapido curſu ſe ad cubile meretricis quaſi concubiturus ingeſſit. In cuius limine cum introiturus conſiſteret: verſa in tergum fronte, vt minus notaretur ſodalibus inclamauit: Num ſolum virginibus cæli patebunt, & non etiam poſt adulteria Dauid, & plures alij regna meruere manſura? Ad hæc ſodales in caſum concitati plauſum fecerunt. Ipſe tamen anxie ſatis in intimis cordis ſui penetralibus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum precabatur, ne caueam ſcorti, naufragum videlicet pelagus virginei pudoris ingreſſus, caſtitatis ſtipendia pateretur. Atque ſic introiens firmatis ſolidius forium ſeris, ne quid cum femina loqueretur expectantes præ ianuis ſodales reſcirent, & geſtientem in ſuos amplexus feminam paululum declinans huiuſcemodi verbis affatur: Quoniam non ignoro infęlix ſoror, quod te in hanc miſeram, infamemq. vitam non tam pudicitiæ odium, quàm capiendæ pecuniæ amor tranſmiſerit, auſus ſum introire ad te, & nunc amotis arbitris colloqui tibi, cum tamen longè ſit a nima mea, vt tecum (in pudicitiæ vaſtũ periculum) velim quicquam peruersè agere, vel virginitatem meam, quam gratia Dei vſque ad mortem inuiolatam tuebor, tuis, aliarumue feminarum amplexibus conſtuprare. Quia igitur me ad te non tàm laſciuia inuexit, quàm compulit temerata malis praua ſocietas, redimere malo, quàm violare pudorem. Interim apertis marſupijs non contemnendi valoris argenteum nummum protulit, quem feminæ tribuens ait: Sume hunc nummum, & ſecretum habe, nulliq. pandas, quod ſaluis virginitatis ſigillis abs te hac hora receſſerim; alioquin ſi ſodalibus res hæc innoteſceret, ſe in mea damna armarent.

Accepit nummum proſtituta femina: & videns pudicam iuuenis, verecundamq. effigiem, admirata eſt vehementer adoleſcentem tenerum annis tanta morum honeſtate, & verborum grauitate ſtare conſpicuum, vt nec in eam, nec in quamlibet polluti cubilis partem pudicũ lumen dijecerit. Vnde adhortata eſt eum, nè à propoſiti ſui puritate decideret, ſe rem ſecretam retenturam ſpopondit, & in pace abire præcepit. At iuuenis cum ad ſocios expectantes rediſſet, & poſt inſolentes diſcurſus, & varios platearum circumitus tempus profundæ noctis quieſcendum præciperet, ab eis diuiſus ad propria commeauit. Verùm quia indecens fuerat tantæ probitati tam improbis ſodalibus ſui præbere conſortium, non eſt paſſus pijſſimus Deus, qui ſemper quos diligit arguit, & caſtigat, hanc offenſam impunè prætergredi, ſed tamquam benigniſſimus paſtor balantis ouiculæ ſuæ hoc modo emendauit errorem. Gradiebatur ſolus per viam, vt iret domum, haud parum in ſemetipſo admirans, quod potuiſſet illam metuendæ leenæ caueam illęſus, intactuſq. euadere. Cumq. talia memorans girato in obliquum gradu in alium vicum diuertiſſet, qui recto itinere ad ſuum hoſpitium dirigebat, ſubito vidit ante ſe per horrendæ noctis caliginem perſonam quandam, cuius virilis facies (nam vir videbatur) micantium aſtrorum lumen reuin-

cens

cens inuiſa plateam luce perfudit. Qui appropinquans dextera manu tanto ictus impetu in maxillam iuuenis palmam fixit, vt vi verberis in terram reliſus palpitaret, dicens: Vel hoc verbere doctus prauæ ſodalitatis virulenta contagia vereare. At iuuenis cum poſt breuiſſimam horam caſus ſui reſurgeret, viſurus quiſnàm ipſum tàm violenta alapa conſternaſſet, nullum præter ſe circa ſe vidit. Qua ex re Angelum ſuum fuiſſe, qui diuino imperio ipſum de errore commiſſo corrigeret, non ambigua æſtimatione arbitratus, ad hoſpitium alacer repedauit, non minus de prodigioſa, & profutura ſibi correctione gauiſus, quàm de verberis acerbitate ſollicitus. Ceterum ne phantaſticum aliquid contra ſe contigiſſe iuuenis crederet, & ſomnio ſe magis deceptum eſſe, quàm re geſta inſtructum eſſe putaret, diuina diſpenſatione factum eſt, quod per plures dies cæſa maxilla in tantũ diſtenſa pelle tumuerit, vt ad aliquot dies in publicum procedere tanta genarum diſparilitate vereretur. O felix iuſti rigoris, & è celſiſſimis cæli miſſa cenſura, quæ dum vnius errorem digno verbere cęcidiſti, euidens dediſti documentum poſteris, quantum Deo, Angeliſq. diſpliceat inſontem adoleſcentum ætatem inſolentibus ſodalibus commiſceri. Sed nunc in fine exempli quibus te verbis dignè lacerem neſcio ſceleſte præceptor, qui dum præuia conuentione, & pęnali pacto noueras omnes ſodales præceptis tuis parituros, & non auſuros tua violare imperia, quare non iubendo docuiſti florentis iuuentutis digniſſimam indolem virtutibus animum dare, inuiolata ſeruare caſtra pudoris, & diuinis magis quàm tuis iuſſis corda inflectere? niſi quod à magiſtro diabolo idcirco iubereris, tàm inauditum ludum effingere, vt te, ſodaleſq. tuos ſæuus paricida ſtuprata virginitate perimeres? Sed expecta pauliſper, & videbis tu, tuiq. ſequaces, quàm metuendus iudex ægrè pertulerit, animas roſea ſanguinis ſui effuſione redemptas, tuis iuſſibus, exemplis, & conſilijs perijſſe.

Cum domus ruitura eſſet, & omnes domeſticos oppreſſura, Domino Domus apparet Angelus in ſomnis, & admonet vt fugiant ex ea; quod cum feciſſent, domus ſtatim ruit. Quod idem beneficium, Angeli, & quibuſdam venatoribus ſub ſpecu latentibus præſtiterunt. Cap. 405.

QVidam pius vir, qui valde frequens erat ad audiendum verbum Dei in Oratorio noſtro, narrauit mihi, fuiſſe hic Romæ quendam, ſi bene memini, legiſperitum, qui ope Angeli ſui ipſe, & tota familia ſua, ex inſtanti ruina ereptus eſt. Habitabat hic confidenter in domo ſua. Cum autem quadam nocte dormirent omnes, apparuit ei in ſomnis quidam, qui magno ei neceſſitudinis vinculo coniunctus erat. Qui intuens illum, dixit ei: Surge ſtatim ex ſtrato, & dic vxori tuæ, & filijs tuis, & toti familiæ, vt ſurgant, & fugite omnes ex domo iſta, nam breui futurum eſt, vt ruat, & quotquot inuenerit, opprimet, & ſepeliet ſub ruina, & his dictis diſparuit. Ille autem expergefactus, & hoc ſermone vehementius territus, ſurrexit dicto citius, iuſſitq. vt tota familia illicò ſurgeret, vt fugere poſſent à domo ruinam comminante. Cum autem ſumpſiſſet tantum quædam pretioſa, quæ in ſcrinio tenebat, nulla facta mora, exijt ex domo cum cogna-

tione ſua. Vix quinquaginta paſſus receſſerāt,cū domus illa à culmine ſoluta magno fragore dilabitur. Et ſic Angeli miniſterio ab imminēti diſcrimine euaſerunt incolumes. Ille enim amicus, qui in ſomnis aſtitit ei, alius, quàm Angelus eius eſſe non potuit, qui cognito periculo (quæ eſt in nos Angelorum beneuolentia) à certo illo interitu eos præſeruare voluit.

Non ſolum autem per apparitiones, ſed per internas ſuggeſtiones opem afferre conſueuere Angeli hominibus periclitantibus.

In ciuitate, quam Caſtellanam appellant, quidam ciues ex primarijs ciuitatis condixerāt, vt ad vicinas ſyluas campeſtres proficiſcerentur per aliquot dies venationis gratia feras indagando. Cum vero profecti venationi operam darent, contigit, vt cælum, quod ſerenum fuerat, incæpit ita nubibus obtegi, vt paulo poſt grandis pluuia ſuper terram caderet. Flabant venti, mugiebant tonitrua, ſcintillabant corruſcationes, ita vt venatores graui procella ſub dio agitarentur, & cum pluuiæ cadentis impetum ferre non poſſent, cum equis, & canibus in vicinum collatebroſum ſpecus, quod in tuſo erat excauatum, ſe receperunt. Cum autem ibi morarentur, donec tempeſtas miteſceret, vnus ex illis ſenſit cor ſuum formidine repleri, quaſi omnibus ibi commorantibus mors inſtaret. Quamobrem commotione illa pulſatus proclamauit pluries alta voce: fugiamus hinc, recedamus ex hoc ſpecu, ſi mori nolumus. Et quamquam, id, quod dicebat, videretur irrationabile, nō enim apparebat cauſa moriendi, tamē omnes trepidi ex ſpecu illo receſſerunt, quamquam imber magis quàm prius increbreſceret. Vix pedes extra ſpeluncam dimouerant, quando à mugiente nube tremendum fulmen ſuper altum antri foramen exploditur, ſpelunca fulmine tacta, ſtatim corruit, omnes, niſi receſſiſſent, oppreſſura.

Illi vero trementes, domum reuerſi, gratias egerunt Deo, qui liberauit eos ex interitionibus eorum. Diemq. illum per ſingulos annos recurrentem perpetuo obſeruarunt ad Dei honorem.

Nullus autem cogitare poteſt, hanc illis ſalutem eſſe impertitam, præterquàm ab Angelis.

Retulit mihi hoc Medicus ex illa ciuitate oriundus, qui bene nouerat.

Aegrotus amaro animo moriens, viſa per Angeli miniſterium pulcherrima Paradiſi viſione, libenter ſuſcipit mortem. *Cap.* 406.

PRæterea autem Angelorum opitulationes apparent periculoſo mortis tempore, tunc enim, quia de ſumma rerum agitur, magis, magiſquè hominibus adiumento eſſe ſolent. Quod probatum eſt in Prouincia Mexici apud Indos anno 1587. tunc enim contigit, hoc quod eſt memoria dignum. Cum enim quidam ægrotus mortem vehementius formidaret, quadam die ſolus permanens, pulcherrimum iuuenem ante ſe aſtare aſpexit, qui egregia luce circumfuſus erat. Is acceſſit proximus, & vt illi extremum dolorem, quem mortis habebat, ægro mitigare poſſet, oſtendit ei quoſdam montes pretioſis gemmis, & margaritis coruſcantes, aureoq. mundo vndique contectos; ſuper autem montes iſtos obambulabant mille hominum myriades, lætum, & iucundum præſeferentes vultum, & loci illius incredibili amoenitate *Ex Annal. Societ. Ieſu 1587.*

nitate

nitate fruentes. Cum autem hac oſtenſa rerum pulchritudine, ægro ad pergendum ad amęnum illum locum incitaſſet, dixit ei: Hic locus Paradiſus eſt; illi autem, quos tanta alacritate, ac animi ſecuritate vides huc, atque illuc iucundè ambulantes, ſunt eorum animæ, qui fidem Chriſti amplexi ſanctè, & iuſtè vixerunt, & in pace mortui ſunt. Qua viſione recreatus æger, poſtquàm aſtantibus eam ordinate recenſuit, accenſus deſiderio accedendi ad illud fœliciſſimum regnum, libenter ex hac vita receſſit.

De vindicta diuina in Herodem Agrippam, & miſerabili eius interitu. Cap. 407.

Ioſeph. ant. lib. 19. c. 7. AGrippa Rex Iudæorum, vt Ioſeph teſtatur, cum ageret regni ſui annum ſeptimum, quorum quatuor ſub Caio, tribus vero ſub Claudio regnauerat, miſerando interitu vita functus eſt: cuius obitũ Lucas mox poſt necẽ Iacobi, & carcerem Petri recẽſuit, vt Dei vindictam aduerſum eum in vltionem admiſſorum facinorum declararet. Sic ergo rem geſtam breui compendio *Act. 12.* perſtringens, ait: Statuto autem die, Herodes veſtitus veſte regia ſedit pro tribunali, & concionabatur ad eos: populus autem acclamabat, Dei voces, & non hominis: confeſtim autem percuſſit eum Angelus Domini, eo quod non dediſſet honorem Deo, & conſumptus vermibus expirauit. hæc Lucas. Ioſephus vero rem geſtam pluribus proſecutus ſic ait: *Ioſeph. ant. lib 19. c. 17* Agrippa Matthiæ adempto Pontificatu ſucceſſorem dedit Elionæum Cithei filium, iamq. tertium totius Regni (à Claudio enim integrum acceperat) annum exegerat, cum peruenit in Vrbem Cæſaream, quæ prius Stratonis Turris dicta eſt, vbi ſolemnes ludos celebrauit pro ſalute Cæſaris. Ad quam feſtiuitatem magna multitudo nobilium, ac Procerum conuenerat ex tota Prouincia. Eius celebritatis die ſecunda proceſſit mane in Theatrũ, amictus veſte tota argento mirabili opere contexta, quæ radijs Orientis ſolis percuſſa, & diuinum quendam fulgorem emittens, venerationem cum honore incutiebat ſpectantibus: moxq. adulatores pernicioſi altius inde clamantes Deum conſalutabant, rogantes, vt faueret propitius: hactenus enim vt hominem reueritos, nũc agnoſcere, & fateri in eo quiddam mortali natura excellentius. Hanc ipſam adulationem nec ille caſtigauit, nec repulit, pauloq. ſuſpiciens, vidit ſupra caput ſuum bubonem funi extento inſidentem; moxq. vt ſentit hunc eſſe calamitatis nuntium, qui olim fœlicitatis fuerat, ex intimis præcordijs indoluit. Secuta ſunt ventris tormina ſtatim à principio vehementia. Conuerſis igitur in amicos oculis: En, inquit ego ille veſtra appellatione Deus, vitam relinquere iubeor, fatali neceſſitate coarguente veſtrum mendacium; & quem immortalem ſalutatis, ad mortem rapior: ſed ferenda eſt voluntas cæleſtis numinis, neque enim male viximus, immo tanta fœlicitate, vt omnes me beatum prædicent. Hæc locutus creſcente dolore deceruicabatur. Propere igitur relato in regiam, rumor ſparſus eſt breui eſſe moriturum. Quamobrem confeſtim totus populus vnà cum vxoribus, atque liberis ſaccum indutus more patrio ſupplicabat Deo pro ſalute Regis, omnia miſcens lamentis, & eiulatibus. Rex autem in celſiore decumbens cubiculo, & in faciem ſtratos humi proſpiciens non

tem.

temperabat ſibi à lachrymis: cruciatu deinde per continuos quinque dies nihil ſe remittente confectus vitam finiuit, annum natus quartum ſupra quinquageſimum, poſtquam regnaſſet per ſeptennium: quatuor enim annos ſub Caio Cæſare obtinuit regnum, primum in Philippi Tetrarchia per triennium eius, quarto demum anno acceſſit & Herodis Tetrarchia, tribus deinde annis ſub Claudio Cæſare. Præter iam dictam ditionem in Iudæa quoque regnauit, & Samaria ſimulq. Cæſarea. Et paulò poſt: Superſtites autem ei fuerunt filius quidem vnus Agrippa, annum agens decimum ſeptimum, filiæ vero tres, ex quibus Berenices nupta erat Herodi patruo, nata annos ſexdecim: reliquæ duæ tùm etiam virgines erant Mariamne, & Druſilla: hæc ſeptennis à patre deſponſata Iulio Archelao Chelicæ filio, illa decennis Epiphani filio Comagenorum Regis Antiochi.

Noluit autem Deus huius Herodis impium facinus, qui Petrum, quem Eccleſiæ ſuæ Paſtorem conſtituerat, in carcerem coniecerat, vt eum morti traderet, relinquere impunitum primis illis naſcentis Eccleſiæ temporibus, vt deinceps Reges omnes, & Principes gentium ſcirent, & intelligerent, eos, qui tangent Petrum, & Petri ſucceſſores, ideſt Chriſti Domini Vicarios, & populi Chriſtiani Paſtores, tangere pupillam oculorum diuinorum; & collatas aduerſus ipſos iniurias, & contumelias, & illius dignitatis contemptum, & bonorum Eccleſiaſticorum iniuſtas vſurpationes, & traditæ poteſtatis, & iuriſdictionis ablationem, & diminutionem, dirigi non contra eos, qui homines ſunt, ſed contra Deum & Chriſtum eius, orbis Dominatorem, Regum Regem, qui regnorum habens gubernacula, cum libet, abripit ex manibus ſceptra, & transfert in quemcumque voluerit.

Magna enim & ſingulari Dei prouidentia factum eſt, vt in exordio naſcentis Eccleſiæ, cũ cępit formari Dei populus appareret Dei indignatio, & diuinę voluntatis diſtrictum iudicium contra bonorum ad Eccleſiam pertinentium vſurpatores, aut abutẽtes illis, quod patuit in Anania & Saphira, quos Petrus ſummus, & diuinus Iudex propter delictum commiſſum in Eccleſiaſticis bonis morti adiudicauit. Volens eodẽ in iudicio Chriſtus omnibus hominibus notam facere magnitudinem poteſtatis, quam Petro tradiderat, quem gregis ſui vniuerſalẽ paſtorem conſtituerat, vt ſcirent poteſtatem ſibi cælitus conceſſam, etiam hoc habere, vt poſſit gladio animaduertere in facinoroſos homines, quod ad merum imperium pertinet, quod habent reges. Quapropter ſciens Petrus, quanta & qualis eſſet ſibi tradita à Chriſto poteſtas, nullum reſpectum habens, quod non liceret Iudæis interficere quemquam, ſed ius mortis reſideret penes Cæſarem, & præſidem eius, intrepide, & iuſtiſſime contra virum, & fœminam delinquentes, mortis ſententiam tulit, quam quidem ſententiam à ſummo imperio, & poteſtate procedentem Chriſtus ſequuta delinquentium morte confirmauit; oſtendens Vicarium ſuum habere omnimodam, & abſolutam poteſtatem ſupra Reges, & Præſides, & Rectores mundi huius. Non enim à Præſide, aut Herode Regem petijt facultatem coercendi reos ſubditos eorum, ſed ſua vtens poteſtate, & iuſtiſſimè, actu exercuit illam in maiori caſu, qui contingere poſſit, ideſt ad condemnationem mortis, qua maior in temporali regno non habetur.

12. q. 1. Videntes. 17. q. 4. Attendentes.

Eodemq. tempore, & illud voluit eſſe manifeſtum, quod ſiquis forſan faſtu tumens, & temporali regno in ſuperbiam elatus, præſumpſerit poteſta-

Oo tem,

tem, Vicarijs ſuis ab ipſo elargitam, aut auferre penitus, aut diminuere, aut aliqua ratione infringere, aut etiam Miniſtrum ſuum, quem conſtituit ſuper familiam ſuam, perſequi, aut iniuſtè affligere, & carceri aut morti tradere, is pro comperto haberet, delictum huiuſmodi & ſcelus ſeuero iudicio etiam in hoc mundo puniendum, quamquam ſit Rex, qui delinquat. Vt ſciant & intelligant Reges, & erudiantur, vt paſtori ſuo obtéperent (oues enim eius ſunt) & audiant vocem eius, & iuſſa eius perficiant, intelligentes, quoniã qui iubet, in cælis eſt. Ne ſi forſan ouis contra paſtorem inſurrexerit, quod irrationabile eſt, ſentiat ſuper caput ſuum diuinam vltionem, & pereat. Iniuſti enim puniuntur, & ſemen impiorum peribit.

Viderat enim Chriſtus æternorum temporum contemplator, quod contra nouam iſtã, & in terris inauditam poteſtatem erãt rebellaturi, & quod deberent aſtare contra Chriſtos ſuos, Reges terræ, ſummæ illius poteſtatis æmulatores, & Principes conuenire in vnum aduerſus Chriſtos ſuos, & æmulatione conaturos conterere poteſtatem illam; quapropter per Agrippæ Herodis exemplum voluit præmonere eos, vt deſiſtant à cogitationibus ſuis, quia non eſt conſilium contra Dominum, & non eſt, qui poſſit reſiſtere voluntati eius; qui permittit per aliquod tempus nonnunquam præualere potentes ſeculi contra ſeruos ſuos, tradens eos manibus eorum, qui euaginantes gladium, & intendentes arcum, illud agunt, vt deijciant, & conculcent innoxios, & trucident Dei miniſtros, & non conſiderant, quoniam Dominus ſubſannabit illos, & qui malignantur, exterminabuntur, & confundentur in tempore malo, & ſceptra eorum conterentur ſicut vas figuli, gladius eorum intrabit in corda ipſorum, & arcus eorum confringetur, & Dominus irridebit eos, quoniam proſpicit quoniam veniet dies eorum; & mox, vt honorati fuerint, & exaltati, deficientes, quemadmodum fumus deficient, & cum interierint, non ſument omnia, nec deſcendet cum eis gloria eorum, ſed inglorij, & trementes palpitantes obmuteſcent in tenebris, & ſtridebunt dentibus ſuis vſque in ſecula, & potentes potenter tormenta patientur, quia fortioribus fortior inſtat tribulatio.

Magnum ergo & memorabile, & prorſus tremendũ extitit Herodis iſtius exemplum, qui Petrum ad mortem perſecutus eſt, Angelus enim Domini, qui Petrum fractis catenis, & reſeratis portis ex carcere liberum abire permiſit, idem Angelus perſecutorem Herodem, vlciſcente Chriſto, percuſſit, vt vermibus conſumptus exſpiraret.

Quod quidem à Chriſto factum eſt non ſolum primis illis temporibus, ſed formidabile hoc exemplum ſæpius ſuccedentibus temporibus in Eccleſia renouauit. Cuius quidem argumenti nonnulla exemplã hic recenſere opportunũ erit; cetera autem, quæ enarratione digna erunt, loco ſuo recenſebũtur.

Anaſtaſius Imperator, Romanorum Pontificum ſeueriſſimus perſecutor, igne cælitus miſſo viuus exuritur. Cap. 408.

INter multos autem, qui Romanos Antiſtites, mundi paſtores ſpreuerunt, & perſecuti ſunt, & diuerſimode afflixerunt eos, extitit Anaſtaſius Imperator, contra quem mirifice vltio diuina magnificata eſt, de cælo trucidans eum.

Præceſſit

Præceſſit autem obitum Anaſtaſij, quod eum vehementer afflixit, ſomniũ, quod
huiuſmodi erat: Vir terribilis qui librum manu geſtans diceret: Ecce ob per-
uerſitatem fidei tuæ annos quatuordecim vitæ tuæ deleo: Somno ſolutus
Anaſtaſius, in ſomnium id Amantio Præpoſito ad ſe euocato expoſuit. Atque
is: Ego etiam, inquit, imaginatus ſum adſtare me Maieſtati tuæ, veniſſeq.
magnum porcum, qui me, veſte accepta, in terram proſtrauerit, atque de-
uorauerit. Deinde Proclus coniector aduenit, pronunciauitq. virum paulò
poſt vita defuncturum. Tunc plane, ſicuti Balthaſſar ad viſionem ſcriben- *Dan. 5.*
tium digitorum, facies Anaſtaſij commutata eſt, & cogitationes eius con-
turbauerunt eum, & compages renum eius præ metu ſoluebantur, & genua
eius ad ſe inuicem collidebantur, & ad eiuſmodi viſum mirum in modum
expauit, expalluit, & obriguit.

Proclus iſte coniector ſomniorum, & in philoſophia, & in mechanicis
florebat, neque Archimedis dumtaxat celeberrimi artificis cognorat omnia,
ſed & ipſe noua quædam adinuenerat: ab eo facta eſt machina, qua claſſis
Vitaliani debellata eſt. Nam ſpecula ex ære fabricaſſe vſtoria Proclus fer-
tur, eaq. de muro è regione hoſtilium nauium ſuſpendiſſe, in quæ cum ra-
dij ſolares impegiſſent, ignem inde inſtar fulminis erumpentem, claſſiarios,
ipſasq. naues hoſtium combuſſiſſe, quod Archimedem excogitaſſe, Romanis
Syracuſas obſidentibus, Dion refert. Fuit autem iſte Proclus Lycius, diſci-
pulus Syriani, auditor etiam Plutarchi philoſophi, Neſtorij filij, Platonicus
& ipſe Philoſophus, philoſophicæ ſcholæ Athenis præfuit, diſcipulus, &
ſucceſſor eius dicitur Marinus Neapolitanus. Anaſtaſius enim ſtuduit Athe-
narum reuocare Academias: Scripſit argumenta contra Chriſtianos decem,
& octo. Hic eſt ille Proclus, qui alter a Porphyrio impuram, & contume-
lioſam contra Chriſtianos linguam exacuit: ſed Ioannes philoſophus præ-
clariſſimè eius propoſitiones refutauit: eumq. in Græcis etiam, quibus effe-
rebatur, rudem, atque indoctum oſtendit, vt ex his intelligas, qualis eſſet
Anaſtaſius Imperator, qui inter intimos, ac neceſſarios haberet, Chriſtianæ
religionis hoſtem infenſiſſimum, cui credebat.

Porrò Procli illius philoſophi celeberrimi, & excellentiſſimi mathematici
creditur illud inſanum fuiſſe opus, quod ſibi ad mortem euitandam Anaſta-
ſius fabricauit; de quo Zonaras: Et quia fatale ſibi eſſe ex oraculo didice-
rat, vt fulmine interiret. Tholotum ædificium conſtruxit, in eoq. degit, ſed
fruſtra, ſiquidem incaſſum humana laborat induſtria diuinum iudicium fal-
lere. Nam in impios ſcriptum eſt: Ibunt directe emiſſiones fulgurum, & *Sap. 5.*
tamquam à bene armato arcu nubium exterminabuntur, & ad certum locum
inſilient; ſicut & prædictum: Vox Domini confringentis cedros, & con- *Pſal. 28.*
fringet Dominus cedros Libani. Etenim impius Anaſtaſius exaltatus, &
eleuatus tamquam cedrus Libani, fulmine tactus, exuritur, nec inuentus eſt *Pſal. 36.*
amplius locus eius. De cælo namq. (vere dicere licet) dimicatum eſt con- *Iud. 5.*
tra eum.

Cum aliquando tonitrua horrendum in modum reſonarent, & fulgura
multa eliderentur, atque ipſe perterritus è cænaculo in cænaculum deſcen-
deret, & alios atque alios thalamos ſubiret, in quodam regio cubiculo mor-
tuus inuentus eſt. Anaſtaſius cum oraculo edoctus eſſet, igne ſibi pereun-
dum fore, ciſternam in Palatio, quæ frigida dicitur, multis meatibus ape-

ruit, quorum cuique cadus appoſitus eſſet, conatus hoc pacto oraculum irritum reddere. Verùm id abs re fuit. Fulmine enim diuinitus eſt ictus.
Iſai.14. Ecce iſte, qui conturbauit terram, qui concuſſit regna, qui poſuit Orbem deſertum, Vrbes eius deſtruxit, vinctis eius non aperuit carcerem, idem qui Orientem penitus prope exuit fide Catholica, quique viros ſanctiſſimos exilio relegauit, & gladijs armauit hæreticos in Orthodoxos, ſub cuius Imperio vires accepit peccatum, factus ipſe (vt ait diuinum oraculum) ſi-
Oſe.4. cut, qui contradicit ſacerdoti, obnitens contra Romanum Pontificem, ad quem proterue nimis ſcripſit: Non patiar mihi iuberi. De quo illud pro-
Iſa.14. pheticum occinendum: Detracta eſt ad inferos ſuperbia tua, concidit cadauer tuum: id infœlix expertus, ſimul ac Romani Pontificis penitus auerſatus eſt voluntati, & contempſit auctoritatem. Hic finis hominis pugnantis contra Deum, Anaſtaſij Imperatoris, & contemptoris Orthodoxorum Romanorum Antiſtitum, Fœlicis, Gelaſij, Anaſtaſij, Simmachi, & Hormiſdæ, ipſum paterne ſæpe monentium. At eoſdem ipſos, quos contempſit monitores, & correctores, poſt mortem apud Deum accuſatores, & vltores expertus eſt.

Mortuus eſt igitur, cum regnaſſet (vt auctor eſt Marcellinus in Chronico) annos viginti ſeptem, menſes tres, & dies viginti nouem, vel (vt alij
Euagr. lib. 3.c.vlt. affirmant) poſt annos viginti ſeptem, menſes tres, & dies viginti tres. Fuit dies percuſſionis eius nona Iulij.

Michaelis Imperatoris Conſtantinopolitani probra, & blaſphemiæ erga Rom. Pontificem: & Epiſtola Pontificis ad eum coercendum. Cap. 309.

NVllus vmquam ex impijs Principibus ſeculi excogitauit contra Petri ſucceſſores, tot ludibria, contumelias, nefandas impuritates, flagitia, infamias, vituperia, machinationes, & deteſtabiles blaſphemias, ſicut Michael Bizantij Imperator excogitauit, qui vnus omnes ſuperauit: ſed Chriſti numen, & Petri indignatio tarditatem pœnæ, grauitate ſupplicij compenſauit.

Non extant ipſæ quidem blaſphemæ Michaelis Imperatoris litteræ ad Nicolaum; nam Synodali ſententia publico decreto fuerunt traditæ igni. Reſcripſit vero Nicolaus ad Imperatorias litteras, cum idem ſanctiſſimus
Nic. PP. ep.8. Pontifex ægrotaret. Ipſo interea legato Michaele Prothoſpathario proteruè agente, vt non expectata bona valetudine Nicolai, egreſſus ab Vrbe abſque litteris in Oſtiam profectus ciuitatem, ibi expectaret tempus opportunum nauigandi. Cum ipſe Pontifex, ne abſque litteris ſuis reuerteretur, eam Conſtantinopolim ſcripſit ægrotans epiſtolam, & licet valde prolixam, breuior ab ipſo eſt iudicata, reſpectu eorum omnium, quæ ſcribenda fuiſſent, ſi omnibus ab Imperatore contumelioſe conſcriptis reſpondere per ſingula voluiſſet. Cum tamen ipſe Chriſtiana imbutus ſapientia, quæ in ſui iniuriam ſcripta eſſent, omnino contempſit, ad ea ſola reſpondens, quæ aduerſus Romanam Eccleſiam, & Sanctos Patres ab eo temerè fuiſſent procaciterq. iactata.

Equidem

Equidem Deo plenus ſummus ſacerdos, vti amantiſſimus pater, benigne admodum placideque, atque modeſte egit abſque amaro illo zelo, & contentione, quam ſubminiſtrat illa, quæ non deſurſum eſt, ſapientia terrena, animalis & diabolica, prætermittensq. innumeras per eum illatas blaſphemias, ſecundum quod monet Apoſtolus Petrus, cuius gubernabat Eccleſiã: Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, ſed è contrario, benedicentes, quia in hoc vocati eſtis, vt benedictionem hæreditate poſſideatis: ſic tantum reſpondet, quantum ſatisfaciat, Sapiente ita præcipiente: Reſponde ſtulto ſecundum ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens eſſe videatur: nam audi ipſum Nicolaum ita ſua epiſtola exordientem, & primum glorioſo titulo honeſtantem blaſphemum Imperatorem.

Epiſtola Nicolai Papæ ad Michaelem Orientalem Imperatorem miſſa, qua ſapienter, & cum manſuetudine reſpondet blaſphemis litteris ab eodem Michaele ad eundem conſcriptis, contemnens propter Chriſtum iniurias ſibi illatas, & docens, qualeſcumque ſint ſacerdotes, eos eſſe audiendos: docensq. qui ſint pij, & impij Imperatores, & quàm immaniter Pontifices Romanos Petri ſucceſſores perſequuntur, qui habent Petri tutelam, & patrocinium, & Chriſti Regis protectionem.
Cap. 409.

Nicolaus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, pijſſimo & dilectiſſimo filio, ſuperatori gentium, atque tranquilliſſimo Imperatori Michaeli à Deo protecto ſemper Auguſto: (Ita quidem nihil minuens in titulo Imperatoriæ maieſtatis, quod tamen penitus ſcit deeſſe in eius vita ſceleribus omnibus mancipata.) Sed attende, cum incipit.

1 Propoſueramus quidem, antequam Michael glorioſus Protoſpatharius legatus veſter Romam veniens, epiſtolam nobis claritatis veſtræ detuliſſet, talia vobis ſcripta per Miſſos noſtros, quæ iam & parata erant, tranſmittere, qualia gratiſſimus filius à diligente patre ac Dei cultores Imperatores à Sedis Apoſtolicæ præſulibus ſoliti erant ſuſcipere. At vero præfato viro perueniente, epiſtolamq. nobis veſtræ gloriæ, quæ tota blaſphemijs, tota erat iniurijs plena, porrigente, mutata eſt in luctum cithara noſtra, & organum noſtrum in vocem flentium: quoniam expectauimus tamquam de bona vite vuas, ſuſcepimus autem labruſcas. Itaq. mutauimus ſtylum, & oſtenſo vulneri congrua præuidimus adhibere medicamenta. Igitur ad potentiam veſtram inſpirante Domino ſcripturi, noſtræq. mentis affectus induſtriæ veſtræ reſeruaturi, necnon & pro ſancta Eccleſia Catholica & Apoſtolica (cuius nos præcipua cura, & quotidiana ſecundum Apoſtolicam doctrinã conſtringit) apud vos interuenturi, & epiſtolæ veſtræ aſſertionibus, prout Dominus poſſe, & noſſe dederit, reſponſuri, nihil opportunius, nihil aptius, nihil profecto ſalubrius arbitramur (licet vos à conuicijs inchoaſſetis) quam præ omnibus flagitare ſuppliciter eum, per quem Reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt, & in cuius manu corda ſunt Regum, & ex quo regnat omnis, qui piè regnat, & imperat omnis, qui eidem Regi regum, &

Domino dominantium non repugnat, Dominum videlicet Noſtrum Ieſum Chriſtum, cui omnis rationabilis creatura miniſtrat, nimirum cui & inſenſibiles venti, & maria imperati obediunt, quatenus & labia noſtra ad annuntiandum laudem ſuam aperiens, dilatatum quoque os noſtrum partu doctrinæ ſalutaris adimpleat, & quæ per noſtri Apoſtolatus officium auribus veſtris exterius dicimus, per ſe quoque nutu ſuæ inſpirationis interius mentibus veſtris inſpiret; quia incaſſum terra cordis vomere noſtræ linguæ proſcinditur, niſi cæleſtis roris aſperſione intrinſecus infundatur: Deus eſt enim, qui incrementum dat, & qui docet hominem ſcientiam. Putas Imperator non bene facimus, quod ab iniurijs ſcribentes inchoaueritis, nos ab orationibus, vos à conuicijs in nos, immo contra primam & magiſtram Eccleſiarum omnium loquentes exordium feceritis, nos in laudibus, & in nomine Domini ad potentiam veſtram ſermonem habituri os aperuerimus?

Vidimus enim gigantem Allophilum contra puerum, & citharædum noſtrum Dauid furore plenum, & blaſphemias eructantem primo impetu populo Dei terrorem non modicum intuliſſe, ſed expecta paululum, & ecce videbis in nomine Domini percuſſum, & à iam dicto hymnidico, & laudes ac Pſalmos, & orationes Domini maieſtati humiliter effundente gladio ſuo proſtratum. Et quidem nos iniurias nobis ſpecialiter irrogatas, & maxime pro iuſtitia laborantibus, & à iuſtitiæ impugnatoribus ingeſtas libenter ferimus. Diſcipuli enim ſumus illius, de quo Apoſtolorum princeps ait: Qui cum malediceretur, non maledicebat, & cum pateretur, non cõminabatur. De talibus enim veritas loquitur: Si patremfamilias Beelzebub vocauerunt, quantò magis domeſticos eius? & rurſum eos, qui propter nomen illius perſecutiones & maledicta toleraturi erant, beatos eſſe pronuncians dicens: Beati eſtis, cum maledixerint vobis, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduerſus vos mentientes propter me. Vbi ergo teſte conſcientia, Deus in cauſa eſt, ibi omnino beatitudo ſperanda; & vbi mendacium ſæuit, ibi conuicia nulla timenda: ſicut ergo nos propter Deum etiam à nõ vera dicẽtibus nobis iniurias illatas æquanimiter ferimus, ita quoque oportet pietatem veſtram ſacerdotibus, qualeſcumque ſint, propter eum cui deſeruiunt, reuerentiam potius quàm iniurias exhibere. (Pluribus enim agens inculcat, quàm graue ſcelus & ſacrilegium ingens in vniuerſa diuina ſcriptura monſtretur eſſe, de ſacerdotibus Dei male mereri.) Quod igitur prolixior ſit epiſtola, quàmplurimis reſecatis, ne lectori faſtidio ſimus, ea tantum deſcribemus, quæ magis neceſſaria, & ad inſtitutum congruentia eſſe noſcuntur, cum præſertim epiſtola ipſa tertio cuſa reperiatur in collectione Conciliorum Coloniæ atque Venetijs, Romæ iterum prælo credita.

Poſt nonnulla ergo quàm ſapientiſſime iſta ſubijcit: Non ergo quales ſunt ſacerdotes Domini, ſed quid de Domino loquantur, eſt vobis magnopere præuidendum: nec in Vicarijs beati Petri Apoſtoli vobis eſt attendendum qui ſint, ſed quid pro cor rectione Eccleſiarum, quid pro ſalute veſtra ſatagant. Neque enim illos inferiores dicetis Scribis & Phariſæis ſedentibus ſuper cathedrã Moyſi, de quibus Dominus præcepit dicens: Quæcumque dixerint vobis, facite & obſeruate, ſecundum opera vero eorum nolite facere. Ergo Imperator conſidera, ſi illos dixit audiendos, qui ſuper cathedram Moyſi ſedebant, qua nto potius his, qui ſuper cathedram Petri reſident,

eſſe exiſtimetis obaudiendum? Et ſi illorum non opera, ſed dicta facere & obſeruare iubet, quantò potius horum, quicumque ſint ipſi, dicta & monita cuſtodienda ſunt, & amplectenda? &c.] Cum autem proprias in ſe illatas contumelias patienter ſe ferre teſtetur, in his, quæ ſpectant ad læſam Eccleſiam, quo ſit animo, ita declarat. Veruntamen, quæ ad Eccleſiæ Romanæ iniuriam, quæ ad ipſius priuilegiorum immutationem, quæ ad Sedis Apoſtolicæ Præſulum derogationem ſcripſiſtis, quanta poſſumus conſtantia retundemus, & nullis terroribus, nec vllis detractionibus veſtris repreſſi, quanta poſſumus virtute deſtruere, vtpote veritatis inimica, ſtudebimus.

Sicq. aggreditur Pontifex confutare, quod in primis ſcripſiſſet à tempore ſextæ Synodi nullum Orientalium Imperatorum communicatorias litteras ad Romanos Pontifices dediſſe, niſi ipſum, qui tali honore immeritos affeciſſet. Quàm enim id falſum ſit, pluribus docet; cum tamen ſi verum eſſet, illorum potius dedecus, & opprobrium arguendum fuiſſet, quod per tot annorum curricula perſeuerauerunt hæretici Imperatores; cum tamen quā diu perſeuerauerunt Catholici, eos Apoſtolicæ Sedi addictiſſimos fuiſſe pluribus declaret exemplis.

Eam vero fortius retundit audaciam, qua ſe antea iuſſiſſe ſuis litteris ipſi Romano Pontifici gloriatur, quod longe, inquit, abeſt à piorum Imperatorum affectu, quorum ſicut locum tenetis, vtinam ita & pietatem ſectemini, quod longe, inquam, eſt à Principibus Sedi Apoſtolicæ reuerentiam obſeruantibus. Manifeſtat vero patentem veritatem pluribus eius prædeceſſorum exemplis, quorum nullus imperioſo ſit eo vſus verbo, iubemus, ſed potius rogamus, vel petimus humili reuerentia. Vnum vero Mauritium inter Catholicos Imperatores, qui ſemel eo vſus eſt verbo, iubemus, in exemplum ſeueriſſimæ à Deo immiſſæ vindictæ poſitum fuiſſe diximus. Recitatis vero Orthodoxorum Imperatorum exemplis, his ita verbis Nicolaus furentem, & quid effutiat neſcientem, compellat Imperatorem.

O Imperator, ſaltem nunc cognoſcatis, quàm à piorum Imperatorum pietate in hac re differatis, & quàm vox veſtra ab eorum diſcrepet diuinitus inſpirata modeſtia. Illi quippe, petimus, inuitamus, ac rogamus, ecce ſparſim ad Sedis Apoſtolicæ Præſules, ſed pari pietate clamant. Vos autē quaſi non manſuetudinis, & reuerentiæ, ſed ſolius Imperij eorum hæredes effecti, & in cauſa pietatis illos imitari nolentes, præcepiſſe, iuſſiſſe, ac imperaſſe, vt quoſdam ſubiectorum noſtrorum ad vos mitteremus, aſſeritis, & hoc ipſum vos egiſſe, neſcimus cuius inſtigationibus faſcinati, & obliuioni traditi dicitis. Porrò factum à vobis nulla recordatione recolimus, nuſquam enim nobis tale quid iuſſiſſe vos, niſi fallimur, hactenus reminiſcimur: nuſquam vos ad tantam circa ſedem beati Petri Apoſtolorum Principis irreuerentiam deueniſſe cognoſcimus. Reuoluentes enim epiſtolam, quam tunc per venerabiles Epiſcopos, & Arſam virum glorioſum Spatharium miſeratis, nihil iuſſiſſe vos nobis, ſed potius obſecraſſe, atque rogaſſe vos omnino reperimus. In quo datur intelligi, cum nutu aliter perhibeatis, aut vos oblitos eorum fuiſſe, quæ antea miſeratis, aut certe pœnituiſſe ſuper his, quæ humiliter petieratis. Hæc de his ipſe.

Imperatorem obiurgat linguæ latinæ contemptorem, idq. procedere ex ſua ignauia demonſtrat, cum Romanorum appelletur Imperator, eadem Romana lingua loqui neſciens. Cap. 411.

QVi nec prætermiſit illud redarguere in litteris Imperatoris, quo ipſe magnopere latinæ figuræ detraxerat, ait enim: In tantam vero furoris abundantiam prorupiſtis, vt linguæ latinæ iniuriam irrogaretis, hanc in epiſtola veſtra barbaram, & Scyticam appellantes &c. quod ex imperitia deuenire demonſtrans, ait paulo poſt. Iam vero ſi ideo linguam latinam barbaram dicitis, quoniam illam non intelligitis: vos conſiderate, quia ridiculum eſt, vos appellari Romanorum Imperatores, & tamen linguam non noſſe Romanam. Ad extremum autem: Si iam ſæpe nominatam linguam, ideo barbaram nuncupatis, quoniam à tranſlatoribus in græcam dictionem mutata barbariſmos generat, non linguæ latinæ, ſed culpa eſt, vt opinamur interpretum, qui quando neceſſe eſt, non ſenſum è ſenſu, ſed violenter verbum reddere conantur è verbo &c. Sed & ex ſacro vſu eius in Eccleſia Conſtantinopolitana, vana, & inſana ipſum Imperatorem loqui conuincit; nam ſubdit: Ecce quotidie, immo verò in præcipuis feſtiuitatibus inter græcam linguam, veluti quiddam pretioſum hanc, quam barbaram & Scythicam linguam appellatis, miſcentes, quaſi minus decori veſtro facitis, ſi hac etiam bene, ac ex toto intellectu in veſtris obſequijs ac officijs non vtamini. Et paulò poſt: Adhuc ſi pleniter illam execramini, etiam ab Eccleſijs veſtris remouere ſatagite. Iſtius enim dictione linguæ Conſtantinopolitana Eccleſia lectionem Apoſtolicam & Euangelicam in ſtationibus fertur primitus recitare, ſicq. demum græco ſermone propter græcos vtique ipſas lectiones pronuntiare. Sed quia tantum hæc impietas Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ hactenus defuiſſe putatur, vt tota ibidem nequitia ſuppleatur, hoc reſtat à vobis ſolummodo perficiendum.

Concilium contra Ignatium factum, nullius eſſe roboris, vel momenti affirmat. Cap. 412.

QVod inſuper cognitus ab eo fuiſſet primatus Eccleſiæ Romanæ, per tot ante miſſas legationes in cauſa depoſitionis Ignatij, iam pœnitens ſuis his poſtremis id egit litteris, vt negaret ſe miſiſſe, quaſi maius iudicium interpellaret, ſed ob exortam de imaginibus quæſtionem: hanc tergiuerſationem facile fuit Nicolao Papæ conuincere, & redarguere falſitatis ex ipſius litteris Romam miſſis. Oſtendit inſuper primum de Ignatio iudicium in collecta ab eo Synodo Conſtantinopoli habitum, omni ex parte fuiſſe inualidum, ob idq. dolo quæſitum per legatos Apoſtolicæ Sedis iudicium, vt quod corrueret, ſua ſtabilire poſſet auctoritate: Oſtenditq. pluribus, illud multipliciter inefficax omnino fuiſſe, idq. ex ſacris Eccleſiæ regulis in Oecumenicis Concilijs ſtabilitis, atque vſu rerum plurimis exemplis ſemper & vbique recepto, quibus primatus Romani Pontificis in cauſis præſertim Epiſcoporum ſemper innotuit.

Et in his, quæ ſpectant ad Conſtantinopolitanam Eccleſiam, poſt multa, ſubijcit iſta. Ceterum vt calamum ad Conſtantinopolitanos præſules ſpecialiter extendamus, aut nunquam omnino, aut certe vix horum aliqui, ſine conſenſu Romani Pontificis reperitur eiectus, qui tamen hactenus inter depoſitos annumeretur, & non ab hæreticis, vel tyrannis pulſus, aut interemptus commemoraretur. Denique vt ex illis paucos commemoraremus, nonne Maximus, poſtquam multum à Damaſo Papa (ſicut eius ad diuerſos indicant epiſtolæ miſſæ) laboratum eſt, Conſtantinopoli pulſus eſt? Nonnè Neſtorius? Nonnè Acacius? Nonnè Antimus, Sergius, Pyrrus, Paulus, Petrus, Sedis Apoſtolicæ diſcurrentibus conſultationibus, ac decretis eiecti ſunt? cur ergo cum ita ſit, in ſolo Ignatio Petri memoriam deſpicere, ac obliuioni tradere ſtuduiſtis? niſi quia pro voto cuncta facere voluiſtis, conſtituentes Synodum Epheſinæ ſecundæ crudelitate conſimilem. Quamuis ibi Alexandrinus erat, qui cum ceteris ſibi conſociatis Compatriarchis aduerſus S. Flauianum agebat: hic vero (vt de Patriarchis mittamus) nec vnius Epiſcopus ciuitatulæ, aut quilibet ignotæ perſonæ aduerſus tantum Pontificem extitit ſententiæ promulgator, qui non de ſuffraganeis & ſubiectis eius fuerit. His & alijs multipliciter redarguit celebratũ aduerſus Ignatium ab ipſis Conciliabulum, de quo ſatis ſuo loco ſuperius dictum eſt: deinde vero deridens falſum prætextum Imperatoris, aſſerentis non ob cauſam depoſitionis Ignatij, ſed ob quæſtionem de ſacris imaginibus excitatam, vocatos eſſe ab Apoſtolica Sede Legatos, arguit eum mendacij.

Sed quod plurima adhuc refutanda remanebant, cur non ſingula redargueret, triplicem affert cauſam his verbis: Ad reliqua vero, quæ ex eadem epiſtola veſtra plurima ex parte remanebant, reſcribere his pro cauſis omiſimus, quoniam tanta nos pater cæleſtis ſecundum beneplacitum ſuum ægrotatione quaſi filios ſuos corripuit, vt non ſolum, quæ ad reſpondẽdum propoſitionibus veſtris idonea eſſe perſpeximus, valeremus exponere, verum etiam eadem ipſa, qualiter dictarentur, nulli ægritudine nimia preſſi quiuerimus edicere. Et quia Legatus veſter tanta eſt impatientia vſus, vt antequam nos ex validiſſima infirmitate reſpirare aliquantulum cognouiſſet, nullam moram paſſus, mox etiam nobis inconſultis Vrbe, quam vos quidem inueteratam, ſed Honorius pius Imperator æternam vocat, diſceſſerit, ob nihil aliud, niſi quia tempus hyemis imminebat, & periculum ſui, vel militum veſtrorum, qui ſecum erant vehementiſſime formidabat, apud quem vix obtinere potuimus, vt ſaltem dum hæc ſcriberentur (quoniam ad Vrbem reuerti nullo modo voluit) in Oſtia poſitus expectaret. Tertio quia cum eadem, quæ ſuperfuerunt in ipſa epiſtola, ad quæ nihil reſpondebimus, ſed potius philoſophando contempſimus, plena eſſent omni prauitate, atque blaſphemia, & contra ipſam diſpoſitionem Dei, qua Eccleſiæ, Sediſq. Romanæ priuilegia cunctarum Eccleſiarum priuilegijs ſua ineffabili prouidentia prætulit, venena diffunderent. non veſtra eſſe verba, ſicut prædiximus, quæ tàm perperam ſonabant, credidimus, ac pro hoc his, quæ in ambiguum venerant, non potuimus tanquam indubitatis reſponſa, vel apologetica ſcripta remittere.

Increpat Imperatorem, ignorantem priuilegia conceſſa à Deo Eccleſiæ Romanæ eſſe perpetua; poſtulatoſq. homines ab ipſo Imperatore mittendos negat, cum petentibus Vrbem, & limina Apoſtolorum ſit fauendum.
Cap. 413.

VEruntamen ſi veſtra fuerunt verba, quæ in deſpectum B. Petri Apoſtolorum Principis, imo Dei, cuius ordinationi reſiſtitis, ſunt ſcripta, & quaſi detrahentia priuilegijs huius ſacratiſſimæ Eccleſiæ miſſa ſunt, fateor non vos ſtudioſè ſacras regulas, non venerandarum Synodum actiones, non piorum Imperatorum leges, non veraces probabilium virorum hiſtorias lectitaſſe, quos tàm conati eſt in derogationem Eccleſiæ tantæ inutiliter, ac incompetenter, atque incongruè memorare. Sed rogamus Omnipotentem Deum, vt qui ſuæ cognitionis vobis reſeruauit myſterium, tribuat quoque noſſe ad plenum ſuas diſpoſitiones, quibus ſanctæ Eccleſiæ moderatur arcanum; & quæ ſint, vel quanta, & qualia priuilegia Eccleſiæ Romanæ, & ex quo cæperint, exordium; & quis eius ſummæ auctoritatis auctor exiſtat, vobis clementer aperiat. Quod ſi à nobis quæritis ſcire, vtpote a miniſtris Chriſti, & diſpenſatoribus myſteriorum eius, vobis euidentius oſtendemus: ſi vero noſse paruipenditis, & ſolum contra priuilegia Eccleſiæ Romanæ niſus veſtros erigitis, cauete nè ſuper vos conuertantur. Durum quippe eſt vobis contra impetum fluminis reluctari, durumquè eſt contra ſtimulum calcitrare: (Taciteque ſic comminatur, tùm excommunicationem, tùm etiam priuationem Imperij, quia Gregorius ex priuilegio Apoſtolicæ Sedis ſpoliauit Leonem Iſauricum contemptorem eiuſdem Apoſtolicæ Sedis Imperio Occidentali.) Subdit vero.

Porrò ſi nos non audieritis, reſtat, vt ſitis vos neceſſario, quales Dominus Noſter Ieſus Chriſtus hos haberi præcepit, qui Eccleſiam Dei audire contempſerint; præſertim cum Eccleſiæ Romanæ priuilegia Chriſti ore in Beato Petro firmata, in Eccleſia ipſa diſpoſita, antiquitus obſeruata, & à ſanctis vniuerſalibus Synodis celebrata, atque à cuncta Eccleſia iugiter venerata, nullatenus poſſint minui, nullatenus infringi, nullatenus commutari. Quoniam fundamentum, quod Deus poſuit, humanus non valet amouere conatus, & quod Deus ſtatuit, firmum, validumq. conſiſtet. Illeq. potiſſimum peccat, qui Dei ordinationi reſiſtere tentat. Priuilegia inquam iſtius ſedis, vel Eccleſiæ perpetua ſunt, diuinitus radicata, atque plantata ſunt; infringi poſſunt, transferri non poſſunt: trahi poſſunt, euelli non poſſunt. Quæ ante Imperium veſtrum fuerunt, & permanent (Deo gratias) hactenus illibata, manebuntq. poſt vos, & quouſque Chriſtianorum nomen prædicatum fuerit, illa ſubſiſtere non ceſſabunt immutilata. Illa igitur priuilegia huic ſanctæ Eccleſiæ à Chriſto donata, ſed iam ſolummodo celebrata, & venerata, per quæ non tàm honor, quàm onus nobis incumbit (licet ipſum honorem non meritis veſtris, ſed ordinatione gratiæ Dei, per beatum Petrum, & in beato Petro ſumus adepti) nos cogunt, nos compellunt omnem habere ſolicitudinem Eccleſiarum Dei &c. Pluribus de his agens oſtendit, non Romanam

manam tantùm, ſed Antiochenam, atque Alexandrinam opera Petri fundatas Eccleſias, & tùm illarum, tùm totius Chriſtiani Orbis tanquam vnius ouilis à Chriſto Petro crediti, Petri ſucceſſori curam incumbere ipſi Romano Pontifici.

Quod autem idem Imperator mitti ab Vrbe ad ſe petierit Theognoſtum, Ignatij comminiſtrum, & alios quoſdam monachos, tanquam reos Maieſtatis. Ad iſta reſpondet Nicolaus: Porrò ſcripſit nobis Imperium veſtrum, vt Theognoſtum qui à fratre, & Coepiſcopo noſtro Ignatio ſuper quaſdam prouincias Exarchatus pondus accepiſſe dignoſcitur, necnon, & alios monachos ſibi tanquam veſtræ Auguſtalis iniuriatores excellentiæ deſtinemus. In quo cum tamen ipſi iniuriatores veſtri non fuerint, quid aliud niſi in quanta pœna, & quibus tormentis ſubijciantur hi, qui ex parte Ignatij, & apud nos in ditione veſtra conſiſtunt, liquidius agnoſcamus? quando hi non vtiq. ad epulas, non ad infulas alicuius honoris percipiendas, profectò quæruntur, ſed potius ad puniendum, quos forte nec vidiſtis, nec cuius moris ſint, penitus agnouiſtis. Denique quidam eorum ab ineunte ætate Romæ diuinis obſequijs famulati ſunt, & non iuſtum credimus huiuſmodi tormentis fore ſubeundos. Theognoſtum autem non de vobis ſiniſtra, ſed potius grata prædicare teſtatur. Quam ob rem ergo eum quæratis, ignoramus, niſi forte quia illinc fugatus, hic apud nos requiem, quemadmodum innumeri Chriſtiani, aliquantulum reperit.

Si quidem tanta millia hominum protectioni, ac interceſſioni beati Apoſtolorum principis Petri ex omnibus finibus terræ properantium, ſeſe quotidie conferunt, & vſque ad finem vitæ ſuæ apud eius limina ſemet manſura proponunt, vt præter illud, quo vos è cælo ſubmiſſum, in quo cunctorum oſtenſa ſunt eidem beato Petro horum omnium rectori animantium genera, Catholicam ſignat Eccleſiam, ipſa ſola Romanorum Vrbs, apud quam ipſius Apoſtoli corporalis præſentia ſedule veneratur, ipſius vaſis cunctas dignoſcatur in ſe continere vniuerſorum animalium, quæ homines intelliguntur ſpiritualiter, nationes. Suſcepit ergo, & continet Romana Eccleſia, quod Deus vniuerſalem Eccleſiam ſuſcipere, ac continere præcepit. Decentiſſimum quippe eſt, atque conuenientiſſimum, vt apud ſe Petrus, quod ipſi ſpecialiter oſtenſum, atque præceptum eſt, exhibeat, ſicq. demum quod in generali Eccleſia facilius credendum ſit, innuat. Sanè intuendum eſt, quia, & hoc vas, in quo omnia genera erant animantium, Petro ſpecialiter oſtenſum eſt, & vt ea mactaret, & manducaret, illi ſoli viſum eſt, & poſt reſurrectionem, vt rete plenum diuerſis piſcibus ad littus traheret, à Domino ipſi proprie ſoli præceptum eſt. Ipſum enim, cuius nos, licet immeriti vicem ſuſcepimus, principaliter, & ſpecialiter vniuerſalis Eccleſiæ curam diuinitus accepiſſe, etiam nobis tacentibus, credimus, quod veſtra ſapientia iam animaduertat. Putas nè Imperator iuſtum eſſe, vt tradamus aliquem eorum, quos nunc commemorauimus, principibus, quorum aulas, dignitates, honores, beneficiaq. contempſerunt, quorum fortiter indignationes, aut perſecutiones ſuſtinuerunt? Nolumus enim, Deo auctore, nec Iudæ proditori ſimiles inueniri, nec paganorum excedere profectò nequitiam, ipſi enim nihil tale agere patiuntur, quale vos perpetrare hortamini nos. Denique cum quidam anteceſſorum veſtrorum quemdam venerabilem

rabilem virum ab Agarenorum Principe multis oblatis muneribus ſibi mitti popoſcerit, non ſolum minimè impetrauit, verum etiã, vt fertur ab eo, quem quærebat, pudoré conſereutia ſcripta recepit. Quamuis Deo gratias, & per principalem beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, de qua ſupra partim exponimus, poteſtatem, & ius habeamus non ſolum monachos, verum etiam quoſlibet clericos de quacunque diæceſi, cum neceſſe fuerit, apud nos conuocare, atque Eccleſiaſticis exigentibus neceſſitatibus inuitare, hoc quidem noſtrum. Veſtrum autem, & piorum Imperatorum non eſt vllum penitus quærendi à monachis miniſterium, niſi ad miſerendum, & orationes eorum ſubmiſſe poſcendum. Quod ſi forſitan opinamini Theognoſtum apud nos Photio detrahere, Ignatiumq. iugiter commendare, ſcitote veraciter, quia nihil ipſe de vtroque loquitur, niſi quod in propatulo eſt, quod dicit, quod omnis Eccleſia clamat, quod ipſi per innumeros homines Romam ab Alexandria, ab Hieroſolymis, à Conſtantinopoli, à confinibus eius, ab Olympo Monte, atque à ceteris mundi partibus aduentantes agnouimus, ad extremum quoque quod nos per miſſos veſtros, & diuerſa ſcripta patenter intelleximus, &c.

Minas contemnit Imperatoris, iactantis ſe Vrbem ſolo æquaturũ, illumq. hortatur, vt vires ſuas non in Eccleſiaſticos, ſed in infideles exerceat, qui propter damna eidem illata, eum flocci pendunt. Cap. 414.

QVod autem demum ſuis litteris Imperator ad minas conuerſus, excidium Vrbis fuerat comminatus, niſi ipſi pareret Nicolaus, ad hæc iſta animo reſpondit intrepido: Poſtremo niſi correxerimus conſilium noſtrum, videlicet, vt illud iuxta conſilium veſtrum dirigamus, vel ſi non effecti ſimiles vobis, ſicut ipſi caput, ita nos quoque membra tradamus, interminationibus crebris deterrere nos, & minitari videmini, tanquam ſatis patriæ, & vrbi noſtræ vltimum excidium illaturi. Quæ nos Chriſto propitio, atque cuſtode (de quo, ſcriptum eſt: Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra vigilant, qui cuſtodiunt eam) ſicut hactenus non timuimus, nec modo timemus, credentes, ſuper muros eius Angelorum cuſtodiam, immò vero ſcientes, quod Saluator poſitus ſit in ea murus, & antemurale, ideſt Apoſtolorum munimentum interceſſionum. Neque enim non legimus, aut obliti ſumus minarum Sennacherib Regis Aſsyriorũ, & ſeruorum Dei contra Vrbem Hieruſalem, & populum eius, quæ non minores, nec pauciores minis veſtris fuerunt. Et rurſum, miſerationum Domini recordamur, & qualiter centum octuagintaquinque millia hominum de caſtris Aſsyriorum interierint, & Vrbs cum habitantibus ſuis euaſerit, in mente recolimus, & gratias agimus, & ſpem ſumimus, ac fiducialiter de domo Domini, ſi virtutem ipſe donauerit, cultum Baal amouere curabimus, quoniam ipſe eſt nunc, qui tunc ipſe, & in ſecula.

Ergo nè velit minari puluis, & vermis, ſcriptum eſt: Quid ſuperbit terra, & cinis? nè velit ampulla in aquis inflari, quia poſt pauxillum, & ecce non eſt. Quid gloriatur in malitia, qui potens eſt in iniquitate? quid facturus eſt? occiſurus eſt (verbi gratia dicamus) hominem? (quoniam amplius

plius non habet, quid faciat) & hoc vnus fungus facit malus. O Imperator in hoccine redacta eſt malitia hominis in iniquitate potentis, vt fungo malo compararetur? Heu quàm inutilem potentem, heu ſuperuacuè gloriantem. Porro veſtra potens virtus, in Domino potius glorietur, in bonitate laudetur, in iuſtitia exaltetur, non minas nobis, non terrores velit incutere: neſcitis enim (ſecundum Salomonem) quid ſuperuentura pariat dies, & iuxta Pſalmographum: Dominus diſſipat conſilia gentium, reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat conſilia Principum: ita plane accidit; cum qui occidere minatur, occiditur ipſe à ſuis poſt annum ſequentem. Pergit: Præſertim cum inter nos, & vos non modica ſit intercapedo, quæ quotidie populos non pauxillas vobis iniurias, immo diſcrimina inferentes producit, & de his vos conueniat potius, quàm de nobis vlciſci; non enim apici gloriæ veſtræ, non damna, non conuicia, non prorſus vllas; quod abſit, iniurias irrogauimus, verumtamen quamdiù ſubſiſtemus, miniſterium noſtrum honorificabimus. Anteceſſorum veſtigia noſtrorum ſectabimur; Eccleſiarum ſollicitudinem cunctarum baiulabimus in eo, qui nos confortabit, Domino Deo Noſtro Ieſu Chriſto. Prov. 17. Pſal. 32.

Quid ſæuiunt homines? Quid mali fecimus nos? certè non Cretam inuaſimus, non Siciliam exterminauimus; non innumeras Græcis ſubiectas prouincias obtinuimus, poſtremo non Eccleſias ſanctorum, interfectis numeroſis hominibus, ac ſuburbana Conſtantinopoleos, & quæ muris eius penè contigua, incendimus. At vero de iſtis nulla ſit vltio, qui pagani ſunt, qui alterius fidei ſunt, qui inimici Chriſti ſunt, qui veritatis miniſtris iugiter aduerſantur. Ita Nicolaus eiuſdem Imperatoris ſugillans ignauiam, quam æquè Græcorum hiſtorici omnes ſunt deteſtati. Pergit vero. Et nobis, qui Dei gratia Chriſtiani ſumus, qui ex parentibus Chriſtianis extitimus, atque Catholicis, qui vnius eiuſdemq. fidei dogmata credimus, qui ſerui veſtri vocamur, qui veritatis cultores, quantum poſſumus, eſſe deſideramus, minæ tuæ tenduntur, terrores promittuntur, etiam nonnullæ moleſtiæ irrogantur. Non eſt iſte ordo laudabilis, non eſt iſta commutatio imitabilis, vt qui innumera mala ingerunt, impuniti euadant; & qui nihil mali geſſerunt, pro his talia recipiant, & qui Chriſtum blaſphemant, dimittantur, & qui Chriſtum celebrant, huiuſmodi minis ſubijciantur: ſed habemus ad quem reſpiciamus nos, habemus in quo nos conſolemur. Fecerunt enim hoc & Iudæi, latronem dimittentes, & Saluatorem tenentes, occiſorem iuſtificantes, & viuificatorem condemnantes: Barabbam liberantes, & Chriſtum morti ſubdentes.

Cauſam Ignatij iam iudicatam reaſſumi in Vrbe permittit, iuſtitiamq. cuiq. impartiturum pollicetur, quamq. immane ſcelus ſit, Romani Pontifici non obedire, clarè demonſtrat.
Cap. 415.

HIs ita deriſis, Pontifex ad cauſam Ignatij conuertit iterum ſtylum, liberaliter offert, licet non teneretur, iterare cauſam iam in Apoſtolica Sede iudicatam, liberaliter inquàm concedit, ac præcipit idipſum iterari Romæ iudicium; vt tàm Ignatius, quàm Photius ſe eo ad cauſam di-

cendam

cendam conferrent. Quod ſi ipſi venire nequeant, id per Vicarios mandat impleri, nam ſubdit: Porrò ſi venire illi per ſe nequeunt, primo quidem ipſi, cuius rei cauſa venire non valent, nobis per ſatisfactorias litteras innuent. Deniquè veniant de his, qui cum Syracuſano Gregorio ſunt, quotquot voluerint, vices ceterorum tenentes, qui ipſius ſunt partis. Mittantur etiam de parte Ignatij Archiepiſcopi quidam, Antonius Cyzici, Baſilius Theſſalonicæ, Conſtantinus Lariſſæ, Theodorus Syracuſanorũ, Metrophanes Smyrnæ, & Paulus Epiſcopus Ponti Heracleæ: Egumeni autem Niceta Chryſopoleos, Nicolaus Studij, Doſitheus Oſij Dij, atque Lazarus presbyter, & Monachus, qui dicitur Cazaris. Qui niſi fuerint miſſi, ſuſpectos vos reddetis, quia hos, in quibus certificari poſſimus, à noſtris obtutibus ſubtrahere ſtudioſe euratis. Et ideo neminem ceterarum partium admittemus, niſi forte, quos ex latere veſtro deſtinatos eſſe veraciter valeamus cognoſcere, quibus ex vtraque parte conuenientibus, & coram noſtra præſentia, ac fratrum, & Coepiſcoporum noſtrorum auditis, quid quæſtionis inter vtramque partem emerſerit, facilius agnoſcamus, & canonicè definiamus, &c. Rurſum verò poſt multa in commendationem iuſtitiæ ab Apoſtolica Sede miniſtrandæ, locutus, ad eundem rurſus conuertit ſermonem, optans reddere mitem, quem ex litteris nouerat furore commotum dicens.

Nolite indignari, nolite aduerſus nos fruſtrà cauſari, nolite peruerſorum hominum verba libenter audire, ſed potius nos audite. Nolite minas prætendere, quoniam nec illa (Domino protegente) meruimus, nec per has præcepta veſtra, niſi diuinis fuerint iuſſis ornata, faciemus. Parati autem ſumus propter veritatem ſanguinem noſtrum effundere, ſi quidem plebem diuinitus nobis commiſſam, nec vobis, nec vlli veſtrum, propitio Chriſto, trademus. Veſtrum autem eſt conſiderare; vtrum quod meditamini valeatis, necnè perficere. Cogitate itaque dies antiquos, & annos æternos in mente habetote. Et quid Imperatores, qui perſecuti ſunt Eccleſiam Dei, & maximè Eccleſiam Romanam, Nero, Diocletianus, Conſtantius, Anaſtaſius, & ceteri moris eorum pertulerint, & vbi modo ſunt, attendite diligenter, & quantum ſit in Eccleſia Dei execrabilis ſama eorum, & nomen deteſtabile, ſapienter aduertite. Quanta autem Dei cultorum Auguſtorum, qui Eccleſiam Dei exaltauerunt, & præcipuè Romanã, Conſtantini, Conſtantis, Theodoſij quoque maioris, & Valentiniani, & ceterorum laus in vniuerſa Eccleſia polleat, & eorum præconia vbique perſonent, & nomen eorum inter ſacra myſteria impræterm iſſe commemoretur, attentius, & ſedule recordamini, ſicq. nos audire illos imitantes ſatagite. Patres enim veſtri per gratiam Chriſti ſumus, & vos tanquam Chariſſimos diligimus filios, nec poſſumus vobis niſi viam veritatis oſtendere, terrenam gloriam veſtrã augeri diuinitus exoptamus: ſed quid peccamus, ſi cæleſtem, ac æternam vos capeſſere nihilominus exoramus?

Quapropter attendat clementia veſtra, quantus fuerat erga Sedis Apoſtolicæ reuerentium anteceſſorum veſtrorum piorum Imperatorum, & præcipuè, quos longè ſuperius memorauimus, amor, & ſtudium, qualiter eam diuerſis priuilegijs extulerint, donis ditauerint, beneficijs ampliauerint. Qualiter illam litteris honorauerint, eius votis annuerint, inſtituta

perſi-

perficienda mandauerint, orationes pertinuerint, fidem ſectandam decreuerint. Qualiter etiam legibus ſuis pro adiunandis ei Eccleſijs promulgauerint, pro colligendis concilijs, ac proferendis ſententijs non imperauerint, ſed precati & hortati ſolum extiterint, & quæ illi decreuerunt, ipſi conſenſerint, & quæ illi damnauerunt, ipſi reſpuerint. Sic ergo fili chariſſime, ſic & tua ſublimitas non ex parte ingratorum, & inobedientium filiorum exiſtens (quod abſit) ſed inter ceteros Dei cultores Auguſtos imitator, quæ decreuimus de Conſtantinopolitana Eccleſia, obedienter attendat, &c. Poſt nonnulla autem. Et ſi cunctis, inquit, generaliter ſacerdotibus diuina tractantibus fidelium conuenit corda ſubmitti, quanto potius Sedis illius Pontifici conſenſus eſt adhibendus, quem cunctæ Eccleſiæ generalis iugiter pietas celebrauit? Vnde clementia veſtra diligenter aduertit, nunquam quouis penitus humano conſilio eleuare ſe quemquam poſſe contra illius priuilegium, vel confeſſionem, quem Chriſti vox prætulit vniuerſis, quem Eccleſia veneranda confeſſa ſemper eſt, & habet deuota primatem. Impelli non valent humanis præſumptionibus, quæ diuino ſunt iudicio conſtituta. Et poſt multa id genus inculcata, clauſa tandem epiſtola, eidem eiuſmodi conteſtationem affixit, quod timeret, ne ſicut aliæ, ab interprete, vel alio falſaretur.

Indignationem Omnipotentis Dei contra has litteras malitioſe interpretantem precatur; Igniq. ſcripta Imperatoris tradenda dicit. Cap. 416.

QVisquis hanc epiſtolam noſtram Conſtantinopoli legerit, & Auguſtiſſimo filio noſtro Michaeli quidquam ex ijs quæ ſcripta ſunt, occultauerit, ne locum apud illum poſſit inuenire ſufficientem, anathema ſit. Quiſquis etiam interpretatus eam fuerit, & ex ea quidquam mutauerit, vel ſubtraxerit, vel addiderit, præter illud quod idioma græcæ dictionis exigit, vel interpretantis ſcientia intelligendi non tribuit, anathema ſit. Ita ſanctiſſimus Pontifex, quod experimento didiciſſet falſatas fuiſſe miſſas, ante has, litteras in Orientem, vt ſuo loco fuſius eſt demonſtratum. At non ſatis fuit eidem ſancto Pontifici contrarijs litteris confutaſſe blaſphemas litteras Imperatoris, ſed iudicauit eas omnino dignas incendio, idq. ipſi Imperatori faciendum præcepit; quod ſi negligeret, id Romæ ſolemni ritu à ſe faciendum eſſe denuntiat. Sed audiamus ipſum, qui in litteris anno ſequenti per ſuos legatos ad Imperatorem miſſis hæc habet poſt multa in deteſtationem earundem litterarum inculcata.

Denique opinati ſumus, & nunc nihilominus opinamur, quod pietas veſtra tandem aliquando reſipiſcat, & de Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ reſtaurando ſtatu, nobis ſalubria ſuadentibus acquieſcat; ſicq. demum omnia ſcripta, quæ male ſunt compilata, non ſolum aduerſum nos, & hanc ſanctam Eccleſiam, verum etiam contra fratrem noſtrum, & comminiſtrum Ignatiũ coram vniuerſa Imperij ſui multitudine, igni tradenda decernat. Alioquin iam cunctis Eccleſiæ fidelibus, quæ foret Apoſtolicæ ſedis auctoritas, vel quę fabricatoribus mendacij, ſeu inuentoribus peruerſorum dogmatum immineret vltio, profectò pateſceret. Impoſſibile eſt enim (quamquam noſtras nos ſpeciales iniurias curare floccipendamus) vt tantorum ac talium Sanctorum Ep.9.

ctorum Patrum, & propugnatorum Catholicæ Eccleſiæ, ac deſtructorum
diuerſarum hæreſum, atque defenſorum Orthodoxæ fidei, blaſphemias æqua-
nimiter ſuſtineamus, vel etiam tantæ ſedis, ſiue tam excellentis Eccleſiæ
Romanæ, cui Deo deſeruimus auctore, contumelias perferamus.

Verum quamuis & de nobis humiliter ſentiamus, nec tamen, con-
ſcientia dictante, vera eſſe, quæ vos de nobis perhibetis aſſeueramus, ſed
vt diximus, ea poſtponentes, illa potius, quæ Ieſu Chriſti ſunt, inueſtiga-
mus. Etſi male congeſta aduerſus eius famulos, aduerſus eius ordinatio-
nes, aduerſus eius diſpoſitiones, ſtabilita priuilegia reperiuntur, nulla pa-
tientia toleramus, verùm etiam conflatoribus tantæ peruerſitatis dignam
viciſſitudinem reddere neceſſariò meditamur: nimirum nè hos quis impu-
nitos intuens, aut nunc, aut futuro tempore deinceps talia præſumat præ-
ſtigia falſitatis componere, vel commenta blaſphemiarum huiuſmodi figmē-
tis contradicere. Quapropter Imperator ſublimiſſime, diligenter propter
Dominum inquirentes, atque ſcrutantes, ſi veſtra illam non fuiſſe præce-
ptione tàm cœnoſam inueneritis confectam, immo toxicatis ſyllabis infe-
ctam epiſtolam (vt interim de tot præſtigia texentium pœna taceamus)
quam illi vobis zelo veritatis flagrantibus inuoluere, conuenit ſaltem huius
ſocia accepta, & palam cunctis igne ſuccenſa per Auguſtales veſtros tàm
nobis, quàm omnibus, ad quorum notitiam peruenit deſtinatos, apices com-
petenti ſatisfactione à tàm peruerſo ſenſu, & tàm prophanis adinuentionibus,
quod à ſenſu veſtro non fuerit commentis tradita, vos exhibere prorſus im-
munes. Iam vero ſi vobis in multis huiuſmodi ſollicitudinibus occupatis
ſurreptum eſt, vt alia ſcribere mandaretis, ne pigeat clementiam veſtram
hoc etiam ipſum humiliter confiteri, & legibus veſtris, vt huiuſmodi ſcripta
nullius habeantur momenti decernere: ita vt penes quem reperta fuerint,
impunito non euadente, ipſius quoque ſæpe memoratæ, & ſemper execran-
dæ epiſtolæ, vel exemplaris eius apices (intemeratis pro reuerentia manen-
tibus ſacris dictionibus) flammeo dedantur igni voranda, vt à ſiniſtræ opi-
nionis næuo, quem ex blaſphemijs ſcriptis incurreretis, cauere valeatis, &
ingrati filij circa matrem veſtram, ex qua imperandi faſtigium vos, & pa-
tres veſtri ordine cœlitus diſpoſito percepiſtis nullatenus appareatis.

Sin autem ſcitote, quoniam poſtquàm in hac vos pertinacia perſiſtere ſi-
netenus velle comperiemus, primum quidem congregatis cunctarum Oc-
cidentalium regionum venerabilibus ſacerdotibus, dictatores, & diſpoſito-
res, atque præceptores tantæ fallaciæ, ſeu crudeliſſimæ derogationis ſan-
ctarum paternarum traditionum ab omni Chriſtiana compage remotos,
Apoſtolica freti auctoritate diris anathematis vinculis innodabimus, nec non
& patrum, & prædeceſſorum meorum ſecuti veſtigia, qui ſoliti ſunt etiam
numeroſorum concilia nequiter celebrata caſſare pontificum, ſi qua ſocia
ſunt crebrò dictæ, vel exemplaria fortaſſis epiſtolæ: quin potius non ſo-
lum hæc, ſed & omnia ſcripta, quæ vel aduerſus fratrem, & coepiſcopum
noſtrum Ignatium iniqua confecta, vel aduerſus nos cauſam illa canonicè
proſequentes furioſe deprompta ſunt, perenni damnationi mandabimus.
Deinde vero decernentibus nobiſcum, & ſimul conſiderantibus ijſdem ſan-
ctiſſimis fratribus & Coepiſcopis noſtris, ipſam epiſtolam in ſtipite videnti-
bus cunctis, ſuſpenſam vaſto ſuppoſito foco ad vituperium veſtrum coram
omni-

omnibus nationibus, quæ penes memoriam ſancti Petri multipliciter inueniũtur, extremę perditioni donabimus. Quatenus his rite patratis, diſcat pius quod amet, & crudelis quod timeat. Nam tot, & talia blaſphemiarum commenta, quin potius veracium litterarum deprauationes audiſſe, & tacuiſſe, cohibuiſſe eſt.

Quamobrem venerabilis Imperator valde mihi, ſicut ipſę comprehendere poteris, cauendum eſt, ne ſi nos præſtigioſorum figmentis minus celeriter obuiauerimus, tanquam vera recognita, vel comprobata hæc admiſiſſe fallaciter apud ſtolidos æſtimemur. Nec poſſumus in Eccleſia Dei diſſimulando tàm ſpurca relinquere germina quæ anteceſſorum noſtrorum beatiſſimorum Pontificum tempore, aut nunquam exorta, aut certè ſi vndecumque, vel quomodocumque exorta ſunt, eorum iudicij ligone, antequam proficerent, radicitus extirpata ſunt. Deſtruite ergo vos, & diſſipate illa, alioquin à nobis fore deſtruenda, ſeu funditus diſſipanda modo, quem prædiximus ante, noſcite. Quamuis antequam nos iſta vobis ſcriberemus, quæ nunc ſublimitatem veſtram hortamur, hoc vos facturos eſſe putaremus. Sed quia quod putatum nullum effectum hactenus habuit, idcirco nos ſalutem veſtram illæſam manere volentes, & hoc nunc ſaltem agatis affectu paterno mouemus. Alioquin, vt iam præfati ſumus, ſic Deo fauente, de cetero vigilabimus, & ſtudijs quibus poſſumus inſiſtemus, vt inter exanimes compatentur, qui auctoritatem Petri non ſenſerint, immo Dei hanc ordinantis in Petro non intellexerint. Ita vt nec iſta, quæ perniciose compilata ſunt, defendere, ſed nec his ſimilia ſcripto tradere, vel in mente voluere quis vlterius audeat. Non enim figmenta, quæ ordinationi Dei reſiſtunt, quæ euangelicis vocibus contradicunt, quæ ſanctorum Patrum definitionibus obuiant, quæ ſynodicis conſtitutionibus aduerſantur, quæ ſi ſic dimittantur, innumera poſſunt fidelibus auxilia Petri quærentibus inferre diſpendia, incolumia ſine diſcrimine veſtro valemus deſerere, & æſtimationi noſtræ, vel nunc, vel poſt deceſſum noſtrum tantum (quod abſit) ne dum ad deſtructionem ſimplicium, & mutilationem Sedis Apoſtolicæ priuilegiorum relinquere. Hæc de damnatione & concrematione Imperialium litterarum Nicolaus: qui ſi in Imperatorẽ ita declamat, quæ vociferatus eſſet in perditiſſimos ſeculi huius homunciones, viliſſimos balatrones, longe funeſtiora, & audaciora tentantes, atque execrabiliora ſcribentes? vincuntur à ſuis ſucceſſoribus omnes hæretici, ſecundum illud Apoſtoli: Mali autem homines, & ſeductores proficient in pœnis errantes, & in errorem mittentes, quos vel ex hoc puduiſſe debet (ſi tamen locum in perfrictis frontibus, & obduratis animis pudor inuenire poſſet) talem Imperatorem, quem Græci omnes (ne Latinos dicam) conclamant omnium ſceleſtiſſimum, habere aduerſus Romanam Eccleſiam, quem ſequuntur auctorem, taliumq. blaſphemiarum primum promulgatorem, quem ſi quis Dei afflatum ſpiritu dixerit, iunget vtique (horrendum dictu) Belial Chriſto, quod nullo modo teſte Apoſtolo effici poteſt. Cum igitur ex quo principium erroris traxerint, appareat manifeſtum, cuius ſpiritus ſint miſeri facti participes, poteſt æque cognoſci. Sic itaque Princeps dæmoniorum per principem ſeculi aduerſus Principem Apoſtolorum bellum mouit, ſed qui ipſi dixit: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non

prævalebunt aduerſus eam. & illum contriuit, vt cito viſurus eris, vt eius ſedem reddiderit altiorem. Hæc ibi epiſtola.

De impiè, & contumelioſè geſtis contra B. Ignatium Patriarcham Conſtantinopolit. per Michaelem Imperatorem, & miniſtros eius, atque alijs deteſtandis facinoribus eius; & de incendijs, & terræmotibus à Deo permiſſis ad eum perterrefaciendű, & de tremenda morte ipſius, vlciſcente Petro. Cap. 417.

Ex Niceta. IAm ad indictum in epiſtola Ignatium Archiepiſcopum redeamus, quæ autem in eum poſt ipſius exauctorationem impij aduerſarij perpetrauerint, Nicetas ſic pergit, inchoatam proſequens de ipſo orationem. Quid vero ille Photius? num veritus eſt homines, vel iuſtitiam? Deum iudicium diligentem timuit? & eius iram auertere ſtuduit? Nihil minus, ſed potius inuidiam inuidiæ, & malum malo addere contendebat omni ſtudio & arte, non ſolum illum interimere, verùm quod peius, tanquam morte dignum è medio tollere curans. Tunc igitur cum depoſuiſſent, & eieciſſent eum, in humaniſſimis & impijſſimis hominibus eum puniendum tradiderunt, quouſque manu propria ſuæ depoſitioni ſubſcriberet & confirmaret. Aderant autem, qui ita illum affligebant, & moleſtijs afficiebant, vt duabus ſeptimanis carcere detētum inædia omnino confecerint. Quinimo illum attollētes, & eius pedibus graues lapides alligantes, & valde inhumanè illum percutientes conterebāt. Qui vero hæc, & alia plura aduerſus illum beatum contumelioſe gerebant, verbis, & geſtis illum ſubſannantes, erant iniquitatis filij (vt ita dicam) & malum ſemen, inſanus ille Theodorus, & Ioannes Gortinæ, & Theoduli Nicolaus, qui Scatolaſpis dicebatur. Poſt tormenta autem, quæ iſti intulerunt Chriſti confeſſori Ignatio, poſt minas, poſt vincula, quæ venerabilibus illis pedibus adhibuerunt, poſt verbera, & poſtquam ad modum Crucis ſuper marmora in faciem illum extenderant per totam noctem, atque deinde vinculis deuinxerunt, & ſuper pauimentum lanceis pupugerunt, & contriuerunt, & terram eius ſanguine madefecerunt. Poſthæc omnia vix ſpirantem Ignatium inſanus ille Theodorus vi accepta manu eius, & pagina Crucē in illa, quaſi pro eo loco ſubſcriptionis ſignauit, quam afferens tradidit Photio. Hic vero accepto illo Crucis ſigno, ex ſeipſo deinde ita ſubſcripſit. Ignatius indignus Conſtantinopolitanus confiteor me ingreſſum eſſe ſine calculis, non canonicè videlicet electum, & his annis non ſanctè me geſſiſſe, ſed tyrannicè.

Hac ſubſcriptione miſſa Imperatori, dimittitur B. Ignatius ab illa cuſtodia, qui maternam domum rediens, ibi parum à multis laboribus reſpirabat. Inimicus vero Photius non quieſcebat dolos corde machinari, & mala aduerſus innocentem illum meditari. Suggerit igitur Principibus, vt iterum ad Apoſtolorum Eccleſiam illum deducant, & cogant lecta prius ſuâ depoſitione ſuper Ambonem ſeipſum anathematizare, poſtea vero (ò conſilium atrox, ò impietatem) oculos illi eruere, & manum inſano quodam furore illi abſcindere cogitabant. Ita odium illos profunde obcæcauerat, vt iuſtitiæ Dei nullus apud illos timor, ſed diaboli inuidia illis tantùm cordi eſſet. Ipſum ſanctæ Pentecoſtes feſtum peragebatur, & ecce militum armatorum manus

domum

domum, in qua detinebatur Ignatius, ex tempore circumdat. Sanctus igitur ille, cum mala, quæ ſibi imminebant, cerneret, & eorum inſaniam, vt fratrẽ ſuum interimerent, noſſet, conſilium iniji contrarium temporis iniquitati, ſua vero prudentia, & eo qui eum ducebat, ſpiritu dignum. Et quodnam eſt hoc conſilium? ſe ipſum immutat, & laicalem famulorum indutus habitum, & duas ſportas ex vno pendentes ligno proprijs humeris ſuſtollens, inſtar alicuius baiulantis aufugit cuſtodia, media nocte latens.

Feſtinabat autem vnà cum ſuo diſcipulo Cypriano verſus Sabaiticã regionem iter peragens, corde autem præ metu tremens, lachrymis madefactus, & nimis triſtis & mæſtus currebat, vt Dauid ille fugiens à facie Saul. Diuina vero prouidentia huic noctu ambulanti obuiam fit, vir quidam, facie ſatis decora, & barba, & coma recte ornatus, qui & alba induebatur veſte, & equo etiam vehebatur albo, & iter tenebat quaſi ad Blachernas. Ignotus autem vir ille, cum nec lumen vſquam adeſſet, nec aperte illum videre poſſet, tamẽ quiſquis ille fuerit, diuino ſpiritu motus inquit, Deus, & ſanctiſſima Dei genitrix te ab omni periculo ſanctiſſimè pater, & tuos cuſtodiat. Hoc verbum quaſi bonum omen deſuper ſibi adueniens beatus ille Ignatius ſuſcipiens alacrius procedebat, & cum habitu illo ſeruili, & paupere omnes latuiſſet, & in nauiculam conſcendiſſet ad Principis, & Proconeſſi inſulas non ſolum verum etiam Proponidis inſulas omnes nauigat, aliam ex alia mutans, & in ſolitudine errans, & montibus, & ſpeluncis, atque foraminibus terræ latens, Apoſtolorum more (vt ita dicam) afflictus & male habitus, viuendi rationem quærebat, per homines Chriſti dilectos mendicando.

Photius vero ſpe fruſtratus omnia monaſteria, & omnem ciuitatem inquirebat, ſicubi inuenire poſſet Ignatiũ tanquam facem à conſpectu ignis auulſam. Dum igitur nihil eorum, quæ volebat perficere potuiſſet Imperiali mãdato grauem illum Oripham deſtinat, vt cum ſex curſoribus inſulas omnes, & maritimam regionem incurrat. Et ſicubi Ignatium capere contigerit, quàm primum occidant, quaſi totius Imperij perturbatorem & euerſorem. Sed quæ poſtea contigerunt, cum nutu Dei, cum habitu mutato latentem, quamuis aliquando proximè accedentes inuenire minime potuiſſent, reuerſi ſunt præda vacui Conſtantinopolim. Idem Nicetas ſic ſubdit:

Menſis Auguſtus inſtabat, & tremoribus magnis Conſtantinopolitana ciuitas concutiebatur, & cum omnis domus agitaretur, omnes timor mortis occupabat, clamantes vnam eſſe terræmotus huius cauſam, vnum peccatum, & impietatem, quæ aduerſus Patriarcham Ignatium exercebatur. Quadraginta vero diebus cum duraſſet terræmotus, ita eorum ſæuitiam depreſſit, vt Principes Michael ſcilicet, & Bardas iurauerint, quod neque ipſe ſacer vir Ignatius exul, neque ij apud quos latebat, ſi manifeſtaretur, malo vlli forent obnoxij, ſed illi liceat abſque moleſtia ad ſuum reuerti monaſteriũ. Hæc igitur cum audiſſet Chriſti athleta Ignatius, ſeipſum manifeſtat quàmprimum Patricio illi Petronio, qui cum Imperatoris auunculus eſſet ex matre, torquem ipſam Imperatoris cum attuliſſet, obſidis inſtar, præbuit Patriarchæ. Hic vero eam collo ſuſpendens, & ad Bardam illum delatus ſtetit, cui ille: Cur inquit inſtar fugitiui cuiuſdam ad aliam ex alia regione percurrẽs peregrinaris? Hic vero inquit, Chriſtus Rex, & Saluator noſter præcepit, vt ſi vos perſecuti fuerint, ex hac ciuitate, fugite in aliam. Ille itaque victus

virtute illius viri, illæſum, & immunem præcepit in ſuo manere monaſterio, & ita terræmotus quieuit.

Quod autem ad ipſum Michaelem Imperatorem pertinet, hoc ipſum plane tempus, quo poſtquam exceſſit ex ephœbis, quos tutores habuit faſtidiens, & matrem Imperij curatricem, aduerſatricem vero ſuis deprauatis moribus aduerſatus, liberas habenas Imperij cupiens moderari, Theotiſtum, & Manuelem tutores amouit, illo opera Bardæ auunculi occiſo, iſto poſtea morbo è vita ſublato; ſequenti vero anno matrem detruſit in monaſterium. Erant infęliciſſimo iuueni ad omne malum illectores, & aſſentatores ſceleſtiſſimus pædagogus, & Barda frater Theodoræ Auguſtæ, Imperij cupidiſſimus. Duobus iſtis tanquam omnium ſcelerum biga vectus Imperator, redditus eſt temporibus iſtis nouus Nero, illo non inferior aurigandi arte, nec libidine impar, ſed prodigalitate perſimilis, atque ſæuitia proximus. Fuſius de his omnibus agit Curopalates, ex quo iſta dumtaxat, quæ ſacra attingunt, hic reddamus. Ait poſt alia probroſi hominis enarrata facinora: Hæc igitur, inquit, omnia homini odium conciliabant, omniumq. in ipſum iram meritò concitabant, & quod peſſimum eſt, Cinædorum ipſum comitantium ſocietas, & ad omne turpe facinus paratorum. Quos ille in honore habens, & colens, diuinis vero illudens, & inſultans, ſacras veſtes auro contextas induit, & clamydes, turpiterq. & impure cogebat res diuinas peragere, caſtiſſimaq. myſteria, & iſtorum principem Gryllum nomine, Patriarcham vocans, & reliquos vndecim Metropolitas, ſe quoque vnum è ſacerdotibus fieri voluit, qui præſul Coloniæ appellabatur. Cumque oporteret eos canere, myſteriaq. perficere, cithara cantiunculas abſoluebant, nunc ſenſim quodammodo, & leui voce reſonantes, nunc incitata, & clara perinde, ac in ſacris ceremonijs ſacerdotes ſacrorum hymnorum voces edere conſueuerunt, habebantq. vaſa inaurata, & pretioſis lapidibus ornata, quæ aceto, & ſynapi implentes, ijs, qui ſumerent, porrigebant, ad hunc modum ſacroſancta, & impolluta myſteria irridentes.

Accidit olim, vt improbus iſte cœtus, cinędorum ſcilicet, quo repræſentabatur Patriarcha cum Epiſcopis, in via occurreret beato Ignatio Patriarchæ cum ſacro Clero, & ſupplicationibus procedenti. Quo Gryllus conſpecto turpiter ſimul, & impudenter nihil cedens, remiſſa teſtudine, cũ ſuis ſodalibus vehementioribus plauſibus vſus, ſanctos illos maledictis, & turpibus probris laceſſebat. Iſte impudentiſſimus Imperator matrem quoque ſuam Theodoram in palatio adhuc degentem accerſiuit, vt à Patriarcha (nam iſtum eſſe beatum Ignatium finxerat) benedictionem acciperet; Vt igitur honeſtiſſima mulier ſumma religione exijt, ſeque in terram proſtrauit, benedictionem petens; nihil omninò ſuſpicata, quippe cum interim Gryllus os occultaret, ſurgens ille oppedit, crepitum ſcilicet ventris emittit, verbaq. proprio ore digna protulit. Ipſa vero grauiter, & iniquo animo factum illud ferens, execrationibus filium inſectabatur, ipſumq. propediem diuina prouidentia deſtitutum iri, quaſi Propheta vaticinata eſt.

Anno Redemptoris octingenteſimo ſexageſimo ſecundo, decima indictione notato, incendio conflagrauit Conſtantinopoli baſilica ſanctæ Sophiæ, atque Aſcenſionis Domini die rurſus magno terræ-

motu Ciuitas Conſtantinopolitana concuſſa eſt; hæcq. omnia in vltionem ſcelerum ibidem ad ſummum culmen excreſcentium. De incendio primum agens Nicetas hæc habet: Dici autẽ nullo pacto poteſt, quot damna vicinis attulerit: Nihil tamen horum ad pœnitentiã agebat eos, qui impiè ſe gerere decreuerant. Quodnam autem ingens præter alia recenſita Conſtantinopoli tunc vigeret, iam antea ceptum, cum imperaret cum filio Theodora, neque vnquam correctũ ſcelus in contemptum ſacrorum, idem Nicetas paulò inferius ſic enarrat: Michael Imperator iuuenilibus concupiſcentijs tota mente corruptus, ludibrio habebat res ſacras, ludibrium videlicet ipſe factus omnis incontinentiæ, & peccati, necnon peccatoris patris diaboli. Etenim ſordidiſſimos quoſdam homunciones & profaniſſimos, & ſcurras, cum delegiſſet à Spiritu ſancto alienos, ficut è contra, aduerſario ſpiritu plenos agens ipſe Imperator, ſacerdotes & pontifices ſine vlla religione & reuerentia ordinauit; inter quos Theophilum quemdam Prothoſpatarium hominem ridiculum, & hiſtrionem, & omnium impurorum impuriſſimum, quaſi Patriarcham illis proponendo nominauit, riſum ſibiipſi & cachinnum impurum execrabilis Imperator comparando, & riſu dignus propter ea, quæ ab ipſo patiebatur ſancta Dei Eccleſia, & Dei nomen blaſphemabatur inter gentes.

Ita vero gaudebat hac ſua inſania, & gloriabatur Imperator, vt neque eum puderet hæc publicè dicere, quod mihi quidem Patriarcha eſt Theophylus, Photius vero Bardæ, Chriſtianis vero Ignatius, eo ſcilicet dementiæ, & impietatis adductus eſt. Prædictus itaque Theophylus helluo ita publicè in aula regia comam gerens, ſuis nefandis omnibus iniquitatibus, & ſcurrilitatibus ſacra myſteria, imitatione quadam deludendo repræſentabat, quod ne impijſſimi quidem Gentilium agere auſi ſunt.

Præterea Aſcenſionis Dominicæ feſtiuitas agebatur, & veſpere terræmotus ſequutus eſt omnium, qui vnquam fuerunt, maximus, qui totam ſequentem noctem durauit; vox etiam, & ſonus inarticulatus è terra, & mari emittebatur, qui cordibus hominum metũ, & horrorem inijciebat, præſertim cum Iuſtini columna è genibus conciſa decidiſſet. Tunc etiam Baſylius illo Cretæ antea Epiſcopus, ſed propter Agarenorum incurſionem Theſſalonicam translatus, auſus eſt adire Michaelem Imperatorem, & illum ſimul admonere, eum orans, vt abſtineat à ſacris muneribus, & ab illa turpi, & impia ſacrarum rerum imitatione, & ſcurrili miniſterio: ſic enim ille affirmabat irritari Dei furorem. Ille vero monitionibus huiuſmodi grauiter offenſus, validis pugnis verberando illius faciem, ſeni illi dentes radicitus excuſſit, nec non terga ita flagris onerauit, vt parum abfuerit, quin mortuus fuerit.

At quid tandem blaſphemo contigerit Imperatori, iam videamus, qui vnà cum Barda Cæſare ab Apoſtolorum Principe Petro (cuius ſedem Apoſtolicam, & ſedentem in ea Nicolaum blaſphemijs circumſperſerat) in throno ſedente ſententiam mortis acceperat, eodem anno vindice ira Dei eam ipſam experiri compellitur. Quomodo autem id acciderit, idem Curopalates ſic narrat.

Reuerſo Bizantium Imperatore, hæc ipſa res ad Imperium Baſylium perduxit. Nam Michael nulla legitima ſuſcepta prole cum ſolus Rempub. ad-

miniſtrare non poſſet, ipſum ſibi filium adoptatum Magiſtri militum dignitate exornandum curauit, & paulo poſt ipſi in magno templo diadema impoſuit. Hic Imperij compos factus, Imperatorem Michaelem conabatur, quàm longiſſimè à prauis & execrandis facinoribus abducere, ſed non intelligebat ipſum ſibi hac ratione necem moliri. Siquidem non ferens Michael obiurgationes, ac de medio Baſylium tollere cogitans, quaſi ſuæ eſſet voluntati impedimento. Baſilicinum quendam Regij dromonis remigem in medium adductum purpuram induit, eiq. diadema imponit. Cumq. eum manuduxiſſet in Senatum, talia verba exorſus eſt. Iampridem oportebat amici; virum hunc ad illuſtria Imperij ornamenta perduci, potius quàm Baſilium, cuius nunc me pœnitet. Adeſt enim ei primum forma digna Imperio, deinde cognata corona, omniaq. dignitati conueniunt. Hoc factum eſt: atque hæc oratio principium & cauſa fuit, cur ille funditus periret.

Aliud præterea euenit. Nam cum Michael ſe vino ingurgitare conſueuiſſet, quo tempore ebrius erat, abſurda multa fieri imperabat: alij enim aures amputari, alij nares, alij caput, quæ fieri Baſylius vetabat, non tàm alijs, quàm ſibiipſi metuens. Vt igitur ipſum ſibi obſtare Michael nouit, contra ipſum tales molitur inſidias. Cuidam præcepit, vt haſtam iaciat verbo contra feram, ſed re contra Baſylium, idq. planum factum eſt. Nam moriturus, is qui iuſſus fuerat id facere, rem confeſſus fuit. Iecit igitur hic haſtam, ſed aberrauit, atque Baſylius ſeruatus eſt. Seruatus autem ſtuduit potius aliquid committere, quàm ipſe pati, & ita Michael occiditur ad palatia diui Mamantis anno ſexmilleſimo ſeptnageſimo tertio hora noctis tertia. Hucuſque Curopalates: ſed quomodo necatus ſit, Zonaras ita rem narrat.

Baſylius de inferenda nece Michaeli, conſilio cum alijs communicato: Cum denuo Michael vino in cœna obrutus torperet, manuq. ductus in cubiculum Regiæ, quæ eſt ad Diui Mamantis, ſomno profundiſſimo oppreſſus iaceret, egreſſus primum clauſtra cubiculi Imperatorij confregit, ne fores à cubicularijs claudi poſſent, deinde cum coniuratis aduenit. Ijs autem, qui ante cubiculum excubabant, pauci adeo, percuſſores aditu prohibere conantibus, orto tumultu Imperator experrectus, quidam cum ſtricto gladio ingreſſus manus ſuſtulit, quibus illi ambabus reſectis ad ceteros redijt. At Michael cum ex vino titubans ebrietate impediente fugere non poſſet, miſerabiliter eiulans iacebat. In quem alius quidam ex Baſylianis adhuc viuere conſpicatus inſilijt, enſemq. ita in eius pectus adegit, vt ventre etiam traiecto inteſtina elaberentur. Hæc Zonaras. Ita plane impletum, quod præoſtenſum fuerat, vlciſcente Petro Apoſtolorum coriphæo in blaſphemum Imperatorem, factumq. eſt, quod Iſaias propheta alia occaſione prædixerat:
Iſa.26. Cum feceris Domine iudicia tua in terra, iuſtitiam diſcent habitatores Orbis.
Pſal.9. & ſecundum illud Dauidicum: Cognoſcetur Dominus iudicia faciens: &
Luc.18. impletum quod dixit in Euangelio: At non faciet Deus vindictam electorum ſuorum, clamantium ad ſe die ac nocte, & patientiam habebit in illis? Dico vobis, quia cito faciet vindictam illorum. Quis enim iſta conſiderans pariter non intelligat vigilare Dominum ſuper Eccleſiam ſuam, & manifeſtis iudicijs declarare, quæ ſit illa, quam ſibi deſponſauit Chriſtus non habentem maculam neque rugam?

Alexius Imperator ſtrage ſuorum ab exercitu Northmannorum accepta, prudentior redditus, peccatis ſuis eam adſcribens, quod ex ſacris Deo Eccleſiis bona ablata in publicum vſum male conuertiſſet, & ex donarijs Eccleſiarum exhauſtum ærarium replere ſtuduiſſet, ne id vnquam à quouis tentaretur Principe, edita conſtitutione aureo ſigillo munita ſanciuit, quã obſeruari voluit, ac ſi à Deo ipſo dictaretur, vt omnibus Principus eſſet in exemplum. Cap. 418.

DOmini Alexij Comneni Græcorum Imperatoris de donarijs, & rebus ſacris reſcriptum, ſiue oratio, quam auream bullam inſcripſit.

Qui corpore male affecti ſunt, medicaq. curatione egent, ſi modo ſe morbo laborare ſeuſerint, multo facilius à medicis curantur. Qui vero morbi, quo laborant, grauitatem minime perſentiſcunt, immo nec ſe ægrotare ſciunt: ij proculdubio non parum negotij, & ſibi, & medicis faceſſere ſolent. Hoc ipſum quidem certe in animi quoque morbis perſpicuum eſt. Atque ex nobis cum peccant alij, quamlibet in profundum malorum gurgitem prolapſi in vtramuis ſecuri dormimus aurem, ſcelerumq. grauitati ſuccumbentes, vix, ac ne vix quidem nos peccare ſentimus, quia nimirum malus ille habitus iam in naturam tranſijt. Quibus autem ſalutiferi ſui luminis ſcintillam aliquam Deus indidit, quorumque intellectus non omnino mundi huius ſublunaris cœno obſorduit, nec lateritio operi mens prorſus inſeruire cogitur; ij demum à lapſu reſurgere, Deiq. conſortio, præter animi ſententiam exturbati ſæpius, ad eundem, non ſine ſedula ſpontaneaq. rerum meliorum diſquiſitione recurrere poſſunt.

Extat to. 3 Bibl. ſanct. & in corpore iuris Orient.

Quæ res haud dubie nobis imperantibus vſu venit, variæ enim multiplicesq. negotiorum circumſtantiæ, dum vbique publica exhauriuntur æraria, paſſimq. hoſtium incurſionibus patet aditus, tranquillum Imperij noſtri ſtatum repreſſerunt. Cum primumq. adeo Imperatoriæ faſtigium maieſtatis conſcendimus, nos à tergo illa malorum myrmecia inſecuta eſt, ex quo euenit, vt in ſummam rerum anguſtiam adducti, ijſq. omnibus exuti, quæ lapſis alioqui adiumentum aliquod afferre poterant, tandem vel ſacra diuinaq. Dinodia contingere, ijſq. noſtram ſolari inopiam ſtatuerimus. Quod certè facinus in pleriſque ſacris, diuiniſq. Eccleſijs admiſſum eſt, nec ſacrorum donariorum pauca in publicos ceſſerunt vſus. Neque eo quidem addacti ſumus, vt quidquam moliremur, vel in Dei contumeliam, vel contemptum, vel in eorum deſpectum, quæ illi pia conſecrauit antiquitas (quod omen Deus ab omni animo Chriſtiani nominis amantiſſimo auertat) ſed vrgente temporum neceſſitate, atque etiam conſilio noſtro, quod medio ſe operi immiſcuit. Imperatoriæ enim maieſtatis noſtræ animo viſum eſt, nulla Deum ira inde percitum iri, vbi mens male conſcia nullius criminis agẽtem reum coargueret. Cum autem quicquid in Imperatorijs ærarijs ſupererat, exhauſtum, & inſumptum eſſet, nec in vllos vſus neceſſarios ea ceſſiſſent, quæ à ſanctis extorſeramus Eccleſijs, tùm vero conſilium omne noſtrũ tot vndique periculis Romam circumuallantibus inuerſum & labefactatum eſt; quocirca pleriſque in locis hoſtium noſtrorum cornu exaltatum eſt,

noſtriq. adeo Imperij nauiculæ naufragiũ imminet,niſi præpotẽs Dei virtus ijs,quibus aſſolet,iudicijs illã vindicet,procellamq. ipſam in aurã conuertat.

Itaque Imperatoriæ maieſtati noſtræ maiore cura diſquirendum, & inueſtigandum eſſe viſum eſt, quid tandem ſit illud, quod tantam Dei iram concitauit, violentumq. eius furorem in nos exacuit. Præterea cum viris diuino maximè ſpiritu afflatis de re ipſa conſilium inijt. Et poſteaquam certior ab illis facta eſt, ſatis eſſe cauſæ manibus, cur in nos ira diuina exandeſceret, quod profanis manibus ſacra, venerandaq. ſanctarum Eccleſiarum vaſa contrectaſſemus (etiam ſi nulla nos improbitas, maleue conſcia mens eo promouiſſet) quia nimirum neque res diuinæ profanandæ ſunt, nec à Dei manibus repetenda in alioſue vſus conuertenda ea, quæ ſemel illi conſecrata fuerint, operæpretium illi fore viſum eſt, & futurum mali impetum reprimere, ne vllo in poſterum tempore inter Chriſtiani nominis Principes irrepat, & præteritis (quoad eius fieri poſſit) præſens afferre remedium. Quamobrem, vt ſit erranti medicina confeſſio, coram Deo, & hominibus Imperatoria ſe Maieſtas prolapſam fatetur, veniamq. de delictis, quæ temere admiſit, ex intimis animi adytis poſtulat, ſeque omnia, quæ ſui ſunt Imperij, diuino numini mancipaturum, eaq. viribus Imperatorijs denuò reſtituturũ pollicetur, quæ in hodiernum vſque diem ab Eccleſijs Deo ſacris ablata, in publicoſq. vſus male verſa ſunt, ſi modo quæ orbem vniuerſum exagitat, procella deſæuierit, Imperioq. ſtatus melior reſtitutus fuerit.

Hæc enim perſoluenda nihilo ſecius quàm priuatum aliquod debitum in ſe recipit, nec ſe ſanctis obæratum Eccleſijs inficiatur. Quare in poſterum tum ſibi, tum poſt ſe futuris Chriſtiani dogmatis Principibus Aurea hæc Bulla legem non minus obſeruandam imponit, quàm ſi a Deo ipſo dictaretur, NE QVIS POST HAC SACRA TEMERE CONTRECTET, etiam ſi vel Cadmea neceſſitas vrgeat, ne manus impuras ſacris rebus inijciat, ne prophana ex diuinis Dinodia fiant, dum in publicos vſus circumferuntur. Cumq. inter Deum & homines ſit *interſticij* loco poſitum, quod nullus, ſi modo pius fuerit, tranſgredietur; homines quidem rebus noſtris vtemur & fruemur: Deo autem ſarta tecta manebunt, quæcumque illi conſecrata fuerint, nec illa manibus, vel audaciſſimis contingent. Quod ſi quis Domine Deus in poſterum manus ſacris & diuinis Dinodijs, vtenſilibus & vaſis, quæ ſacris olim & venerandis Eccleſijs tuis dicata, vel in poſterum dicanda fuerint, inijcere audeat: is ne lumine in die viſitationis tuæ fruatur, nec Sol illi matutinus illuceſcat, nec tuo hic auxilio, nec tua iſthic diuina protectione gaudeat, ſed vbique deſpectus à te, deſertuſq. iaceat. Tantum propitius eſto nunc ô Rex hæreditati tuæ. Siſte iuſtam illam iram, qua in nos exarſiſti, quin parce nobis, qui cum peccauerimus antea, nunc tandem ad te conuertimur, quoniam omnia peccata noſtra cum miſericordiæ tuo abyſſo collata, & velut ad perpendiculum examinata ſic ſe habent tamquam aquæ hemina, ſi cum toto mari conferatur.

Vt ergo coram te, Domine, multitudinem peccatorum meorum confiteor, ita tuum quoque maxime ſalutiferum auxilium imploro, ex intimiſq. animi penetralibus, à ſacris in poſterum pertractandis deſiſtens, etiam ſi extrema me neceſſitas eo impellat, & debitorem eorum, quæ antea inde ablata fuerunt, me ingenue profiteor.

In

An huius enim rei confirmationẽ vniuerſis Eccleſijs tuis ſanctis hanc Aurea bulla obſignatam Orationem, tamquam tutum aliquod antidotum appendi, vt quicumque poſthac ſacrorum Dinodiorum quodpiam contrectare auſus fuerit, impij Sacrilegij nomine apud te, & pios quoſque homines cenſeatur. Dat. men. Auguſto quintæ Indictionis quater anno milleſimo quingenteſimo, nonageſimo, quo quidem tempore pium quoque hoc, & Deo ſubditum Imperium nobis deſignatum eſt. Anniuerſaria nempe die. Hactenus Bulla Aurea, aureis re vera litteris digna.

Rex Angliæ Eccleſijs non parcens, ſed deſtruens eas, morbo correptus, & morti proximus, deteſtatur pœnitens facinus ſuum: illud & ſecretè, & publicè confitetur, & ſatisfacit, damna illata, prout poteſt, reſtaurans. Cap. 419.

Milleſimo, & octuageſimo ſeptimo ſalutis anno, Guillelmus I. Rex Angliæ quinto Idus Septẽbris ex hac vita migrauit, pœnitens peccatorũ quibus diuinam in ſe vindictam prouocauerat, cum regnaſſet annos viginti, menſibus decem, & dies viginti octo. Cum proximè in regnũ Francorum graſſatus in odium Philippi Regis, nec pepercit Eccleſijs, quæ repertæ ſunt in Madantenſium ciuitate, quam incendio concremauit. Quo facto mox offenſum numen ſenſit vltorem, illum acerbiſſimo dolore ad obitum vſquè conficiens. Quo audito per medicos nuntio (inquit Vvillelmus ceteris ſicut antiquitate, ita & veritate præſtantior) querimonia domum repleuit, quod eum præoccuparet mors, emendationem vitæ iamdudum meditantem. Reſumpto animo, quæ Chriſtiani ſunt executus eſt in confeſſione, & viatico. Hæc ipſe, qui primo hæc de eius vitæ inſtitutis: In primis, inquit, Dei famulis humilis, ſubiectis facilis, in rebelles inexorabilis erat. Religionem Chriſtianam (quantum ſecularis poterat) ita frequentabat, vt quotidie Miſſæ aſſiſteret, veſpertinos, & matutinos hymnos audiret &c. Subijcit: Monaſterijs ab eo erectis, & monaſtica diſciplina optime culta, & alijs. *Vvillel. lib. 3. rerum Anglic.*

Sed quod ab eodem nuper audiſti, eundẽ Regis per medicos reſpõſo mortis accepto, querimonia domum repleſſe, quod eum iamdudum meditantem vitæ emendationem mors præoccuparet: ſcias eamdem ipſius querimoniam ab eo, qui aderat, ſcriptis fuiſſe mandatam, vnà cùm ijs, quæ ſecuta ſunt vſque ad conditum corpus ſepulturæ in monaſterio Cadomenſi, ibiq. eamdem hactenus aſſeruatam: Cuſam vero nuper, vnà cum alijs rerum Anglicarum ſcriptoribus Frãcofurti anno Domini milleſimo ſexcenteſimo primo, ex qua aliqua notanda magis hic deſcribenda curauimus, quibus tanti Regis pietas innoteſcat, qui ex abundantia cordis exuberante intrinſecus contritione, parum habuit peccata ſua (quod fecit) ſecreta confeſſione, ex præcepto Eccleſiæ oſtendere ſacerdoti, ſed eadem cunctis, qui aderant, audientibus voluit probaſſe, & quidem non ſolum, quæ nuper Eccleſiarum incendio publicè perpatraſſet, quorum cauſa ea tunc pati commeruiſſet, ſed quæ adhuc impubes (incipiens à pueritia) deliquiſſet, cum primùm poſt confeſſionem à ſatisfactione ſic incæpiſſet. nam auctor hæc tunc de ipſo.

Verùm ſapiens hæros in futurum ſibi multiſq. commoda facere non diſtulit, omneſq. theſauros ſuos Eccleſijs, & pauperibus, Deiq. miniſtris

diſtri-

diſtribui præcepit. Quantum vero ſingulis dari voluit, callidè taxauit, & coram ſe deſcribi à Notarijs imperauit. Clero quoque Madatenſi ſupplex ingentia dona miſit, vt inde reſtaurarentur Eccleſiæ quas combuſſerat. De fide, & iuſtitia ſeruanda, de lege Dei, & pace tenenda, de priuilegijs Eccleſiarum, & ſtatutis Patrum obſeruandis omnes, qui præſentes erant, admonuit, & allocutionem per eum memoria dignam, admixtis interdum lachrymis eloquenter ſic edidit, cum peccatorum memoria deficiens, ſpem ſuam in piorum precibus collocaret.

Multis inquit, ò amici, grauibusq. peccatis onuſtus contremiſco, mox ad tremendum Dei examen rapiendus, quid faciam ignoro. In armis enim ab infantia nutritus ſum, & multi ſanginis effuſione admodum pollutus ſum. Nullatenus enumerare poſſum mala, quæ feci per ſexaginta quatuor annos, quibus in hac ærumnoſa vita vixi, pro quibus abſque mora rationem reddere nunc cogor æquiſſimo Iudici. Dum pater meus &c. (exorditur enim ſua flere delicta ab eo tempore, quo adhuc impubes moderandū Northmanniæ ducatum accepit) poſt hæc autem, eo quo ſunt geſta ordine recenſitis, conuerſus ad eos, qui aderant ſacerdotes, ſic locutus. Vnde vos ò ſacerdotes, & miniſtri Chriſti ſuppliciter obſecro, vt orationibus veſtris me commendetis Omnipotenti Deo, vt peccata, quibus admodum premor, ipſe remittat, & per ſuam infatigabilem clementiam inter ſuos me ſaluum faciat. Theſauros quoque meos iubeo dari Eccleſijs, & pauperibus, vt quæ congeſta ſunt ex facinoribus, diſpergantur in Sanctis Sanctorum vſibus. Debetis enim recolere, quàm dulciter vos amaui, & quàm fortiter contra omnes æmulos defenſaui Eccleſiam: Dei matrem ſcilicet naturam, nunquam violaui, ſed vbique (vt ratio exegit) deſideranter honoraui: Eccleſiaſticas dignitates non venundedi, ſimoniam deteſtatus ſemper refutaui: in electione perſonarum vitæ meritum, & ſapientiæ doctrinam inueſtigaui; & quantum in me fuit, omnium digniſſimo, Eccleſiæ regimen commendaui. Hoc nimirum probari poteſt veraciter in Lanfrancho Cantuarienſium Archipræſule, hoc in Anſelmo Beccenſium Abbate, hoc in Geberto Fontanellenſi, & Durando Troarnenſi, & in alijs multis Regni mei doctoribus, quorum celebris locus perſonat in vltimis, vt credo, terræ finibus. Tales ſocios ad colloquiū elegi, in horum contubernio veritatem, & ſapientiam inueni, ideoq. ſemper gaudens optabam eorum conſilijs perfrui.

Nouem Abbatiæ monachorum, & vna ſanctimonialium, quæ à patribus meis in Northmannia fundata ſunt, me adiuuante cum auxilio Dei creuerunt, & glorioſè multarum augmentum rerum, quas dedi, magnificatæ ſunt. Deindè Ducatus mei tempore, decem, & ſeptem monachorum, atquè ſanctimonialium ſex Cœnobia conſtructa ſunt, vbi magnum ſeruitium, & plures eleemoſynæ pro ſummi Regis amore quotidiè fiunt. Huiuſmodi caſtris munita eſt Northmannia, & his diſcunt terrigenæ præliari contra Dæmones, & carnis vitia. Horum quippè, aut ego, inſpirante Deo fui conditor, aut fundator, feruidus adiutor, & beneuolus incentor &c. Hæc & alia bona recolit, vt ſe ipſum depreſſum in ſpem violentus erigeret. Reddita ad poſtremū ratione, cur Germanum ſuum Odonem Baiocenſem Epiſcopum detentum in carcere dimitti noluiſſet, quomodo tandem ex hac vita deceſſerit, ſic qui aderat, auctor pergit.

Deni-

Denique quinto Idus Septembris feria quinta, iam Phæbo per Orbem ſpargente clara radiorum ſpicula, excitus Rex, ſonum maioris ſigni audiuit in Metropolitana Baſilica. Percontante eo quid ſonaret? reſpondent miniſtri, Domine hora prima iam pulſatur in Eccleſia ſanctæ Mariæ. Tunc Rex cum ſumma deuotione oculos ad cælum erexit, & ſurſum manibus extenſis dixit: Dominæ meæ S. Genetrici Mariæ me commendo, vt ipſa ſuis ſanctis precibus me reconciliet chariſſimo filio ſuo Domino noſtro Ieſu Chriſto; his dictis protinus expirauit. Archiatri autem, & ceteri præſentes, qui Regem ſine ſtrepitu, & clamore quieſcentem tota nocte ſeruauerunt, & nunc ex inſperato ſic eum mox migraſſe viderunt, vehementer attoniti, & velut amentes effecti ſunt. Porrò ditiores ex his illicò aſcenſis equis receſſerunt, & ad ſua tutanda properauerunt. Inferiores verò clientuli, vt magiſtros ſic ſe ſubduxiſſe proſpexerunt, arma, vaſa, veſtes, & linteamina, omnemq. regiam ſupellectilem rapuerunt, & relicto Regis cadauere penè nudo in area domus aufugerunt. Cernite precor omnes, qualis eſt mundana fides? Vnuſquiſque, quæ potuit de apparatu Regio, miluus rapuit, & confeſtim cum præda ſua aufugit, &c. Facta ſunt hæc Rothomagi, vbi Rex Deo vltimum ſpiritum reddidit.

Indè verò corpus ſepeliendum in Cadomenſe Monaſterio per Sequanam deducendũ per Clericos, & Monachos, qui ſponte conuenerunt miſericorditer curatum narrat, empto loco ſepulturę ab Aſcelino quodam, qui locum ſuum dicebat eſſe. Quodnam hoc permoleſtum ſit ſecutum ſpectaculum, ita ſubijcit auctor: Porrò dùm corpus in ſarcophagum mitteretur, & violenter, quia vas per imprudentiam cœmentariorũ breue ſtrictum erat, compliceretur, pinguiſſimus venter crepuit, & intolerabilis fœtor circumſtantes perſonas, & reliquum vulgus impleuit. Fumus thuris, aliorumq. aromatum de thuribulis copioſè aſcendebat, ſed teterrimum putorem excludere non præualebat. Sacerdotes itaque feſtinabant exequias perficere, & actutum ſua cum pauore mapalia repetere. Hactenus de funere funeſto ſatis. Ecce ſubtiliter inueſtigaui (ſubdit idem auctor) & veraciter enucleaui, quæ in lapſum Ducis Northomanniæ præoſtendit diſpoſitio Dei. Non fictilem tragœdiam venundo, non loquaci comœdia cachinnantibus paraſitis faueo, ſed ſtudioſis lectoribus varios euentus veraciter intimo: inter proſpera patuerunt aduerſa, vt terrerentur terrigenarum corda. Rex quondam potens & bellicoſus, multiſq. populis per plures prouincias metuẽdus, in area iacuit nudus, & à ſuis quos genuerat, vel aluerat deſtitutus. Aere alieno in funebri cultu indiguit, ope gregarij pro ſandapila, & veſpillonibus conducendis eguit, qui tot hactenus, & ſuperfluis opibus nimis abundauit, &c. Hæc, & alia auctor, quem vidimus, relinquens tanto exemplo optimè philoſophandi efficaciſſimum argumentum.

At licet pœnitenti Regi Deus (vt piè credendum eſt) culpam peccatorum dimiſerit, pœnam autem eſt proſequutus in filios, atque nepotem peccati illius, de quo iſta Vuillelmus. Locus eſt (inquit) quem Vuillelmus pater hic, de quo agimus, deſertis villis, ſubrutis Eccleſijs per triginta, & eo amplius milliaria in ſaltus, & luſtra ferarum redegerat, infando prorſus ſpectaculo; & vbi ante, vel humana conuerſatio, vel diuina veneratio feruebat, nunc ibi cerui, & capreoli, & ceteræ illud genus beſtiæ petulanter

diſcur-

diſcurſitant, nec illæ quidem mortalium uſibus communiter expoſitæ, cuius rei cauſa primo Ricchardum filium ceruos ibi venantem ex tabido aere incurriſſe morbum tradit, quo & defunctus eſt. Hæc viuente patre. Poſt obitum verò ipſius Regis, quæ ibidem ſecuta ſunt portentoſa funera, ſic idem auctor enarrat: Pro vero aſſeritur, quod in eadem ſylua Vuillelmus filius eius, qui ipſi ſucceſſit in regnum, & nepos Richardi filius Roberti Comitis Northmanniæ mortem offenderint, ſeuero Dei iudicio, ille ſagitta pectus, iſte collum traiectus velut quidam dicunt arboris ramuſculo equo pertranſeunte fauces appenſus. hæc ipſe.

Fideles Sancti Petri contra impium Henricum pugnantes in nomine Domini numeroſum eius exercitum profligarunt, ipſo in fugam acto, vindicante Petro fideles ſuos, & ſucceſſores ab ipſo vexatos. Cap. 420.

Bertold. Conſt. an. 1086.

HIs temporibus fideles S. Petri Principes Sueuorum, cum Saxonibus, & Baioarijs generale colloquium, poſt feſtum Apoſtolorum, propè Vuirceburg. condixerunt, quod Henricus congregata multitudine Schiſmaticorum interturbare voluit. Sed Sueuis ſuperuenientibus reſiſtere non valens, ad tempus eis locum dedit. Ipſi autem Herbipolim ad obſidendos fautores Henrici proceſſerunt, & adiūctis Saxonibus eandem ſepi circūdederunt. Interim Henricus exercitum viginti penè millium, pedites, & equites congregauit, & ad ciuitatem liberandam iam quinque ſeptimanis obſeſſam, aciem direxerunt. Quo audito, fideles S. Petri ſoluta obſidione obuiam ei duobus milliaribus, non tàm multitudine ſua, quàm miſericordia Dei, & iuſtitia S. Petri, non tàm armis, quàm virtute S. Crucis confiſi, proceſſerunt. Vnde, & Crucem altiſſimam in quodam plauſtro erectam, & rubro Vexillo decoratam, vſque ad locum certaminis ſecum deduci fecerunt. Vvelph quoque Dux cum ſua legione, & Magedeburgenſis legio relictis equis, pedites incedebant. Cum autem iamiam congreſſuri eſſent, omnes in terram proſtrati cælum oratione penetrauerunt, quam pro eis ibidem reuerendiſſimus Magedeburgenſis Archiepiſcopus cum multis lachrymis, & gemitibus effudit.

Igitur in nomine Domini congreſſi, incredibilem hoſtium ſtragem fecerunt, ita vt nouem millium altæ congeries cadauerum ibi viderentur, præter illos, qui per campos, & ſyluas fugitantes, occubuerunt. Henricus autem in primo impetu congreſſionis diſſimulato habitu, primus inter primos terga vertens, omnia vexilla ſua noſtris relinquens, vſque ad Rhenum ſatis accelerato peruenit. Sed noſtri eum longo tempore inſecuti tandem magnā prædam de hoſtibus reportauerunt; ipſius ſanè ſcrinia cum veſtimentis Regalibus, item neſcio quot capellas Epiſcoporum, cum alijs innumerabilibus, noſtri acceperunt. In illa ergo congreſſione, quot millia aduerſariorum occubuerint, nondum explorare potuimus.

Ex parte autem fidelium S. Petri, non niſi quindecim homines mortuos inuenire potuimus, licet diligentiſſime perquireremus, & de ipſis quindecim, non niſi tres in loco certaminis obiere, reliqui aliquot diebus poſtea vixerunt. Inter mortuos, & vulneratos, non niſi triginta reperire potui-

mus ex noſtris, & hoc vtiquè nulli humanæ virtuti, ſed potius diuinæ aſcribendum eſt. Cum fideles S. Petri vix decem millia habuerint, aduerſarij autem etiam viginti millia exceſſiſſe referantur. Itaq. noſtri per miſericordiam Dei victoria potiti, in campo certaminis ea nocte caſtrametati ſunt, & in craſtinum ad obſidionem Vrbis reuerſi, abſquè ſanguine eam ceperunt. Deinde Vvirceburgenſi Epiſcopo cum magnis laudibus ciuium, clericorum, & laicorum, in ſedem ſuam reſtituto, congruoq. militum præſidio ciuitati impoſito, ipſi cum magna gloria, & lætitia ſinguli in ſua redierunt. Factum eſt autem hoc prælium in ſequenti die, poſt feſtum ſancti Laurentij, videlicet in Anniuerſaria die, quando & Heremannus Rex cum Sueuis Baioanos deuicit.

Ego quoquè ipſe, qui hæc Chronica ab anno MLIII. Dominicæ Incarnationis hucuſquè perduxi, de prædicto prælio, non tàm aliorum relatu, quàm quæ ipſe vidi, & audiui, ad laudem & gloriam Dei fidelibus annunciare curaui.

Henricus Rex Germaniæ, indebite Paſtorem Romanū, vniuerſalem Patrem vexans, primo quidē ab Eccleſia vniuerſali ejcitur, deindè à filio è Regno pellitur, & poſtremo infœliciter moritur. Cap. 421.

Henricus Rex poſt multa vbiquè commiſſa crimina, & Romanæ Sedis vexationem, tandem debitas ſuſtinuit pœnas, & primo quidem eiectus eſt ab Eccleſia, & diro anathemate percuſſus, & hoc actum eſt in Concilio Romano, in quo nouiſsimè omnium de promulgādo in Henricum Regem anathemate, in quod ipſe multiplici nomine Apoſtolicæ Sedis contumax, atquè periurus, ſeipſum ſæpius implicuiſſet, actum eſt. Toleratus ipſe quidem iàm triennio, cùm promiſſionis ſuæ poſtquàm à Gregorio VII. Pontifice eſt abſolutus, præuaricator extiterit, atquè toties iuratis per Legatos ſuos in Romanis Synodis pollicitationibus ſemper aduerſa prǽſtiterit, & in deteriora quotidie prolapſus fuerit. Toleraſſet adhuc puto diutius, niſi tanta eiuſdem Gregorij patientia ab Eccleſiæ fidelibus in deteriorem partem accepta, ipſe in ſuſpicionem vehementem iàm eſſet adductus tacitæ conniuentiæ cum Henrico, non ſine graui ſcandalo totius Eccleſiæ. Quamobrem inuitus licet, & nolens tractus eſt tamen, vt in hoc eodem Concilio excommunicationem in eundem Henricum Regem, his ipſis verbis ſcilicet promulgaret: *In act. Conc. Rom. quæ habetur in Epiſt. Greg. VII. lib. 7. Epiſt. 14.*

Beate Petre Princeps Apoſtolorum, & tu beate Paule Doctor gentium dignamini quæſo aures veſtras ad me inclinare, meq. clementer exaudire. Quia veritatis eſtis Diſcipuli, & amatores, adiuuate vt veritatē vobis dicā, omni remota falſitate, quam omninò deteſtamini, vt fratres mei melius mihi acquieſcant, & ſciant, & intelligant, quia ex veſtra fiducia poſt Dominum, & matrem eius ſemper Virginem Mariam, prauis, & iniquis reſiſto, veſtris autem fidelibus auxilium præſto. Vos enim ſcitis, quia non libenter ad ſacrum ordinem acceſſi, & inuitus vltra montes cum Domino Gregorio Papa abij, ſed magis inuitus cum Domino meo Papa Leone ad veſtram ſpecialem Eccleſiam redij, in qua, vtcunquè vobis deſeruiui. Deindè

valdè inuitus cum multo dolore, gemitu, ac planctu in throno veſtro valdè indignus ſum collocatus. Nec ideo dico, quia non ego vos, ſed vos elegiſtis me, & grauiſſimum pondus veſtræ Eccleſiæ ſupra me poſuiſtis. Et quia ſuper montem excelſum me iuſſiſtis aſcendere, & clamare, atquè annunciare populo Dei ſcelera eorum, & filijs Eccleſiæ peccata eorum; membra diaboli contra me cæperunt inſurgere, & vſquè ad ſanguinem præſumpſerunt in me manus ſuas inijcere. Aſtiterunt enim Reges terræ, & & Principes ſeculares, & Eccleſiaſtici, aulici, & vulgares conuenerunt in vnum aduerſus Dominum, & aduerſus vos Chriſtos eius dicentes; Dirumpamus vincula eorum, & proijciamus à nobis iugum ipſorum, & vt me omninò morte, vel exilio confunderent, multis modis conati ſunt in me inſurgere.

Inter quos ſpecialiter Henricus, quem dicunt Regem, Henrici Imperatoris filium. contra veſtram calcaneum erexit Eccleſiam, facta cum multis Epiſcopis Vltramontanis, & Italicis conſpiratione, annitens me deijciendo, eam ſibi ſubiugare. Cuius ſuperbiæ veſtra reſtitit auctoritas, eamq. noſtra deſtruxit poteſtas, qui confuſus, & humiliatus ad me in Longobardiam veniens abſolutionem ab excommunicatione quæſiuit. Quem ego videns humiliatum, multis ab eo promiſſionibus acceptis de ſuæ vitæ emendatione, ſolam ei communionem reddidi, non tamen in regno à quo eum in Romana Synodo depoſueram, inſtauraui, nec fidelitatem omnium, qui ſibi iurauerant, vel erant iuraturi, à qua omnes abſolui in eadem Synodo, vt ſibi ſeruaretur, præcepi. Et hæc ideo detinui, vt inter eum, & Epiſcopos, vel Principes Vltramontanos, qui ei cauſa iuſſionis veſtræ Eccleſiæ reſtiterant, iuſtitiam facerem, vel pacem componerem ſicut ipſe Henricus iuramento per duos Epiſcopos mihi promiſit. Prædicti autem Epiſcopi, & Principes Vltramontani audientes illum non ſeruare mihi, quod promiſerat, quaſi deſperati de eo, ſine meo cõſilio vobis teſtibus elegerunt ſibi Rodulphum Ducẽ in Regem. Qui Rex Rodulphus feſtinanter ad me miſſo nuntio, indicauit ſe coactum regni gubernacula ſuſcipere, tamen ſeſe paratum mihi omnibus modis obedire. Et vt hoc verius credatur, ſemper ex eo tempore eundem mihi miſit ſermonem, adijcens etiam, filio ſuo obſide, & fidelis ſui Ducis Bertholdi filio, quod promittebat, firmare. Interea Henricus cæpit me precari, vt illum contra prædictum Rodulphum adiuuarem, cui reſpondi me libenter facere, audita vtriuſque partis ratione, vt ſcirem cui iuſtitia magis faueret. Ille verò putans ſuis viribus eum poſſe deuincere, meam contempſit reſponſionem. Poſtquàm autem perſenſit, ſe non poſſe, ſicut ſperauit agere, duo Epiſcopi, Virdunenſis videlicet, & Oſemburgenſis de conſentaneis ſuis Romam venerunt, & in Synodo ex parte Henrici, me, vt ei iuſtitiam facerem, rogauerunt, quod, & nuntij Rodulphi fieri laudauerunt. Tandem aſpirante Deo, ſicut credo, ſtatui in eadem Synodo in partibus Vltramontanis fieri colloquium, vt illic, aut pax ſtatueretur, aut cui amplius iuſtitia faueret, cognoſceretur. Ego enim (ſicut vos mihi teſtes eſtis Patres, & Domini) vſque hodie nullam partem diſpoſui adiuuare, niſi eam, cui plus iuſtitia faueret; & quia putabam, quod iniuſtior pars colloquium nollet fieri, vbi iuſtitia ſuum locum ſeruaret, excommunicaui, & anathemate alligaui omnes perſonas, ſiuè Regis, ſiuè Ducis, aut Epi-

ſcopi,

ſcopi, ſeu alicuius hominis, qui colloquium aliquo ingenio impediret, vt non fieret. Prædictus autem Henricus cum ſuis fautoribus non timens periculum inobedientiæ (quod eſt ſcelus Idolatriæ) colloquium impediendo excommunicationem incurrit, & ſeipſum anathematis vinculo alligauit; magnam multitudinem Chriſtianorum morti tradi, & Eccleſias fecit diſſipari, & totum penè Teuthonicorum Regnum deſolationi dedit.

Quapropter confidens de iudicio, & miſericordia Dei, eiuſq. pijſſimæ matris ſemper Virginis Mariæ, fultus veſtra auctoritate, ſæpè nominatum Henricum, quem Regem dicunt, omneſq. fautores eius excommunicationi ſubijcio, & anathematis vinculis alligò, & iterum Regnum Teuthonicorũ & Italiæ ex parte omnipotentis Dei, & veſtra interdicens, ei omnem poteſtatem, & dignitatem illi Regiam tollo, & vt nullus Chriſtianorum ei ſicut Regi obediat interdico, omneſq. qui ei iurauerunt, vel iurabunt de regni dominatione, à iuramenti promiſſione abſoluo. Ipſe autem Henricus cum ſuis fautoribus in omni congreſſione belli nullas vires, nullamq. in vita ſua victoriam obtineat. Vt autem Rodulphus Regnum Teuthonicorum regat, & defendat, quem Teuthonici elegerunt ſibi in Regem, ad veſtram fidelitatem ex parte veſtra, dono, largior, & concedo, omnibus ſibi fideliter adhærentibus abſolutionem omnium peccatorum, veſtramquè benedictionem in hac vita, & in futura, veſtra fretus fiducia, largior. Sicut enim Henricus, pro ſua ſuperbia, inobedientia, & falſitate à regni dignitatè iuſte abijcitur, ita Rodulpho pro ſua humilitate, obedientia, & veritate, poteſtas, & dignitas regni conceditur.

Agite nunc quæſo Patres, & Princeps ſanctiſſimi, vt omnis mundus intelligat, & cognoſcat, quia ſi poteſtis in cælo ligare, & abſoluere, poteſtis in terris Imperia, Regna, Principatus, Ducatus, Marchias, Comitatus, & omnium hominum poſſeſſiones pro meritis tollere, & vnicuiquè concedere. Vos enim Patriarchatus, Primatus, Archiepiſcopatus, Epiſcopatus frequenter tuliſtis prauis, & indignis, & religioſis viris dediſtis. Si enim ſpiritualia iudicatis, quid de ſecularibus vos poſſe credendum eſt? Et ſi Angelos dominantes omnibus ſuperbis Principibus iudicabitis, quid de illorum ſeruis facere poteſtis? Addiſcant nunc Reges, & omnes ſeculi Principes, quanti vos eſtis, quid poteſtis, & timeant paruipendere iuſſionem Eccleſiæ veſtræ, & in prædicto Henrico tàm citò iudiciũ veſtrum exercete, vt omnes ſciant, quia non fortuitu, ſed veſtra poteſtate cadet. Confundatur vtinam ad pœnitentiam, vt ſpiritus ſit ſaluus in die Domini. Acta Romæ non. Martij Indictione tertia) Hucuſque excommunicationis decretum, actaq. Synodi tunc Romæ habita.

At qui iſta audit, atque res, quæ proxime contigerunt, longe Gregorij Papæ votis aduerſa conſiderat, nempe Henrici Regis Victoriam glorioſam aduerſus Rodulphum Regem, qui vulneratus interijt, fortaſſe ſcandalum patietur, quo non puſilli tantum, ſed etiam viri ſanctiſſimi eſſe pulſati noſcuntur, Ieremia ita Dominum compellante: Iuſtus quidem tu es Domine, ſi diſputem tecum, verumtamen iuſta loquar ad te. Quare via impiorum proſperatur, & bene eſt omnibus qui præuaricantur, & inique agunt? atque propheta Dauid nutante atque dicente: Mei autem penè moti ſunt pedes, penè effuſi ſunt greſſus mei, quia zelaui ſuper iniquos pacem peccatorũ vidès &c.

ſed

ſed eruditus, diuinoq. ſpiritu illuſtratus, vt præſentia futura prænoſcens, ſic eam quam ingerit, ſoluit mox quæſtionem iſta ſubijciens: Verumtamen propter dolos poſuiſti eis, deieciſti eos, dum alleuarentur. Quomodo facti ſunt in deſolationem? ſubito defecerunt, perierunt propter iniquitatē ſuam. Finis præterita iudicat, adeo vt ſuſpendendum abs te ſit de vnoquoque iudicium, antequam nouiſſima intuearis. Nam ſi tantum principia, vel progreſſus tantummodo ſpectes de impio, quàm lætum illud & glorioſum? Vidi impium exaltatum & eleuatum ſicut Cedros Libani; ſed quàm funeſtus cōſecutus eſt finis? audi: Tranſiui inquit, & ecce non erat; quæſiui eum, & non eſt inuentus locus eius.

Pſal. 72.

At quem dignè iuſtèq. percelluit excommunicatio Henricum Regem, demum poſt victorias infœliciter conſecutas (nihil enim infęlicius fęlicitate peccantium) vltio diuina proſtrauit. Qui enim patrem contempſit Gregorium Papam, à filijs ſuis ipſe deſpectus atque regno pulſus, in exilio mori eſt coactus infęlix, priuatusq. regno deceſſit, quem Apoſtolicæ Sedis ſententia regni abrogatione mulctauit, vt impleri Deus omnino voluerit, quod Petri ſublime tribunal immobile permanens in impium ſtatuiſſet; & perſpicuè apparuit, quem Petri ſucceſſor pari poteſtate ligaſſet in terris ex præſcripto diuinæ promiſſionis, Deum in cælis pariter alligaſſe. Sed ſera eſſe conſueuit executio diuinæ ſententiæ: diſſimulat Deus peccata hominum propter pœnitentiam, ſicut in Saul, qui ſimul àc deliquit, ſententiam regni priuationis accepit, dicente per Samuelem Domino: Scidit Dominus regnum Iſrael à te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te; ſed executio ſera. Non enim regnum Dauid accepit, niſi poſt obitum Saulis: ſed & in Henrico tarditatem grauitate compenſaſſe Deum apparet, dū filios in patrem ſtatuit eſſe carnifices, acerbiſſimos ſuæ ſententiæ executores: hoc namquè concipitur anno eius filius Henricus Quintus, qui patrem regno pulſum exulem mori coegit. Ita in Auctuario ad Lambertum.

Sap. 11. 1. Reg. 15.

Henrici excommunicatio, regni Diadematis ablatio, & bellum aduerſus filium, in quo tandem victus, capitur, & ludibrijs afficitur, & miſeram agens vitam infœliciter moritur. Cap. 422.

Alber. Ab. Staden. in Chron.

ANno Domini 1106. ab Vrbe condita DCCCLVII. ab origine autem Mundi, vt quidam dicunt: VI. M L V III. Henricus huius nominis, Quintus. LXXXIII. ab Auguſto, XI. patris ſui anno regnare cæpit adhuc viuente patre. Mediante igitur Henrico iuniore, tantus apud Moguntiam factus eſt in Natali Dominico totius regni Teuthonici conuentus, quantus per multa annorum curricula nuſquam eſt viſus. Referebant enim qui aderant, LII. optimates ibi tunc, vel eo amplius laicos affuiſſe, adeo vt ſolus Dux Saxoniæ Magnus, quem iam grauior ætas impediebat, defuiſſet. Ibi autem ſuperuenientes Apoſtolicæ Sedis Legati, Epiſcopus ſcilicet Albanus cum Conſtantienſi, ſententiam anathematis in Henricum Seniorem, dictum Imperatorem, à tot ſibi ſuccedentibus Apoſtolicis ſæpius promulgatam, ſcriptis ſimul, & dictis teſtificantes, vniuerſam multitudinem, immò totam toto orbe diffuſam Eccleſiam, ab eius communione, Chriſti,

&c B.

& B. Petri auctoritate, multis iam annis ſequeſtratam confirmabant, & eo vſque ſententia inualuit, vt Henrico diadema tollendum, & ad filium decernerent transferendum. Venerunt ergo Principes ad eum Hingelesheim, ſcilicet Moguntinus, Colonienſis, Vvormatienſis, & Imperialia ab ipſo exegerunt. Quo requirente, quare? obiecerunt ei in conferendis Abbatijs, & Epiſcopatibus ſimoniam. Quibus Imperator: dic Moguntine: dic Colonienſis per nomen æterni Dei, quid à vobis receperimus? At illi dixerunt, nihil. Et Imperator: Gloria in excelſis Deo, quia vel in hac parte inuenti ſumus fideles. Certè hæ maximæ dignitates potuiſſent magnum quæſtum noſtræ Cameræ impendiſſe. Dominus Vvormatienſis nouit,& nos nouimus, vtrum quæſtu, vel gratia ipſum receperimus. Nolite temerare fidem veſtrã: Ecce iam ſenio laboramus, ſuſtinete modicum, & nolite in confuſione veſtram gloriam terminare. Generalem Curiam expedimus, ſi cedendum eſt, proprijs manibus coronam filio reſignabimus. Illis renitentibus, habito parumper conſilio, Imperialibus ſe veſtiuit, hæc dicens: Hæc Imperialis honoris ſunt inſignia, hæc mihi præſtitit æterni Regis pietas, & Principũ concors electio. Potens eſt Dominus, nos in his conſeruare, & manus veſtras à cæpto opere cohibere, quãuis ſimus armis, & militia deſtituti. Securi enim de tali violentia, nobis non precauimus, ſed terror Dei vos coerceat, quos pietas non reuocat. Quod ſi neutrum reueremini, ecce præſentes ſumus, non poſſumus refragari. Hæſitant Pontifices; ſed inſtinctu Moguntini accepto conamine, Regem adeunt, coronam de capite rapiunt, & de ſede detractum eum omnibus Imperialibus exuunt. Imperator confuſus ſic ad eos loquitur: Deus vltionum Dominus videat, & vindicet, quam facitis iniquitatem. Ignominiam ſuſtineo antea inauditam, ſed delicta iuuentutis meæ luo à iuſto Iudice: ſed vos immunes non eritis, quia iuſiurandum præuaricati eſtis. Non proſperet honor veſter, ſit portio veſtra cum eo, qui tradidit Chriſtum. Illi obturantes aures ſuas recedunt, filio imperialia deferunt. Et filius patrem expulit à Regno. Venit Imperator in Ducatum Limborch, inuenit in venatione quendam Principem, quem eodem Ducatu priuauerat. Hic vt audiuit rem geſtam, miſertus eſt eius. Collegit ergo 800. loricatos, & perduxit eum Coloniam. Colonienſes receperunt eum, ſtatimq. filius obſedit Coloniam. Creſcente autem obſidione, Cæſar noctu elapſus fugit Leodium, & quia ad eum plurimi conuenerunt, ſtatuit dimicare. Quem cum filius perſequeretur, ſtatuit occurſum eius ad aquas Maſanas. Rogauit autem, vt ſi victor exiſteret, filio parceretur. Commiſſum eſt prælium, & pater præualens, fugauit filium trans Pontem, & multi occiſi ſunt gladio,& aquis plurimi ſuffocati. Denuo prælium inſtauratur, pater vincitur, & comprehenditur. Quanta vir ille magnificus pertulerit opprobria, indignum eſt relatu; Petiuit tandem ab Epiſcopo Spirenſe, qui amiciſſimus ſuus fuerat, vt præbendulam in Spira ſibi conferret, vbi ipſe glorioſum Monaſterium ſanctæ Virginis conſtruxerat. Sed Epiſcopo renuente, Cæſar ſuſpirans cum lachrymis exclamauit; Miſeremini mei, ſaltem vos amici mei, quia manus Domini me tetigit. Mortuus eſt autem Leodij, ſtetitq. in deſerta capella inhumatus quinque annis. Tandem apud Spiram ſepelitur.

Miſerabile dictu eſt, tanti nominis, tantæ dignitatis, tantiq. animi virum ſub profeſſione Chriſtiana mundum tanto tempore lucratum, nec ad inſtar *Abbas Vrſperg. in Chron.*

cuiuſlibet pauperis defuncti pium, vel compaſſiuum luctum à quauis inter tot Chriſtianos perſona promeruiſſe, ſed potius vniuerſorum tàm ibidem, quàm vbiuis verè Chriſtianorum corda ſimul, & ora infinito nimis tripudio
Exo.15. ſui oblitos, rumore repleſſe. Non altius concinnebat Iſrael Domino Pharaone demerſo, nec auguſtiori ipſi Octauiano, ſiue vlli vnquam Auguſtorũ
Iſa.30. applaudebat Roma triumpho. Frænum quippe, quod erat in maxillis populorum, verſum eſt illis in canticum, ſicut vox ſanctificatæ ſolemnitatis. Igitur quia ceſſante tandem exactore, quieuit & tributum, mox omnes, qui quæſtus dumtaxat gratia eidem Principi eatenus adhærendo, ſuas animas venalitati propoſuerant, deditioni Regis, ſimulq. & communioni Catholicæ ſubijciuntur. Leodienſis autem Epiſcopus, ceteriq. coepiſcopantes inter cetera recipiuntur in communionem pœnitentiæ, hac conditione, quod cadauer ipſius excommunicati per ſe pridie in Monaſterio tumulatum effoderent; & abſque vlla ſepultura, vel exequiarum communione in loco non conſecrato deponerent; comprobantibus his qui aderant Archiepiſcopis, & Epiſcopis, quia quibus viuis Eccleſia non communicat, illis etiam nec mortuis communicare poſſit. Quo facto, paulò poſt corpus ipſum Spirenſi Ciuitati eſt in Sarcophago lapideo Regis conſenſu delatum, ſicq. extra Eccleſiam ibidem per quinquennium manſit inhumatum.

Hic finis, hic interitus, hæcq. ſors vltima Henrici, illo ſub vocabulo Quarti Romanorum Imperatoris à ſuis appellati: à Catholicis vero, ideſt cunctis, beato Petro ſuiſq. ſucceſſoribus fidem, & obedientiam lege Chriſtiana conſeruantibus, archipyrata, ſimul & hæreſiarcha, nec non & Apoſtata, perſecutorq. plus animarum, quàm corporum competenter dicebatur, vt pote qui nec naturalibus, nec conſuetudinarijs contentus ſceleribus, noua & à ſeculis inaudita, adeoq. nonnulla incredibilia excogitaſſe, & exercuiſſe infamabatur, quæ ſi quis illorum arbitratu, qui tàm perperam, quàm recte ab Imperatoribus geſta litteris digna iudicant, ſcribere velit, nos loco cedimus, maximè cum aliqua ex his oblinione potius, quàm memoria digna nõ dubitemus. Pluribus autem teſtibus comprobare poterimus, quod nemo noſtris temporibus, natura, ingenio, fortitudine, & audacia, ſtatura etiam, totaq. elegantia corporis videretur faſcibus Imperialibus ipſo aptior, ſi tamen in conflictu vitiorum homo non degeneraret, vel ſuccumberet interior. Et inferius: Deo autem gratias, qui licet tarde, tamen permagnificè victoriam conceſſit Eccleſiæ ſuæ, cui etiam eiuſdem Nabuchodonoſor quinquageſimũ exactionis annum iſte Galilæus, qui Iulianum quondam vicerat, vertit in Iubilæum. Hanc à ſuo gentili eiuſdem temporis ſcriptore (alioqui in Germaniæ Imperatores propenſiori, & in Romanos Pontifices parum æquo) Imperator omnium nequiſſimus dignam meruit Panegyrim.

Henricum ex inſperato eſſe morte repentina mulctatum, ſcribit Domnizo Poeta illius temporis, in Mathilde:

> Mortem non ſperans, demum tamen ipſa cathena
> Mortis eum ſtrinxit, rapuit de corpore triſti,
> Auguſti quarto defungitur idus, in anno
> CHRISTI milleno centeno denique ſeno.

Contra

Contra Romanum Pontificem conſpirantes, varijs, & terribilibus affliguntur pœnis. Cap. 423.

CIncius quidam Romanus Ciuis, Gregorium Papam (Septimum ſcilicet) die Natiuitatis Domini Miſſarum ſolemnia celebrantem comprehendit; quem ita comprehenſum, quidam ex militibus eiuſdem Cincij occidere deſtinauit, ſed cum gladium ſupra caput eius vibraret, nimio terrore correptus, corruit, nec inceptum ictum explere potuit. *Bertol. Constant. in append. ad Herm. an. 1076.*

Cincius autem Papam in Turrim ſuam captum deduxit, quæ poſtea ſtatim à Romanis penitus dilapidatur, & Papa prudenter eripitur, qui & ſuo captori vix à Romanis vitam impetrauit. *Rom. Pont. benignitas.*

Godfridus Dux, filius Godfredi Ducis, particeps, imò auctor ſupradictæ conſpirationis, turpiter à quodam coquo, per poſteriora, cum ad neceſſarium ſederet, vulneratus, ante medium noctis exſpirauit.

Vvilhelmus Traiectenſis Epiſcopus, multa in Apoſtolicum conuiciatus, ſubitanea morte, abſque Eccleſiaſtica communione, poſt Paſcha mulctatur. Cui Conradus ſubrogatur. Iam omnes penè Principes regni à communione Henrici ſe ſequeſtrarunt.

Vvercellenſis quoque Epiſcopus, depoſiti regis Cancellarius, cum omnibus ſuis ſequacibus colloquium generale circa Kalendas Maij in Runcalibus condixit, vt ſi aliquo modo poſſet Gregorium Papam deponeret: ſed ipſe ad eundem terminum abſque Eccleſiaſtica communione, vitam ſimul, & Epiſcopatum heu miſerabiliter depoſuit, quo ille Papã nefaria præſumptione ſtatuit deponere. Non multo poſt eius interitum, præfectus Romanæ Vrbis, indefeſſus miles S. Petri contra Schiſmaticos à quodam fautore Henrici crudeliter occiditur. Ad eius corpus in paruo tempore plus, quàm viginti miracula contigerunt, vt fidelium virorum relatione didicimus. *Idem an. 1077.*

Sigeardus Aquileienſis Patriarcha in auxilium Henrico contra bannum Apoſtolici, armata manu veniens, in amentiam vertitur, apud Ratiſponam, & ex ipſo itinere repentina morte intercipitur. ſicq. domum, non ſine aliquibus ſuorum funeribus, in corpore & anima mortuus, reportabatur.

Reuerſo ergo Henrico Longobardiam, milites eius, quos in Caſtello prope ſanctum Petrum dimiſit, repentina mors pene omnes inuaſit, inter quos & Valdricus Goſcezehim abſque Eccleſiaſtica communione, heu miſer, interijt, auctor huius ſchiſmatis, & interceſſor conſpirationis. Ex quadringẽtis autem militibus, qui in illo Caſtello pro cuſtodia dimiſſi ſunt, vix triginta gladium S. Petri, vt aiunt, conceſſa vita, euaſerunt, ipſum autem Caſtellum à Romanis penitus adæquatum eſt. *An. 1083.*

Henricus Longobardiæ morabatur, ad quem Cincius ciuis Romanus, ſecum ducens captum venerabilem Cumanum Epiſcopum, nomine Reginaldum, Papiam venit, quippe remunerari volens ab Henrico, eo quod in ſeruitium hunc modò Epiſcopum, & in præterito anno Dominum Apoſtolicum captauerat. Sed ibi ſubitanea morte præuentus, debitam remunerationem accepit, quam tot ſacrilegijs promereri non timuit. Hæc ex Bertoldo. *An. 1077.*

Eadem de Cincio refert Baronius, ex manuſcripto Codice Vaticano, his verbis: Hoc eodem anno in Longobardia, peſſima morte defunctum eſſe *Baron. an. eod. 1077.*

Cincium illum, Romanum Ciuem, Romanæ Eccleſiæ perduellem, habent Acta Gregorij Papæ, à Guillelmo Bibliothecario ſcripta.

Fridericus Imperator Alexandrum Pontificem perſequens, Romam vexans, & Petri eccleſiam incendere nitens, ſuperno iudicio, & miſerabili exitio mulctatus eſt. Percuſſit enim exercitum ſuum validum ſubita & irremediabili peſtilentia, vt ad nihilum penè redactus ſit, & ipſe probroſè eiectus eſt ex Italia, ludibrioq. habitus. Cap. 424.

Baron. an. 1167.

Ex Codice Vatic. de Act. Alex. III.

TEmpore Alexandri Papæ III. ſtatus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ in extremum diſcrimen adductus, diuina tandem miſeratione, clade immenſa percuſſis hoſtibus, ſpecioſiori nitore refloruit. Quomodo aũt iſta miranda ſe habuerint, ex Actis ipſius Alexandri Papæ patefiet, quæ hic reddentur ab eius temporis auctore fideli ſatis, conſcriptis, quæ Codex Vaticanus continet verbatim. Populus ipſe Romanus Menſe Maio, ad defenſionem ſui Paſtoris aduerſus Raimonem Dominum de Tuſculano in omni virtute ſua exiuit communiter armatus, & procedens ad terram eius, non ſolum vineas & ſegetes cum arboribus hoſtiliter deuaſtauit, ſed etiam muros Tuſculanæ ciuitatis nihilominus deſtruere laborauit. Sed quoniam idem Raimo tantæ fortitudini per ſe ipſum reſiſtere non valebat, nec terram ſuam tutari, neceſſe habuit, vt ad auxilium ab Imperatore petendum confugium faceret. Miſit itaq. celeriter ad ſubuentionem, & præſidium eiuſdem Raimonis fortium bellatorum immenſam multitudinem, vt & Tuſculanum populum defenderet, & Romanorum violentiam coerceret. Poſtquàm vero illa ſæua Theutonicorum barbaries, quæ armis ſemper conſueuerat militare, ad Tuſculanum peruenit, videns populum Romanum eſſe multum ad præparandum bellum ordinatum, animum & audaciam ſumpſit, vt cum eo abſque mora in campo haberet conflictum. Appropinquantibus poſt horam nonam, repente clamor vtrinque vehemens ad ſydera tollitur, & ſtrictis mucronibus nimis atrociter in hoſtes irruunt. Sed primo congreſſu populus Romanus irreparabiliter corruit, & per campeſtria & conuallium deuia ita impie contritus & dilapſus eſt, vt de tanto agmine vix tertia pars euaſerit. Ea igitur nocte in Vrbe factus eſt dolor ſubitaneus, & vlulatus magni, audita calamitate, inſatiabilis luctus ex irreparabili iactura virorum & rerum: quippe quod ab eo tempore, quo Annibal Romanos apud Cannas deuicit, tantam Romanorum ſtragem nullus recolit contigiſſe.

Sed quamuis in tàm graui mœſtitia & communi dolore Pontifex à fletu & lachrymis ſe non potuit cohibere, videns tantam Ciuitatem præſidio armorum deſolatam, vtilius conſilium celeriter habuit, vt vigilanter de cuſtodia Vrbis & debilium reparatione murorum, atque de auxilio intrinſecus conferendo ſollicitus eſſet. Hoſtes vero pro adepta victoria nimium exultantes, non fuerunt contenti victoria ipſa, ſed adiunctis ſibi Tiburtinis, & Albanenſibus, Campanis, & ceteris circumpoſitis, illico feſtinarunt ad Vrbem, & deſtruentes vniuerſas munitiones, & omnes ſegetes vſque ad fluuium Tiberim, circumdederunt vſque ad portas vniuerſam Vrbem.

Imperator eadem, vbi occiſionem cognouit Romanorum, reliquit Anconam, & veniens ad exercitum ſuum, caſtrametatus eſt in Montemalo, decimo quarto Kalendas Auguſti. Altera vero die videns congregatam ſui exercitus innumerabilem multitudinem,deſcendit in fortitudine graui,vſque ad portas Caſtelli ſancti Angeli, ibiq. atrociſſimum dedit aſſultum, & fecit maximum impetum; ſed quia ſummi Pontificis familia, in faciem ſibi per orationem beati Petri fortiter, atque viriliter reſtitit, nihil ea die niſi detrimentum ſuorum & confuſionem reportauit. Vnde maiori furore commotus eccleſiam Apoſtolorum, quæ à fidelibus Eccleſiæ tenebatur in cuſtodia, cum baliſtis & ſagittarijs violenter aggreſſus eſt. Sed cum eam expugnare non poſſet, poſtpoſita reuerentia Dei, & eiuſdem Regni cælorum clauigeri, tamquam ſacrilegus, & profanus ignem fecit apponi. Cuſtodes vero Eccleſiæ formidantes, ne tota fabrica incendio ſolueretur,poſt combuſtam ſanctæ Mariæ in Turri Eccleſiam cum æreis portis, & vicinis porticibus, beati Petri Baſilicam in manu, & poteſtate ſæuientis Principis tradiderunt.

Hæc igitur & alia imminentia mala cum beatus Pontifex conſideratione ſollicita peruideret, poſt illud excidium populi, quod exigentibus peccatis acciderat,dimiſſo Lateranenſi palatio, cum fratribus ſuis, & eorum familijs ad tutas domos Frangipanum deſcendit, & apud ſanctam Mariam nouam,& Caſtellariam, & Coloſſæum ſe cum eis in tutum recepit, ibiquè pro incumbenti malitia Imperatoris quotidianus Epiſcoporum, & Cardinalium fiebat conuentus, tractabantur cauſæ, reſponſa dabantur.

In diebus illis, prædictus Rex Siciliæ Vuillelmus iunior audiens, quomodo ſæuus ille Imperator perſecutor Romam teneret obſeſſam, timens ne in perſonam domini ſui Papæ Alexandri aliquid grauioris periculi poſſet accidere, miſit ad eum duas veloces Galeas cum pecunia, præcipiens earum Comitibus,vt ad Pontificem niterentur accedere,& aſſignata ei pecunia,perſonam ipſius,ac fratrum ſuorum in Galeas reciperent, & de poteſtate ipſius Federici, & omnium expectatione ſchiſmaticorum eriperent. Contigit itaquè,vt ex inſperato Galeæ per Tiberis alueum aſcenderent,& ad ſancti Pauli eccleſiam applicarent. Miſſa itaq. inſinuatione ad aures ſummi Pontificis, ductore viro egregio Frangipane, Comites galearum cum pecunia, quam ferebant, ad veſtigia Præſulis acceſſerunt. Tunc venerabilis Pontifex ſuper his gratias omnipotenti Deo referens, pecuniam ipſam de Regis benignitate ſuſcepit, & Nuncios tàm deuotiſſimi Principis ſecum per octo dies affectu paterno detinuit. Habito autem in cauſa Eccleſiæ & Ciuitatum cōſilio, Galeas ipſas ad eundem Regem beatiſſimi Petri deuotiſſimum, & ſpecialem filium cum gratiarum actione remiſit, præmittens cum eis duos ex fratribus, Marcellum S. Georgij,& Petrum S.Mariæ in Aqui.Diaconos Cardinales ad partes ſancti Germani. Ipſa vero die de ſuſcepta pecunia partem dedit fidelibus Frangipanum, & filijs Petri Leonis, vt ſtrictius obligati ad inuicem ſeſe fortius adiuuarent, & ad defendendam Ciuitatem, populum manu tenerent, & robuſtius animarent. Pro cuſtodia vero Vrbis partem eiuſdem pecuniæ ad ſingulas portas benigniſſime diſtribuit.

Cum autem Ciues Romani aduerſus Fridericum fortiores ſolito ſtarent, & ei quotidie grauiora damna inferrent, videns ipſe Fridericus, quod aduerſus eos virtute armorum præualere non poſſet, tanquam vulpes callida,

conuertit ſe ad conſueta perſpicacioris aſtutiæ argumenta. Miſit itaq. ad Epiſcopos, & Cardinales, qui ad eum ex prouiſione Alexandri Papæ iuerant, per Conradum Archiepiſcopum Moguntinum pacis verba in hunc modum: Si vos apud Alexandrum agẽtes effeceritis, quod ſalua eius omni ordinatiõne, ceſſet à Papatu, ego pariter ceſſare faciam Guidonem, & tunc ſimul conuenient omnes Eccleſiaſticæ perſonæ, quæ tertiam perſonam in ſummum Pontificem eligant. Ego autem reddam Eccleſiæ firmam pacem, nec vlterius de cauſa electionis Romani Pontificis me vllatenus intromittam: populoq. Romano propter hoc promittebat, omnes ſuos captiuos ſe reddere; & ſi quid reſiduũ ex eorum ſpolijs appareret. Quod verbum ita afflicto populo fauorabile viſum fuit, vt omnes id eſſe faciendum, vnanimiter collaudarent. Dicebant enim, quod pro redimendis ciuibus ſuis Dominus Papa maiora deberet facere, quàm Papatum relinquere.

Epiſcopi autem, & Cardinales deliberato animo, & conſilio, vna voce ipſi Friderico reſponderunt, dicentes: Non eſt noſtrum iudicare ſummum Pontificem, quem in ſuo Deus iudicio reſeruauit, quoniam (vt teſtatur ſcriptura) non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum. Cum igitur populus adhuc vehementer inſtaret Pontifici, vt eiuſmodi petitio manciparetur effectui, Pontifex vtiliora proſpiciendo, ſecretum cum fratribus faciens verbum, ab oculis eorum euanuit, & propitiante Domino, die tertia viſus eſt prandere cum ſocijs, ad radicem montis Circei ad fontem, qui tunc Papalis eſt appellatus. Procedens vero vltra fluuium Regulæ, vndique ad eum tàm laicorum, quàm clericorum præſentia concurrente, per Tarracinam, & Caietam tranſiens, ad patrimonium tandem Beneuentanorum cum Epiſcoporum multitudine peruenit, Domino fauente. Fratres vero, qui in Vrbe erant, ſecuti ſunt eius veſtigia, & ſuo Capiti tanquam membra ſuo corpori adhæſerunt.

Luc. 6.

Romualdus autem Salernitanus Archiepiſcopus, huius temporis ſcriptor, hæc habet de fuga Alexandri Papæ. Quo cognito Alexander Papa, qui tunc in Turri Chartularia morabatur, in habitu peregrini cum paucis Vrbẽ exijt, & Caietam vſque peruenit, & ibi aſsumpto Pontificali habitu, Beneuentum veniens, à Ciuibus eiuſdem Ciuitatis honorificè eſt ſuſceptus. Quod autẽ ad Chartulariam Turrim ſpectat, erat illa familiæ Frangipanum; qui in Ricdali Centij Camerarij dicti inueniuntur Frangipanes de Chartularia, cuius veſtigia viſuntur vſque hodiè iuxta Arcum Titi ad radices Palatini, quæ alio nomine dicta eſt, Septem Lucernarum.

Romuald. Salernitan. Archiep. de fuga Alex.

Fridericus autem, vbi cognouit Alexandrum Papam Vrbe exiſſe, & eius inſidias euaſiſſe, contriſtatus eſt nimis, timens ne totum orbem contra ſe commoueret, & ad ſuã iacturam maiores ſeculi Principes conuocaret: ſed quoniam in omnibus actibus ſuis omnipotentis Dei, & beati Petri manſuetudinem & patientiam, ſicut homo, qui non poſuit Deum adiutorem ſuum, ſed ſperauit in multitudine diuitiarum ſuarum, non cognouit, iratus eſt Dominus in eum cum beato Petro, cuius eccleſiam incendere, Dei timore poſtpoſito non abhorruit: immiſit in eum tantam ſubitaneæ mortis peſtilentiam, & in eius exercitum, vt infra ſeptem dierum ſpatium ferè maiores ipſius Principes, qui ſecum Eccleſiæ aduerſabantur, ſubitanea morte corruerent, & miſerabiliter morerentur. De quorum numero paucos famoſiores duximus nominandos, Fridericum Bauariæ Ducem. N. Comitem de Vuaſtono,

ſtono, Bertchardum Comitem de Arlemonte, N. Comitem de Sexia, Rainaldum Eccleſiæ Colonienſis intruſum Archiepiſcopum, & L. fratrem eius Comitem, Epiſcopum Verdunenſem, pertinacem ſchiſmaticum. Reliqui quoque Barones & milites, ac cetera pugnatorum maxima multitudo, cum languerent, & nullum ſanitatis poſſent remedium inuenire, ſpiritum miſerabiliter exhalabant, quorum cadauera vſquequaque inhumata iacebant. Quid plura? Tantus ſubitaneæ mortis timor vniuerſos inuaſerat, vt beatum ſe crederet, qui quomodocumque ex caſtris poſſet exire, & ad propria confugium facere.

Tunc idem Fridericus diuina ſe manu percuſſum intelligens, cum Romanis vtcumque compoſuit, & octauo Idus Auguſti, non ſine magna confuſione receſſit. Mortalitatis tamen peſtilentia ipſum ſequebatur, & quò vlterius procedere conabatur, eo maiorem mortuorum ſtragem cum mæſtitia relinquere cogebatur. Arma vero, & reliquus Theutonicorum pretioſus apparatus perierat ſimul cum earum rerum domino, & omnis gloria eorum, iam fuit ad nihilum, diuino iudicio, redacta. Dum autem idem Fridericus cũ luctu morientiũ, & infirmorum gemitibus perueniſſet Lucam in Tuſcia Ciuitatem, & vellet per ſtratam publicam, & montem Bardonis tranſire, prohibitus eſt à Lombardis, ne ipſorum terram ingredi attentaret. Ideoq. à Marchione Malaſpina ſecuro impetrato ducatu, apud Pontem Trémulum diuertit à publica ſtrata, & per montium aſpera iter dirigens, non ſine multarum rerum ſuarum direptione, tanquam profugus tranſiuit iuxta Terdonam, & tandem cum paucis venit Papiam. Sed quod valde erat mirabile in oculis omnium, neque recordatio tantorum malorum, quæ ab infantia ſua crudeliter exercuerat, neque recentia flagella ſibi à Deo, & B. Petro illata, duritiam & feritatem cordis illius emolliuerant, nec ad bonum faciendum conuerterant, quippe quod ipſius natura ad malum ab adoleſcentia ſua prona, ſemper in idipſum pronclanior eſt inuêta, vnde tres Ciuitates Lombardiæ, quæ iamdudum ipſius atrocitatem, & ſæuitiam expertæ fuerant, videntes propoſitum, & voluntatem eius feruentius excreſcere contra ſe, communi deliberatione firmarunt, vt de tota Lombardia eum deberent expellere, qui totam Italiam in probroſam ſeruitutem nitebatur inducere; ideo congregata fortium virorum militia, eundem Fridericum de Papia exeuntem aggreſſi ſunt, & tanquam violatorem & deſtructorem Legum, & Conſtitutionum Orthodoxorum Imperatorum, necnon à Romana Eccleſia excommunicatum perſequi non deſtiterunt, donec de cunctis Lombardiæ finibus violenter eiicerent, & tranſalpinare compellerent. Hactenus acta Alexandri Papæ, haud dubium ab Orthodoxo, & Catholicæ communionis viro conſcripta.

At quæ à ſchiſmatico homine, Fridericum Imperatorem ſequente, qui ijs aderat præſens, ſunt ſcriptis mandata, his inſerenda putamus. Auctor eſt Otto Morena Laudenſis, qui res geſtas Friderici temporis huius ſcripſit, & plura habet ab alijs prætermiſſa, ſic exordiens aduentum Friderici in Vrbem ab Antipapa Paſchali, qui eum legationibus accerſiuit, ait enim: Interea Dominus Guido Cremenſis, qui Viterbij morans, ab imperatore, & à multis Archiepiſcopis, Abbatibus, Prioribus, alijſq. quàmpluribus mundi hominibus tunc pro Papa habebatur, Imperatoris aduentum diu expectans, &

affectu nimio deſiderans , ad eum , quàmuis ſæpe alias miſiſſet, nouiſſimè ſuos Legatos complures deſtinauit, mandans, vt quàm citius poſſet , abſque dilatione Romam venire feſtinaret, hoſtes debellaret, & Rolandum Cancellarium , qui tunc pro Papa Romæ , & in quibuſdam alijs partibus , multis tenebatur, qui & tunc Romæ morabatur, de Roma expelleret , & ipſum Romæ in poſſeſſione Papatus poneret, & manu teneret. Imperator vero voluntati & conſilio, dicti Domini Guidonis,qui dicebatur Papa Paſchalis,annuens, Romamq. cum magno gaudio veniens, anno 1167. die Lunæ , nono Kalend. Auguſti , Indictione 15. in monte prope Romam, cum ſuo exercitu caſtrametatus eſt . Deinde cum omnibus ſuis equitibus , ſicut armati venerant,ad portam Romæ, quæ dicitur porta Viridaria , quæ eſt ex parte ſancti Petri verſus montem Gaudij , veniens, ibiquè , maximum prælium committens, tandem eos ſuperauit, & deuicit , atque fugauit , totumq. locum , qui Cortina S. Petri dicitur,& etiam porticum S. Petri cepit, & domos omnes expoliauit , atque combuſſit , pluribusq. etiam hominibus interfectis multos cepit .

Romani igitur intra Ciuitatem ex illa parte Tiberis ſe recipientes,& multum pauidi ſtantes , in hanc Tiberis partem venire non ſunt auſi . Illis autem , qui ex parte iam dicti Papæ Alexandri erant , & eccleſiam S. Petri ab ipſius Papæ Alexandri parte tunc tenebant , & ipſam eccleſiam bene muniuerant, ſe defendentibus viriliter, Imperator eam infeſtare nullo modo tunc potuit , ſed per totam hebdomadam ipſam eos quotidie inuadens , & prælio infeſtans, eos vincere nitebatur . Theutonici vero cum ſe eos per fortiam capere non poſſe proſpicerent , proximo die Sabbati infra eccleſiam ſanctæ Mariæ Virginis , quæ dicebatur de Laborario, & quæ ſita eſt ſuper ſcalam S. Petri, ante atrium ipſius eccleſiæ , ſupponentes ignem totam ipſam eccleſiã combuſſerunt,ex qua, cum arderet, proſilijt ignis in eccleſiam S. Petri . Ipſa vero eccleſia beatiſſimæ Virginis Mariæ tota eſt combuſta , & penitus diſſipata . Tunc etiam liquefacta eſt, & combuſta quædam mirabilis imago facta in muro ipſius eccleſiæ verſus eccleſiam S. Petri , ex auro puriſſimo , atque ſplendidiſſimo decorata, cui ſimilis in Italia nunquam fuerat viſa, & alia, quæ facta erat ad imaginem Domini noſtri Ieſu Chriſti, ante quam ſtabat quædam alia pulcherrima imago facta ad imaginem S. Petri , quæ ſimiliter liquefacta eſt penitus & combuſta : quod videntes illi, qui ſuper eccleſiam S. Petri erant, nec vllum ſuccurſum à Romanis poſſe habere cernentes, maximo timore perterriti , ſtatim Imperatori ſe , & Eccleſiam reddiderunt , iurantes etiam fidelitatem ſibi , ſicq. Imperator abire permiſit .

Sequenti igitur proximo die Dominico prædictus Papa Paſchalis , cum ſuis Cardinalibus in ipſa eccleſia S. Petri Miſſam honorificè, & cum magno gaudio celebrauit , ipſaq. die in capite Imperatoris circulum aureum tantummodo impoſuit : ſequenti vero die Martis in quo fuit feſtum S. Petri ad vincula , prædictus Dominus Papa Paſchalis dominum Fridericum Imperatorem , & ſereniſſimam Auguſtam Beatricem coniugem ſuam ex coronis auro puriſſimis, & multis pretioſiſſimis gemmis decoratis coronauit in ipſa eccleſia S. Petri . Romani itaq. hoc cernentes , & cum Imperatore pugnare ſe minime poſſe cernentes, nec etiam flumen Tiberis tranſire audentes, fœdus cum Imperatore magis, quàm bellum facere decreuere . Ambaſciatores

igitur

igitur ad Imperatorem dirigunt,fœduſq. cum eo faciunt. Papamq. Paſchalem in perpetuum ſe pro Papa habere, & firmiter tenere cum iureiurando promittunt, ac omnes præter Frangipanes, & quàmplures alios Romæ nobiles, qui maximas turres, & domos, & fortitudines habebant in Vrbe Roma, nec leuiter capi tàm cito poterant, fidelitatem Imperatori facere diſpoſuere. Hoc itaq. ſic peracto, Imperator ſuos Nuncios ad fidelitates Romanorum recipiendas, Romam vltra Tiberim direxit, inter quos fuit Acerbus Morena Laudenſis Ciuis & Imperialis Curiæ Iudex, qui iuſſu Imperatoris Romam vltra Tiberim pergens,per plures dies,innumerabiles fidelitates Imperatori factas ſuſcepit. At planè accidit ſecundum pſalmographum: Vidi impium ſuperexaltatum, & eleuatum ſicut cedros Libani, & tranſiui, & ecce non erat. *Pſal.36.*

Interea dum hæc Romæ agerentur, quædam maxima, ac mortalis peſtilentia ſuper Imperatorem, eiuſq. exercitum totum, diuinitus accidit. Sequenti namquè die mercurij proxima, cum maxima cæli ſerenitas eſſet, ſtatim quaſi in ictu oculi mirabiliter pluere cæpit; deindè poſt aquam ſerenitas magna, & clara nimis facta eſt, ſtatimq. infirmitas ſuper Imperatoris exercitum talis excreuit, quod equites, & pedites, atquè ſcutiferi ita corruebant, & moriebantur, quod vix per totum diem ſepeliri poterant. Qui autem die mane ſani per viam ambulabant,ſtatim per viam eũdo, aut parum iacendo moriebantur. Ob quam rem Epiſcopi, Archiepiſcopi, Comites, Marchiones, & Duces, alijſq. multi nobiles, & ignobiles, qui in ipſo erant exercitu, corruebant. Obijt namq. Fridericus de Rotemburgo, Regis quondam Conradi filius,& Imperatoris germanus conſobrinus, de quo immenſus dolor ferè per totam Italiam inoluit, quoniam ipſe homo erat magnæ virtutis. Deceſſit autem Dux Guelphus, Ducis Vvillelmi filius, & Rainaldus Archicancellarius, & Coloniæ electus Archiepiſcopus, homo magni ingenij, & cuius ſcientia, & probitate Imperium multum fuerat ſublimatum. Epiſcopus etiam de Leze vita priuatus eſt. Tunc etiam mortuus ſupradictus Acerbus Morena, alius ab auctore, qui Cronicon abſoluit.

Imperator autem videns gentem ſuam ſtrage corruere, relictis multis infirmis, Romam deſeruit, & verſus Tuſciam ire cæpit. Deinde iàm dicto Papa Paſchali Viterbij cum obſidibus Romæ, quos habebat, relicto, quàm citius potuit, Lombardiam intrauit: Sed tamen antequam Lombardiam attingeret, plures duobus millibus ex his, qui ſecum fuerant, in ipſo itinere per gladium ſolummodo Dei, periere. Hi autem, qui tunc mortem vincere potuerunt, omnes infirmati vſque ad necem, tandem tonſo capite, vix euadere potuerunt, tamen qui euaſerant, per totam hyemem, omni colore perdito, paſſi ſunt. Ad locum autem, qui dicitur Ponſtremulus,cum appropinquaſſet, Ponſtremulenſes eum nequaquam per locum ſuum tranſire permiſerunt. Sciens vero Imperator ſe per fortiam, ipſis nolentibus, inde tranſire non poſſe cum ſuis, qui pauci, & infirmi erant, cum ex hac parte caſtri, quod Malinium vocatur, iam tranſiſſet, verſus marinam partem tendens, per terram Marchionis Malaſpinæ Obizonis, ipſo Marchione eum ducente, iter arripuit, & die Martis 11. menſis Septembris indè iter arripuit &c. quæ ſequuntur, ſpectant ad ſequentem annum. Hic exitus rerum geſtarum Friderici anni huius, & planè tragici caſus perfidi Imperatoris ſem-

per in deterius prolabentis, cum contra Romanam Eccleſiam ſe erigere laborauit. Quæ conſiderans nobilis huius temporis ſcriptor Ioannes Sareſberienſis, cuius extat Policraticus, dignum eius ingenij monimentum, ita de eodem Imperatore philoſophatur in epiſtola hoc anno ſcripta ad Oxonienſem Epiſcopum.

Cod. Vat. lib. 1. epiſt. 139.

Ad momentum turbinis aduerſus Eccleſiam malitia debacchatur, & aduerſus Dominum videntur præualere impij, quibus in breui Chriſtus, quem perſequuntur, ſic reſpondebit ad merita, vt præponderare videatur libra vindictæ: & quos potenter puniet, non tàm examinare lance æquitatis, quam mole magnitudinis prægrauare; non quidem, quod iniuriam inferat, ſed quia ſine menſura, & modo peccantibus, immenſam, & immoderatam ingeret pœnam. Nec opinetur quiſquam, me in longa tempora prophetare, licet oraculi diuini ſicut auctoritas, ſic & fides perpetuentur, cum planum ſit, iam aliquatenus inchoatum eſſe iudicium, immò executioni mandari ſententiam. Nonnè Teuthonicus tyrannus nominis ſui fama nuper orbem percnlerat, & ſere ſubegerat regna vicina, & etiam Imperium Græcorum terrore concuſſerat, vt magis deditionem, quàm confœderationem legationibus miſſis videretur offerre? Sed ecce Deo auctore, timetur minus, & qui tàm vicinos, quàm remotiſſimos ſolo nutu terrebat, Principes ſuos ab iniurijs cohibere non poteſt. Qui ſolo verbo pacem gentibus ad arbitrium indicebat & bella, nunc à ſuis, & inter ſuos petitis, & acceptis treguis gratulatur. Nàm ſicut ipſemet conqueritur, ex quo Laronam venit, vt Regem Francorum, & Gallicanam Eccleſiam ſepararet à fide, & in ſuam hæreſim peruerteret, vt adorarent Idolum ſuum, ſucceſſus eius relapſi ſunt, & quæ eum extulerat, in depreſſionem ipſius cæpit fortuna fluctuare. Spes autem fidelium eſt, quod ad honorem Dei in breui amplius deprimetur, donec eum omninò Chriſtus, cuius ſponſam perſequitur, conterat ſub pedibus ſuis. Hæc Ioannes, qui rurſus ſequenti epiſtola ad Nicolaum Rothomagenſem hæc habet.

Ibid. epiſt. 140.

Multos exemplo ſuo Fridericus exauguſtus poteſt inſtruere, qui de faſtigio Romani Imperij ob Eccleſiæ perſecutionem, in paupertatem, & ignominiam miſer, ſed nulli miſerabilis, corruit, ad gloriam eius, qui ſolus pro arbitrio regna, & imperia transfert: erigit, quas vult, & deijcit poteſtates. Ille ſuos punire noluit, qui eum deprauauerant conſilio, ſed in eos digitus Dei glorioſam exercuit vltionem, hæc ipſe. Porrò ſanctus Thomas Cantuarienſis iſta audiens de felici ſucceſſu rerum Alexandri Papæ, & calamitate, quam incurrerat Eccleſiæ perſecutor Fridericus Imperator, congratulatus eidem Pontifici has litteras dedit. Amantiſſimo Domino, & Patri ſanctiſſimo Alexandro Dei gratia ſummo Pontifici, Thomas Cantuarienſis Eccleſiæ miniſter humilis, miſer, & miſerabilis exul, ſalutem, & contra ſæuitiam Principum ſemper animi conſtantiam.

S. Tho. Cãtuar. lib. 2. ep. 22.

Sollicíti de ſtatu, & de proſperitate veſtra optaueramus iam pridem certum ſalutis nuntium audiſſe de vobis, & de confratribus veſtris, quid etiam egerit vobiſcum, & cum Eccleſia ſua, Dei magnificentia; inſonuit enim auribus noſtris, & toti Galliæ verbum, quod nouiter factum dicitur à Domino; Videlicet illum Fridericum ſchiſmaticum ignominioſe humiliatum, factum ſine honore coram populo, & gente. Verùm quoniam rumoribus

credi

credi oportere, & non oportere, fas eſt: Paternitatem veſtram affectuosè ſollicitamus, vt recurrente cum litteris nuntio, per vos certiſſimè audiamus & congaudeamus, ſi fecerit vobiſcum Deus, quod facere conſueuit ſperantibus in ſe, non ponentibus carnem brachium ſuum, non habentibus fiduciam in Principibus in quibus non eſt ſalus. Si egerit vobiſcum, ſicut egit cum Ezechia de Sennacherib, retorquens pœnam in ipſum, qua moliebatur demoliri ipſum Ezechiam cum vniuerſa gente ſua. Si ſic ſe rei habet euentus, ſicut fama diuulgauit, benedictus Deus, qui nouit facere miſericordiam cum ſeruis ſuis. Ecce quanta Dei potentia, quàm magna ipſius miſeratio! Niſi enim ipſe cuſtodierit ciuitatem, fruſtrà vigilant, qui cuſtodiunt eam. Non eſt à ſeculo audita virtus Dei manifeſtior. Si rectè penſetur, quid euenerit. Iuſtitia ipſius iuſtior, quæ contriuit ipſos fabricatores iſtius malitiæ, tantæ perſecutionis auctores; conſumpſit etiam eos morte famoſiſſima, ipſum vtinam iam exprincipem viuentem dederit in opprobrium omni populo, in deriſum omni tranſeunti, vt ab omnibus digito monſtretur, & fiat de ipſo quaſi celebre prouerbium, more vulgi dicentis: Ecce homo, qui non poſuit Deum adiutorem ſuum, ſed confiſus in potentia ſua, defecit in ipſa vanitate ſua, cui ſatius fuiſſet, & glorioſius, apud homines moriendo ſuccubuiſſe, impugnando ſuos aduerſarios, quàm viuendo fieri deſpectui cunctis, & in deriſum. Hæc eſt Dei virtus, & fortitudo brachij ipſius. Quis ergo audeat de cetero, habens Chriſti vices in terra, obſequi voluntati Principum in confuſionem Eccleſiæ, non puniendo delinquentes? Audeat, qui voluerit, non ego, ne transferatur in me pœna delinquentis, ne iudicer culpabilis ex diſſimulatione vindictæ, ne tranſeam in culpam, qui culpam non admiſi. Hactenus S. Thomas, transferens in cauſam ſuam tantam Dei ob Eccleſiam perſequentium culpam, immiſſam in Imperatorem vindictam.

4. Reg. 19.

Pſal. 51.

Quod autem, nec ſic depreſſus ab inſania ſua deſtitit nouus Pharao, Ioannes Saraſberienſis in epiſtola ad Magiſtrum Richardum his verbis ſignificat: Imperator enim, quaſi torris raptus de incendio, confuſus ab vrbe receſſit, & licet fœtor cadauerum à caſtris in nares eius aſcenderit, Domino manum extendente ſuam ſuper eum, nondum tamen voluit agnoſcere, & confiteri Creatorem ſuum. Erigatur itaque ſpiritus veſter, quia Chriſtus vincit, regnat, & imperat, & recordatus pauperum ſuorum, potentes impios potentius torquet. Hæc ibi Ioannes Sareſberienſis, qui de iiſdem hæc ad Albertum Cardinalem. Nonnè (inquit) Dominus Papa (cuius vitam ad pauperum conſolationem optimam, & diuturnam faciat Deus) zelo iuſtitiæ, quem ſemper habuit, meruiſſe credendum eſt, vt hoſtis fidei Fridericus contritus ſit à facie eius, & ira Dei caſtra eius exterminaret, qui iam videbatur de Vrbe, & Orbe, & vniuerſali Eccleſia triumphaſſe? in quo tamen magis (vt indubitanter credo) adiuti eſtis precibus pauperum Chriſti, quam veſtrorum conſilijs, aut viribus Romanorum. Audenter quoque dixerim, quod vos ſuo miraculo citra humanum conſilium de faucibus leonum eripuit, vt de cetero ſemper tantam habeatis in Deo fundatore Eccleſiæ, & cuſtode, & eodem veſtro liberatore fiduciam, quod nec aduerſariorũ minis, nec blandientium fraudibus recedatis à via recta, aut contra legem credatis de lege diſperandum. Nam qui Fridericum deiecit coram vobis,

Cod. Vat. lib. 1. epiſt. 158.

Lib. 2. epiſt. 47.

pro-

profecto & alios tyrannos, ſi inſtiteritis mandatis eius, ſubijciet vobis, aut omninò deijciet. Ita Ioannes, qui in eodem perſtans argumento, ad Regem Angliæ diuertens ab Imperatore, oſtendit eadem Dei vindicta perculſum ipſum fuiſſe, vbi aggreſſus eſt perſequi ſanctum Thomam Canthuarienſem: ait enim:

Idem li. 1. epiſt. 139. Nonnè, & apud vos iudicium exercetur aduerſus tortores Eccleſiæ? Intuemini, quantus erat Rex Angliæ, cum paruulus videretur in oculis ſuis, & ad Eccleſiam Dei, vel ſpeciem fidei, & reuerentiæ prætendebat: planè videbitis, eum in nullo fruſtratum conatu. Sagitta eius retroſum non abijt, Clypeus non declinauit in bello, haſta eius non eſt auerſa, ſuper prædam accumbebat, vt Leo, vt nullus eum excitare præſumeret. Vel viſu terrebat hoſtes. Vicini ſe inclinabant obſequijs, remoti Principes amicitias expetebant, colebatur à ſuis, honorabatur ab extraneis, prædicabatur à cunctis. A bonis diligebatur, ſed maxime à Clero, qui eum colebat ſuper virès, pro viribus venerabatur, & vnanimi propoſito diligebat ſuper amorem mulierum. Quid multa? rerum expetibilium omnium abundantia, &c. Sed quo fine hæc vniuerſa Dei dona concluſit, ſi tamen ſine pœnitentia; & ſatisfactione ſubſiſtit in finibus iſtis? Vt ſingulas Eccleſias, quas antea per ignorantiam, vt putabatur, aut ſui iuris prætextu læſerat, taceamus: Toloſam bello aggreſſurus, omnibus, contra antiquum morem & debitam libertatem indixit eccleſijs, vt pro arbitrio eius, & ſatraparum ſuorum conferrent incenſum. Nec permiſit, vt Eccleſiæ ſaltem precibus coæquarentur in hac contributione, vel magis exactione tàm indebita, quàm iniuſta. Nam eccleſiæ in deteriori calculo vertebantur, vtpotè, quæ rebus ſuis, aut honore videbantur indignæ. Sed quem ſucceſſum attulit hic pecuniarum immenſitas tantis exactionibus, & iniurijs acquiſita? nonne proiecta eſt in ſacculum pertuſum, vt hoſti ſuſcipienti proficeret, & effudenti non modo eſſet inutilis, ſed damnoſa? Nunquid non ab ea die fortuna eius retrorſum receſſit, & ſucceſſuum vbertas emarcuit? atque demum poſt recenſita demerita: Circumferat (inquit) quis oculos mentis, & intueatur, quos, & quales aduerſarios ei Dominus ſuſcitauerit, ex quo aduerſus Deum in depreſſione Eccleſiæ erexit calcaneum ſuum, & planè mirabitur: & ſi prudens eſt, venerabitur iudicium Dei, qui non Imperatores, non Reges, non Principes nationum, vt ipſum domarent, elegit, ſed extremos hominum Brittones, niuicolinos primo, & poſtea illos ad contradictionem, & ſolemne certamen animauit, qui veſtigia pedum eius conſueuerant adorare, & hoc quidem, vt non glorietur omnis caro, ſed nomen Domini ſit benedictum in ſecula. Sic ſic, ad puniendam ingratitudinem Salomonis recedentis à Domino, non tàm principes erexit, quàm latrunculos, & ſeruos abiectos &c. Ita de his Ioannes Saresberienſis prudenter eſt philoſophatus.

Tandem hic Fridericus peragrans partes inferioris Armeniæ, in Saleph flumine, dum lauaret ſe, ſiue tranſiret illum, rapido curſu eius vndarum abſorptus interijt. Quonàm modo iſta adeo triſtia ſe habuerint, cum alij dicant, in ipſo fluminis tranſitu perijſſe, alij vero, cum ſe aquis ablueret, natando arreptum vndis eſſe demerſum, nos totius ab eo, qui interfuit, rem petemus, qui licet incertus habeatur auctor, certum tamen eſt, quod is fuit vnus ex illis, qui in ea erant expeditione, & caſui interfuit. Scripſitq;

breui

breui compendio quæcumquè toto illo itinere contigerunt, vnaque cuncta perſtrinxit epiſtola, in qua poſt alia multa hæc habet:

Indè mouentes caſtra proximo ſabbato, directa via verſus Iaradinum iuimus, vbi Kal. Iunij hoſpitati ſumus. Et intempeſtæ noctis ſilentio tantus factus eſt terræmotus, quod putabamus ſuper nos Turcarum acies irruiſſe. Quod credimus fuiſſe præſagium mutationis circa Dominum Imperatorem, nam cum inde procederemus, iuimus Saleph, vbi tantam aſperitatem, & difficultatem viæ in tranſitu montium inuenimus, quod ſumma iactura rerum peruenimus Saleph in Dominica die, quæ fuit vigilia Barnabæ Apoſtoli.] nempe quarto Idus Iunij. Porrò barbaræ voces obſcura reddunt loca, in quibus iſta ſunt perpetrata. Nàm ſi conſtaret, quinam fuit locus dictus Iaradinus, Saleph quoquè fluuius ſciretur, quis fuerit. Pergit auctor. *Extat in append. ad Radeuic.*

Eodem die cum Dominus Imperator per quoddam compendium tranſiret in conuallibus moutium quandam rapidiſſimam aquam, ſaluumq. eum recepit in aliam partem. Facto autem ibi prandio, poſt infinitos, & intolerabiles labores, quos per menſem iam erat paſſus, & vellet balneari in eadem aqua, & ita ſe refrigerare vellet natando, Dei iudicio, caſu lachrymabili, & inopinato ſubmerſus eſt. hæc ibi.

Eadem paulò fuſius legimus in alia epiſtola, quam edidit Henricus Caniſius his verbis: *Hen. Caniſ. tom. 5. anti. Lect.*

Ibidè quoque exercitu dormiente in caſtris, noctis conticinio auditus eſt veluti ingens, & terribilis armorum ſtrepitus, & tumultus. Vnde vniuerſi protinus expergefacti, & attoniti, inquirendo, quid illud eſſet, nullatenus addiſcere valuerunt. Quod tamen poſtmodum à ſapientibus memoratum eſt, vicini infortunij augurium extitiſſe.

Poſtquam exercitus gẽtis noſtræ à primo ingreſſu Armeniæ quatuor dierum itinere via difficili proceſſiſſet, gaudens ſe de tantis bellorum diſcriminibus, & proditionum laqueis ereptum, quaſi per ora Leonum, terram ſecuritatis iam attigiſſe, die quadam infauſta nimium, & nouercante fidei Chriſtianæ, inopinatus, & triſtis caſus repente illius citharam conuertit in luctum.

Erat vtiquè via nimis arcta, & difficilis nunc per abrupta, & crepidinem montium, nunc per ima vallium, ſecus deſcenſum præterfluentis ciuitatem Saleph, & peregrini laborioſe gradientes, nimio caumate laborabant.

Quibuſdam ergo equitibus de ſubſequente agmine Imperatoris prę̃ſentantibus, ſi fluuium vſquam vadabilem inuenirent, Imperator, diſſuadentibus his, qui ſecum erant, ad refrigerandum ſe, & lauandum irreuocabiliter, fluuium intrauit, & cum ſe ipſum ad trãſnandum expoſuiſſet, mox in amne medio feſſus, & iam incipiens mergi, cuiuſdam ſui militis, qui ſecum aquas intrauerat, opem miſerabiliter inuocauit.

Cui feſtinanter ille affectans ſuccurrere, in medijs vndis eum arripuit, ſed tandem amnis impetu præualente, ab eo vi auulſus naufragium vix euaſit.

Alius vero equo inſidens, & celeriter, ſed ſero Imperatorem fluitantem in gurgite comprehendit. Sic proh dolor, Imperator exercitus ad conturbationem & detrimentum exercitus exſpirauit. Hæc ibi.

Qui

Qui autem propter peccata norunt aduerſa ſæpe contingere, ad illam reuocant culpam interitum Imperatoris, quod diuturno bello iniquiſſimo inceſſerit Romanam Eccleſiam, & perſecutus fuerit implacabili perſecutione diu multumq. Romanos Pontifices.

Neubrig.li. 4.c.13. Neubrigenſis eiuſdem temporis auctor, de Friderico poſtea pœnitente; hæc habet; O abyſſus multa iudiciorum Dei! Vir tantus, & qui diuino quodam feruore, relictis delicijs, opibusq. Imperij, mille ſe expoſuerat propter Chriſtum periculis, tam ſubito miſero caſu abſumitur.

Peccatum tamen eius tantum, & tale elucet, quod forte Imperialibus ubi potuerit delicijs expiari, atque ideo oportuerit, ne æternaliter plecteretur, pia Diuinitatis prouiſione, in hac vita ſeuerius caſtigari.

Fridericus Secundus, poſt vexatum Romanum Pontificem, Deo vindictam ſumente orbatus filio cum exercitu, deinde ab alio filio ſuffocatur. Filij quoquè eius miſerabili interitu necantur. Cap. 425.

Ex Germ. Chr.l.20 in tom. 2. Germ.ſcri. Interea Entius filius Imperatoris aduerſus Bononienſes, & Legatum Pontificis, qui illic erat, ducit copias: occurrunt illi Pontificij, congrediuntur, fit cruenta pugna; ad extremum Entius cum ſuis fugatur, capiuntur multi, etiam Entius, qui Bononiam ductus mittitur in ferream caueam, in qua ſordidiſſimo victu nutritus, miſerrimã vitam poſt aliquot annos finiuit. Poſt captum filium Entium, eiuſque exercitum ſuperatum, dilapſum, atq. adeo deletum, in Apuliam confert ſe Fridericus non ſine maximo animi dolore, vbi breui poſt obijt diem. Quo genere morbi lis eſt ſcriptoribus, alij; animi ægritudine, & mœrore: alij confectum, febre: alij veneno: alij, alia morte vita defunctum volunt.

Geor. Vvicel. in epiſt. Sum. Pont. De eodem Georgius Vvicellius hæc ſcribit: Innocentius IIII. bene vexatus à Friderico, tandem hunc deponit à Cæſariatu. Hinc ille omnia vaſtat incendio, &c. Papa hic, vt alij procurat bellum Aſiaticum: ſcriptor idem iuris: Sub hoc perijt beſtia Fridericus. De eodem etiam Blondus, ſcribit his verbis.

Blond.Dec. 2.lib.7. Dum tamen hæc ſceleſtiſſimus ageret Fredericus infeliciſſimo ſibi percuſſus eſt nuncio. Entium enim allatum eſt filium ſuum, quem Romandiolæ præſidio relictum fuiſſe oſtendimus, prælio à Bononienſibus ſuperatum; & cum copijs pene omnibus captum eſſe, quem poſtea Bononienſes diutiſſime tenuerunt. Fridericum ſubinde in Apuliam ſe contuliſſe apud omnes conſtat. Sed Rolandus, Albertinuſq. Muſſatus Patauini, quos video per ea tempora ſcripſiſſe, illum dicunt Panormi fuiſſe defunctum ad diem, quæ diei reſpondebat, in qua ſecundo ante triceſimo anno Romanorum Imperator fuerat deſignatus. Ptolemæus vero, fuit Lucenſis, qui & ipſe hoc in loco incipit, à ſe (vt paulo poſt dicit) viſa ſcribere: Fridericum Martini teſtimonio affirmat, in Apulia apud Ferenſulam graui, & periculoſo laboraſſe morbo, ex quo cum iam conualeſceret Manfredus adoleſcens filius ſuus, ex concubina nobili muliere ſuſceptus, compreſſo iacentis in ſtrato ore eum ſuffocarit. De eo autem hæc S. Antoninus.

S. Anton. Chron.p.3. tit.19.§ 4. Anno autem prædicto ſcilicet 1250. cum eſſet Fridericus in quadam ciuitate

uitate in confinibus Aprutij in Apulia, quæ ciuitas dicitur Firenziola, infirmatus eſt ad mortem iuxta augurium de eo prælatum: quod ipſe non intellexit interpretatus Florentiam, pro Firenziola. Ibi cum eo aderat filius eius illegitimus Manfredus iniquus, ſicut & pater ſuus, vt patet ex facto, cupiens habere theſaurum eius, necnon & dominium Apuliæ, & Siciliæ; qui timens ne fortè euadens, vel condens teſtamentum, aliud diſponeret de Regno Siciliæ, conſilium ſumens cum Camerario Friderici, ac ei promittens magna munera, & dominium aliquorum locorum, conuenit cum eo; & ipſe Manfredus ſuper os patris poſuit ceruical, & ita ſuffocauit eum, & miſerabiliter mortuus eſt tàm potens, & diues Dominus, excommunicatus, priuatus Imperio, & omni Regno ſine aliquo ſacramento, & ſigno pœnitentiæ. Sicq. Iudex æquitatis Deus vindicauit viduam diu clamantem, ad ſe, ſcilicet Eccleſiam, vt vindicaret eam de aduerſario ſuo, ſicut & in alijs Eccleſiæ perſecutoribus egit.

Conradus Friderici filius à Manfredo fratre veneno occiſus eſt. Manfredus ipſe à Carolo Andegauenſi in bello necatus. Conradinus Conradi filius in acie captus ſecuri percutitur. Genus itaq. impij Friderici prorſus male perditum & extinctum eſt. *Io. Villan. lib. 7.*

Ludouicus IV. Romanus aſſertus, Imperator, eadem patratus ex equo miſerabiliter corruit, & exſpirauit. Cap. 426.

EOdem anno ſcilicet 1347. quinto Idus Octobris, obijt Ludouicus IV. Romanorum Imperator, anno Regni ſui 33. hoc modo: Ioanna Duciſſa Auſtriæ, ex Sueuia reuerſura in Auſtriam, voluit Ludouicum Imperatorem viſitare, qua die Princeps cupiens cum ipſa relicta quondam Alberti Ducis Auſtriæ ſpectaculum habere apud Monachium, & omnibus cum hilaritate conſummatis, cum ex eodem poculo princeps à Duciſſa porrecto biberet, ſtatim ſentit ſe grauatum: Vnde accepta occaſione, & exercitij gratia, exiuit venatum: paralyſi deinde percuſſus, de equo in terram corruit, & mox exſpirauit. *Nauclev. Chron. volum. 3. generat. 45.*

De his fuſius Io. Villaneus, & alij Scriptores illorum temporum.

De fame magna ab Agabo propheta prædicta, & de pio ſtudio diſcipulorum ad prouidendum ijs, qui egebant. Et de conſuetudine fidelium ferendi collectas ad pauperes ſuſtentandos. Enarratio. Cap. 427.

SEd non eſt prætereundum, id quod illis temporibus, cum ferueret aduerſus Apoſtolos ingens perſecutio, à Deo factum eſt, cuius iudicium iuſtum eſt. Cum enim impij illi contra diuinos Apoſtolos exardeſcerent, vt eos affligerent vſque ad interitum, vocauit Deus famem ſuper terram, quam Agabus Chriſti propheta futuram eſſe prædixerat in vniuerſo orbe terrarum, quæ facta eſt ſub Claudio. Qua vrgente reſplenduit Chriſtiana charitas; cum enim diſcipuli, qui erant Antiochiæ, multas collegiſſent pecunias, tranſmiſerunt illas per manus Pauli, & Barnabæ in Iudæam fratribus rerum inopia laborantibus, vt eos quoquo modo poſſent, refocillarent, vt fames *Act. 11.*

hæc

Ex Comment. Io. Lori. in Act.c.11. hæc fieret largientibus eleemoſynæ occaſio, fameſcentibus ſalutis.

Plato in Axiaco. Quod autem attinet ad famem, habet hæc frequenter cauſas ex ſiccitate largiore, imbre, vredine, rubigine, æſtu intempeſtiuo, frigore conquerente, vt Plato loquitur, ea tamen etiam Deus clade plerumque ſcelera punit, cuius animaduerſionis obſeruant Hebræi ex Thargum Rùth nouem

Deut.c.28. exempla.

Nàm primam famem fuiſſe volunt viuente Adamo, fortaſſe ob maledictam terram à Deo. Secundã propter parricidium Cain, quod enim dicitur ei: Maledictus eris ſuper terram. Septuaginta vertunt, à terra, id eſt, Terra tibi maledicet, & ſterileſcet tibi, cum operatus fueris eam, non dabit tibi fructus ſuos. Tertiam ſub Abraham. Quartam ſub Iſaac. Quintam ſub Iacob. Sextam ſub Ruth. Septimam, Octauam, & Nonam, quæ narrantur in hiſtoria Regum. Collegit Philippus Boſquierus alias non paucas fames, quæ auctore Deo mundum vexarint magnis implicitum flagitijs, Mauritius Hilaretus, & alij.

Baron. an. 44. Scimus Euſebium, & qui eum eſt ſecutus, Oroſium, & complures aliós aſſerere, dictam de fame orbis cladem incidiſſe in annum quartum Claudij Imperatoris; re tamen accurate perſpecta, ſecundo potius, quàm quarto

Dio hiſt.li. 60. eiuſdem Imp. anno eam contigiſſe comperimus. Dio enim Caſſius, qui ex Vrbis Faſtis Romanam hiſtoriam per ſingulos annos contexuit, nullam aliã ſub Claudij Imperio factam eſſe famem recenſet, niſi hoc ſecundo anno Claudij, quo egregiam ab Imperatore dicit nauatam operam, ne Vrbs fa-

Sueton. in Claud.c.18 me periret. Tunc enim Romanum Portum extruendi initum ab eo eſſe conſilium tradit. Commendat & Suetonius eiuſdem Imperatoris in annona procuranda ſolertiam. Sic igitur Dione Auctore, quem magis conſentire actis à Luca conſcriptis reperimus, hoc ipſo anno ſecundo Claudij eam ab Agabo Propheta anno præterito prædictam totius orbis famem reperimus.

Ioſeph.ant. lib.20.c.2. Meminit & tàm diræ famis Ioſephus his verbis. Cum enim per id tempus ciuitas graui fame premeretur, & multi perirent alimentorum inopia, Regina Helena ex ſuis alios miſit Alexandriam, comparaturos vim magnam tritici; alios in Cyprum, qui copiam ficuum paſſarum inde adueherent: quibus omnibus breui reuerſis cibos egenis diſtribuit, atque hoc beneficio memoriam immortalèm ſibi apud noſtram gentem peperit: filius quoque Izates, comperto quanta fame laboraret ille populus, multum pecuniæ miſit Hieroſolymitanorum primatibus. Hæc Ioſephus.

Ea igitur vrgente fame, qui erant Antiochiæ Chriſtiani collectas pecunias ad Chriſtianos, qui erant in Iudæa, per Barnabam, & Saulum miſerunt. Tenebantur quidem maiori inopia adſtricti Chriſtiani, qui in Palæſtina erant, ceteris omnibus, nam in ea, quæ poſt necem Stephani in eos eſt excitata perſecutio, loco pulſi, ſi quæ illis reſiduæ erant bona, amiſerunt.

Heb.10. de his enim meminit ſcribens Paulus ad Hebræos, cum ait: Rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis: quorum cauſa idem Apoſtolus poſtea cum eſſet in Macedonia, ab Eccleſijs collectam item exegit. De hoc itaque pio fraternæ charitatis officio ab Antiochenis exhibito, hæc ſcribit

Act.11. Lucas, poſt relatam ab Agabo prænunciatam famem: Diſcipuli, inquit, prout quis habebat, propoſuerunt ſinguli in miniſterium mittere habitan-

tibus

tibus in Iudæa fratribus, quod & fecerunt; mittentes ad ſeniores per manus Barnabæ, & Sauli. Quod vero mox poſt hæc narrata, de Iacobi martyrio, & Petri carcere, Lucas ſubdat hiſtoriam, non ſic accipiendum quis putet, vt ante aduenerit fames illa, ſed quòd meminiſſet de Agabi prophetia, de ea ab illo prædicta, quæ ſequenti anno ſubſecuta eſt, fame, adiunxit hiſtoriam.

Hæc prima pro indigentibus fratribus reperitur in Eccleſia ex multorum collatione ad vſum pauperum facta Collecta. Paulusq. & in his multus fuit; nam & indicebat & colligebat, atque (vt hic etiam feciſſe traditur) ad fratres perferebat egentes. Ex huiuſmodi ſacris Apoſtolicis inſtitutionibus remanſit in Eccleſia Romana laudabilis illa conſuetudo, vt ipſe Romanus Pontifex pro concione, ad certam diem faciendas collectas indiceret, quod demonſtrant complures ſancti Leonis Papæ ſermones, pro Collecta inſcripti; idemq. in vno ex illis hæc ait: Et ideo, dilectiſſimi, ſatis fiat Apoſtolicis inſtitutis, & quia Dominica die prima eſt futura collectio, omnes vos deuotioni voluntariæ præparate, vt vnuſquiſque ſecundum ſufficientiam habeat in ſacratiſſima oblatione conſortium. Conſueuit namq. die Dominico collecta fieri in Eccleſia ex Apoſtolica inſtitutione: Paulus enim eam regulam præſcripſit Corinthijs dicens: De collectis autem, quæ fiunt in ſanctos, ſicut ordinaui Eccleſijs Galatiæ, ita & vos facite: Per vnam ſabbathi &c. *Leo ſer. 1. 3 & 5. de collect.* *Ser. 5.* *1. Cor. 16.*

Cum vero eiuſmodi laudabilis conſuetudo Conſtantinopoli exoleuiſſet, Ioannes Chryſoſtomus diligentius reſtituendam curauit, dum de ea re inſignem habuit orationem, qua etiam more maiorum Dominico eſſe faciendam die præcepit. Idemq. etiam meminit de antiquo Eccleſiarum vſu, qui hactenus perdurabat, vt & in Eccleſijs eſſent Gazophylacia, in quibus oblatæ pecuniæ conderentur, quæ à Cypriano Corbona nuncupantur, qui de his ait: Locuples, & diues es, & Dominicum celebrare te credis, quæ corbonam omnino non reſpicis? In quos vſus collatæ eleemoſynæ inſumerentur, ſubdit his verbis: Cumque vniuerſa, quæ dantur pupillis, & viduis conferantur; dat illa, quam oportebat accipere. Paulinus Menſam appellat locum in Eccleſia poſitum ad recipiendas fidelium eleemoſynas, qui de earum vſu agit his verbis. Hoc exemplo, dilectiſſimi, cauere debemus, ne damnum animæ & diſpendium ſalutis adeamus, negligentes in eccleſia poſitam à Domino menſam indigentibus, quam deſpicientibus oculis intuemur, aut aridis manibus præterimus. Et paulò poſt: Non patiamur ergo menſam Domini, & nobis vacuam, & egentibus inanem relinqui, & viſui ſtare tantùm, non vſui. *Chryſ. ſer. de eleemoſ. & de coll.* *S. Cypr. lib. de oper. & elem.* *Paulin. ep. 32.*

Sed ante hos omnes Iuſtinus Martyr, hæc quoque de pecuniæ collatæ vſu: Quod ita colligitur, apud Præpoſitum deponitur, atque inde opitulatur pupillis, & viduis, & his qui præter morbum, vel aliam aliquam cauſam egent, quique in vinculis ſunt, & peregrè venientibus hoſpitibus, & (vt ſimpliciter dicam) indigentium is omnium Curator eſt. Sed & Tertullianus de iiſdem agit in hæc verba. Neque enim pretio vlla res Dei conſtat, & iam, ſi quod arcæ genus eſt, non de ordinaria ſumma, quaſi redemptæ religionis congregatur. Modicam vnuſquiſque ſtipem menſtrua die, vel cum velit, & ſi modo velit, & ſi modo poſſit, apponit; nam nemo compellitur, ſed *Iuſti. martyr. ad Antonin. Pium* *Tert. Apol. c. 39.*

ſponte confert. Hæc quaſi depoſita pietatis ſunt, nam inde non epulis, nec potaculis, nec ingratis vorattrinis diſpenſatur, ſed egenis alendis, humandiſquè, & pueris & puellis, re ac parentibus deſtitutis, iamq. domeſticis ſenibus, item naufragis, & ſi qui in metallis, & ſi qui in inſulis, vel in cuſtodijs, dumtaxat ex cauſa Dei ſectæ, alumni confeſſionis ſuæ fiunt. Sed eiuſmodi, vel maximæ dilectionis operatio, notam nobis inurit penes quoſdam: Vide (inquiunt) vt inuicem ſe diligunt? Hucuſque Tertullianus. Erant itaquè (vt dictum eſt) eiuſmodi gazophylacia in quotidianum vſum pauperum deſtinata: ceterum ſi quæ noua neceſſitas emerſiſſet, quæ conſuetarũ eleemoſynarum collationem excederet, tunc Epiſcopus nouam inter fideles collectam indicebat. Eſt de his exemplum Cypriani Epiſcopi Carthaginenſis, qui quantumlibet (vt nuper vidimus) haberet in vſum pauperum in Eccleſia paratam corbonam ad eleemoſynas excipiendas, nouo tamen ſuperueniente caſu de Chriſtianis à barbaris captis pecunia redimendis, collectam indixit; cuius exemplo id ipſum ceteri collegæ Epiſcopi præſtitere, ex qua ingentem vim pecuniarum collectam miſit ad redimendos captiuos, vt eius epiſtola ad fratres coepiſcopos ſcripta teſtatur.

Cyp. ep. 60.

Cum verò poſtea iam ardens illa charitas Chriſtiana tepeſceret, cum aliqua vrgeret neceſſitas, ſic indicebatur collecta, vt etiam veluti iure Regio exigeretur, compellerenturq. laici ad eiuſmodi præſtandam collationem. Eſt enim de his exemplum apud ſanctum Gregorium Papam, ſic ad Conſtantium Mediolanenſem Epiſcopum pro Philagrio ſcribentem. Indicauit præterea dictus portitor, quod collecta facta inter alios Ciuitatis Ianuenſis habitatores, ipſe dare pariter compellatur, & miramur, quod, qui magis miſericordia dignus eſt, vobis præſentibus prægrauetur. Quod ſi ita eſt, denuo ab eo per quemlibet exigi veſtra ſanctitas non permittat. Quia eum, quem cæcitas ſua grauat, inhumanum nimis eſt in collatione affligere, cui, ſi eſſet magna neceſſitas, debuit ex collatione miſereri. Hæc Gregorius. Ad hæc ſpectat illud Concilij Turonenſis decretum, quo Epiſcopi in hunc modum voluerunt pauperibus eſſe conſultum: Vt vnaquæque Ciuitas pauperes & egenos Incolas alimentis cõgruentibus paſcant ſecundũ vires, vt tàm vicini presbyteri, quàm ciues omnes, ſuum pauperem paſcant, quo fiet, vt ipſi pauperes per ciuitates alienas non fatigentur. Hæc Canon.

Gregor. in Regiſt. lib. 3. epiſt. vlt.

Concil. Turon. 2. c. 5.

Sed vt ad propoſita de collecta Hieroſolymam perferenda redeamus, perdurauit ea pia conſuetudo in Eccleſia Catholica, vt maiorum exemplo, Chriſtiani ex pluribus locis ad eos, qui Hieroſolymis eſſent, egentes, mitterent eleemoſynam. Quam quidem laudabilem conſuetudinem ad Theodoſij tempora perdurantem nequiſſimus Vigilantius eſt conatus euertere. Quem ardenti zelo Hieronymus redarguit, qui & inter alia: Hac in Iudæa, inquit, vſque hodie perſeuerante conſuetudine, non ſolum apud nos, ſed & apud Hebræos, vt qui in lege Domini meditantur die ac nocte, & partem non habent in terra, niſi ſolum Deum, ſynagogarum & totius orbis foueantur miniſterijs.

Hieron. ad Vigilant.

Mulctabant fortaſſe Iudæi, vt etiam Gentiles poſtea, eos, qui Chriſto ſeruiebant, iudiciali ſententia, vt in Anglia tàm diu factum deploramus, & nullo expectato iudicio ea rapiebant, vt præter alios meminit ex epiſtola quadam Melitonis Epiſcopi Sardenſis in Aſia, Euſebius: Digni erant primi illi

Ex Cõmen. Ioa. Lorini ſuper Act. Apoſt. c. 11.

illi in Iudæa diſcipuli, quibus communi aliorum omnium benignitate ſuc- *Euſeb. lib.*
curreretur, cum, vt ſuccurrerent communitati, tàm benignè ipſi, liberali- *4.hiſt.c.25*
terq. ſua omnia diſtraxerant. *Act. 2. &*
Peruetus mos fuit, ante tempora etiam Christi, vt Iudæi ſynagogarum, ac *4.*
totius orbis fouerentur (vt Hieronymus ait) miniſterijs. Etenim M. Tul- *Cic. Or. pro*
lius prodit, Flaccum iuſſum cauſam dicere, quod in Aſia vetuiſſet, ne Iu- *Flac.*
dæi collectam pecuniam deferrent in Ieruſalem. Immo vero exiſtimarunt
nonnulli in feſto cœtus, ſiue collectarum, quod celebrant Iudæi die octa-
uo poſt feſtum tabernaculorum, hoc eſt vigeſimo ſecundo Septembris, col- *Num. c. 47*
ligi ſolitam pecuniam in vſus pauperum.
De illa porrò per orbem totum pecuniæ à Iudæis facta collectione, quæ *C. Theod.*
ætate adhuc Hieronymi vigebat, cauit Honorius Imperator, ne fieret: de- *de Iud. l. 4.*
inde autem reſtituit. Iunior vero Theodoſius collectam exigi ſolitam in *Ibid. l. 15.*
Occidentalibus prouincijs, ſibi vendicauit. *& 17.*
Sed redeundum ad Christianos. Paulus de indicta à ſe Corinthi collecta, *Ibid. l. vlt.*
atque in Macedonia, quæ fieri deberet per vnam ſabbathi, hoc eſt, die Do- *& C. iuſt.*
minica, mentionem facit ſcribens Corinthijs: ac de iam etiam indicta eccle- *de Iud. l.*
ſijs Galatiæ. Tenuit diu hoc inſtitutum, vt teſtantur ſermones Papæ Leonis, *16.*
de collectis, ſiue per collectam, qui nominatim aſſerit eſſe inſtituta Apoſto- *1. Cor. 16.*
lica, & exprimit diem Dominicam. De eadem die, ac de antiquo vſu, quem
exoletum dolet, reſtitutumq. vult, differit quodam ſermone Chryſoſtomus,
tum præterea de gazophylacio poſito in Eccleſia, in quod oblatæ pecuniæ
conderentur, qua de re eadem loquens Cyprianus, Hebraico vocabulo
Corbonam appellat, & Paulinus, Menſam, & Tertullianus Arcam: notant
item menſtrua die, ideſt, ſemel in menſe, datam huiuſmodi ſtipem ab vno-
quoque vel cum vellet, ſi modo vellet, & ſi modo poſſet, & tàm ipſe, quàm
citati alij, & Iuſtinus (qui quod colligeretur, deponere ſolitum apud præ-
poſitum ait) indigentium ſolis vſibus collectam pecuniam ceſſiſſe con-
firmant: & ante omnes Clemens Romanus, vtens nomine τῆς εὐλογίας: *Clem. Ro.*
quod Collectam ſignat. *lib. 4. Cõſt.*
Inde nata conſuetudo in Miſſa offerendi præcipue die feſto, idq. deno- *c. 8.*
tat particula Miſſæ, quæ vocatur Offertorium, vt tradunt Innocentius III. *lib. 2. myſt.*
& Rabanus Maurus, & alij, qui ſcribunt de diuinis, Eccleſiaſticisq. officijs, *Miſſ. c. 53.*
& ordo Romanus.
Ceterum, ſi quæ noua neceſſitas exiſteret, cui conſueta non ſufficeret elee-
moſynarum collectio, nouam Epiſcopus indicebat, vt pro Christianis redi-
mendis Cyprianus fecit, eiusq. exemplo alij in Africa Epiſcopi. Auguſtinus *Aug. epiſt.*
etiam ad liberandum ære obligatum alieno, ita tamen, vt, quod ante dixi *215.*
cum Tertulliano, ſponte id ab offerentibus fieret, ſicut & fieri ſolitæ in
Miſſa oblationes, de quibus idem per ſe loquendo, niſi aliunde accedat
obligatio ex promiſſione, vel Eccleſiæ neceſſitate, vel diuturni temporis
conſuetudine recepta, vel cenſu reſeruatiuo fundi dati ab Eccleſia, do-
cet B. Thomas, & Canoniſtæ in Rubricam de Parochijs, vt Ioannes An- *2. 1. q. 86.*
dreas, Panormitanus, & alij, vt in c. omnis de conſ. diſt. 1. S. Antonin. *ar. 1.*
alijq. ſummiſtæ, & Ioannes Azor in inſtitutionibus ſuis. Tunc vero cum
ſunt ſpontaneæ oblationes, aut etiam ex ſola conſuetudine, quodlibet of-
ferendi, integrum eſt cuiuis quidquid velit offerre, ſiue multum, ſiue pa-

Tob.c.4.8. rum, iuxta conſilium Tobiæ, & Apoſtoli, & Iudæorum exemplum in captiuitate Babylonica.

9.

2.Cor.8. Verifimile eſt loco voluntariarum oblationum fieri ſolitarum in Miſſa

Baruch.1. poſt Offertorium, ſucceſſiſſe ſaltem in Italia, vt concionatores ad eleemoſynam populum cohortentur, præſertim cum iuxta veterem ritum habeatur concio, ſeu prædicatio poſt ſymboli recitationem.

De laudabili conſuetudine Romanæ Eccleſiæ ſubleuandi inopiam egentium in quacumque mundi parte. Cap. 428.

Apud Euſeb. 4.hiſt. c.22. EXtitiſſe autem antiquam, & omni laude dignam conſuetudinem in Romana Eccleſia Dionyſius Corinthius memorat, egentium toto orbe Chriſtianorum ſubleuare inopiam; quod feciſſe quoque Simmachum erga Africanos Epiſcopos exulantes in Sardinia ſeptingentos quinquaginta quinque ſub Hunnerico, & Thraſamundo Regibus Vandalorum, Paulus Diaconus prodidit. Teſtes eiuſdem munificentiæ ſunt tot Gregorij epiſtolæ, teſtes tam multæ hoſpitales in Vrbe ædes cum redditibus pro remotiſſimarum hominibus prouinciarum; teſtis in eadem Vrbs Leonina, quam Leo IV. excitauit, receptaculum eorum, qui è Corſica Inſula, aut aliunde Saracænorum metu profugiſſent: teſtes adeò diuerſarum nationum adoleſcentes certis in Collegijs Romæ, & ſuiſmet in regionibus ad pietatem, doctrinamq. inſtituti, magnificentia præſertim Gregorij XIII. quem ferunt præterea quotannis aureorum ſeptuaginta millia in egenos erogaſſe, exceptis largitionibus extraordinarijs in externos. Scripſit Laurentius Villauincentius libros tres de œconomia ſacra circa curam pauperum, probans contra perniciosum librum, in hæreticorum ſanè officina ſcriptum, & cuſum, pertinere curam illam per ſe ac maxime non ad politicum, ſed ad Eccleſiaſticum magiſtratum.

Ex ſubuentione autem huiuſmodi facta ab Apoſtolis ijs, qui ſe ſuis rebus pro Chriſto, & aliorum ſubſidio abdicauerant, & à Iudæis odio fidei, ſpoliati quoque donis fuerant, obſeruant pij ſcriptores, peculiari quodam vinculo teneri fideles diuites ijs, qui propter Chriſtum omnia reliquerunt, ſubuenire. Et ſane ita eſt, videturq. non ſolum charitatis officium, ſed iuſtitiæ quoddam debitum, id exigere, vt qui ſe ſponte ad paupertatem redegerunt, & alijs de rebus ſuis benignè fecerunt, ijſdem rependatur vnde viuant.

De laudabili ſollicitudine, & prouidentia in egentes. Cap. 429.

NOn eſt autem dicendum propter huiuſmodi prouidentiam in egentes habitam violaſſe diſcipulos Domini mandatum, quod ait: Nolite ſollicitè eſſe de craſtino: neque contra Pauli exemplum, quod ſæpe de ſeipſo poſtea teſtatus eſt, manibus ſuis operatum eſſe, ne quem grauaret: non enim cauetur, ne quis humano more iſta procuret, ſed ſi quis propter iſta Deo militet, & in operibus Dei non regnum Dei, ſed iſtorum acquiſitionem intueatur: cum potius in iſtorum quidem prouiſione regnum Dei cogitandum ſit, & in militia regni iſta cogitare non oporteat. Hæc Beda Act. 11.

Colli-

Colligitur vero id ex eo, quod Chriſtus eam prohibet dumtaxat ſollicitudinem, quæ à ſeruitute Dei hominē diſtrahit,& vt loquitur Lucas, facit eū in ſublime tolli μετεωρίζεσθαι, id eſt,longa futuri ſollicitudine ſuſpēdi, ac veluti philoſophari de longe remotis,vt Aſtrologi, cum de cælo differunt,quales illi, qui apud Iacobum dicunt: Hodie aut in craſtino ibimus in illam ciuitatem, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & lucrum faciemus. *Luc. 12.* *Iac. 4.*

Certe CHRISTVS non eſt aduerſatus præcepto ſuo,qui cum loculos haberet, non modo in craſtinum, ſed in plures quoque dies ſollicitudinem quandam habuit. Fruſtrà prouocaret nos Salomon ad imitationem prouidæ, ſollicitæq. formicæ: nec mulierem fortem à cura domeſtica commendare debuiſſet: non fuiſſet laudanda Ioſeph prudentia ſolliciti in ſeptennium: nec debuiſſet Chriſtus laudare, vt fidelem, ac prudentem familiæ præpoſitum, qui dare illi poſſet in tempore tritici menſuram: ceſſare poſtremo deberent mechanicæ artes omnes, & operarum, ſeruitorumq. labores, & patrisfamilias cura in theſaurizando pro filijs. *Ioan. 12.*

Cauendum ne ſollicitudo ſeculi ſuffocet ſementem diuinam, ne ſi nimia ſit, proficiſcatur ex diffidentia aduerſus Deum;ne præcedat,ſed ſequatur ſollicitudinem Regni Dei, quod ante omnia quærendūm eſt, ac tanti refert,vt illi vni ſeruiendum ſit,& quoniā duobus dominis ſeruire non poſſumus,alia, quæ velut ad cumulum adijciuntur nobis, præ hac cura curare quodammodo non videamur, ſed negligere, & floccipendere. *Luc. 8.* *Mat. 6.*

Proijcienda itaq. ſolicitudo in Deum, cui cura eſt de nobis. Immo nihil ſoliciti eſſe debemus, anxia nimirum ſollicitudine,ſed ita, vt ea, qua par eſt moderatione facientes quod poſſumus, depoſito ſollicitudinis exceſſu, qui reprehenſus eſt in Martha, partes Marthæ, ſocia adhibita Magdalena, quæ meliorem partem elegit, cum res tulerit, obeamus, neceſſarijs contenti ſimus, quia vnum neceſſarium eſt. *1. Pet. 5.* *Philip. 4.* *Luc 10.*

Aurea prorſus, & Auguſtino digna ſententia, qua Deum alloquitur. O tu Bone omnipotens, qui ſic curas vnumquemque noſtrum tamquam ſolum cures, & ſic omnes,tamquam ſingulos. Rurſum: In toto tempore totū me ſimul, ſemperq. conſideras,ac ſi nihil aliud conſiderare habeas,ſic ſuper cuſtodiam meam ſtas,ſicut ſi omnium oblitus ſis, & mihi ſolum intendere velis. Quocumque iero, tu me Domine non deſeris, niſi prior ego te deſeram. *Aug. 3. Cōfeſſ. c. 11.*

Adde B. P. Ignatij apophtegma. Sic pendere nos à prouidentia diuina debere, vt ſi omnia Deus, nos nihil: ita nobis in rebus etiam noſtris elaborandum, perinde ac ille nihil, nos omnia conferre oporteret. *Ribaden. in vita.*

Verum eſt, & tritum prouerbium: Iuua teipſum, vt iuueris à Deo. Elegans, ac venuſta ſimilitudo eſt, qua Anſelmus demonſtrat, procurationem rerum temporalium, etiam laborioſam, ac moleſtam, ſine ſpirituali detrimento ſuſcipi poſſe.

Dicebat Molendino ſimilem eſſe vitam noſtram; actus noſtros molæ: illum qui opera ſua pro terreno tantum commodo faciat, farinæ decidentis in fluuium iacturam facere; qui bona nonnulla operetur, ſed magis ad temporalia intendit, valde exiguam reportare: Monachum, qui ex ſuperioris tantum præſcripto tractet ſecularia, ſine, aut ſuperbiæ, aut iniu- *In eius vit. lib. 2.*

ſtitiæ vitio, quamuis interdum propterea miſſas perdat, loquatur alijs tacentibus, & quædam alia ſimilia faciat, vel dimittat, hæc ab obedientiæ virtute conſumi, totamq. farinam conſeruari, quæ illum æternaliter paſcat.

Sueton. in Claud. c. 18 *Oroſ. lib. 7. c. 6.* Claudium, ſub quo fames hæc accidit, conuicijs medio foro populus corripuit, & fragminibus panis turpiſſime infeſtauit, & ſimili de cauſa Theodoſium lapidibus impetitum conſtat.

Marcel. Com. in Chron. *Prou. 11.* *Pſal. 58.* Experientia ſæpius comprobauit verum eſſe illud, quod habetur in Prouerb. Qui abſcondunt frumenta, maledicuntur in populis: nonnulli tamen magnæ alicuius penuriæ tẽpore id facere ſolent, quod auaritiæ genus, eſt necare homines: Auaro enim nihil eſt ſceleſtius, quia vt ipſe diues viuat, non curat, vt alij miſerabiliter moriantur. Quibus niſi reſipiſcant, illud contingere ſolet, vt moriantur diuites, & pauperes ſepeliantur in inferno, vbi famem patientur vt canes.

Vtinam hæc diligentia, & ſollicita charitas ad colligendas pecunias, ad ſuſtentandos illos, qui recenter conuerſi ſunt ad Chriſtum, & fidem eius amplexi ſunt, vigeret adhuc in Chriſtianorum cordibus, prouidendo neceſſitatibus eorum, vt Chriſti Eccleſia non ſolum eſſet magiſtra in docendo, ſed mater in nutriendo filios ſuos, nè penuria rerũ nimis fatigentur, & tædeat veniſſe in populum, apud quem charitatem, quam profitentur, & prædicant, reperire non poſſunt. Ita enim fieret, vt non ſolùm, qui iam conuerſi ſunt, cum gaudio vitã agerent, & ſeruirent Deo in lętitia, ſed quod qui adhuc in infidelitate ſua permanent, videntes, quod, qui Chriſtianam fidem ſuſceperunt, collocati ſunt in loco paſcuæ, eſtq. eis ſufficentia vtriuſquè panis, & ſatiantur aquis refectionis, relictis mundi retibus, & laqueis, ſecedentes ex tenebris & vmbra mortis, penè omnes properarent ad Chriſtum, inundatio *Iſa. 60.* camelorum operiret Eccleſiam.

Sed cum vident, aut audiunt ad fidem nuper conuerſos nihil bonorum, aut parũ poſſidere, premi ægeſtate, tabeſcere fame, & miſerrima in omnibus vitã degere, & non eſſe, qui ſuccurrat eis, & nè fame pereãt, cogi ad mendicandũ, & ad malas artes, non poſſunt animum inducere ad credendũ, non enim poſſunt credere fidem veram habere eos, apud quos charitas non eſt, nec pietas, nequè enim quiſpiã libenter ibi habitat, vbi non diligitur. Huiuſmodi autem conſuetudo colligendi pecuniam ad pios vſus, in aliquibus locis etiam hodie viget, præſertim cum diebus feſtis ſacra celebrantur: tunc enim clericus quiſpiam, cum ventum eſt ad offertorium, circuit, vt vnuſquiſquè (ſi libet) vel obolum mittat in thecam, quam porrigit.

Contigit autem his diebus, aliquid lachrymis dignum: Cum enim in quodam oppido parochus in die feſto, huiuſmodi collectas de more faceret in Eccleſia ſua, clericus ordinatè pergebat ad circumſtantes cum diſco ad eleemoſynas colligendas, vt vnuſquiſquè aliquid pro modulo ſuo poneret in diſco. Aderat tunc temporis ad miſſam audiendam illius oppidi Domicellus, qui has collectas deridens, pilam plumbeam, quam in tormentis igneis ponere ſolent ad homines trucidandos, poſuit loco nũmorum ludibrij gratia ſuper diſcum. Hac facta deriſione contigit, vt iſte proſcriptus irrueret in Eccleſiaſticum territorium, cum graſſatoribus ſuis, & ſtatim in exordio incurſionis ſuæ, pila plumbea ex tormento igneo emiſſa caput eius perforauerit, & miſerabiliter mortuus fuerit.

Plagas

Plagas famis, aut alia flagella ideo ſuper populos immitti, quia peccatis finis non imponitur. Remediumq. ad auertendum huiuſmodi mala, verum, & vnicum eſſe, fugam peccatorum, & emendationem morum. Enarratio ex D. Baſylio. Cap. 430.

Libet hoc in loco concinnam D. Baſylij ſententiam ex Homilia in diuites auaros ſuper illa verba ſcripturæ: In fame, & ſquallore, referre. Ex *Benzon. in ſpec. Epiſc.* qua euidentiſſimum fiet, peccata populorum famis, morborum ac aliorum malorum potiſſimam eſſe cauſam. Eius verba hæc ſunt.

Cælum nunc fratres dilectiſſimi videmus ſolidum, nudum, ac ſine nubibus, *Baſil. hom. 8. in diuit. auaros.* ſerenitate ſua, & puritate nos contriſtans, quam antea iam deſiderauimus, quando profundis coopertum nubibus, & procelloſos nos reddebat, & ſole priuabat. Terra verò iam exiccata, ad extremum aſpectu eſt horrida, & ad agriculturam ſterilis, & infœcunda, deinde ob ſiccitatem ſciſſa, hiatus patefecit maximos, vt in imis viſceribus Solis excipiat radios; fontes plurimi, & perennes nos deſeruerunt. Fluminum quoque magnorum curſus deſierunt. Minutiſſimi paruulorũ pedes illos permeant, & mulieres onuſtæ totos penetrant, & tranſeunt, noſtrorum multos potu quoque deſtituit; ac demum in magnam nos Deus viuendi difficultatem conſtituit. Iſraelitæ noui, Moſen quærentes nouum, baculumq. illum prodigiorum productorem deſiderant, vt rurſus diruptæ petræ vſum ſitienti populo præbeant. Nubes quoque ſubitæ, & admirabiles inauditum mannæ cibum mortalibus irrorẽt. Timendum ſanè nobis, ne malorum exemplum in famis calamitate poſteris noſtris exiſtamus. Vidi campos ſteriles, & arentia rura dudum ſine fructibus, lachrymansq. mæſtas edidi querelas, quod pluuia nobis nulla data eſt, ex quo nec ſata naſcuntur, & eodem modo, quo ea aratrũ occultauit, permanent. Aut ſi fortè nata, ſtatim tenera æſtu ſunt abſumpta adeò, vt pulchrè illud Euangelicum conuerti poſſit: Operarij quidem multi, meſſis verò pauca. Coloni per campos ſedent, manibus genua complexi, qui habitus lugentis eſt, & aruorum triſti aſpectu conteri ſuos, boumq. labores perditum iri vehementer dolent, ac lachrymantur. Mox tenues, & aridos germinum calamos conſiderantes, atque attrectantes, ad natos & vxores ſeſe vertunt, ac miſeros edunt vlulatus, haud aliter, quàm ſi eos ætate florida raptos efferrent. Dicatur igitur, & ad nos ab ipſo Propheta, cuius paulò ante initio ſermonis mentionem fecimus: Et ego (inquit) trium menſium plu- *Amos 4.* uiam ante vindemiæ tempus à vobis prohibebo, & pluam ſuper Ciuitatem vnam, & ſuper Ciuitatem vnam non pluam, & pars vna inundabitur, & pars altera, ſuper quam non pluam, areſcet. Conuenient duæ, aut tres Ciuitates, vt bibant aquam, & non implebuntur, quoniam non conuerſi eſtis ad me, ait Dominus. Diſcamus igitur ex his verbis, quod ob auerſionem noſtram, ac negligentiam, has nobis calamitates inflixit Deus, non extinguere nos quærens, ſed emendare caſtigareq. cupiens more piorum patrum erga deſides, & iuniores filios, qui iraſcuntur quidem, & excitantur erga adoleſcentes ſuos, non mali aliquid eis facturi, ſed officioſa caſtigatione ex ignauis diligentes reddituri. Aſpicite quæſo nunc, quemadmodum noſtro-

rum pondus peccatorum, anni temporumq naturas mutauerit; ſtatutasq. ſemel rerum formas in aliena temperamenta, nouasq. mixturas deduxerit. Hyems ſolitum humorem cum ſicco non retinuit, ſed in glaciem tota abijt, niuis, & imbris penitus expers. Vernum tempus, alteram quidem ſui officij partem oſtendit, caliditatem dico, humiditatem verò nullam illi coniunxit. Aeſtus vero immenſus, & frigora naturæ leges prætereuntia, ac in nos damnumq. noſtrorum coniurata, mortales ad victus, vitæq. ſimul trahunt diſcrimina. Quæ igitur fratres chariſſimi, huius tantæ confuſionis, contrarietatisq. cauſa? vnde talis rerũ, temporũq. nouatio? Inueſtigemus aliquantulum mente, rationeq. vtentes, diligenter penſitemus. An non eſt, qui cuncta gubernet? An optimus opifex Deus diſpenſationis ſuæ oblitus eſt? an virtutem, ac potentiam ſuam amiſit? aut eadem quidem eſt adhuc potentia præditus, in auſteritatem verò mutatus, excellentem ſuam erga nos bonitatem, & prouidentiam in odium humani generis conuertit? nemo profecto ſapiens hoc dicet. Sed illæ potius ſunt cauſæ, cur nobis conſueta gubernatio ſublata ſit, quod cum ex Deo accipiamus, alijs non damus. Beneficentiã laudamus, nos hac carentes, egentibus deſumus: ſerui exiſtentes liberamur, & cõſeruos nõ miſeramur: eſurientes nutrimur, inopibus alimenta negamus. Cum indeficientẽ promum, ac theſaurarium Deum habeamus, erga pauperes præparci, ac tenaces ſumus. Ouium gregẽ fœtura implet, opibus verò nudos plures eſſe ſinimus. Graues rerum apothecas, & cellas habemus; his autem carentes nequaquam reſpicimus. Hac igitur de cauſa minatur nobis iuſtum Dei iudicium, hac de cauſa Deus omnipotens manum non aperit; quoniam fraternitatis charitatem occluſimus. Ob hoc & campi ſteriles, quoniam charitas friguit; ſupplicantium vox fruſtra clamat; & in aera euaneſcit, ac diſſipatur; nam & nos rogantes minimè audimus. Sed quæſo quales ſunt noſtræ preces? qualis oratio? Viri, præter paucos, mercaturis vacant, vxores ipſorum ad officium mammonæ ſunt. Pauci admodum mecum ad orandum relinquuntur; & hi tædio affecti, oſcitantesquè, ac continuo huc, illuc ſe vertentes, denique obſeruantes, quando is qui Pſalmos canit, verſus expleat, vt tamquam è vinculis, ac aliqua cuſtodia è templo liberentur. Pueri autem parui, quid ex hac calamitate publica deguſtant? Qui libellos in ſcholis relinquentes, & nobiſcum conclamantes, remiſſionem potius, ac vacationem à diſcendi labore noſtram communem triſtitiam exiſtimant, & cura ſe aliquantulum, aſſiduitateq. ſtudij leuari, & in libertatem venire propterea putant. Adultorum verò hominum multitudo, ac vulgus peccatis obnoxium per vrbem remiſſi, ac temere diſcurrunt, gaudentes, & hilares, qui horum cauſa malorum in proprijs gerunt animabus, calamitatemq. hanc ipſi nobis excitant, & cauſant. Infantes poſtremo, inſontes, & minimè ſentientes, ad confeſſionem in templo conueniunt, nec cauſam dant ipſi de rebus triſtibus, neque rurſus ab ijs nos liberare valent, cum nullam facultatem, notitiamq. orandi Deum habeant. Tu in medium prodi. Tu, inquam, peccatis oneratus humi procidens clama, ſuſpira. Mitte infantes, quæ dat ætas, puerilia facere. (Et paulò poſt:) Quiſnam orãs, aut ſupplex lachrymã ex ore mittit, vt imbrẽ terris tempeſtiuum prouocet? Quis ſcelera relinquens ſanctum Dauid imitatur, qui queſtubus, ac lachrymis ſtratum rigauit? Quis hoſpitum lauit pedes, aut puluere ex itinere adſperſum abſterſit, vt in hac ſiccitatis calamitate

mitate Deum exorare valeat? Quis orphanum aliquem paruulum pauit, vt & nobis Dominus frugem telluris aleret, velut orphanum ventorum intemperantia percuſſum? Quis viduæ victus difficultate afflictæ opitulatur, vt alimenta frugum neceſſaria recipiat? Scinde libellum æris alieni iniuſtum, vt ſic peccatum ſoluatur. Dele grauiſſimorum fœnorum nomina, vt terra ſolitum tibi fœnus reddat. Aere namq. & auro, ac ſimilibus infœcundis metallis præter naturam fœtus edentibus, iure germina, quæ naturaliter pariunt, ſterilia fiunt, & ad habitantium mulctam, fructibus carent. Nunc igitur ij, qui auaritiam tanto ſtudio colunt, & opibus plus æquo inuigilant, oſtendant nobis quid valeant ipſorum theſauri, quæ ſit illorum vtilitas: ſiquidem ſupplicium hoc Deus longius protracturus ſit, quos omnes velociter auro, quod cumulant, pallidiores videas: ſi pane, qui ob paratam promptamq. copiam heri ab illis, & hodie contemni ſolet, careant. Fac enim, ne væneat Annona, ne in apothecis frumentum ſit, quid tibi marſupium ære grauiſſimum proderit? Nonne cum illo peribis? Nonne aurum tuum terra eſt, & inutile lutum, cum corpore luteo, & ipſo ſine vſu iacebit? omnia poſſides, ſed vno, & hoc neceſſario, cares, facultate videlicet teipſum nutriēdi. fac cum tuis opibus omnibus, vt vnam excites nubeculam, vt modicus imber è cælo deſcendat, vt terra fructus coacta reddat. Solue, inquàm, ſi potes, inſolentibus tuis facultatibus hanc communem calamitatem. Forſan aduocabis aliquem piorum, qui precibus, vt Elias Thesbites fecit, calamitatis huius moleſtiam tollat, qui ſit homo inops, pallidulus, ſine calceis, ſine cubiculo, ſine domo, tantum melota contentus, precibus, ac ſupplicationibus pro cibo, continentia verò pro contubernali vtens. Cum in viri ſimilis auxilium te ſit opus incidere, nonne multo riſu tot diuitiarum tuarum curas perſequeris? Num aurum non conſpues, & argentum vt ſtercus eijcies, quod antea omnipotens, ac iucundiſſimum vocās, humanis vſibus ſubuenire omnino putaueras? ſed ſcias illud contra te inſtare, teq. accuſare, ac horum malorum cauſam dicere, eo quod ſe poſſidens non rectè diſpenſaueris, aut erogaueris, quod eſurientes prætericris, quod afflictos non reſpexeris, quod rogantes non ſis miſeratus. Per paucos enim mala, ærumnæq. ad vniuerſum populum ſæpe perueniunt, & vnius ob noxam tota quandoq. gens euertitur. Achar ſacrilegium admiſit, ac totus eſt afflictus exercitus. Zambri cum ſcorto Madianitide concubuit, ac Iſrael pęnas dedit. Igitur filij chariſſimi, omnes priuatim, ac publicè noſtras conſcientias examinemus; præſenti ſiccitate, veluti pædagogo cuipiam vnumquemque noſtrum proprij delicti admonenti attendamus. Dicamus & nos ſenſatè cum beato Iob: Manus Domini eſt, quæ tetigit me. Potiſſimum autem calamitatem hanc proprijs peccatis adſcribamus. Et infra: Quis (dic mihi) prohibet hanc, quam admiraris ſiccitatem, non potius eſſe orbis incendium, ac conflagrationem? Solem inſuper à via ſolita errantem, & terrenis propinquantem corporibus omnia cremare? Iguem denique de cælo deſcendentem, mortales omnes ob eorum ſcelera iure punire?

Quamobrem te homo, te inquam conſidera, tuamq. penſita conſcientiam. Ne pueris ſub pędagogo conſtitutis ſimilis fias, qui caſtigatione irati ſcindunt libellos; patri vero conſulenti, ac cibum perhibenti, veſtem conſcerpunt, vel matris ora vnguibus petunt. Nam & nauclerum tempeſtas, &

Athleta

Athleta ſtadium, & ducem pugna, magnanimum calamitas, Chriſtianum vero tentatio probat, & examinat. Res triſtes animam, vt ignis aurum arguunt. Et infra: Tu bonus, & benignus, quod tibi ſupereſt, adijcias, vbi deeſt. Ne verere,ex paruo dare. Ne tuum commodum communi præponas periculo. Si enim vnus tantum ſit tibi panis, ad fores autem rogator adſit, deprome illum. Dans vero, manus in cælum tolle, dicq. mirabilia hæc, & benigna verba: Vnum hunc panem habeo, quem vides Domine, & occaſio periculi eſt; aſt præceptum tuum mihi propono, & de modico do fratri eſurienti. Da & tu Domine, periclitanti ſeruo tuo. Et infra: Eſurientis morbus, fames inquam, miſerabilis eſt afflictio. Humanarum calamitatum caput eſt fames, cuiuſuis mortis genere duriorem adferens finem. In alijs namq. periculis, vel enſis cuſpide cito interibis, vel ignis impetus breuiter vitam extinguit, aut ferarum dentibus membra ſtatim diſcerpta intereunt, quem quidem dolorem morienti minime protrahunt. At famis diuturnius malum, ocyus torquet, lentius tabefacit, ſenſim occidit, naturalem uamq. humorem abſumit, calorem refrigerat, innatam, ac vegetem corporis habitudinem deterit, vires paulatim debilitat, oſſibus caro velut aranearum tela cohæret. Coloris flos, ſanguine deficiente, refugit. Albedinis ſplendor è ſummo corpore diſcedit, & pallor, ac liuor inſurgit. Genua infirma, ac per vim tracta conſpiciuntur. Vox tenuis, & imbecillis. Oculi infirmi in ſuis cauis non ſecus thecis reconditi, quàm in putaminibus nuces viſuntur. Oſſa tamen pelle operta. Venter vacuus, & collapſus tumore, viſcerumq. ſolita productione caret; ac dorſi tantum oſſibus ſuſtentatur, & hæret. Igitur faciem hanc corporis miſeram, qui cõniuens præterit, quali dignus erit pœna? Quod crudelitatis genus proſequi dicetur? Quomodo inter immaniſſimas feras non connumerari vt execrandus,ac hominum interfector dignus erit? Qui enim morbo periculoſo, ſi liceat, non occurrit, eadem, qua ille, qui ſibi ipſi manus infert, pœua damnabitur. Quid fames non cogit? Naturæ leges ſæpe peruertere, ac tranſgredi multis ſuadet, & hominum corporibus, vel propinquorum veſci. Matrem, quem peperit natum,impulit in ventrem malè recondere. Quam tragędiã Iudaica commemorat hiſtoria à Ioſepho graui auctore conſcripta, quando videlicet diræ calamitates Hieroſolymitanos, pœnas iuſtas propter impietatem in Deum dantes, apprehenderunt. Quantum deniquè ceteræ antecellat charitati eſurientem paſcere, ex ipſo conſeruatore conſpice, qui cum alia ſæpe prætereat humana incommoda, eſurientes reſpiciens: Miſericordia moueor, inquit, ſuper turbam hanc. Idcirco in extremo iudicio, vbi iuſtos alloquitur, ordine primus, & vt ceteris honoratior, qui pauperem nutrit, accerſitur, Qui panem adminiſtrauit, ante omnes promouetur: liberalis deniquè præ ceteris in vitam præmittitur. Et infra.

Vereamur, atquè imitemur Græcorum humanum viuendi modum. Apud nonnullos illorum humana conſuetudo vnam menſam, communem alimoniam,domum vnam,frequentem propè populum conſtituit. Sed extrema dimittamus,& tria illa millia,epulo piſcium à Domino excepta præcipuè nobis ſuccurrant. Deniquè cætum Chriſtianorum primum illum æmulemur, quibus ab initio communia erant omnia, vita, anima, concordia, menſa item communis, fraternitas indiſcreta, charitas non ficta, multa ſimul

cor-

corpora vnum faciens, diuerſasquè animas in vnam concilians voluntatem. Multa (ſi quæres) alia exempla vtriuſquè teſtamenti, quæ ſunt ad fraternam dilectionem imitandam, reperies. Si ſenem eſurientem videris, fac nutrias, vt Ioſeph Iacob. Si inimico occurras afflicto, parce iræ, ne expellas vindictæ cupidus,ſed potius nutrias,vt ille quondam fratres, à quibus venditus fuit. Cum in iuniorem incideris egentem, funde lachrymas, vt ille ſuper Beniamin fratre, ſenectutis filio. Quod ſi forte te auaritia, vt Regina illa Aegyptia Ioſeph, tentauerit, ſciderit quoquè tibi veſtem, vt mandatum diuinum contemnas, vt ſe aurum, ac res terrenas amantem, contra Domini tui præceptum amplectare: Vbi cogitatio ſubierit præcepto Domini repugnans, animumq. ſobrium ad auaritiam impellens, & ad negligentiam fraternamq. dilectionem cogens, atque ad ſe cohibens, rumpe, & tu illius veſtem, reiq. indignitate motus ſecede, Domino fidem ſerua, vt ille Putiph aro ſeruauit. Neceſſaria cibaria vno anno diſtribue, vt idem per annos ſeptem. Ne cuncta voluptati tribuas, nonnihil animæ tuæ reſerua. Duaſq. tibi puta eſſe filias, mundanæ conuerſationis; proſperitatem, & vitam cæleſtem. Si meliori cuncta dare nolueris, diuide ſaltem ex æquo intemperanti filiæ, & modeſtæ, ne videlicet præſentem vitam ita opibus, ac delicijs affluentem reddas, vt alteram inopem, ac laceris opertam veſtibus relinquas. Vt ſi te oporteat in conſpectu Dei noſtri, ac iudicis IESV Chriſti, ſponſam, formam, ac vitam ſecundum virtutem habentem venire, noli ſponſam inornatam ſponſo offerre, ne conſpiciens ille vultum auertat, deſpiciat, complexum neget, ſed eam decenti veſte ornatam nuptiarum tempori ſeruabis, & vna cum ceteris prudentibus Virginibus charitatis perpetuum ignem, ac lampadem oleo continuo refertam habens, in thalamum recipiatur.

Hæc & alia perpulchra hoc in loco Baſylius. Similem ſententiam ſcribit, in enarrationem noni capitis Iſaiæ, explanans illa verba: Et populus non eſt conuerſus, donec percuſſus eſt, & Dominum exercituum non quæſiuit. *Iſa. 9.* Quod, inquit, Inimici Dei hiſce flagris conſciſſi nondum compuncti ſint, nōdum etiam auerſus eſt furor eius; ſed adhuc manus eius, facultas animaduertendi in facinoroſos, erecta eſt, & elata in eos, quos nihil pœnitet malitiæ, & malignitatis, quas geſſerunt. Quia igitur populus hic non ſermone, ſed plagarum irrogatione ſanatur, ſcriptum eſt: Et omnis populus non eſt conuerſus, niſi plagis impoſitis, quo fit, vt talibus neceſſariæ ſint, & vtiles plagæ. Nemo igitur ſe anxio labore torqueat in inquirendis cauſis afflictionum, & moleſtiarum; puta quam ob cauſam terra ſqualleat ſiccitate? cur vis imbrium, ac redundantis pluuiæ cælo delabitur? vt quid plena terroris fulmina? qua ex cauſa, ex aere ſidunt grandines? noſtri cauſa hæc inuehuntur, qui retinemus cor impœnitens, nec niſi plagis prius eruditi conuertimur. Hæc D. Baſylius.

Oportet autem hic opportuno loco commemorare tremenda exempla, quæ in orbe contigerunt, per immiſſas famis plagas, vt hinc Dei timor gignatur in corde, & in pauperes, & miſeros commiſeratio concreſcat.

Seruus Dei ſtudioſus alendorum pauperum fameſcentium proprium monaſterium, in magna fame exhauriuit, nihil prorſus ſibi relinquens, ſed Deus prouidentia ſingulari eius inopiam suppleuit.

Cap. 431.

Vita S. Ermenoldi Abb. apud Sur. to. 1. INter alias virtutes, quibus ornatus erat vir Dei Ermeboldus, præcipua illi cura inerat, & ſtudium recipiendorum peregrinorum & pauperum, quibus adeo benignum & humanum ſe præbuit, vt inopes, vſu & conſuetudine adducti, tàm ſecurè & fidenter ab eo poſcerent opem, vt non tàm beneficium petere, quàm debitum repoſcere viderentur; perinde ac ſi ab œconomo ſuo exigerent res, quibus habebant opus. Videbant enim eum inſtar *1. Cor. 9.* Apoſtoli, cum eſſet liber ex omnibus, omnium ſe ſeruum feciſſe inopia laborantium. Vt autem eius liberalitas omnibus innoteſceret, fames dira totam oppreſſit Bauariam, ita vt non pauci pauperes inædia interirent. Confluebant verò omnes ad beatum Ermenoldum, isq. iuſſit è granarijs omne frumentum exprომi, atque diſtribui in pauperes, nec prius ceſſatum eſt elargiri, quàm compertum eſt nihil prorſus relictum eſſe monaſterio. Cumque miniſtri dicerent nec tantillum ſupereſſe, quod ad vnum prandium poſſet ſufficere, ille nihil de Dei benignitate hæſitans, totum ſe contulit ad deprecandum Dominum, & ſanctum Georgium martyrem eius, monaſterij ſui patronum: & ecce altera luce adeſt vir quidam nobilis, & diues, honoransq. Dominum de ſubſtantia ſua, abundè fratrum ſupplet inopiam.

Magna inualeſcente fame, & innumera famelicorum concurrente multitudine ad monaſterium Theodoſii Cœnobiarchæ, iuſſu eius apertis ianuis, & reſeratis arcis, in quibus erant modici panes, ingreſſa multitudo panibus diuinitus multiplicatis ſaturata eſt.

Cap. 432.

In vita S. Theodoſ. Cœnob. to. 1 apud Sur. Mich. 6. CAſtigabat aliquando terram Deus, caſtigabat autem fame: erat autem non breuis aliqua fames, nequè in hos quidem dominabatur, in alios vero non, ſed ex æquo omnes inuaſerat flagellum. Cum ſic autem affligerentur homines, vt eorum, quæ ſceleratæ fecerant, pœnas darent: malorum enim ſtudiorum hæc eſſe fructum dicit diuinus Michæas: & adeſſet dies feſtus Palmarum, quo pauperum agreſtium multitudo, feſti accepta occaſione, in eo loco verſabatur, iam hoc quidē pro more facientes, ſed tunc magis à fame iuſſi. Qui itaq. ad parandū prandium inſeruiebant, ad tantam caligantes multitudinem, conabantur quibuſdam libris, & trutinis alimentum diſtribuere, vt hac accurata ſubtiliq. ratione, & parcitate poſſet pluribus alimentum ſufficere. Pondus autem eis ad libram, vt dixerit quiſpiam vtens lingua Romanorum, redibat. Accedens autem magnus ille Theodoſius, cum id, quod fiebat, viſu apprehendiſſet, & à magna multitudine vim afferri ianuis, & idem quod Iob didiciſſet ſentire, & diceret:

foris non diuerſabatur hoſpes, & patebat oſtium omni viatori: iubet portas *Iob. 31.*
aperiri, & permitti, vt omnes volentes poſſent ingredi, & omnibus homi-
nibus menſas conſuetas apponi, quos difficile erat, vel numerare, non
ſolum eos cibis ſatiare: Quicunquè ergo ei erant inſeruituri, quando ad
ſolam tantummodo aſpiciebant multitudinem, non credebant: tantum abs
eſt, vt aliquid facerent, propterea quod modum iuſſus exuperabat. Poſt-
quam autem adſpexerunt ad virtutem, & gratiam eius, qui iubebat, ab
humanis deſtiterunt, & altius adſpexerunt, & portas ſtatim aperuerunt; &
libenter admiſerunt eos, qui veniebant: & deinde etiam parandis menſis
dabant operam, & liberaliter ea etiam apponebant, quæ habebant. Quid
ergo Deus admirabillum? Rurſus quoquè ſuffecit paucis alendam magnam
multitudinem; ſicut etiam prius quinquè panibus quinquè millia. Simul *Ioan. 6.*
ergo, & eorum impleti ſunt ventres, & arcæ panariæ oſtendebantur plenæ
panibus: & illi quidem exiſtimabant fore, vt omnia deficerent: eæ vero erãt
plenæ, & plura tenebant, quàm præbuerant, & per orationem veluti ad
replendos ventres pauperum plurimum fructum produxerant. Sic pro eius
propoſito Deus ipſum eſt remuneratus, & pro eius beneficentia in pauperes
non ſolum abundè deſuper pluens propter eius magnificam voluntatem,
ſed etiam efficiens, vt vir ille in admiratione haberetur, & celebraretur,
propterea quod ſit minimè falſum promiſſum. Promiſit enim eos glorifi- *1. Reg. 2.*
care, qui eum ſciunt glorificare per opera.

Futuram famem præuidens Sanctus Remigius, in quadam Villa plures metas congregari fecit. ſed perfidus populus eas incendendo memorabili ſupplicio punitus eſt.
Cap. 433.

SEneſcente autem S. Remigio, & Dei ſpiritu ſibi reuelante, quoniam *In vit. S.*
abundantiam ipſius anni ſecutura eſſet fames, ſecutus S. Ioſeph proui- *Remigij to.*
dentiam, de annona, quæ in villis Epiſcopi nata fuerat, vel quam ab alijs *1 apud Sur.*
comparauerat, aceruos, quos metas dicimus, fecit, vt populo, fame poſt-
modum laboraturo, inde ſubuenire valeret. Vnde & in Villa, quæ Cel-
tus dicitur, plures metas fieri iuſſit. Ipſi autem homines Celtenſes, ſem-
per rebelles, & ſeditioſi fuerunt. Qui quadam die Dominica inebriati,
cæperunt inter ſe dicere: Quid ille Iubilæus (ſic enim appellabatur propter
ætatis prolixitatem S. Remigius) facere vellet de illis metis, quas congre-
gauerat? an Ciuitatem inde facere vellet? quia ſicut turres per muros Ci-
uitatis, ita per circuitum Cortis, metæ habebantur. Et ſubdente diabolo,
ſe mutuò adhortati ſunt, vt focum in eas mitterent. Quod cum S. Remi-
gio in propinqua Villa, quæ Baſilicæ Cortis dicitur, conſiſtenti, celeri nun-
cio eſt delatum, aſcendit equum, vt ad tantam præſumptionem compeſcen-
dum, ad Celtum veniret. Quo cum peruenit, iam ipſæ metæ ardebant.
Beatus autem Remigius, & ætate, & veſpertino frigore, ſicut in autu-
mno fieri ſolet, frigidus de equo deſcendit, & à longè ſe calefacere cæpit,
tranquillo corde, & ore dicens: Semper bonus eſt focus, ſi non ſuper po-
teſt. Veruntamen omnes, qui hoc egerunt, & qui de eorum germine nati
fuerint, viri ponderoſi fiant, & feminæ gutturnoſæ ſint. Quod ita com-
pletum

pletum eſt. Nam vſquè ad tempora Caroli Magni Imperatoris, qui eoſdem homines de Celto, quoniam Vicedominum in eadem Villa morte crudeliſſima occiderunt, exterminauit, & authoribus interfectis, conſentientes per diuerſas prouincias diſpergi, atque perpetuo exilio condemnari fecit, & de ceteris Villis Epiſcopij Rhemenſis eandem Villam reſtaurari præcepit: ita viri, atquè feminæ mulctati permanſerunt, ſicut ſancti viri ſententia promulgauit. Quoſdam etiam de eorum progenie, qui tunc fuga lapſi, cum alij diſpergebantur, remanſerunt, & ad eandem villam redierunt, nos hanc vindictæ ſuſtinentes ſententiam vidimus, ſicut & Gie-
4. Reg. 5. zi cum domo ſua, maledictione Eliſæi lepra mulctatus eſt.

Propter infandas luxurias, & deteſtabiles blaſphemias, & illicita iuramenta immitti, diuina vindicta, in terris famem, terræmotus, & peſtilentias. Cap. 434.

Nouel. 77. IVſtinianus Imperator haud dubius ob peccata diuinitus famem, peſtem, & alia flagella immitti, ad populum Conſtantinopolitanum edidit ſanctionem, his verbis.

Omnibus hominibus, qui rectè ſapiunt, manifeſtum eſſe putamus, quia omne nobis eſt ſtudium, & oratio, vt crediti nobis à Domino Deo, benè viuant, & eius inueniant placationem: quoniam & Dei miſericordia non perditionem, ſed conuerſionem, & ſalutem vult; & delinquentes, qui corriguntur, ſuſcipit Deus. Propter quod vos omnes inuitamus, Dei timórem in ſenſibus accipere, & inuocare eius placationem; & nouimus, quia omnes qui Dominũ diligunt, & miſericordiam eius ſuſtinent, hoc faciunt. Igitur quoniam quidam diabolica inſtigatione comprehenſi, & grauiſſimis luxurijs ſemetipſos inſerunt, & ipſi naturæ contraria agunt, iſtis iniungimus, in ſenſibus accipere Dei timorẽ, & futurum iudicium, & abſtinere ab huiuſmodi diabolicis, & illicitis luxurijs, vt non propter huiuſmodi impios actus ab ira Dei iuſta inueniantur, & ciuitates cum habitatoribus earum pereant. Docemur enim à diuinis ſcripturis, quia ex huiuſmodi impijs actibus, & ciuitates cum hominibus pariter perierunt.

Et quoniam quidam ad hæc, quæ diximus, & blaſphema verba, & ſacramenta de Deo iurant, Deum ad iracundiam prouocantes: iſtis iniungimus, abſtinere ab huiuſmodi, & alijs blaſphemis verbis, & non iurare per capillos, & caput, & his proxima verba. Si enim contra homines factæ blaſphemiæ impunitæ non relinquuntur: multo magis, qui ipſum Deum blaſphemant, digni ſunt ſupplicia ſuſtinere. Præterea igitur omnibus hominibus huiuſmodi præcipimus à prædictis delictis abſtinere, & Dei timorem in corde accipere, & ſequi eos, qui bene viuunt. Propter talia enim delicta, & fames, & terræmotus, & peſtilentiæ fiunt: & propterea admonemus abſtinere ob huiuſmodi prædictis illicitis, vt non ſuas perdant animas. Sin autem poſt huiuſmodi noſtram admonitionem inueniantur aliqui in talibus permanentes delictis, primum quidem indignos ſemetipſos faciunt Dei miſericordia; poſt hæc autem, & legibus conſtitutis ſubijciuntur tormentis.

Præcipimus enim glorioſiſſimo Præfecto Ciuitatis Regiæ, permanentes in præ-

in prædictis illicitis, & impijs actionibus post hanc admonitionem noſtram comprehendere, & vltimis ſubdere ſupplicijs, vt non ex contemptu talium inueniatur & ciuitas, & Reſpublica per hos impios actus lædi. Sin autem poſt hanc noſtram ſuaſionem quidam tales inuenientes hoc ſupercelauerint, ſimiliter à Deo Domino condemnabuntur. Ipſe etenim glorioſiſſimus Præfectus ſi inuenerit quoſdam tale aliquid delinquentes, & vindictam in eos non intulerit ſecundum noſtras leges; primum quidem obligatus erit Dei iudicio poſthæc, & noſtram indignationem ſubſtinebit] huc-uſquè Imperator.

Aurelius Caſſiodorus Senator auctus ampliſſima dignitate Præfectura Prætorij, in tali magiſtratu, vir clariſſimus, maximam oſtendit pietatem, & ad Ioannem Romanum Pontificem, eius implorans ad Deum preces pro bono regimine, ſic ſcribit. Cap 435.

SVpplicandum vobis eſt Beatiſſime Pater, vt lætitiam, quam per vos, Deo largiente, percepimus, cuſtodiri nobis veſtris orationibus ſentiamus. Quis enim dubitet proſperitatem noſtram veſtris meritis ampliandam, quando honorem adipiſcimur, quia à Domino diligi non meremur & permutatione efficaci bona recipimus, dum talia non agamus? Eccleſiaſticis ſi quidem ieiunijs fames eſt excluſa popularis, decoris lachrymis triſtitia fœda diſceſſit; & per ſanctos viros acceleratum eſt, ne traheretur diutius, quod grauabat. Et ideo ſalutans officioſitate, qua dignum eſt, precor, vt viuacius oretis pro ſalute regnãtium, quatenus eorum vitam cæleſtis Princeps faciat eſſe longæuam, Romanæ Reipublicæ hoſtes imminuat, tempora tranquilla concedat: deinde, quod ornat pacem, neceſſariam nobis copiam de abundantiæ ſuæ horreis largiatur: mihiq. filio veſtro intelligentiæ ſenſus aperiat; vt quæ vere ſunt vtilia, ſequar; quæ vitanda, refugiam: vigor ille rationabilis animæ nobis conſilium præſtet; facies veritatis albeſcat, ne mentem noſtram innubilet caligo corporea: ſequamur, quod intus eſt, ne foris à nobis ſimus; inſtruat, quod de vera ſapientia ſapit: illuminet, quod cæleſti claritate reſplendet: talem deniquè iudicem excipiat publicus actus, qualem filium Catholica mittit eccleſia; in ſuis nos etiam muneribus virtus ſancta cuſtodiat, quia grauiores inſidias antiqui aduerſarij tunc ſubimus, quando eius dona ſuſcipimus. *Caſ. Var. l.11. epiſt.2. ad Io. Rõ. Pont.*

Nolite in me tantum reijcere ciuitatis illius curam, quæ potius veſtra laude ſecura eſt. Vos enim ſpeculatores Chriſtiano populo præſidetis: vos Patris nomine vniuerſa diligitis. Securitas ergo plebis ad veſtram reſpicit famam, cui diuinitus eſt commiſſa cuſtodia. Quapropter nos decet cuſtodire aliqua, ſed non omnia. Paſcitis quidem ſpiritualiter commiſſum vobis gregem, tamen nec iſta poteſtis negligere, quæ corporis videntur ſubſtantiam continere; nam ſicut homo conſtat ex dualitate, ita boni papatris eſt vtraquè refouere. Primum penuriam quidem temporis, quam delicta promerentur, orationibus ſanctis, amouete. Si quid tamen (quod abſit) acciderit, tunc benè neceſſitas excluditur, quando contra eam ſub vbertate tractatur.

Monete

Monete me, quæ ſunt gerenda ſollicitè, benè agere vel correptus exopto, quia difficilius errat ouis, quæ voces deſiderat audire paſtoris; nec facilè efficitur vitioſus, cui admonitor inſiſtit aſſiduus. Sum quidem Iudex Palatinus, ſed veſter non deſinam eſſe diſcipulus; nam tunc iſta rectè gerimus, ſi à veſtris regulis minimè diſcedamus: ſed cum me à vobis deſiderem & moneri conſilijs, & orationibus adiuuari, iam vobis eſt applicandum, ſi in me fuerit aliter, quàm optabatur, inuentum. Sedes illa toto orbe mirabilis proprios tegat affectione cultores, quæ licet generalis mundo ſit præſtita, nobis etiam cognoſcitur, & localiter attributa.

Tenemus aliquid ſanctorum Apoſtolorum proprium, ſi peccatis diuidentibus non reddatur alienum, quando confeſſiones illas, quas videre vniuerſitas appetit, Roma fœliciter in ſuis finibus habere promeruit. Nihil ergo timemus talibus patronis, ſi oratio non deſiſtat Antiſtitis. Arduum quidem eſt multorum deſiderijs ſatisfacere; ſed nouit diuinitas magna præſtare, ipſa retundat inuidos, ipſa nobis faciat ciues cæleſti aſpiratione gratiſſimos, & ſupplicationibus veſtris tempora tribuat, quibus ſuperna gratia prædicetur indulta.] hactenus ad Ioannem Papam Caſſiodorus Præfectus Prætorio. Quibus plane quid delecti magiſtratus ipſo ſuo exordio functionis agere deberent, admonuit; & tunc dexterè cuncta adminiſtrari in Præfecturis, cum ſe humili obſequio Præfecti ſubijciunt ſanctis Epiſcopis, quorum fulti precibus concilient ſibi diuinum auxilium. Hæc quidem non ignorans ſapientiſſimus Caſſiodorus, non Romanum tantum Pontificem, ſed & reliquos Italiæ Epiſcopos interpellat, vt orationibus atque ieiunijs agant, & plebem ita inſtituant, vt quæ in ea Iudex puniat, non inueniat. Extat digna quidem Chriſtiano Præfecto ad ipſos Epiſcopos eo argumento ſcripta epiſtola, quæ ita ſe habet.

Idem. l. 13 epiſt. 3. Corporalium patrum naturalis mos eſt de filiorum pronectione gaudere, dum eorum inſtitutionibus applicatur, quicquid laudis in chara prole conceditur. Vos autem ſpirituales parentes, qui auctorem rerum illuminata mente conſpicitis, pro me ſanctæ Trinitati ſedulo ſupplicate, vt ſplendere latè faciat in medio poſitum candelabrum, quatenus nec mihi interior deſit viſus, & de me alijs pandatur aſpectus. Numquid proderit, Iudicem alijs eſſe perſpicuum, ſi ſibi potius reddatur obſcurus? Dignitatem conſcientiæ donet, qui tribunalia conferre dignatus eſt: faciat inoffenſum Iudicem, ne damnet errantem: ſit nobis proſperrimè præſens, vt infauſta vitia reddantur abſentia, amorem ſuum tribuat, vt peccandi ambitum miſeratus excludat.

Quapropter animæ vere parentes, affectuoſa, & probabili petitione vos deprecor, vt indicto ieiunio, Domino ſupplicetis, qui vitam Principum noſtrorum florenti Regno protendat, hoſtes reipublicæ defenſor imminuat, donet quieta tempora, & ad laudem ſui nominis copioſa, faciatq. rerum omnium tranquillitatem, vt me vobis reddere dignetur amabilem. Sed quo facilius veſtra quoquè exaudiatur oratio, eſtote circa eos, quos deſtinamus, attenti. Quod neſcimus, nobis non debet imputari. Actus eorum teſtimonia veſtra proſequantur; vt aut laudatus gratiam; aut accuſatus apud vos inuenire poſſit offenſam: neque enim nobis imputare poterunt, ſi delinquunt, quando non iubentur mala dare; vt perperam cogantur accipere. Orphanis, viduisq. contra ſæuos impetus debent placida præſtare ſolatia;

ita tamen, ne (quod accidit) per nimiam pietatem, dum miſeris ſubuenire quæritis, locum legibus auferatis. Nam ſi aliquid offendit fortè diſtrictum, talia date cunctis monita, vt iura poſſitis reddere feriata.

Excludite, ſanctiſſimi, inter immundos ſpiritus implacabiles vitiorum furores, violentiam temperate, auaritiam depellite, furta remouete, depopulatricem humani generis luxuriam à veſtro populo ſegregate. Sic auctorem iniquitatis efficaciter vincitis, ſi eius perſuaſiones de humanis cordibus auferatis. Epiſcopus doceat, ne Iudex poſſit inuenire quod puniat. Adminiſtratio vobis innocentiæ data eſt. Nam ſi prædicatio veſtra non deſinat, neceſſe eſt vt peualis actio conquieſcat. Et ideo dignitatem meam in omni vobis parte commendo, quatenus actus noſtri ſanctorum orationibus adiuuentur, qui minus in humana poteſtate præſumimus. Familiariter etiam mihi ſuadete quod iuſtum eſt. Non ſolum calidus adiurator, quod generaliter debeo, incoactus exſoluo: rependo etiam ſanctitati veſtræ honorificæ ſalutationis officium, textumq. epiſtolæ affectuoſo fine concludo, vt in mente veſtra dulciora remaneant, quia benè ſibi animus poſteriora commendat.

Hactenus ad Epiſcopos Caſſiodorus; quibus quidem, quid ſeculi poteſtates, ipſi magiſtratus ſibi ipſis, quid populo, quid Epiſcopis, atque in primis diuino cultui debeant, quid etiam Epiſcopi ipſis magiſtratibus atque populis præſtare teneantur, edocet.

Ingentem planè hoc anno famem vexaſſe Vrbem, tùm recitatæ nuper epiſtolæ, tùm aliæ plures ad diuerſos ab eodem datæ ſignificant. Degens enim ipſe Rauennæ, vbi Rex erat, cum vices ſuas Ambroſio Romæ delegat, de eadem penuria dum agit, ſententiam ipſo Caſſiodoro dignam accipe: Procul enim ſit (inquit) vt aliquo eius Ciuitatis eſuriente, ſatiemur. Illorum indigentia, noſtra penuria eſt. Quid plura? læti eſſe non poſſumus, niſi & illos gaudentes communiter audiamus.] Extat etiam eiuſdem eo argumento, dum eadem fames vrgeret, ad Datium Mediolanenſem Epiſcopum hæc epiſtola:

Minus prodeſt bonum iubere, niſi hoc per viros ſanctiſſimos velimus efficere. Auget enim beneficium voluntas recta Iuſtorum, & quidquid ſine fraude geritur, hoc verè donantis meritis applicatur. Decet enim, vt munificentiam principalem ſacerdotalis puritas exequatur: nam cui eſt ſtudiū bonum de proprio facere, laudabiliter poteſt aliena vota complere. Et ideo Sanctitatem veſtram petimus (cuius propoſiti eſt diuinis inſeruire mandatis) vt de horreis Ticinenſibus, & Dertonenſibus panici ſpeciem (ſicut à Principe iuſſum eſt) tertiam portionem eſurienti populo ad vigintiquinque modios per ſolidum diſtrahi ſub noſtra ordinatione faciatis; ne cuiuſquam venalitate ad illos perueniat, qui ſe de populo videntur poſſe tranſfigere. Accipiat minus habens indulgentiam principalem. Egentibus viſum eſt, non diuitibus ſubuenire: fundit potius, qui mittit in plenum, nam illud potius reconditur, quod vaſis vacuis congregatur. *Lib. 12. ep. 27.*

Quapropter Sanctitas veſtra miſerationis officia non putet iniuriam, quia totum vobis dignum eſt, vbi pietas inuenitur; ſiquidem aliena deſideria fideliter gerere, hoc eſt bona propria perfeciſſe. Ad quam rem, Deo iuuante, procurandam, illum atque illum curauimus feſtinare, qui Sanctitatis veſtræ ordinationibus obſecuti, nihil ex ſe faciant, ſed tantummodo vobis obedire contendant. Solidi verò quanti ex ſupradicta quantitate panici po-

terunt congregari, veſtra nobis relatione declarate, vt apud Arcarium reconditi ad ſupramemoratam ſpeciem reparandam futuris referuentur, Deo auxiliante, temporibus more veſtis rediuiuæ, cuius adunatio per fila reſoluitur, vt in nouam faciem ſplendido potius decore texatur.] hæc Caſſiodorus ad Datium ſanctiſſimum Mediolanenſem Epiſcopum.

De ſubleuata inopia Caſſiodori edictum, quo Regis munificentia mirificè commendatur, qui Epiſcoporum arbitrio eſſe voluit pretium venalium rerum, quas hoſpites iter agentibus diſtraherent; huiusq. Præfecti Prætorij induſtria factum eſt, vt ab ingruente fame Italia ſeruaretur: quibus omnibus ſatis ſuperq. oſtenditur, quod vbi magiſtratus religione nituntur, cuncta fœliciter cedant. Cap. 436.

Caſſiod. variar. lib. 12 ep. 28. QVis neſciat prouidentiam diuinam vſibus noſtris aliqua velle ſubducere, vt humanum poſſit animum comprobare? Nam ſi nullum penitus indigere contingeret, locum proinde largitas non haberet. Data eſt prouincijs in Regis noſtri laude penuria. Steriles facti ſunt agri, vt vbertas Domini poſſit agnoſci. Minus eſſet acceptiſſimum donum, niſi præceſſiſſet incommodum. Gaudete prouinciæ, maliſq. veſtris potius gratiam referte, quando talem probatis animum Principis, vt nullis cedat aduerſis. En pietas mirabilis, quæ vbique noſtris repugnat incommodis. Nam cum ſe feritas gentilis prioris temporis animaſſet, Aemilia & Liguria noſtra, ſicut vos retinere neceſſe eſt, Burgundionum incurſione quateretur, gereretq. bellum de Ciuitate furtiuum, ſubito præſentis imperij tamquam ſolis ortus fama radiauit. Expugnatum ſe hoſtis ſua præſumptione congemuit, quando illum cognouit nominatæ gentis eſſe Rectorem, quem ſub militis nomine probauerat eſſe ſingularem. Quoties ſe optauit de ſuis finibus non exire Burgundio, ne principe noſtro pugnaret aduerſo? cuius licet præſentiam releuatus euaſerit, fœlicitatem tamen præcipitatus incurrit. Nam mox vt Gothi ad belli ſtudium gemina ſe fortitudine contulerunt, ita proſpera concertatione cæſa eſt rebellium manus, quaſi inde nudos, hinc ſtare contigiſſet armatos, diuini æquitate iudicij, vt in ipſis campis prædo corrueret, quos vaſtare præſumpſit. Exulta aduerſariorum cadaueribus ornata prouincia; aceruum ride funerum, quem inimicorum vitio conſtat effectum. Nunc melius culta Liguria, cui negato fructu ſegetis, meſſis prouenit hoſtilis. Nam & ſi tributa tua minus potuerunt accipi, triumphos in te natos fœliciter obtuliſti. His additur Alamannorum nuper fugata ſurreptio, quæ in primis conatibus ſuis ſic probatur oppreſſa, vt ſimul aduentum ſuum iunxiſſet & exitum, quaſi ſalutaris ferri execatione purgata, quatenus & malè præſumentium vindicaretur exceſſus, & ſubiectorum non omnino graſſaretur interitus. Poſſem quidem vobis dinumerare, quanta in alijs locis hoſtiū turba ceciderit, ſed more humani animi ad noſtra fœlicia feſtinantes, illud nos tantum dicere cupitis, quod ad vos ſpecialiter pertinere ſentitis. Redeamus ergo ad ſuaue principium, quando vos defendit à belli clade, nec inopiæ patitur pericula ſuſtinere. Nam qui pertulit hoſtem prouinciæ, & famem

ſamem iuſſit exire. O certamen toto orbe prædicandum, contra indigentiam ſæuam glorioſi Principis noſtri bella mundus potius admiretur. Ego tamen dicam, quod ſentio. In vſum eſt viris fortibus, fœliciter egiſſe pugnas. Sed ſupra humanitatem virtutem eſſe conſtat, viciſſe penuriam. Verum cum his tantis, ac talibus bonis nulla potuiſſent ſupplicum vota ſufficere, adhuc & dimidiam relaxare pertulit fiſcalis calculi functionem, ne triſtes in aliqua parte faceret, quibus tot fœlicia præſtitiſſet. Ioſeph legimus contra famem funeſtam, emendi quidem tritici dediſſe lætitiam, ſed tale poſuiſſe pretium, vt ſuæ ſubuectionis auidus, potius venderet alimonia mercaturus. Quale fuit, rogo, tunc miſeris viuere, quibus acerba ſubuentio libertatem ſuam videbatur adimere? vbi non minus ingemuit liberatus, quàm potuit flere captiuus. Credo virum ſanctum hac neceſſitate conſtrictum, vt & auaro Principi ſatisfaceret, & periclitanti populo ſubueniret. Pace tanti patris dixerim, quanto præſtantius eſt, libertate ſalua frumentum vendere, & propter indigentiam tributa laxare? Gratis conſtat iſta venalitas, quando & vnde ematis ceſſit, & pretium, quod vos oblectet, impoſuit. Vendit itaq. largitas publica vicenos quinos modios, dum poſſeſſor inuenire non poſſit, ad denos ordinem rerum ſeculi mutauit humanitas, nos iubemur vile diſtrahere, cum eſuriens paratus ſit carius comparare. O nouū prædicationis euentum! Affectum damni negociatio præuenit, & votum eſt vendenti magis perdere, vt quæſtum comparans valeat inuenire. Talia profectò Regem decet tractare commercia, talem conuenit nundinationem exercere pietatem, vt tunc minus acquieſcat accipere, quando emptor plurima præcipitatur offerre. Licet referre, qualis etiam nobis ſit dominantis affectus, quia & primo ceſſit, quantum ſufficere credit, & nunc iterum poſtulata geminauit. Verecundum vobis erat aliquid ſperare poſt dona, cum ſe adhuc beneficia principis reſeruaret humanitas, non audita deſpexit, quādo ipſe viſa teſtatus eſt. Fœlix illa calamitas, quæ prius miſerantem reperit teſtem, vt poſt diſtrictum Iudicem non haberet. Gaude igitur aſſuete iam bono Ligur, in vſu tuo ſecula venerunt: nam collatos tibi Aegyptios magna proſperitate viciſti. Euadis tempora neceſſitatis, & libertatis præmia non amittis; immo illo tempore ſecurus es ab hoſte redditus, quando & de famis periculo cognoſceris eſſe liberatus. Adhuc te prædictum ornat exēplum, adhuc eſt in qua parte ſuperetur. Legitur enim Ioſeph fratribus ſuis tantum ſaccis occulta pretia reddidiſſe. Quid mirum, ſi natura compellente proximis ſuis humanior viſus eſt extitiſſe? Hic autem cunctis largè vendidit, functionem debitam reliquit, & plus iſte generaliter contulit tributarijs, quàm ille ſolis viſus eſt præſtitiſſe germanis. Breuiter dicantur effuſa, hinc bona ſua diſcat vniuerſitas, quando non Regibus comparantur noſtra ſecula, ſed Prophetis. Sed ne diutius beneficiorum regalium cupidos occupemus, præcepta noſtra ad eos, quorum intereſt, manaſſe cognoſcite, vt ſecundum tenorem iuſſionis ad vos perueniat munificentia principis.

Italia ingenti fame vexatur: In Piceno præ inedia quinquaginta millia hominum interierunt. Paſſim vbiquè homines moriebantur. Duæ feminæ ſeptemdecim peregrinos interfecerunt, vt eorum carnibus diueſcerentur: Paſcebant herbas ſicut oues, & ſuper eas moriebantur. Superatum eſt ſcelus apud Iudæos patratum, vt plures matres, membra natorum comederent. S. Benedicti monaſterio Deus mirabiliter prouidit.

Cap. 437.

Procop. de bel. Got li. 2.

CHriſti Anno 539. qui quartus belli Gothici à Procopio ponitur inchoatus, dira fames vexauit Italiam, de qua iſta Auctor habet: Cum (inquit) iam ſe verterat annus, & meſſis tempus adeſſet, in campis frumentum ſua ſponte matureſcebat; non tamen quia prius id copia fuit, ſed longe minori, vt quod nec hominum manibus, nec boum labore ſatum, humoquè tectum fuiſſet, ſed temere in agri ſuperficiem iactum: vnde eius pars quædam terræ vi foța emerſerat; ipſum id tamen cum demeteret nemo, præ nimia ſui maturitate in terram iterato excidens renaſcebatur. Quæ res cum eundem in modum in Aemilia accidiſſet, eius regionis homines proprijs ſedibus ac bonis relictis in agrum Picænum profugerunt, haudquaquam exiſtimantes eius prouinciæ loca, quia maritima eſſent, eadem omnino rei frumentariæ inopia premi. Tuſcos præterea haud ſecus, ac pari de cauſa fames attigerat. Ex his tamen, qui montes incolerent, frumenti in modum è glandibus commolitis confectum panem edebant. Vnde vulgatis velut in pecua morbis, vti par erat, multi mortales capiebantur, & paucis ſuperſtitibus interibant. In Picentes autem tradunt non minus quinquaginta millia hominum præ inedia interijſſe, & longè plures extra Ionicum ſinum. Qua autem morbi ſpecie, & quemadmodum hi morerentur, mox explicabo.

Cum enim nihil ijs eſſet, quo veſcerentur, extenuati nimirum omnes pallentesq. reddebantur, caroq. vt cibo diutius carens in ſe ipſa retracta cohæſerat: fel item cum nimium abundaret, atque adeo corpora ipſa vi ſua oppreſſa iam infeciſſet, haudquaquam ſinebat ſuo è priſtino curſu in his venas defluere. Malo itaq. peruincente, nihil prorſus ſucci corporibus relinquebatur. Cutis præterea obdurata corio perſimilis erat, præ ſe maximè ferens, quod impacta oſſibus inhæſiſſet, liuore iam in nigredinem commutato: vnde & homines exuſtis facibus nihil abſimiles videbantur, eorumq. facies ſtupidior erat, toruuſquè furentis aſpectus. Mortem itaquè paſſim obibant, cibi partim inopia, nimia partim ſaturitate. Nam poſtquam in his fuerat calor omnis extinctus, quem natura introrſum excuſſerat, ſi quis fortè eos ad ſatietatem, & non paulatim cibaſſet (vt recèns nati lactari ſolent) cum ingeſtos minus digererent cibos, celerius longè moriebantur. Fuere, qui fame cogente, alterni ſe eſitarent: feminas enim duas fuiſſe tunc tradunt, quæ viros ſeptemdecim interfectos abſumpſerint: hæ namq. (vt ferunt) cum ſolæ & reſides domi, ceteris mortuis ſuperfuiſſent, diuertentibus ad ſe peregrinis, noctuq. dormitantibus interfectis

ſectis dineſcebantur; ſeptem itaq. & decem diuerſis temporum ſpatijs in cibum abſumptis, octauus ac decimus, qui ad has fortè diuerterat, ſomno tunc ſubito experrectus, cum in ſe eadem, quæ & in ceteros fecerant, molirentur, cognita primum facti ab his ratione, vtraſque obtruncat.

Sed eo iam alibi euaſerat famis neceſſitas, vt quicquid vbique herbarum eſſet, celerius nonnulli adirent, & genu in terram nixi, cum auellere has niterentur, deficientibus viribus (nam è corporibus vigor omnis abſceſſerat) porrectas ad herbas ſolo moribundi procumberent, inſepultiq. paſſim manerent, cum hos nemo humo contegeret: non enim erat qui ſepulturæ rationem haberet.] hactenus de fame Procopius, horum inſpector ac deplorator.

Porrò Miſcellæ auctor coniungit famem hanc cum ea, quam Vrbs paſſa eſt, dum obſideretur: ſed quàm atrox iſta fuerit, teſtificatione ſancti Dacij Mediolanenſis Epiſcopi ita paucis deſcribit: Tanta ſiqnidem per vniuerſum mundum eo anno, maximèq. apud Liguriam fames excreuerat, vt, (ſicut vir beatiſſimus Dacius Mediolanenſis Antiſtes retulit) pleræq. Matres infœlicium natorum comederent membra. Hæc ipſe, quæ quidem perperam ponit ſub anno decimo quinto Imperatoris: ſicut & errare conuincitur Cedrenus, qui eandem ſub anno nono recenſet: nam quantum ex Procopio, qui præſens fuit, inſpicere licet, ad tertium decimum hæc ſunt annum referenda. Sed non defuit tunc Dei ſeruis annona.

Tunc enim accidiſſe videtur mirandum illud, quod S. Gregorius de ſancto Benedicto narrat his verbis: Alio quoque tempore in eadem Campaniæ regione fames increbuerat, magnaq. omnes alimentorum indigentia coanguſtabat: Iamq. in Benedicti monaſterio triticum deerat: panes verò penè omnes conſumpti fuerant, vt non plus quàm quinque ad refectionis horam fratribus inueniri potuiſſent. Cumque eos venerabilis Pater contriſtatos cerneret, eorum puſillanimitatem ſtuduit modeſta increpatione corrigere, & rurſum promiſſione ſubleuare, dicens: Quare panis inopia veſter animus contriſtatur? Hodie quidem minus eſt, ſed die craſtina abundanter habebitis. *Greg. Dial. lib. 2. c. 21.*

Sequenti autem die ducenti farinæ modij ante fores cellæ in ſaccis inuenti ſunt, quos omnipotens Deus quibus deferentibus tranſmiſiſſet, nunc vſque manet incognitum. Quod cum fratres cernerent, Domino gratias referentes, didicerunt iam de abundantia nec in egeſtate dubitare.] hæc Gregorius.

Miſſus eſt à Deo Totila ad Vrbem flagellandam, non ſolum ferro, ſed fame validiſſima, vt Romani deficiente farina, veſcerentur furfure; deficiente furfure, ederent de mortuorum animalium carnibus; & ijs abſumptis conuerterent ſe ad vrticas edendas, quidamq. purgamentis in cibum, & ſtercoribus vterentur, quidam autem ſibi manus inferrent, & quidam pater coram filijs fameſcentibus ſe in Tyberim præcipitaret, & milites Iſauri fame confecti Vrbem Gothis tradiderint; Beſſaq. domus plena auro, & ſpolijs, quæ ex vendito clam frumento, & fraudatis militibus lucratus fuerat, præda Gothorum ceſſit. Cap. 438.

CVm obſeſſa Roma à Totila, graui premeretur inedia, ad eam leuandā incubuit opera Pelagij Diaconi Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, cuius res geſtas cum Totila ipſo anno duodecimo belli Gothici, ſimul & cladem Vrbis ſic idem deſcribit Procopius: Erat (inquit) tunc fortè inter Romanos & ſacros viros Pelagius quidam Diaconus, qui diu Byzantij commoratus, maximam ſibi cum Imperatore conciliauerat amicitiam. Vnde & pecuniarum vi maxima circumfultus, Romam ſe paulò antequam obſideretur, contulerat. In eaq. deinde obſidione neceſſarijs indigentibus eius pecuniæ partem largiter impartitus, cum vel antehac eſſet inter Italos omnes vir probus, maiorem (vti par erat) charitatis, & in proximos quoque beneuolentiæ gloriam retulit. Huic igitur, cum præ fame indigna quædam Romani, & difficillima paterentur, facile ſuadent, conuentum vt Totilam precaretur, paucorum ſibi dierum inducias his conditionibus daret, vt ſi intra conſtitutum inter ſe tempus nemo ſibi ſuppetias ex Byzantio venerit, ſine mora, ſe ipſi Vrbemq. Barbaris proderent. His cum mandatis vbi ad Totilam Pelagius venit, & ab eo eſt perbenignè ſuſceptus, prior Totilas ſic exorſus eſt:

Procop. de bel. Got. li. 3.

Conſtat ſanè apud Barbaros omnes, id lege cautum eſſe, oratores vt hi plurimum colant & reuereantur. Mihi verò, qui virtutis ſibi aliquid compararunt, qualis es tu, honorem deferre ſimul & reuerentiam iam pridem ſtudium fuit. Sed oratoribus delatos honores, ſiue illatam his ignominiam, non perſonarum manſuetudine, ſinè verborum tumiditate & elegantia decerni reor, ſed cum vera quædam fatentur, vel non ſanis admodum verbis vtuntur. Oratori illi itaquè honor deferri maximè ſolet, qui veritate mox patefacta, ad ſuos dimittitur; ſed is ignominia præ ceteris affici, qui vbi commentitia quædam & ſubdola fecerit verba, ad ſuos mox redeat. Cetera quidem Pelagi, quæ à nobis petieris, facilè conſequeris, tribus dumtaxat exceptis, & vbi hæc caueris, vt planè ſubijcias magis expediet, ne fortè maximam ipſe cauſam præbeas, quominus eorum vel peragas, quorum ob gratiam huc adueniſti, vel nos fortè ex re infecta incuſes. Petere namq. quæ præſentibus haudquaquam rebus conueniant, plurimum proculdubio facit, nemo pro votis, vt quippiam conſequatur.

His autem ſic interdico, ne quoquam pacto pro Siculis, vel Vrbis mœnibus hiſce, vel transfugis ſeruis verba nunc facias, quandoquidem fieri non poteſt,

poteſt, vt aut Gothorum opera vti pro Siculis queas, aut murus vt iſte Vrbis integer maneat, vel ſerui ipſi, qui nobiſcum nunc militant, ſuis quondã de cetero dominis ſeruiant. Verum ne videantur hæc inconſiderata quadam per nos prætendi ſententia, & cauſas ipſas explicaturi mox ſumus. Fuit olim Sicilia inſula, & priſcis quidem temporibus pecuniarum, vt fęlix prouentu, ita & cuinſuis generis frugnm iu ea naſcentium ceteris terris fœcunditate præſtantior; atqne vt non ſolum hæc incolis ſuppetant, ſed vel vobis Romanis itidem ad vitam ſint neceſſaria per annos ſingnlos exportantibus ſatis. Vnde tunc primum Romani Theòdoricum deprecabantur, ne ea in Inſula maius aliqnod Gothorum præſidium collocaret, ne ea res fortè ad ceteras proſperitates eorum libertatem interpellaret. His ita peractis, hoſtium exercitus in Siciliam nauiganit, qui fermè nec hominnm multitudine, nec re alia vlla nobis eſſent in bello pares. Siculi verò, viſa hoſtinm claſſe, non ad Gothos quicquam denunciare, nec ſe continere munitionibus, nec hoſtibus ſaltem cenſere vtcunque occurſandum tunc eſſe, ſed promptiſſimè patefactis tunc Vrbium portis, ſupinis hoſtium exercitum manibns exceperũt; & haud ſecus egere, ac inſidiſſima ſeruitia ſolét, quę diutius in carcere aſſeruata, dum dominorũ volunt manus effugere, in nouos quoſdam & alienigenas ſtatim incidunt. Ea itaq. ex Inſula hoſtes, vt è loco munito impetu facto, omni Italiæ ora ſine vllo potiti negotio ſunt; quinetiam vel Vrbem hanc Romam cepere, ac tantum inde frumenti numerum importarunt, vt vel obſeſſi in anni ſpatium queant Romanis obſiſtere. De Siculis hactenus, quibus per Gothos vt venia detur, fieri uullo modo iam poterit, criminum magnitudine miſericordiam ab his adimente, qui affecti iniuria ſunt.

Nunc verò iutra hos muros hoſtes ſe exercendo, in campum quidem deſcendere, & nobiſcnm acie decertare minimè cenſent, dolis verò & deceptiunculis continenter, & per ſingulos dies nos oppugnando, iniuſtè quidem noſtris his rebus, & planè abſnrdius nuuc potiuntur. Ne itaq. iterato hæc eadem patiamnr, prouidendum iam dncimus. Qni enim præ ignorantia ſemel circumuenti fallnutur, ſi rurſus iu inſortunium recidaut, quia minus periclitando præuideant conſuetam ſibi calamitatem, haudquaqnam ex aduerſante fortuna id fieri videbitur, ſed quia ſe deliquiſſe planè ignorent: vel illud quidem adiecerit quiſpiam, & vobis omnibus maximè profuturum, vt Vrbis hæc mœnia ſolo æquentur, ne cum alijs & ipſi demum coerciti, vel ab inſultantibus hoſtibus circumuallati, ſed malis excluſi alieno periculo, nec vllo veſtro diſcrimine victoribus futuri ſitis in præmium. De ſeruis verò, qui vltrò ad nos conceſſerunt, dicturi hæc ſumus. Si enim qui uobiſcum fuere in hoſtem inſtructi, & à uobis deinde fidem noſtra ex confeſſione acceperunt, ne ſe vnquam veteribus dominis vtcumque reſtituant, veſtras in manus dedendos eſſe nuuc cenſuerimus, profectò nec vobis quidem traditam fidem ſeruaturi quandoq. eſſemus. Non enim, qui vel cùm omuibus miſerrimis pactiones factas neglexerit, erga alium quempiam firmiorem præſeferre animum quiuerit; quiu potius veluti abſurdioris naturæ indiciũ, ad omnes, qui ſecum verſantur, circumferre perfidiam videtur. hæc Totilas.

Pelagius vero ita reſpoudit: Summum tibi, vir ſtrenuè, in dicendo ſtudium fuit, me ſimul, & oratoris nomen extollere, etſi aliàs in ſordidiſ-

ſima ſtatuiſti nos ſorte. Virum namq. amicum, & oratorem non ſolum eum affeciſſe contumelia duxerim, qui vel caput illi percuſſerit, vel alio quouis in hunc deſæuiat modo, ſed vel qui re infecta dimiſerit ad ſe delegatum. Non enim homines oratoris munere idcirco funguntur, vt honorem ab his conſequantur, qui ſuſcepturi ſe ſint, ſed quod vſui Reipublicæ in poſterum ſit, peragendo, ad eos qui ſe legauerint, mox redeant. Sic igitur velut affectis iniuria longe magis conducat eorum aliquid effeciſſe, quorum ob cauſam venerint, quàm Principum verbis benignioribus auditis, nihil pro ſpe conſecutos ad ſuos redire. Deprecor autem, haud quaquam ſat ſcirem, quæcunquè præfatus nunc es. Cur enim quiſquam ei moleſtũ ſe præbeat, qui antequam poſtulatis reſpondeat, conuentiones facturum ſe neget? Sed illud quidem minime ſubticebo, quod præ te facile feras, quantum erga Romanos, qui in te arma ſuſceperint, oſtenſurus benignitatis, & beneuolentiæ ſis, qui in Siculos nil tibi aduerſatos immortale quoddam decernas effundere odium. Sed ipſe, mea ad te omiſſa legatione, ad Deum hanc transferam, qui ſupplicum contemptores odiſſe ſolet. His Pelagius dictis, abſceſſit.

Quem Romani, vbi re infecta ad ſe redeuntem videre, eo acrius animo conflictari, quo & fames quotidie inualeſcendo, inſanabiliter eos afficeret. Militibus vero nondum neceſſaria deerant, ſed ſe adhuc ſuſtinebant. Vnde Romani Græcis immixti, exercituum Præfectos Beſſam, & Canonem adeuntes, lachrymabundi, & multo cum gemitu profati huiuſmodi ſunt: Talem vobis præſentem eſſe fortunam ſpectamus, vt ſi vel impium aliquod aduerſum vos facinus patraſſemus, haud quaquam poſſet id merito nobis in crimen aſcribi: neceſſitatis ſiquidem magnitudo excuſationis in ſe plurimum habet. Nunc vero cum nobis ipſis ad opitulandum nil quicquam ſit virium, verbis oſtenſuri calamitatem ipſam, hanc deploratum nunc ad vos venimus. Sed benignè quæ dicturi nos ſumus audiatis, precamur; nec vlla dicendi audacia obturbari vos volumus, ſed malorum ex ea penſitare nunc magnitudinem. Nam qui de ſalute cogitur deſperare, nec opere quidem, nec verbis decorum ſeruare de cetero poterit. Nos vero, ò Principes, nec Romanos quidem, nec vobis conſanguineos ducitis, nec eorumdem, vel morum, vel legum ſocios eſſe, ſed perinde rebelles, & qui Imperatoris non vltrò intra Vrbem exercitum exceperimus, ſed hoſtes potius ipſos, in vos armis deſumptis. Nunc vero veluti acie victis, captiſq. bello, vobis in ſeruitutem ex lege cedentibus, date veſtris mancipijs alimenta, non ad neceſſitudinem ſuffectura, ſed quæ ad tenuem ſaltem vitam ducendam ſint ſatis: vt & nos ſuperſtites facti, vobis contra ſubminiſtremus, quæcunquè Dominis ſerui par eſt vt miniſtrent. Quod ſi id vobis non facile placet, ſed dignum duxeritis, ſine vlla ope miſſos nos facere, id lucri eſtis deniquè habituri, quod in ſeruorum nihil operæ inſudabitis ſepulturam. Et ſi ne id quidem de vobis ſperandum relinquitur, ſaltem nos obtruncate, nec morte honeſta nunc fraudetis, nec vitæ exitium nobis inuideatis omnium proculdubio ſuauiſſimum, ſed vno facinore Romanos infinitis liberate difficultatibus.] hactenus ad Præfectos militum Romani. Pergit vero Procopius.

Præfecti itaq. his auditis, commeatus Romanis quos tribuant, nullos in præ-

præſentia eſſe reſpondent: ipſos vero necare, impium ducere, nec planè ſine diſcrimine fore, ſi ſic relinquuntur: Beliſarium tamen, & ex Byzantio tranſmiſſos exercitus identidem affirmare affuturos propediem eſſe. Deniquè his verbis Romanos ſolati dimittunt. Fames interea inualeſcendo in immenſum cum accreuiſſet, maximum in malum euaſit, vt quæ ciborum abſurdiora quædã ſuggereret genera, & naturæ excedẽtia terminos. Sed Beſſas, Canonq. vt Vrbis Præfecti cuſtodiæ frumenti maximum numerum intra mœnia ſibi reconditum, ſua neceſſitate militibus fraudatis, Romanorum primoribus, & his quidem diuitibus ingenti pecunia venditabant: medimni ſiquidem (quod vtique menſuræ eſt genus) auri ſeptem pretium erat. Sed quibus non erant tantæ domeſticæ facultates, cibos tàm delicatos vt poſſent, & tanti opulentiorum more abſumere, eius pretij parte quarta depenſa, furfure medimnum complentes, pane inde ſordidiore confecto diueſcebantur, id cibi genus neceſſitate ipſa ſuauiſſimum faciente.

Beſſas porrò, & eius armigeri, qui bouem haberent venalem, aureis quinquaginta vendebant. Ex Romanis vero cui vel equus forte obijſſet, vel iſtiuſmodi aliquid demortuum erat, & putidum, inter feliciſſimos habebantur, quia mortui animalis carnibus veſci poſſet. Cetera hominum turba vrticas dumtaxat edebat, quales circa Vrbis pomarium, & locis incultioribus paſſim, & affatim naſcuntur, quas tamen decoctas, ne vel ſapore, vel innatis offenderentur aculeis, eſitabat. Quandiu itaq. fuit Romanis nummus, frumentum (vt dictum eſt) & furfures comedebant: verum vbi demum is defuit, domeſticam ſupellectilem omnem in forum inferre, & pro diurno hanc victu in eorum commutare iacturam; ſed vbi frumenti militibus nil reliquum fuit, quod impertiri Romanis poſſent, ad vrticas vniuerſi iam circumſpicere, quibus deficientibus, cum earum non magna his copia eſſet, atquè adeo ad ſaturitatem non omnes haberent, corpore extenuari deniquè cæperunt, colorq. cum in pallorem ſe paulatim, & liuorẽ conuertiſſet, ſimillimi Idolis videbantur, pleriq; vero, vel incedentes, vel dentibus adhuc ipſis vrticas mandentibus de improuiſo exanimati cadebãt.

Iamq. vel purgamentis in cibum, & ſtercoribus vtebantur: nonnulli etiã fame nimia prægrauati manus ſibimet inferebant, cum nec canes quidem, nec mures de cetero inuenirent, nec aliud vſquam demortuum animal, quibus vti in cibũ poſſent. Erat inter ceteros Romanos vir quidam liberorum quinque factus iam Pater: hunc filij omnes circumſiſtebant, præhenſandoq. vt aſſolent, cibum ſibi effagitabant. Tum ille nec ingemiſcens quidem, nec vllo edito perturbationis indicio, ſed fortiſſime dolore diſſimulato filios iuſſit ſe ſubſequi, & cibum mox accepturos. Vbi vero ſupra Tyberis pontem peruenit, capite obuoluto, velatiſq. oculis, in Tyberis aquas confeſtim exiliuit, ſpectantibus filijs, Romaniſq. ceteris, qui ea tunc forte è regione conſtiterant.]

Eoquè proceſſit dira illa fames, vt milites ipſos coegerit ad Vrbem prodendam Gothis. Gothi autem Vrbe potiti optima quæquè rapuere: ſed illud inter cetera tunc actum eſt, diuino quidem, iuſtoquè iudicio, vt Gothi ingrederentur domum Beſſæ, vt qui omnium vel perditiſſimus homo infauſtum illud diuenditi frumenti pretium Gothis ad ceteram prædam accumulaſſet.

Omnes

Omnes autem populi ex duriſſimis iſtis caſibus erudiri debent, vt Deum peccatis ad flagella non prouocent;& ſi prouocauerint pœnitentia,& emendatione morum iram eius mulceant, ne ſub flagellis pereant.

Fridericus Imp. volens Romanum Pontificem è ſede deijcere, dolo, & fallacia Pontificem, & Galliæ Regem in maximas redigit anguſtias: ſed vindicator Deus, Friderici exercitum tanta fame vexauit, vt ipſum, & exercitũ eius ad propria redire compulerit.
Cap. 439.

Acta Alex. III. ex Bibliot. Vat. à Baro. an. 1162.

FRidericus videns totum mundum poſt Alexandrum Pontificem currere, Orthodoxos Reges, & Principes Orbis ei tanquam Romano Pontifici honorem, & reuerentiam exhibere, erubeſcebat in ſe ipſo, & propria eum accuſante conſcientia, confundebatur, & terrebatur. Verecundabatur autem ab incæpto malo deſiſtere, quia præ ceteris ſuis anteceſſoribus fortis, ac potentiſſimus erat, & fere iam totam Italiam ſibi ſubiugauerat. Ex altera vero parte dubitabat plurimum, ac timebat de amiſſione Imperialis Curiæ, ſi Dominus Alexander Papa ſuis temporibus prçualeret. Poſitus ergo in tantæ ambiguitatis lubrico, apud ſe cogitauit, ſicut homo huius ſeculi prudentiſſimus, ſagax, & callidus, qualiter poſſet Alexandrum, & idolum ſuum Victorem iudicio vniuerſalis Eccleſiæ pariter deijcere, & perſonam tertiam in Romanum Pontificem ordinare. Et quoniam vnicuique proprium eſſe ſolet, vt qualis ipſe fuerit, tales ſibi coniungere velit, adſciuit comitem Henricum Treienſem, de quo maximè confidebat, & reuelans ei cogitatus ſuos, traxit ipſum ad ſuam voluntatem, & coadiutorem, & cooperatorem ſuæ deliberationis fecit. Comes autem taliter ab Imperatore inſtructus, & taliter informatus, ad propria redijt, & accedens ſicut tentator ad Dominum ſuum Regem Francorum, virum ſiquidem pium, & columbinæ ſimplicitatis, fraudulenter ſuggeſſit ei ex parte ipſius Imperatoris bonum ſimulatum de reformanda pace Romanæ Eccleſiæ, in hæc verba:

Vult Imperator inſtructus contemplatione diuini amoris hoc bonũ opus vobiſcum hoc modo agere, vt vos duo maiores Principes Orbis conueniatis in vnum apud Aueniouem, in confinio Regni veſtri, & Imperij ſui, cum maioribus perſonis tàm Clericis, quàm laicis Imperij & Regni veſtri. Et ipſe quidem adducet ſecum Octauianum cum ſequacibus ſuis, & vos Alexandrum cum ſuis nihilominus habeatis. Poſtquam verò vos duo cum vtraque parte in præſentia tantorum virorum conueneritis, & electio vtraque diligenter audita fuerit, per illic congregatam Eccleſiam Gallicanam, Italicam, & Theutonicam, decernatur de vtroque quod melius, & vtilius videbitur ſtatuendum & ordinandum.

Et quoniam bonus viſus eſt ſermo iſte de reformanda pace Eccleſiæ prædicto Regi, ſicut vero Iſraelitæ, in quo non eſt dolus, quoniam ab ipſa diſcordia mala plurima per omnes Eccleſias pullulabant, in bona ſimplicitate ſua conſenſit perſuaſionibus ipſius Comitis, promittens ei, vt ex parte ſua Imperatori ſecuritatem præſtaret ſuper ijs, quæ ſibi ſuggeſſerat. Cum igi-

tur

tur hæc à Domino Rege Comes impetraſſet, illicò redit ad Imperatorem in Lombardia exiſtentem, & fecit ei iuramentum ex parte Regis, ſicut dictū eſt ſuperius. Exijt ergo malus ſermo per vniuerſas Italiæ Ciuitates, dolentibus Catholicis, & timentibus in facto ipſo, niſi Dominus conſilium ipſum præmeditatum aduerſus antiquam Eccleſiæ libertatem infatuaret. Appropinquante autem ſtatuta die, cum vniuerſa multitudine Principum ſuorum, & militum armatorum Imperator Fridericus acceſſit ad locum, & Octauianus cum ſchola complicum ſuorum ſecutus eſt eum quoque: Rex Frācorum cum Primatibus, Epiſcopis, atque Baronibus ſuis ad eundem locum nihilominus feſtinabat, & Alexandrum Pontificem apud Saluianum habuit obuiā, in quo loco ſe inuicem honorantes, vt ſimul ad colloquium ipſum proficiſcerentur, per biduum tractauerunt.

Sed quoniam omnino videbatur indignum, & ſanctorum Patrum ſtatutis contrarium, vt ſanctiſſimus Pontifex, & prima ſedes aliquod deberet humanum ſubire iudicium, viſum eſt omnibus, vt de melioribus Eccleſiæ Romanæ mitterentur illuc ea tantummodo cauſa, vt per omnes electio Domini Alexandri canonica monſtraretur, & electionem Octauiani tamquam poſteriorem, nullius fuiſſe momenti nihilominus probaretur. Miſſi ſunt ergo à Pontifice Romano A . . . . Portuenſis Epiſcopus, N . . . tituli ſanctæ Crucis, I . . . . ſanctæ Anaſtaſiæ, & I . . . . ſanctæ Mariæ in Coſmedin, & R . . . . ſancti Theodori Diaconi Cardinales cum Rege ad ſupradictum locum. Et illis abeuntibus, Pontifex cum reliquis fratribus Aquitaniæ ad monaſterium Dolenſe deuenit. Rex autem comitatus à principalibus perſonis ſuis, poſtquam peruenit apud Diuionem, proceſſit vſque ad montem Saonis, qui Theutonicos à Francigenis dirimebat, expectans, quid ſibi de cauſa ipſa Imperator vellet proponere.

Tunc hæreſiarca Octauianus videns Eccleſiæ Romanæ perſonas cum Eccleſia Gallicana contra opinionem ſuam veniſſe, & aduerſum ſe conſtantiſſimè ſtare, valde perterritus eſt, & de facto ſuo cæpit penitus deſperare. Quocirca vertens ſe ad Imperatorem, dixit ei: Ille aduerſarius meus dedignatus eſt huc venire, & tu cauſam meam, quæ in conſpectu tuo iudicata eſt in Concilio Papienſi, & approbata, permittis iterum iudicari, & pertractari? Tunc Imperator attendens verba ipſius Octauiani, valdè turbatus eſt viſus, & aduerſus Regem Francorum loquens, ei per internuncios in hæc verba prorupit: Ecce videris me iam decepiſſe, & contra iuramentum conuentionis manifeſtè veniſſe, cum illum Papam, ſicut promiſiſti, in hunc locum non adduxiſti.

Cui Rex habito cum ſuis conſilio, in hunc modum reſpondit: Quamuis abſentiam Pontificis iuſtè ac rationabiliter valeamus excuſare; ne tamen honori commiſſi mihi Regni, aut famæ aliquo modo derogetur, & ne fallaciæ notam iuſtè, vel iniuſtè poſſim incurrere, Ego abſque mora ipſum Pontificem cum ſuis fratribus abſquè dolo, & fraude ad hūc lodum vocabo, & adeſſe faciam. Miſit itaquè Rex citiſſimè, ſicut promiſerat, Nuntios ad Alexandrum, vt cum ſuis fratribus ſine mora ad eum veniret, niſi vellet eum in captione Imperatoris, prout inter eos conſtitutum fuerat, detineri.

Quo audito, Pontifex, & fratres eius attendentes Regem Francorum doloſis circumuentionibus fuiſſe deceptum, valde in ſe ipſis turbati ſunt; & pro-

& proſpicientes grauiſſima ſibi vndiquè imminere pericula, magno timore timuerunt. Si enim illuc, humanum iudicium ſubituri, pergerent, Eccleſiæ libertatem per violentiam periclitari cernebant; quod ſi non irent: pro detentione Regis circa iuſiurandum,& conuentionem,quam cum Imperatore fecerat, perſonarum eis, & rerum immineret ſpoliatio. Videbatur ſanè maxima ipſius Imperatoris potentia, terribilis, & nimium formidanda, quippe qui Daciæ, & Bohemiæ Reges cum Ducibus, & Principibus ſuis, & cum magna multitudine armatorum militum, ſicut credebatur, illuc ſecum adduxerat, & de prædicto Pontifice, & de Francorum Rege malè iam diu cogitauerat, vt ipſo colloquio poſſet iuxta ſuum deſiderium conſumere.

Sed pius, & miſericors Dominus, qui non derelinquit ſperantes in ſe, & praua diſſipat conſilia Principum, non eſt paſſus eundem Pontificem, & pium Regem Francorum in anguſtia maxima poſitos tentari ſupra id, quod poſſent, ſed ex inſperato fecit cum tentatione prouentum. Excitauit ſpiritum glorioſi Regis Anglorum, vt in ſubuentionem Domini ſui, & Francorum Regis cum maxima multitudine virilium pugnatorum aduerſus eundem Imperatorem animoſitate nimia feſtinaret. Immiſit etiam Deus tantum famis cruciatum in exercitum illis, vt pro nimia ciborum penuria vnus panis modicus ab eſurientibus emeretur pretio vnius marchæ argenti. Vnde quia ipſe Imperator, nec moram ibidem facere, nec malum, quod in corde geſtabat, poterat exercere, occaſionem recedendi ab ipſo honeſtiorem, quam potuit, celeriter ſtuduit inuenire. Igitur per Raiualdum Cancellarium, & alios fautores ſuos egregio Regi Francorum locutus eſt in hæc verba: Mandat vobis Dominus noſter Fridericus Imperator Romanorum, & ſpecialis Romanæ Eccleſiæ aduocatus, quod ad nullos Eccleſiarum Prælatos de cauſa electionis Romani Pontificis iudicium facere pertinet, niſi eos tantum, qui ſub Romano Imperio exiſtunt: ideoq. bonum videtur, & iuſtum, vt cum Epiſcopis, & Clero veſtro ad eundem Imperatorem tanquam amicum, & ſocium accedere, & illius ſententiam audire debeatis.

Quibus verbis auditis Rex modicum ſubridens, reſpondit ei in hunc modum: Miror prudentem virum vana mihi, & fabuloſa verba miſiſſe. An ignorat prædictus Imperator, quod Dominus noſter IESVS Chriſtus,cum eſſet in terris, B. Petro, & per eum vniuerſis ſucceſſoribus eius oues ſuas paſcendas cõmiſit? Nonnè audiuit in Euãgelio ab eodem Dei filio eidem Principi Apoſtolorum dictum: Simon, diligis me? paſce oues meas. Nunquid ſunt hi Francorum Reges, vel aliqui Prælati excepti? An Epiſcopi Regni mei non ſunt de ouibus, quas filius Dei B. Petro commiſit? Et his dictis, vertit habenas equorum cum contemptu, & ſtatim ad arma cum Baronibus, & reliqua militia ſua conſurgens, debiliora Regni ſui loca muniuit, & tamquam vir prudens, & fortis ad ſedem ſuam cum gloria remeauit, propitiante Domino. Fratres verò, Cardinales ſcilicet, qui miſſi fuerunt à Pontifice, ad ipſius præſentiam cum gaudio remeantes, narrauerunt omnia, quæ ad honorem Dei, ex colloquio & induſtria glorioſi Regis Orthodoxi facta fuerant. Vnde, & exultantes gratias egerunt Domino Noſtro IESV Chriſto, qui cum eis miſericordiam fecerat, & eos de manibus tàm potentis hoſtis liberare dignatus fuerat. Imperator autem remanens in erubeſcẽtia ſua

confuſus, coactus eſt multa famis inedia exercitum ad propria remittere: & ipſe ad Regnum Teutonicorum, non ſine magna triſtitia remeauit.

Quidam pauper fame laborans petebat triticum à diuite duro, lachrymas pro pecunijs offerens: poſt autem terribili prodigio diuitis copia, pauperum inopiam ſubleuauit. *Cap.* 440.

CAſtigabat Deus Cypri Inſulam pluuiæ egeſtate, & granis premebat ſiccitas, & ſiccitatem quidem conſequebatur fames: famem autem peſtis. Et populi quidem magna pars iam interierat: altera vero id mox credebatur paſſura. Opus autem habebat illud malum omnino aliquo Elia, aut alio illi ſimili, qui cælum aperiret oratione. His vero erat Spyridon. Nam cum plaga grauiter vrgeret, & populum valde perſequeretur, ipſe pro grege magnum capiens angorem, & paternis inflammatus viſceribus, rogat quidem, vt clemens Deum clementem. Ille autem ſtatim implet cælum nubibus ex extremo terræ: & quod eſt mirabile, ne aliquem motum elementorum exiſtimaret conſequi pluuiam, Deus eas procul oſtendit. Siſtit autem, non prius permittens eas aſcendere Inſulam, quàm Sanctus eum rurſus oraret. Nondum enim ille guttam emiſerat lachrymarum, & protinus multa erupit pluuia, & pingueſcit quidem terra, aluntur autem fructus, & creſcunt ſegetes, & omnia ſimul mala ſoluuntur. In hoc Spyridon fuit ipſo Elia, vt aliquid dicam audacter, benignior. Nam Elias quidem, cum pluuiam retinuiſſet, deinde rurſus remiſit. Ille vero primum non imitatus, ei par in ſecundo. Et hoc quidem eſt eiuſmodi. Alterum autem eſt illo nihilò inferius. *In vit. S. Spyri. apud Lyppoman. tom. 5.*

Affligebat rurſus communis calamitas, & fructum non ferebat Inſula. Frumentarij autem, & frumenti cauponatores, in tantis Dei minis volentes frui delitijs, & tempore callide, & malitioſe vtentes, magis augebant calamitatem, frumenti, vt dicit ſcriptura, trahentes, & augentes pretium: & è propinquorum malis impium ſibi lucrum parantes. Ad vnum ergo horum diuitum cum quidam pauper acceſſiſſet, & pecunias quidem non haberet quibus emeret, quæ erant ſibi ad vſum neceſſaria, lachrymas autem, quas, proh dolor, habebat, exolueret, & flebiles voces miſerabili habitu, & obtutu emitteret, illum inflexibilem conabatur flectere, pedes prenſans, totam domum complens eiulatu. Quid non faciens? Quid non dicens, quod poſſet attrahere ad miſericordiam? Poſtquam autem nihil horum omnino lapideam illam animam mouit ad miſerationem, vnum refugium inuenit pauper, nempe ſanctum. Ad quem cum acceſſiſſet, & ſuam inopiam, & ſummam diuitis refert egeſtatem miſericordiæ. Cum is autem hoc audiſſet, miſertus quidem eſt calamitatis: diuitis vero odio habuit immanitatem: & veluti à Deo afflatus, prædixit in primis prophetıcè: Tu autem nec gemas, nec lachrymeris: Tua enim domus cras abundabit bonis, qui autem nunc eſt diues, ſimul erit & miſerabilis, & irridebitur, & inuitus tibi cedet ijs, quibus eges, promptoq. & alacri animo rogabit, vt accipias. Hæc pauper putabat ſanctum quidem ſolum dicere, ad conſolandam qua præmebatur calamitatem. vnde etiam abibat triſtis, vt qui ſacram ancoram, *Amos 5.*

nempè eam quam in magno Spyridone ſpem habebat, inueniſſet inanem, & irritam.

Cum nox autem iam aduentaſſet, Deus quidé annuit. Repente vero cælum aquam effundit in terram, tanta copia, & tanto impetu, vt diuitis vna atraherentur horrea, frumentum autem, & omnis alius fructus ſparſim eijceretur, & iaceret proiectus ad rapiendū volentibus. Orto autem die diues quidem miſer, & luctu plenus, & huc, & illuc circumcurſans, & iuſtam deflens calamitatem, rogabat eos, qui accedebant, vt ſibi opem ferrent ad fructus colligendos. Cum multi vero, vtpote eſurientes ad rapiendum concurriſſent, accedit etiam ille pauper, miraculo quidem obſtupefactus, pauper autem irridens ſuauiſſime, & meritiſſime: & domum replens fructibus, & omnia nullo negotio habens, vt dicitur, nec ſeminata, nec arata. Deinde cum confluentem videret multitudinem ſæuus ille, & immiſericors, oportebat enim nihil manere imperfectum eorum quæ prædicta fuerant à Spyridone, & res omnes illius ſecure ambabus haurire manibus, & eum quoque, qui heri fuerat ſupplex, vnà cum reliquo populo, abunde ſicut diximus, frui ijs quæ iacebant, perinde, ac ei ſua ſponte dare volens, liberaliſq. eſſe, & munificus, qui ſordidiſſimus erat, & parciſſimus, iubebat eum ad ſatietatem accipere ex ijs quæ aderant. Ille autem ſatis irriſa eius ignorantia, domum eſt reuerſus, Deo præcipue, deinde etiam Spyridoni id accepto ferens. Sic ſciebat Spyridon, non ſolum propter multos, ſed etiam propter vnum, ſuper nos ſæpe aperire fontes, & ſimul quidem prædicere tempus, quo hoc eſſet futurum: ſimul autem pauperibus quoque prodeſſe, & caſtigare diuites. Nam etſi parcus ille nihilo melior euaſit, vt iam dicetur, multis tamen ſimilis fuit occaſio, vt emendarentur. Hæc quis ex præſentibus non libenter audijt? Quis autem cum audiuiſſet, non fuit alia quoque audiendi auidior, & cupit ſcire? quiſnam erat adeò ignauus, aut inuidus, vt ſitientem animam tali priuaret alimento?

De Paula Romana, quæ lucidiſſimum feminarū, virorumq. exemplar extitit, vt diuitiarum ſuarum exinanitione, fame, & neceſſitate rerum laborantes ardenti fide, & magnanimitate reficeret. Cap. 441.

S. Hieron. in Epitaph. Paulæ ep. 17.

DE Paula Romana ſanctiſſima vidua hæc ſcribit D. Hieron. Quid memorem amplæ, & nobilis Domus, & quondam opulentiſſimæ, omnes pene diuitias in pauperes erogâtis? Quid in cūctos clementiſſimum animum, & bonitatem etiam in eos, quos nunquam viderat, euagantem? Quis inopum moriens, non illius veſtimentis obuolutus eſt? Quis clinicorum non eius facultatibus ſuſtentatus eſt? Quos curioſiſſimè tota Vrbe perquirens, damnum putabat, ſi quiſquam debilis, & eſuriens cibo ſuſtentaretur alterius. Spoliabat filios, & inter obiurgantes propinquos, maiorem ſe eis hæreditatem, Chriſti miſericordiam dimittere loquebatur. Vſuras tribuens; verſuram quoque ſæpius faciebat, vt nulli ſtipem rogantium denegaret. Cum in largiendo eſſet profuſior, arguebat illam D Hieron. illud proferens de Apoſtolo: non vt alijs refrigerium, nobis autem tribulatio, ſed ex æqualitate in hoc tempore, vt veſtra abundantia ſit ad illorum ino-

inopiam,& illorum abundantia ſit ad veſtram inopiam. Et hoc de Euangelio: Qui habet duas tunicas,det alteram non habenti. Et prouidendum eſſe, ne quod libenter faceret, ſemper facere non poſſet, multaq. huiuſmodi, quæ illa mira verecundia, & ſermone parciſſimo diſſoluebat: teſtem inuocans Deum, ſe pro illius nomine cuncta facere, & hoc habere in votis, vt mendicans ipſa moreretur, vt vnum nummum filiæ non dimitteret, & in funere ſuo aliena ſindone inuolueretur. Ad extremum inferebat: Ego ſi petiero, multos inueniam, qui mihi tribuant: iſte mendicans,ſi a me non acceperit, quæ ei poſſum etiam de alieno tribuere, & mortuus fuerit, à quo eius anima requiretur? Hieronymus eam cautiorem in re familiari eſſe cupiebat; ſed illa ardentior fide toto Saluatori animo iungebatur, & pauperem dominum pauper ſpiritu ſequebatur, reddens ei quod acceperat, pauper pro ipſo effecta. Deniquè conſequuta eſt quod optabat, & in grandi ære alieno filiam Euſtochium dereliquit. Solent pleræquè matronarum buccinatoribus ſuis dona conferre, & in largitate profuſa, manum à ceteris trahere, quo illa omnino carebat vitio. Ita enim ſingulis ſuam pecuniam diuidebat, vt ſingulis neceſſarium erat, non ad luxuriam, ſed ad neceſſitatem. Nemo ab ea pauperum vacuus reuerſus eſt; quod obtinebat, non diuitiarum magnitudine, ſed prudentia diſpenſandi: illud ſemper replicans: Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. Et ſicut aqua extinguit ignem,ita eleemoſyna extinguit peccatum. Et: Facite vobis amicos de iniquo mammona, qui vos recipiant in æterna tabernacula. Et: Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis. Et verba Danielis, Regem Nabuchodonoſor monentis; vt eleemoſynis redimeret peccata ſua. Nolebat in his lapidibus pecuniam effundere, qui cum terra, & ſeculo tranſituri ſunt, ſed in viuis lapidibus, qui voluuntur ſuper terram, de quibus in Apocalypſi Ioannis ciuitas magni Regis extruitur, quos in ſapphyrum, & ſmaragdum, & iaſpidem, & ceteras gemmas eſſe vertendos, ſcriptura commemorat. hæc Hieronymus in Epitaphio eius.

Fabiola Romana omnem cenſum, quem habere poterat (erat autem ampliſſimus, & reſpondens generi eius) dilapidauit, ac vendidit, & inde pecuniam congregatam vſibus pauperum præparauit, & prima omnium νοσοκομεῖον inſtituit,in quo ægrotantes colligeret de plateis, & conſumpta languoribus, atque inedia miſerorum membra foueret. Quoties morbo regio, & pedore confectos humeris ſuis ipſa portauit? quoties lauit purulentam vulnerum ſaniem, quam alius aſpicere non volebat? Præbebat cibos propria manu, & ſpirans cadauer ſorbitiunculis irrigabat. Non mihi ſi centum linguæ ſint, oraq. centum, ferrea vox, omnia morborum percurrere nomina poſſim,quæ Fabiola in tanta miſerorum refrigeria commutauit, vt multi pauperum ſani languentibus inuiderent. Quod monaſterium eius opibus non eſt ſuſtentatum? quem nudum, & clinicum non Fabiolæ veſtimenta texerunt? in quo non ſe indigentiam non effudit præceps, & feſtina largitio? Anguſta miſericordiæ eius Roma fuit. Peragrabat ergo Inſulas, & totum Etruſcum mare, Volſcorumq. prouinciam, & reconditos curuorum littorum ſinus, in quibus monachorum conſiſtunt chori, vel proprio corpore, vel tranſmiſſa per viros ſanctos, & fideles munificentia circumibat. Romam è Paleſtina reuerſa, quodam præſagio futurorum, ad multos

Hier. epiſt. 30.

ſcri-

ſcripſerat monachos, venirent, & ſe graui onere laborantem, abſoluerent, faceretq. ſibi de iniquo mammona amicos, qui eam reciperent in æterna habitacula. Venerunt, amici facti ſunt: dormiuit illa quomodo voluit, & depoſita tandem ſarcina, leuior volauit ad cælum. Hieronymus in Epitaphio eius.

Sozom.li.7 c.26. Epiphanius Metropolitanæ Cypriorum Eccleſiæ Epiſcopus facultates ſuas pauperibus diſtribuit. Ad eum tanquam ad communem œconomum pecuniæ, quæ pauperibus darentur, vndiquè mittebantur. Quodam tempore cum totum exhauſiſſet ærarium, Eccleſiæ œconomus ægre id ferebat, & prodigũ appellabat. At non multo poſt incerto auctore loculi auro referti in ædes œconomi illati, diuino teſtimonio Epiphanij pietatem cõfirmarunt.

Eliſabeth Regis Pannonum filia, multiplici pietatis opere neceſſitatem patientes ſuſtentans, amplius regnum ſibi parat. Cap. 442.

Bonfin.li.7 dec.2. Iac. Mont. Spir. in ipſius vita apud Sur. to.6.

ELiſabetha, nondum marito Ludouico Lantgrauio Thuringiæ viduata, ob aſſiduam in pauperes benignitatem, mater eorum cognominabatur. Sanis vitæ ſubſidia mittebat, afflictos conſolabatur, ægrotos viſitabat, mortuis funus ſua procurabat impenſa. Quos in plebe magis inopia oppreſſos animaduertebat, ex his compatres, atque commatres ſibi comparabat, vt eis liberius ſubueniendi cauſas haberet. Si quando pecunia non ſuppeteret, veſtimenta vendebat. Cernens pauperculum quendam nudum efferri, detracto ſibi capitis velamine, inuolui iuſſit cadauer. Quo tempore fame laboratum eſt, vim magnam frumenti diuiſit: & id quidem abſente viro, atque inconſulto, vel quia approbaturum ſperaret, vel quia, quod vnius erat, alijs quoque commune eſſe debere facilè perſuaſerat neceſſitas multorum. Denique cum eſſet Regis Pannonum filia, nere, texere, ſuere ſuis ipſa manibus non eſt dedignata, vt de laboris ſui peculio eleemoſynas dare poſſet. Et de illa ergo non incongruè dici poteſt: Manum ſuam miſit ad fortia, digiti eius apprehenderunt fuſum: Manum ſuam aperuit inopi, & palmas ſuas extendit ad pauperem: Fortitudo & decor indumentum eius, & ridebit in die nouiſſimo. Tandem marito Hieroſolymis peregrè defuncto, ab ijs qui eius Tetrarchiam iure hæreditario acceperant, eiecta, cum vix tandem dotalia ab illis extorſiſſet bona, erant autem duo millia pondo argenti infecti factiq. (Bonfinius quinque habet) pauperum & peregrinorum ſatis amplum Maſpurgi conſtruxit receptaculum, ibiq. ijs humiliter miniſtrauit. Cum à patre, vt in Pannoniam rediret, miſſis nuntijs, ſollicitaretur, non acquieuit, malens alienigenarum opprimi iniurijs, quàm ſuorum blandimentis deliniri. Illam fila traxiſſe, & pecuniam inde collectam pauperibus diſtribuiſſe, nullumq. adeo genus vel ſordidiſſimæ operæ, quæ illis prodeſſe poſſet, detrectaſſe ſcribit Bonfinius, & alij.

Raph. Volater. Geograph.li.3. Amadæus, Sabaudiæ Dux III. à Legatis principum rogatus, haberet ne venaticos canes? Immò vero optimos, & ſagaciſſimos, reſpondit: & in aula ampliſſima magnam turbam pauperum, quos alebat quotidie, illis oſtendit. Canes Religioſæ venationis, inquit, quorum odoriferis precibus in ſaltus vſque cæleſtes venando in dies excurro.

Ludo-

S. Ludouicus Francorum Rex regia munificentia, & humili dignatione innumeros alit pauperes, eiſq. miniſtrat.
Cap. 443.

AB infantia creuerat ſecū miſeratio, & quia ſimiliter in afflictos,& pauperes pia ſemper geſtabat viſcera charitatis, eleemoſynas eius, quas enarrat omnis Eccleſia Sanctorum, nec ſimulare debeo, nec ſufficio explicare. Siquidem quotidie vbicunque eſſet, in domo ſua reficiebantur pane, vino, & carnibus, ſiue cibis pluſquam centum viginti pauperes. In Quadrageſima verò, & Aduentu,atque deuotis diebus ſumma pauperum augebatur: Frequenter ipſemet pius Rex pauperibus ſeruiebat, & coram eis fercula miniſtrabat, panem ſcindebat, ac denarios multos manu propria eis dabat. Specialiter autem in quibuſdam ieiuniorum diebus,& ſolemnibus vigilijs ducentis pauperibus manu propria antequàm comederet de prædictis omnibus ſeruiebat. Præter hæc quotidie in prandio & in cœna habebat propè ſe tres ſenes pauperes comedentes, quibus de cibarijs ſuis faciebat miniſtrari, & in fine prandij certam ſummam pecuniæ eis dari. Ceterùm tàm largas & frequentes eleemoſynas quotidie dabat pauperibus religioſis, tàm virorum, quàm mulierum, hoſpitibus pauperum, & domibus leproſorum, ac aliorum collegijs pauperum, necnon & nobilibus paupertate detentis, quod vix poſſet ab aliquo enarrari. Vnde Tito Imperatore tàm liberali quondam datore, quem narrant veteres hiſtoriæ doluiſſe eo quod vna die defeciſſet cui benefaceret,fuit iſte fœlicior,cui nulla dies in erogandis eleemoſynis, & beneficijs largiendis legitur præterijſſe. *Gultel. Nangius de geſt. S. Ludouici Fräc. Reg.*

Cæſo Rege Danorum publico ſcelere, inaudita fames in toto Regno ſubſecuta eſt: Oranteq. nouo Rege, vt periculo ipſius ira Dei placaretur, morte illius fames quoque extincta eſt.
Cap. 444.

CAeſo per nefas Rege D. Canuto, Dani Olauum eius fratrem, qui ob Regni affectionem in Flandriam relegatus erat,reuocarunt. Scelus publicum publica quoque pœna ſubſecuta eſt, fames ingens, quæ ſolam Daniam vexauit, non autem vicinas Regiones. Quippe per tot annos, quot Canutus imperauerat, verni, æſtiuiq. temporis feruore ſatum omne coaruit: autumnale verò adeo pluuium fuit, vt ſi quid locorum humilitate,paluſtriue madore alitum ſuccreuiſſet, perſeueranti imbrium inundatione decideret. Camporum facies cæleſtibus imbribus inundata, latè patentis ſtagni ſpeciem præbere videbatur, & quod æſtas ægrè produxerat, autumnus opprimebat. Ruſtici aquis Campos tegentibus, ſupernatantia ſpicarum capita demetentes nauiculis excipiebant: ac deinde putres ariſtarum reliquias fornacibus exſiccabant, & quia panem præſtare non poterant, in vſum pultis vertebant. Maxima proinde populi pars inedia conſumpta fuit. Rex ipſe ad vltimam tabem, redactus, agris vænire iuſſis, alimenta,poſſeſſionum pretijs comparabat. Nobilibus in eundem vſum ingenuitatis inſignia erogare, rubori non fuit. Olauus cum bis penè luſtrum regnando condidiſſet, *Saxo li.12.*

inter continuas rei familiaris anguſtias, nihil regali magnificentia dignum exequi poterat. Sed & finitimos, paupertatis eius contemptu, eum armis inuadere puduit. Cum diuinum Chriſti natalem celebrans, ieiunos circumquaque penates aſpiceret, obducto manibus capite, ſuffuſoq. lachrymis vultu, per ſummam animi ægritudinem, temporis difficultatem gemitu proſecutus eſt. Deinde ſupplicatione habita, auctorem omnium Deum, vt ſi quid iræ aduerſus populum concepiſſet, ſuo vnius periculo ſatiaret, orauit. Nec difficiles numinis aures habuit: ſiquidem celerem mortis viam obtinuit, ſibiq. mortem, ſalutem patriæ peperit: ſiquidem fames cum auctore ſuo pari funere ſublata eſt, inediaq. eſt ſatietate mutata.

Quidam nobilis fidenti corde in vrgenti fame mittit ſeruos ſuos ad pia loca, & congregat pluſquam quatuor millia fameſcentium, quos toto tempore ſterilitatis pauit, & a morte liberauit, audiuit cælitus vberem paratam ſibi eſſe remunerationem. Cap. 445.

Greg.Turo. lib 2. hiſt. Frãc.c.24. TEmpore Sidonij Epiſcopi magna Burgundiam fames oppreſſit. Cumq. populi per diuerſas regiones diſpergerentur, nec eſſet vllus, qui pauperibus alimoniam largiretur, Ecdicius quidam ex Senatoribus, huius propinquus, magnam tunc rem in Deo confiſus feciſſe perhibetur. Nam inualeſcente fame, miſit pueros ſuos cum equis, & plauſtris, per vicinas ſibi ciuitates, vt eos, qui in hac inopia vexabantur, ſibi adducerent. At illi eũtes cunctos pauperes, quotquot inuenire potuerũt, adduxere ad domos eius. Ibiq. eos per omne tempus ſterilitatis paſcens ab interitu famis exemit. Fuereque, vt multi aiunt, amplius, quàm quatuor millia promiſcui ſexus. Adueniente autem vbertate, ordinata iterum euectione, vnumquemque in locum ſuum reſtituit. Poſt quorum diſceſſum, vox ad eum è cælis lapſa peruenit, dicens: Ecdici, Ecdici, quia feciſti rem hanc, tibi & ſemini tuo panis non deerit in ſempiternum, eo quod obedieris verbis meis, & famem meam refectione pauperum ſatiaueris. Quem Ecdicium miræ velocitatis fuiſſe multi commemorant: nam quadam vice multitudinem Gothorum cũ decem viris fugaſſe perſcribitur. Sed & ſanctus Patiens Lugdunenſis Epiſcopus, ſimile huic in ipſa fame populis præſtitiſſe perhibetur beneficium. Extat enim hodieq. apud nos beati Sidonij epiſtola, in qua eum declamatoriè conlaudauit.

Rex à ſuſurrone deceptus Epiſcopum carcerauit; quapropter Deus populum ciborum penuria afflixit, quod Rex aduertens pœnitentia ductus, Epiſcopum dimiſit, & terra ſtatim protulit fructus ſuos. Cap. 446.

Roderic.Tolet.hiſt.Hiſpan.lib.5. c.17. REx Veremundus à ſuſurrone deceptus præcepit capi Gudeſteum Epiſcopum Ouetenſem: ſed vt tantum nefas non procederet impunitum, facta eſt ſiccitas magna in terra, ita quod totus populus ciborum penuria arctabatur, Cumq. quibuſdam religioſis fuiſſet à Domino reuelatum famem

propter

propter iniuriam Epiſcopi accidiſſe, & Regi eſſet reuelatio intimata, confeſtim abſoluit Epiſcopum,& per Semenum Aſturicenſem Epiſcopum, cui Rex Epiſcopum commendauerat, fecit reſtitui Gudeſteum, & ſtatim Dominus pluuiam voluntariam ſegregauit, & terra attulit fructus ſuos. Tunc Rex Veremundus corde compunctus, Eccleſiam B. Iacobi, & cetera loca, quæ Almanzor profanarat diripiens, prout potuit, reſtaurauit, & bonis operibus, & eleemoſynis iam intentus, de commiſſis cum conſilio prælatorum pœnitentiam agere ſatagebat, & in villa, quæ eſt in Berizo, moritur,& ſepelitur, & ab Alphonſo filio, & ſucceſſore transfertur poſt aliquantulũ temporis Legionẽ,& in Eccleſia B. Ioannis Baptiſtæ cũ coniuge Geloira denuo ſepelitur.

Ex certa viſione memoratu digna compertum eſt, quemdam per miſericordiæ opera tempore famis pauperibus impenſa, inter beatos locum obtinuiſſe: alium, qui iniuſtè iudicauit, & pauperi viduæ ſubſidium abſtulit, inferno traditum; & pium Regem Alphonſum piorum precibus à Purgatorijs tormentis ereptum. Cap. 447.

EST in Hiſpanicis partibus nobile, & famoſum Caſtellum, quod & propter congruum ſitum, & fertilitatem adiacentium terrarum, & multitudinem inhabitantium incolarum, quibus rebus proxima Caſtella exuperant,vt æſtimo,non incongruè Stella vocatur. In hoc Caſtello quidam Burgenſis fuit, qui Petrus Engelberti vocabatur. Hic ſtrenuitate famoſus, & ſecularibus rebus abundans,totam vſque ad ſenium ferè vitam in ſeculo duxit. Tandem tactus ab illo, qui ſpirat vbi vult, ſeculo renunciauit, atque in monaſterio, quod apud Nazarum ſub Cluniacenſi iure, & regula conſtructũ eſt, habitum monaſticæ profeſſionis ſuſcepit. Quò cum ego poſt duos annos conuerſionis eius perueniſſem, audiui eum memorandam viſionem narraſſe, cuius quidem fama ad nos ante peruenerat, ſed quis eſſet eius relator non dixerat. Hoc cum accepiſſem, vbi eſſet tantæ viſionis relator, ſolicitus inquiſiui, atque eum in quadam cella Nazarenſi monaſterio ſubdita, ſatisq. contigua,commorari audiui. Ad quem locũ cum me itineris neceſſitas perduxiſſet, vbi hominem, cui & ætatis maturitas, & morum grauitas, & cunctorum atteſtatio, ipſaq. niuea canicies, fidem integram conſtanter præbere ſuadebant,omnem tamen dubietas ſcrupulum tàm à corde meo quàm à cordibus omnium excludere volens, coram venerandis Epiſcopis Olorenſi, & Oximenſi coram ſocijs noſtris, multæ religionis & ſcientiæ perſonis,ac quibuſdam alijs eum conueni, & quod veritas perdat omnes, qui loquuntur mendacium oſtendens, multaq. ſimilia ad eum, ne mentiretur, deterrendum adiungens, vt quod certum de viſione illa ſciebat narraret, non ſolum admonui, ſed etiam in virtute obedientiæ, qua mihi vt monachus Abbati ſubditus erat,iniunxi. Ad quod ille, quod adhuc prorſus nos omnes latebat,adijciens: Ego (ait) iſtud quod à me quæritis,ab alio non accepi,ſed ipſe proprijs omnia oculis vidi. Quo audito, multò magis exhilarati ſumus, habentes iam non alienorum verborum relatorem,ſed rei ipſius certiſſimum inſpectorem. Vnde magis,magisq. ad quęrendum inſtigati, & ad audiendum intenti,moram pati vltra non potuimus,ſed vt quod viderat,enarraret,eũ om-

Pet. Cluni. lib. 1. mira. c. vlt.

nes compellere cępimus. Volo autem eum loquentem introducere, vt quicumq; hoc legitis, vel auditis, non ſolum ſenſum verborum, ſed & ipſa verba ab eius ore, vos putetis audire. Tempore (inquit) quo Rex Aragonenſis Alphonſus, regnum maioris Alphonſi Hiſpaniarum regis iam mortui obtinebat, contigit, vt vbi contra quoſdam, qui in regione, quę Caſtella dicitur, ei repugnabant, exercitum commoueret, & vt de ſingulis regni ſui domibus, ſinguli illuc pedites, vel equites dirigerentur, edicto ſanciret. Eo præcepto coactus, vnum ex mercenarijs, mercede mihi ſeruientibus, Sancium nomine, ad exercitum deſtinaui. Paucis poſt diebus decurſis, omnibusq. qui expeditioni illi interfuerant, ad propria redeuntibus, ipſe quoque domum reuerſus eſt. Non longo deinceps tempore elapſo, more humano morbo correptus, nec diu cũ morbo luctatus, defunctus eſt. Inde poſt quatuor ferè menſes, ex quo è vita receſſit, dum apud Stellam in domo mea hyemali tempore iuxta ignẽ in lecto iacerem, ſubito iam dictus Sancius circa mediam noctem mihi adhuc vigilanti apparuit. Qui igni aſſidens, & carbones quaſi ad calefaciendum, vel ad clarificandum huc, illucq. reuerſans, multo magis ſe mihi cognoſcibilem demonſtrabat: quem cum vidiſſem, quis, inquam, es tu? At ille humili voce, Ego ſum (inquit) Sancius famulus tuus. Quid, inquam, hic agis? Vado, inquit, Caſtellum, iterq. meum multus exercitus comitatur, vt vbi deliquimus, ibi & delictis pęnas debitas exſoluamus. Et cur, inquam, huc diuertiſti? Eſt, inquit, mihi ſpes veniæ, & ſi miſereri volueris, celeriorem mihi requiẽ comparare poteris. Quomodo, inquã? Quando, inquit, nuper expeditioni, quam noſti, interfui, hoſtili inuitatus licentia, Eccleſiam quandam cum quibuſdam ſocijs inuaſi, quæ intus inuenta ſunt diripui; veſtimenta inſuper ſacerdotalia mecum rediens aſportaui. Pro quo ſpecialiter diris pœnis ſubactus affligor, & remedium à te, ſicut à Domino meo quantis poſſum precibus imploro: nam poteris mihi ſubuenire, ſi beneficijs ſpiritualibus me ſtudueris adiuuare. Rogo inſuper, vt dominam meam vxorem tuam ex mea parte, mea functus vice, depreceris, nec octo ſolidos, quos pro ſeruitio meo mercenario iure mihi debebat, reddere iam moretur: Et, quod neceſſitatibus carnis, ſi adiuuerem, reddidiſſet, animæ meæ longe amplius his egenti, erogando eos pauperibus largiatur. Iam ego tali eius collocutione multò magis animatus, quid, inquam, de conciue noſtro Petro Deiaca nuper defuncto, actum eſt? Rogo, vt ſi quid de illo noſti, aperias. Illum (ait) opera miſericordiæ frequenter quidem, ſed maxime præteritæ famis tempore pauperibus impenſa, beatorũ requiei adiunxerunt, & vitæ æternæ participem effecerunt. Cumq. eum tàm promptè, & facile mihi reſpondere audiſſem, adieci: Et de Bernerio alio cõciue noſtro ante paruum tempus ſimiliter, vt noſti, defuncto, aliquid tibi notum eſt? Illum, inquit, infernus poſſidet, quia ad dirimendas lites, & iudicio terminandas huic villæ prælatus, multa ſæpe muneribus, aut gratia illectus iniuſtè iudicauit; & quia cuidam pauperi viduæ, quod in tempore baconem vnũ, qualecumque vitæ eius ſubſidium, crudeliter auferre non timuit. Tunc longe amplius ad maiora quærenda animi feruore ſuccenſus, adiunxi: De Rege noſtro Alphonſo ante paucos annos defuncto, tibi aliquid notum eſſe potuit? Ad hæc quidã alius in feneſtra capiti meo proxime ſuppoſita reſidens, Noli (ait) hoc ab iſto quærere, quod ignorat, quoniam recens eius ad partes noſtras aduentus, hoc ei notum fieri, nondum permiſit.

Mihi vero cui à die obitus me quinquennalis cum huiuſmodi ſpiritibus mora, plura quàm iſte nouiter nota fecit, quod de rege quæris, ignotum eſſe non potuit. At ego rurſus nouæ vocis auditu attonitus, ac videre cupiens vocis auctorem, conuerti oculos ad feneſtram, adiutusq. lunæ ſplendore, quæ lumine ſuo omne tunc domus ſpatium clare illuſtrabat, conſpicio hominem in inferiori feneſtræ margine reſidentem. Quem in eodem habitu, quo alium videram cernens: Et tu (inquam) quis es? Ego (inquit) huius, quem aſpicis ſocius ſum, & Caſtellam cum iſto, & multis alijs proficiſcor. Et tu (inquam) de Rege Alphonſo, vbi dicebas aliquid noſti? Noui (inquit) vbi fuerit, ſed vbi modo ſit neſcio. Nam aliquamdiu tormentis acribus inter reos excruciatus, poſtmodum à Cluniacenſibus monachis inde ſublatus eſt. Exinde vero quid de eo factum ſit prorſus ignoro. His dictis ad ſocium, qui igni aſſidebat verba conuertens, ait: Surge, & iam iter inceptum peragere incipiamus. Ecce enim iam omnes vias, quæ intus, vel extra caſtellũ ſunt, ſubſequens nos exercitus ſociorum impleuit, & iam multis velociſſime prætergreſſis, vbi feſtinanter eos ſequi debeamus, vrgemur. Ad hanc vocẽ Sancius ſurrexit, & flebili voce, quod prius rogauerat ingeminans: Rogo (inquit) Domine, ne mei obliuiſcaris, & vt dominam meam coniugem tuam, quatenus quod corpori debebat, miſeræ animæ meæ reſtituat, oro ſolicitus exhorteris. His dictis, ſtatim vterquè diſparuit. At ego mox coniugem iuxta me in lecto dormientem citata voce exſuſcitans, priuſquam ei, quod videram, vel audieram, narrarem, interrogaui, vtrum aliquid Sancio communi noſtro mercenario, pro mercede deberet? Qua reſpondente, quod ego nondum ab aliquo, niſi à mortuo audieram, ſe videlicet eidem Sancio adhuc octo ſolidos debere, nequaquam vltra dubitare potui, cui fidem omnimodam, & mortui relatio, & mulieris confirmatio conferebant. Facto mane, octo illos ſolidos à coniuge accipiens, & de meo, quod congruum viſum eſt, addens, pro eius, qui apparuerat ſalute, pauperibus diſtribui, & ſacrarum miſſarum adiutoria ei à ſacerdotibus mea prece, & ſtudio impenſa, ad pleniorem peccatorum eius remiſſionem adauxi. Hanc tam claram, & commendabilum viſionem, velut verbum è verbo exprimens, ad ædificationem fidei, & morum tàm modernis, quàm poſteris fideli ſcripto tranſmiſi, & quanta cautela mortalibus neceſſaria ſit, mortuorum ipſorum teſtimonio declaraui. Non parum autem, immò maximè veritati huius viſionis atteſtatur, quod à mortuo dictum eſt, Alphonſum Regem à Cluniacenſibus monachis ſublatum, & à tormentis conſimilium reorum ereptum. Nam quod omnibus penè Hiſpanis, & Gallis populis notum eſt, idem Rex Cluniacenſis Eccleſiæ magnus amicus, & benefactor extitit. Vt enim innumera alia pietatis opera, eidem monaſterio ab eo impenſa, taceam, magnificentiſſimus, & famoſus Rex cenſualem ſe Regnumq ſuum Chriſti pauperibus eiuſdem Chriſti amore fecerat, & tàm à ſe, quàm à Patre ſuo Fredelanno conſtitutum cenſum, ducentas ſcilicet & xl. auri vncias ſingulis annis Cluniacenſi Eccleſiæ perſoluebat.

Præter hæc duo monaſteria, quæ in Hiſpanijs ex proprio conſtruxit, alia à quibuſdam alijs perſonis conſtrui permiſit, & vbi conſtruerentur, adiuuit. In quibus Cluniacenſes monachos ponens, & vnde omnipotenti Deo regulariter ſeruire poſſent, Regia liberalitate affluenter largiens, & penè emor-

tuum monaſticæ religionis feruorem ex parte in Hiſpanijs reparauit, & ſibi hoc ſtudio poſt regnum temporale, regnum etiam ſempiternum, vti dignum eſt credere, comparauit. Obtemperauit benignus Regis æterni præcepto faciens ſibi amicos de mammona iniquitatis, à quibus amicis finita regni villicatione, ſecundum iam dictæ viſionis tenorem, & à pœnis ereptus, & in æterna tabernacula ſuſceptus eſt. Quid enim magis illi miſericordi iuſtitiæ congruere potuit, quæ reddit vnicuique iuxta opera ſua, quàm vt ab his eripi videretur, quibus ſubuenerat, ab illis miſericordia impenderetur, quibus miſertus fuerat; ab his beatæ vitæ reſtitueretur, quorum in miſerijs præſentibus vitam largis ſubſidijs ſubſtentauerat? Verè non fallax vox de cœlis à Ioanne audita, opera mortuorum ſequuntur illos, quod in iſto noſtro Rege apparuit, quem per opera miſericordiæ, veluti per eos, quibus impenſa eſt, à tormentis eripuit, & requiei beatorum ſpirituum ſociauit.

Diuturna fame tabeſcentes ad S. Seuerinum confugiunt, qui abſconditum à vidua frumentum reuelat. Naues item ex inſperato ciborum copias laborantibus afferunt, quæ craſſa fluminis glacie fuerant congelatæ.

Cap. 448.

Ex vita S. Seuerini Noric. apud Sur. to. 1.

EOdem tempore Ciuitatem, Fabianis nomine, ſæua fames oppreſſerat, cuius habitatores vnicum ſibi remedium adfore crediderunt, ſi ab Oppido Comagenis, hominem Dei Seuerinum religioſis ad ſe precibus inuitarent. Quos ille ad ſe venire prænoſcens, cum hæſitaret, vtrum pergeret cum eis, nec ne, admonetur à Domino, vt pergeret cum illis. Veniens igitur ad prædictam Ciuitatem, cœpit ſuadere, dicens: Pœnitentiæ fructibus poteritis de tanta famis pernicie liberari. Qui cum talibus proficerent inſtitutis, beatiſſimus Seuerinus diuina reuelatione cognouit, quandam viduā nomine Proculam, fruges plurimas occultaſſe. Hanc nimirum productam in medium, arguit vehementer. Cur (inquit) tam nobiliſſimis orta natalibus, cupiditatibus te præbes ancillam & auaritiæ mancipium, quæ eſt teſte Apoſtolo, Idolorum ſeruitus? Ecce Domino famulis ſuis miſericorditer cōſulente, tu quid de malè partis facias, non habes, niſi forte frumenta diù denegata, in Danubij fluenta proijciens, piſcibus exhibeas, quæ hominibus denegaſti. Quamobrem ſubueni tibi potius, quàm pauperibus, ex his, quæ adhuc te æſtimas, Chriſto eſuriente, reſeruare. Quibus auditis, magno mulier pauore perterrita, cœpit ſeruata libenter pauperibus erogare. Nec multo poſt naues de partibus Rhetiarum, mercibus onuſtæ quamplurimis, inſperatè videntur in littore Danubij, quæ multis diebus craſſa fluminis glacie fuerant congelatæ, ſed Dei tunc imperio ſolutæ, ciborum copias laborantibus illis detulerunt. Cœperunt igitur omnes Deum, inſperati remedij largiorem, continua deuotione laudare, qui ſe tabe diuturnæ famis interire crediderunt, fatentes euidentius, extra legitimum tempus, glaciali ſolutas frigore, ſerui Dei precibus aduenisse.

Cuiuſ-

Cuiuſdam Caſtelli homines in plaga locuſtarum ad S. Seuerinum accedentes pro auxilio docentur deſiſtere ab humana ſolicitudine, & conuenire ad Eccleſiam vnanimiter ad orationem: quidam autem orationem deſerens, & agrum ſuum viſitans, vt pelleret locuſtas, propter ſuam infidelitatem ſolus perniciem locuſtarum paſſus eſt, aliorum ſationibus integris remanentibus. Cap. 449.

QVodam tempore in confinio Caſtelli, quod dicitur Cocullis, locuſtæ frugum conſumptrices inſederant copioſæ, noxijs morſibus cuncta vaſtantes. Tali ergo perculſi peſte presbyteri, ceteriq. manſores, ſanctum Seuerinum ſummis precibus adiere dicentes: Vt tantæ plagæ auferatur atrocitas, orationum tuarum experta ſuffragia poſtulamus, quæ magno dudum miraculo in accenſis cælitus cereis multum apud Dominum valere conſpeximus. Quos ille religioſius allocutus: Non legiſtis, ait, quid diuina auctoritas peccanti populo præceperit per Prophetam, dicens: Conuertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio & fletu, & poſt pauca: Sanctificate ieiunium, vocate cœtum, congregate Eccleſiam? &c. Explete itaquè dignis operibus quæ docetis, vt malitiam præſentem facilè euadatis. Nullus veſtrum ad agrum exeat, quaſi humana ſolicitudine locuſtas vetiturus, ne diuina amplius indignatio prouocetur. Nec mora, omnibus in Eccleſia congregatis, vnuſquiſque in ordine ſuo pſallebat ex more, omnis ætas & ſexus; qui enim voce non poterant, preces Deo fletibus offerebant. Eleemoſynæ verò fieri non ceſſabant, & quicquid bonorum operum præſens neceſſitas exigebat, ſicut famulus Dei præceperat, implebatur. Omnibus ergo huiuſcemodi ſtudijs occupatis, quidam pauper opus Dei cæptum deſerens, & agrum propriæ ſegetis inuiſens, pro cauſa, quæ parua inter aliorum ſegetes iacebat, egreſſus eſt, totoq. anxius die locuſtarum nubem impendentem, qua potuit, exturbauit induſtria, moxq. Eccleſiam communicaturus intrauit. Sed ſegetem eius exiguam, multis vicinorum circumdatam frugibus, locuſtarum denſitas deuorauit. Quibus ea nocte ab illis finibus exterminatis imperio diuino, probatum eſt, quantum valeat fidelis oratio. Mane quippe ſancti operis temerator atque contemptor, rurſus ad agrum ſuum malè ſecurus egrediens, eum locuſtarum pernicie funditus inuenit abraſum, & omnium circumquaque ſationes integras vehementer admirans, ad caſtellum luctuoſa vociferatione reuertitur. Cumq. hoc, quod acciderat, indicaſſet, ad huiuſcemodi videndum cuncti exiere miraculum, vbi quaſi ad lineam regularem, contumacis hominis ſegetem locuſtarum morſus oſtenderant. Tunc omnium veſtigijs prouolutus, interceſſionibus eorum delicti ſui veniam fuſa lamentatione poſcebat. Ob quam rem monendi occaſionem homo Dei reperiens, docebat vniuerſos, vt omnipotenti Domino diſcerent obedire, cuius imperio obediunt & locuſtæ. Prædictus verò pauper flebiliter aiebat, poſſe ſe mandatis de cetero obedire, ſi vlla ſibi ſpes, qua viueret, remanſiſſet. Tunc vir Dei ceteros allocutus, Iuſtum eſt, inquit, vt Deo omnipotenti gratias agatis, qui de proximi ſupplicio, humilitatis & obedientiæ vobis dedit exemplum. Ibid.

Nicolai I. Pontificis Rom. prudens adinuentio in paſcendis pauperibus. Cap. 450.

Anaſt. Biblioth. de Nicolao Papa I.

NIcolaus Papa I. Chriſti amicus, omnium nomina claudorum, cæcorum, atque ex toto debilinm in Vrbe Roma conſiſtentium ſcripta apnd ſe retinens, qnotidianis illis victum miniſtrare curioſè curabat: nam reliquis pauperibns greſſum & vires habentibus huiuſcemodi, vt viciſſim eos paſceret, ſapientem reperit modum, ſcilicet bullas ſuo nomine titulatas fieri iuſſit, & has eis dari præcepit, vt quanti prima feria, quanti ſecunda, qnanti tertia, vel ceteris alijs ferijs prandere debuiſſent, per ſignum bullarum facilius noſceretur. Et in illis quidem bullis, quæ eis datæ ſunt, qui prima feria refici debeant, fecit per ſingulas dnos nodos, & ſic per omnes vſque in ſabbathum, vt quot feriæ eſſent, tot eſſent nodi per ſingulas bullas, includens in eis nnſcas, vbi nodi fiebant, quatenus nnllus pauper haberetur in Vrbe, qui vel vno die de ſanctis eleemoſynis non eſſet refectus.

Presbyter quidam cum quadraginta denarijs domum reuertens, inueniensq. ibi peregrinorum multitudinem, quæ illuc pro ſtipe confluxerat, cum ſingulis pauperibus ſingulos denarios diſtribuendo tertiæ parti non ſuffeciſſet, ipſe ternos ſingulis erogans, non ſolum pecunia non defecit, ſed ad alios vſus mirabiliter ſuperfuit. Cap. 451.

Anaſt. Biblioth. de Hadriano Papa II.

QVidam presbytero inerat in Chriſto, eiusq. Genitrice (apnd cuius Præſepe ingibus orationibus incumbebat) tanta fidncia, vt benefaciens nō deficeret, nec quidquam diſcriminis, cuncta, quæ habere poterat largiens, incurrere formidaret.

Nam cum die quadam inter conpresbyteros ſuos à ſanctiſſimo Papa Sergio conſuetudinaliter denarijs qnadraginta perceptis, domus ſuæ portas reuertens ingredi vellet, ac præ multitudine peregrinorum, quæ ibi fiducialiter ſolito more, velut ad horreum commune conflnxerat, omnino nequiret: miſericordia motus equeſtri ſuo retulit, nil ſine tantis fratribus in tantillis denarijs ſibi eſſe commune. Cumq. ille, neque tertiæ parti panperum ſingulos denarios poſſe ſnfficere intuliſſet: Virtute, inquiens, Chriſti, qui de qninque panibus, & duobus piſcibus quinque millia hominum ſatiauit, non ſingulis ſingulos, ſed ternos ſingulis denarios erogabo. Hæc dicens, forinſecus portæ ſnbſidens, ac de manu Equeſtris ſni ſnſcipiens peregrinis cunctis egredientibus ternos ſigillatim denarios erogauit. In qua redundatione cum miraretur Equeſter non ſolnm non defeciſſe denarios, quinimmò fuiſſe ſuper, liberalis presbyter qui ſnpererant, domum ſe recipiens, multitudini familiæ ſuæ ternos nihilominus perſonatim nummos largitus eſt. At cum ſex identidem ſupereſſent: Vides, inquit, quàm largus, & quàm ſuauis ſit omnipotentiſſimus Dominus, qui qnadragenariam qnantitatem nummorum & fratribus noſtris per ternos diſtribuit, & mihi ternos, & tibi ternos æqua ſorte ſeruauit?

Erat

Erat præterea tantæ hoſpitalitatis, & largitatis, vt non immerito beato Iob in his valeat comparari. Non deſpiciebat inter eundum eum, qui non haberet indumentum, ſed de ſuis ouium calefaciebat velleribus, nec bucellam quidem ſuam ſolus, nam hanc cum pupillis & egenis comedebat; quippe qui oculus eſſe cæco,& pes probaretur exiſtere claudo. Et vt ſcriptis virtutum eius multiplicitas referatur, pater erat pauperum, & cordis viduæ conſolator. Oſtium eius viatoribus patebat, nec clauſa erat domus ipſius quidpiam poſtulantibus. Adeo vt ab omni Clericali gradu, ab omni Senatorio, & populari concordiſſimo cœtu, ſicut poſt mortem Quarti Papæ Leonis, ita poſt obitum Tertij Benedicti Pontificis ſubire ſummum Pontificium, niſi ipſe diuerſis argumentis & exquiſitis excuſationibus verecunde ſubterfugeret, cogeretur.

In diebus ingentis famis S. Odilon exhauſtis ærarijs, & horreis, confractis ſacris vaſis, diſtractis Eccleſiæ ornamentis, quicquid inde conraſit egenis, & famelicis diſperſit. Cap. 452.

FAmes, & mortalitas tàm grauiter per totum Orbem inualuit, vt ſepelientium tędio, viui adhuc ſpiritum trahentes obruerentur cum mortuis. Quo tempore accidiſſe videntur, quæ de S. Odilone Cluniacenſi Abbate Petrus Damiani in ipſius ſic narrat vita: In erogandis præterea eleemoſynis ita largus erat, vt nonnulli, dum eum omnia diſpergentem ſine cunctatione conſpicerent, non diſpenſatorem, ſed prodigum iudicarent: præſertim quodam tempore, dum fames valida Aquitaniæ fines vehementer affligeret, ac plurimas Galliarum prouincias peſtilenter arctaret, exhauſtis iam in pauperum vſus ærarijs, & horreis quorumcumque prouentuum non mediocriter profligatis: mox etiam plurima ſacra vaſa confregit, inſignia Eccleſiæ ornamenta diſtraxit, coronæ quoque, quàm ſibi Imperator Henricus ob ſui memoriam deſtinauerat, non pepercit. Vt igitur tàm acerbæ famis, in quibus valuit, temperaret inopiam, quicquid hinc inde corradere potuit facultatum, in ſuſtentationes & alimenta tradidit egenorum. Quadam ſanè die, dum per publicum pius equitator incedit, duos in itinere pueros fame peremptos reperit. Mox equo deſiliens, laneam, qua indutus erat ad carnem, ſubduxit ſibi interulam, eaq. prout velaminis quantitas permittebat, vtrumquè cadauer obuoluens, exhibet mortuis ſepulturam. Nam & veſpillones mercede conduxit, & funeris vſquè ad tumulum proſequutus exequias, defunctis fratribus debitum humanæ pietatis exſoluit. Hæc de S. Odilone Petrus.

Sigeb. an. 1006. Ex vit. S. Odilon. apud Sur. to. 1.

Stephanus VI. Pont. Romanus, exhauſta Apoſtolica ſuppellectile parentum ſuorum facultates diſtraxit, vt graſſantem famem mitigaret, locuſtasq. oratione, & aqua manibus ſuis benedicta depulit. Cap. 453.

STephanus Papa VI. graui mœrore affectus eſt, quia vacante ſede deuaſtatis veſtiarijs, horrea ſimul, & cellaria vacua inuenta ſunt, & quod eroga-

Anaſt. Biblioth. de Stephano Papa VI.

erogaret Clero, & Scholis, non habebat, vel vnde captiuos redimeret, orphanos, & viduas paſceret in tanta validiſſima, quæ inſtabat, fame carebat. (Iam enim, proh dolor, proh nefas! inoleuerat peſſima illa conſuetudo, vt mortuo ſummo Pontifice inuaderent homines ſedis Apoſtolicæ Patriarchium, atque deprædarentur ipſum. Id quidem conſtat ex ijs quæ habentur in Synodo habita ſub Ioanne Papa IX.)

Quid faceret? conuerſus eſt ad patrem: atque facultates, quas inclyti ſui parentes poſſidebant, abſtulit, & larga dextera, prout poſſet, pauperibus erogauit. Et ita Deo miſerante, factum eſt, vt famis inopiam ſuo ſtudio mitigaret. Miniſtros itaquè, & familiares hinc inde perquirens, tales ſuis obſequijs aggregauit, qui & vitæ ſanctitate, & fidei ſinceritate, & ſapientiæ doctrina, & eloquentiæ facundia, & morum probitate pollerent. Cum ad prandium ſedebat, orphanos quotidie aduocabat, quos, vt filios alebat; conuocatos vero nobiles, cum corporeis paſceret cibis, ſpiritualibus epulis refouebat; & tantum Dei timorem mentis oculis ferebat, & in diuinis laudibus inſiſtebat, vt ad eius prandium ſacra per ſingulos dies lectio recitaretur. Miſſarum autem ſolemnia quotidie celebrabat, niſi cum vtilitatem populi ad ſe reclamantis perficere cupiebat, vt oppreſſos ſubleuaret, & afflictis ſubueniret. (Quomodo autem, qui à Deo pluuiam in ſui electione impetrauit, locuſtas pariter ingruentes diſſipauerit, audi.)

Cum clades itaq. locuſtarum, quæ prædeceſſoris ſui, Adriani videlicet, totam patriam penè conſumpſerant, male multiplicato germine naſci cæpiſſet, & omnia repleuiſſent, miſertus idem ſanctiſſimus Papa afflicti populi primum quidem diuulgauit, vt ſi quis de ijs vnum ſextarium caperet, & ſibi attuliſſet, quinque, vel ſex denarios ab eo perciperet. Hoc autem populi audientes, cæperunt huc, illlucq. diſcurrere, eaſq. capere, & miſericordioſiſſimo patri ad emendum portare. Sed cum illas tali argumento delere nequiſſet, ad Domini miſericordiam confugiens, in oratorium Beati Gregorij, vbi eius lectus habetur, iuxta Eccleſiam Principis Apoſtolorum veniens ſeſe cum lachrymis in orationem dedit. Cumq. diutius oraſſet, ſurrexit, & aquam proprijs manibus benedicens, Manſionarijs præcepit, dicens: Tollite, & ſingulis diſtribuite, monentes, vt in nomine Domini agros ſuos circumeant, & hanc aquam ſpargant per ſata, & vineas, petentes diuinum ſibi ſuffragari ſubſidium, Quo facto tanta omnipotentis Dei ſubſequuta eſt miſericordia, vt vbicunquè ipſa aqua aſperſa eſt, nulla penitus locuſta remaneret. Hæc circumquaquè vicini audientes, ad Vrbem confluunt, ſubueniri ſibi depoſcunt; omnem terram in pulueris modum locuſtis coopertam clamitant, quos benignus Papa benigne commonuit, de cælo auxilium petere debere contra flagellum imminens, & mox læta . . . . . Hucuſquè in Vaticano codice res Stephani Papæ: reliqua deſunt.

Baron. an. 885.

De

De laudatiſſima Romanæ Eccleſiæ conſuetudine, & ab exordio eius congenita munificentia, vſquè ad noſtra tempora retenta, & in æternum retinenda in pauperibus reficiendis, & ſubminiſtrando aduentantibus filijs ex toto Orbe, quaſi vniuerſalis Matris.
Cap. 454.

SOter Romanus Pontifex imitatus certè maiores ſuos antegreſſos Romanos Pontifices longè poſitas Eccleſias perſecutione vexatas non litteris modo conſolabatur, ſed & pecuniarum ſubſidio collato, eiſdem præſto erat. Huius quidem Soteris officij, aliorumq. Romanorum Pontificum in his præſtandis incomparabilis ſollicitudinis teſtes ſunt litteræ S. Dionyſij Corinthiorum Epiſcopi, celebris nominis in Eccleſia: de quibus hæc Euſebius tradit: Extat etiam alia Dionyſij ad Romanos epiſtola, Epiſcopo Soteri, qui tùm illam Eccleſiam gubernauit, dicata: cuius quidem verba in medium proferre, non erit ab inſtituto alienum. Nam Romanorum conſuetudinem, quæ aſſiduè ad hanc perſecutionem noſtra ætate graſſantem ſeruata eſt, magnopere approbans, iſta ſcribit: Apud vos is mos iam inueterauit, vt omnes fratres varijs afficeretis beneficijs, & Eccleſijs permultis, quæ in quaquè Ciuitate ſunt, vitæ mitteretis ſubſidia. Sic plane non ſolum egentium ſubleuatis inopiam, verùm etiam fratribus, qui ſunt ad metalla damnati, opem fertis. Sicq. per ea beneficentiæ ſubſidia, quæ iam à primis Eccleſiæ veſtræ iactis fundamentis paſſim mittere conſueuiſtis, cum ſitis Romani, Romanorum conſuetudinem à patribus traditam ſedulo obſeruatis: quam quidem certe B. Soter veſter Epiſcopus, & hactenus cuſtodiuit diligenter, & mirum in modum ſuo propenſo ſtudio adauxit: idquè non modo opes in ſanctos reficiēdos delegatas benigne ſubminiſtrando; verùm etiam fratres ad ipſum aduentantes, tanquam pater indulgens, & clemens in liberos, beato, ac pio ſermone ad virtutem cohortando. *Baron. an. 175.* *Euſeb. lib. 4. c. 23.*

Hæc de munificentia Romanorum Pontificum ab exordio Romanæ naſcentis Eccleſiæ erga ceteras Eccleſias longe lateq. poſitas, cùm fideliſſimus teſtis Dionyſius affirmat, tùm ipſe teſtatur Euſebius, eadem liberalitatis officia perſeueraſſe vſque ad vltimā Eccleſiæ perſecutionem ſua ipſius ætate graſſantem. Res quidem magna admiratione, atquè obſeruatione digna eſt, Eccleſiæ omnium principi tantam opum abundantiam Dominum contuliſſe, quæ non tantum, qualibet licet duriſſima perſecutione vrgente, ſufficere poſſet ad fideles pauperes, qui Romæ eſſent, vbertim alendos; ſed quæ non prædantium manibus auidis potuerint exhauriri, atque conſumi (haud enim putandum ſe temperaſſe à bonorum rapina, qui etiam in ipſorum corpora immaniter ſæuiebant) immo & talis, & tanta ei ſuppeditaretur bonorum copia, vt in Chriſtianos ad metalla damnatos, quorum ingens numerus eſt, ſoleret iugiter ſtipem conferre, & Eccleſias permultas pecunia afflictas ſua largitate leuare. Diuina quidem prouidentia, quæ eam matrem omnium Eccleſiarum, Petri beneficio conſtituerat, admirabili quodammodo, quo cunctis vbiq. egentibus proſpiceret, ac matris inſtar

ſtar

ſtar, eos plenis lactaret vberibus, incredibili quadam diuitiarum affluentia eadem ſemper donauit, & auxit: vt planè in hoc expletum appareat Iſaiæ
Iſa. 60. oraculum, hæc de Eccleſia prædicentis: Suges lac gentium, & mammilla Regum lactaberis: & ſcies quia ego Dominus ſaluans te. Pro ære offeram aureum, pro ferro argentum, & pro lignis æs, & pro lapidibus ferrum, & ponam viſitationem tuam pacem, & præpoſitos tuos iuſtitiam. His nempe ſignificans, magnis diuitijs Eccleſiam locupletandam, ac immenſa fore fortitudine roborandam.

At laudatiſſimam eiuſmodi Romanæ Eccleſiæ ſui ortu congenitam cōſuetudinem non tantum perſeueraſſe vſquè ad vltimam Euſebij tempore excitatam perſecutionem, ſed ſuperuenientibus ſeculis ſemper viguiſſe, exempla, quæ ſuis locis ſubijcientur, demonſtrabunt.

Pij Quinti Pontificis Romani ſingularis prouidentia, & animi celſitudo in procuranda frumentorum copia ad populum ſubleuandum. Cap. 455.

Io. Ant. Gabutius de vit. Pij V. lib. 6. c. 4. NOſtra vero ætate, Pij Quinti ſanctitas, & animi pietas per multiformia charitatis opera, omnibus perſpicua facta eſt, præſertim autem cordis eius benignitas erga pauperes illuxit: quapropter iuſſit Egenorum omnium, ac miſerabilium hominum tunc Romæ degentium nomina cenſeri, certoq. libello ſibi deſcribi, ac, quæ pro dotis tenuitate nubere non potuerant, puellas recognoſci voluit, atquè vniuerſis, pro cuiuſq. ferè neceſſitate prouidit.

At vero, vt cum pauperibus commodius ageretur, rei frumentariæ ſæpe prouidit, quæ vt ſuppeteret affluentius, graui Romanos premente penuria ex inclementia cæli profecta, tùm ex Sicilia nulla portorij ſolutione, tùm ex Gallia benigno Gallorum Regis conceſſu, Sedis Apoſtolicæ ſumptibus, nempe centum aureorum millibus, magnum in Vrbem tritici numerum comportari curauit. Quo acto ſtatuit, vt id longe viliori venderetur, quàm ementi ſibi conſtitiſſet. Qua de re Quæſtorem ærarium (vt ſunt plerumquè Principum miniſtri, priuatis Dominorum ſuorum magis, quàm publicis populorum commodis intenti) expoſtulantem, atque hoc detrimentum, quod ſanè erat haud mediocre, ægre ferentem, indeq. lucrum aliquod affectantem, reiecit PIVS, edicens, quod Reipublicæ ſaluti, gaudioq. eſſet, id non damni, ſed lucri loco ponendum: præſtareq. populum rerum ad victum neceſſariarum copia lætantem, quàm arcas otioſæ pecuniæ plenas intueri. Indignum enim Rege, atque eo magis ſummo Pontifice, quæſtum ex omni occaſione odorari, & lucellum in publico negotio quærere.

Quin etiam, vt rei frumentariæ copia in Vrbe non deeſſet, pauperumq. neceſſitatibus commodius prouideretur, nobilem Agriculturæ artem in finibus ipſius Vrbis exercentes agricolas, & alios ipſi arti præfectos magnis, & amplis muneribus, ac decretis auxit, & exornauit. Cumq. ditiores quoſdã, ac præpotentes homines propria frumenta in horreis recondere, concluſaq. ſupprimere, & donec pro eorum auaritia pretium adauctum conſpicerent,
Greg. Naz. Orat. in D. Baſil. ab omni venditione abſtinere, alijsq. malis artibus ex pauperum damno lucrum affectare intelligeret, hanc ipſe execrandam cupiditatem vehementer dete-

deteſtans, diuites ipſos, & auaros grauiſſimo decreto coercuit: & cohortatus eſt, vt Dei largitatem in ſe ipſo agnoſcentes, pauperibus benigniores in poſterum ſeſe præberent: ab huiuſmodi, vt appellabat ipſe, deteſtabili frumentario quæſtu prorſus abſtinerent, memores ſcriptum eſſe: Qui frumēta abſcondit, maledicetur in populis: Benedictio autem ſuper caput vendentium. Itaq. pauperum tenuitas, eo Pontifice, perpetuo fuit ſubſtentata benignè, & optimè ſuffulta. Prou. 11.

Effuſa, & vniuerſalis charitas erga indigentes Gregorij XIII. Cap. 456.

INſigne quidem, ac nobilis eius officij ſpecimen poſtea editum vidimus à ſanctiſſimæ memoriæ Gregorio XIII. Romano Pontifice, cuius incomparabile planè ſtudium in iuuandis pauperibus, non ſolum (vt de mendicis taceam) omnibus, honeſto præſertim loco natis, Romæ agentibus, ſed, & longe poſitis, iiſdemq. cauſa pietatis extorribus, toto plane Chriſtiano Orbe ſpectatum fuit: adeo vt nulla prouincia fuerit, quam eius effuſa largitas non peruaſerit, quæ etiam & ad Antipodas penetraret. Cuius memorabilis munificentiæ ex publicè rationibus accuratè ſumma collecta, meruit ex Senatuſconſulto, præclaro gloriæ monumento, in Capitolio vnà cum ſtatua omnium votis publice conſecrari, digno planè omnium Patris, atquè Paſtoris elogio, quod inter alia hæc verba in marmore habet inciſa: Seſtertium octingenties ſingulari beneficentia in egenos diſtributum. Eſt horum ſumma, vicies centena millia aureorum.

Sixtus Quintus pauperum inopiæ prouidere volens prægrandem pecuniam ſepoſuit, quæ ad copiam frumentorum comparandam perpetuò eſſet attributa. Cap. 457.

IN Vrbe hominibus refertiſſima, ſi fames ingruat, aut annona durior ſit, paupères maxime, quorum ingens eſt multitudo, vehementius conflictantur: quæ ex re quammulta mala dimanent, nihil neceſſe eſt multis verbis explicare, cum planè perſpicuum ſit humanarum calamitatum caput eſſe famem, & quouis mortis genere acerbiorem. Quod quidem, & mirabilis illa apud Prophetam lamentatio declarat: Omnis populus eius gemens, & quærens panem. Scientes igitur nos, licet immeritos, eius locum in terris tenere, qui non ſolum panem ſuperſubſtantialem tribuit, quo anima reficitur, ſed terrenum etiam panem, quo corpus quotidie ſubſtentatur; quique in deſerto ſemel & iterum miſericordia motus eſt ſuper turbas non habentes cibaria, eiſq. Apoſtolos ſuos panem diuinitus multiplicatum diſtribuere iuſſit; Nos quoque pro noſtra paſtorali ſolicitudine ſummopere cupimus, quantum cum Domino poſſumus, quàm longiſſimè prouidere, vt hæc noſtra Alma Vrbs, ad quam quotidie tanquam ad communem patriā, Nationes omnes confluunt, quamquè omnibus commodis, & ornamentis augere ſtudemus, non ſolum rei frumentariæ inopia nequaquam vexetur, ſed vberiore potius copia, & vtilitate, quantum fieri poteſt, perfruatur. Nec vero ignoramus bonorum omnium largitorem Deum, qui fructum frumenti,

Ex Bulla Sixti V.

menti, vini, & olei multiplicat, qui ſemen ſeminanti adminiſtrat, & panem ad manducandum præſtat; ſed illud etiam ſcimus à ſeruo ſuper familiam Domini conſtituto, & fidem, & prudentiam requiri, vt det illi cibum in tempore,& in diuinis ſcripturis pigrum ad formicam mitti,vt diſcat in æſtate parare, quod in hyeme comedat: & deniquè humanæ prouidentiæ adiumenta illa meritò laudanda eſſe, quæ ad Dei gloriam relata, eius in primis ope nituntur, & in eo præcipuè conquieſcunt. Illud autem eleemoſynæ genus Deo gratiſſimum eſſe arbitramur, quod in commune diſtributum ad omnium egeſtatem ſubleuandam maxime accõmodatur. Quamobrem nullis quamuis magnis impenſis parcentes, & publicæ, præſertim pauperum, vtilitati opportune prouidere cupientes,prægrandem pecuniam ſeponere, & certo in loco collocare decreuimus, quæ annonæ, & abundantiæ, quam appellant, perpetuo attributa ſit, reiq. frumentariæ copiæ curandæ, & comparandæ in poſterum perpetuò deſeruiat.

Vrbanus VII. omnes ſuas facultates pauperibus legauit. Cap. 458.

Vrb.VII. VRbanus ſeptimus,datis vniuerſo terrarum Orbi ſummæ ſuæ Religionis in Deum, & in pauperes, quibus omnes ſuas facultates legauit, ſignis, exiguo nimis tempore, vt in omnem viueret æternitatem, obijt.

Gregorius XIIII. ſupra centum mille aureos dari iuſſit ad famem reprimendam. Cap. 459.

Gregorius XIIII. CVm poſt Sixti V. ac mox poſt Vrbani VII. obitum magna frumenti copia Vrbe fuiſſet euecta, & ciuitas annonæ caritate laborare cæpiſſet, dein Gregorio XIIII. ſedente, frumentatio ſterilis, & frugum inopia ſuccederet, tanta breui tempore, multis Italiæ Oppidis, & in ipſa Vrbe orta eſt, vt eſurie homines enecti extra Oppida reperirentur, herbis ore ingeſtis, quibus more pecudum veſci, fame dominante, cogebantur. Pontifex huic cladi, qua nihil populo grauius, aut miſerius eſt, opem laturus, ſupra centum mille nummos aureos dari iuſſerat,quibus annonæ conſuleretur, & priuatas publicasq. eleemoſynas, benigna liberalitate diſtribuit. Edixit etiam grauiter, & ſeuere, vt frumentum quiſque proderet, ac omnibus in locis diligenter exquireretur. Sed nonnunquam immiſſa à Deo flagella humana induſtria tolli non poſſunt.

Iuſſio acris Innocentij IX. ad inuehenda in Vrbem frumenta. Cap. 460.

Innoc. IX. ALtera poſt creationem die conſilium habuit, annonæ conſulturus, cuius ea fuit ſumma, vt Romani omnes nobiles, ac proceres, triticum, quem foris haberent,in Vrbem confeſtim inueherent, annonæ Præfecto Vitellio, vt à ſe iuſſa acriter, & ſeuere perſequeretur imperauit.

Clemens

Clemens VIII. beneficus in egenos, quotidiano pauperes cibo ſuo paſcit, & miniſtrat. *Cap.* 461.

CLemens VIII. primo ſui pontificatus exordio inter alia ad diſciplinam Eccleſiaſticam componendam ſaluberrimè inſtituta, quo ceteris hoſpitalitatis, ac in pauperes beneficentiæ exemplo præluceret, quotidianæ illi menſæ tredecim ex ipſis veteri inſtituto parari ſolitæ, adiecit alteram propè cœnaculum ſuum pauperibus peregrinis, potiſſimum è remotioribus regionibus in Vrbem confluentibus, in ſingulos dies parandam: è ſua enim opiparè referta dapibus, ijſdem ſacro ritu ex more ſanctificatis, ſedens ipſe arbiter continentiæ, delectumq. adhibens, pretioſiora quæquè, ac lautiora iubet afferri pauperum menſæ, vilioribus ſibi retentis, ac modicis: tanto ſolum iudicans dignos honore Dei ſeruos, ipſos pauperes, Chriſti vicem agentes, Vicarius ipſe Chriſti, vel ſeruus ſeruorum Dei. Cuius quidem beneficentia, & pietas omnibus nota facta eſt.

Pauli V. pia, & ſingularis prouidentia ad pellendam ex Vrbe famem, & panis affluentiam curandam. *Cap.* 462.

SEd ſi quis vnquam Pontifex egregiam nauauit operam, vt numeroſus Vrbis populus, non laboraret victus inopia, ſed perpetua frueretur vbertate, certè his diebus Sanctiſſimus Dominus Noſter Paulus Quintus ſingulari pietate, & ſolicito ſtudio hoc ipſum præſtat. Nam optimorum Pontificum ſequutus exempla, & in laudatiſſima Romanæ Eccleſiæ conſuetudine perſeuerans, non ſatis ei fuit populum ſibi commiſſum in pacis perpetuæ tranquillitate, & decore iuſtitiæ retinuiſſe, ſed vt nihil populo ſuo vlla in re deeſſet, in loco paſcuæ collocauit eum, prouidens ei paterna ſolicitudine, vt non comedat amplius panem arctum, & bibat aquã breuem, ſed fruatur abundantia panis in ſaturitate apud aquas refectionis: Aquas, ſcilicet fideles, & largiſſimas ex longinquò adducens, & triticẽ confertas menſuras, conferens in ſinum pauperum. Quapropter, vt hodie, & in poſterum confirmet pauperes, & egenos robore panis, & vt præſtet ouibus ſuis eſcam deſiderabilem, ne forte temporum iniuria, & mercatorum auaritia, & ciuium, qui volunt diuites fieri cupiditate, rabida fames Vrbẽ inuaderet, eaq. graſſante percrebreſcerent mala famis occaſione proficiſcentia, in hoc potiſſimum inuigilat, & ſolerti cura elaborat, vt populus ſuus in quotidiana victus ratione, bene diſponatur, adhibitis diligentiſſimis curatoribus, qui frumentandi gratia per territoria vbere gleba fœcunda ambulantes, quantam poſſint frumentorum vim comparent, vt tritici firmamento Vrbs fulciatur.

Quòd ſi contingat propter ſteriles forſan prouentus, frumenta carius venundari, ex huiuſmodi tùm penuria illud prouidentiſſime pio Pontificis ſtudio factum eſt, vt populus à maiori pretio diminutum panem hac occaſione non comedat, ſed adhuc idem panis pondus eodem vili pretio, quo in vbertate emebat, emendo recipiat, quo fit vt vile pretium fiat nobili & abſcondita eleemoſyna pretioſiſſimum: ipſo ſcilicet Pontifice reliquum pretij, prægrandis

grandis ſumptibus liberaliſſime erogante. Quod largitionis munus, quamuis inuiſibile, commune eſt omnibus & perpetuum; miſerendo enim: ſuper turbam, aperit manum ſuam, & implet omnes benedictione. Vt hodie auribus, & oculis noſtris mœrore, & lætitia mixtum ſpectaculum oboriatur, dum multas in Italia vrbes audimus annonæ penuria premi, & fame vexari, & perſpicimus Vrbem cum numeroſis incolis ſuis, penuriæ tempore, Paſtoris ſui benificentia, & vigilantia, vbertatis commoda ſentire, & fiducialiter vitam ducendo, famis rabiem non pertimeſcere.

S. Caroli Borromæi vigilantia, & ſtudium, admirabiliſq. praxis ad alendos pauperes tempore famis, & peſtis. Cap. 463.

S. Carolus Borro Act. Med. Conc. Prou. 1.

SVmmam vim, ac neceſſitatem habet illa Domini ſententia: Speculatorem dedi te domui Iſrael: & alio item loco: Diligenter agnoſce vultum pecoris tui, & conſidera ſuper greges tuos; vt Epiſcopi quanta maxima poſſunt diligentia, obſeruent ſibi commendatum gregem, neque ab eo vnquam oculos deijciant, quid ei opus ſit animaduertentes, vt ex Prophetæ ſententia; confractas partes alligare, infirmas conſolidare, ægrotas ſanare, abiectas oues reducere, perditas requirere, & recuperare poſſint.

Quoniam vero luſtrare omnia proprijs oculis nequeunt, In ſingulis Parochijs deligant certos, ac probatos viros, qui inueſtigent, an populus ambulet in vijs Domini; an aliquid ſit, quod Epiſcopi cognitionem, & medicinam deſideret; an aliquid quod corrigi, & emendari debeat: quæquè compererint, fideliter ad Epiſcopum deferant.

Parochus etiam librum habeat, in quo omnium, qui in eius parochia ſunt, nomina & cognomina quàmprimum deſcribat, ſingulorumq. ſexum, ætatem, & ſtatum. In eo deinceps deſcribat & recenter natos, & mortuos, & in Parochiam habitatum venientes, & inde emigrantes; quem librũ Epiſcopo, quoties is petierit, vel inſpiciendum, vel deſcribendum dabit.

Obſeruabit etiam ſuæ Parochiæ nouos inquilinos, deq. eorum orthodoxa fide, & ſacramentorum perceptione, deq. mulieribus, quas ſecum habuerint, an matrimonij, cognationis, affinitatis vinculo verè coniunctæ ſint, an impudicitiæ nomine ſuſpectæ, ab eo ſacerdote, in cuius parochia proximè habitarint, & à Parochiæ incolis accuratè cognoſcet.

Inquirat autem ſtudioſè de pauperibus ſuæ Parochiæ, præſertim puellis nubilibus, de viduis, orphanis, pupillis, ægrotis, ſenio confectis, alijsq perſonis, temporali, vel etiam ſpirituali miſericordia indigentibus, quibus & ipſe pro viribus opitulari, & alios ſuo exemplo, & hortatu ad id officium incitare ſtudeat.

Præcipue vero de ijs omnibus ſæpe certiorem faciat Epiſcopum, vt qui communis eorum pater eſt, ijſdem paternam curam, & pietatem quacunque poterit ratione præſtet.

Quamobrem etiam Epiſcopus quotannis per ſacra quatuor anni tempora, ſuæ Ciuitatis Parochos adhibebit, & illis de eorum animarum ſtatu, quarum curæ præpoſiti ſunt, diligenter interrogatis, omnia commemoret, quæ eorum officij munus contineant; eiſq. & doctoris diligentiam, & paſtoris vigilantiam præſtabit.

Epiſcopi omnem curam, & operam ſuam conferant ad erigenda, & inſtituenda ex auctoritate ſummi Pontificis loca pia, quæ Montes Pietatis appellantur, in ſingulis Ciuitatibus, & inſignioribus Oppidis, vnde mutuas pecunias pauperes poſſint accipere.

Eaquè, & quæ iam conſtituta ſunt, ſtudiosè & fideliter adminiſtranda curent.

Principes autem, & Magiſtratus obſecramus, vt ea in re Epiſcoporum ſtudium & diligentiam omni ope adiuuent.

Videant in primis, omniq. ratione præcaueant, vt cum in peſte difficultas annonæ ſimul ineſſe ſoleat, ne quid ad rei frumentariæ, omnisq. annonæ vbertatem deſit, ac proinde cautionem diligentiſſimam adhibeant, vt nemo quiſquam ſit, qui neceſſario eo tempore frumentum ſupprimat: cum præſertim ſæpe fiat, vt grauiſſimo illo tempore longè plures (quemadmodum vſu compertum, litterisq. traditum eſt) fame necentur, quàm peſtilentia extinguantur. Conc. Prou. 5.

Quamobrem omnes, qui opibus circumfluunt, & ipſi magiſtratus præſertim, qui Ciuitati præſunt, propoſitum ſibi aliquando habebunt præclarum illud exemplum ſanctiſſimi Pontificis Gregorij Magni, qui & in peſte, & in annonæ caritate apertis publicis horreis frumentaria largitione vſus eſt ad populi laborantis ſuſtentationem.

Rationem præterea Epiſcopus cum eiſdem Magiſtratibus inibit, vt tùm ex publico ærario, cenſuuè, tùm etiam eleemoſynis & omni alia ſubueniendi via, multorum inopia egeſtateue laborantium victui neceſſario ſuccurratur; eo præſertim afflicto tempore, quo præ peſtis periculo, & metu, artificia, negociationes, nundinationes, & quæſtus, mercaturæue commercium, agrorum cultura, & omnes aliæ cuiuſcunque opificij exercitationes langueſcunt, aut etiam magna ex parte ceſſant, vnde homines ſibi victum parare ſolent, quo fit, vt innumerabiles homines, qui aliàs ab omni re inopes non ſunt, ſæpiſſimè ex fame laborent.

Quo in officio omni ita Epiſcopus ſe geret, vt cum ſe eleemoſynarum largitionibus, pauperum, miſerabiliumq. hominum, verè parentem paſtoremq. oſtenderit; exemplo etiam ſuo non minus quàm cohortationibus, omniq. alio officio, ceteros ad illorum ſuſtentationem alliciat atque inflammet.

Vt vero quò ad ſuſtentationē ſatis eſſe poſſit, omnino procuretur, vt omnes, & ſinguli, quibus ſubueniendum erit, certo libro recte ordineq. deſcribantur.

Qua in re Monaſteriorum etiam, & piorum Collegiorum, tàm virorum, quàm feminarum, ac pauperum Clericorum ratio habebitur, quibus neceſſario eo tempore aliquid in eleemoſynam conferendum erit.

Tantum verò abſit, vt inopes & pauperes, pro quibus etiam Chriſtus Dominus ſanguinem profudit, è Ciuitate, Oppidis, pagiſue, ab omni ope deſtituti exturbentur, vt non modo aliorum, ſed mendicantium etiam ratio habeatur; ea ſcilicet, vt in vnum locum congregentur omnes, vbi cùm alimenta corporis, tùm maximè omnia adiumenta ſpiritualia ſuppeditentur.

Parochi etiam, vbi inſtituta non eſt, in ſua quiſque ratione Parochiali

V u Con-

Confraternitatem Scholamue hominum Charitatis nomine, Epiſcopali au-ctoritate inſtituent.

Cuius Confraternitatis erit, neceſſario illo tempore,& eleemoſynas colligere, & cetera charitatis officia obire ac præſtare, quibus pauperes, & egentiſſimi homines ſubleuentur.

Scholæ Charitatis homines, Parocho deſcribendis Parochiæ pauperibus operam nauabunt, quos ſemel diligenter deſcriptos, ſæpè generatim recognoſcent. Qua in recognitione ſi quid vel addendum, vel mutandum viderint, id Parocho nunciabunt; qui in deſcriptionis libro notabit, quod eo in genere opus erit, & Epiſcopo etiam referet.

Ijdem ſingulis diebus ſedulò pauperes inuiſent, eosq. præſertim, qui peſte tabeſcunt, ſuſpectiuè ſunt.

Si quos inuenerint, qui recenter in morbum inciderint, quive ſpiritualis alicuius adiumenti indigeant, de ijs eundem Parochum certiorem facient.

Ipſi verò ſollicito ſtudio in id incumbent, vt quæ ad corporis vſum neceſſaria ſunt pauperibus, peſteq. affectis, vndiquè conquirant.

Vt autem omni ex parte cumulatoria Charitatis ſubſidia comparent, cùm ad Epiſcopum, tùm ad Præfectos regionarios,Vicariosue foraneos,& parochos, perſugium ſæpiſſimè habebunt, quorum etiam auctoritate ad omnem eleemoſynæ, pijq. ſubſidij conquiſitionem atque apparatum vtentur; ſæpè etiam magiſtratum, & decuriones conuenient, vt opus erit.

Id Parochus præter cetera maximè parochiales ſuos cohortabitur, vt his præſertim peſtilentiæ temporibus omni commiſeratione dignis, quantam maximam per facultates poſſunt, eleemoſynam conferant, ad ſubleuandas neceſſitates, non ſolum peſte laborantium ſuſpectorumve,ſed aliorum etiam omnium qui rerum inopia premuntur.

Quam ob cauſam ſingulis hebdomadis ſemel, atque adeo ſæpius rariusvè, prout neceſſitas vrget, parochialiumq. opes ferunt, viciniam ſuam adhibitis Charitatis ſodalibus in omnes partes obibit, omniq. ſtudio, & charitatis pia contentione, eleemoſynam, quæ in eorum miſerabilium vſum erogetur, ab omnibus efflagitabit.

In Eccleſia præterea parochiali, in omniq. viciniæ parte, præſertim pro foribus eorum, qui peſte infecti ſuſpectiuè ſunt, capſulas aliquas duabus clauibus inter ſe diuerſis ſingulas clauſas, certoq. ſigno, quod præcipuum Epiſcopus conſtituerit, notataſq. & diſtinctas publicè proponet, atque affiget, in quas oblatæ eleemoſynæ eo nomine conijciantur.

E clauibus illis duabus vnam ipſe Parochus, & alteram ille ex Confratribus Charitatis aſſeruabit, quem Epiſcopus,Præfectusvè, vel Vicarius foraneus delegerit.

Si qua in Parochiali vicinia complures ſunt, vel peſtifera labe inquinati, vel ſuſpecti, vel alij inopes homines, quibus aliunde non ſatis ſuccurri poſſit, Parochus ad Epiſcopum confugiet, cuius conceſſu in finitima etiam vicinia parochiali capſulam eleemoſynæ proponere, aut alia ratione ſubſidia charitatis comparare poſſit ad illorum ſuſtentationem.

Vt autem neceſſario eo tempore pauperum egeſtati vndique ſuccurratur, eam facultatem, ſi ita neceſſitas tulerit, Epiſcopus aliquando permittet, vt piorum locorum Præfecti, curatoresvè eleemoſynarum, quas certo præſcripto

pro tempore dari moris eſt, diſtributionem anticipent, vtpotè quæ eleemoſyna ſemeſtri, aut longioris temporis ſpatio in egentium vſum erogari conſueuerat, ea omnis duobus tribusvè menſibus, aut breuiori tempore, prout opus erit, diſtribuatur.

Ea autem cautio adhibebitur, vt ne eleemoſynæ diſtribuendæ ratio atque vſus, ſine legitima auctoritate, & facultate vnquam immutetur; verbi gratia, quod puellis, virginibusvè nuptui dandis in dotem pia liberalitate erogari ſolet aut debet, ne in panis eleemoſynam, aliudvè genus conuertatur.

Nec vero piorum locorum prædia, aliauè bona immobilia, hypothecæ pignoriuè dentur, aut alienentur; contra ac teſtatorum voluntate, canonum iure, Pontificijs Conſtitutionibus, & Conciliorum aut Synodi Prouincialis noſtræ primæ decretis cautum eſt.

Omnis eleemoſyna, quæ à Charitatis Confratribus congeretur, de Parochi, aut Præfecti regionarij, aut Vicarij foranei conſilio & aſſenſu, in eorum hominum vſum neceſſarium erogabitur. In eleemoſynæ autem erogatione, habebitur ratio cùm in primis inopiæ, paupertatisq. ſacerdotum, & monaſteriorum cuiuſuis generis & ordinis, tùm hoſpitalium, ædium, locorumvè, quæ intra parochialis viciniæ fines ſita ſunt. Quibus ſacerdotibus & monaſterijs ex ærario etiam publico, aut cenſu, vnde reliqui pauperes ſuſtentantur, neceſſaria alimenta ſubminiſtrari oportebit, cùm ob alias cauſas, tùm quia publico Eccleſiæ nomine, religioſi illi homines quotidianis ſacrificijs, ſupplicationibus, diuinorumq. officiorum cultu, & moniales etiam ſacra lachrymarum vi, peccatorum deploratione, gemitu, vigilijs, ieiunio, atque aſſidua oratione, Dei iram afflictiſſimo illo tempore placare contendunt.

Cauebit autem Parochus, ne rei cuiuſquam, quæ ad corporales quorumuis hominum, etiam peſte laborantium, ſuſpectorumuè neceſſitates pertineat, præcipuam curam, præcipuumq. onus ſibi ſuſcipiat, quo retardetur, aut impediatur, quin proprium curæ ſuæ officium exequatur, quod totum in rerum ſpiritualium procuratione atque adminiſtratione verſari in primis debet. Ideo ab ordinario munere eleemoſynæ diſtribuendæ, ſubuentionisq. publicæ erogandæ abſtinebit.

Si quo autem in loco, & pauperum ingens neceſſitas, & penuria hominum, vt id muneris rectè gerere poſſit, aliquando hoc ſuadebit, vt iſtiuſmodi pondus ipſe ſuſcipiat ac ſubſtineat, Epiſcopum adibit, cuius facultate illud ſubeat, ac gerat.

Adhibere autem ſecum ſemper ſtudebit pios aliquot parochialis Viciniæ homines, aut Confratres Charitatis, quos tùm adiutores, tùm etiam teſtes fidelis diſpenſationis habebit.

Hoc etiam ipſum & Præfectus regionarius, & Vicarius foraneus exequi præſtareq. curabunt.

Vt omnis eleemoſynæ, quæcumque ſit, quæ colligetur, quibus oportet, rectèq. diſtribuatur, nec verò impudenter vſurpetur, atque abſorbeatur ab ijs, qui aliunde cum habeant vnde viuant, iniqua illa vſurpatione exitium animæ ſuæ pariunt, & vitæ periculum illis præbent, qui ſumma rerum omnium anguſtia premuntur: ideo Regionarius præfectus, Vicarius foraneus, Viſitator Epiſcopalis, & Parochus in primis omni opportuna ratione

(vbicumque ſunt, qui peſtis ſuſpicionisvè cauſa domi incluſi, aut etiam inopiæ nomine, illam etiam pro foribus, aut de feneſtris efflagitant) iſtos, & aliquando populum vniuerſum, prout occaſio tulerit, id grauiter monebit, docebitq. peccati mortalis vinculo irretitos teneri, ſi qui ſunt, qui conſequendæ eleemoſynæ cauſam aliquam prætexunt & aſſimulant: atque adeo ſi quam eo nomine, & cauſæ ſimulatione conſequuntur, planè reſtituere debent.

Quamobrem grauiſſimè peccabunt, quicumque eleemoſynam capient, illis egentibus hominibus ſolùm conſtitutam, qui aliunde certo recluſionis, aliovè præſtituto tempore non habent, vnde victum ſibi parent, ſi reuera ipſi in eo paupertatis ſtatu non ſunt: nec verò eam eleemoſynam ſine conſcientiæ offenſione, & labe retinere vllo modo poterunt; præſertim ſi ipſius eleemoſynæ curatores, aliqua ſignificatione, rationeuè præcauerint, ſe conſtituiſſe, ijs tantum, qui ea inopia paupertateuè premuntur, illam diſtribuere.

Cardinalis Varmienſis imitanda pietas, & excellens beneficentia in fameſcentes reficiendos. Cap. 464.

Ex vit. Staniſlai Hoſii Card. Varmien.

STaniſlai Hoſij, Cardinalis Varmienſis Poloni, virtus & pietas ſingulariter floruit temporibus noſtris. Nunquam enim animum eius, aut amor nummi, aut auaritiæ ſordes inuaſerunt. Etiam in hac propè iam acta ætatis ſuæ parte (quæ ei vitio plerunque ſuccumbere cōſueuiſſe exiſtimatur) vſque ad extremum diem vitæ, hilaris ſemper dator, & propterea etiam Deo dilectus extitit. Qui domeſticas illas impenſas, egentium greges, liberalitatem in Collegia, Monaſteria, Hoſpitalia, in viros doctos, ſcriptores, concionatores, quorum egeſtatem in Gallia, Germania, Flandria, Polonia, miſſa pecunia ſubleuabat, & in librorum ſuppellectilem, diligentius cum animo ſuo reputare voluerit, non poterit profectò non mirari, quomodo tàm exigui cenſus, quos habebat, ad explendos tantos ſumptus ſufficere poterant. ſed illi ad hæc neceſſaria ſufficiebant, quia ad ſuperflua & minimè neceſſaria nullam eorum partem conuertebat: qua de re ſic alicubi ſcripſit, doctiſſimus ille Theologus, & Chriſti exul, Nicolaus Sanderus: Nam vt de ſolis Anglis loquar, quis Romam venit ex vlla orbis parte, qui domum Hoſij, non experiatur hoſpitium ſuum? Habent ibi locum ſuum Presbyteri, habent illuſtres, habent & milites, denique Fratres etiam minores, etiam minimi, Hoſij hoſpitaliſſimi Cardinalis nomen non minus diligunt, quàm honorant. Germani, Angli, Bohemi, Vngari, Sclaui, Moſci, in domum Hoſij, tamquam ad commune miſeriarum perfugium confluebant, neminem à conſpectu atque à colloquio reiecit: ſed cum portus domus, & ingreſſum ſcalarum obſediſſent, pro veteri ſua conſuetudine, audiebat ſingulos placidiſſimè, libellos ſupplices ex omnium manibus ipſe excipiebat, nec vnquam quemquam ſupplicantem indonatum admittebat; immò ſæpe verbis placidiſſimis, exilium, egeſtatem, nuditatem, & alia incommoda, quibus ſe oppreſſos queritabantur, conſolatus eſt. Sæpe etiam Reſcium illis oſtendens; Nolite, inquit, iſtum in Regnum Cælorū intromittere, ſi vos malè expedierit. Innuens eos (ſicut olim ad ſuos quoq; familiares ſolitus erat dicere S. Oddo Abbas

Abbas Cluniacen.) paradiſi eſſe ianitores, & cæli oſtiarios, & propterea in honore habendos. Si quando autem ſolito pauciores conueniſſe videbat, culpam omnem in ſuos referebat; quaſi minus placidè, minusvè liberaliter venientes acciperent, aut etiam domus ſuæ aditu prohiberent. Trecentos aliquando Moſchos, & Ruthenos Turcarum captiuos, per aliquot dies in domo eius, menſa & prandio exceptos vidimus, cùm in patriam ſuam poſt inſignem illam, & memorabilem Turcarum cladem, apud Naupactum à claſſe Chriſtiana factam libertate donati, per Vrbem reuerterentur, quorum pleroſque etiam in fidei negocijs inſtruendos curabat, & ad verum, ac legitimum Patriarchã Conſtantinop. qui tùm erat Scipio Card. de Piſis mittebat, vt hunc potius pro paſtore, Patriarchaq. ſuo, quàm illum quẽ ſe Conſtantinopoli vidiſſe, & ſalutaſſe gloriabantur, agnoſcerent, ac ab eo benedictionem acciperent. Viatico quoque ſingulos vt poterat, ſubleuabat, ac vt à Pontifice quoque ſubleuarentur, ſæpe laborabat.

Inueniebat enim animus eius materiam liberalitatis, etiam in anguſtijs paupertatis. Non raro enim & hoc in Hoſij domo accidebat, vt ad explendas omnium indigentium neceſſitates pecunia deficeret, quòd cum illi pecuniarum adminiſtri denuntiarent: non defecit vnquam, aiebat, apud me pro pauperibus Chriſti pecunia, neque deficiet. Vendite vaſa, aut veſtem aliquam, aut quidpiam ex domeſtica ſuppellectili diſtrahite, & pauperum neceſſitatibus ſine mora ſuccurrite, nec vnquam patimini pauperem indonatum ex domo mea recedere. Quam rem cùm aliquando cognouiſſet, vir animi excelſi, iudicijq. maturitate laudatus, Chriſtophorus Madrucius Cardinalis Tridentinus manu ſua propria, in hæc illi verba ex Oppido ſuo Soriano ſcripſit: Vix poſſum æquo animo ferre, quod optimus Orthodoxæ religionis parens, & de Apoſtolica Sede adeò benemeritus, cogatur propter rẽ anguſtam domi ab Vrbe ſecedere, & cum illa veneranda canicie verſari in locis, quæ vix hyemali tempore florida iuuentus poſſet perferre, & pati, donec penè ab vltima Thyle, & ab Herculeis columnis remedium afferatur. O tempora, ò mores! doleo ego mirum in modum, quòd ea præſtare non poſſum, quæ geſtiret animus adimplere, & quæ ſanctitas, & eruditio tanta mereretur. Quod autem habeo, hoc Ill. D. V. offero ex corde humiles has meas caſas, & dimidium panem mearum qualiumcumque fortunarum. Non ſolum autem verbis obtulit, ſed re, quod obtulit, præſtitit, miſſa ad vſum Hoſij non contemnenda pecunia.

Non abſimile officij genus præſtitit vir, & natalium ſplendore, & animi magnitudine excellentiſſimus, Aloyſius Cardinalis Eſtenſis, & patruus eius Hippolytus Card. Ferrarienſis. Omnium autem liberaliſſimè neceſſitatibus Hoſij ſuccurrere conſueuerat, pientiſſimus Pontifex Gregorius XIII. qui nonnunquam, remotis arbitris, in cubiculo ſuo, oblata ſponte ſua magna pecunia, ſumma cum beneuolentiæ, paterniq. animi ſignificatione, onuſtum à conſpectu ſuo dimittebat, vt illi exercendæ liberalitatis in egenos, & inopes, quorum greges in illius domo videbantur, materiam miniſtraret.

De Polonis autem noſtris quid dicam? quos paterno prorſus affectu, & beneuolentia tanquam filios chariſſimos diligebat. Et cum ad officium Epiſcopi, hoſpitalitatis quoque virtutem pertinere meminiſſet, valdeq. decorum

eſſe, patere domos illuſtrium virorum illuſtribus hoſpitibus, volebat vt ijs præcipuè domus quoque ſua apertiſſima, & perhoſpitalis eſſet. Quamobrem ſæpe Regum, & Principum miniſtros Romam venientes, ſæpe priuatos quoque nobiles & amicos, ſæpe etiam egeſtate oppreſſos, & patronis tectoq. deſtitutos, domo, hoſpitio, menſa, per multos aliquando menſes accipiebat: conſilio, auxilio, ſtudio, re, opera quoſcumque poterat, magna cum alacritate adiuuabat.

Et cum eſſent, interregni tempore, quod mortem Sigiſmundi Auguſti Regis Poloniæ conſecutum eſt, tùm etiam propter graſſantem in Lombardia peſtem, omnia ferè itinera clauſa, ita vt nec litteræ, nec pecuniæ ex Polonia in Italiam importari poſſent, & multi Poloni nobiles in ſumma pecuniæ neceſſitate verſarētur, vt illorum egeſtati ſuccurreret, liberalitate ſua, partem neceſſariæ ſuppellectilis, pro pignore tradere, & quam potuit pecuniam corradere maluit, quàm eorum neceſſitatibus deeſſe: menſtruumquè ſubſidium ſingulis aſſignabat, etiamſi ipſe quoque in eadem planè naui veheretur, & ijſdem infortunijs eſſet, quibus reliqui Poloni, expoſitus.

Peregrinos autem, & mendicos in domum ſuam recipiebat, faciens ex ea, ſicut iubet Chryſoſtomus, Xenodochium: ſegregans cellulam, ſtatuens lectulum, menſam, lucernam, tamquam Chriſtum ipſum in ea recepturus eſſet: & alios præterea non paucos alebat quotidie. Aliquando ſimul omnes
Tob. 4. eadem menſa excipiebat, iuxta illud Tobiæ: Panem tuum cum egentibus, & eſurientibus comede, & de veſtimentis tuis nudos tege: & piam illam, & veterem maiorum noſtrorum cantilenam, de intemerata Virgine Maria, Bogu Rodzica nuncupatam, canentes magna cum animi ſui voluptate, & dulciſſimis lachrymis audiebat. Anno vero ſancto, ad quatuor Vrbis ſtationum Eccleſias deducebat, ſanctiſſimam Euchariſtiam manibus ſuis diſtribuebat, ſanctorum reliquias, ſepulchra, martyria, ſpecus, cæmiteria, vt viſerent, procurabat; ſingulorum etiam victorias, & triumphos recitari iubebat; multos in patriam redeuntes veſtibus, omnes viatico donabat, litteriſq. patentibus commendabat. Et cùm à nonnullis admoneretur, vt domeſticæ quoque neceſſitatis rationem duceret, ac parcius aliquanto ſeminaret: neſcire ſe dicebat, quantum indigenti & mendico ſatis eſſet, ſed ſcire, quantum præſtare Chriſti patrimonij diſpenſatorem oporteret. Omnibus dandam eſſe eleemoſynam dicebat, ne Chriſto negaretur. Aegrotantes etiam ſæpe per alios, quoſdam etiam in Hoſpitali Conſolationis nuncupato, decumbentes ipſe viſitabat, & conſolantium officio fungebatur. Solebat enim ægrotantium quoque ſingularem curam gerere. Si qui domui ſuæ decumbebant, quotidie viſitare, aſſidere, conſolari, hortari ad patientiam. Non ſatis habuit remedia ſuppeditare; ſollicitus adſuit, ad ſuſpecta tempora occurrit, nullum illi ægrotantis miniſterium faſtidio fuit. In tanta turba negociorum præcipuam curam de ægrotantis valetudine ſemper habuit. Sæpe etiam exemplo S. Dominici ad ægrotantem cum hoc nuncio mittebat: Abi, & dic me iuſſiſſe, ne deinceps febricitet, ac facta dictis nonnunquam reſpondiſſe. Cum autem & hoc quoque Clementis D. Petri ſucceſſoris præceptū meminiſſet, vt Epiſcopus ne ſit *μονόφαγος*, nunquam ſolus ad menſam, & cibum aſſedit. Maluit aliquando vltra horam ſolitam refectionem differre, dum aliquem conuiuam inueniret, quàm buccellam panis ſolus comede-

re:

tè, quam ſe quoque nunquam ſolum comediſſe patientiſſimus ille Iob glo- *Iob.* 31.
riatur.

Ciuis Florentinus pallium pretioſum à paupere furatum, non ſolum non recuperat, ſed ad domum furis tranſmittit panem & triticum; & cum magna fames vexaret vrbem, pluſquam quatuor millia pauperum pauit. Cap. 465.

MArcus de Nigro Ciuis Florentinus referebat de Auo ſuo, quod vir quidam pauper furatus fuerat ei pallium pretioſum penuriæ tempore; quod cum ei manifeſtatum fuiſſet, & poſſet furtum ex manibus deprehenſi furis abripere, noluit, ſed iuſſit famulum ſuum obſeruare, quónam pallium ferret, & quid de illo faceret. Famulus autem obſeruans vidit furem vendentem pallium, & de pecunia ementem panes: erat autem magna annonæ charitas anno illo, & fur ille fame diſcruciabatur; quapropter non ſolum pallium illud recuperare noluit, ſed ad domum furis panem, & triticum vltrò tranſmiſit. Creuit autem taliter eius pietas, & in egentes commiſeratio, vt cum alio tempore Florentini magna panis vrgerentur penuria, miſericordia motus, ipſe ſolus pluſquàm quatuor millia pauperum ſumptibus ſuis pauerit. Saturabantur illi in indigentia ſua, ſed non ſaturabatur ipſe in beneficentia ſua, ſemper quærens, quem paſceret. Hic cum aliquando in morbum incidiſſet, & morti proximus eſſet, apparuit ei veneranda mulier, quæ exitum eius obſeruabat; Eo autem vita functo, amplius non apparuit. Opinati ſunt nonnulli mulierem iſtam, fuiſſe beatam Martham, Lazari, & Magdalenæ ſororem.

De laico quodam deuoto, qui ſedulæ piæq. exercitationi vacabat ſemper, vt diurno opere, & nocturna lucubratione pauperes paſceret. Cap. 466.

REferebat etiam nobis Epiſcopus Tudertinus, Angelus Cæſius, qui per triginta propè annos illam gubernauit eccleſiam, quiquè Eccleſiæ noſtræ nobiliſſimum extruxit ſacellum, & anteriorem templi partem lapide Tiburtino magnifica conſtructione perfecit, fuiſſe in Ciuitate Narnij Virum quendam laicum, nomine Theodorum Cardonem, qui mirum in modum delectabatur exercere ſe in pietatis actibus, viſitando eos, qui in carceribus tenebantur, & ægros in infirmitatibus eorum; Et ſi quos diffidentes, & diſcordes eſſe reſciuiſſet inimicitiæ cauſa, illud procurabat, vt ad amicitiam, & pacem reuocaret. Viſitabat quotidie Capuccinorum monaſterium. Præſertim autem in hoc totus erat, & magna animi alacritate operâ dabat, vt pauperes, & egentes viros, & familias fame laborantes, qua poterat charitate reficeret; quapropter eleemoſynas perpetuo largiebatur, & ſicut alter Nicolaus Mirenſis Epiſcopus, ſecreta nocte obambulans vicos Ciuitatis, in pauperum domunculis per feneſtellas pecuniam introrſum proijciebat, aut ſubter valuas per foramen, per quod feles ingredi, & egredi ſolét, panes aliquos

ponebat, vt de mane ſurgentes pauperes, panis benedictionem reperirent, & famem pellerent. Ecce quomodo viri, in ſeculo viuentes, ſi ſint humiles, Pſal.111. benigni, & deuoti, rapiunt cælum, & diſponunt ſermones ſuos in iudicio, vt non commoueantur in æternum.

Poſt hæc ſubijciamus hic aliqua, quæ à Diuo Paulo in Chriſti fide diſſeminanda, magnifice geſta ſunt.

Paulus claudum ab vtero matris ſolo verbo coram turba plurima rectum ambulare facit: Turba admirans putat Paulum, & Barnabam eſſe Deos, Iouem ſcilicet, & Mercurium, & volentes eis ſacrificare, vix ab Apoſtolis diſſuadentur: ſuperuenientes Iudæi incitant gentes ad lapidandum Paulum, qui diſcedens euangelizat alijs ciuitatibus. Cap. 467.

Ex Actib. Apoſt. c. 14. FActum eſt autē in Iconio, vt Paulus, & Barnabas ſimul introirent Synagogam Iudæorum, & loquerentur, ita vt crederet Iudæorum, & Græcorũ copioſa multitudo; qui vero increduli fuerunt Iudæi, ſuſcitauerunt, & ad iracundiam concitauerunt animas gentium aduerſus fratres. Multo igitur tempore demorati ſunt fiducialiter agentes in Domino, teſtimonium perhibente verbo gratiæ ſuæ, dante ſigna, & prodigia fieri per manus eorum. Diuiſa eſt autem multitudo ciuitatis, & quidam quidem erant cum Iudæis, quidam vero cum Apoſtolis. Cum autem factus eſſet impetus Gentilium, & Iudæorum cum principibus ſuis, vt contumelijs afficerent, & lapidarent eos: intelligentes confugerunt ad ciuitates Licaoniæ, Liſtram, & Derben, & vniuerſam in circuitu regionem, & ibi euangelizantes erant. Paulus autem, & Barnabas morabantur Lyſtris. Et quidam vir Lyſtris infirmus pedibus ſedebat claudus ex vtero matris ſuæ, qui nunquam ambulauerat. Hic audiuit Paulum loquentem: qui intuitus eum, & videns quia fidem haberet, vt ſaluus fieret, dixit magna voce: Surge ſuper pedes tuos rectus: & exiliuit, & ambulabat: Turbæ autem cum vidiſſent, quod fecerat Paulus, leuauerunt vocem ſuam Licaonicè dicentes; Dij ſimiles facti hominibus deſcenderunt ad nos: & vocabant Barnabam Iouem, Paulum vero Mercurium: quoniam ipſe erat dux verbi. Sacerdos quoque Iouis, qui erat ante ciuitatē, tauros, & coronas ante ianuas afferens cum populis volebat ſacrificare. Quod vbi audierunt Apoſtoli, Barnabas, & Paulus, conſciſſis tunicis ſuis exilierunt in turbas, clamantes, & dicentes: Viri, quid hæc facitis? & nos mortales ſumus ſimiles vobis, homines annunciantes vobis ab his vanis conuerti ad Deum viuum, qui fecit cælum, & terram, & mare, & omnia, quæ in eis ſunt: qui in præteritis generationibus dimiſit omnes gentes ingredi vias ſuas: & quidem non ſine teſtimonio ſemetipſum reliquit benefaciens de cælo dans pluuias, & tempora fructifera, implens cibo, & lætitia corda eorum. Et hæc dicentes vix ſedauerunt turbas, ne ſibi immolarent. Superuenerunt autem quidam ab Antiochia, & Iconio Iudæi, & perſuaſis turbis, lapidanteſq. Paulum traxerunt extra ciuitatem, exiſtimantes eum mortuum eſſe. Circumdantibus autem eum diſcipulis, ſurgens intrauit ciuitatem, & poſtero die profectus eſt cum Barnaba in Derben: cumq. euangeli-

geliẓaſſent ciuitati illi, & docuiſſent multos, reuerſi ſunt Lyſtrũ, & Iconium, & Antiochiam, confirmantes animas diſcipulorum, exhortanteſq. vt permanerent in fide, & quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Et cum cõſtituiſſent illis per ſingulas Eccleſias presbyteros, & oraſſent cum ieiunationibus, commendauerunt eos Domino, in quem crediderunt: tranſeunteſq. Piſidiam venerunt in Pamphiliam, & loquentes verbum Domini in Pergen, deſcenderunt in Ataliam, & inde nauigauerunt Antiochiam, vnde erant traditi gratiæ Dei in opus, quod compleuerunt. Cum autem veniſſent, & congregaſſent Eccleſiam, retulerunt quanta feciſſet Deus cum illis, & quia aperuiſſet gentibus oſtium fidei. Morati ſunt autem tempus non modicum cum diſcipulis.

Paulus iunctus Timotheo prædicat in Macedonia ciuitate Philippis: exinde oritur perſecutio eius propter Phytoniſſam à Dæmonio liberatam: ceduntur plagis, & coniiciuntur in carcerem; fit terræmotus, & carceris oſtia mirabiliter aperiuntur celto. Cuſtosq. carceris conuertitur cum domo ſua, & baptizantur omnes. Cap. 468.

CVm autem pertranſiſſent Myſiam deſcenderũt Troadem, & viſio per noctẽ Paulo oſtenſa eſt. Vir Macedo quidem erat ſtans, & precans eum, & dicens: Tranſiens in Macedoniam adiuua nos. Vt autem viſum vidit, ſtatim quæſiuimus proficiſci in Macedoniam, certi facti quod vocaſſet nos Deus euangelizare eis. Nauigantes autem à Troade, recto curſu venimus Samothraciam, & ſequenti die Neapolim, & inde Philippis, quæ eſt prima partis Macedoniæ ciuitas colonia: eramus autem in hac vrbe diebus aliquot conſiſtentes. Die autem Sabbatorum egreſſi ſumus foras portam iuxta flumen, vbi videbatur oratio eſſe, & ſedentes loquebamur mulieribus, quæ conuenerant. Et quædam mulier, nomine Lidia purpuraria, ciuitatis Thiatherenorum colens Deum audiuit, cuius Dominus aperuit cor intendere his, quæ dicebantur à Paulo. Cum autem baptizata eſſet, & domus eius, deprecata eſt dicens: Si iudicaſtis me fidelem Domino, introite in domum meam, & manete. Et coegit nos. Factum eſt autem euntibus nobis ad orationem, puellam quandam habentem ſpiritũ Phytonem, obuiare nobis, quæ quæſtum magnum præſtabat Dominis ſuis diuinando. Hæc ſubſecuta Paulum, & nos, clamabat dicens: Iſti homines ſerui Dei excelſi ſunt, qui annunciant nobis viam ſalutis. Hoc autem faciebat multis diebus. Dolens autem Paulus, & conuerſus ſpiritui dixit: Præcipio tibi in nomine Ieſu Chriſti exire ab ea; & exijt eadem hora. Videntes autem Domini eius, quod exiuit ſpes quæſtus eorum, apprehendentes Paulum, & Sylam perduxerunt in forum ad principes. Et offerentes eos magiſtratibus dixerunt: Hi homines conturbant ciuitatem noſtram, cum ſint Iudæi, & annunciant morem, quem non licet nobis ſuſcipere, neque facere, cum ſimus Romani. Et concurrit plebs aduerſus eos, & magiſtratus ſciſſis tunicis eorum iuſſerunt eos virgis cedi; & cum multas plagas eis impoſuiſſent, miſerunt eos in carcerem, præcipientes cuſtodi, vt diligenter cuſtodiret eos. Qui cum tale

Ex Actib. Apoſt. ex cap. 16.

præ-

præceptum accepiſſet, miſit eos in interiorem carcerem, & pedes eorum ſtrinxit ligno. Media autem nocte Paulus, & Sylas adorantes laudabant Dominum, & audiebant eos qui in cuſtodia erant. Subito terræmotus factus eſt magnus, ita vt mouerentur fundamenta carceris, & ſtatim apertæ ſunt omnia oſtia, & vniuerſorum vincula ſoluta ſunt. Expergefactus autẽ cuſtos carceris, & videns ianuas apertas carceris, euaginato gladio volebat ſe interficere, exiſtimans fugiſſe vinctos. Clamauit autem Paulus voce magna, dicens: Nihil tibi mali feceris: vniuerſi enim hic ſumus. Petitoq. lumine introgreſſus eſt, & tremefactus procidit Paulo, & Sylæ ad pedes, & producens eos foras ait: Domini, quid me oportet facere, vt ſaluus fiam? At illi dixerunt: Crede in Dominum Ieſum, & ſaluus eris tu, & domus tua: & locuti ſunt ei verbum Domini cum omnibus, qui erant in domo eius, & tollens eos in illa hora noctis lauit plagas eorum, & baptizatus eſt ipſe, & omnis domus eius continuo. Cumq. perduxiſſet eos in domum ſuam, appoſuit eis menſam, & lætatus eſt cum omni domo ſua credens Deo: & cum dies factus eſſet, miſerunt magiſtratus lictores dicentes: Dimitte homines illos. Nunciauit autem cuſtos carceris verba hæc Paulo, quia miſerunt magiſtratus, vt dimittamini: Nunc igitur exeuntes ite in pace. Paulus autem dixit eis: Cæſos nos publicè indemnatos homines Romanos miſerunt in carcerem, & nunc occultè nos eijciunt? Non ita, ſed veniant, & ipſi nos eijciant. Nunciauerunt autem magiſtratibus lictores verba hæc. Timueruntq. audito, quod Romani eſſent, & venientes deprecati ſunt eos, & educentes rogabant, vt egrederentur de Vrbe. Exeuntes autem de carcere, introierunt ad Lydiam, & viſis fratribus conſolati ſunt eos, & profecti ſunt.

Paulus prædicat Theſſalonicæ: trahit ad fidem plurimos, & mulieres nobiles non paucas. Concitatur à Iudæis perſecutio contra eum; pergit Athenas, vbi diſputat cum Philoſophis, & prædicat, & Dionyſium Areopagitam, & mulierem Damarim, aliosq. ad fidem pertrahit. Cap. 469.

Ex Actib. Apoſt. c. 17

CVm autem perambulaſſent Amphipolim, & Apolloniam, venerunt Theſſalonicam, vbi erat Synagoga Iudæorum. Secundum conſuetudinem autem Paulus introiuit ad eos, & per ſabbatha tria diſſerebat eis de ſcripturis adaperiens, & inſinuans, quia Chriſtum oportuit pati, & reſurgere à mortuis, & quod hic eſt Ieſus Chriſtus, quem annuncio vobis: Et quidam ex eis crediderunt, & adiuncti ſunt Paulo, & Sylæ, & de colentibus, gentilibusq. multitudo magna, & mulieres nobiles non paucæ. Zelantes autem Iudæi, aſſumentesq. de vulgo viros quoſdam malos, & turba facta concitauerunt Ciuitatem. Et aſſiſtentes domui Iaſonis, quærebant eos perducere in populum; & cum non inueniſſent eos, trahebant Iaſonem, & quoſdam fratres ad principes Ciuitatis, clamantes, quoniam hi, qui vrbem concitant, & huc venerunt, quos ſuſcepit Iaſon: & hi omnes contra decreta Cæſaris faciunt regem alium, dicentes eſſe Ieſum. Concitauerunt autem plebem. Et principes ciuitatis audientes hæc, & accepta ſatisfactione à Iaſone, & à ceteris dimiſerunt eos. Fratres vero confeſtim per noctem dimiſerunt Paulum & Sylam

in

in Berœam. Qui cum veniſſent, in Synagogã Iudæorum introierunt. Hi autem erant nobiliores eorum, qui ſunt Theſſalonicæ, qui ſuſceperunt verbum cum omni auiditate, quotidie ſcrutantes ſcripturas, ſi hæc ita ſe haberent. Et multi quidem crediderunt ex eis, & mulierum gentilium honeſtarum, & viri non pauci. Cum autem cognouiſſent in Theſſalonica Iudæi, quia & & Berœæ prædicatũ eſt à Paulo verbum Dei, venerunt illuc commouentes, & turbantes multitudinem: ſtatimq. tunc Paulum dimiſerunt fratres, vt iret vſque ad mare: Sylas autem & Timothæus remanſerunt ibi, qui autem deducebant Paulum, perduxerunt eum vſque ad Athenas, & accepto mandato ab eo ad Sylam & Timotheum, vt quàmceleriter venirent ad illum, profecti ſunt. Paulus autẽ, cum Athenis eos expectaret, incitabatur ſpiritus eius in ipſo, videns Idolatriæ deditam ciuitatem. Diſputabat igitur in Synagoga cum Iudæis, & colentibus, & in foro per omnes dies ad eos, qui audierant. Quidam autem Epicurei, & Stoici Philoſophi differebant cum eo, & quidam dicebant: Quid vult ſeminiuerbius hic dicere? alij vero: nouorum dæmoniorum videtur annunciator eſſe, quia Ieſum & reſurrectionem annunciabat eis: & apprehenſum eum ad Areopagum duxerunt, dicentes: Poſſumus ſcire, quæ eſt hæc noua, quæ à te dicitur doctrina? Noua enim quædam infers auribus noſtris. Volumus enim ſcire, quidnam velint hæc eſſe. Athenienſes autem omnes, & aduenæ hoſpites ad nihil aliud vacabant, niſi aut dicere, aut audire aliquid noui. Stans autem Paulus in medio Areopagi ait: Viri Athenienſes, per omnia quaſi ſuperſtitioſos vos video. Præteriens enim, & videns ſimulachra veſtra, inueni & aram, in qua ſcriptum erat: Ignoto Deo. Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuncio vobis: Deus qui fecit mundum & omnia, quæ in eo ſunt, hic cæli & terræ cum ſit Dominus, non in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur indigens aliquo, cum ipſe det omnibus vitam, & inſpirationem, & omnia, fecitq. ex vno omne genus hominum inhabitare ſuper vniuerſam faciem terræ, definiens ſtatuta tempora & terminos habitationis eorum, quærere Deũ ſi forte attrectent eum, aut inueniant, quamuis non longe ſit ab vnoquoque noſtrum. In ipſo enim viuimus, & mouemur, & ſumus, ſicut & quidam veſtrorum poetarum dixerunt: Ipſius enim & genus ſumus. Genus ergo cum ſimus Dei, non debemus æſtimare auro, & argento, aut lapidi ſculpturæ artis, & cogitationis hominum diuinum eſſe ſimile. Et tempora quidem huius ignorantiæ deſpiciens Deus, nunc annunciat hominibus, vt omnes vbique pœnitentiam agant, eo quod iudicaturus eſt orbem in æquitate in viro, in quo ſtatuit, fidem præbens omnibus, ſuſcitans eum à mortuis. Cum audiſſent aliqui reſurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant: quidam vero dixerunt: audiemus te de hoc iterum. Sic Paulus exiuit de medio eorum. Quidam vero viri adhęrentes ei crediderunt: in quibus & Dionyſius Areopagita, & mulier, nomine Damaris, & alij cum eis.

Deſcri-

Deſcribitur Pauli nauigatio per mare Romam verſus, & naufragium. Deus donat Paulo animas ducentas ſeptuaginta ſex, ne pereant, & euaſerunt omnes.
Cap. 470.

Ex Actib. Apoſt. c. 27

VT autem iudicatum eſt nauigare eum in Italiam, & tradi Paulum cum reliquis cuſtodijs Centurioni, nomine Iulio, cohortis Auguſtæ, aſcendentes nauem Adrumetinam incipientes nauigare circa Aſiæ loca, ſuſtulimus, perſeuerante nobis cum Ariſtarcho Macedone Theſſalonicenſe, ſequẽti autem die venimus Sidonem. Humane autem tractans Iulius Paulum, permiſit ad amicos ire, & curam ſui agere, & inde cum ſuſtuliſſemus, ſubnauigauimus Cyprum, propterea quod eſſent venti contrarij, & pelagus Ciliciæ, & Pamphyliæ nauigantes venimus Liſtram, quæ eſt Lyciæ, & ibi inueniens Centurio nauem Alexandrinam nauigantem in Italiam, tranſpoſuit nos in eam, & cum multis diebus tarde nauigaremus, & vix deueniſſemus contra Gnidum, prohibente nos vento, adnauigauimus Cretæ iuxta Salmonem: & vix iuxta nauigantes, venimus in locum quendam, qui vocatur Boniportus, cui iuxta erat ciuitas Thalaſſa. Multo autem tempore peracto, cum iam non eſſet tuta nauigatio, eo quod ieiunium iam præteriſſet, conſolabatur eos Paulus dicens eis: Viri, video quoniam cum iniuria, & damno non ſolum oneris, & nauis, ſed etiam animarũ noſtrarum incipit eſſe nauigatio. Centurio autẽ Gubernatori, & nauclero magis credebat, quàm his, quæ à Paulo dicebantur. Et cum aptus portus non eſſet ad hiemandum, plurimi ſtatuerunt conſilium nauigare inde, ſi quo modo poſſent deuenientes Phœnicem hiemare, portum Cretæ reſpicientem ad Africum, & ad Corum. Aſpirante autem Auſtro æſtimantes propoſitum ſe tenere, cum ſuſtuliſſent de Aſſon, legebant Cretam. Non poſt multum autem miſit ſe contra ipſam vẽtus typhonicus, qui vocatur Euroaquilo: cumq. arrepta eſſet nauis, & non poſſet conari in ventum, data naue flatibus ferebamur. In inſulam autem quandam decurrentes, quæ vocatur Cauda, potuimus vix obtinere ſcaphã, qua ſublata, adiutorijs vtebantur accingentes nauem, timentes ne in Syrtim inciderent, ſubmiſſo vaſe ſic ferebantur. Valida autẽ nobis tẽpeſtate iactatis, ſequenti die iactũ fecerunt, & tertia die ſuis manibus armamenta nauis proiecerunt. Nequè autem ſole, neque ſyderibus apparentibus per plures dies, & tẽpeſtate non exigua imminente: iam ablata erat ſpes omnis ſalutis noſtræ: & cum multa ieiunatio fuiſſet, tunc ſtans Paulus in medio eorũ dixit: Oportebat quidem, ò viri, audire me, non tollere à Creta, lucriq. facere iniuriam hanc, & iacturam: & nunc ſuadeo vobis bono animo eſſe: Amiſſio enim nullius animæ erit ex nobis, præterquam nauis. Aſtitit enim mihi hac nocte Angelus Domini, cuius ſum ego, & cui deſeruio dicens: Ne timeas Paule: Cæſari te oportet aſſiſtere, & ecce donauit tibi Deus omnes, qui nauigant tecum: propter quod bono animo eſtote viri, credo enim Deo, quia ſic erit, quemadmodum dictum eſt mihi: in inſulam autem quandam oportet nos deuenire. Sed poſteaquam quartadecima nox ſuperuenit, nauigantibus nobis in Adria, circa mediam noctem ſuſpicabantur nautæ apparere ſibi aliquam regionem, qui & ſubmittentes bolidem, inuenerunt paſſus viginti,

& pu-

& puſillum inde ſeparati inuenerunt paſſus quindecim: timentes autē, ne in aſpera loca incideremus, de puppi mittētes ancoras quatuor, optabant diem fieri. Nautis vero quærentibus fugere de naui, cū miſiſſent ſcaphā in mari ſub obtentu quaſi inciperent à prora ancoras extēdere, dixit Paulus Centurioni, & militibus: Niſi hi in naui manſerint, vos ſalui fieri nō poteſtis: tunc abſciderunt milites funes ſcaphæ, & paſſi ſunt eā excidere. Et cum lux inciperet fieri, rogabat Paulus omnes cibum ſumere, dicens, quartadecima die hodie expectantes ieiuni permanetis nihil accipientes: Propter quod rogo vos accipere cibum pro ſalute veſtra, quia nullius veſtrum capillus de capite peribit. Et cum hæc dixiſſet, ſumens panem, gratias egit Deo in conſpectu omnium: & cum fregiſſet, cæpit manducare: æquiores autem facti omnes, & ipſi ſumpſerunt cibum: eramus vero vniniuerſæ animæ in naui ducentæ ſeptuaginta ſex, & ſatiati cibo alleuiabant nauem, iactantes triticum in mare. Cum autem dies factus eſſet, terram non agnoſcebant: ſinum vero quendam conſiderabant habentem littus, in quem cogitabant, ſi poſſent eijcere nauem; & cum ancoras ſubſtuliſſent, committebant ſe mari, ſimul laxantes iuncturas gubernaculorum, & leuato artemone ſecundum auræ flatum, tendebant ad littus. Et cum incidiſſemus in bonum locum Dithalaſſum, impegerunt nauem: & prora quidem fixa manebat immobilis, puppis vero ſoluebatur à vi maris: Militum autem conſilium fuit, vt cuſtodias occiderent, ne quis cum enataſſet, effugeret. Centurio autem volēs ſeruare Paulum prohibuit fieri: iuſſitq. eos, qui poſſent natare emittere ſe primo, & euadere, & ad terram exire, & ceteros alios in tabulis ferebant, quoſdam ſuper ea, quæ de naui erant: & ſic factum eſt, vt omnes animæ euaderent ad terram.

Apud Melitam Inſulam naufragio vexati recreantur. Vipera manum Pauli apprehendit, ipſe illæſus proijcit illam in ignem, mirantibus incolis, qui expectabant eum mortuum. Excipitur hoſpitio à Principe Inſulæ, cuius patrem ægrotum Paulus ſanat, deinde ceteros omnes ægrotos Inſulæ: Diſcedens peruenit Romam, vbi prædicare incipit. Cap. 471.

ET cum euaſiſſemus, tunc cognouimus, quia Mitilena inſula vocabatur, Barbari vero præſtabant non modicam humanitatem nobis; accenſa enim pyra reficiebant nos omnes propter imbrem, qui imminebat, & frigus. Cum congregaſſet autem Paulus ſarmentorum aliquantam multitudinem, & impoſuiſſet ſuper ignem, vipera à calore cum proceſſiſſet inuaſit manum eius. Vt vero viderunt Barbari pendentem beſtiam de manu eius ad inuicem dicebant: Vtiquè homicida eſt homo hic, qui cum euaſit de mari, vltio non ſinit eum viuere. Et ille quidem excutiens beſtiam in ignem nihil mali paſſus eſt: at illi exiſtimabant eum in tumorem conuertendum, & ſubito caſurum, & mori. His autem ſperantibus, & videntibus nihil mali in eo fieri, conuertentes ſe dicebant eum eſſe Deum. In locis autem illis erant prædia principis Inſulæ, nomine Publij, qui nos ſuſcipiens triduo benigne exhibuit. Contigit autem patrem Publij febribus, & diſſenteria vexatum iacere, ad quem Paulus intrauit: & cum oraſſet, & impoſuiſſet ei manus,

Ex Actib. Apoſt. cap. 28.

manus, ſaluauit eum; quo facto in inſula omnes, qui habebant infirmitates, accedebant, & curabantur. Qui etiam multis honoribus nos honorauerunt, & nauigantibus impoſuerunt, quæ neceſſaria erant. Poſt menſes autem tres nauigauimus in naui Alexandrina, quæ in Inſula hyemauerat, cui erat inſigne caſtrorũ. Et cũ veniſſemus Siracuſam mãſimus ibi triduo: inde circum legentes deuenimus Regium, & poſt vnum diem flante auſtro, ſecunda die venimus Puteolos, vbi inuentis fratribus rogati ſumus manere apud eos dies ſeptẽ, & ſic venimus Romã: & inde cum audiſſent fratres, occurrerunt nobis vſquè ad Appij forum, & tribus tabernis: quos cum vidiſſet Paulus, gratias agens Deo, accepit fiduciam. Cum autem veniſſemus Romam permiſſum eſt Paulo permanere ſibimet, cum cuſtodiente milite. Poſt tertium autem diem conuocauit primos Iudæorum: cum veniſſent, dicebat eis: Ego, viri fratres, nihil aduerſus plebem faciens, aut morem paternum vinctus ab Hieroſolymis traditus ſum in manus Romanorũ: qui cum interrogationem de me habuiſſent, voluerunt me dimittere, eo quod eſſet nulla cauſa mortis in me: contradicentibus autem Iudæis coactus ſum appellare Cæſarem, non quaſi gentem meam habens aliquid accuſare. Propter hanc igitur cauſam rogaui vos videre, & alloqui: propter ſpem enim Iſrael cathena hac circundatus ſum. At illi dixerunt: nos neque litteras accepimus de te à Iudæa, neque aduenìens aliquis fratrum nunciauit, aut locutus eſt quid de te malum: rogamus autem à te audire quæ ſentis. Nam de ſecta hac notum eſt nobis, quia vbique ei contradicitur. Cum conſtituiſſent autem illi diem, venerunt ad eum in hoſpitium plurimi, quibus exponebat teſtificans regnum Dei, ſuadenſq. eis de Ieſu ex lege Moyſi, & prophetis à mane vſquè ad veſperam. Et quidam credebant his, quæ dicebantur; quidam vero non credebant, Cumq. inuicem non eſſent conſentientes, diſſidebant dicente Paulo vnum verbum: quia bene Spiritus ſanctus locutus eſt per Iſaiam prophetam ad patres veſtros dicens: Vade ad populum iſtum, & dic: aure audietis, & non intelligetis, & videntes videbitis, & non perſpicietis: incraſſatum eſt enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos ſuos compreſſerunt; ne forte videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertentur, & ſanem eos. Notum ergo ſit vobis, quoniam gentibus miſſum eſt hoc ſalutare Dei, & ipſi audient. Et cùm hæc dixiſſet, exierunt ab eo Iudæi multam habentes inter ſe quæſtionem. Manſit enim biennio toto in ſuo conductu, & ſuſcipiebat omnes, qui ingrediebantur ad eum prædicans regnum Dei, & docens quæ ſunt de Domino Ieſu Chriſto cum omni fiducia ſine prohibitione.

Innumera, & mirabilia, vbiquè fecit Paulus pro Chriſti nomine ad fidem propagandam in vniuerſas regiones, & plurimum fuit in laboribus peregrinationum ſuarum. Circuiuit enim orbem, & in omnem terram exiuit ſonus eius. Referamus autem hic in ſumma peregrinationes, quas precioſi pedes eius perfecerunt, dum pacem populis euangelizat. Cap. 472.

Abraham Ortel. in Theat. Or-

ANno Domini 34. Hieroſolyma Damaſcum venit, in Arabiam abijt; Damaſcum redit, deinde Hieroſolymam, triennio poſt conuerſionem, quib-

quindecim diebus apud Petrum manet.

Vnde Iudæos fugiens Cæſaream Phænicis venit, inde Tharſum; hinc à Barnaba adductus Antiochiam Syriæ, vbi annum vnum agunt, atque hic Petrus à Paulo reprehenſus videtur; dein ſimul Hieroſolymam mittuntur in ſubſidium contra venturam famem.

Accedunt Eccleſias per omnem Iudæam, & impleto miniſterio ininncto, Hieroſolymam redeunt, interea temporis Petrus ab Herode captus ab Angelo liberatur.

bis Terrar. de Peregrinat. D. Pauli, ex tabula Europa Gerardi Mercat.

Redeunt Antiochiam Syriæ, vnde miſſi in opus Euangelij Leuciam eunt aſſumpto Ioanne Marco: hinc per mare Salaminam Cypri, terra Paphum, mari Pergam Pamphiliæ (vbi Ioannes Marc. ab eis Hieroſolymam decedit) Antiochiam Piſidiæ, Iconium Licaoniæ, vnde fugiunt Liſtram; deinde Derbem ſuperiorem, oppida Lycaoniæ Liſtram, redeunt, Iconium, Antiochiam Piſidiæ; peragrataq. Piſidia, Pergen Pamphiliæ, Ataliam Pamphiliæ, mari Antiochiam Syriæ, per Phænicen, Samariamq. cum Tito Hieroſolymam redeunt, vbi anno Domini 48. Concilium Apoſtolorum habitum eſt ſuper circuncifione, & lege Moyſi. Antiochiam Syriæ redeunt: hic Paulus diſcors cum Barnaba, eo relicto Silam in ſocium accepit. Perambulantes autem Syriam, & Ciliciam veniunt Derben, vbi Timotheum adſciſcit Paulus: hinc ſuperiores Vrbes Licaoniæ, per Phrigiam, perq. Galatiam in Myſiam veniunt, deinde Troadem, Alexandriam cognomine, per Samothracem inſulam, perq. Neapolim Philippos Macedoniæ, Amphipolim, Apolloniam, Theſſalonicam: Berrœam, hic reliquit Silam, & Timotheum, Mari Athenas, deinde Corinthum annó nono Claudij, Domini 51. Sedit hic annum & menſes ſex: hinc cū Priſcilla & Aquila Roma fugatis nauigat Cenchreas, deinde Epheſum, vbi manent Priſcilla & Aquila; hinc ſoluens nauigat Hieroſolymam propter feſtum Pentecoſtes.

Cæſaream abit, deinde Antiochiam Siriæ, vbi aliquantulum temporis manſit, atque hinc perambulans ex ordine Galatiam ac Phrygiam, peruenit Epheſum, vbi vt minimum manſit annos duos & menſes tres: inde anno Claudij 12. Domini 54. in Macedoniam, in Græciam ſeu Helladem, in Macedoniam, Philippos Macedoniæ anno Claudij 13. ſub feſtum Paſchæ: inde per mare Troadem Alexandriam cognomine, terra Aſſum, mari Mitylenem, quæ eſt in Inſula Lesbo, ſequenti die venit contra Chium Inſulam, poſtridie Samum appulit: deinde commoratus Trogilij è regione Sami proximo die venit Myletum, vbi vale dicit presbyteris Epheſijs ad ſe vocatis. Poſt hæc Coum venit, ſequenti die Rhodum, inde Pataram, hinc Cypro à ſiniſtris relicta, & præternauigata, Tyrum, vbi ſeptem diebus manſit, inde nauigio Ptolemaidem: manet hic vnum diem, poſtridie Cæſaream Palæſtinæ, vbi in domo Philippi Euangeliſtæ manet dies complures. Hic Agabus prophetat Paulo captiuitatem, tandem Hieroſolymam venit, vbi apprehenſus eſt anno Claudij 14. Domini 56. Miſſus à Tribuno Claudio Lyſia Antipatridam, ſiue Cæſaream Palæſtinæ ad præſidem Felicem; hic ad Cæſarem appellat. A Sidone igitur præternauigans Cyprum per mare Ciliciæ, & Pamphyliæ venit Miram Liciæ, deinde contra Gnidum; & præterlegens Salmonem (quod alij Salmonium vocant) Cretæ promontorium, appulit Pulchri portum, deinde Phœnicem portum, itidem Cretæ, Claudiam Inſulam, & per Adriaticum

mare

mare in Melitam Inſulam venit: hinc Syracuſas Siciliæ oppidum Regium Calabriæ, nunc vulgò Rhezo dictum, Puteolos Campaniæ Oppidum, nunc Pozolo, vnde tandem itinere terreſtri per Forum Appij, ſecundo anno Neronis Romam peruenit. Sunt qui putant ſolutum vinculis Galliam, & Hiſpaniam adijſſe. Denique rurſus à Nerone captus, vltimo eius imperij anno, qui Domini erat 70. Romæ interficitur, vt in æternum viueret.

Altiſſimum Dei conſilium fuiſſe, vt omnes homines in mundo orantes, & tenebris preſſos ad cæleſtem gloriã per fidem traheret. Cap. 473.

IGitur Apoſtoli per omnes Iudææ, & Samariæ regiones ambulauerant, ad dandam ſcientiam ſalutis gentibus illis.

Sed quoniam parum fuit apud diuinam bonitatem, quæ vult homines ſaluos fieri, & omnes ad agnitionem fidei venire, & non eſt apud eam acceptio perſonarum; ſed omnis gens accepta eſt ei, quæ Deum timet, & operatur iuſtitiam, tantum notum facere ſalutare ſuum filijs Iſrael, ſed totum diligens mundum, Mundi fabricator Deus, in conſpectu gentium voluit reuelari iuſtitiam ſuam, & lumen ſuum omnium oculis oboriri, quod parauerat ab initio ante faciem omnium populorum, ſuo tempore reuelandum, vt confunderentur omnes, qui adorabant ſculptilia, & gloriabantur in ſimulachris ſuis, & confiterentur nomini eius magno, quoniam terribile, & ſanctum eſt.

Et quoniam ipſe eſt altiſſimus Dominus, exaltatus ſuper omnem terram, cui ſeruiunt omnia, & cura eſt de omnibus, voluit illuminare omnes homines venientes in hunc mundum, vt non amplius ambularent in tenebris, & vmbra mortis ſed viderent lumen, & agnoſcerent, diſcuſſa tenebrarum caligine, Dominum, qui fecit eos, & odirent malum, & animæ eorum cuſtodirentur, & liberarentur de manu dæmonum, & poteſtate mortis, & naſceretur oculis iuſtorum lux, & rectis corde lætitia: & ſciret omnis caro, quoniam ipſe eſt miſerator, & miſericors, longanimis, & multum miſericors, & non in perpetuum iraſcitur, neque in æternum comminatur, neque ſecundum peccata hominum, & iniquitates eorum voluit retribuere illis, ſed ſecundum altitudinem iudiciorum ſuorum corroborauit miſericordias ſuas ſuper omnes populos, vt quantum diſtat ortus ab occidente, longe faceret ab eis iniquitates eorũ; ſicut enim pater miſertus eſt filiorũ ſuorum, quoniam ipſe cognoſcit figmentum ſuum. Recordatus eſt, quoniam puluis ſunt, & homo ſicut fænum dies eius, tamquam flos agri ſic efflorefcit; pertranſit ſpiritus in illo, & non ſubſiſtit, & non cognoſcit amplius locum ſuum: ſed apud ipſum propitiatio eſt, & copioſa apud eum redemptio, & miſericordiæ eius ab æterno, & vſque in æternum ſunt. Quam vt in orbem effunderet, miſit filium ſuum in mundum, vt omnes crederent in illũ, & ſanarentur à peccatorum languoribus, & notas haberent vias vitæ, morte confracta.

Et dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius, & parauit eis incorruptibilem hæreditatem in cælis, & gloriam, & diuitias incomparabiles, & Regnum æternitate menſurandum.

Cum

Cum igitur Chriſtus Dominus opus ſublimiſſimæ Redemptionis tanta magnificentia conſummaſſet, & cœnam magnam, & cibos regioſeſurienti mundo præparaſſet, inſtabat tempus, vt mitteret ſeruos ſuos per Orbis vias, qui cæcos, claudos, ſurdos & mutos, & omnes male habentes vocarent, & quicunque ſub laboribus, & oneribus tenebantur, vt venirent ad paratas nuptias ad nobile conuiuium, vt reficerentur.

Olim etiã iuſſerat illis, vt irent per vniuerſum Mundũ, & prædicarent feliciſſimum Euangelium, omni creaturæ, & manifeſtarent omnibus abſconditũ iam ab origine mundi conſilium Dei, vt homines in mortem prolapſos ad æternam vitam reduceret, & ad immortales honores. Et nihil aliud pro tàm incomparabili & deſiderabili dono ab ipſis fieri voluit, quàm vt crederent reuelatæ veritati, & reſipiſcerent à peccatis eorum, pœniteret eos præteritarum iniquitatum, & diligerent tanti & tàm glorioſi muneris largitorem.

Puto optimum Deum, optimarum rerum largiſſimum effuſorem, neque etiam hominibus hunc laborem impoſiturum fuiſſe credendi, & diligendi, & peccata fugiendi, ſi fieri potuiſſet; ſed repugnabat rationi, & iuſtitiæ, & omni æquitati, vt illud bonũ, quod annunciabatur, daretur illis, qui contradicerent, & dicerent mendacia eſſe, quæ nunciabantur: aut illis præſtarentur, qui quamquam crederent, peccata relinquere nolebant, & emendare corruptos mores, ſed adhuc Deum benefactorem offendere, & contumelijs afficere: ex quo, non beneficia, & munera, ſed ſupplicia & verbera promerebãtur, & non ſolum amanti ſummo non rependerent amorem, ſed contemnerent Donatorem, & dona optima, & pro nihilo haberent gratiam deſiderabilem. Hoc enim prorſus iniquum eſt, & Deo indignum, & rationi repugnans, & hinc Deus non laudem miſericordiæ habuiſſet, ſed iniquitatis ſe reum conſtituiſſet, & maculaſſet diuinum decorem, & pulchritudinem iuſtitiæ. Deus igitur vltro, liberaliter, & modo magnificentiæ pleno, egentibus hominibus largiri mandauit pulcherrimam ſalutem, & gratiam admirabilem, & in hoc beneficio omnium ſummo conferendo, nihil penitus voluit ab hominibus ſibi præſtari, quàm vt ſibi crederetur, & diligeretur; vt in hac re nullum opus noſtrum conſideraretur, aut meritum, aut labor, ſed ſola eius benignitas, & bonitas, & animi ſui beneuolentia reſplenderet, ita vt homo miſer, terra, & cinis in luto fęcis infixus, mortis mancipium, ſeruus peccati, & æternis ſupplicijs iuſtitia diuina exigente mãcipandus, à ſummo bono hæreditatis cæleſtis, & regni æterni perpetuo excluſus, ex tot, & tàm inſignibus calamitatibus, & malis poſſet euadere, beatitudinis munere lætari, & Chriſtianæ fidei humilitate: vt propter hoc merito dictum ſit, beatos eſſe, quicunque erant credituri, quamquam non viderent, quod crederent.

Quod qui conſiderarunt, non ſine cauſa dixerunt quod nullæ maiores diuitiæ, nulli theſauri, nulli honores, nulla huius mundi maior eſt ſubſtantia, quàm fides Catholica, quæ peccatores homines ſaluat, cæcos illuminat, infirmos curat, cathecumenos baptizat, fideles iuſtificat, pœnitentes reparat, iuſtos augmentat, martyres coronat, virgines, & viduas, & coniugales caſto pudore conſeruat, clericos ordinat, ſacerdotes conſecrat in æterna hæreditate, & cũ ſanctis Angelis collocat. Quicquid meriti, quicquid beatitudinis, quicquid pulchritudinis, & decoris anima ſuſceptura eſt, ex fidei fundamẽto procedit. Sicut in radice, tota arboris proceritas, & diſpoſitio continetur, *Auguſt. de verb. Dom.*

Xx & non

Bern. ſuper Cant. & non videtur. Quid non inuenit fides? attingit inacceſſa, deprehendit ignota, comprehendit immania, apprehendit nouiſſima, ipſam denique æternitatem ſuo illo vaſtiſſimo ſinu quodammodo circundat. Tranſgreditur fides rationis humanæ fines, naturæ vſum, experientiæ terminum, illamq. Deus ita magni facit, vt ille apud eum plus habeat loci, qui plus attulit non argenti, ſed fidei. Sicut autem, qui margaritam habet, ipſe nouit quantum diues eſt, & tamen multis poteſt eſſe non cognitus: ita & ij, qui fidei veritatem detinent, noſcunt, quod diuites ſunt, infideles autem theſaurum neſcientes hunc, diuitias noſtras ignorant. Quapropter fidei Chriſtianæ adhærere bonum eſt, & toto corde obedire ei, aſſentiendo omnibus, quæ ab ea prædicantur. In qua quidem credulitate, ex præſcripto rationabilis regulæ, homo in conſentiendo errare non poteſt.

Propter fidei Chriſtianæ altitudinem, credendorum maieſtatem, & credentium eximiam vtilitatem, omnes homines tenentur aſſentire illis, quæ per fidem reuelantur: Enarratio ex Theologia naturali. Cap. 473.

Auctor. Theol. natur. QVapropter cum per acceſſum ad fidem homo tàm ingentia bona conſequatur, tenetur omnis homo, cum ei prædicatur hæc fides, per quam ſibi inæſtimabiles theſauri reuelantur, credere eſſe verum, quod ſibi narratur, & præſtare fidem tàm magnis promiſſionibus.

Manifeſtũ autem eſt, quod quælibet res id, quod habet, habet ad ſui conſeruationẽ & vtilitatem, & non ad ſuum proprium damnum & perniciem, & cuilibet rei data ſunt omnia, quæ habet propter bonum ſuum, & non propter malum, vt quælibet res ad ſuam perfectionem pertingat. Nam omne, quod eſt, multiplicat ſeipſum, & auget ſe inquantum poteſt, & deſtruit quod ſibi aduerſatur, & nunquam aliquid contra ſeipſum, nec contra ſuam naturam operatur. Videmus enim in arboribus & plantis, quomodo attrahunt alimentum ad ſuam vtilitatem, & attrahunt id, quod eſt conueniens eis, & non id, quod nocet, & confirmant ſuas radices in terra, vt viuant & nutriantur, & firmius hæreant. Cum autem homo ſit res naturalis, inter creaturas nobiliorem gradum obtinens, tenetur, & obligatur de iure naturæ vti omnibus, quæ habet in ſe, & quæ ſibi data ſunt ad ſui vtilitatem, & bonum, & ineſt ei naturalis obligatio vti ſuo intellectu, & ſua voluntate ad ſuum bonũ, & ad ſuum gaudium & lætitiam, & non debet vti illis contra ſeipſum, & ad ſuam deſtructionem, & incommodum.

Concluditur igitur, quod homo de iure naturæ debet, & tenetur affirmare credere, & recipere illam partem, quæ magis eſt ad vtilitatem, & perfectionem, & exaltationem eius, & qua credita generatur in homine ingens gaudium, & incredibilis lætitia, & conſolatio, & ſpes magna, atque animo ſecuritas, & fugatur ab eo triſtitia, & deſperatio, & per conſequens ſequitur, quod debet affirmare illam partem tanquam veram, quæ magis eſt amabilis, deſiderabilis de ſe & de ſua natura, & quæ magis habet de eſſe, & de bono, & aliam partem oppoſitam tenetur negare tanquam falſam, & à ſe fugare tanquam inimicam ſibi. Si autem homo facit oppoſitum: tunc vtitur intellectu ſuo contra ſeipſum, & contra hominem, & contra ſuum bonum, & ad ſuum

damnum, & deſperationem,& tunc facit contra totum ordinem rerum,quia quælibet res,inferior homine, vtitur his, quæ ſunt ad ſuum bonum,& homo faciendo alio modo vtitur ad ſuum damnum, & deſtructionem ſuo intellectu & voluntate, & ideo facit contra curſum naturæ, & omnium rerum, & contra hominem, & tunc non debet dici homo, quia aduerſatur homini, & habet intellectum corruptum. Et quamuis non intelligat,quomodo id,quod credendum proponitur,fieri poſſit, nec quomodo poſſit eſſe verum, non tamen eſt excuſatus, quin teneatur affirmare & credere. Et ſi aliquis dicat: qua ratione tu affirmas & credis illud, quod non intelligis, quia forſitan eſt falſum? ad hoc reſpondetur, quod excuſatur per hoc,quia credit ad ſuum bonum,& ad ſuam vtilitatem,quia hoc tenetur facere naturaliter,& de iure naturæ; qui facit ſecundum ſuam naturam,facit id quod debet, & qui facit id quod debet,excuſatus eſt. Neque intellectus poteſt in hoc errare: poſtquam credit illud, & affirmat quod eſt ſibi maximum bonum, & oppoſitum eius eſt priuatio ſui boni;& quia quælibet res tenetur procurare bonũ ſuum, vt dictum eſt, quamquam tunc cum credit, non intelligat, quomodo ſit faciendũ. Qui autem incredulus eſt, valde peruerſus eſt, & maximus inimicus, & aduerſarius ſui ipſius, & nocens ſibi ipſi, & nulli proficiens;& ſic eſt reprehenſibilis, & ab omni creatura meritò condemnatur, & inter ſtultiſſimos eſt reputandus. Hinc conuincitur,quod huiuſmodi homo poſſidetur ab inimico ſuo mortali, qui dominatur intellectui ſuo, & tenet ipſum ligatum, vt non poſſit vti ipſo intellectu, nec officio eius, affirmando,& credendo ad ſuam vtilitatem, ſed ad ſuum damnum, & contra ſeipſum, & contra totum ordinem vniuerſi & omnium creaturarum: & talis homo eſt, ſicut ille, qui habet ſtomachum corruptum, & putridis humoribus refertum, qui non poteſt recipere cibum bonum, ſed ſtatim euomit. Ex qua quidem regula certum ſit,totam fidem Chriſtianam promulgatam eſſe recipiendam, & toto corde credendam, & quod omnis homo de iure naturæ tenetur credere, & obligatur eam tenere, & affirmare.

Veniat igitur aliquis, qui ignaro homini afferat, Deum eſſe, & quærat perſuadere ei,quod Deus eſt; & quod Deus eſt infinitũ bonum,& omnipotẽs virtus, qui fecit cælum & terram, & conſeruat & perficit omnia. Hoc audito, audientis animus conſiderans, quod Deum eſſe, eſt magnum creaturæ bonum, & Deum non eſſe eſt magnum creaturæ malum, debet inclinare animum ſuum, ad credendum quod Deus eſt, quia credere quod Deus ſit, eſt ſibi valde fructuoſum, & honorificum, & conſequenter melius eſt illi dare locum in corde, & fidem ſuam. Si enim fidem præſtet, quod Deus eſt, & recipit eam in intellectu ſuo, credendo, affirmando, & adhærendo, tunc plantat eam in ſe, & ingentia bona ſequuntur ex hac fide. Nam intellectus efficitur exaltatus, ac nobilior,excellentior, & dignior, & recipit magnum incrementum & aſcenſum perfectiorem,& vadit de non eſſe ad eſſe,eo quod coniungit ſe cum parte magis amabili, & quæ magis conuenit cum eſſe, & cum bono; & recipit influentiam ab eo, quia intellectus efficitur illius nobilitatis,& dignitatis,& perfectionis,quale eſt illud quod credit, ideo debet ſe totum dare parti nobiliori & perfectiori. Si autem ſociet ſe cum parte oppoſita, quæ eſt, Deum non eſſe,tunc intellectus efficitur prauus, & tendit ad nihil, & ad non eſſe, & ad mala infinita. Quare concluditur,quod homo

de iure naturæ tenetur, & obligatur affirmare iſtam partem, Deus eſt, & aduerſam partem vt ſterilem, & infructuoſam negare & refutare quæ dicit, Deus non eſt. Et omnis creatura clamat, quod homo hoc debet facere. Hac autem recepta fide ſtatim ſequitur, quod verum eſt Deum eſſe, quia poſtquam homo de iure naturæ tenetur & obligatur hoc credere & affirmare; natura non mentitur, ergo ſequitur quod hoc eſt affirmabile, & credibile & verum, quia homo non obligatur naturaliter ad falſum, ſed obligatur naturaliter ad verum, ergo ſequitur Deum eſſe. Deinde concluditur, quod hoc eſt verum ex tali debito naturæ, quia in natura nullum falſum eſt, nec eſt obligatio naturalis ad falſum. Ecce ergo modum, & praxim trahendi homines non credentes ad credendum, & ad affirmandum illa quæ non intelligunt per rationem, & hac ratione intellectus roboratur, & confortatur, vt firmius credat.

DE PRODVCTIONE autem diuina inter ſe: Si proponatur quod Deus produxit filium, de natura ſua, ſibi ſummè æqualem, & quod in Deo eſt productio de propria ſubſtantia & natura, certè magis eſt amabile Deũ eſſe productum de ſua ſubſtantia, quàm ſterilem & non productum, quia homini eſt magis deſiderabile, quod Deus ſuus eſt tantæ potentiæ & virtutis, quod ipſe poſſit Deum producere de ſeipſo, quàm quod non poſſet. Etiam quia ex hoc quod Deus produxit ex ſe Deum & filium, in hoc arguitur maxima communicatio, & ex hoc homo capit quandam fiduciam de communicabilitate Dei, quia Deus totam ſuam ſubſtantiam, potentiam, & ſapientiã communicet vni alteri. Si autem non communicaret, non eſſet ita bonus, nec ſummè communicatiuus, ſed multo melius eſt Deum habere ſe ſummè communicatiuũ, quàm eius oppoſitum; vnde ex hoc poteſt homini ſurgere gaudium & ſolamen magnum erga Deum, ſi totum communicat quicquid habet & quòd nihil retinet, quod non communicat. Sed ex parte oppoſita, ſcilicet quod in Deo nulla eſt productio de ſua propria natura, nullum bonum ſequitur homini: & etiam eſt iucundius Deum credere fœcundum, & non ſterilem, quia qui credit oppoſitum, diminuit Deum, & per conſequens bonum hominis. Qui autem affirmat Deum habere filium de ſua propria natura generatum, dat Deo eſſe ſummum bonum, & per conſequens affirmat bonum hominis: quare ſequitur quod homo tenetur affirmare, & credere in Deo eſſe plenam productionem de ſua natura, & negare oppoſitum, quia prima pars, eſt bonũ hominis, & ſecunda pars, eſt malum hominis, quia diminuit bonum hominis.

DE OMNIPOTENTIA autem, ſapientia, & bonitate Dei: eſt bonũ homini habere Deum omnipotentem, ſummè ſapientem, & ſummè bonum, & oppoſitum eſſet malum hominis, ſcilicet non habere Deum omnipotentem, neque ſummè ſapientem, neque ſummè bonum, & etiam conuenit homini habere Deum ita potentem, ita ſapientem, ita bonum, quo cogitari non poterit vltra, & oppoſitum eius eſt totum malum hominis. Quare ſequitur, quod homo debet affirmare, & credere illud, quod Deo magis conuenit, & ſibi in quantum homo eſt. Et hoc eſt totum illud quod magis cadit ad eſſe quàm ad non eſſe.

DE INCARNATIONE vero, melius eſt homini credere quod Deus ſit homo factus, & humanitas vnita ſit Deitati in vnam perſonam, quàm eius oppoſitum; immo hæc vnio eſt ſumma perfectio, ſumma nobilitas,

ſumma

ſumma dignitas, & ſumma exaltatio,ac ſummum bonum hominis,& maius, quod poſſit eſſe. Ergo, qui affirmat & credit, quod nunquam Deus fiet homo, nec poſſit fieri,amouet,inquantum in eo eſt, ſummam & maximam perfectionem hominis, & priuat humanam naturam tanto bono: ergo talis eſt inimicus hominis,inquantum homo eſt,& humanæ naturæ,& eſt contra hominem. Ergo melius eſt homini affirmare, & credere, quod Deus factus ſit homo, quàm eius oppoſitum.

DE CONCEPTIONE filij Dei, & humana natura: melius eſt homini, & dignius affirmare & credere,quod ille homo, cuius dignitas vnita eſt Deitati,ſit conceptus de Spiritu ſancto,quàm de ſemine virili,& ſine carnali concupiſcentia, & melius & dignius eſt credere, quod ſit natus de Virgine,quàm de muliere corrupta; quia in omnibus his nobilitatur humana natura,quia cum ille homo ſit nobilior & excellentior omnibus hominibus, nec poſſet eſſe nobilior, nec magis exaltatus, melius eſt, & dignius, vt habeat omnem nobilitatem & dignitatem ex parte ſuæ conceptionis, & natiuitatis, & melius & dignius eſt credere hoc, quàm eius oppoſitum:quia hoc ponit nobilitatem in humana natura, ſcilicet quod habet talem hominem,& oppoſitum poneret indignitatem, & ignobilitatem in natura humana, & etiã hoc eſt ſummè amabile, & deſiderabile homini inquantum homo eſt, quod humana natura intantum ſit dilecta à Deo, quod ipſe Deus dignatus eſt eſſe homo.

DE RESVRRECTIONE vero mortuorum, melius eſt homini affirmare, & credere reſurrectionem mortuorum in corpore, & anima, quàm eius oppoſitum, & quod tota natura humana reſurget à mortuis, & mutabitur in immortalitatem, quoniam affirmare & credere hoc,ponit hominem & naturam humanam in maximo gaudio, ſpe, & fiducia, ac conſolatione magna & dignitate, exaltatione & ornatu, quod bonum, exaltat eum ſuper omnia alia animalia. Credere autem & affirmare oppoſitum, nullum bonum ponit in natura humana, imò omne bonum remouet & priuat. Ergo ille qui affirmat, & credit oppoſitum, eſt contra hominem, & eſt inimicus hominis, inquantum homo eſt,& per conſequens eſt contra ſeipſum. Vnde etiam ſummè amabile eſt, vt homo credat ſe, & totam naturam humanam,in futuro debere reſurgere, & oppoſitum eius eſt valde odibile & triſtabile.

Item melius & iucundius eſt homini credere, quod iam aliquis reſurrexit à mortuis ad vitam immortalem, quàm quod nullus reſurrexiſſet, quia hoc ponit hominem in maiori fiducia, & ſpe, & conſolatione futuræ reſurrectionis: ſi autem adhuc nullus reſurrexiſſet,non eſſet tanta ſpes, neque ſecuritas in homine de futura reſurrectione. Si autem aliquis credat futuram reſurrectionem generalem, & non credat aliquem reſurrexiſſe, minorem habebit ſpem & confidentiam de hoc, quod ipſemet reſurget: ille autem qui vtrunque credit, habet maiorem ſpem, & confidentiam: ergo hoc eſt homini melius credere, quàm eius oppoſitum.

DE ASCENSIONE ad Cælos: melius eſt affirmare & credere, quod iam aliquis homo aſcendit ad cælos, quàm eius oppoſitum, quia ex hoc ſequitur maxima ſpes,conſolatio, & ſecuritas, ac gaudium humanæ naturæ; ac etiam ponit maximam dignitatem, & exaltationem in humana natura, & maximum deſiderium eundi ad cælum, & relinquendi terram:

oppoſitum autem credere, nullum bonum facit homini.

DE IVDICIO Vniuerſali: melius eſt homini credere, & affirmare, quod Iudicium fiet vniuerſale, in quo omnes homines recipient à Deo ſuam vltimam mercedem ſecundum opera ſua, quàm credere eius oppoſitum: quoniam ex hoc homines inducentur ad operandum bonum, & ad meliorandum opera ſua, vt remunerentur, & ad fugiendum mala opera, ne puniantur, aut condemnentur. Summè igitur vtile eſt, & neceſſarium homini credere, & affirmare futurum eſſe Iudicium, in quo vnuſquiſque recipiet, ſecundum quod geſſit in corpore, ſummum bonum, vel ſummum malũ, ſummam gloriam, vel ſummam confuſionem: ſi autem non credit, tunc non conabitur ad bonum, imò viuet ſecundum carnem vt brutum, & inſequetur concupiſcentias carnales, & delectationes carnis.

DE IMMORTALITATE animæ: melius eſt homini credere & affirmare, quod homo animam habeat immortalem, quàm eius oppoſitum: quoniam hæc eſt magna exaltatio, & dignitas, & bonum humanæ naturæ, & per hoc magis ſeparatur à beſtijs, & appropinquat Deo, & generatur in homine magnum gaudium, magna ſpes, & fiducia. Iſta enim credulitas, ſine comparatione eſt multò melior, quàm credere animæ mortalitatem, quia ſi credat mortalem eſſe animam, quid ei afferet gaudij ſeu conſolationis credulitas iſta? nulla enim conſolatio poteſt eſſe in illo, ſed triſtitia, & deſolatio plurima: ſed quia homo tenetur credere illa, per quæ in ipſo maius generatur gaudium, ſeu conſolatio, & ſpes (nam habere ſpem eſt magna conſolatio & magnum bonum, habere eius oppoſitum eſt magnum malum, & deſperatio) ergo qui non vult credere animæ immortalitatem, per quam generatur in homine magna conſolatio & ſpes, ſtultè facit contra ſeipſum, & honorem ſuum abijcit, & comparat ſe iumentis, & deſperat futura bona.

Concluſio de omnibus iſtis de Fide Chriſtiana.

Ideo valde laudandus eſt ille, qui aſſentit credendo, omnibus quæ à Chriſtiana fide proponuntur, neque eſt leuis corde, & nullo modo eſt increpabilis neque à Deo, neque ab aliqua creatura, quia credit quod melius eſt pro humana natura. Et licet fides Chriſtiana non eſſet vera, quod eſt impoſſibile, excuſatus eſſet coram Deo, & omnibus creaturis, quia affirmat, & credit partem meliorem, & magis amabilem, & quæ magis eſt pro bono, vtilitate, & perfectione hominis, in quantum homo eſt, & hoc tenetur facere: hoc enim clamat omnis creatura; & qui facit quod debet, eſt excuſatus in omnibus; & qui facit oppoſitum, ille increpandus eſt, & culpa dignus coram Deo, & creaturis, & nullam habet excuſationem, quia relinquit, quod bonum eſt, & eligit malum, quod eſt fugiendum.

Creatura rationalis perficitur non ſolum propter id, quod ei ſecundum naturam ſuam competit, ſed etiam propter id, quod ei attribuitur ex ſupranaturali perfectione diuinæ bonitatis, quam perfectionem incipit habere per fidem. *Cap.* 474.

IN omnibus naturis ordinatis inuenitur, quod ad perfectionem naturæ inferioris duo concurrunt, vnum quidem, quod eſt ſecundum propriũ motum, aliud, quod eſt ſecundum motum ſuperioris naturæ: ſicut aqua ſecundum motum proprium, mouetur ad centrum, ſecundum autem motum lunæ, mouetur circa centrum, ſecundum fluxum, & refluxum. Similiter etiã orbes planetarum mouentur proprijs motibus ab occidente in orientem, motu autem proprij orbis ab oriente in occidentem. De terra autem dicitur, quod ad perfectionem terræ duo concurrunt: alterum ſecundum proprium motum, ſcilicet quies in centro: alterum ſecundum motionem actiuam cæleſtis corporis in eam, ſcilicet germinatio vegetabilium, & animalium, quæ pertinere ad perfectionem terræ ſacra ſcriptura teſtatur: Igitur perfecti ſunt cæli & terra, & omnis ornatus eorum. Sola autem rationalis creatura habet immediatum ordinem ad Deum, quia ceteræ creaturæ non attingunt ad aliquid vniuerſale, ſed ſolum ad aliquid, quod particulare eſt, participantes diuinam bonitatem, vel in eſſendo tantum, ſicut inanimata: vel etiam in viuendo, & cognoſcendo ſingularia, vt plantæ & animalia. Natura autem rationalis in quantum cognoſcit vniuerſalem boni, & entis rationem, habet immediatum ordinem ad vniuerſale eſſendi principium. Perfectio ergo rationalis creaturæ, non ſolum conſiſtit in eo, quod ſibi competit ſecundum ſuam naturam; ſed in eo etiam, quod ſibi attribuitur ex quadam ſupernaturali perfectione diuinæ bonitatis. Vnde & dictum eſt, quod vltima beatitudo hominis in quadam ſupernaturali Dei viſione conſiſtit, ad quam homo pertingere non poteſt, niſi per modum addiſcentis, ſecundum illud: Omnis, qui audit à Patre, & didicit, venit ad me. Huius autem diſciplinæ fit homo particeps non ſtatim, ſed ſucceſſiuè, ſecundum modum naturæ ſuæ. Omnis autem addiſcens, oportet quod credat, ad hoc quod ad perfectam ſcientiam perueniat, ſicut etiam Philoſophus dicit: oportet addiſcentem credere: vnde adhoc, quod homo perueniat ad perfectam viſionem beatitudinis, præexigitur, quod credat Deo, tamquam diſcipulus magiſtro docenti. Hæc D. Thom. vbi ſupra.

D.Tho. 2. 2.q.2.a.3.

*Ioan.*6.

Deus bonus, creaturam rationalem ad ſummi, & inacceſſibilis boni participationem, trahit per fidem, & hoc rationabiliter. *Cap.* 475.

TAnta autem eſt diuini amoris vis erga vniuerſum, vt non ſuffecerit Deo communicare ſe per naturales participationes, creando vniuerſum ex tot eſſendi participationibus conſtitutum, quot diuina bonitas naturaliter participabilis ſecundum ordinem ſuæ ſapientiæ erat: Sed cum videre Deum, fruiq. apertè Deo, ſoli diuinæ naturæ naturale ſit, & eſſe poſſit, ac per hoc creatæ, & creabiles naturæ non poterant naturali participatione ha-

*Caiet. ad D.Tho.*2.2 q.1.art.3.

bere diuinam viſionem,ac perfectam fruitionem,communicauit per gratiam, quod incommunicabile erat per naturam, & effecit omnes intellectuales, & rationales creaturas habiles ad diuinam viſionem, & fruitionem, ex hoc ipſo, quod ordinauit eas, vt eſſent diuinæ naturæ conſortes per gratiam, & ad id, quod ſoli Deo naturale eſt, ſcilicet videre Deum, & frui Deo peruenire poſſent: Et quia peruenire ad viſionem huiuſmodi, proprijs actibus non poſſumus, niſi conſequenter adiuti diuino ducatu, qui fit docendo; ideo oportet credere Deo docenti nos ea, quæ viſuri ſumus, quæ præparauit ſuis electis. Vbi patet primo, quo modo in natura rationali, inuenitur vltra id, quod ei eſt naturale, perfectio ſupernaturalis ſecundum modum ſuperioris, hoc eſt diuinæ naturæ per gratiam. Patet ſecundo, quia optima ratio adhoc ſupra allata fuit, arguendo à conditionibus naturalibus creaturarum, quæ adeo eſt probabilis, vt neceſſaria appareat. Patet tertio, quia iuſte exigatur à rationalibus creaturis, quod credant ſupernaturalia,& operentur conformia ſupernaturalibus. Par namq. eſt iuſtitiæ ratio, vt exigantur opera cõformia ſupernaturali naturæ, ad quam accitæ ſunt per gratiam, & exigantur opera conformia naturæ rationali, quam naturaliter habent. Nam, quia naturam rationalem habent,iuſtè exigitur, vt operentur conformiter ad illam, vt vitent deformia ab illa. Et eadem ratione, quia conſortium diuinæ naturæ habent ex Dei munere,iuſtè exigitur, vt operentur conformia diuino conſortio, & vitent quæcunque contraria ſunt illi. Et quoniam credere reuelata à Deo, eſt vnum iſtorum; quoniam eſt via ad perfectionem diuini conſortij: ideo neceſſarium eſt credere, & damnabile eſt non credere, & propterea concluditur, quod credere eſt neceſſarium ad ſalutẽ.

Scientia ſalutis conuenienter per fidem erat docenda.
Cap. 476.

D. Tho. 2. 2. ar. 4.

NEceſſarium eſt autem homini accipere per modum fidei, non ſolum ea, quæ ſunt ſupra rationem; ſed etiam ea, quæ per rationem cognoſci poſſunt:

Primò quidem, vt citius homo ad veritatis diuinæ cognitionem perueniat. Scientia enim,ad quam pertinet probare Deum eſſe, & alia huiuſmodi de Deo, vltimo hominibus addiſcenda proponitur, præſuppoſitis multis alijs ſcientijs, & ſic non niſi poſt multum tempus vitæ ſuæ homo ad huiuſmodi cognitionem perueniret.

Secundò, vt cognitio Dei ſit communior: multi enim in ſtudio ſcientiæ proficere non poſſunt, vel propter hebetudinem ingenij, vel propter alias occupationes & neceſſitates temporalis vitæ, vel etiam propter teporem addiſcendi, qui omnino à Dei cognitione fraudarentur, niſi proponerentur ei diuina per modum fidei.

Tertiò modo propter certitudinem: Ratio enim humana in rebus diuinis eſt multum deficiens. Videmus enim Philoſophos de rebus humanis naturali inueſtigatione perſcrutantes, in multis errauiſſe, & ſibi ipſis contraria pronunciaſſe. Vt ergo eſſet indubitata,& certa cognitio apud homines de Deo, oportuit quod Diuina eis per modum fidei traderentur, quaſi à Deo dicta, qui mentiri non poteſt.

Qui erudiunt alios, tenentur maiorem notitiam habere credendorum, quàm ceteri. Cap. 477.

Explicatio verò credendorum fit per reuelationem diuinam: Credibilia enim naturalem rationem excedunt. Reuelatio autem diuina, ordine quodam ad inferiores peruenit per ſuperiores, ſicut ad homines per Angelos, & ad inferiores Angelos per ſuperiores. Et ideo pari ratione explicatio fidei oportet, quod perueniat ad inferiores homines per maiores. Et ideo ſicut ſuperiores Angeli, qui inferiores illuminant, habent pleniorem notitiã de rebus diuinis, quàm inferiores; ita etiam maiores homines, ad quos pertinet alios erudire, tenentur habere pleniorem notitiam de credendis, & magis explicitè credere. *D. Thom. ibid. art. 6.* *Dionyſ. de cæleſt. hierarch. c. 12*

Fides ſana, quæ ſit, & teſtimonia credibilia. Cap. 478.

Illa fides ſana eſt, qua credimus nullum hominem, ſiue maioris, ſiue paruæ ætatis liberari à contagio mortis, & obligatione peccati, niſi per vnum mediatorem Dei, & hominum Ieſum Chriſtum. *D. Tho. ibi. art. 7.* *Aug. ep. 157*

Via hominibus veniendi ad beatitudinem, eſt myſterium Incarnationis, & Paſſionis Chriſti. Non enim eſt aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri. *Act. 4.*

Tria autem teſtimonia fidem Chriſtianam credibilem nimis faciunt; Doctrina diuina, quæ in ſacra ſcriptura, & eccleſia eſt. Miracula: & interior inſtinctus Spiritus ſancti, quem Doctores ceteris præponunt, quia ſolius Dei eſt agere in cor: & ipſe Spiritus reddit teſtimonium ſpiritui noſtro, quod filij Dei ſumus: Quod nemo nouit, niſi, qui accipit. Hæc autem tria ſunt ſufficienter inductiua ad credendum, hoc eſt, ad voluntarie aſſentiendum, & ideo non tollunt ex ſua ſufficientia meritum credentis, ſicut nec tollunt voluntarium in actu credendi. *D. Tho. ibi. art. 9. in reſp. ad 3. & Caiet.*

Fidei diffinitio.

Fides eſt ſubſtantia ſperandarum rerum, argumentum non apparentium. *ad Heb 11*

Fides appellatur ſubſtantia: quia ſubſtantia ſolet dici prima inchoatio cuiuſcunquè rei, & maximè quando tota res ſequens continetur virtute in primo principio: puta, ſi dicamus, quod prima principia indemonſtrabilia ſunt ſubſtantia ſcientiæ, quia ſcilicet primum, quod in nobis eſt de ſcientia, ſunt huiuſmodi principia, & in eis virtute continetur tota ſcientia. Per hunc modum dicitur fides ſubſtantia rerum ſperandarum, quia ſcilicet prima inchoatio rerum ſperandarum in nobis eſt per aſſenſum fidei, quæ virtute continet omnes res ſperandas: per argumentum autem intellectus inducitur ad inhærendum alicui vero: vnde firma adhæſio intellectus ad veritatem fidei non apparentem, vocatur argumentum, qua ratione optimè diffinitur fides, vt ſit habitus mentis, quo inchoatur vita æterna in nobis, faciens intellectum aſſentire non apparentibus. *D. Tho. 2. 2 q. 4. a. 1.*

Fides eſt virtus, qua creduntur, quæ non videntur. *Aug. tract. 40. in Ioã.*

Fides

Damaſcen. lib. 4. c. 12. Fides eſt non inquiſitus conſenſus.

Fides eſt certitudo animi quædam de abſentibus ſupra opinionem, & infra ſcientiam.

Dionyſ. de de diuin. nom. c. 7. Fides eſt manens credentium fundamentum, collocans eos in veritate, & in ipſis veritatem oſtendens.

Fides intellectum à præſumptione liberat. Cap. 479.

D. Th. con. Gent. lib. 1. c. 5. HAec Fides reprimit præſumptionem, quæ eſt mater erroris: ſunt enim quidam tantus de ſuo ingenio præſumentes, vt totam naturam diuinam ſe reputent ſuo intellectu poſſe metiri: æſtimantes ſcilicet totum eſſe verum, quod eis videtur, & falſum, quod non videtur: vnde neceſſe fuit homini proponi quædam diuinitus, quæ omnino intellectum eius excederent, vt ab hac præſumptione humanus animus liberatus, ad modeſtam inquiſitionem veritatis perueniat.

De rebus verè diuinis, & nobiliſſimis quantumcunque imperfecta cognitio, maximam perfectionem, & gaudium animæ confert.

Ariſt. li. 1. de part. animal. c. 5. Philoſophi autem teſtantur, quod quamuis parum ſit, quod de ſubſtantijs ſuperioribus percipimus, tamen id modicum eſt magis amatum, & deſideratum, omni cognitione, quam de ſubſtantijs inferioribus habemus.

Eccl. 3. 1. Cor. 2. Plurima ſupra ſenſum hominis oſtenſa ſunt homini. Quæ enim ſunt Dei, nemo nouit, niſi ſpiritus Dei: nobis autem reuelauit Deus per ſpiritum ſuum.

D. Th. ibid. c. 8. Res ſenſibiles, ex quibus humana ratio cognitionis principium ſumit, aliquale veſtigium in ſe diuinæ imitationis retinent: videlicet quod ſunt, & bonæ ſunt: ita tamen imperfectum, quod ad declarandam ipſius Dei ſubſtantiam, omninò inſufficiens inuenitur. Habent enim effectus ſuarum cauſarum, ſuo modo ſimilitudinem, cũ agens agat ſibi ſimile; non tamen effectus, agentis ſimilitudinem ſemper pertingit. Humana igitur ratio ad cognoſcendum fidei veritatem, quæ ſolùm videntibus diuinam ſubſtantiam poteſt eſſe notiſſima, ita ſe habet, quod ad eam poteſt aliquis veras ſimilitudines colligere, quæ tamen non ſufficiunt ad hoc, quod prædicta veritas, quaſi demonſtratiuè, vel per intellecta comprehendatur. Vtile tamen eſt, vt in huiuſmodi rationibus, quantumcunque debilibus, ſe mens humana exerceat: dummodo deſit comprehendendi, vel demonſtrandi præſumptio: quia de rebus altiſſimis etiam parua, & debili conſideratione aliquid poſſe inſpicere, iucundiſſimum eſt.

Hilar. li. de Trin. multis locis. Qui enim piè infinita proſequitur, & ſi non contingat aliquando, ſemper tamen proficiet procedendo. Sed non, quod quis ſe inſerat in illud ſecretum, & arcanum interminabilis veritatis, & ſe immergat, ſummam intelligentiæ comprehendere præſumens, ſed intelligat incomprehenſibilia eſſe.

Quàm longè, latèq. per Apoſtolos, ſed præcipuè per Petrum Chriſtiana fides ſit propagata. Cap. 480.

Thom. Staples de magnit. Rom. Eccl. lib. 2. c. 5. ROmani Imperij ab operibus magnitudo ſiue admiranda, ſiue ſtupenda, in eo maximè eluxiſſe videtur, quod totius Europæ, Aſiæ,

Africæ

Africæ regna, Prouincias, gentes, florem ſaltem ipſum, & robora, aut ſubegit, aut domuit, aut ita pacauit, vt victoria, atquè Imperio Romanorum lætarentur. Sanè Imperij Romani Metatores, vt ſic dicam, & qui eius fines propagarunt, à ſubactis ſibi gentibus ita gloriam captarunt, vt non ſolum priuati illi duces in libera adhuc Republica, Scipiones, & alij, Africani, Aſiatici, Macedonici, nuncupati fuerint, ſed Imperatores demum orbem digito qui temperabant, Alemannici, Francici, Dacici, Parthici, Gotthici, Britannici, alijſq. deuictarum gentium titulis, & cognominibus ornari, ac decorari, hacq. in re magnā gloriæ, & ſplendoris ſui partem ponere voluerint. Tota tamen hæc gloria, totus ſplendor, tota magnificentia, non niſi cum populorum ſtrage, ſpolijs & cede coniuncta erat, vt aliorum miſeria, Romanorum fœlicitas fuerit. Atqui Romanæ Eccleſiæ opus illud vnum, & merito admirandum, & magnificentiſſimum erit, quod eius vnius opera, & auſpicijs, innumeræ gentes per Europam, Aſiam, Africam, non bello ſubactæ, non fortunis, aut libertate ſpoliatæ, non ſeruituti tributariæ addictæ, ſed in ſummam, ac beatam libertatem, à ſeruitute, & captiuitate Diaboli, hoſtis humani generis infeſtiſſimi aſſertæ, à tenebris ad lucem, ab errore ad veritatem, ab ira ad gratiam, ab interitu ad ſalutem, à ſcelere, & maleficio ad virtutis, ac pietatis ſtudium, deniquè à ferina barbarie ad humanitatem, immo vitam Angelicam excolendam traductæ, & translatæ fuerint.

Quod etſi omnibus Apoſtolis à Chriſto in mundum miſſis commune eſſe videatur, tamen illud Chriſti verbum ad Petrum ſpecialiter dictum, quum præter expectationem traheret rete, ita plenum magnis piſcibus, vt rumperetur rete, & alij ad auxilium vocarentur: Ex hoc eris homines capiens, manifeſtè docet Petri, & ſucceſſorum eius in hac piſcatione ſpirituali capturam, longe fore quauis alia Eccleſia vberiorem, & fœliciorem. Velut enim à ſole radij, & è fonte riui, & à capite in reliqua corporis membra vitalis omnis influxus, operatio, motus: ſic à Romana Eccleſia, & vna Petri ſede longè, lateq. fides Chriſtiana diffuſa per totum orbem fœliciter eſt propagata: quod his verbis Innocentius primus ad Decentium ſcribens animosè, & verè profitetur.

Quis (inquit) neſciat, aut non aduertat id, quod à principe Apoſtolorum Petro Romanæ Eccleſiæ traditum eſt, ac nunc vſque cuſtoditur, ab omnibus debere ſeruari, nec ſuperinduci, aut introduci aliquid, quod aut auctoritatem non habeat, aut aliunde videatur accipere exemplum? præſertim quum ſit manifeſtum, in omnem Italiam, Gallias, Hiſpanias, Africam, & Siciliam, inſulaſq. interiacentes, nullum hominem inſtituiſſe Eccleſias, niſi eos quos venerabilis Apoſtolus Petrus, aut eius ſucceſſores conſtituerunt ſacerdotes. Quæ tanti Pontificis verba dilucida veritate eſſe ſubnixa, tametſi in ſingulis harum Orbis partiū prouincijs, ac locis oſtendere perdifficile ſit, quum harum rerum memoriam poſt tot ſecula extare, in tanta ſcriptorum veterum iactura, impoſſibile penè videatur; plurimis tamen, & illuſtribus exemplis demonſtrare conabor. Habuit ab ipſo D. Petro inſtitutos Epiſcopos, primoſq. Apoſtolos, Sicilia Pancratium, Marcianum, Berillum, & Philippum: Capua Priſcum, Neapolis Aſprenatem, Tarracina Epaphroditum, Equicolæ populi Marium, Ptolomæum Nepe, Romulum Fe-

Epiſt. 1.

Baron. an. 46.

ſulæ, Paulinum Lucæ, Rauenna Apollinarem, Verona Eupropium, Patauium Proſdocimum, Ticinum Syrum, Aquileia poſt Marcum Hermagoram. Hæc in vna Italia. In Gallijs, Lemouicenſes, Toloſani, & Burdegalenſes, Martialem: Tungrenſes, Colonienſes, & Treuirenſes Maternum, necnon Valeriũ; Remenſes Sixtum, Arelatenſes Trophimũ: Senonenſes Sabinianum, Cenomanenſes Iulianum; Vienna, & Moguntia Creſcentem, Catalaunium, Nemmium; Bituricenſes Vrſinum: Auernenſes Auſtremonium; Sanctonenſes Eutropium; Germania Eucharium, Egiſtum, & Marcianum; Hiſpania Torquatum, Cteſiphontem, Secundum, Indaletium, Cæcilium, Heſychium, Eufratium, & alios. In Britanniam quoque noſtram à Claudio Imperatore ſubiugatam, confeſtim à B. Petro Ioſephum ab Arimathea deſtinatum penetraſſe, & Euangelium ibi prædicaſſe, certiſſima apud nos monimenta ſunt.

Die 29. Hinc Simeon Metaphraſtes, & alij, in ipſas Britannias Petrum perueniſſe
Iun. affirmant. Reliquos vero omnes, à ſolo B. Petro ad varias prouincias
miſſos eſſe, ex certis, & indubitatis monimentis docet Baronius in ſuis ad
Romanum Martyrologium, annotationibus, alia multa prætermittens minus
explorata. Sanè Aurelijs in Gallia templum olim vidimus paruum, ſed
vetuſtiſſimum, S. Pierre le vif, nuncupatum, quia viuente adhuc D. Petro
Lib. 2. epiſt. extructum fuit. Porrò Numidiæ in Aphrica Epiſcopos à D. Petro ordina-
75. tionum ſuarum initia accepiſſe, ſcribit ad eos Gregorius Magnus. Vnde
De præſcri. Tertullianus Afer longè antea ſcripſerat: Habes Romam, vnde nobis quoque
c. 36. auctoritas præſto eſt: & Cyprianus Afer Romanam Eccleſiam matricem ap-
Epiſt. 45. pellat, quia ab ea non Carthago tantum, ſed Mauritania, & Numidia fidem
primitus acceperunt. Sed & in Phœnicia, Syria, & Aſia, quod Epiſcopos
varios D. Petrus conſtituerit, poſtquam à vinculis illis Hieroſolymitanis
liberatus eſſet, iam quæ de his Simeon Metaphraſtes, ex antiquioribus
chartis recenſuit, & nos ſupra diximus.

Paſtores à Petro vniuerſali Paſtore, & ab alijs eius ſucceſſoribus miſſos in diuerſas regiones, ad paſcendas Mundi oues. Cap. 480.

Petrus The. ROmæ reſidens varios in alias Orbis partes diuini verbi præcones emiſit,
Staplet. ibi. qui in Eccleſiæ Romanæ corpus populos colligerent. Scribit Ioannes Vaſæus Hiſpanus, diligentiſſimus antiquitatis indagator, anno Domini quadrageſimo quarto, creatos Romæ à B. Petro Epiſcopos, & in Hiſpaniã miſſos, Cæcilium ad Elibertinos, Euphraſium ad Illiturgitanos, Secundum ad Abulenſes, Indaletium ad Vrſitanos, Cteſiphontem ad Abderitanos, Heſichium ad Carteſanos. Scribunt alij, anno quinquageſimo miſſum à beato Petro in Hiſpaniam Saturninum, poſtea Toloſæ Epiſcopum. Hic Romanæ Eccleſiæ primus Pontifex, ſicuti Romani Imperij primus prænomine Imperator Iulius Cæſar. Qui ſi ex eo veluti dignus, vt primus orbis Imperator eſſet, à Plutarcho celebratur, quod mille vrbes vi cepit, quod regiones trecentas ſubiecit, quòd centena hoſtium millia in acie cecidit, quòd in Aſiæ, Africæ, Hiſpaniæ bellis ciuilibus victor glorioſus extitit; quanto, & verior erit Romanæ Eccleſiæ gloria, cuius fundator primus tot gentes, ac populos,

pulos, ipſamq. demum Vrbem Romanam ad vnam diuinæ veritatis lucem, ex omnium penè ſuperſtitionum colluuie traduxerit, nec corporeæ ſeruituti addixerit; ſed animam in libertatem, & ſalutem aſſeruerit.

Videamus nunc, an eius poſteà ſucceſſores eandem operam non præſtiterint, non illuſtres tantum, & glorioſas, ſed ſalutares, ac beatas victorias conſecuti. Clemens B. Petri proximus, penè ſucceſſor, Lutetiam Pariſiorum, Dionyſium Areopagitam cum ſocijs ſuis Eleutherio, Ruſtico, & alijs miſit, qui eam Franciæ partem nobiliſſimã Chriſto acquirerent. Ab eodẽ Clemente Baiocenſibus in Gallia Exuperius, Ebroicenſibus Turinus: Rothomagenſibus Nicaſius: Metenſibus Cæleſtinus, & Felix Epiſcopi dati ſunt, qui poſtremi totum illum tractum, qui Lotharingia dicitur, Chriſto conciliarunt. *Ant. Leo.* *Democha-res.* Quintinus autem Romani ſenatoris filius, à Marcellino Papa baptizatus vnà cum Piatone, Dionyſio, Ruffino, Valerio, Eugenio, Criſpino, Criſpiniano, Luciano, Marcello, & alijs, religionem Chriſtianam in Ambianis, & Veromanduis propagarunt. *Iac. Meie.* Iam & vetus Britannia miſſis ab Eleutherio Papa Fugatio, & Damiano: & Scotia adiacens miſſo à Cæleſtino Papa Palludio, vel, ſi vera narrat Hector Boetius, miſſis à Victore Romano Pontifice fidei magiſtris; & ipſi demum Angloſaxones occupata Britanniæ inſula, à B. Gregorio Magno, miſſo B. Auguſtino Monacho cum alijs vndecim ſocijs fidem Chriſti acceperunt. *Beda.* *Polidorus.* *Hiſt. Scot. lib. 6.* Paulò poſt Conon Papa ſancto Chilliano cum Ditomanno, & Colomanno miſſo, primos Germaniæ populos ad fidem Chriſti pertraxit, teſte Sigiberto. Nam non ita multò poſt auſpicijs Gregorij ſecundi inſulam ſuam egreſſi Angloſaxones, Hollandiam, Phriſiam, Vveſtphaliam, Turingiam, & Cattos, alioſq. Germaniæ populos Chriſto quoque lucrati ſunt. *An. 431.* Sanè Vvinfridus, vel vt alij ſcribunt, Benfridus, poſtea Bonifacius dictus, à Gregorio ſecundo, Moguntiæ primus Archiepiſcopus creatus, eodem auctore, & Zacharia ſucceſſore eius, creauit Epiſcopos Traiecti Cobanum; Herbipolis Burchardum, Eiſtetenſium Vvillibaldum, Salisburgenſium Ioannem, Friſingenſium Eribertum, Ratiſponenſium Vvinibaldum, è monaſterijs Angliæ omnes eductos. Similiter in Phriſia fidem primi plantarunt Vvillibrordus, Suibertus, Acca, Leuinus, Hannudus, Vvalterus, Vittinghius, & Marcellinus Monachi Angli. *Aeneas Syluius.* Auſpicijs eiuſdem Gregorij ſecundi, Corbinianus Noricis Chriſtum prædicauit. Morauia Chriſti cultum complexa eſt, miſſis eo Cyrillo, & Methodio à Nicolao primo, qui varios prætereà populos ad Chriſti fidem adduxerunt, Triballos, Raſcios, Boſnenſes, Seruios, & Croatas; vniuerſam deniquè gentem, quæ Viſtula, Danubio, & Vago flumine circundatur: ac demum in Myſia Bulgaros, & Gazaros. Boemia opera Stephani ſeptimi Romani Pontificis. Dania ab Agapeto ſecundo fidem accepit. Primum Illyrij Epiſcopum Eleutherium Anicetus Papa, & ordinauit, & eo miſit. *Saxo Grã. lib. 9.* Scribit Stanislaus Orichonius, a Ioanne decimo tertio miſſos fuiſſe, qui Vandalos, & Lechitas ſacra Chriſtiana docerent. A quo etiam Pontifice miſſus eſt Aegidius Cardinalis Tuſculanus, qui Chriſti religionem in Polonia ſtabiliuit: nam prius fidem ſuſceperat, miſſis Roma Gallis magiſtris, vt ſcribit Martinus Cromerus in colloquijs de rebus religionis. Aenea Syluio teſte; *Lib. 1.* Liuonia cum ſuo Principe complexa eſt Chriſti cultum, opera Meinardi, quem prouinciæ illius Epiſcopum creauit Alexander tertius. Nouergia tota

ta à Nicolao Anglo, poſtea Romano Pontifice Hadriano quarto dicto, Chriſti, & Romanæ Eccleſiæ adiuncta eſt. Addit Saxo Grammaticus ab eodem, & Bernardo Anglo alijs aſſumptis ſocijs, Daniam eadem fœlicitate donatam eſſe. Ita totam hanc Europæ partem, Hiſpanias, Gallias, Britanniam, Germaniæ populos tàm vaſtos, ac diuerſos, opera potiſſimum, & auſpicijs Romanorum Pontificum ad Chriſti fidem conuerſos fuiſſe cernimus. *Poſt ep. 51. Leonis.* Sanè Galli Antiſtites ſcribentes ad Leonem Papam primum, agnoſcunt Romanam ſedem fontem, & originem religionis ſuæ extitiſſe. Iam vero noſtra ipſorum ætate, ac memoria, quis neſciat ampliſſimas, & numeroſiſſimas gentes in vtraquè India Orientali, & Occidentali, ſed hac magis, adeoquè & Iaponios, & Sinarum populos, ſacerdotum quidem maximè ſocietatis Ieſu, & aliorum Monachorum opera immediata, ac labore, auſpicijs tamen, & auctoritate vnius Romanæ Eccleſiæ, à qua miſſionis ſuæ originem omnes acceperunt, ad Chriſti glorioſum regnum acceſſiſſe? Nam & quos populos Aſiaticæ, & Orientalis Eccleſiæ ſiuè per Epiſcopos, *Sozom. l. 2. c. 23. Socr. l. 4. c. 29. l. 7. ca. 30. Sigisb. ad an. 432. Paul. Dia. l. 15. 16. Platin. in Vitaliano.* & presbyteros ſuos, vt interioris Indiæ per Frumentiū ab Athanaſio miſſum: Sarracenos per Moyſen Monachum, Burgundos per quendam Galliæ Epiſcopum anno quadringenteſimo triceſimo (nomen Hiſtorici non produnt) ſiuè piorum Imperatorum opera ad Chriſti fidem adduxerunt: vt ſub Iuſtino ſeniore Lazos, ſub Iuſtiniano Herulos, Hunnos, & Afros, Azimitenos, ſub Conſtantino quarto Perſarum Regem, nonniſi in communione, ſocietate, ac fide Romanæ Eccleſiæ, cum qua omnes communicarunt, Chriſti regno adiunxerunt.

Fides perfecta difficile inuenitur. Cap. 481.

Hieronym. Dialog. ad Lucif. SI autem habueritis fidem ſicut granum ſinapis, dicetis huic monti, iacta te in mare, & ſic fiet. Hæc eſt fides, quam raro inuentam Deus pronunciauit. Hæc eſt fides, quæ etiam apud eos qui bene credunt, difficile perfecta inuenitur. Fiat tibi, inquit Deus, ſecundum fidem tuam: hanc ego vocem audire nolo. Si enim ſecundum fidem meam fiat mihi, peribo: & certe credo in Deum Patrem, credo in Deum Filium, credo in Deum Spiritum ſanctum. Sæpe quippe inimicus homo, & inter dominicam meſ- *Matth. 13.* ſem zizania interſerit. Neque hoc dico, quod maius quicquam ſit, quàm Sacramenti fides, quam puritas animæ: ſed indubitata ad Deum fides ardua reperitur. Verbi gratia: Ad orationem aſſiſto, non orarem, ſi non crederem; ſed ſi verè crederem, illud cor, quo Deus videtur, mundarem, manibus tunderem pectus, genas lachrymis rigarem, corpore inhorreſcerem, ore pallerem, iacerem ad Domini mei pedes, eosq. fletu perfunderem, crine tergerem, hærerem certe trunco crucis, nec prius amitterem, quàm miſericordiam impetrarem. Nunc vero creberrime in oratione mea, aut per porticus deambulo, aut abductus vana, vel turpi cogitatione, etiam quæ dictu erubeſcenda ſunt, gero. Vbi eſt fides? ſiccine putamus oraſſe Ionam? ſic tres pueros? ſic Danielem inter Leones? ſic certe latronem in cruce? & hæc ego exempli cauſa ad intelligentiam ſenſus protuli: ceterùm conueniat vnuſquiſque cor ſuum, & in omni vita inueniet, quàm rarum ſit fidelem animam inueniri.

Acce-

Accedentem autem ad Deum, oportet primum credere quia eſt, & quia inquirentibus ſe remunerator eſt: ſicut enim quis mare non ingreditur, & liquido, ac profundo ſeſe cómittit elemento, niſi ſe prius credat poſſe ſaluari: nec agricola ſemina ſulcis obruit, & fruges ſpargit in terram, niſi crediderit venturos imbres, affuturum quoque Solis calorem, quibus terra confota ſegetes multiplicata fruge producat, ac ventis ſpirantibus nutriat. Nihil denique eſt, quod in vita geri poſſet, ſi non credulitas ante præceſſerit. Quid igitur mirum, ſi accedentes ad Deum credere nos primo omnium profitemur, cum ſine hoc, nec ipſa exigi poſſit vita communis. *Heb. 11.* *In Symb. Ruf.*

Propagandæ fidei ſtudium. Cap. 482.

DEus omnipotens, cuius natura bonitas, cuius opus miſericordia eſt, cum noſtris etiam temporibus ſalutarem Chriſti doctrinam in remotiſſimas nationes propagare vellet, quæ lumen euangelij, vel antea nunquam acceperant, vel acceptum, incuria, ſeu longinquitate reſtinxerat: quàmprimùm fortium, & experientium virorum excitauit ingenia, vt ignotas ad id tempus terras, ignotiora maria, tùm ad ortum Solis, tùm ad occaſum per ſummam animi contentionem, perq. ſumma pericula, & difficultates pertinaci ſtudio exquirerent: videlicet, quo per multa commercia, dum peregrini cum Incolis, vel terra nata, vel manu facta, vel alia qualibet in vſum vitæ, pro locorum, & Regionum varietate, permutant; interea occaſionem nacti ſacerdotes, & vitæ innocentia, & Chriſtianæ facundiæ laude præſtantes, ex auctoritate Romani Pontificis, verbum Dei longè, lateq. diſſeminarent., erranteſq. mortalium greges ab infœlicibus vepretis, ac ſaltibus, ad læta Domini paſcua, caulaſq. traducerent. *Maf. hiſt. Indic. li. 1.*

Catholica fides per omnia tempora, per omnia loca commigrat: Hæretica fides aliqua tantum loca, & certo tempore decipiendo occupat. Cap. 483.

PRomiſit Deus Abrahæ: Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ. Veniens igitur ſemen, ideſt (interprete ipſo Paulo & Petro) Chriſtus, emiſit Apoſtolos ad benedicendum omnes gentes, dicens: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos &c. (& promittens) Eritis mihi teſtes vſque ad vltimum terræ: Apoſtoli benedictionem iſtam, ſeu baptizationem Gentium inceperunt illi quidem, ſed non compleuerunt. Ecce enim hac ipſa ætate noſtra inuentæ ſunt gentes in Occidente, neque ab Apoſtolis, vel quoquam alio baptizatæ, neque à nobis, vel legendo, vel fando prius cognitæ, eæq. tàm multæ, vt nouus Orbis nominetur. Hic igitur apparebit facile, qui ſint poſt Apoſtolos teſtes Chriſti vſque ad vltimum terræ, ſi inueſtigemus, qui ſint hoc tempore, qui dictas gentes in Chriſto benedicant, docentes, & baptizantes eas in Nomine Patris, & Filij, Spiritus ſancti. Ergo Proteſtantes, his auditis tàm multis Paganorum gentibus, num ſe ad eas baptizandas accingunt? num ſibi quaſi teſtibus Chriſti vſquè ad vltimum terræ, reſtare adhuc ante conſumationem ſeculi laborem hunc exiſtimant? num negocium hoc ad ſe putant pertinere? Denique nonne hinc perſpicuum eſt, *Gen. 22.* *Gal. 3.* *Act. 3.* *Matth. 28.* *Act. 1.* *Riccard. Briſt. Motiuorum to. 1. mot. 9.*

eos

eos eſſe (quales Tertullianus dixit omnes hæreticos) noſtrorum euerſores, & non Ethnicorum conuerſores ? Caluinum quidemad captandam hãc gloriam miſiſſe quoſdam ſuorum comminiſtrorum in particulam quandam dicti Orbis, in Franciam nempe Antarcticam, intelligo: ſed Proteſtantem quemuis quis audiuit vnquam de vllo Ethnico ibi ab eiſdem conuerſo gloriantem ? ipſi Thraſones Apologetici noſtri, qui de commiſto migmate ſuo, Euangelio ſcilicet Lutheri, Caluini, & ceterorum huius temporis Hæreſiarcarum omnium, quaſi vno, cum tamen ſit diuerſiſſimum, illud in Apologia Eccleſiæ ſuæ Anglicanæ arrogantiſſime, & ſimul (niſi forte, vt Caiphas, quod non ſenſerunt, prophetauerint) mendaciſſimè dicunt, omnem iam propè terrarum Orbem aperire oculos ad aſpiciendam lucem, ſi quid habuiſſent de Caluiniſtis ſuis in nouo Orbe gloriari, nùm id tacere potuiſſent ?

Magna fidei Chriſtianæ propagatio in Nouo Orbe adinuento. Cap. 484.

Riccard. Briſt. Motiuorum 10. 1. mot. 9.

NOſtrorũ ibi Religioſorum, ſeu Monachorũ, Ordinum S. Aug. S. Bened. S. Dominici, S. Franciſci, & Societ. Ieſu, prædicatio; nec ibi ſolũ, ideſt in nouo Orbe occidentali, verũ etiam in multis locis Africæ, & plurimis locis Orientis, ſiue Indiæ, vſque eò dum Luſitani per Meridiem in Orientem, & contra Hiſpani in Occidentem, remotiſſimè nauigantes, vtrique demum, circumobito Orbe terræ in extremitate concurrerint, quem etiam circumitum Nauis eorum vna (cui ob id Victoriæ nomen datum eſt) aliquando confecit: Noſtrorum igitur hominum in his omnibus locis prædicatio, quẽ fructum habuerit, & quotidie habeat, hoc palàm, & manifeſte declarat, quòd hac ipſa ætate noſtra, paucis annis (quemadmodum in Hiſtorijs Eccleſiaſticarum rerum & nouarum nauigationum noſtri temporis videri poteſt) Deo mirabiliter adiuuante, atque (vt apparet) conſummationem Mundi per tàm fœlicem Euangelij ſui velocemq. ſucceſſum accelerante, plurima ibi Regna, cognitione, & fide Chriſti, ampliſſimaſq. Prouincias, longiſſimè atque latiſſimè repleuerunt: ita vt de Prouincijs Regis Hiſpaniæ (ſimilia autem & de Prouincijs Regis Luſitaniæ referuntur) Surij Commentarius, alijs quoque multis Hiſtorijs conteſtantibus, ita ſcribat: Tot autem hominum millia in illo nouo Orbe Carolino (ſic enim vocant) Chriſti fidem complexi ſunt, quantum eſſe poſſit in hoc veteri Orbe noſtro: In ſolo Regno Mexicano (paulo autem ante dixerat, octodecim Reges & Prouincias totidem ſubiugatas ibi eſſe Carolo Quinto, & Religione Chriſtiana initiatas) iam pridem fuere octoginta ſanctiſſima Monaſteria, & in dies plura fiunt. Et non multo poſt repetens ab initio conuerſionem eorum: Et quidem (inquit) anno ſalutis 1524. venit in Ciuitatem Mexicanam (habet ea vnica Vrbs, vt paulo ante dixit, centum viginti millia ædium) frater Martinus Valentinus cum duodecim Monachis, tanquam Vicarius Papæ à Carolo Cæſare illuc cum auctoritate eiuſdem Pontificis miſſus: eodemq. anno prædicauit ille in noui Orbis terra continente Euangelium Chriſti, & magnos illic progreſſus, magnaq. incrementa fides Chriſti accepit &c. Baptizabantur illic multa hominum millia, &c. Inde vero paucis annis tot baptizabantur

in

in ea noui Orbis plaga, vt alij ſepties dena centena millia, alij quaterdecies dena centena hominum millia in ſolo illo Mexicano regno baptizata retulerint. Magna etenim in eo noui Orbis tractu eſt hominum copia, adeo vt in Inſula Fani Diui Dominici quindecies centena hominum millia fuiſſe reperiantur, & quandoq. in proceſſione centum millia hominum ſe Chriſtiano more cæciderint virgis. Et poſt pauca iterum: Et certum eſt (inquit) omnes Indos, & noui orbis Carolini incolas, & accolas fieri quotidiè magis Chriſtianos. Et in Archiuis (inquit) Caroli Cæſaris lectum eſt, vnum quemdam ſacerdotem ſepties centena hominum millia baptizaſſe: alium tercentum millia, alium centum millia, alios plures, alios pauciores. In ſolo Mexico referunt multi, ſumma fide digniſſimi, triginta fuiſſe ſub Rege Dynaſtas, quorum quilibet habuerit ſub ſe centum millia hominum, aut circiter; & tria millia Toparcharum, qui & alios ſub ſe haberent, &c. Et, quod dictu horrendum eſt, mille plerumque homines vno die in Ciuitate Mexicana immolabantur.

Sed omnia Idola exturbata ſunt, Dæmonibus ſilentium indictum, oracula, & præſtigiæ conticeſcere iuſſæ ſunt, pluralitas vxorum in vnius conſortium redacta, ſeptem illis ſacramenta, & ceteri Romanæ Eccleſiæ ritus reuerenter traditi ſunt, &c.

Omnes ſectæ humana arte inuentæ, quia à Deo non erant, perierunt, aut perituræ ſunt; ſola Chriſti fides, quæ à Deo eſt, diſſolui non poteſt, ſed inter medios hoſtes, eam oppugnantes, durat æterna. Cap. 485.

CHriſtus prædixit Petro: Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ Inferi non præualebunt aduerſus eam. Proinde dic age, Iudæe, quid habes quod doceas hanc prædictionem eſſe mendacem? An non teſtimonium cum rebus conſentit, etiam ſi mille modis ipſe contendas in aduerſum? Quot enim bella aduerſum Eccleſiã concitata ſunt, quot exercitus inſtructi, quot arma mota, quod non afflictionum, & vindictæ genus excogitatum, ſartagines, catapultæ, lebetes, fornaces, lacus & præcipitia, beſtiarum dentes, maria, & proſcriptiones, aliaq. innumera tormentorum genera, neque dictis memoranda, neque factis toleranda? &c. Nihil tamen horum diſſoluit Eccleſiam, ac ne inferiorem quidem reddidit. Atque id ſanè mirum & incredibile, quod hæc in ipſis ſtatim primordijs mota ſunt. Nam ſi tùm irruiſſent hæc acerba, poſteaquam iam radices egerat, & per omnes mundi partes plantatum eſſet Euangelium, haud perinde fuiſſet admirandum, non fuiſſe ſubuerſam Eccleſiam. Ceterùm cum in ipſo doctrinæ exordio, nuper iacto fidei ſemine, teneris etiamnum auditorum mentibus, tot procellæ bellorum eruperint, res noſtras non ſolum nulla ex parte fuiſſe diminutas, verum etiam multam acceſſionem adiunctam fuiſſe, hoc nimirum ſuperat omne miraculum. Ne quis autem dicere poſſit, quod nunc Eccleſia ob pacem à Regibus præbitam conſtabilita ſit, cum eſſet minor, cum videretur imbecillior, tunc illam oppugnari permiſit: vti cognoſcas etiam, quod nunc in tuto eſt, non acceptum eſſe ferendum paci, quam præſtant Reges, ſed à potentia Dei proficiſci.

Matt.16. Rich.Briſt. mot.1.to.1.

Chryſ. com. Gen.to.5.

Id quò magis cognoſcas eſſe verum, reputa tecum, quàm multi conati ſint apud Græcos opiniones nouas, ac peregrinas viuendi rationes inducere, velut Zenon, Plato, Socrates, Diagoras, Pythagoras, aliјq. innumeri: tamen adeò non vicerunt, vt pleriſquè ne de nomine quidem ſint noti. Chriſtus autem non modo præſcripſit vitæ formam, verumetiam hanc per totum terrarum orbem plantauit. Quàmmulta fertur Apollonius ille Tyaneus feciſſe? Verum vti ſcires illa omnia eſſe conficta, vana, nihil habentia veri; extincta ſunt, & finem acceperunt, &c. Quòd ſi vultis, me, & eorum qui apud ipſos Iudæos eadem conati ſunt, ſed protinus extincti ſunt, exempla recenſere, age conabimur & hæc demonſtrare. Hoc igitur modo Gamaliel illis obturauit os. Cum enim videret illos inſanientes, cupidoſquè effundendi ſanguinis Diſcipulorum, ſtudens eos ab impotente veſania cohibere, iuſſis pauliſper ſecedere Apoſtolis, ſic ad illos verba fecit: Proſpicite vobis, quid de his hominibus ſitis facturi. Ante hos enim dies exortus eſt
Act. 5. Theudas, dicens ſe eſſe aliquem, & ſecuti ſunt illum viri quadringenti, & ille perijt, & omnes quotquot ei paruerunt, diſperſi ſunt. Et poſt illum exortus eſt Iudas Galilæus, qui concitauit turbam magnam, & mortuus eſt, diſcipuliq. illius perierunt. Et nunc dico vobis, proſpicite vobis, quoniam ſi factum hoc fuerit ex hominibus, diſſoluetur. Sin ex Deo eſt, non poteſtis illud diſſoluere, ne forte comperiamini & aduerſus Deum pugnare. Vnde igitur manifeſtum eſt, fore vt quicquid ex hominibus fit, diſſoluatur? Experimentum, inquit, cæpiſtis à Iuda & Theuda. Atque hoc loco operæpretium eſt, ex D. Auguſtino recordari, quod & de Chriſto dixerunt Gentiles confidenter, non ſolum diſſoluendam eſſe Religionem etiam eius, ſed & ſpatium annorum, infra quod diſſolueretur, definire auſi ſunt.

Auguſt. de Ciu. Dei li. 18. c. 53. 54 Cum enim viderent, inquit, nec tot tantiſq perſecutionibus eam potuiſſe conſumi, ſed his potius mira incrementa ſumpſiſſe, excogitauerunt, neſcio quos verſus Græcos, tamquam conſulendi cuidam domino oraculo effuſos, vbi Chriſtum quidem ab huius tamquam ſacrilegij crimine faciunt innocentem; Petrum autem maleficia feciſſe ſubiungunt, vt coleretur Chriſti nomen per trecentos ſexaginta quinque annos: deinde completo memorato numero annorum, ſine mora ſumere finem. Cuius contrarium omnino factum eſſe docet ibi S. Auguſtinus: nam poſt illos annos 365. anno ſequenti, quo ſecundum illud oraculum Dæmonum, aut figmentum hominum, nulla eſſe debuit Religio Chriſtiana, amplificata eſt Religio Chriſti, falſorum Deorum Templis quibuſdam euerſis, & ſimulachris fractis. Ex quo etiam (inquit) vſque ad hoc tempus per triginta fermè annos, quis non videat, quantum creuerit cultus nominis Chriſti? præſertim, poſteaquam multi eorum Chriſtiani facti ſunt, qui tamquam vera illa diuinatione reuocabantur à fide, eamq. completo eodem annorum numero, inanem irridendamq. viderunt. Itaquè ſolidiſſimè & potentiſſimè premit D. Chryſoſtomus, vt prius Gentiles, ita nunc Iudæos, & in vtriſque Hæreticos cùm modernos, tùm omnes, qui, vt locum inueniant ſuis nouis Euangelijs, & nouis Eccleſijs, dicunt Eccleſiam Chriſti ſiue aliquo tempore, ſiue aliquot ſeculis, aut periјſſe, aut euanuiſſe. Sic igitur eos omnes verbis Gamalielis, & factis ipſis refellit pugnans hinc pro Chriſti Deitate Chryſoſtomus: experimentum, inquit, (Gamaliel) cepiſtis à Iuda & Theuda, fo-

re vt quicquid ex hominibus fit, diſſoluatur. Itaquè & hic, qui ab iſtis prædicatur, ſi talis eſt, quales fuerunt illi, nec diuina potentia peragit omnia, expectate pauliſper, & ipſe rerum euentus vobis faciet fidem: ex ipſo fine certum cognoſcetis, vtrum hic ſit impoſtor, vt dicitis, ac legis tranſgreſſor, an Deus vniuerſa temperans, ineffabiliq. potentia res mortalium diſpenſans moderansquè. Quod dico (inquit Chryſoſtomus) factum eſt: expectarunt, & ex ipſis factis declarata eſt diuina & inexpugnabilis potentia.

Omnibus gentibus prædicandum Euangelium Chriſtus prædixit, & ſicut dixit, factum eſt. Cap. 486.

ADhuc ex vno Euſebio, qui tempore Conſtantini Magni, primi Chriſtiani Imperatoris, & Nicæni primi Generalis Concilij vixit, diuina Chriſti potentia probata, per fundatas ab ipſo, & latiſſimè propagatas Eccleſias. *Euſeb. ora. de laudib. Conſt. prope finem.*

Quod ſi alia plura argumenta (inquit) certiora de illis rebus deſideres, ea non verbis, ſed rebus ipſis confirmata accipito. Mentis tuæ oculos aperi, rationes quaſi fores patefacito: ipſe tuum ipſius aſſenſum admodum ſuſtinens, tecum ratiocinare: tu teipſum interroga, & rerum naturam animo perueſtigans, tamquam ab altero ita ſciſcitare.

Quis vnquam ab omni ſeculorum memoria, aut Rex, aut Princeps, aut Philoſophus, aut Legiſlator, aut Propheta, ſeu Græcus, ſeu Barbarus ille fuerit, tantum virtutis decus eſt conſecutus, non dicam poſt mortem, ſed dum adhuc viueret, ſpiritumq. duceret, multumq. valeret potentia, vt ipſius nomen ad omnium hominum aures, qui in Terris degebant ætatem, permearet, inq. omnium ore, ac ſermone verſaretur? Nemo certe iſtud, niſi vnus & ſolus Seruator noſter poſt victoriam à morte reportatam præſtitit: Qui quidem & diſcipulis ſuis hoc dixerat, & idem reuera expleuit: nimirum: Euntes docete omnes gentes in nomine meo. Quiquè etiam prædixerat, proq. certo præſtituerat, ſuum Euangelium prædicandum fore in vniuerſo Mundo, in teſtimonium omnibus gentibus. Quod vt verbis prædixerat, ſic reipſa perfecit. Nam haud ita multo poſt, totus Orbis terrarum, eius verbo & doctrina completus fuit. Quid igitur habes tu, qui nos inſectaris, quod huic reſpondeas? præſertim cum Teſtimonium, quod oculis cernitur, omni alia ratione, quæ poterit afferri, facilè præponderet? *Matth. 28. Matth. 24.*

De admirabili Symbolo fidei, & ſpei noſtræ, ab Apoſtolis confecto, & vſu eius. Cap. 487.

SAnè quidem, & ſi ab Agrippa excitata vexatio Apoſtolos compulit exteras quærere Regiones, tamen de prædicando Euangelium gentibus iam tunc Apoſtolos iniſſe conſilium certum eſt, cum diuina præuia reuelatione, oſtenſa Petro lintei cælitus demiſſi viſione, apertum eſt Eccleſiæ oſtium Gentilibus. Ea etiam occaſione, Matthæus primus omnium Euangelium Iudæis, quos relicturi eſſent, Hebraicè conſcripſit. Tunc etiam Catholicæ fidei conſulturi, quid ſinguli eſſent prædicaturi Gentibus, ne

vlla ex parte aliqua, vel apparens inter eos in annunciatione Euangelij diuerſitas eſſet, quoſdam fidei canones, quibus vniuerſam Chriſtianam fidem perſtringentes firmarent, ac ſtabilirent, conſtituerunt, quos proprio nomine Dei Eccleſia nominare conſueuit Symbolum Apoſtolorum; vel quod ſinguli ex eis ad eum perficiendum attulerint ſuum ſymbolum, qua ratione ante necem Iacobi dicendum eſt illud eſſe compoſitum: vel quoniam qui Chriſtiani eſſent, & Symbolo, velut teſſera militari data dignoſci poſſent.

Ruffin. in præfat. expoſit. Symb. Apoſt. De his agens Ruffinus hæc ait: Diſceſſuri Apoſtoli ab inuicem, normam prædicationis in commune conſtituerunt, ne forte alij ab alijs abducti, diuerſum aliquid his, qui ad fidem Chriſti inuitabantur, exponerent. Ergo omnes in vno poſiti, & Spiritu ſancto repleti, breue iſtud futuræ, ſicut diximus, prædicationis indicium, in vnum quod ſentiebat vnuſquiſque, componunt, atque credentibus hanc dandam eſſe regulam ſtatuunt. Symbolum autem hoc multis, & iuſtiſſimis ex cauſis appellare voluerunt. Symbolum enim Græcè indicium dici poteſt, & collatio, hoc eſt, quod in vnum conferunt.

Id enim fecerunt Apoſtoli, in his ſermonibus in vnum conferendo vnuſquiſque quod ſentit. Indicium autem, vel ſignum idcirco dicitur, quia illo tempore, vt Paulus Apoſtolus dicit, & in Actis Apoſtolorum refertur, multi ex circumciſis Iudæis ſimulabant ſe eſſe Apoſtolos Chriſti, & lucri alicuius, vel ventris gratia ad prædicandum proficiſcebantur, nominantes quidem Chriſtum, ſed non integris traditionum lineis nunciantes: idcirco ergo iſtud indicium poſuere, per quod agnoſceretur is, qui Chriſtum verè ſecundum Apoſtolicas regulas prædicaret. Deniquè cum in bellis ciuilibus hæc eadem inſtituta bellandi, ne qua doli ſubreptio fiat, ſymbola diſcreta, vnuſquiſque Dux ſuis militibus tradit, quæ Latinè ſigna vel indicia nominantur, vt ſi fortè occurrat quis, de quo dubitetur, interrogatus Symbolum prodat, ſi ſit hoſtis, an ſocius.

Idcirco denique hæc non ſcribi cartulis, vel membranis, ſed retineri cordibus tradiderunt, vt certum eſſet hæc, neminem ex lectione, quæ interdū peruenire etiam ad infideles ſolet, ſed ex Apoſtolorum traditione didiciſſe. Diſceſſuri ergo, vt diximus, ad prædicandum, iſtud & vnanimitatis, & fidei ſuæ indicium Apoſtoli poſuere, non ſicut filij Noè diſceſſuri ab alterutrum turrem ex latere cocto, & bitumine conſtruentes, cuius cacumen ad cælum vſque pertingeret, ſed munimenta fidei, quæ ſtarent aduerſus faciem inimici, ex lapidibus viuis, & ex margaritis Dominicis ædificantes, quæ neque violento ventorum flatu concuti, nec fluminum tempeſtatibus, ac procellarum turbinibus impelli, aut dimoueri, nec vlla vi euelli, aut ſubripi poſſent; merito ergo illi ab inuicem ſeparandi turrem ſuperbiæ ædificantes, linguarum confuſione damnati ſunt, vti ne vnus quis poſſet aduertere proximi ſui loquelam: iſti vero, qui turrem fidei conſtruebant, omnium linguarum ſcientia, & agnitione donati ſunt, vt illud peccati, hoc fidei probaretur indicium. hucuſque Ruffinus. *Hieron. ad Pamach. ep. 61.* Hieronymus de eodem Symbolo hæc ad Pammachium: Symbolum fidei, & ſpei noſtræ, quod ab Apoſtolis traditum, non ſcribitur in charta, aut atramento, ſed in tabulis cordis carnalibus. *Auguſt. de temper. ſer. 151.* Itemquè apud Auguſtinum hæc leguntur: Quod Græcè Symbolum dicitur, Latinè collatio nominatur: Collatio ideo, quia collata

in

in vnum totius Catholicæ legis fides, ſymboli colligitur breuitate, cuius textum vobis modò, Deo annuente, dicemus. Petrus dixit: Credo in Deum Patrem omnipotentem. Ioannes dixit: Creatorem cæli, & terræ. Iacobus dixit: Credo & in Ieſum Chriſtum Filium eius vnicum Dominum noſtrum. Andreas dixit: Qui conceptus eſt de Spiritu ſancto, natus ex Maria Virgine. Philippus ait: Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & ſepultus. Thomas ait: Deſcendit ad Inferos, tertia die reſurrexit à mortuis. Bartholomæus dixit: Aſcendit ad cælos, ſedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Matthæus dixit: Inde venturus eſt iudicare viuos, & mortuos. Iacobus Alphæi: Credo & in Spiritum ſanctum, ſanctam Eccleſiam Catholicam. Simon Zelotes: Sanctorum communionem, remiſſionem peccatorum. Iudas Iacobi: Carnis reſurrectionem. Matthias compleuit: Vitam æternam amen. hæc ibi. De ijſdem autem ſingulorum Apoſtolorum ſententijs, hæc etiam S. Leo Papa ad Pulcheriam Auguſtam: Ipſius Catholici ſymboli breuis, & perfecta confeſſio, quæ duodecim Apoſtolorum totidem eſt ſignata ſententijs, tàm instructa ſit in munitione cæleſti, vt omnes hæreticorum opiniones ſolo poſſint gladio detruncari. Eadem Venantius Fortunatus, & alij tradunt. Hoc igitur ſymbolum Apoſtolicum, non tantum cunctis ad baptiſmum venire cupientibus primum omnium traditur, & ab eiſdem proxime baptizandis exigitur, ſed aſſiduè à quolibet Chriſtiano recitandum eſſe admonet Auguſtinus, dum ait: Cum autem tenueritis ſymbolum, vt non obliuiſcamini, quotidie dicite, quando ſurgitis, quando vos collocatis ad ſomnum. Reddite ſymbolum, reddite Domino, commemorate voſipſos, non pigeat repetere: bona eſt repetitio, ne ſubrepat obliuio. Ne dicatis: Dixi heri, dixi hodie, quotidie dico, teneo illud bene. Commemora fidem tuam. Inſpice te: ſit tanquam ſpeculum tibi ſymbolum tuum. Ibi te vide, ſi credis omnia, quæ te credere confitearis, & gaude quotidie in fide tua: ſint diuitiæ tuæ, ſint quotidiana quodammodo indumenta mentis tuæ. Nunquid non quando ſurgis, te veſtis? ſic & commemorando ſymbolum tuum, veſti animam tuam, ne fortè eam nudet obliuio. hæc Auguſtinus. Ambroſius item de eodem modo hęc in eamdem ſententiam: Symbolum quoque ſpecialiter debemus, tanquam noſtri ſignaculum cordis antelucanis horis quotidie recenſere: quo etiam, cum horremus aliquid, animo recurrendum eſt: quando enim ſine militiæ ſacramento miles in tentorio, bellator in pręlio? hactenus de Symboli inſtitutione, & eius vſu.

S. Leo ad Pulcheriã Auguſtam epiſt. 96.
Venant. in præfat. expoſ. Symb.
Aug. tom. 42.
Ambroſ. li. 3. de Virg.

De profectione Apoſtolorum ad gentes. Cap. 488.

OMnia apud Apoſtolos diuinus Domini ſpiritus moderabatur, neque ſine illius inſtinctu aliquis illorum quicquam agere præſumebat, quamuis animo concepiſſet. Ergo multis exemplis admoniti ſinguli Apoſtolorum in eas orbis regiones miſſi ſunt, ad quas Spiritus ſanctus priuato inſtinctu voluit eos proficiſci. De hac Apoſtolorum profectione hæc Iuſtinus Martyr: Hieroſolymis duodecim viri profecti ſunt in mundum, atque hi quidem indocti, & minimè eloquentes, Dei autem virtute humano generi denunciauerunt à Chriſto miſſos ſe eſſe, qui cunctos Dei verbum docerent. Et Ioannes Chryſoſtomus de ijſdem agens, hæc ait: Peragrarunt Apoſtoli orbem

Iuſtin. in orat. ad Anton.
Chryſoſt. adu. Gent.

terrarum, & infirmum inuenientes ad ſanitatem reduxerunt, & in ruina poſitum ad ſtabilitatem reuocarunt, non arcus tendentes, non ſagittas mittentes, non pecunias largientes, non eloquentia confidentes: erant nudi quidem ſeculo, ſed induti Chriſtum: pauperes, ſed diuites: pecunia indigentes, ſed regnum cælorum poſſidentes: non habentes humana ſolatia, habentes autem Dominum Deum ſuum. Ego enim, inquit, vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſeculi. Peragrarunt vniuerſum orbem terrarum. Oues ſimul cum lupis, quis vidit? quis vnquam Paſtor oues mittit in medio luporum? Sed magis ſi viderit lupos, congregat oues: At vero Chriſtus è contrario fecit oues de lupis, & vulneratæ à beſtijs non ſunt, ſed magis lupi ad ouium manſuetudinem conuerſi ſunt. Et poſt multa: Mira virtus erat piſcatorem, publicanum, pellionem nudis præceptis mortuos ſuſcitare, morbos expellere, mortem abigere, philoſophorum linguam mutam, Rhetorum ora conſtringere, apud Principes, & Reges verſari, Barbaris, Græcis, & vniuerſo humano generi imperare: nam & hoc illi verbo perfecerunt. hæc Chriſoſtomus.

S. Aug. tra. 17 ſuper Ioan. Ad vniuerſi autem mundi machinã expugnandam, & Deo ſubijciendam, non multos ſapientes ſecundum carnem, neque multos potentes, non multos nobiles, ſed infirma mundi elegit Deus, vt confunderet fortia: & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea, quæ non ſunt, tanquam ea, quæ ſunt, vt ea, quæ ſunt euacuentur. Dominus noſter Ieſus Chriſtus volens ſuperbas frangere ceruices, non quæſiuit per oratorem piſcatorem, ſed de piſcatore lucratus eſt Imperatorem. Magnus Cyprianus orator, ſed prius Petrus piſcator, per quem poſtea crederet non ſolum orator, ſed Imperator.

De moribus Gentium, & de figura Orbis, cum eum Apoſtoli prædicatione aggreſſi ſunt. Cap. 489.

QVanta, & quæ eſſent in totius terrarum Orbis vaſtiſſima ſylua monſtra ferarum atque portenta, quæ nec fingere ſatis potuit ſcriptorum Gentilium vanitas, ad quæ perdomanda è Galilæa Piſcatores ſunt miſſi, ſatis ſupra demonſtrauimus, ſummatim omnia perſtringentes, recenſere autem ſingularum Gentium ſuperſtitiones impoſſibile eſt. ſatis ſit hic ſcribere, quæ

Theod. de cura. Græc. aff. lib. 9 de complurium illarum moribus Theodoretus breuiter collegit: Perſicæ, inquit, nationes, quæ iam pridem Zaradæ legibus regebantur, matrum, filiarũ, ſororum connubijs, ſuſq. deq. commixtæ, remq. iuſtiſſimam arbitrantes, id quod erat facinus iniuſtiſſimum, audita Piſcatorum lege & accepta, Zaradæ leges, vt iniquitatem maximam conculcarunt, Euangelicamq. protinus temperantiam complexæ ſunt: quique prius edocente illo didicerunt mortuorum corpora canibus depaſcenda volucribusq. porrigere, tunc iam cum cæperunt in Chriſtum credere, ab eiuſmodi immanitate abhorrent, & mortuos ſuos terræ infodiunt, neque curant Principum leges, quibus id fieri prohibetur, neque tortorum ſæuitiam perhorreſcunt; magis enim timent Chriſti iudicium: cumq. præſentia cuncta irrideant, ſomniare magis gaudẽt, quæ non videntur. eaq. demum reuerentur, & timent. Has itaq. nouas leges acceperunt à promulgatoribus Galilæis: quique non timuerunt Romanorum potentiam, ſeſe vltrò Crucifixi hominis imperio ſubdiderunt.

Atque

Atque vt hi Romanis legibus viuerent, neque Auguſtus ipſe impetrauit, neque Traianus, qui Perſarum regna ſubuertit, & tamen Apoſtolorum monumenta Perſæ homines,tanquam cælitus allata fuerint, venerantur. Et paulò poſt: Maſſagetæ miſerrimos eſſe homines arbitrati, qui alio mortis genere, quàm violenta nece decumberent; quiquè idcirco legem de mactandis ſenibus comedendisq. tulerunt, poſtquam piſcatorum leges, ſutorumq. acceperunt, abominabiles illas dapes, ac hoſtias pertæſi ſunt. Tibareni quoque ſoliti olim ſeniores de altis rupibus dare præcipites, legem iniquiſſimam conſciderunt, Euangelica lege accepta. Neque amplius Hyrcani, neque Caſpij ipſi alunt canes hominum cadaueribus, neque Scythæ vnà cum mortuis hominibus viuos infodiunt, quos olim viuentes illi dilexerunt. Tantam morũ mutationem, Piſcatorum leges inuehere potuerunt, & per humiles, & pauperes, & inermes, & ineruditos homines Chriſti potentia tot orbis monſtra domuit, & ad ſuam voluntatem faciendam, & præcepta ſeruanda perduxit.

Qua ratione deinceps omnes fines terræ, Chriſtianam fidem ſint amplexi, & Regnum Chriſti propagatum ſit. *Cap. 490.*

CHriſtianæ Eccleſiæ ampliſſimi fines, & in ipſo ſtatim exordio latiſſimè propagati fuere, & vniuerſum terrarum orbem iuxta certiſſima Prophetarum oracula occuparunt. Nec ea loca tantum,vbi Romanorum arma leges dederunt, ſed ad vltimos vſque terræ fines, qui de Romana potentia nihil vnquam audiuerunt. Verè,& animosè, non ſuperbè ſcripſit Proſper: Sedes Roma Petri, quæ paſtoralis honoris facta caput mundi,quicquid non poſſidet armis, religione tenet. Nec minus animosè, ac verè, Leo ille magnus, Vrbem Romam ita compellans: Iſti ſunt Patres tui, veriq. Paſtores (Petrum & Paulum dicit) qui te regnis cæleſtibus inſerendam, multo melius, multoq. fœlicius condiderunt, quàm illi, quorum ſtudio prima mœniũ tuorum fundamenta locata ſunt, ex quibus qui tibi nomen dedit, fraterna te cæde fædauit. Iſti ſunt, qui te ad hanc gloriam prouexerũt, vt gens ſancta, populus electus, ciuitas Sacerdotalis,& Regia per ſacram B. Petri ſedé, caput orbis effecta, latius præſideres religione diuina, quàm dominatione terrena. Quamuis enim multis aucta victorijs ius Imperij tui, terra, mariq. protuleris, minus tamen eſt, quod tibi bellicus labor ſubdidit, quàm quod Pax Chriſtiana ſubiecit.

Ex Thom. Staplet. de Rom. Eccl. magnit. li. 1. c. 3.
Proſp. li. de Ingrat.
S. Leo ſer. 1 SS. Pet. & Paul.

Verum quippe, & indubitatum eſt, quod de Apoſtolicis laboribus ſuo adhuc tempore Paulus affirmauit: In omnem terram exiuit ſonus eorum,& in fines Orbis terræ verba eorum. Verum & indubitatum eſt toto terrarum orbe veluti in prouincias diſtributo, facta primum in Iudæa,& Samaria diuini Euangelij prædicatione, iuxta ordinem à Chriſto præſcriptum, Petrum in Italia, Paulum in Græcia, Andream in Achaia, Ioannem in Aſia, Philippum in Phrygia, Bartholomæum in Scythia, Thomam in vtraque India,tàm Oriẽtali, quàm Occidentali, Matthæum in Aethyopia, Simonem in Perſia, Thadæum in Meſopotamia, Iacobum in Hiſpania, hoc Chriſti Regnum, cuius caput Roma, latiſſimè propagaſſe. Apoſtolicos poſtea viros per reliquum Orbem terrarum diſcurriſſe, & idem Regnum à Romana maximè Eccleſia,

Rom. 10.
Orig. hom. 12. in Gen.

vndequaque emiſſos dilataſſe, præterquamquod in genere commemorat Euſebius, mox in particulari docebitur, vbi de operum eius magnitudine diſſeretur. In ipſa verò Vrbe Roma ſub D. Clemente, proximo ferè Petri ſucceſſore, Eccleſiam ipſam Romanam tàm numeroſam & amplam fuiſſe conſtat, vt Traianus Imperator ei (vt putabat) malo volens occurrere, caueric in primis edicto Plinium Proconſulem Chriſtianorum conuentus vetuiſſe, eoq. nomine ſupplicia irrogaſſe, ipſemet in ſua ad Traianum Epiſtola commemorat. Hæc autem Chriſtianorum ſodalitia, quæ ἑταιρίας in ſuo reſcripto vocauit Traianus, quàm numeroſa & ampla fuerint, totius orbis potentia aduerſus ea nequicquam ſæuiente, Tertullianum audi eadem ferè ætate ipſis perſecutoribus exprobrantem. Externi, inquit, ſumus (ſic enim Chriſtianos vocabant Gentiles, veluti ex Iudæis omnes oriundos) & veſtra omnia impleuimus: vrbes, inſulas, caſtella, municipia, conciliabula, caſtra ipſa, tribus, decurias, palatium, Senatum, forum. Et paulò poſt: Sola vobis relinquimus Templa. Si tanta vis hominum in aliquem Orbis remoti ſinum abrupiſſemus à vobis, ſuffudiſſet vtique dominationem veſtram tot qualiumcumque amiſſio ciuium, imò etiam & ipſa deſtitutione puniſſet; proculdubio expauiſſetis ad ſolitudinem veſtram, ad ſilentium rerum, & ſtuporem quendam quaſi mortuæ Vrbis: quæſiſſetis quibus in ea imperaſſetis. Plures hoſtes, quàm Ciues vobis remanſiſſent. Nunc enim pauciores hoſtes habetis præ multitudine Chriſtianorum penè omnium Ciuium; penè omnes Ciues Chriſtianos habendo, ſed hoſtes maluiſtis vocare generis humani. Hæc ille: Luculenter expreſſit, vt totum Romanum orbem Chriſtianorum populus nec dum ducentis poſt Chriſtum annis occupauerit. Quam ſanè eiuſdem populi frequentiam nihil poſtea imminutam fuiſſe, perpetuæ propemodum Romanorum Imperatorum perſecutiones vſque ad Conſtantinum illum Magnum, qui omnium primus Chriſtianorum toto Orbe, & aperuit, & locupletauit Eccleſias, perſpicuè demonſtrant. Neque enim aduerſus paucos, & & ignobiles totius imperij potentia tàm acriter & acerbè ſæuiſſet. Vnde non ita multò poſt Origenes, obijciente Celſo Epicureo, Chriſtianorum dogma obſcurum & ignobile eſſe, rectiſſimè reſpōdit, vniuerſo terrarum Orbi, quod prædicant Chriſtiani longè eſſe notius, quàm quorumcunque Philoſophorū placita. Ac vbi Romani imperij culmen ipſum, Chriſti regno colla ſubijcere cæpit (quod apud Origenem idem ille Celſus Epicureus breui futurum formidabat; & ne omnes toto Orbe Chriſtiani fierent, Adrianum Imperatorem templa ſine Idolis exſtruere molientem, oracula terruerunt) adeò per omnia mundi climata dilatatum hoc Regnum eſt, vt altero poſt ſeculo verè ſcripſerit B. Auguſtinus, ſuo tempore impletum fuiſſe, quod ante tot ſecula promiſſum eſt Abrahæ, in ſemine eius benedici omnes gentes, ideoq. vt alibi ſcribit, eos, qui tunc prodigia peterent, vt Chriſtiani fierent, ipſoſmet prodigia & monſtra eſſe qui mundo credente, non crederent. Tametſi quippe ducentis aut trecentis poſt Conſtantinum annis, pagani in multis prouincijs vixerint, paganiſmi quoque & idololatriæ reliquiæ vtcumque varijs Imperatorum edictis ac legibus penitus aboleri iuſſæ, in ipſa Vrbe Roma eiuſq. Senatu, non ſolum ad Ambroſij tempora, qui aduerſus Symmachum aram in Senatu poſtulantem orationem luculentam ſcripſit, ſed etiam vſque ad Gelaſium Pontificem, annis ferè poſt Chriſtum quingentis, qui aduerſus

Euſeb. li. 3. c. 37.

Plin. lib. 10 ep. 97.

Epiſt. 43.

Apolog. c. 37.

Orig. lib. 1. con. Celſ.

Lib. 8. Lampr. in Alex.

Tract. in ep. Ioan. de Ciu. Dei lib. 22. c. 8.

Andromachum Senatorem, ceteroſq. Romanos Lupercalia repoſcentes, Apologeticum ſcripſit, aliqua ex parte perdurarint; nec ſimul ac ſemel, ſed paulatim, & per partes omnes gentes Chriſti fides peruaſerit, vt rectè annotauit Hieronymus: ipſeq. alibi Auguſtinus diſertè profiteatur nonnullas adhuc gentes ſupereſſe, ad quas Euangelij prædicatio non peruenerit; tamen in vniuerſo Orbe cognito Chriſtianorum Eccleſias floruiſſe, & Chriſti Regnũ per florentiſſimas terrarum partes propagatum fuiſſe, qui quaſi ad oculum cernere velit, legat, & percurrat Prouinciale omnium Eccleſiarum Cathedralium vniuerſi Orbis, editum Pariſijs, anno milleſimo quingenteſimo decimo octauo, poſteaq. Lugduni, anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ſexto, ſub hoc titulo, Practica Cancellariæ Apoſtolicæ, &c. vel magnum illud volumen, cui titulus eſt, Gloria Mundi; parte quarta, cui idem Prouinciale Eccleſiarum inſertum eſt. In eo quippe omnium totius mundi Archiepiſcopatus, cum ſuis Eccleſijs ſuffraganeis tanto numero recenſentur, vt eorum tantum commemoratio clepſydram nobis ad dicendum datam penitus exhauriret. Sufficit in illo catalogo centum triginta Archiepiſcopos, & mille ſeptem & decem Epiſcopatus numerari. Quibus nunc adde in ſola India Occidentali viginti Epiſcopatus de nouo erectos, & teſte Bozio in ſignis Eccleſiæ, Templa illic conſtructa circiter ſeptuaginta millia: Taceo Indiæ Orientalis Inſulas permultas, Synarum populos, & toto penitus diuiſos orbe Iapanos, vbi Chriſti Regnum mirificè hodie propagatur. Vtriuſque huius Indiæ ampliſſima Regna Romano Imperio penitus incognita fuerunt.

Baron. to. 6
Hieron. in Iſa. c. 45.
Aug. cont. Creſc. li. 3. c. 65.
Ep. 80.
De nat. & gr. c. 2.
De vnit. Ec. c. 14.
Boz. lib. 4. c. 3.

Chriſtianæ fidei extenſio, Romani Imperij fines ſuperauit. Cap. 491.

ROmani Imperij fines, & amplitudinem, qui admiratur, idem Romanæ Eccleſiæ fines, & amplitudinem latiſſimè propagatam, longiſſimèq. extenſam ſi expendat, hæc illis longè maiori admiratione digna diffiteri non poterit. Romanæ vrbis Imperium totis quadringentis annis ab Vrbe condita, Italiæ fines non eſt egreſſum, ſed cum Samnitibus, Volſcis, Vlijs, Tuſcis toto illo tempore de Imperio decertatum, nec niſi ſub annum Vrbis quadringenteſimum Turreno Tuſciæ Rege Hetruriæ vrbem Romanis dedente, & regnum Hetruriæ finitum, & Romanorum arma vltra Apenninum extendi cæperunt. Sed & toto illo tempore nonniſi ſcandulis, ſeu ligneis tegulis tota Vrbs tecta fuit, teſte Plinio. Sed paulò poſt anno Vrbis conditæ quadringenteſimo octuageſimo tertio, prima extra Italiam arma in Siciliam mouerunt, vt Mamertinis, quorum caput Meſſana, auxilio eſſent, contra Afros Hieroni Regi opem ferentes Appio Claudio, Quinto Fabio Conſulibus, vbi victorias nacti ampliſſimas, ſequentibus annis in Hiſpaniam, & Africam, in Macedoniam, & Græciam, totamq. Aſiam tanto ſucceſſu exercitus duxerunt, vt duobus poſt ſeculis à Paulo Aemilio Perſeo vltimo Macedonum Rege deuicto, à Scipionibus Hiſpania, & Africa ſubactis, ab altero Scipione magno Antiocho debellato, Aſia ſubiugata, à Lucio Sylla Græcia perdomita, ab vno Pompeio poſt Mitridatem à Lucullo fractum, Ponto, Cappadocia, Armenia, Albania, Colchide, Hemochia, Caſpijs,

Tho. Stapl. lib. 1. c. 3.
Cato de Orig.
Plin. li. 16. c. 10.
Oroſ. lib. 4. c. 7.

Iberis,

Iberis, Parthis, Arabia, atquè Iudæa magno Romani nominis terrore, *Plutar. in Pompeio.* captis, idq. adeo (vt ſi Plutarcho credimus) trinum è trina vniuerſa Orbis parte triumphum duxerit, paulòq. poſt per Iulium Cæſarem Gallijs, Britannia, ac magna Germaniæ parte pari fœlicitate ſuperatis, ac libera tandem Republica ſub vnius Imperio redacta, Romanum Imperium anno ab Vrbe condita ſeptingenteſimo plus minus, per Europam, Aſiam, & Africam extendi, fineſq. latiſſimos habere cæpit. Aliæ quidem adhuc à proximis Imperatoribus, Auguſto maximè, Claudio, Veſpaſiano, Traiano, Romano Imperio prouinciæ ampliſſimæ adiectæ fuerunt. Ceterùm nec totum Orbem occupauit vnquam, vt non animosè tantum, ſed & ſuperbè, quia falsò, ac vanè Romanorum rerum ſcriptores aliqui iactitauerunt, nec ipſius, aut Africæ, aut Aſiæ regna omnia ſibi ſubijcere potuit, quum ad Aethyopes, & Abiſſinos nunquam peruenerint, Tartaros, & Scythas à Septentrione, Chaldæos ab Oriente nunquam attigerint, ipſi autem Parthi, ac Perſæ, Romani Imperij iugum cito ſemper, & facile excuſſerint. Vnde illud in Iulium Cæſarem Scomma, quia in libris fatalibus continebatur, *Sueton. in Iul. Caſ. c. 79.* Parthos niſi à Rege non poſſe vinci, Cæſarem Regem appellari debere. Iugum autem Christianæ fidei per omnia mundi loca omnes populi receperunt; omnes gentes ab illa domitæ ſunt, non pugnando, ſed docendo, non armis victoria parta eſt de mundo, ſed hæc fuit victoria, quæ vicit mundum, fides noſtra.

Totius Mundi concurſus ad fidem Chriſti recipiendam conuincit Iudæos, Chriſtum non veniſſe mentientes. Cap. 492.

Tert. cont. Iud. CONferamus (inquit Tertullianus) an qui venturus eſt, Chriſtus, iam venerit, an venturus adhuc ſperetur. Et mox ex Iſaia Propheta quæſtionem abſoluit, dicente: *Iſa. 45.* Sic dicit Dominus Deus Chriſto meo Domino, cuius tenui dexteram, vt exaudiant illum gentes: fortitudines Regum diſrumpam, aperiam ante illum portas, & ciuitates non claudentur illi. Quod ipſum adimpletum videmus (ait Tertullianus) Cui enim dexteram tenet Pater Deus, niſi Chriſto filio ſuo? quem exaudierunt omnes gentes, ideſt, cui omnes gentes crediderũt? cuius & prædicatores Apoſtoli in Pſalmis Dauid oſtenduntur. *Pſal. 18.* In vniuerſam (inquit) terrã exijt ſonus eorum; & vſquè ad terminos terræ verba eorum. In quem enim alium vniuerſæ gentes crediderunt, niſi in Chriſtum, qui iam venit? Cui enim & illæ gentes crediderunt, Parthi, Medi, Elamitæ, & qui inhabitant Meſopotamiam, *Act. 2.* Armeniam, Phrygiam, Cappadociam, & incolentes Pontum, & Aſiam, Pamphiliam, immorantes Aegyptum, & regionem Africæ, quæ eſt trans Cyrenen, inhabitantes Romani, & incolæ tunc, & in Hieruſalem Iudæi; & ceteræ gentes, & iam Getulorum varietas, & Maurorum multi fines, Hiſpaniarum omnes terræ, & Galliarum diuerſæ nationes, & Britannorum, inacceſſa Romanis loca, Chriſto vero ſubdita, & Sarmatorum, & Dacorum, & Germanorum, & Scytharum, & abditarum multarum gentium, & prouinciarum, & Inſularum multarum nobis ignotarum, & quæ enumerare minus poſſumus? In quibus omnibus locis Chriſti nomen, quia iam venit,

venit, regnat, vtpote ante quem omnium ciuitatum portæ ſunt apertæ, & cui nullæ ſunt clauſæ &c. Vtpote in quibus omnibus locis populus nominis Chriſtiani habitet. Quis enim omnibus gentibus regnare potuiſſet, niſi Chriſtus Dei Filius, qui omnibus in æternum regnaturus nunciabatur?

Origenes ſimiliter, vt Chriſtum iam veniſſe perſuaderet: De Domini aduentu ſcriptum eſt (inquit) omnis terra clamat cum lætitia. Confitentur, & miſerabiles Iudæi hæc de Chriſti præſentia prædicari; ſed ſtulte ignorant perſonam, cum videant impleta, quæ dicta ſunt. Quando enim terra Britanniæ ante aduentum Chriſti in vnius Dei conſenſit religionem? quando terra Maurorum? quando totus ſemel Orbis? Nunc vero propter Eccleſias, quæ mundi limites tenent, vniuerſa terra cum lætitia clamat ad Dominum Iſraël, & capax eſt bonorum ſecundum fines ſuos. *Orig. hom. 4. in Ezec.*

Hodie fides miraculis fundata, nouis miraculis non indiget. Sed vita proba, & inculpata in Chriſti prædicatione ſignorum omnium vim obtinet. Cap. 493.

S. Ioannes Chryſoſtomus in Epiſtola priori ad Corinthios tractans illa verba Apoſtoli: vt fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei: monſtrat ſigna Euangelicæ prædicationis initio patrata, fidem nô illi ſolum ſeculo, ſed & futuris peperiſſe. Si enim illa tunc peracta creduntur, certum eſt doctrinam, cui confirmandæ adhibebantur, diuinitus eſſe profectam, & inſpiratam, ſin autem hiſtoriæ, ac varietati ſignorum minus Gentilis credat, at longe omnibus ſingulis maius eſt, homines paucos, ignobiles, illiteratos, omnibus mortalibus exoſos toti Orbi perſuaſiſſe Religionem adeò intellectu arduam, & omnibus affectibus oppoſitam; quã neque ratione firmarent, neque potentia defenderent, neque viſibili aliquo præmio perſuaderent. Non ergo fides iam ſatis fundata, miraculis nouis indiget confirmari, quin potius vtilius eſt ſecundum ipſum ſignis nunc carere, quoniam maioris meriti ſit id: vitæ autem integritatem ad fidem conciliandam eſſe neceſſariam, adeo eſt verum, vt ſi in præſenti ſigna viderentur, quis tamen perſuaderet? quis externorum aures nobis accommodaret, cum tantopere increbreſcat malitia? Etenim probata Chriſtianorum vita maiorem apud multos auctoritatem ſibi vendicabit, quàm ſigna. Si quidem hæc apud impudentes, & malos homines malam concitant opinionem; vita autem pura, etiam ipſum Diaboli os maiorem in modum obſtruere poterit. Hæc ille. *Ioſ. Acoſta de promul. Euang. li. 1.* *1. Cor. 2.* *Chryſ. hom. 6. in 1. ad Co.*

Inter Apoſtolica autem ſigna ad ſubiugandum Orbẽ in obſequium Chriſti, hoc etiam maximum extitit: Signa, inquit Paulus, Apoſtolatus noſtri facta ſunt ſuper vos: in omni patientia, in ſignis, & prodigijs, & virtutibus, vbi inter ſigna Apoſtolatus primum locum tribuit patientiæ, ſecundum miraculis, & prodigijs. Atquè ad Theſſalonicenſes: Ipſi ſcitis, fratres, introitum noſtrum ad vos, quia non inanis fuit, ſed ante paſſi, & contumelijs affecti, & cetera, vbi qualis fuerit vita, qui mores; quàm ab auaritia, ab adulatione, à faſtu omni remoti, id vero pro certo, & inſuperabili veritatis annuntiatæ teſtimonio profert. Sit vita pura, & innocens, in Chriſti prædicatore: & hæc ſignorum omnium vim obtinebit. *2. Cor. 12.* *1. Theſſ. 2.*

Non

Non ſolum autem, & infideles, ſed & omnes, qui in hæreſes dilapſi ſunt, ad fidem Catholicam amplectendam conuerterentur relictis erroribus, ſi apud prædicatores diuini verbi, & apud Chriſtianum populum, qui in fide Chriſti ſe viuere profitentur, recognoſcerent vitæ, morumq. probitatem, & mutuam in diligendo charitatem.

Quamquam autem poſt fidem propagatam, & vbiq. diffuſam ſatis fuiſſet Chriſtianis viris, rectè, & laudabiliter actæ vitæ teſtimonium, & exemplum virtutum, & diuinorum præceptorum obſeruantia, vt gentes videntes bonorum operum lucem admirabilem, & ſanctitatem, cognoſcerent, Patrem, qui in cælis eſt, & Ieſum Chriſtum filium eius, quem ipſe miſit in mundum, nihilominus autem non defuit Deus (præſertim bonis operibus intra Chriſtianum populum tepeſcentibus) nouis miraculorum actibus promulgatæ fidei veritatem oſtendere, & incredulos conuincere, vt fecit apud Danos.

Ingens miraculum à Deo factum ob conuerſionem Haraldi Danorum Regis, eiuſq. ſubditorum ad fidem Catholicam. *Cap.* 494.

Vvitichin. lib. 3.

DAni antiquitus erant Chriſtiani: Sed nihilominus Idolis ritu Gentili ſeruientes. Contigit autem contentionem ſuper cultura Deorum fieri in quodam conuiuio, Rege præſente; Danis affirmantibus, Chriſtum quidem eſſe Deum, ſed alios fore eo maiores Deos, quippe qui potiora mortalibus ſigna, & prodigia per ſe oſtenderent. Contra hæc Clericus quidam, nunc verò religioſam vitam ducens Epiſcopus, nomine Poppa, vnum verũ Deum Patrem, cum filio vnigenito, Domino noſtro Ieſu Chriſto; & Spiritu ſancto: Simulachra vero Dæmonia eſſe, teſtatus eſt. Haraldus autem Rex, qui velox traditur fuiſſe ad audiendum, tardus ad loquendum, interrogat, ſi hanc fidem per ſemetipſum declarare velit? ille incunctanter velle reſpondit. Rex vero cuſtodiri Clericum vſquè in craſtinum iubet. Mane autem facto ingentis ponderis ferrum igne ſuccendi iubet, Clericumquè ob fidem Catholicam candens ferrum portare iuſſit. Confeſſor Chriſti indubitanter ferrum rapit, tamdiuq. deportat, quo ipſe Rex decernit, manum incolumen cunctis oſtendit. Fidem Catholicam omnibus probabilem reddit. Ad hæc Rex conuerſus, Chriſtum Deum ſolum colendum decernit, Idola reſpuenda ſubiectis gentibus imperat. Dei ſacerdotibus, & Miniſtris honorem debitum deinde præſtitit. Sed hæc virtutibus merito patris ſui, Ottonis Regis ſcilicet, adſcribuntur, cuius induſtria in illis regionibus Eccleſiæ, ſacerdotumq. ordines in tantum fulſere.

Prin-

Princeps Friſonum audita fide Chriſti, & diuinis promiſſis poſt mortem obtinendis voluit baptizari: Sed ſtatim deſerens Chriſti veram fidem, ſe illuc pergere velle poſt mortẽ, quo præceſſores Principes Friſonum profecti erant, fuerunt illi Idolatræ, aſſeruit. Demũ interim Diabolus in Angelũ lucis transfiguratus delectabilibus, ſed falſis ſpectris deluſit eũ: quibus per Diaconũ Chriſtianum ſigno crucis diſſipatis, veritas Chriſtianæ fidei, & falſitas idololatrarum oſtenditur, & plurimorum infidelium fit conuerſio apud Friſones. Cap. 495.

PRinceps Radbodus, cum ad percipiendum baptiſma imbueretur, periconiabatur à S. Epiſcopo Vulfranno, iuramentis eum per nomen Domini adſtringens, vbi eſſet maior numerus Regum, & Principum ſeu nobilium gentis Friſonum, in illa videlicet cæleſti regione, quam, ſi crederet, & baptizaretur, percepturum ſe promittebat: an in ea, quam dicebat tartaream regionem. Tunc B. Vulfrannus: Noli (inquit) errare, inclyte Princeps. Apud Deum certus eſt numerus ſuorum electorum. Nam prædeceſſores tuos Principes gentis Friſonum, qui ſine baptiſmi ſacramento deceſſerunt, certum eſt damnationis ſuſcepiſſe ſententiam. Qui vero ab hinc crediderit, & baptizatus fuerit, cum Chriſto gaudebit in æternum. Hæc audiens Dux incredulus (Nam ad fontem proceſſerat, vt ferunt) à fonte pedem retraxit, dicens: non ſe carere poſſe conſortio prædeceſſorum ſuorum Friſonum Principum, & cum paruo pauperum numero reſidere in illo cæleſti regno. Quin potius non poſſe facile nouis dictis aſſenſum præbere: ſed potius permanſurum ſe in his, quæ multo tempore cum omni Friſonum gente ſeruauerat. At B. Pontifex: Heu proh dolor (inquit) deceptum te video à ſeductore, qui humanum decipit genus. Sed niſi pœnitentiam egeris, & credideris, & in nomine Trinitatis baptizatus fueris, ianuam Regni perennis non intrabis, ſed æternæ damnationis pœna plecteris. *In vita S. Vulfranni Archiepiſ. Senon. ex Sur. tom 2.*

Hæc dicente, & docente S. Pontifice, multi Friſonum credebant, & baptizabantur, prædicto Rege in paganiſmo perſeuerante. Nam à ſacro fonte infœliciter receſſit, & etiam Vuillebrordum, cognomento Clementem, Epiſcopum, & doctorem præfatæ gentis accerſiri fecit, vt ad eius conſulta ſimul cum B. Vulfranno in doctrina ſuæ religionis concordante efficeretur Chriſtianus. Sed quoniam, vt ſcriptum eſt, in maleuolam animam non introibit ſapientia, quia dubitando per omnia in fide Catholica, & tentãdo ſanctos Antiſtites loquebatur, ideo obtinere non meruit, quod fictè quærebat. Cum vero eius legatum ſuper hoc facto ſuſcepiſſet, Vuillebrordus reſpondiſſe fertur: Quia prædicationem ſancti fratris noſtri Vulfranni Pontificis Dux veſter audire contempſit, meis quomodo obſecundabit dictis? Nam hac nocte vidi illum in viſu catena religatum ignea. Vnde certum fore conſtat, damnationem illum iam ſubijſſe æternam. Cumq. iter carperet, quod ad domum eiuſdem damnati Ducis ducebat, nunciatur ei ipſum ſine baptiſmi ſacramento iam eſſe mortuum. Sicq. cæptum deſerens iter, ad propria repedauit habitacula.

Nec

Nec prætereunda ratio eſt, quam de præfato Duce Radbodo, venerabili presbytero Ouone narrante, didicimus, cur in Chriſtum credere, ac fonte regenerationis noluit mergi. Nam in ægritudine poſitus, de qua, & præſentis vitæ lucem clauſit, perpetuaſq. Auerni deſcendit ad vmbras, dum ſopori deditus foret, deceptor hominum Diabolus, qui etiam Dei omnipotentis permiſſu in Angelum ſe transfigurat lucis, apparuit diademate aureo, circumfulgentibus gemmis, capite opertus, veſteq. aurea textili toto amictus corpore;dinq. attonitus præfatus princeps, diligenter in eum attendebat ſtupens, ac tremebundus, cuius virtutis, & ſpeciei eſſet, qui ei apparebat. Iſq. multimodæ artis nocendi ſæuiſſimus draco, inquit, ad eum: Dic, quæſo, fortiſſime virorum: quis te ita ſeduxit,vt à cultura deorum, & à religione prædeceſſorum tuorum velis recedere? Noli ita obſecro, agere: ſed in his,quæ hactenus tenuiſti,culturis deorum permane: ibiſq. ad domos aureas æternaliter manſuras, quas tibi in proximo ſum daturus, vt verborũ meorum dictis adſtruam fidem. Quapropter cras accerſiens Vulfrannum doctorem Chriſtianorum, inquire ab eo, vbinam ſit illa manſio æternæ claritatis, quam pollicetur,te,ſi Chriſtianum ſuſceperis dogma, in cæleſtibus habiturum. Quam cum demonſtrare nequiuerit,vtriuſquè partis mittantur legati, eroq. dux itineris, & demonſtrabo illis manſionem eximiæ pulchritudinis, & fulgoris immenſi, quam tibi poſt modicum ſum daturus. Qui euigilans, S. Pontifici Vulfranno cuncta per ordinem pandit. Sanctus autem Pontifex ingemiſcens eius damnationẽ, ait: Hæc illuſio diaboli eſt, qui omnes vult perire, & neminem ſaluari: Quapropter ſalua temetipſum,vir nobilis, credendo in Chriſtũ,& feſtina ad fontem baptiſmi, in quo eſt remiſſio omnium peccatorum, & nullo modo fidem ac-
Apoc. 12. commodes verbis diaboli mendacibus. Ipſe eſt enim ſeductor, qui vniuerſum ſeducit orbem: qui propter ſuam ſuperbiam de alto cæli culmine pro-
Sap. 2. ſtratus ruit in terram, & ex benigno, dæmon teterrimus effectus eſt: cuius inuidia mors introiuit in orbem terrarum, dum primum hominem concupiſcentiam docuit, atque ad inobedientiæ culpam traxit. Nam qui promittit aureas largiri manſiones ſibi credentibus, tartareas potius inferi deducit ad ſedes, fœtidumq. locum Cocyti. Vnde, vt ab his pœnis eripi valeas, & bonis frui æternis, feſtina in Chriſto baptizari, in quo eſt remiſſio omnium peccatorum, & per quem vitæ cæleſtis tribuitur ingreſſus. Hæc & huiuſmodi plura proſequente S. Pontifice, reſpondit prædictus incredulus Princeps, omnia ſe facturum, quæ iubebat, ſi illa non demonſtraretur manſio à ſuo deo, quam ſibi largiturum ſpoponderat. Cumq. inſuperabilem in cunctis Chriſti ſeruus animum illius cerneret, ne à gentilibus alia fingerentur pro alijs, miſit continuo cum quodam Friſone ſuum diaconum. Qui cum paululum ob oppido proceſſiſſent, obuium ſibi repererunt in humana effigie quendam itineris comitem, qui dixit eis: Properetis cito: nam oſtenſurus ſum vobis manſionem eximiæ pulchritudinis, quæ præparata eſt à deo ſuo Principi Radbodo. Qui ducem, ac comitem itineris proſequentes,loca diu peragrant incognita,donec viam ingredientes latiſſimã, diuerſorum generibus marmorum eam cernunt polito opere decoratã. Videntq. à longe domũ auream,ac perueniunt vſquè ad plateã, quæ ante præfatam domum ſita erat,& ipſa auro,gemmiſq. ſtrata. Intranteſq. in domum

aurei

aurei ſplendoris, & incredibilis pulchritudinis, adſpiciunt thronum miræ magnitudinis. Tum ductor itineris: Hæc eſt, inquit, domus, & iſta pulcherrima ſedes, quam poſt eius mortem principi Radbodo Deus ſuus largiturum ſe ſpopondit. Et Diaconus ſtupefactus in his, quæ viderat, dixit: Si à Deo cunctipotente facta ſunt iſta, perpetuo maneant; ſi autem à diabolo, cito diſpereant. Et cum vallaret ſe continuo S. Crucis munimine, dux itineris, qui videbatur homo, euaneſcendo tranſijt in diabolum, & domus verſa eſt in lutum. Remanſeruntq. hi duo ſimul, Friſo ſcilicet, & Diaconus, in medio locorum paluſtrium, quæ plena erant longiſſimis rauſeis virgultis. Triduoq. immenſi laboris iter conficientes, reuerſi ſunt ad oppidum, inuenientes præfatum ducem Radbodum ſine baptiſmatis ſacramento mortuum. Narrantq. B. Antiſtiti, quantam à Diabolo pertuliſſent illuſionem. Friſo autem credidit in Chriſtum, & baptizatus eſt. Vocabatur autem Ingomarus. Qui & ipſe ad Fontanellenſe cœnobium B. Vulfrannum ſecutus eſt: Induciaſq. ſibi renunciandi, quas putauerat ſe adipiſci, prædictus Dux minime valuit impetrare: quia non erat ex ouibus Chriſti, neque ad vitam præordinatus æternam. Percrebuitq. hoc ſtupendum miraculum apud incolas gentis Friſonum; atque ex hoc facto plurima gentis multitudo conuerſa eſt ad Dominum. Mortuus eſt autem infœliciter præfatus Dux Radbodus, anno Domini Dei noſtri Ieſu Chriſti, in quem ipſe credere contempſit 719. qui erat annus ſeptimus inclyti principis Caroli.

Antonius Magnus ſapientia ſua, gentilium Philoſophorum argumenta diſſoluit, eoſq. de falſitate Deorum, & veritate Chriſtianæ fidei, cæleſti doctrina conuincit. *Cap. 496.*

Aliquando Philoſophi duo gentiles venerunt ad eum, putantes Antonium ſe poſſe decipere: erat vero in ſuperiori monte. Quos cum vidiſſet, paganos intellexit ex vultu; & procedens ad eos, per interpretem ita cœpit loqui: Quare tàm longe ad ſtultum hominem ſapientes ſe vexare voluerunt? Illis dicentibus non eſſe illum ſtultum, ſed & nimium ſapientem, vigilanter reſpondit: Si ad ſtultum veniſtis, ſuperfluus eſt labor veſter; ſi autem putatis me ſapientem eſſe, & ſapientiam habere, bonum eſt, imitamini, quod probatis, quia bona conuenit imitari. Si ego ad vos veniſſem, vos imitarer; ſed quia vos ad me quaſi ad ſapientem veniſtis, eſtote, ſicut ego ſum, Chriſtiani. Abſceſſerunt Philoſophi vtrumque mirantes, & acumen ingenij, & dæmonum expulſiones. *S. Athanaſ. in vita. S. Ant.*

Alios quoque ſimiliter mundi ſapientes, qui eum irridere cupiebant, quia litteras ignoraret, tali diſputatione colligauit, dicens: Reſpondete mihi, quid prius, ſenſus, an litteræ? & quid cuius exordium? ſenſus ex litteris, an litteræ oriuntur ex ſenſu? Illis aſſerentibus, quod ſenſus eſſet auctor, atque inuentor litterarum, ait: igitur cui ſenſus incolumis eſt, litteras non requirit. Quis præſentium poſt hanc colluctationem non exclamauerit, cum obſtupuerint, & ipſi qui victi ſunt, tantam in imperito litteratū ſagacitatem animi admirantes? Neque enim vt in ſolitudine, & montibus verſatus, atque omnem ibidem exigens vitam, agreſtis, & rudis erat, ſed iucundus,

atque

atque affabilis, ſermonem, ſecundum Apoſtoli præceptum, diuino conditum ſale proferebat, ita vt inuidia careret, & amore omnium potiretur.

Inter hæc, quaſi parum eſſet, bis gentilitatem fuiſſet ſuperatam, & tertio venerunt viri ad eum omnis ſecularis prudentiæ nube cæcati, atque vniuerſis philoſophiæ ſtudijs artium ſuarum æſtimatione doctiſſimi. Hi cum rationem ab eo exigerent fidei, quam in Chriſto habemus, & niterentur arguta ſophiſmatum interrogatione de diuina Cruce eum illudere, in ſilentium paululum voce compreſſa, primum eorum miſeratus errorum eſt, deinde per interpretem, qui eius verba diligentiſſime in Græcum ſolebat exprimere ſermonem, ita exorſus eſt dicens: Quid pulchrius eſt, quiduè honeſtius, Crucem colere, an adulteria, parricidium, vel inceſtum his aſſignare, quos colitis, cum in altero ſit contemptus mortis, inſigne virtutum, in altero turpis religio obſcœnitatis magiſtra? Quid melius eſt dicere, quod Dei Verbum manens vt erat, ob ſalutem noſtram humanum corpus aſſumpſerit, vt ſocietate mortalitatis nos eueheret ad cælum, participesq. naturæ cæleſtis efficeret, an, vt ipſi aſſeritis, diuinæ mentis hauſtum ad terrena veneranda caput ſubmittere, & pecudum, atque ſerpentum formis cæleſte nomen includere? Quo ore Chriſtianorum credulitatem audetis irridere, dicentium, Chriſtum filium Dei ſine ſuo detrimento, & cæpiſſe eſſe quod non erat, & manſiſſe quod fuerat, cum ipſi animam de cæleſtibus detrahentes nō tantum hominum, ſed & pecudum ſoleatis ſepire corporibus? Chriſtiana credulitas pro ſalute mundi Deum ſuum veniſſe teſtatur; vos vero innatam animam prædicantes, vltrò citròq. transfertis: Chriſtiana fides, quæ omnipotentiam Dei, clementiamq. veneratur, conſequenter Incarnationem dicit Deo fuiſſe poſſibilem, ita tamen, vt non euacuauerit dignatio dignitatem; vos, qui animam ex ſplendidiſſimo Dei fonte manantem turpiter decidiſſe iactatis, qui mutabilem, & conuertibilem eam poſt ſui diminutionem audetis aſſerere, iam illam quoque dominam ſeculorum per animæ contumelias impia lingua temeratis; imago enim, quæ ſecundum nos naturalem ſimilitudinem ſui retinet auctoris, cui vna eſt, ex quo defluit eademq. ſubſtantia, humilitates proprias, & iniurias conſequenter ad ſuam originem remittit. Igitur animaduertite contumelias animarum ad patrem (vt appellatis) earum per veſtram blaſphemiam redundare. Crux Chriſti Domini noſtri hic nobis ingeritur. Rogo, quæ hæc eſt religionis obſcœnitas? nonne potius eſt Crucem attollere, aut alicuius generis mortem ab iniquis hominibus illatam patienter ſuſtinere, quam Iſidis plangere poſt Oſirim vagos, incertosq. diſcurſus? Pudeat vos, quæſo, inſidiarum Typhonis, pudeat Saturni fugæ, & deuorationis crudeliſſimæ liberorum: erubeſcite parricidium Iouis, & inceſtum; erubeſcite raptum eius, & coitum mulierum, atque puerorum. Ille, ſicut veſtri fingunt poetæ, ad explendum immaniſſimæ libidinis furorem, molles dedit in amore vagitus, ille in Dianæ fluxit ſinus, ipſe amator, & pretium, ille modulatus ales Lædæos petiuit amplexus; ille in proprium ſæuiens ſexum regium puerum miniſtris auibus polluit. Hæc vos creditis; hæc colitis, hæc ſunt veſtrorum ornamenta templorum? Aequo, deprecor, pro veſtra ſalute, noſtra dicta penſate iudicio. Cuncta, an nihil credenda ſunt Chriſtianis? Si nihil, nec Crucis quoque, cui detrahitis, nomen agnoſcitis. Si vniuerſa credenda ſunt, cur cum in iiſdem libris Cruci

reſur-

reſurrectio copuletur, paſſionem diuinam ſtolido laceratis eloquio, & non ſtatim iungitis cæcorum viſum, ſurdorum auditum, claudorum greſſum, lepræ emundationem, ſeruiens ambulanti Deo ſuo mare, dæmonum fugas, reſurrectionem mortuorum, & defunctorum ab inferis reditus? Hæc omnia ſcripturis diuinis, quas interpellatis, inſerta ſunt, & iiſdem voluminibus continentur præconia maieſtatis, & mortis. Quamobrem odio, quo imbuti eſtis, abiecto, inuenietis illicò, & Deum verum eſſe Ieſum, & ſalutis humanæ gratia fragilem aſſumpſiſſe naturam. Veſtram tamen nobis, ſi non pudet, narrate religionem.

Sed quas error infœlix poteris referre culturas de tanta rerum fœditate, atque vecordia? niſi forte (vt audio) fabulas aſſeratis Deorum veſtrorum, & obſcœnitates, & crudelitates, & vanitates, & mortes, tegentes eas allegoricis velaminibus, Liberum raptum, terram Proſerpinæ, ſemiclaudum Vulcanum, & debilem ignem, Iunonem aerem, Apollinem ſolem, Dianam lunam, Neptunum maria, & libidinum principem Iouem ætherem interpretantes. Nec poſt hanc excuſationis procacitatem, Deum, ſed creaturas, contempto Creatore ſuſcipitis. Quod ſi pulchritudo vos elementorum ad ſuam traxit venerationem, modum fas erat cuſtodire, & oportebat mirari tantum, nec colere, ne factuæ veneratio Creatoris eſſet iniuria. Nam ſecundum iſtiuſmodi, quam vos ſequimini, ratio eſt præpoſtera, atque peruerſa, & Architecti honor migrauit ad domum, & Medici ſcientia ad remedia confertur, omnium quoque artificum merita, vel laudes ad opera transferentur. Quid ad hæc dicitis, vt agnoſcamus, quæ ſit Crucis ridiculæ vobis ignominioſa confeſſio? Hac diſputatione, conuertentibus inter ſe Philoſophis oculos, ſimulq. muſſitantibus, ſubridens Antonius, rurſum per interpretem ait: Prædurum namq. cuncto videtur operi, quoties iuſto vniuerſæ rei tenore calcato, laboris merita factis magis, quàm factoribus adſtruuntur. Elementa quidem, vt memoraui, ex ipſo conſpectu ſuam comprobant ſeruitutem. Sed quoniam vos obſeruatione Dialectica neceſſaria, vt putatis, quæque colligitis, hoc quoque artificio etiam nos noſtram religionem compellitis affirmare. Reſpondete mihi. Cognitio Dei, quemadmodum manifeſtius approbatur per lectionem verborum, an per operationem fidei? Et quid antiquius eſt, operatio fidei, an diſputatio per argumenta procedens? Illis reſpondentibus firmiorem ſermonibus operationem eſſe, hanc & liquidam de Deo cognitionem; bene eos & ipſe dixiſſe conſenſit, quia operationem, quæ ex fide deſcendit, animi generat affectus: Dialecticam vero ex artificio componentium ſumpſiſſe oppoſitionis exordia. Cum ergo, ait, operationem fidei animo ſitam quis habuerit, ſuperflua erit verborum compoſitio, per quam conceptam ſenſu noſtro credulitatem tentatis euellere, & tamen ſæpe noſtras explicare intelligentias non valetis. Ita ſolidiora ſunt mentis opera, quàm ſophyſmatum fraudulenta concluſio. Nos Chriſtiani myſterium vitæ noſtræ non in ſapientia mundi habemus repoſitam, ſed in virtute fidei, quæ nobis à Deo per Chriſtum tributa eſt. Hanc orationis meæ veritatem, quotidie, quæ geruntur, ordo commendat, nobis imperitis, & litterarum veſtrarum ignaris ad dignationem eius ſolum verba ſufficiunt. Ecce nos tot gentilitatis gregibus abſtracti, in vniuerſum Orbem quotidie propagamur, vobis vero poſt aduentum Domini nodoſæ ſophiſmatis deſe-

cerunt verſutiæ. Ecce nos ſimplicem Chriſti fidem docti, idololatriam debellauimus, & per prædicationem ignominioſæ Crucis aurata templa ceciderunt. Vos, ſi poteſtis, oſtendite qua contentione verborum gentilitatem Chriſto præponere ſuaſeritis. Per omnes iam terras Deus Dei filius Chriſtus eſt agnitus; nihil eloquentia ſophiſmatum, nihil diſputatio philoſophiæ, multitudini poteſt obeſſe credentium. Crucifixum nominamus, & vniuerſi dæmones, quos vos vt Deos colitis, fugiunt, atque ex obſeſſis corporibus ad primum Dominicæ Crucis ſignum fugantur.

Vbi ſunt illa fabuloſa oracula? vbi Aegyptiorum incantationes? quo magorum profecere carmina? Certè nunc vaſtata ſunt omnia, cum de ſua Cruce mundo Chriſtus intonuit. Nihilominus vos prætermiſſis debilitatorum cateruis, glorioſam Ieſu mortem irridere conamini. Illud autem quale eſt, quod nunquam in feſtinatione regali concuſſa gentilitas, imò ſeculo cara, & hominum præſidijs fulta iam corruit: nos famuli Chriſti, quò plus premimur, eo magis aſſurgimus, & florémus? Veſtra ſimulachra ornatis quondam ſepta parietibus, iam vetuſtate collapſa ſunt; Chriſti vero doctrina, quæ vobis ſtultitia videtur & ludus, licet tyrannica perſequentium Principum tentamenta pertulerit, licet varijs ſit incurſata terroribus, nullo tamen terrarum Orbe concluditur, nullo gentium barbararum ſine prohibetur. Quando tot ſimul in ſe conuenere virtutes? continentia in Matrimonio, virginitas in Eccleſia floret, Martyrum pro Domino ſuo glorioſa conſtantia; quorum omnium Crux Chriſti principium eſt? cum interim vos inter tantos virtutum choros ſyllogiſmorum retia tenditis, & veram rerum lucem tenebroſis conamini argumentationibus obuoluere. Ecce nos, vt dixit Doctor noſter, non in gentili perſuaſione, ſed in fide apertiſſima ſuademus, quæ verborum affirmationem præuenire conſueuit. Adſunt quippe patientes à dæmonibus vexati, quos cum in medium produxiſſet, verba repetiuit dicens: Nunc vos collectionibus veſtris, & quo vultis malefico carmine Deos veſtros, quos putatis, expellite; ſin autem non poteſtis; victas ſubmittite manus, & ad Chriſti trophæa confugite, & ſtatim Crucifixi credulitatem maieſtatis potentia proſequetur.

Dixit, & inuocato nomine Ieſu, cum vitale ſignum in ſacro numero Trinitatis preſſiſſet in frontibus, vnà cum expulſis dæmonibus, vana præſentium Philoſophorum confutata ſapientia eſt. Expauerunt enim ſtupentes hominem, cui poſt tantum ingenium, afflueret ſignorum diuina largitio. At ille vniuerſa Chriſto, qui curauerat adſcribens, vſus eſt affatu reciproco, & ait: Nolite me putare his ſanitatem dediſſe, Chriſtus per ſeruos ſuos facit iſta miracula: Credite & vos, & videbitis, quia deuota Deo fides, non eloquentiæ vanus tumor talia ſigna mereatur. Confugite ad Crucifixi legem, noſq. eius imitamini famulos, & hoc ſcientiæ fine contenti, nulla deinceps ſecularis imprudentiæ argumenta quæratis. Hactenus Antonio dicente, miro Philoſophi ſtupore perculſi, cum honorifico ſalutatu ab eo recedentes, multum eius ſibi fatebantur profuiſſe conſpectum.

Spiri-

Spiridion Epiſcopus, ſimplex, & ineruditus, vehementia ſpiritus, & magnitudine fidei, ſuperbum, & loquacem Philoſophum, inuiſibili virtute ſuperatum, ad Chriſtianam Religionem magno ſtupore pertrahit.

Cap. 497.

SPiridion Epiſcopus Cyprius, vir vnus ex ordine Prophetarum, vnus ex Ruffin.li.1.
illis nobiliſſimis confeſſoribus, quos Maximinus dextero effoſſo oculo, c.2.
& ſiniſtro poplite ſucciſo ad metalla damnauerat. Hic paſtor ouium, &
in Epiſcopatu poſitus permanſit. Quadam vero nocte cum ad caulas fures
veniſſent, & manus improbas, quo aditum educendis ouibus facerent, ex-
tendiſſent, inuiſibilibus quibuſdam vinculis conſtricti, vſque ad lucem, velu-
ti traditi tortoribus, permanſerunt. Cum vero oues ducturus ad paſcua,
matutinus ſe ageret ſenior, videt iuuenes abſque humanis vinculis in caulis
pendere diſtrictos. Cumq. cauſam noxæ comperiſſet, abſoluit ſermone,
quos meritis vinxerat. Et ne eis inanis nocturna cæderet occupatio, Tol-
lite, inquit, ò iuuenes vnum vobis arietem, ne ſine cauſa veniſſe videamini,
quem melius prece, quàm furto quæſiſſe conuenerat.

Cogebatur Nicææ Concilium ex trecentis & decem & octo Epiſcopis ad Socrat.li.1.
ſuccurrendum Eccleſiæ Orientali, quæ ab Arianorum hæreſi, & ſecta Quar- c.5.
todecimanorum inſectabatur, & ad compeſcendum ſchiſma Meletianum, &
Colluthianam factionem, quæ inualeſcebat. Verum non tantum Nicæam cõ-
fluxerunt Epiſcopi litteris accerſiti, ſed & ex Gentilibus plerique, philoſo-
phicis imbuti facultatibus, vt tanquam in publico quodam certaminis cam-
po atque vniuerſi Orbis theatro, cunctis ſpectantibus, ingenij vires oſtenta-
rent, & agminibus Dei viuentis inſultarent; cum non deeſſent ex noſtris,
qui hac quoque ex parte nequaquam eſſent inferiores, parati cum illis con-
gredi, ac publicè redarguere. Sed diremptit curioſum ad oſtentationem, non
autem ad veritatem indagandam comparatum certamen, vir quidam ſim-
plex, & ſermone imperitus, verùm diuina apprimè imbutus ſapientia. Rem
geſtam Socrates narrat his verbis: Paulo antequàm Epiſcopi in locum vnum
conuenerant, dialectici in quibuſdam diſputandi tanquam prælusionibus ad-
uerſus pleroſque ſe exercuerunt. Ac cum nonnulli quaſi illecebris ad diſſe-
rendum traherentur, Laicus quidam ex Confeſſorum numero, ſimplici ac
ſincero animo præditus, cum dialecticis illis congreditur, ſicq. contra illos
verba facit: Chriſtum certe & Apoſtolos artem diſſerendi neutiquam nobis
tradidiſſe, neque inanes fallacias, ſed mentem apertam, & ſimplicem, quæ
fide & operibus integra ſeruari ſolet. Quæ cum dixiſſet; cùm alij omnes
qui aderant, & eum admirati ſunt, & illius approbauerunt ſententiam; tùm
dialectici, vt primum ſincerum veritatis ſermonem audierant, æquo animo
& placido conquieuere. Sic igitur tumultus ille ex diſſerendi facultate
concitatus tandem penitus repreſſus eſt. At id quidem non abſque diuina
virtute; cum haud facile videri potuerit, compeſcere petulantiam ſophiſta-
rum. Hæc autem pridie eius diei, quàm Synodus inchoaretur, facta eſſe
idem Auctor affirmat. Mirum autem non eſt ad tàm celebre Concilium,
in quo tàm magna ſummorum Patrum multitudo conuenerat, Philoſophos

etiam confluxiſſe : nam iſti ſcientiarum ſecularium ſtudio inflati, & in phyſicis quæſtionibus exercitati, nil aliud quærunt, quàm hominum gloriam, omniaq. ſe ſcire opinantur, ſeſeq. poſſe cunctos mortales docere facile credunt, cum tamen parum ſit, id quod ſciunt, & in pluribus errare eos oporteat, cum ductum non habeant ſupernaturalis luminis.

Sozom. li. 1 c. 17. Ruffin. li. 1. c. 3. Multi igitur, qui apud Gentiles, pro ſapientibus habiti erant, diſputationibus in Nicæno Concilio agitatis, dedita opera, interfuerunt : quorum nonnulli, quænàm tandem eſſet Chriſtiana doctrina admodum ſcire auebant : alij odio in Chriſtianos propterea inflammati, quod ſuperſtitioſa Gentilium religio nuper antiquari cæpta erat, quæſtionem de fide Chriſtiana propoſitam ad inanem quandam verborum concertationem deduxerunt; adeo vt ipſi inter ſe digladiari, & ſecum pugnare viderentur. Fertur igitur, quòd cum quidam illorum præ inſolenti dicendi arrogantia ſe inaniter iactaret, & ſacerdotes petulanter irrideret, ſenex quidam ſimplex ex illuſtrium Confeſſorum numero ſuperbiam eius non tulit : qui tametſi ineptæ ſubtilitatis, & præſtigiarum penitus expers erat, tamen cum eo diſputare cæpit.

At cum hæc res petulantibus, qui Confeſſorem hominem ſimplicem eſſe cognoſcebant, riſum moueret quidem; at modeſtis inijceret timorem, qui veriti ſunt, ne cum viro dicendi perito congreſſus haberetur pro ludibrio : tamen cum facultas (cui, cum talis & tàm prouectæ ætatis eſſet, pudor erat reſiſtere) data eſſet, libere, quæ vellet loquendi: In nomine Ieſu Chriſti, inquit, philoſophe, audito. Vnus eſt Deus, cæli, terræ & omnium rerum tàm oculis ſubiectarum, quàm eorum aciem fugientium opifex : qui hæc omnia & virtute Verbi fabricatus eſt, & ſacrato Spiritus ſancti afflatu ſtabiliuit. Quare hoc Verbum, inquit, quod nos Filium Dei nuncupamus, miſertum humani erroris & belluinæ viuendi rationis, ex Virgine naſci, cum hominibus vnà verſari, proq. ijſdem mortem oppetere voluit. Eſt quoque iterum venturus, de ijs rebus, quas quiſque gerit in vita, dicturus ſententiam. Iſta ita ſe habere, ſine vlla alia curioſa indagatione pro certo credimus. Noli ergo in his, quæ fide dumtaxat rectè intelliguntur, curioſè refutandis, laborem fruſtrà conſumere; quæreręue, qui iſta fieri, aut non fieri poſſint. Quod ſi credis: mihi quidem ſciſcitanti reſponde. Quibus obſtupefactus Philoſophus : Credo, inquit : & gratijs illi actis, quod ipſum deuiciſſet, non ſolum eadem cum ſene ipſe ſentire, verumetiam conſilium dare cæpit illis, qui perinde erga fidem Chriſtianam, atque ipſe ante, affecti erant; vt iam doctrinæ Chriſtianæ aſſentirentur, atque iuſiurandum adiecit, ſe non modo non ſine numine diuino mutatum eſſe, ſed etiam vi ac virtute quadam inexplicabili ad Chriſtianam Religionem conuerſum.

Sed ad hæc Ruffinus : Philoſophus conuerſus ad diſcipulos ſuos, vel ad eos qui audiendi gratia conuenerant : Audite, inquit, ò erudití viri. Donec verbis mecum geſta res eſt, verba verbis oppoſui, & quæ dicebantur, dicendi arte ſuberti, vbi verò pro verbis virtus proceſſit ex ore dicentis, nó potuerunt reſiſtere verba virtuti, nec homo aduerſari potuit Deo. Et ideo, ſi quis veſtrum potuit, in his quæ dicta ſunt, ſentire quæ ſenſi; credat Chriſto, & ſequatur hunc ſenem, in quo locutus eſt Deus. Ita Philoſophus Chriſtianus effectus, tandem ſe gratulatus eſt victum, hucuſque Ruffinus.

Eadem

eadem Gregorius presbyter Cæſarienſis, & alij ferme omnes tàm Græci, quàm Latini recentiores hiſtorici. Addit tamen idem Gregorius, Menophantem Epiſcopum Epheſinum philoſophicis facultatibus apprime imbutũ, ſed Arianiſmo infectum, adeo ex miraculo obſtupuiſſe, vt deſerens Arium, Concilio Nicæno ſubſcripſerit. Quiſnam porrò iſte philoſophus fuerit, Dalmatianus in ſua Collectione Nicæni Concilij, Phædonem hunc tradit appellatum fuiſſe: Glicas vero Eulogium nominatum. Sed horum nulla eſt apud Eunapium Sardianum mentio, qui numerans huius temporis philoſophos, Sopatrum Apamienſem, & Euſtachium Cappadocem caros aliquando Conſtantino fuiſſe tradit. *Greg. presb. de Patr. Nican. ſynod.*

At quinàm fuerit Epiſcopus ille, qui Chriſtiana ſimplicitate munitus, tàm glorioſa de faſtu philoſophicæ diſciplinæ trophæa erexit: conueniunt in eandem ſententiam ſcriptores fuiſſe Magnum Spiridionem, de quo nuper mentio facta eſt, Epiſcopum Trimituntis in Cypro. Hic quidem tenaciſſimus Eccleſiaſticæ antiquitatis, cuſtoſq. paternarum traditionum, nec vnius voculæ mutatione paſſus eſt eam quauis occaſione labefactari: vnde accidit, vt cum aliquando gentilem ſuum Tryphillium Ledrenſem in Cypro Epiſcopum, virum (vt teſtatur S. Hieronymus) omnium ſuæ ætatis eloquentiſſimum, in Synodo orantem audiret, & locum illum Marci Euangeliſtæ citaret, Tolle grabatum tuum & ambula. & loco grabati, quod habet textus, dixiſſet, lectum humilem: aſſurgens Spiridion: Tu ne, inquit, melior es illo, qui grabatum dixit, vt eius verbis vti dedigneris? Quod cum dixiſſet, exilijt è ſede ſacerdotali, populo inſpectante; atque hoc modo Tryphillium ſe arroganter efferentem, ad modeſtiam erudiuit: nam ſatis in ſe habuit auctoritatis ad pudorem alteri incutiendum; quippe cum & veneratione dignus eſſet, & rerum admirabiliter geſtarum gloria maxime nobilitatus; quin etiam cum eum & ætate anteiret, & dignitate ſacerdotali. hæc Sozomenus atque alij. Ceterum Tryphillius, qui diu Beryti ius ciuile profeſſus erat, admiratus viri egregiæ vitæ inſtitutionem, miraculorum virtute mirifice illuſtratum, eo, licet homine agreſti & cuſtode ouium, vti voluit præceptore, magnam ſibi inde gloriam comparans, quod Spiridionis diſcipulus effectus eſſet. *Metaphra. die 10. Decemb. Niceph lib. 8. c. 15. Hieron. de ſcrip. Eccl. in Tryphil. Marci 2.*

Alexander Epiſcopus Conſtantinopolitanus, Philoſophum coram Imperatore Chriſti fidem criminantem, & diſputare contra Epiſcopum volentem, iubet obmuteſcere, ne quid contra Chriſti fidem fari poſſet, & mirabiliter ſtatim obmutuit.

Cap. 498.

FErtur miraculum huic non diſſimile ab Alexandro Epiſcopo Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ editum. Nam cum Conſtantinus forte Byzantium aduenißet, acceſſerunt ad eum quidam philoſophi, criminiq. illi dedere, quod haud rectam religionem coleret; quodq. res diuinas mutare, nonnunquam cultum contra inſtituta cum maiorum ſuorum, tum Principum omnium, qui vel Græcis, vel Romanis omni ſeculorum memoria præfuiſſent, in Rempublicam introducere ſtuderet. Rogauere item, vt cũm Alexandro Epiſcopo *Sozom. li. 1 c. 7.*

de doctrina Chriſtiana diſputarent. Alexander igitur in eo exercitationis genere haud quaquam exquiſitè verſatus, fortaſſe etiam vitæ bonitate fretus (erat enim vir perboneſta & ſpectata vita) Imperatoris iuſſu in differendi certamen cum illis deſcendit. Philoſophis autem in vnum coactis, cum omnes diſputare cuperent; poſtulauit Alexander, vt vnum quem vellent, ad diſputandum deligerent, ceteriq. præſentes audirent cum ſilentio. Itaq. cum vnus diſputandi onus ſuſcepiſſet, tum Alexander: In nomine Ieſu Chriſti, inquit, præcipio tibi, ne loquare. Quod vt primum dixerat: homo è veſtigio, obſtructo ore, conticuit. An non igitur maius miraculum meritò cenſendum eſt, loquelam homini, eiq. philoſopho tam facile adimere, atque lapidem manu per verbum quoddam prolatum diuidere? quod à quibuſdam de Iuliano Chaldæo glorioſè iactatum audiui. hæc Sozomenus.

Mulier nobilis, Gentiles ad fidem Catholicam conuerſas, volens trahere ad Manichæam ſectam, in qua veram fidem eſſe dicebat, contra Catholicum Epiſcopum publicam ſuſcipit diſputationem, in qua diuino prodigio veritas Catholicæ fidei comprobata eſt. Cap. 499.

Apud Metaph. die 26 Feb. recitat Lipom. & Sur. eadem die.

TEmpore Archadij, & Honorij Imperatorum contigit Gazæ publica diſputatio inter ſanctum Porphyrium Gazenſis ciuitatis Epiſcopum, & Iuliam Antiochenam clariſſimam feminam, quæ illuc aduenerat, vt gentiles quos audierat ad Chriſti fidem conuerſos, ad ſectam Manichæorum pelliceret. At quoniam in ea prodigium memoria dignum accidit, dignum putamus, vt rei geſtæ narratio à Marco Gazenſi Diacono litteris quàm fideliſſime commendata hic deſcribatur. Sic enim ſe habet: Illo autem tempore (nempe anno ſequenti à ruina Marnei templi) venit in Ciuitatem mulier quædam Antiochena, quæ vocabatur Iulia: erat vero ex execranda hæreſi eorum, qui dicuntur Manichæi. Cumq. cognouiſſet aliquos eſſe recèns illuminatos, & in ſancta fide nondum ſtabilitos, in eorum irrumpens animos, eos corrumpebat per doctrinam ſuam, oculos perſtringentem, & incantantem, ſed multo magis per pecuniæ erogationem.] & poſt nonnulla de impijs Manichæorum erroribus, rurſum inchoatam proſequitur orationem: Cum (inquit) illic verſaretur peſtifera mulier, quidam fallaci illius doctrina ſunt ſeducti. Poſt aliquot vero dies, cum id cognouiſſet à quibuſdam fidelibus S. Porphyrius Gazenſis Epiſcopus, eam accerſitam interrogauit, quænàm, & vnde eſſet, & quamnam haberet opinionem? Illa autem & patriam, & ſe Manichæam eſſe confeſſa eſt. Ijs autem qui erant apud ipſum, ira motis (erant enim quidam pij) eos rogabat beatus, ne iraſcerentur, ſed patienter eam admoneant, & ſemel & bis, ſeruantes id quod dictum eſt à S. Apoſtolo. *Tit. 3.* Deinde dicit mulieri: Abſtine, ò ſoror, ab hac mala opinione: eſt enim ſatanica. Illa autem reſpondit: Dic, & audi: & aut perſuadebis, aut perſuaderis. Sanctus vero dixit: Para te in craſtinum diem, & veni huc. Illa autem eum valere cum iuſſiſſet, eſt egreſſa.

Beatus verò cum ieiunaſſet, & Chriſtum multum rogaſſet, vt Diabolum pudore afficeret, paratus fuit in diem ſequentem. Aduocauit autem quoſdam ex pijs clericis, & laicis ad diſputationem ſuam & mulieribus. Die autem

tem ſequenti accedit mulier, habens ſecum duos viros, & totidem mulieres,
quæ erant iuniores, & formoſæ, omnes verò pallidæ : Iulia autem erat pro-
uecta ætate. Ducebatur autem tota eorum diſputatio à ſcriptis, & oratio-
nibus mundanæ diſciplinæ, multo verò magis Iuliæ. Erat autem humilis
eorum habitus, & modeſti mores, & (quod dicitur) extrinſecus oues, intrin-
ſecus vero lupi rapaces, & venenata animalia : omnia enim dicunt; & fa-
ciunt cum ſimulatione. Deinde iuſſi ſedere diſputant, & inquirebant. San-
ctus autem Porphyrius ferens ſancta Euangelia, cum feciſſet ſignum Crucis
in ore ſuo, cœpit eam rogare, vt diceret ſuam opinionem. Illa verò cœpit.
Frater autem Cornelius Diaconus, qui fuit paulò ante nominatus, ſciens no-
tis ſcribere, quibus vtuntur in iure, iuſſus à beatiſſimo Epiſcopo, notabat
omnia quæ dicebantur & opponebantur, me & fratre Barocha admonenti-
bus. Diſputationem autem non ſcripſi in hoc libro, propterea quod ſit ma-
gna; vt qui velim compendio hoc ſcriptum mandare litteris: eam vero in
alio libro expoſui ijs, qui volunt ſcire ſapientiam à Deo datam ſanctiſſimo
Porphyrio, & aniles fabulas, quas effutijt prodigioſa loquens, & venefica
Iulia. Quam quidem cito eſt perſecuta diuina iuſtitia. Poſtquam enim
multa pluribus horis eſſet fabulata, & conſuetas dixiſſet blaſphemias in Do-
minum, & Deum vniuerſorum, motus diuino zelo ſanctus Porphyrius, vi-
dens eum, qui omnes fines continet; tàm qui cadunt ſub aſpectum, quàm
qui non cadunt, blaſphemijs, & maledictis inceſſi à muliere, in qua opera-
batur Diabolus, & quæ ſe ſubmittebat illius voluntati, in eam tulit ſenten-
tiam, dicens: Deus qui fecit omnia, qui eſt ſolus æternus, nec habens prin-
cipium, neque finem, qui glorificatur in Trinitate, tuam percutiat linguam,
& obſtruat os tuum, ne loquatur blaſphema. Sententiæ autem prolationem
conſecutum ſtatim fuit ſupplicium. Cœpit enim tremere Iulia, & mutare
vultu, & manens in ecſtaſi longum tempus, non loquebatur, ſed erat muta
& immobilis, habens apertos oculos, & intuentes ſanctiſſimum Epiſcopum.
Qui verò cum eo erant, cum aſpexiſſent ea quæ ſuſtinebat, magno timore
affecti ſunt. Eam autem conſolabantur, & carmina cantabant ad eius aures,
ſed non erat vox, neque auditus. Cum longo autem tempore manſiſſet mu-
ta, emiſit animam profecta ad tenebras, quas in honore habuerat, ſecundum
Manichæorum diſciplinam eam lucem eſſe arbitrans, conuenienter ſcriptu- *Iſa.5.*
ræ, quæ dicit. Væ ijs qui faciunt id, quod eſt dulce amarum, & quod ama-
rum dulce, & ponunt tenebras lucem, & lucem tenebras. Iuſſit autem ſan-
ctus componi eius corpus, & tradi ſepulturæ, miſertus humanæ naturæ; erat
enim ſummè clemens, & miſericors.

Quicunque verò qui audierunt id, quod factum fuerat, valde ſunt admi-
rati, non ſolum qui erant noſtræ fidei, ſed etiam alienigenæ. Qui autem
cum ea erãt duo viri, ac mulieres, & quicunque ab ea corrupti fuerant, cur-
rentes prociderunt ad pedes ſanctiſſimi Epiſcopi, dicentes: Errauimus. &
petebant pœnitentiam. Beatus verò fecit omnes anathematizare Manetem
auctorem eorum hæreſis, ex quo etiam appellati ſunt Manichæi: & cum
plurimos dies eos inſtituiſſet catecheſi, adduxit ad ſanctam Catholicam Ec-
cleſiam. Occaſione autem illorum, & alij quoque ex alijs gentibus pœni-
tentia ducti, fuerunt illuminati.] hactenus de his Marcus Diaconus.

Noſtrorum temporum hæreticus audet à Deo ſignum petere, rogans vt ſibi oſtenderet veram Religionem quod obtinens Caluinianam hæreſim deteſtans, Catholicæ Eccleſiæ reconciliatur. Cap. 500.

Ric. Briſt. to.1.mot.42

CIrca annum 1569. quidam iam diu hæreſibus ſuis immorans, licet diù multumq. ſolicitatus in contrariũ, à quibuſdam Catholicis quos amatus amabat, tàm graui correptus eſt morbo, vt vitam non ſperaret. In tanto igitur periculo, auſus eſt à Deo ſignum petere, rogans vt propitius ſibi foret, & veram qua ſaluaretur Religionem diuinitus reuelaret. Quæ cogitanti apud ſe, & in cordis ſecreto precanti, ecce iuxta lectulum ignis apparuit corporalis, & in circuitu ignis multæ manus, quæ arreptos libros Caluinicæ communionis (in Anglia nimis notos) & oculis eius, vt videret atque agnoſceret, admotos, in ignem deinde coniecerunt; omnibusq. exuſtis euanuerunt. Hominis nomen, & habitationem indicàre poſſem, ſi liceret, teſtium quoque fideliſſimorum, quibus non ſine Dei nutu, poſt quatuor demum annos (tamdiu enim celauerat) reuelauit, terribiliter, densèq. conteſtans Deũ, qui eum iudicaturus eſſet, ſe non conficta, ſed geſta narrare, idq. etiam tùm in ſuis hæreſibus perſeuerans. Ex quo ipſi quidem maior imminebat cumulus damnationis, niſi reſipuiſſet (eſt enim iam Catholicus, vt audio, ac reconciliatus Eccleſiæ) Sed viſioni maior inde, certiorq. allata eſt fides, vt facilè vident omnes: quippè qui tàmdiù reticere, tàm difficulter reuelare voluerit: & quando reuelauit, & poſtquam reuelauit, in hæreſi permanere, neque tamen vnquam quod dixerat retractare: ſed vt tunc hæreticus, ita etiam nunc Catholicus, cum omni conſtantia, & aſſeueratione identidem confirmare.

Quidam ex Catholico factus hæreticus ex Caluiniſtis, videns panem illum pollutum excipientes, canem atrum accipere, terrefactus redit domum, & moritur. Cap. 501.

Ibid.

VIx dum biennium eſt, quod alius quidam, qui cum eſſet Catholicus, diù ſe à Caluinica abſtinuerat communione; poſtmodum tamen minis quorundam delatorum, timens infœlix temporalium amiſſionem, contra Chriſtum & contra conſcientiam ad hæreticorum Eccleſiam venit, qui illic conſpexit, cum miniſter Satanæ miſero populo traderet pollutum panem, canem atrum atque horribilem de manu Miniſtri ſemper accipere, quod ille communicaturis obtulerat. Qua terribili & infernali viſione ſic ibi percul-ſus animo, ac conſternatus eſt diſſimulator, vt rediens domum, paulò poſt ſit mortuus: & tarde inſęlix ſub illis execrabilibus actionibus, in quibus benedictiones contineri credunt, latentem, & ſub prætextu pietatis decipientem dæmonem videre potuit.

Sed torquet aliquos, cur Deus tàm mirifica bona, ſeu excellentia dona, quæ conſequuntur illi, qui fidem Chriſti ſuſcipiunt, diſtulit manifeſtare hominibus vſque ad miſſionem Apoſtolorum per Orbem vniuerſum. Cui quæſtioni hoc modo reſpondet Auguſtinus.

Enar-

Enarratio D. Auguſtini, cur Deus excellẽs ſalutis humanæ beneficium, diſtulit manifeſtare Mundo in nouiſſimis temporibus aduentus Chriſti in mundum. Cap. 502.

CHriſtus ſe (inquit) ſalutis viam dicit, gratiam, & veritatem, in ſequẽ ſolo ponit animis ſibi credentibus reditum: quid egerunt tot ſeculorum homines ante Chriſtum? Vt dimittam, inquit, tempora ante Latium regnatum, ab ipſo Latio, quaſi principium humani generis ſumamus. In ipſo Latio ante Albam Dij culti ſunt, in Alba æquè religiones, rituſq. valuere templorum. Non paucioribus ſeculis ipſa Roma, longo ſeculorum tractu, ſine Chriſtiana lege fuit. Quid, inquit, actum de tàm innumeris annis, qui omnino in culpa nulla ſunt, ſi quidem is, cui credi poſſet, nondum aduentum ſuum hominibus commodarat? Orbis quoque cum ipſa Roma in ritibus Templorum caluit. *Ioan. 14.* *Aug. ep. 49 ad Deogratias q. 2.*

Quare, inquit, Saluator, qui dictus eſt, ſeſe tot ſeculis ſubduxit? Sed ne, inquit, dicant, lege Iudaica vetere hominum curatum genus, longo poſt tempore lex Iudæorum apparuit, ac viguit anguſta Syriæ regione, poſtea vero prorepſit etiam in fines Italos, ſed poſt Cæſarem Caium, aut certe ipſo imperante. Quid igitur actum de Romanis animabus, vel Latinis, quæ gratia nondum aduenientis Chriſti viduatæ ſunt, vſquè in Cæſarum tempus? Huic propoſitioni reſpondetur, vt primo ipſi dicant, vtrum profuerint hominibus Deorum ſuorum ſacra, quæ conſtat certis temporibus inſtituta. Quæ ſi negant aliquid profuiſſe ad animarũ ſalutem, nobiſcum ea deſtruunt, & eſſe inania profitentur. Nos quidem etiam pernicioſa monſtramus, ſed paruum non eſt, vt ipſi interim prius inania fateantur. Si vero ea defendunt, & ſapienter, atque vtiliter aſſerunt inſtituta, quæro quid actum ſit de ijs, qui antequam hæc inſtituta eſſent, morte obierunt, hac enim vtiquè ſalute, atquè vtilitate fraudati ſunt. Si autem potuerunt alio modo purgari, cur non idem modus perſeuerauit in poſteros? Quid opus erat inſtituere nouitias conſecrationes, quæ antiquitus non fuerunt? Hic ſi dicunt Deos quidem ipſos ſemper fuiſſe, & ad liberandos cultores ſuos pariter vbique valuiſſe, ſed pro varietate rerum temporalium, ac terrenarum, quæ ſcirent certis temporibus, locisq. congruere, in his alias, atque alias, alibi, atque alibi, aliter, atque aliter ſibi voluiſſe ſeruiri, cur hanc quæſtionem Chriſtianæ religioni ingerunt, in qua nobis ipſi pro dijs ſuis reſpondere non poſſunt, aut ſi poſſunt in eo ipſo ſibi etiam pro noſtra religione reſpondeant? Ita nihil intereſſe pro diuerſa temporum, locorumq. congruentia, quam diuerſis ſacramentis colant, ſi quod colitur ſanctum eſt: ſicut nihil intereſt pro diuerſa linguarum auditorumq. congruentia, quàm diuerſis ſonis dicatur, ſi quod dicitur, verum eſt, dum hoc ſanè interſit, quod linguæ ſonos, quibus inter ſe ſua ſenſa communicent, etiam homines pacto quodam ſocietatis ſibi inſtituere poſſunt. Quibus autem ſacris diuinitati congruerent, voluntatem Dei ſequuti ſunt, qui recte ſapuerunt. Quæ omnino nunquam defuit ad ſalutem iuſtitiæ, pietatiq. mortalium, & ſi qua in alijs, atque alijs populis, vna eademq. religione ſociatis variè celebrantur, quatenus fiat plurimum refert, quo & humana

exhor-

exhortetur, vel toleretur infirmitas, & diuina non oppugnetur auctoritas.

Quamobrem cum Chriſtum dicamus verbum Dei, per quod facta ſunt omnia, & ideo filium, quia verbum, nec verbum dictum, atque transactum, ſed incommutabilem patrem, incommutabile ipſum, atque incommutabiliter manens, ſub cuius regimine vniuerſa creatura ſpiritalis, & corporalis, pro congruentia temporum, locorumq. adminiſtratur, cuius moderandæ, & gubernandæ, quid, quando, & vbi circa eam fieri oporteat, ſapientia, & ſcientia, penes ipſum eſt. Profecto, & antequam propagaret Hebræorum gentem, per quam ſui aduentus manifeſtationem congruis ſacramentis præfiguraret, & ipſis temporibus Iſraelitici regni, & deinde cum ſe in carne de Virgine accepta mortalibus mortaliter monſtrauit, & deinceps vſque nunc cum implet omnia, quæ per Prophetas ante prædixit, & abhinc vſque in finem ſeculi, quo ſanctos ab impijs dirempturus eſt, & cuiquè retributurus, idem ipſe eſt filius Dei, patri coeternus, & incommutabilis ſapientia, per quam creata eſt vniuerſa natura, & cuius participatione omnis rationalis anima fit beata.

Itaque ab exordio generis humani, quicunquè in eum crediderunt, eumq. vtcunquè intellexerunt, & ſecundum eius præcepta piè, & iuſtè vixerunt, quandolibet, & vbilibet fuerint, per eum procul dubio ſalui facti ſunt. Sicut enim nos in eum credimus, & apud Patrem manentem, & qui in carne iam venerit, ſic credebant in eum antiqui, & apud Patrem manentem, & in carne venturum. Nec quia pro temporum varietate nunc factum annunciatur, quod tunc futurum prænunciabatur, ideo fides ipſa variata, vel ipſa diuerſa eſt. Nec quia vna eademq. res alijs, atque alijs ſacris, & ſacramentis, vel prædicatur, aut prophetatur, ideo alias atque alias res, vel alias, atque alias ſalutes oportet intelligi. Quid autem, quando fiat, quod ad vnam eandemq. fidelium, & piorum liberationem pertineat, conſilium Deo tribuamus, nobis obedientiam teneamus. Proinde alijs tunc nominibus, & ſignis, alijs autem nunc, & prius occultius, poſtea manifeſtius, & prius à paucioribus, poſtea à pluribus, vna tamen eademq. religio vera ſignificatur, & obſeruatur. Nec nos eis obijcimus, quod aliter Numa Pompilius, Deos colendos Romanis inſtituit, atque aliter ab eis, vel Italis antea colebantur; nec quod Pythagoreis temporibus illa philoſophia celebrata eſt, quæ antea, vel omnino non erat, vel in pauciſſimis eadem ſentientibus, nō tamen eodem ritu viuentibus, fortaſſe latitabat: ſed vtrum illi Dij veri, aut colendi ſint, & vtrum illa philoſophia animarum ſaluti aliquid proſit, hoc cum eis agimus, hoc in quæſtionem vocamus, hoc diſputando conuellimus.

Deſinant igitur obijcere, quod omni ſectæ, & omni nomini religionis obijci poteſt. Cum enim non fortuito labi, ſed diuina prouidentia tempora ordinari fateantur, quid cuiquè tempori aptum, & opportunum ſit, humanum conſilium prætergreditur, & illinc diſpergitur, vnde ipſa prouidentia rebus conſulit. Si enim dixerint, propterea non ſemper, nec vbiquè fuiſſe Pythagoricam diſciplinam, quia Pythagoras homo fuit, neque hoc in poteſtate habere potuit; nunquid etiam hoc dicere poſſunt, eo ipſo tempore quando fuit, & in his terrarum locis, vbi illa philoſophia viguit, omnes, qui eum audire potuerunt, etiam credere, ſectariq. eum voluiſſe? Ac

per

per hoc magis, ſi tantæ poteſtatis fuiſſet Pythagoras, vt vbi vellet, & quando vellet, ſua dogmata prædicaret, & ſi haberet etiam cum ea poteſtate ſummam rerum præſcientiam, nuſquam, & nunquam appareret, niſi vbi, & quando ſibi homines credituros eſſe prænoſceret.

Proinde cum Chriſto non obijciant, quod eius doctrinam non omnes ſequuntur; ſentiunt enim & ipſi nequaquam hoc recte obijci poſſe, vel Philoſophorum ſapientiæ, vel etiam numini Deorum ſuorum, quid reſpondebunt, ſi excepta illa altitudine ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, vbi fortaſſis illud diuinum conſilium longè ſecretius latet, ſine præiudicio etiam aliarum forte cauſarum, quæ à prudentibus inueſtigari queunt, hoc ſolum eis breuitatis gratia, in huius quæſtionis diſputatione, dicamus, tunc voluiſſe hominibus apparere Chriſtum, & apud eos prædicari doctrinam ſuam, quando ſciebat eſſe, qui in eum fuerant credituri. His enim temporibus, & his locis, quibus Euangelium eius non eſt prædicatum, tales omnes eius prædicatione futuros eſſe præſciebat, quales non quidem omnes, ſed tamen multi in eius corporali præſentia fuerunt, qui in eum, nec ſuſcitatis ab eo mortuis credere voluerunt, quales etiam nunc multos videmus, cum tanta manifeſtatione de illo compleantur præconia Prophetarum, nolle adhuc credere, & malle humana aſtutia reſiſtere, quàm tam claræ, ac perſpicuæ tamq. ſublimi, & ſublimiter diffamatæ, diuinæ credere auctoritati. Qamdiu paruus, & infirmus eſt intellectus hominis, diuinæ debet credere veritati.

Quid ergo mirum, ſi tàm infidelibus plenum orbem terrarum Chriſtus prioribus ſeculis nouerat, vt eis apparere, & prædicari merito nollet, quos nec verbis, nec miraculis ſuis credituros eſſe præſciebat? Neque enim incredibile eſt, tales fuiſſe tunc omnes, quales ab eius aduentu', vſque ad hoc tempus, tàm multos fuiſſe, & eſſe miramur, & tamen ab initio generis humani, aliàs occultius, aliàs euidentius, ſicut congruere temporibus diuinitus viſum eſt, nec prophetari deſtitit, nec qui in eum crederent, defuerunt ab Adam, vſque ad Moyſen, & in ipſo populo Iſrael, qui ſpeciali quodam miniſterio gens prophetica fuit, & in alijs gentibus, antequam veniſſet in carne.

Cum enim nonnulli commemorantur in ſanctis Hebraicis libris, iam ex tempore Abrahæ, nec de ſtirpe carnis eius, nec ex populo Iſrael, nec ex aduentitia ſocietate in populo Iſrael, qui tamen huius ſacramenti participes fuerunt, cur non credamus etiã in ceteris hac, atque illac gentibus aliàs alios fuiſſe, quamuis eos commemoratos in eiſdem auctoritatibus non legamus? Ita ſalus religionis huius, per quam ſolam vera ſalus veraciterq. promittitur, nulli vnquam defuit, qui dignus fuit, & cui defuit, dignus non fuit, & ab exordio propagationis humanæ, vſquè in in finem, quibuſdam ad præmium, quibuſdam ad iudicium prædicatur. Ac per hoc, & quibus omnino annunciata non eſt, credituri præſciebantur, & quibus non credituris tamen annunciata eſt, & in illorum exemplo demonſtratur. Quibus autem crediturís annunciatur, hi regno cælorum, & ſanctorum Angelorum ſocietati præparantur.

Noua

Noua retia, & inuſitata piſcandi inſtrumenta, quibus Apoſtoli vſi ſunt ad rationales piſces capiendos in gurgite mundi huius. Enarratio ex Io. Chryſoſt.
Cap. 503.

Io. Chryſoſ. apud Lippo. to 7. de S. Andrea.

VAlidum extitit piſcationis rete, quo ad capiendas, & ad Chriſtianam fidem attrahendas gentes vſi ſunt Apoſtoli. Sagena enim, qua immortales illi mortui vſi ſunt, nulla temporis obliuione poteſt intercipi. Non veteraſcunt tempore illa venationis inſtrumenta, quæ non humana arte, ſed diuina gratia effecta ſunt. Quamuis enim piſcatores ipſi à nobis exceſſerint, nullo tamen tempore inſtrumenta, quibus illi vſi ſunt, aut ſagena, qua mundum ipſum comprehenderunt, inueterata eſt. Qui cum rete iaciunt, & extrahunt, non videntur, & tamen illorum retia plena conſpiciuntur. Non arundinem illam poſſederunt, quam tempus corrumpit. Non linum in aquā demiſerunt, quod vetuſtate putreſcit. Non hamum fabricarunt, quem rubigo conſumit. Non eſcam in hamo poſuerunt, qua piſces caperent. Non in petra conſederunt, quæ vndis quatitur. Non in ſcapha nauigarunt, quam diſſoluit tempeſtas. Non piſces, hoc eſt, naturam rationis expertem, expiſcati ſunt. Sed quemadmodum ars illa, qua vſi ſunt, admirabilis, ita & illorum inſtrumenta noua, atque inuſitata extiterunt. Nam pro arundine, prædicatione vtuntur, pro funiculo memoria, pro hamo potentia, pro eſca miraculis, pro petra cælis, ex quibus huiuſmodi piſcationem exercent; pro ſcapha habent altare; pro piſcibus Reges etiam ipſos capiunt; pro ſagena Euangelium expandunt; pro arte diuinam gratiam adhibent; pro mari vitam humanam tractant; pro retibus Cruce, velut ſagena quadam, vti ſolent.

Quis vnquam vidit à mortuis piſcatoribus viuentes homines, tanquam piſces capi? O magnam Crucifixi potentiam! ò diuinæ dignitatis præſtantiam! ò Apoſtolorum ſumma beneficia! Nihil tale in vita eſſe poteſt, quale eſt Apoſtolicæ gratiæ faſtigium. Multa certè vidit humana vita valde admirabilia, & opinionem ſuperantia. Vidit enim ſanguinem effuſum clamantem, & eũdem ſine lingua vociferantem, ac naturam propter inuidiam contra ſe diuiſam, fratrem germano fratri mortem inferentem, ac propter inuidiæ liuorem mortis ianuam patefactam. Vidit illam Noë arcam in mundi naufragio poſitam, & naturæ humanæ interitum. Vidit ſenem contra propria viſcera, hoc eſt filium, fide armatum, & tanquam victimam eum offerri, qui cæſus non eſt. Vidit benedictiones furto conciliatas, & formatoris Dei, ac ſerui palæſtram. Vidit inuidiam inter fratres exortam, & ſeruitutem regni reconciliatricem. Vidit ſomnijs paratum ſolium, & fratris inſidiatores fame attractos. Vidit virgam miraculorum effectricem, & rubum igne, tanquam rore, circumfuſum. Vidit legumlatorem Moyſem elementis imperantem. Vidit vndas ipſas, tanquam lapides, ſolidas factas, profundum mare denudatum, viam repente ſtructam, & columnam nubis in die, ac ignis in nocte populorum multitudini ducem oſtenſam. Vidit virgam ſine terra germinantem. Vidit è cælo panis loco manna fundi. Vidit hominis oratione ſolem, tanquam fræno quodam, ſiſti; & ſterilis precibus impetratum

tratum, vt ipſa Prophetam conciperet. Vidit ſarinæ pugillum frugibus copioſiorem, & lecythum olei fontibus abundantiorem. Vidit currum in aëre agitari, & Prophetam aſſumi. Vidit denique mortui oſſa vitæ remedium fieri. Multa talia magna, & admirabilia vidit hominum vita. Sed illa tamquè fœnum præterierunt, & extincta ſunt, vt lucerna exorto ſole.

Nihil tale vnquam fuit, quale fuerunt Apoſtoli. Hi, cum verbi Dei eſſent miniſtri, attrectarunt incarnatum illum, qui, vt Deus, figuram non habet. Secuti ſunt ambulantem eum, qui vbique præſens eſt. Diſcubuerunt vnà cum illo, qui nullo loco circumſcribitur. Eius vocem audiuerunt, qui verbo fecit omnia. Mundum ipſum lingua, tanquam ſageua quadam, concluſerunt. Circumierunt ſuis curſibus fines orbis terrarum. Errores, & zizania eradicarunt. Aras, vt ſpinas quaſdam, amputarunt. Idola, tanquam feras interfecerunt. Dæmones, vt lupos profugarunt. Eccleſiam, vt gregem quemdam collegerunt. Orthodoxos, tanquam frumentum, congregauerunt. Hæreſes, vt paleas, proiecerunt. Iudaiſmum, tanquam fœnum, arefecerunt. Græcorum ſectam, tanquam ſtipulas quaſdam, igne combuſſerunt. Humanam naturam Cruce ipſa, tanquam aratro quodam, excoluerunt, & verbum Dei, vt ſementem quandam, ſparſerunt. Ad ſummam omnia illorum facta, tanquam ſydera quædam effulſerunt. Quamobrem clara voce illis dicebat Dominus: Vos eſtis lux mundi. Si quidem à orientem habet Chriſtianus homo illum, qui è Virgine natus eſt; diluculum habet eum, qui baptiſmatis parens fuit; ſplendorem habet Chriſti Crucifixi gratiam; radios admirabiles illas linguas; diem, futurum illud ſeculum; meridiem, tempus, quo in Cruce ipſa manſit Dominus; occidentem, ſepulchri habitationem; veſperam, breuem illam mortem; ſolis fulgorem, reſurrectionem à mortuis. Vos eſtis lux mundi. Intuere aſtra hæc, & illorum ſplendorem obſtupeſce.

Erant igitur nuncij Dei Apoſtoli diuini, peragraturi mundum, ſicut Gigantes ad currendam viam, & à ſummo Deo egreſſio eorum, & ſicut ſponſi virtutibus ornati, & ſpiritu decorati parati erant exire ex auguſto Iudææ thalamo in vaſtas orbis regiones: inter ſe autem menſi ſunt terram, & partiti ſunt orbem, vt calcarent eam pedibus ſpecioſis, & Chriſto Regi ſubijcerent, & eſſet ibi regnum eius in ſempiternum.

De deſtinatione Petri ad primam Orbis Vrbem, quæ imperio, & armis, & diuitijs elata, pede pauperis Petri conculcata eſt, & iugum fidei recepit. Cap. 504.

Igitur ad totius mundi Principem ciuitatem Princeps Apoſtolorum mittitur, & ad primariàm Vrbem orbis Paſtor iure dirigitur, de quo hæc S. Leo: Cum duodecim Apoſtoli accepta per Spiritum ſanctum locutione linguarum, imbuendum Euangelio mundum diſtributis ſibi terrarum partibus ſuſcepiſſent, Beatiſſimus Petrus Princeps Apoſtolici ordinis ad arcem Romani deſtinatur imperij, vt lux veritatis, quæ in omnium gentium reuelabatur ſalutem, efficacius ſe ab ipſo capite per totum mundi corpus effunderet. Cuius autē nationis homines in hac Vrbe non eſſent, aut quæ vſquàm gentes ignorarent, quod Roma didiciſſet? Hic cōculcandæ philoſophiæ opiniones, *Leo ſer. 1. 1 nat. Apoſtol.*

hic

hic diſſoluendæ erant terrenæ ſapientiæ vanitates; hic confutandi Dæmonũ cultus; hic omnium ſacrilegiorum impietas deſtruenda, vbi diligentiſſima ſuperſtitione habebatur collectum, quicquid vſquam fuerat vanis erroribus inſtitutum. Ad hanc ergo Vrbem tu, beatiſſime Petre, venire non metuis, & conſorte gloriæ tuæ Paulo Apoſtolo, aliarum adhuc Eccleſiarum ordinationibus occupato, ſyluam iſtam frementium beſtiarum, & turbulentiſſimę profunditatis Oceanum, conſtantior, quàm cum ſupra mare gradereris, ingrederis. Nec mundi Dominam Romam times, qui in Caiphæ domo expaueras ſacerdotis ancillam. Numquid autem iudicio Pilati, aut ſæuitia Iudæorum minor erat, vel in Claudio poteſtas, vel in Nerone crudelitas? Vincebat ergo materiam formidinis vis amoris, nec æſtimabas terrori cedendum, dum horum ſaluti conſulis, quos ſuſceperas alendos. Nunc ergo intrepidæ charitatis affectum iam tunc profectò concepimus, quando profeſſio tui amoris in Dominum ternæ interrogationis eſt ſolidata myſterio, nec aliud ab hac mentis tuæ intentione quæſitũ eſt, quàm vt paſcendis eius, quem diligeres, ouibus cibum, quo ipſe eras opimatus, impenderes. Augebant quoque fiduciam tuam tot ſigna miraculorum, tot dona chariſmatum, atque experimenta virtutum. Iam Populos, qui ex circumciſione crediderant, erudieras, iam Antiochenam Eccleſiam, vbi primùm Chriſtiani nominis dignitas eſt orta, fundaueras; iam Pontum, Galatiam, Cappodociam, Aſiam, atque Bythiniam legibus Euangelicæ prædicationis impleueras: nec aut dubius de prouectu operis, aut de ſpatio tuæ ignarus ætatis trophæum crucis Chriſti, Romanis Arcibus inferebas. Hæc Leo, & Arnobius in illud Pſalmi: Poſuit terram in ſalſuginem, hæc ait: Sed per Petrum in ſalſugine litterarum poſitam Romam fecit eum fructum afferre, & infra. Poſuit deſertum ab aquis, quæ peccata lauant: Poſuit in ſtagna aquarum: Abundant aquæ baptiſmatis; Martyrum pœnitentiæ: eleemoſynarum abundantia in deſerto iſto, quod ante Petri aduentum ſiccum fuit, & aridum, hoc nunc exculcum eſt, cum conſtitueretur in eo ciuitas Eccleſiæ, in qua quotidie ſeminantur agri, & plantantur vineæ, vt fiant fructus natiuitatis, quos benedixit Deus, & fecit, vt multiplicarentur. Hæc Arnobius de inſtitutione Eccleſiæ Romanæ facta per Petrum.

De migratione Ioannis in Aſiam, qui Virginem Mariam Epheſum duxit, vbi illa habitauit. Cap. 505.

Act. Epheſ. to. 2. c. 26. edit. Feliã.

IOannis autem Zebedei filius, frater Iacobi, migrauit in Aſiam, minorem ſcilicet, eaſq. prouincias, in quibus & Petrus Euangelinm prædicauerat, & Eccleſias complures erexerat, predicatione Euangelicæ veritatis excoluit. Vnà vero cum Ioanne profectam eſſe ſanctiſſimam Dei genitricẽ Mariam Virginẽ, & Epheſi apud eum habitaſſe, epiſtola ſynodica ſacroſancti Concilij Epheſini ad Clerum Conſtantinopolitanum data non obſcure ab illo ſancto Epiſcoporum cætu ſignificatur, dum illic agitur de damnatione Neſtorij his verbis: Quare & Neſtorius impiæ hæreſeos inſtaurator in Epheſiorum Ciuitate, quam Ioannes Theologus, & ſacra Virgo Deipara Maria quandoq. incoluerunt, conſtitutus, à ſanctorum Patrum, & Epiſcoporum cætu vltroſe ipſum abalienans, malæq. conſcientiæ reatu impeditus ad illum

ſeſe

ſeſe adiungere non audens, poſt trinam citationem ſacræ Synodi ſententia, diuinoq. ſanctorum Patrum iudicio condemnatus, omniq. ſacerdotali dignitate exutus eſt.

De profectione vero Ioannis in Aſiam meminit Origenes, Euſebius, Gregorius Nazianzenus, Ioannes Chryſoſtomus, qui & ait: Corpore autem habitauit Aſiam, vbi antiquitus omnes Philoſophorum ſectæ philoſophatæ ſunt; idcirco is locus Dæmonibus obnoxius eſt, & admodum formidabilis. In medio autem inimicorum claruit illorum fugata caligine, arcem euertit quàm munitiſſimam; complures ibi erexit Eccleſias, quarum ſic meminit Tertullianus: Habemus & Ioannis alumnas Eccleſias. Septem enim illæ in Aſia poſitæ, quarum ipſe meminit in Apocalypſi, ab eo fundatæ traduntur: nimirum Eccleſia Epheſi, Smyrnæ, Pergami, Thyatiræ, Sardis, Philadelphiæ, Laodiceæ. Sed quod pertinet ad Eccleſiam Epheſinam, à Paulo fundatam, à Ioanne curatam eſſe, auctor eſt Irenæus. Porrò res ab eo geſtas in Phrygia, ac præſertim Hierapoli, vbi permanſit vſque ad Philippi aduentum, recitat Metaphraſtes. Ceterùm Ioannem non ſemper in Aſia permanſiſſe; ſed, & alias Orientis regiones Euangelium prædicando peragraſſe, multa ſunt teſtimonia. Ad Parthos enim aſcendiſſe titulus ſuæ primæ epiſtolæ, quæ olim ad Parthos inſcripta legebatur, facile monſtrat. Sed adhuc vlteriores Orientis partes penetraſſe, & Baſſoras Chriſtiana fide imbuiſſe, habetur certa, & fide digna relatione religioſiſſimorum patrum Societatis Ieſu, qui noſtris temporibus ad Indos Euangelicæ prædicationis cauſa profecti, hæc ex eiuſdem Populi à maioribus accepta traditione didicerunt. Hæc de Ioanne.

Orig. lib. 3. in Gen. Euſeb. hiſt. lib. 3 c. 1. Greg. Naz. ad Arian. Io. Chryſ. in 12. Ap. & lib. 1. in Io. Tertul. li. 4 con. Marc. Iren. lib. 3. c. 3. f. Metaphr. die 5. Sept. Ex litteris ab ipſis ſcriptis anno Do. 1555.

De Iacobo autem nihil eſt, quod dicendum ſit: quem ante profectionem Apoſtolorum ad gentes, ab Herode Agrippa conſtat eſſe necatum.

De miſſione Andreæ in Græciam, & alias Prouincias. Cap. 506.

ANdreas, qui ſequitur ordine, ad Scythas miſſus traditur ab Origene, & ab Euſebio in Græciam; inde vero deſcendiſſe, & in Epirum veniſſe teſtatur Gregorius Nazianzenus, atque Chryſoſtomus: Iuniorum Græcorum Nicephorus, hæc de Andreæ peregrinatione: Sorte, inquit, eà prouincia obtigit, vt ad gentes mitteretur, in Cappodociam ſcilicet, Galatiam, & Bithyniam, quibus peragratis ad eam quoque acceſſit, quæ Anthropophagorum dicitur, & ad Scytharum ſolitudines ad vtrumque Pontum, Euxinum, oraſq. Septentrionales, ad ipſum quoquè Byzantij ſolum, deinceps Thraciam, Macedoniam, & Euxinum, Prouincias ſortitus Bizantij Chriſtum prædicauit: & cum à Zeuxippo tyrannidem ibi tenente ad necé quæreretur, Argiropolim tranſijt, atquè ibi biennium conuentus agens, permultos ad Chriſti fidem perduxit. Ceterùm ſacra in eo loco fundata æde, Euſtachio Epiſcopo creato, Synopem conſcendit.

Orig. lib. 3. in Gen. Euſeb. hiſt. lib. 3. c. 1. Greg. Naz. orat. in Arian. Chryſ. hom. de 12. Apo. Nicep. hiſt. lib. 2. c. 39. & li. 8. c. 6

De

De profectione Philippi in Aſiam ſuperiorem, & alia loca. Cap. 506.

Niceph.l.2. cap. 39. Metaph die 15. Nouëb. Chryſ. hom. de 12. Apo.

Philippus, quintus ordine, Aſiam ſuperiorē Euangelio traditur excoluiſſe, demum Hieropoli annos natus octoginta ſeptem Martyrium ſubijſſe. quod & Ioannes Chryſoſtomus tradit, eundemq. aliquam partem Scythiæ peragraſſe, & vnà cum Bartholomæo aliquo temporis ſpatio Euangelium annunciaſſe ferunt.

De profectione Thomæ ad Indos, & alias nationes. Cap. 507.

Orig. ī gen. l. 3. Euſeb. l. 3. c. 1. Greg Naz. hō ī Arian. Chryſ. hō. in 12. Apo. Theodoret. de verit. Euag. li. 9. Niceph. lib. 2. c. 40. Apud Chryſoſt. hom. 2. in Matth. ope. imperf. Apud Hieron. de ſcri. Oecum. in Act. Apoſt. Oſor. hiſt. lib. 3.

Thomas Apoſtolus in primis ad Parthos profectus eſt, vt auctor eſt Origenes, & Euſebius. Eundem Indos penetraſſe tradit Gregorius Nazianzenus. In Aethyopiam quoque perrexiſſe teſtatur Ioannes Chryſoſtomus, cum ait: Thomas dealbat Aethyopas. Thomæ adſcribitur, quod ait Theodoretus, Parthos, Perſas, Medos, Brachmanos, Indos, aliasq. nationes finitimas Chriſti Euangelium ſuſcepiſſe. Ad Taprobanam quoque inſulam veniſſe Nicephorus tradit. Sunt alia incerti Auctoris, tamen Ioannis Chryſoſtomi, ſed falſo quidem nomine inſignita, quibus fertur, Thomas tres illos magos, qui Chriſti præſepe adiere, baptiſmo initiaſſe, ac ſocios in prædicatione Euangelij ſecum duxiſſe. Id ipſum quidem apud Sophronium æquè legitur, & alios. Qui apud Indos reperti ſunt Chriſtiani in regione Narſingenſium, firma, certaq. traditione affirmant Thomam Apoſtolum in illis Regionibus Euangelium prædicaſſe, Eccleſias erexiſſe, ac cetera, quæ ad Chriſtianorum inſtitutionem pertinent, conſummaſſe. Id ipſum profiteri qui in Indiæ regione Chranganore, & alijs adiacentibus locis agunt, Oſorius Siluenſis Epiſcopus, qui res Indicas luculentiſſimè ſcripſit, teſtatur.

De profectione Bartholomæi in Armeniam maiorem, & citeriorem Indiam. Cap. 508.

Chryſ. hom. de 12. Ap. Sophro. apud Hieron. de ſcrip. Eccl. Orig. in Gē. lib. 3. Socrat. li. 1. c. 15. Euſeb. li. 5. c. 10. Hieron. de ſcript. Eccl. in Pantano.

Bartholomæus in Maiorem Armeniā profectus, Lycaonas eius Prouinciæ Populos veritatem Euangelicam docuit, & ad pietatem inſtituit, vt eſt auctor Chryſoſtomus. Albanos inſuper fide Chriſtiana imbuiſſe tradit Sophronius; citerioremq. Indiam penetraſſe Origenes teſtatur; id ipſum Socrates quoque, & alij. Certam fidem de his fecit Panthenus Philoſophus Chriſtianus, qui peregrinatus ad Indos memoriam de Bartholomæi prædicatione virentem adhuc reperit; quin & Matthæi Euangelium ab ipſo, antequàm illuc proficiſceretur, deſcriptum, ibi inuentum, ac acceptū ſecum detulit, cum Alexandriam redijt. Id Euſebius, Hieronymus, & alij recentiores, qui à prædictis acceperunt, affirmant.

De profectione Matthæi in Aethyopiam. Cap. 509.

Socrat. lib. 1. c. 15. Origen. in Gen. lib. 3.

Matthæum ad Aethyopiam miſſum eſſe, auctor eſt Socrates ex Origene qui idipſum tradit.

De ordinatione Iacobi in Epiſcopum Hieroſolymorum. *Cap.* 510.

IAcobus Alphæi, frater Domini, idemq. Iuſtus dictus, non legitur in externas profectus eſſe Prouincias, ſed qui Hieroſolymorum creatus eſſet Epiſcopus, ne Iudæi, quorum cauſa munus illud ſuſceperat, omnino derelicti haberentur, in loco conſiſtere, nec ſicut cæteri ad gentes in diuerſas Orbis partes abire permiſſus eſt. Tanta eum, tàmq. conſpicua ſanctitate effulſiſſe tradunt, vt quamuis Iudæorum Magiſtratus in certos ſæuirent Apoſtolos, ipſi tamen nullum negotium faceſſerent, ſed honore potius proſequerentur. Id quidem non tantum Egeſippus, Apoſtolorum temporibus proximus, ſed & Ioſephus Iudæus teſtatur, dum ait, tanta eum apud omnem Populum æſtimatione claruiſſe, vt propter illatam ei necem exiſtimauerint Hieroſolymam exciſam, & Iudaicum populum acerbiſſima omnium clade afflictatum eſſe. *Hegeſippus apud Euſe. lib. 2. c. 22. Ioſeph ant. lib. 20.*

De profectione Simonis Chananæi in Meſopotamiam, Perſidem, Aegyptum, Africam, & alia loca. *Cap.* 511.

SImon Chananæus, qui & Zelotes reperitur dictus, quem & Iudam etiam nominatum eſſe Hieronymus ſæpè teſtatur, in Meſopotamiam profectus, Populis illis Euangelium annunciauit. In Perſidem etiam tandem abiſſe tradunt: Addunt alij Aegyptum, Africam, & Britanniam, vt Nicephorus, & Dorotheus. *Hieron. in epiſt. ad Galat. c. 4. & con. Helui.*

De profectione Thadæi in Meſopotamiam, Arabiam, Idumæam, & alias Regiones. *Cap.* 512.

IVdas vero, qui & Thadæus eſt dictus, & ipſe in Meſopotamia Euangelium prædicaſſe dicitur, multaq. egiſſe in Arabia, & Idumæa, alijſq. adiacentibus regionibus. *Niceph. hiſ. l. 2. cap. 4.*

De profectione Matthiæ in Aethyopiam poſt Iudam. *Cap.* 513.

MAtthias tandem, qui in locum Iudæ eſt ſubrogatus, in Aethyopiam poſt Iudam Euangelij cauſa profectus eſſe traditur, vt aſſerit Sophronius, & Nicephorus. *Sophro. apd Hieron. de ſcrip. Eccl. Niceph. lib. 2. c. 40.*

De mirabili, & indiuidua vnitate Eccleſiæ. *Cap.* 514.

POrrò licet omnes ab Apoſtolis Eccleſiæ inſtitutæ eo ſenſu Apoſtolicæ dictæ ſint, vt Epheſiorum, Corinthiorum, Theſſalonicenſium, & aliæ ferè innumeræ, & ſecundum ea, quæ ab eodem Auctore dicta ſunt, & ceteræ, quæ à prædictis ſunt propagatæ, etiam Apoſtolicæ dici debeant; tamen eiuſdem ſententia, quod Eccleſia vna eſt, Apoſtolicam etiam vnam eſſe

confiteri neceſſe eſt, quæ cum ſit toto Orbe diffuſa, optimè diuino conſilio
prouiſum eſt, vt alicubi eius caput certo loco conſiſtat, ne cum de fide,
alijſue rebus ad ſtatum religionis Chriſtianæ ſpectantibus oboritur contro-
uerſia, in multas ſcindi, quæ vnitatis compagine iuncta vnà erat, neceſſe
ſit. Si igitur ex Apoſtolicis omnibus vna eſt conflanda, atque vna Eccleſia
demonſtranda; eam non alterius eſſe poſſe, quàm eius, qui inter Apoſtolos
primatum gerebat, nemo non videt, niſi qui propria malitia excæcantur, &
offunduntur tenebris, & quod eſt in Pſalmis, oculos habent, & non vident.
Cyprian. de vnit. Eccl. Ecce quàm planè, quàm diſtinctè hæc omnia ſuggerit Cyprianus. Hoc erant
vtique, & cæteri Apoſtoli; quod fuit Petrus, pari conſortio præditis hono-
ris, & poteſtatis, ſed exordium ab vnitate proficiſcitur. Primatus Petro da-
tur, vt vna Chriſti Eccleſia, & vna Cathedra monſtraretur. Et paſtores ſunt
omnes, ſed grex oſtenditur, qui ab Apoſtolis omnibus vnanimi conſenſione
paſcatur: quam vnam Eccleſiam etiam in Cantico Canticorum Spiritus ſan-
Cant. 6. ctus ex perſona Domini deſignat, & dicit: Vna eſt columba mea, perfecta
mea, vna matri ſuæ, electa genitrici ſuæ. Hanc vnitatem, qui non tenet, te-
nere fidem credit? Qui Eccleſiæ renititur, & reſiſtit, qui Cathedram Pe-
tri, ſuper quam fundata eſt Eccleſia, deſerit; in Eccleſia ſe eſſe confidit?
Eph. 4. quando & beatus Paulus Apoſtolus hoc idem doceat, & ſacramentum vni-
tatis oſtendat dicens: Vnum corpus, & vnus ſpiritus, vna ſpes vocationis
veſtræ, vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma, & vnus Deus. Quam
vnitatem firmiter tenere, & vindicare debemus, maxime Epiſcopi, qui in Ec-
cleſia præſidemus, vt Epiſcopatum quoque ipſum vnum atque indiuiſum
probemus. Nemo fraternitatem mendacio fallat, nemo fidei veritatem per-
fida præuaricatione corrumpat: Epiſcopatus vnus eſt, cuius à ſingulis inſo-
lidum pars tenetur. Eccleſia quoque vna eſt, quæ in multitudinem latius
incremento fœcunditatis extenditur; quo modo Solis multi radij, ſed vnum
lumen, & rami arboris multi, ſed robur vnum tenaci radice fundatum: &
cum de fonte vno riui plures defluunt, numeroſitas licet diffuſa videatur ex-
undantis copiæ largitate, vnitas tamen ſeruatur in origine. Auelle radium
Solis à corpore, diuiſionem lucis vnitas non capit: ab arbore frange ra-
mum, fructus germinare non poterit: à fonte præcide riuum, præciſus are-
ſcet: ſic & Eccleſia Domini luce perfuſa, per Orbem totū radios ſuos porri-
git, vnum tamen lumen eſt, quod vbiquè diffunditur; nec vnitas corporis ſe-
paratur, ramos ſuos in vniuerſam terram copia vbertatis extendit: Proflué-
tes largiter riuos latius expandit, vnum tamen caput eſt, & origo vna, &
mater vna, fœcunditatis ſucceſſibus copioſa: illius fœtu naſcimur, illius lacte
nutrimur, ſpiritu eius animamur. hæc, & alia Cyprianus.

Sed tenebrarum Princeps, lucis inimicus, videns diuinæ veritatis auroram
iam incepiſſe per Mundi partes luceſcere, timens ne forſan ad Reginam Vr-
bium Romam, præclariſſimū lumen pertingeret, & inde poſtea ad Orbis cir-
cumferentias reflecteretur, deduxit illuc noctis miniſtrum ſceleſtiſſimum Si-
monem Magum, Samaritanum, oratorum quotquot erant in mundo Ma-
gorum peritiſſimum, qui ſicut nubes quædam turbida & procelloſa Orien-
ti cælitus lumini ſeſe opponeret, & æternam faceret eclypſim.

Simonem Magum, Samaritanum, Diabolus ad Romanam Vrbem decipiendam perducit, ad quam conuertendam profecturus erat Petrus. Cap. 315.

CVm fides in ſeruatorem, & Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, inquit Euſebius, vbiquè ad omnes homines iam dimanare cæpiſſet, Satan humanæ ſalutis hoſtis, Vrbem, quæ propter Imperij decus ceteris omnibus dominata eſt, priuſquàm fidem Chriſti reciperet, aſtute præripere, præoccupareq. molitus, eò Simonem Magum, de quo inſra plura dicuntur, quaſi manu deducit, atque callidis illius præſtigijs opem ipſe ferens, complures, qui Romæ domicilia rerum ſuarum collocaſſent, in errorem inductos ſuo addixit obſequio. Declarat hoc quidem Iuſtinus, qui non longè poſt Apoſtolorum tempora vixit, quique multum noſtræ religionis excelluit diſciplina. In Apologia enim, quam ad Antoninum pro religione Chriſtiana ſcripſit, hæc habet: Poſt Domini in cælum Aſcenſionem homines quidam Dæmonū impulſu incitati, ſe ipſos Deos eſſe dixerunt, quos quidem vos non ſupplicio coërcuiſtis, ſed amplis decoraſtis honoribus; ex quorum numero fuit Simon quidam Samaritanus, ortus è vico, qui dicitur Githon, qui Claudij Cæſaris temporibus, per aſtutiam dæmonum, vim ſuam in eius animo exercentium, Romæ omnium ciuitatum facilè principi, magicas virtutes, & portenta edens, prò Deo] habitus eſt; & ſtatua apud vos donatus, quæ inter duos Pontes ſuper fluuium Tyberim exſtructos, erecta eſt, hancq. inſcriptionem Latinis litteris expreſſam habet, SIMONI DEO SANCTO. *Euſeb. hiſt. lib. 2. c. 12. 13. 14.* *Iuſtin. Apolog. ad Antonin.*

Quin etiam Samaritani prope omnes, non pauci quoque ex alijs gentibus, eum tamquam præcipuum Deum confitentes, magna reuerentia obſeruant. Itemq. Helenam quandam (quæ antea apud Tyrum Phœniciæ meretricio quæſtui ſeipſam proſtituiſſet) comitem eius per idem tempus aſſiduam, velut primam mentem ex Simonis ſinu elapſam nuncupant. Hæc ille. Cum hoc conſentit etiam Irenæus in 1. lib. contra Hæreſes, qui & viri impietatem, & ſceleſtam eius doctrinam pariter deſcribit. Quam hòc loco commemorare, eſſet prope ſuperuacaneum, præſertim cum ijs, qui non illius ſolum, verùm etiam aliorum omnium hæreticorum ortus, qui poſt eius tempora primas erroris partes obtinuerunt, viuendi etiam rationes, falſorum dogmatum cauſas, deprauatos & perditos ſingulorum conatus accurate cognoſcere deſiderant, ea ſanè apud Irenæum reperiet. *Iren. cont. hæreſ. lib. 1. c. 20.*

Simonem igitur primum cuiuſque erroris auctorem, & quaſi caput extitiſſe accepimus: ex cuius temporibus hactenus, qui ſectam & hæreſim ab eo tractam proſequuntur, modeſtam & grauem Chriſtianam religionem ac doctrinam, quæ propter integram puramq. viuendi rationem ex ea formatam, ab omnibus pleno ore celebratur, amplecti callide & aſtute prætexunt, & dum vana ſuperſtitione, quæ in ſimulacris colendis ſita eſt, immunes, & liberi videri volunt, eiuſdem laqueis nihilominus ſe ipſos irretiunt, nam coram pictura & imaginibus, tùm ipſius Simonis, tùm Helenæ (de qua ante à nobis, cum de illo loquebamur, mentio facta eſt) proſtrati, odoribus incenſis, victimis, & libamentis eos venerari ſedulo pergunt. Quot autem apud huius ſectæ æmulos, hiſce ſecretiora, magiſq. arcana putantur,

& quibus quemq. primum, vt auribus acceperit, penitus attonitum reddi, vel potius vt verbo quodam vtar, qui eſt apud illos ſcriptis proditum, oraculiq. loco vſurpatum θαμβωθῆναι, ideſt, admiratione quadam obſtupeſcere aiunt, ea eiuſmodi planè ſunt, & tàm plena reuera ſtuporis, amentiæ & inſaniæ, vt videantur non modo non honeſte poſſe ſcriptis tradi, ſed ne ore quidem propter inſignem turpitudinem, & obſcœnitatem, à viris modeſtis aliquando ſine ſcelere efferri. Nam quodcunque aliquando omni flagitio ſceleſtis & improbis in cuiuſquam cognitionem cadere poſſit, hæc deteſtabilis, & maxime peſtifera hæreſis illorum, qui mulierculas miſeras omni vitiorum genere cumulatas turpiter, & flagitioſe ludificantur, longiſſimèq. ſuperat.

Quamquam vero talium, & tàm nefandorum ſcelerum procreatorem, & architectum Simonem, eo tempore tamquam acrem præclarorum, & diuinorum Seruatoris noſtri Apoſtolorum aduerſarium, nequam & improba diaboli potentia (quæ omni honeſtati infecta eſt, quæque humanæ ſaluti euertendæ occultas ſemper parat inſidias) de induſtria excitauit: diuina Dei, & cæleſtis gratia, quæ miniſtris ſuis perpetuo opitulatur, per illorum piorum hominum aduentum, & præſentiam Satanæ faces in humanum genus accenſas, intentaſquè, ſumma cum celeritate reſtinxit, atque omnem arrogantiã, altosq. ſpiritus, qui ſe contra Dei cognitionem inſolenter extuliſſent, per illos repreſſit, atque adeo è medio ſuſtulit. Quapropter neque impia Simonis contra Chriſtum coniuratio, neque alterius cuiuſpiam eorum, qui tùm in lucem prodierunt, Apoſtolorum temporibus ſe ſuſtentare poterat. Nam illuſtre veritatis lumen, & diuinus ille ſermo, qui modo, (Dei aſpirante numine) in humanum genus ſplendorem ſuum effuderat, inque terris quaſi pubeſcens viguerat, & cum proprijs ac ſuis Apoſtolis verſatus erat, omnes id genus conatus ſtrenuè euicit, profligauitq. Etenim, vt exemplo rem illuſtremus, præſtigiator ille, quem antea poſuimus, velut à diuino, & admirabili fulgore oculis mentis penitus perſtrictus extemplo (cum iam antea in illis ſceleribus, quæ nefarie & perdite conſciuerat, à Petro Apoſtolo, in Iudæa manifeſte deprehenſus fuiſſet) longiſſimum iter terra, mariq. inſtituens, ab Oriente ad Occidentem vſque, quaſi profugus vagatus eſſet, iſtumquè viuendi modum ſolum ſibi ex ſententia fore arbitratus, ſic tandem ad Vrbem Romam profectus, cum iam ibi diabolica vis, & potentia ad hominum perniciem aſſidue excubans, magno ſubſidio illi veniret, breui ſuum inſtitutum cò vſque perduxit, vt ab illis, ſtatua in eius venerationem erecta, honoraretur vt Deus. Ceterùm iſta non ad longinquum temporis ſpatium ex ſententia illi proceſſerunt. Nam è veſtigio ſub ipſo Claudij Imperio, benigna & propitia Dei, totius huius vniuerſitatis rectoris, erga humanum genus prouidentia, fortem ac prræpotentem, & reliquorum omnium Apoſtolorum propter virtutis amplitudinem facilè principem, Petrum, Romam verſus, ad eiuſmodi peſtiferam vitæ humanæ corruptelam delendam quaſi manu deduxit. Qui quidem, vtpote generoſus, & ſtrenuus Dei Dux, diuinis armis obtectus, munitusq. eximiam & pretioſam tamquam mercaturam veri luminis mente ſola comprehenſi, ab Oriente ad Occaſum vſque deportauit, ipſamq. Regni Cælorum prædicationem, cæleſtem ſcilicet lucem, & ſalutarem animorum doctrinam palàm diuulgauit.

Euſeb. lib. 2 c. 13.

Sic

Sic ergo cum diuinus ſermo iam ad Romanas perueniſſet, veſana Simonis potentia extincta eſt, & homo ipſe actutum vnà penitus profligatus. Hæc Euſebius: cui ſimilia ſunt, quæ ſcribit S. Hieronymus, cum ait: Simon Petrus &c. ſecundo Claudij anno ad expugnandum Simonem Magum Romam pergit. Metaphraſtes ea de re ſcribens, ſanctum Apoſtolum eiuſmodi iter diuina reuelatione aggreſſum eſſe tradit, dum ait: Viſus eſt ei Dominus in viſione dicens: Surge Petre, vade ad Occidentem: opus enim habet vt tuis illuſtretur facibus; & ego ero tecum.

Hieron. de ſcrip. Eccl. c. 1.
Metaphr. 29. Iun.

De Statua Simonis. Cap. 516.

CVm actum ſit de Statua inter duos Pontes (nimirum in Inſula Tyberina, quæ & Aeſculapij dicta eſt) Simoni titulo diuinitatis dicata, opportune occurrendum putamus quorundam virorum, eruditorum tamen, de ea re dubitationi, in quorum mentes irrepſit aliquando ſcrupulus, an quæ à Iuſtino, ac ceteris Patribus de Statua Simoni ibidem loci dicata, ſunt dicta, vere ſubſiſtant ac veritati innitantur? Vt autem res adeo antiqua, tot tantorumq. ſcriptorum illuſtrata ac probata teſtificatione, reuocaretur in dubitationem, eiuſmodi præceſſit occaſio. Ante annos puto quinque, Gregorio XIII. Rom. Pontifice in eadē Inſula Tyberina è ruderibus lapis eſt effoſſus, tali inſcriptione notatus, ſeruatur hactenus idem in Horto Religioſorum Mendicantium in eadem Inſula poſito.

Baron. an. 44.

SEMONI SANGO DEO FIDIO SACRVM SEX. POMPEIVS. S. P. F. COL. MVSSIANVS QVINQVENNALIS DECVR. BIDENTALIS DONVM DEDIT

Præfert lapis ipſe baſim, ſuper quā Statua locata eſſet, ſed exigua, nec enim cum valde anguſta ſit, capax fuiſſe videtur alicuius ſimulachri humanæ ſtaturæ ſimilis: ex hac igitur inſcriptione, tali loco reperta, dubitatio eiuſmodi animos illorum pulſauit; num nominis ſimilitudine Iuſtinus ſit lapſus, vt Simoni Mago dedicatum eſſe ſimulacrum exiſtimarit, quod Semoni Sango Deo fidio legebatur inſcriptum. Sed antequam vlterius progrediamur, vt hæc elucidemus, aliqua ad explicationem eiuſmodi inſcriptionis afferamus.

Quinam fuerint dij Semones, ex Varrone Fulgentius ſic explicat: Semones dici voluerunt Deos, quos nec cælo dignos adſcriberent ob meriti paupertatem, ſicut Priapus, Hipporea, Vertunnus; nec terrenos eos deputare vellent, pro gratiæ veneratione, ſicut Varro in Myſtag. ait: Semoneq. inferius derelicto, Deum depinnato attollam orationis eloquio. hæc Fulgentius. Sangus vero Sabina lingua Hercules dicebatur, vt Auctor eſt idem Varro, idemq. in antiquis lapidibus Sancus ſcriptus reperitur, ſicut & in inſcriptione Reatina.

Fulgen. de priſc. ſer.
Var. de lig. Lat. lib. 4.
Prop. lib. 4. de Herc. in fin.

SEMIPATRI SANCO. & Propertius:

Sic Sancum Tatiæ compoſuere Cures. & Ouidius:

Quærebam Nonas, Sanco Fidio ne referrem.

Legimus & inſcriptionem lapidis nuper reperti in Quirinali, in hortis Clericorum Regularium, apud eccleſiam ſancti Syluestri, his litteris exaratam, qua Sangum dici, & diſtinctum eſſe Sangum à Sancto, quo nomine etiam Herculem dictum volunt, facile poteſt intelligi

SANGO SANCTO SEMON
DEO FIDIO SACRVM
DECVRIA SACERDOTVM BIDENTALIVM
RECIPERATIS VECTIGALIBVS

Gel. li. 16. c. 6. *Dionyſ. li. 8* Sed de Sacerdotio Bidentalium. conſule Gellium: de ara erecta Romæ Semoni Sango meminit Dionyſius Halicarnaſſæus, cui numini (ait Verrius) propter viam fit ſacrificium, quod fit proficiſcendi gratia, in quo mos erat, vt ſi quid ex epulis ſuperfuiſſet, igne conſumeretur, vt Macrobius admonet.

Cęterùm quod ad diluendam concitatam falſam ſuſpicionem pertinet, nulla quidem, vel leuis ſaltem ſuſpicio Iuſtini animum mouiſſe potuit, vt vel coniectura aliqua opinaretur Simoni Mago ſimulacrum illud eſſe dicatum, quod Semoni Sango ea erat inſcriptione ſacratum: Et vt omittamus dicere de diuerſorum nominum differentijs, iam cunctis notiſſimum erat, neminem inter Deos fuiſſe recens recipiendum, niſi ex S. C. nec abſque eiuſdem auctoritate licuiſſe cuiquam rem ſacram facere, ſtatuas vel Aras erigere. Quamobrem cum nec nomen Imperatoris, nec Senatus (vt in ceteris) ſed cuiuſpiam tantum illius Collegij ſacerdotis Magiſtratu fungentis, donum illud offerentis, eſſet nomen expreſſum, nulla potuit in Iuſtini animum ſuſpicio aſcendere, vt Simoni Mago in Deorum numerum recepto ea fuerit ſtatua conſecrata.

Ad hæc, quonàm pacto, quæſo, in his Iuſtinus decipi potuit, qui non tantum gentilium philoſophiæ, ſed & ipſorum Theologiæ eruditione non leuiter tinctus, vel mediocriter imbutus, ſed egregiè excultus, & apprimè eruditus erat, vt plane declarant eius Commentarij non modo ad Antoninum Pium, & ad Senatum Romanum, ſed ad Gentiles ipſos ſermo exhortatorius ſcriptus? Sed & quomodo idem ipſe non ea de Simone Mago plus certo Romæ diu multumq. verſatus explorata habuit, quæ non in angulo, vel coram eis ignaris locutus eſt, ſed ad ipſum Romanum Imperatorem, ac filios Cæſares, nec non Romanum Senatum conſcripſit? Vel quonam pacto tàm aperte teſtatus, à Senatu populoq. Romano Simonem Deum habitum, & Statua honeſtatum; cum hæc mox ſubdit? Quocirca vt ſacer quoque Senatus & populus Romanus, vnà vobiſcum poſtulata hæc noſtra cognoſcant, petimus vt ſiquis inter eos doctrinis illius detineatur, verò cognito, fraudem erroris effugere valeat, & Statuam, ſi vultis, abolete. Hæc ipſe Iuſtinus.

Nunc vero dicant velim, qui ſuſpicantur eum de ſtatua Semonis Sangi eſſe deceptum, nunquid inter duos Pontes tantum, an in vno Vrbis loco ſimulacrum eiuſmodi viſebatur, cuius cultus & ſuperſtitio ab his fere vrbis cunabulis à Sabinis illata, cum nomine creuerat? certè fuiſſe etiam in Quirinali eiuſdem idoli cultum, ſecunda, quam poſuimus, inſcriptio demonſtrat. Quid ergo Iuſtinus vnum ab Imperatore, & Senatu petit abolendum, cum plura in Vrbe eſſent eiuſdem Idola, eodemq. nomine ſimulacra notata? Sic enim Romæ creuerat ſuperſtitio, vt Dio, de his Claudij temporibus agens hæc dicat. Omnes iam ædes, omnia opera ſtatuarum & donariorum eſſent plena &c. *Dio li. 60.*

Hæc ipſa itaque, & ſi ad tollendam omnem de ea re ſuſpicionem ſatis ſuperq. videri poſſint, adhuc tamen & alia ſubinferimus. Iam vidimus per Semonem Sangum Gentiles Herculem intellexiſſe, cuius ſimulacrum ſic con-

conſueuiſſe effigiari, vt à ceteris dijs diſtinctum, abſque vlla alia inſcriptione, ipſo ſolo intuitu facile cuiuſnam eſſet, ab omnibus cognoſci poſſet, omnes credo etiam intelligere. Ceterum non in imagine Herculis, ſed Iouis Simonem, & Scortum ſuum Helenam in Mineruæ effigiem formatam adorari ſolitos, auctor eſt Irenæus, qui ſic ait: Imaginem quoque Simonis habent factam ad figuram Iouis, & Selenæ (aliter Helenæ) in figuram Mineruæ, & has adorant. Auguſtinus eadem in hæc verba. Iouem ſe credi volebat, Mineruam vero meretricem quamdam Selenem, quam ſibi ſociam ſcelerum fecerat, imaginesq. & ſuam & eiuſdem meretricis diſcipulis ſuis præbebat adorandas, quas & Romæ tamquam Deorum ſimulacra, auctoritate publica conſtituerat, in qua Vrbe beatus Apoſtolus Petrus eum, vera omnipotentis Dei virtute extinxit. Hæc Auguſt. Ex quibus omnis plane ſuſpicio tollitur, vt in imagine Semonis Sangi Dei Fidij, Herculis ſcilicet, potuerit Iuſtinus decipi, qui probè nouerat, Simonem Gentilem ſuum (nam ipſe Samaritanus erat) in effigie Iouis coli. Sed de his ſatis. *Iren. lib. 1. c. 20.* *Auguſt. ad Quoduultdeum.*

Petri aduentus Romam: ex quo Romani multa bona diuinitus conſequuti ſunt. Cap. 517.

ANno ab Vrbe condita 795. Tiberius Claudius ab Auguſto quartus, regnum adeptus eſt, manſitq. in eo annis quatuordecim. Exordio regni eius Petrus Apoſtolus Domini noſtri Ieſu Chriſti, Romam venit, & ſalutarem cunctis credentibus fidem fideli verbo docuit, potentiſſimisq. virtutibus approbauit. Atque exinde Chriſtiani Romæ eſſe cæperunt. Senſit hoc collatum fidei ſuæ Roma beneficium. Nam cum interfecto Caligula multa de abrogando imperio, ac republica in antiquum ordinem reſtituenda, euertendaq. penitus Cæſarũ vniuerſa familia Senatus, & Conſules decreuiſſent: Claudius mox, vt confirmauit Imperium, magna, atque adhuc Romæ incognita vſus clementia, ne in tantam nobilium multitudinem vltio, ſi eſſet cæpta, ſæuiret, biduum illud, de quo Reipub. ſtatu infœliciter conſultatum, actumq. fuerat, memoriæ exemit, omniumq. factorum, dictorumuë in eo veniam, & obliuionem in perpetuum ſanxit. Ita illam præclaram, & famoſam Athenienſium Amneſtiam, quam quidem Romæ inducere Iulio Cæſare interfecto Senatus, Cicerone ſuadente, tentauerat, ſed Antonio, & Octauiano propter vltionem extincti Cæſaris irrumpentibus, in irritum ceſſerat; hanc Claudius, quamuis multo truculentiore cauſa in cædem conſpiratorum ſtimularetur, vltronea clementia, nullo expetente firmauit. Accidit etiam eodem tempore, præſentis gratiæ Dei grande miraculum: ſiquidem Furius Camillus Scribonianus Dalmatiæ Legatus, bellum ciuile molitus, legiones multas, fortiſſimasq. ad ſacramenti mutationem pellexerat. Itaq. die dicto, vt in vnum vndique ad nouum Imperatorem conueniretur, neque Aquilæ ornari, neque conuelli quoquomodo ſigna, mouerīue potuerunt. Exercitus tanta, & tàm inuſitata miraculi fide motus, & conuerſus in pœnitentiam, Scribonianum quinto ſtatim die deſtitutum interfecit, ſeſeq. ſacramento prioris militiæ continuit. Triſtius, ac perniciofius Vrbi Romæ nihil vnquam fuiſſe, quàm bella ciuilia ſatis notum eſt. Itaq. propter aduentum Apoſtoli Petri, & tenera Chriſtianorum germina, vix dum adhuc *Oroſ. lib. 7. c. 6.* *Dio lib. 60. Sueton. in Claud. c. 13 Plin. lib. 3. ep. 6.*

pauca ad ſanctæ fidei profeſſionem erumpentia, hanc exorientem Tyrannidem, & conſurgens iſtud ciuile bellum, neget quiſquam diuinitus eſſe compreſſum; qui præteritis temporibus de compreſſione bellorum ciuilium ſimile probarit exemplum? Claudius quarto imperij ſui anno cupiens ſe vtilem Reipublicæ oſtentare principem, bellum vbiquè, & victoriam vndecunque quæſiuit. Itaquè expeditionem in Britanniam mouit, quæ excitata in tumultum propter nō redditos transfugas videbatur, tranſuectusq. in inſulam eſt, quam neque ante Iulium Cæſarem, neque poſt eum quiſquam adire auſus fuerat: ibiquè, vt verbis Suetonij Tranquilli loquar, ſine vllo prælio, ac ſanguine, intra pauciſſimos dies plurimam Inſulæ partem in deditionem recepit. Orcadas etiam Inſulas vltra Britanniam in Oceano poſitas Romano adiecit Imperio, ac ſexto, quam profectus erat, menſe Romam redijt. Conferatur nunc, ſi cuiquam placet, inſula, & inſula, tempus, & tempus, bellum, & bellum, Cæſar, & Cæſar: Nam de fine nihil profero; quoniam hoc fœliciſſima victoria, illud acerbiſſima clades fuit, & ſic demum Roma cognoſcat per eius latentem prouidentiam in augendis rebus antea ſe partem fœlicitatis habuiſſe, cuius agnitione ſuſcepta, pleniſſima fœlicitate perfruitur, inquantum non tamen blaſphemiarum offendiculis deprauatur. Eodem anno imperij eius, fames grauiſſima per Syriam facta eſt, quam etiam Prophetæ pronuntiauerant, ſed Chriſtianorum neceſſitatibus apud Hieroſolymā conuectis ab Aegypto frumentis, Helena Adiabenorum Regina conuerſa ad fidem Chriſti largiſſimè miniſtrauit. *Ioſeph. ant. lib. 20. c. 2.*

Anno imperij eius quinto inter Theram, & Theraſiam, Inſula de profundo emicuit triginta ſtadiorum ſpatio extenta. Anno eius ſeptimo, ſub procuratore Iudææ Cumano, in Hieroſolymis tanta ſeditio in diebus azimorum exorta eſt, vt in portarum exitu populo coarctato triginta millia Iudæorū cæde proſtrata, & compreſſione ſuffocata referantur. Anno eiuſdem nono expulſos per Claudium Vrbe Iudæos Ioſephus refert. Sed me magis Suetonius mouet, qui ait hoc modo; Claudius Iudæos impulſore Chriſto aſſiduè tumultuantes Roma expulit. Quod vtrum contra Chriſtum tumultuantes Iudæos coërceri, & comprimi iuſſerit, an etiam Chriſtianos ſimul, velut cognatæ religionis homines, voluerit expelli, nequaquam diſcernitur. Veruntamen ſequenti anno tanta fames Romæ fuit, vt medio foro Imperator correptus à populo conuitijs, & fragminibus panis turpiſſimè infeſtatus, ægrè per Pſeudotyrum in palatium refugiens furorem excitatæ plebis euaſerit. Paruo autem intercedente tempore trigintaquinque Senatores, & trecentos ſimul equites Romanos minimis cauſis interfecit: ipſe autem manifeſtis veneni ſignis eſt mortuus.

De Petri ſocijs, cum Romam venit, & de locis, quæ pertranſijt. Cap. 518.

Baron. An. 44. Veniſſe vnà cum Petro Antiochia Romam, Marcum in primis, qui poſtea ab eodem Petro acceptum ſcripſit Euangelium; Apollinarem, qui ab eodem poſtmodum Rauennati eſt præfectus Eccleſiæ; Martialem, qui eſt inde miſſus ad Gallias; Rufum Capuæ factum Epiſcopum; Pancratium Tauromenij; Marcianum Syracuſis datum Epiſcopum, & alios, cum eis

corun-

eorundem Acta teſtantur : licet de Marciano, & Pancratio iam antea, cum adhuc Petrus moraretur Antiochiæ, in Siciliam fuiſſe miſſos, Metaphraſtes affirmat, cuius etiam teſtificatione habetur expreſſum, Petrum in Italiam nauigantem, in Siciliam appuliſſe.

De ceteris locis, ad quæ Petrus Romam venturus diuertit, nobilia in ijs remanſerunt antiquitatis veſtigia, ſed traditione potius, quàm ſcriptura firmata. Nam (vt omittamus de ſingulis dicere, quæ nondum nobis explorata habentur) eſt Neapoli in Campania percelebris memoria, vbi idem Princeps Apoſtolorum, cum Neapolim nauigio delatus eſſet, vnà cum ſuis, Miſſam celebrauit. Tradunt inſuper, ipſum Neapoli ſoluentem, vi ventorum delatum eſſe Liburnum, indequè Piſas proxime poſitas conſcendiſſe, ibique ex more incruentum ſacrificium obtuliſſe; quem locum, tantæ rei memoria celebrem, à poſteris ſummo honore habitum eſſe conſtat. Inde vero Romam veniſſe.

De primo Petri hoſpitio Romæ. Cap. 519.

CVm Romam perueniſſet Petrus, antequam Gentilibus Euangelium prædicaret, ad contribules ſuos diuertiſſe Iudæos exiſtimamus. Incolebant illi Regionem Tranſtyberinam iam ab Auguſti temporibus, vt auctor eſt Phylo, cui & Ethnici ſcriptores conſentire videntur, vt Martialis, & alij; cæterùm vbi Petrus Euangelium prædicans, Gentilibus Romanis innotuit; non amplius apud Iudæos permiſſus eſt agere, ſed à Pudente Senatore, qui in Chriſtũ credidit, in domum ſuam exceptus eſt, quæ erat in Viminali, vbi poſtea titulus eſt erectus, Paſtoris nomine nuncupatus.

Philo de leg. ad Caium. Martial. li. 2. Epigrã.

Maiorum firma traditione præſcriptum eſt, domum Pudentis Romæ fuiſſe primum hoſpitium S. Petri Principis Apoſtolorum, illicq. primùm Chriſtianos conueniſſe ad Synaxim, coactam Eccleſiam, vetuſtiſſimumq. omnium titulum Pudentis nomine appellatum, qui item & Paſtoris nomine dictus reperitur, hodie vulgo Eccleſia S. Pudentianæ nuncupatur. De Pudentis domo, & titulo in actis Nouati, Pudentianæ, & Praxedis pluribus agitur, mentioq. de eo habetur in Romanis Concilijs, atquè in his præſertim, quæ Romæ ſub Symmacho Papa ſunt acta.

Baron. ad Mart. Rõ.

De Pudente Romano Petri hoſpite. Cap. 520.

POſt mortem Adriani Antoninus cognomento Pius Imperij ſceptra ſuſcepit. Huius temporibus fuit in Vrbe Roma, vir nomine Pudens, genere nobilis, honeſtate præclarus, cuius Pater vocabatur Punicus Pudens, Mater autem Priſcilla, quorum quidem arbitrio mulierem duxerat coniugem nomine Sabinellam, illuſtribus æquè ortam natalibus, de qua duas ſuſcepit filias (præter Timotheum, & Nouatum) pulchras ſpecie, ſed moribus pulchrioribus, Pudentianam ſcilicet, & Praxedem, & poſtquam obijt vxor eius, vita Apoſtolica delectatus, vtpote qui B. Petri Apoſtoli prædicatione conuerſus, & doctrinis eius ſaluberrimis fuerat informatus.

Ex antiqu. Paſſion. m. ſ. noſtra Biblioth. & alijs.

De

De Pudente illud certum eſt, ſi verum eſſe dixerimus, quod à B. Petro ad Chriſti fidem magis perductus ſit, quàm à Paulo, cuius forte diſcipulus, ſi duos faciamus Pudentes, Pudens Iunior. Rurſum Acta: Spreuit mundum cum pompis ſuis; ieiunijs autem, & eleemoſynis, ac peregrinorum ſuſceptionibus vigilanter inſiſtés, plures ſuo exemplo ad opus ſimile prouocabat. Adeo namq. in Catholicæ fidei deuotione feruebat, vt inter ipſa nouellæ Chriſtianitatis primordia, infra domus ſuæ ambitum Eccleſiam fabricaret, & per manus Sancti Pij Apoſtolicæ Sedis Epiſcopi dedicari depoſceret, appellans eam titulum Paſtoris, ex nomine cuiuſdam presbyteri, qui videlicet prudentia præditus, omni domui eius in bonis actibus aſſiſtebat. Eſt enim vſque hodie Romæ locus, qui vicus Patritij appellatur, & S. Pudentianæ vocabulo inſignitur.

Paſtor autem, de quo ſupra facta eſt mentio, ille ipſe fuit, qui & Hermas à ſanctis Patribus appellatur.

Accidit autem, vt Pudens ægrotaret, & quaſi præſciens ſe viam vniuerſæ carnis ingredi, filias ſuas, vt ad finem vſque vitæ Chriſto ſponſo ſe Virgines ſeruarent ardentius, quàm vnquam antea monere cæpit: cumq. adhuc eas ſalutaribus diſciplinis inſtrueret, & cæleſti ſponſo, cui eas deſponderat, commendaret, in confeſſione ſancta emiſit ſpiritum. Quod audientes Chriſtiani, vnà cum S. Pio Epiſcopo vndiquè confluxerunt, & exequias iuxta traditiones Eccleſiaſticas in hymnis, & canticis celebrantes, ſepelierunt eum in Cœmeterio Priſcillæ via Salaria, iuxta plures Chriſtianæ fidei confeſſores.

De eodem Pudente ex Romano Martyrologio, & alijs. *Cap.* 521.

Martyrol. Rom. die 19. Maij. De Pudente hæc habemus in Romano Martyrologio: Ibidem (Romæ ſcilicet.) S. Pudentis Senatoris, patris ſupradictæ Virginis (Pudentianæ) qui ab Apoſtolis Chriſto in baptiſmo veſtitus, innocentiæ tunicam vſque ad vitæ coronam immaculatè cuſtodiuit.

2. Tim. 4. De eodem meminit Paulus Apoſtolus in ſecunda Epiſtola Romæ ad Timotheum ſcripta, in fine, vbi ſalutationem fidelium ſubijciens ait: Salutant te Eubulus, & Pudens &c.

Anno Chr. 59. Addit Baronius: Quod ad Pudentem pertinet, hic ille vir eſt clariſſimus Senatorij ordinis, Ciuis Romanus, pater Nouati, atque Timothei, Praxedis, & Pudentianæ Virginum: Huius domus ad radicem Viminalis poſita propè Exquilinum patuit omnibus Chriſtianis, vbi & ſacræ agebantur Synaxes, conuerſaq. deinde penitus in Eccleſiam, eadem Paſtoris Titulus dicta eſt: nam cum domus aliqua publico religioſo Chriſtianorum vſui manciparetur, Crucis titulo inſignita, ex eo & nomen accipiens, titulus dicebatur. Eſt de hoc exemplum breuioribus illis, ſed plane aureis Pij Papæ epiſtolis ad Iuſtum Epiſcopum Viennenſem, in quarum priori hæc de nuper erecto Titulo: Antequam Roma exiſſes, ſoror noſtra Euprepia (ſicut bene recordaris) Titulum domus ſuæ pauperibus aſſignauit; vbi nunc cum pauperibus noſtris commorantes, Miſſas agimus. *Binius to. 1. Conc. in Pio.*

Et

Et in epiſtola poſteriori: Presbyter Paſtor Titulum condidit. &c.

Iuſtinus Philoſophus, poſtea Martyr glorioſiſſimus, interrogatus à Ruſtico Vrbis Præfecto: Age dicas, quem in locum conueniatis, & diſcipulos tuos congreges? Reſpondit: Ego prope domum Martij cuiuſdam, ad Balneum Timothinum, hactenus manſi. Veni autem in Vrbem Romam ſecundò: neque alium quempiam locum, niſi quem dixi, cognoſco. Ac ſi quis ad me venire voluit, communicaui cum illo veritatis doctrinam. &c. *Baron. an. 165 ex Act. Iuſt.*

Porrò Timothinæ Termæ eædem, & Nouati dictæ reperiuntur, poſitæ à Sexto Rufo, & Publio Victore in Viminali: Timothæus enim, & Nouatus germani erant, Pudentis Senatoris filij: extantq. vſquè hodie earundem Themarum veſtigia, ſuperq. titulus Paſtoris erectus permanet: Patebat Pudentis Senatoris domus (vt diximus) ab initio Petri Romam aduentus, hoſpitio Chriſtianorum. Cum igitur Iuſtinus ſe in Vrbem iterum venienté ſemper ad Balneum Timothinum diuertiſſe tradit, planè ſignificat, ſe exceptum hoſpitio à Nouato, atque Timotheo fratribus, eorumq. ſororibus, Pudentiana, atque Praxede, nobili reuera, atque præcipua in Vrbe Chriſtiana familia: quippe qui omnes ſe ſuaquè, Patris exemplum ſequutæ, pietatis officijs mancipabant.

Hunc ipſum Titulum Paſtoris, Eccleſiam ſcilicet S. Pudentianæ, vetuſtate collabentem, decentiſſime reſtitutum videmus, ab eiuſdem Tituli presbytero Cardinale Illuſtriſſimo, ac Reuerendiſſimo Henrico Caietano S.R.E. Camerario: Sacello inſuper extructo, & magnifice exornato, eodem loco vbi ipſum Apoſtolorum Principem Petrum ſæpius Miſſam celebraſſe traditum eſt.

Locus, vbi S. Petrus baptizabat. Cap. 522.

LOcus alius, vbi verſari, & baptizare ſolitum fuiſſe Petrum dicitur, erat Cœmeterium Oſtrianum via Salaria, cuius mentio eſt in Actis Liberij Papæ. De eodem Onuphrius Panuinius hæc tradit: Cœmeterium omnium vetuſtiſſimum Oſtrianum, via Salaria, ad tertium ab Vrbe Lapidem, in quo B. Petrus Apoſtolus baptizaſſe dicitur: In Cœmeterijs Romæ exiſtentibus, baptiſmum, & Miſſas celebrare, vigilias decantare, ordinationes, & ſtationes, ideſt omnes ſacras cæremonias habere, veteres ſolitos fuiſſe, docent antiquiſſima Eccleſiaſtica monumenta. Prothonotarius S. R. E. in Actis Liberij Papæ c. 3. 1. Conciliorum tomo, ſic ait: Erat non longe à Cœmeterio Nouellæ ad tertium ab Vrbe lapidem via Salaria, Cœmeterium Oſtrianum, vbi Petrus Apoſtolus baptizauit. *Barõ. Xſi. an. 226. Panuin. de Cœmet.*

Petrus

Petrus Apoſtolus honorificis excellentijs à Chriſto Domino decoratus eſt, vt ſedes eius in medijs gentibus, apud omnes omni tempore in maiori honore haberetur.

Cap. 324.

VEnit igitur Petrus, Rege ducente Chriſto, ad Vrbem Vrbium dominatricem, quæ multis ſubactis populis, & per longa tempora ſubiugatis gentibus, imperium ſibi vniuerſale totius Orbis aſciuerat: Venit autem, vt non ferro tectus, ſed fide protectus, illam Chriſto ſeruire doceret, & inclinare aures nouis præceptis, & longe ſublimius Imperium, & latiorē dominationem illi per ſuaue fidei iugum prouideret, quàm per humanam prudentiam, aut bellicam potentiam prius vnquam habuiſſet, aut in poſterum eſſet habitura. Illud agens, illud ſatagens, vt fundaret ibi Imperium æternum, &
Pſal. 88. Regnum quod non eſſet finem habiturum, & poneret ibi ſedem Dauid, quæ diuinam promiſſionem habuerat æternæ durationis, ſuper quam ipſe, vicem Chriſti in terram gerens, primus ſederet, deinde & ſucceſſores eius pari auctoritate ſederent, & docerent, & totam Eccleſiam inde gubernarent. Quapropter Chriſtus Dominus Petro multas contulit excellentias, vt honorifice ſuper tàm magnificam & ſublimem cathedram ſederet, & cōfortaretur Principatus eius, & agnoſceretur eius dignitas, & non contemneretur auctoritas; ordinans vt in ſimili honore ſuccederent, quotquot futuri erant huiuſmodi Cathedræ ſeſſores, vt omnes populi & Principes gentium non erubeſcerent flexo poplite reuereri eum, quem Chriſtus rerum Dominus, cæli & terræ Rex, ſuper ſedem ſuam collocaſſet, conſiderantes non eum, qui ſedet, ſed qui ad ſedendum miſit illum: Et qui ſecus facerent, ſcirent contemptum illum aſcendiſſe vſque ad Deum, & exacerbaſſe Chriſti manſuetudinē, & prouocaſſe contrà ſeipſos iram diuinam, quæ forſan tardo, ſed certo & graui ſupplicio perditura eſſet, qui hæc patrare auſi fuiſſent. Quod vtinam ſuccedentibus temporibus multi ſuperbè dominantes, & ſuperbè ſapientes in ſeculo obſeruaſſent, & præ timore Domini Chriſtos eius non tetigiſſent, neque inſolentes auſus contra ſedentes Pontifices, magni Petri ſucceſſores erexiſſent: non enim gladium cæleſtem, ab omnibus formidandum, ſeuerum vltorem experti fuiſſent, vt frequentioribus euentibus, ſucceſſiuis temporibus millies comprobatum eſt. Quæ locis ſuis erunt recitanda, & veri-
Prou. 30. tas Prouerbij apparuit, quæ ait: Oculum, qui ſubſannat patrem, effodiant eum Corui de torrentibus, & comedant eum filij Aquilæ. Quapropter opportunum erit hic recenſere honorificas aliquas Petri excellentias (etenim decebat in vniuerſali Gentium Rectore, ſupra ceteros aliquid præfulgere honorificentius) quas Prærogatiuas appellant, quibus à Chriſto honoratus fuit, quas quidem Cardinalis Bellarminus, miræ eruditionis, & eximiæ pietatis vir, diligentiſſime conſcripſit. ex cuius ſcriptis hæc nos ſumpſimus.

Præcipuæ, & præcellentes Prærogatiuæ, quæ in Diuo Petro præfulgebant, Romanã, & Catholicam Eccleſiam gubernaturo, ex Controuerſijs Cardinalis Bellarmini excerptæ.

Cap. 524.

PRima Petri prærogatiua eſt mutatio nominis: Nam ait Dominus Petro: Tu es Simon filius Iona: tu vocaberis Cephas. Deus autem nunquam imponit noua nomina, niſi maximis de cauſis, & ad ſignificanda priuilegia conceſſa eis, quibus nomina mutantur. Ita Abrahamum, cum diceretur Abram, ideſt, pater excelſus, dici voluit Abraham, ideſt, patrem multitudinis, vt eo nomine ſignificaret hominem illum, qui iam ſenex erat, & vxorem anum, & ſterilem habebat, tamen ex dono Dei ſic immutandum, vt fieret pater plurimorum filiorum, vel potius gentium, & populorum. *Ioan. 1. Card. Bellarm. de Rom. Pont. l. 1. c. 17. Chryſoſt. in Ioan. c. 1. Geneſ. 17.*

Eſt autem duplex prærogatiua in hac mutatione nominis Simonis in nomen Petri. Vna, quod ſoli Petro ex omnibus Apoſtolis nomen mutauerit: Nam etſi impoſuit nomen filijs Zebedæi, Boanerges, tamen fuit illud potius quoddam cognomen, quàm proprium nomen. *Marc. 3.*

Itaque nuſquam poſtea ab Euangeliſtis vocantur Boanerges, ſed tantum Iacobus, & Ioannes, vt antea vocabantur. At Petrus deinceps ferè ſemper vocatur Petrus, & Paulus Petrum ſæpe nominat, & nunquam aliter, quàm Petrum, aut Cepham, quod eſt idem; Ioannem autem ſæpe quidem nominat, ſed Ioannem perpetuo, nunquam Boanerges. *Gal. 1.*

Altera eſt, quod tale nomen ei dederit. Nam Syriacè Cephas ſignificat petra, vt Hieronymus teſtatur: Græcè autem ſignificat, caput, vt contra Parmenianum annotauit Optatus. *Hier. in ep. ad Gal. c. 2.*

Ac demum vnum eſt ex celeberrimis Chriſti nominibus. Nihil enim frequentius in ſcripturis Chriſtus appellatur, quàm petra, vt patet ex Iſaia, Daniele, Pſalmis, Matthæo, & Paulo, & Petro ipſo, & alibi. *Optat. li. 2. cõtra Parmen.*

Chriſtus ergo cum ſolo Petro ſuum ipſius nomen communicans, & nomen illud, quo ipſe ſignificatur, vt fundamentum, & caput Eccleſiæ vniuerſæ, quid aliud indicare voluit, quàm ſe facere Petrum fundamentum, & caput Eccleſiæ loco ſuo? *Iſai. 8. & 28. Daniel. 2. Pſal. 117. Matth. 21.*

Idque rectè B. Leo ad Epiſcopos Viennenſis prouinciæ: Hunc, inquit, inconſortium indiuiduæ vnitatis aſſumptum, id quod ipſe erat, voluit nominari, dicendo: Tu es Petrus, &c. & in ſermone de anniuerſario die aſſumptionis ſuæ ad Pontificatum, ita Chriſtum loquentem ad Petrum introducit: Sicut meus pater tibi manifeſtauit diuinitatem meam, ità & ego tibi notam facio excellentiam tuam, quia tu es Petrus, ideſt, cum ego ſim inuiolabilis petra, ego lapis angularis, qui facio vtraque vnum, ego fundamentum, præter quod nemo poteſt aliud ponere: tamen tu quoque petra es, quia mea virtute ſolidaris, vt quæ mihi poteſtate ſunt propria, ſint tibi mecum participatione communia. *Rom. 9. 1. Cor. 10. Epheſ. 2. 1. Pet. 2. S. Leo epiſt. 89. Serm. 2.*

Expli-

Explicatur ſecunda prærogatiua, ex modo quo ab Euangeliſtis Apoſtoli numerantur. Cap. 525.

Matth. 10. ALtera Petri prærogatiua eſt, quod cum ab Euangeliſtis nominatur Apo-
ſtoli, vel omnes, vel aliqui, ſemper primo loco ponitur Petrus. Duo-
Marc. 3. decim autem Apoſtolorum nomina ſunt hæc, primus Simon, qui dicitur Pe-
Luc. 6. trus &c. quod non caſu, ſed diuino conſilio, factum eſt, vt ſcilicet pro-
Act. 1. pter gradum, & auctoritatem, ad quam aſſumpſerat eum Chriſtus, iure, &
merito diceretur primus.

Neque vero Petrus ſolum primo loco ponitur, & primus vocatur, ſed
etiam paſſim in ſcripturis deſcribitur, vt paterfamilias, vt Dux, & Prin-
Apocal. 12. ceps reliquorum. Nam quemadmodum in Apocal. dicitur. Michael, &
Marc. 1. Angeli eius, ideſt, dux, & milites eius: Ita dicitur apud Euangeliſtas: & pro-
Luc. 8. & ſecutus eſt eum Simon, & qui cum eo erant: & dicitur: Petrus, & qui
9. cum illo erant: Petrus vero, & qui cum illo erant: Dicite diſcipulis eius,
Marc. 16. & Petro: Stans Petrus cum vndecim: Dixerunt ad Petrum, & ad reli-
Act. 2. & quos Apoſtolos. Petrus, & Apoſtoli dixerunt: Nunquid non habemus po-
5. teſtatem ſororem mulierem circumducendi, ſicut ceteri Apoſtoli, & fra-
1. cor. 9. tres Domini, & Cephas? An, quæſo, Cephas non erat diſcipulus? non
erat Apoſtolus? cur ergo dicitur, Petrus, & Apoſtoli? diſcipulis, & Petro?
Apoſtoli, & Cephas? niſi quia Petrus Princeps, & caput aliorum erat?

Matth. 19. Pertinet autem ad hæc, quod Petrus ferè ſemper loquitur nomine om-
Luc. 12. nium: Ecce nos reliquimus omnia. Ad nos dicis hanc parabolam, an ad
Io. 6. omnes? Domine, ad quem ibimus? In quem locum Cyrillus ita ſcribit,
Chry. hom. Per vnum, qui præerat, omnes, reſpondent. Hinc etiam Chryſoſtomus
55. in Mat. Petrum vocat os Apoſtolorum.

Eplicantur quatuor alia prærogatiua ex Euangelio S. Matthæi. Cap. 526.

Matth. 14. TErtia prærogatiua eſt, nam ſolus Petrus vnà cum Domino ambulat ſu-
Bernard. de per aquas, qua de re S. Bernardus: Inſtar Domini (inquit) gradiens
conſid. l. 2. ſuper aquas, vnicum ſe Chriſti vicarium deſignauit, qui non vni populo, ſed
Ioan. 21. cunctis præeſſe deberet. Si quidem aquæ multæ, populi multi. Similiter &
ceteris diſcipulis in nauicula venientibus ad Dominum, qui in littore ex-
pectabat, Petrus ſe miſit in mare, & natando venit. De quo idem Bernar.
Quid iſtud? nempe, ſignum ſingularis Pontificij Petri, per quod non nauem
vnam, vt ceteri quiſque ſuam, ſed ſeculum ipſum ſuſceperit gubernan-
dum. Mare enim ſeculum eſt, naues Eccleſiæ.

Quarta prærogatiua eſt illa peculiaris reuelatio facta ſoli Petro, qui diui-
Matth. 16. nitus illuminatus reſpondit Chriſto: Tu es Chriſtus filius Dei viui. Inſigne
enim priuilegium eſt, quod Petrus primus omnium Apoſtolorum à Deo
edoctus, cognouerit ſumma myſteria noſtræ fidei, diſtinctionem videlicet
perſonarum, in Deo, & incarnationem, vt cognoſci poteſt ex magnifica
Chriſti approbatione, cum ait: Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro,
& ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui in cælis eſt: tùm etiam

ex veterum Patrum teſtimonijs.

Quinta prærogatiua eius in hoc conſiſtit, quod dictum eſt: Et portæ Inferi non præualebunt aduerſus eam. Quo verbo non ſolum promittitur perpetua ſtabilitas Eccleſiæ vniuerſæ, ſed etiam petræ, ſupra quam fundatur Eccleſia, vt notat Origenes hoc loco. Itaque ſpeciali priuilegio promiſſum eſt Petro, ſedem eius nunquam eſſe ruituram: quam promiſſionem ſi habuiſſent Apoſtoli ceteri, adhuc ſtaret ſedes Iacobi Hieroſolymis; Ioannis Epheſi; Matthæi in Aethyopia; Andreæ in Scythia: ceterùm illæ omnes paulatim manus dederunt portis inferorũ. Hinc Auguſtinus in Pſalmum: Numerate inquit, ſacerdotes, vel ab ipſa ſede Petri; ipſa eſt petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ. *Matth. 16.* *Orig. in c. 16. Matth.* *S. Aug. in Pſal. cont. part. Donat.*

Sexta eſt, vbi Dominus iubet ſolui tributum pro ſe, & Petro. Da, inquit, illis pro me, & te. Ex quibus verbis collegiſſe Apoſtolos, Petrum omnibus alijs eſſe prælatum, ſcribunt Origenes, Chryſoſtomus, & Hieronymus: & præterea Chryſoſtomus diſerte aſſerit hoc loco: Petrum omnibus alijs antepoſitum, tantoq; honore affectum, vt noluerit ipſe hoc de ſe ſcribi à diſcipulo ſuo Marco. Marcus enim in Euangelio ſuo diligentiſſimè ſcribit Petri negationem; quæ autem ad Petri gloriam maximè faciebant, aut omiſit, aut breuiſſimè perſtrinxit, cuius rei non alia poteſt reddi cauſa, niſi quia ſic Petrus voluit. *Matt. 17.* *in cap. 16. Matth.*

Explicantur aliæ tres prærogatiuæ, ex Euangelio Sancti Lucæ. Cap. 527.

SEptima prærogatiua ſumitur ex Luca & Ioan. cum recitāt duo miracula Chriſti, edita in piſcatione Petri, quorum primum manifeſte deſignat, vt monet S. Auguſtinus, Eccleſiam militantem; alterum, Eccleſiam triumphantem; nam idcirco id factum eſt ante reſurrectionem Chriſti, illud poſt Reſurrectionem. *Luc. 5.* *Io. 21.* *Aug. tract. 122. in Io.*

Item in primo retia non iaciuntur in dexteram partem tantum, nec in ſiniſtram tantum, ne ſolos bonos, aut ſolos malos ad Eccleſiam venire credamus; ſed indifferenter dicitur: Laxate retia in capturam; at in ſecundo tantum in dexteram partem nauigij iaciuntur retia, quia ſoli boni colligentur ad vitam æternam.

Præterea in primo rumpebatur rete, & nauis penè mergebatur, quod ſignificat Schiſmata, & hæreſes, & ſcandala, quæ Eccleſiam fluctuare cogunt: at in ſecundo non eſt ruptum rete, vt ipſe Euangeliſta admonuit, quaſi reſpiciens ad illam piſcationem priorem, in qua retia rumpebantur: nec nauis fluctuauit, quia in alia vita nulla erunt ſchiſmata, nec ſcandala.

Ad hæc in prima, ſine vllo numero comprehenduntur piſces, vt impleretur, quod ſcriptum eſt Pſal. 39. Annunciaui, & loquutus ſum, & multiplicati ſunt ſuper numerum: at in ſecunda nulli fuerunt ſuper numerum, ſed certus numerus C. LIII. nulli enim præter numerum electorum colligentur ad Regnum. *Pſal. 39.*

Deniquè in prima piſces introducuntur in nauem adhuc fluctuantem, in ſecunda trahuntur ad littus, quod propter ſtabilitatem, vitam immortalem, & beatam deſignat.

Iam

Iam ergo inſignis prærogatiua Petri eſt, quod in vtraque naui, & piſcatione, quæ apertiſſimè totius Eccleſiæ ſtatum ſignificant, ſemper Petrus princeps inuenitur. Nam cum vidiſſet Dominus plures nauiculas, intrauit in vnam, quæ erat Simonis, & ex ea docebat, vt intelligeremus in ea tantum Eccleſia eſſe & docere Chriſtum, cuius gubernator eſt Petrus.

Luc. 5.

Ambroſius vero: Hanc, inquit, ſolum Eccleſiæ nauem aſcendit Dominus, in qua Petrus magiſter eſt conſtitutus. Ibidem. Soli Petro dicitur: Duc in altum, & laxate retia in capturam. Vbi Petrus iubetur tanquam ſummus Nauclerus, & piſcator ducere alios ad piſcandum. Et Dominus exponens figuram, ſoli Petro dicit: Noli timere, ex hoc enim homines eris capiens. Sic etiam Petrus dicit: Vado piſcari: dicuntq. ei alij: Venimus & nos tecum. &: Aſcendit Simon Petrus, & traxit rete in terram. Quid verò ſignificatur aliud his figuris, quàm Petrum eſſe, qui homines de mundo ad fidem, & Eccleſiam militantem adducit, & qui eos regens, & gubernans, ad Eccleſiam triumphantem perducit?

Ambr. ſer. 11.

Ioan. 21.

Octaua eſt, cum Dominus ait: Simon, Simon, ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum: Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. Et tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. Quibus verbis clariſſimè Dominus oſtendit, Petrum fore Principem, & caput fratrum ſuorum. ſic enim exponunt Græci, & Latini.

Luc. 22.

Theophylactus in hunc locum: Quia te habeo, inquit, vt principem diſcipulorum, poſtquam negato me, fleueris, confirma ceteros: hoc enim te decet, qui poſt me Eccleſiæ petra es, & fundamentum. Et Leo de anniuerſario aſſumptionis ſuæ ad Pontific. Pro fide Petri. inquit, propriè ſupplicatur, tamquam aliorum ſtatus certior ſit futurus, ſi mens principis victa non fuerit.

S. Leo ſer. 3

Nona eſt, quod Chriſtus reſurgens primum omnium ex Apoſtolis Petro ſe videndum præbuerit. Colligitur id ex illis verbis. Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni. Vbi notat Ambroſius, Simoni omnium primo Chriſtum apparuiſſe ex viris: Nam ante Mariæ Magdalenæ apparuerat, vt ſcribit Marcus cap. vlt. Colligitur hoc idem & quidem apertiſſimè ex verbis S. Pauli: Tradidi, inquit, vobis inprimis, quod & accepi, quoniam Chriſtus mortuus eſt, & quia ſepultus eſt, & quia reſurrexit tertia die ſecundum ſcripturas, & quia viſus eſt Cephæ, & poſt hoc vndecim: deinde viſus eſt plusquàm quingentis fratribus: deinde viſus eſt Iacobo, deinde Apoſtolis omnibus, nouiſſimè autem omnium tamquam abortiuo viſus eſt & mihi. In quem locum Chryſoſtomus: Itaque, inquit, non omnibus initio viſus eſt, nec pluribus ſimul, ſed vni tantum, & ei Principi, & fide maximè digno. Et infra: Itaquè, inquit, Petro primum apparet, nam qui Chriſtum primus confeſſus erat, non ab re primus etiam reſurgentem videt.

Luc. 24.

1. Cor. 15.

Explicantur alia duæ ex Euangelio Sancti Ioannis. *Cap.* 528.

Decima eſt, quod Petrus primus fuit, cui Dominus pedes lauit. Vndecima eſt, quia Petro ſoli, mortem Chriſtus prædixit, & mortem crucis, vt ſicut ei nomen ſuum donauerat, & officium ſuum impoſuerat,

Auguſt. in c. 13. *Ioan.*
Ioan. 21.

fuerat, ita & in morte ſocium illum haberet: Cum ſenueris, inquit Dominus, extendes manus tuas, & alius cinget te, & ducet quò tu non vis. Hoc autem dixit, addit Euangeliſta, ſignificans qua morte clarificaturus eſſet Deum.

Deinde ibidem ſubiungit Dominus loquens ad Petrum: Sequere me: quæ verba quidam accipiunt de officio paſtorali, vt Theophylactus, qui exponit, ſequere me, qui educo te ad prædicandum, & totum Orbem in manus tuas trado. Alij accipiunt de ſimilitudine mortis, vt Euthymius, qui exponit, ſequere me, ideſt, crucem patiendo, me imitare.

Sed plenus commentarius erit, ſi vtramque ſententiam coniungamus. Cum enim Dominus oues Petro commendaſſet, & mortis genus prædixiſſet, quaſi concludens omnia vno verbo ait: Sequere me, ideſt, eſto id quod fui, & viuens, & moriens: age paſtorem animarum dum viuis, & poſtea per Crucis mortem tranſi de hoc mundo ad Patrem. Et ne ſuſpicaremur hæc dici omnibus, diſerte Dominus excludit Ioannem, qui tunc corporaliter ſequebatur: ſic eum; inquit, volo manere: quid ad te? tu me ſequere.

Explicantur aliæ nouem prærogatiuæ ex Actis Apoſtolorum, & Epiſtola ad Galatas. Cap. 529.

DVodecima prærogatiua eſt, quia Petrus tamquam paterfamilias colligit in vnum, cœtum diſcipulorum, & vnum eligendum eſſe docet in locum Iudæ. In quem locum Chryſoſtomus: Quàm, inquit, agnoſcit Petrus commiſſum ſibi gregem? quàm in hoc choro princeps eſt? Oecumenius: Surgit, inquit, Petrus, non Iacobus, vt is, cui præſidentia diſcipulorum commiſſa erat. Neque vllus orationi Petri contradixit, ſed mox ad eius præceptum conſtituerunt duos, quos digniſſimos eo gradu exiſtimabant, vt vnum eorum Deus ipſe deſignaret. *Act. 1.*

Decima tertia eſt, quia poſt acceptum Spiritum ſanctum, Petrus omnium primus promulgat Euangelium, & prima illa concione tria millia hominum conuertit. Vbi Chryſoſtomus: Petrus, inquit, omnium erat os, ſed aſtabant illi vndecim, teſtimonio ſuo comprobantes ea, quæ ab illo dicebantur. *Act. 2.*

Decima quarta eſt, quia primum miraculum in teſtimonium fidei à Petro fit. Etſi enim Petrus, & Ioannes ſimul erant, tamen ſolus Petrus dixit claudo: Aurum & argentum non eſt mihi; quod autem habeo, hoc tibi do, &c. Notat pulchrè Ambroſius merito Petrum primum miraculum ediddiſſe in pedum confirmatione, vt oſtenderet ſe fundamentum eſſe totius Eccleſiæ. *Act. 3.* *Ambr. ſer. 69.*

Decima quinta eſt, vbi Petrus tamquam ſummus & diuinus Iudex agnouit, & damnauit hypocriſim, & fraudem Ananiæ, & Saphiræ, & eos verbo ſuo occidit. *Act. 5.*

Decima ſexta eſt, quia factum eſt, cum Petrus tranſiret per omnes. In quem locum Chryſoſtomus: Quemadmodum, inquit, dux in exercitu obambulans conſiderabat, quæ pars ſit coadunata, quæ ornata, quæ ſuo aduentu egeat, vides vbique illum circumcurſare & primum inueniri. *Act. 9.*

Decima ſeptima eſt, quia Petrus omnium primus incipit prædicare *Act. 10.*

gentibus, ſicut ipſe omnium primus prædicauerat Iudæis. Et ſoli ipſi viſio illa oſtenſa eſt, qua monebatur tempus eſſe prædicandi Gentilibus. Vbi etiam pulchrè dicitur ei: Macta, & manduca. Nam capitis eſt manducare, & per manducationem traijcere cibum in ſtomachum, & illum ſibi incorporare. Significatur enim hac metaphora, Petro conuenire, vt ipſe tamquam caput Eccleſiæ, infideles conuertat, & efficiat membra Eccleſiæ.

Act.8. *Act.9.* Quod ſi Philippus prius conuerterat Ethnicum hominem, Eunuchum videlicet Reginæ Aethyopum; & Paulus loquebatur gentibus, & diſputabat cum Græcis.

Act.15. Aduertendum eſt Eunuchum illum fuiſſe proſelytum, ideſt, iam conuerſum ad Iudaiſmum, non autem planè gentilem, vt erat Cornelius. Nam Petrus non mentitur, cum indicat ſe primum prædicaſſe gentibus.

Act.11. *Act.8.* Et illi, qui diſperſi fuerant à tribulatione, quæ facta eſt ſub Stephano, perambulauerunt varias Regiones euangelizando, nemini loquentes verbum, niſi ſolis Iudæis: Vnum autem ex his fuiſſe Philippum, patet ex Actis.

Adde quod iſte Eunuchus ibat in Hieruſalem ad Templum, & Iſaiam in curru legebat, quæ ſunt aperta ſigna Iudaiſmi.

Denique Hieronymus in Epiſtola ad Saluinam de Cornelio loquens: Primus, inquit, vnde initium ſit gentium? à viro pio qui operibus dignus eſt habitus. Quod ſi aliquando Patres dicunt, Eunuchum illum, quem baptizauit Philippus, fuiſſe gentilem, intelligunt natione, non religione.

De Paulo autem ſecundum Græcos codices nulla eſt difficultas: Non enim eſt in Græco illud: loquebatur gentibus, ſed tantum eſt, loquebatur, & diſputabat aduerſus Græcos. Græcos autem hic vocat Iudæos in Græcia natos & Græcè loquentes, vt indicant Chryſoſtomus, & Oecumenius: nec eſt veriſimile Paulum prædicaſſe gentilibus in ipſa Hieruſalem, & nullum rumorem excitatum ab Hebræis, qui poſtea tàm vehementer in Petrum inſurgebant, quia prædicauerat Cornelio.

Quia tamen Latini codices habent: Loquebatur gentibus, & diſputabat cum Græcis: dici poteſt eum loquutum eſſe ac diſputaſſe cum gentilibus; non eos ad fidem pertrahendo, ſed fidem ab eorum calumnijs defendendo. Itaq. ibidem Lucas ſubiungit, non aliquos eſſe conuerſos, ſed odium adeo graue in Paulum excitatum, vt quæſierint eum interficere. Primus ergo Pater tàm Iudæorum, quàm Gentilium, Petrus fuit.

Act.15. Decima octaua eſt, quando pro Petro in carcere conſtituto oratio fiebat ſine intermiſſione pro eo ab Eccleſia. Vnde etiam inſigni miraculo liberatus eſt. Scimus ante illud tempus Stephanum in periculo fuiſſe, & poſtea etiam lapidatum; item Iacobum in eodem carcere conſtitutum, & poſtea interfectum; nec tamen legimus ita ſine intermiſſione ab Eccleſia pro illis oratum, vt nunc pro Petri periculo factum eſt. Quæ autē poteſt alia ratio aſſignari, niſi quia multum intereſt, vtrum membrum vnum, an caput ipſum periclitetur? Itaq. Chryſoſtomus in hunc locum: Magni, inquit, amoris indicium, oratio: Patrem omnes quærebant, &c.

Act.12. Decimanona eſt, quoniam Petrus in Concilio primus loquitur, & ſenten-

tentiam eius Iacobus, omneſq. alij ſequuntur, vt Hieronymus docet; & Theodoretus in epiſtola ad Leonem de eadem re, ſic loquitur: Paulus, inquit, præco veritatis, tuba ſanctiſſimi ſpiritus, ad magnum Petrum cucurrit, vt ijs, qui Antiochiæ de legalibus inſtitutis contendebant, ab ipſo afferret ſolutionem. *Hieron. ad Aug. ep. 11 inter epiſt. Aug.*

Vigeſima eſt ad Galatas, vbi Paulus dicit: Poſt annos tres aſcendi Hieroſolymam videre Petrum. Os enim erat Apoſtolorum, & princeps, propterea & Paulus eum præter alios viſurus aſcendit. Ambroſius in cap. 1. ad Galatas. Dignum fuit, inquit, vt cuperet videre Petrum, quia primus erat inter Apoſtolos, cui delegauerat Saluator curam Eccleſiarum. & Hieronymus: Tantæ Petrus auctoritatis fuit, vt Paulus in epiſtola ſua ſcripſerit; deinde poſt annos tres veni Hieroſolymam videre Petrum. *Gal. 1. Chryſ. ho. 87. in Io. Ambr. c. 1. ad Gal. Hier. epiſt. ſupradicta.*

Proponuntur aliæ prærogatiuæ ex varijs Auctoribus. Cap. 530.

HAe ſunt prærogatiuæ ſingulares, quæ ex diuinis litteris colliguntur: nunc ſubijcientur aliæ, quæ ex varijs Auctoribus decerptæ ſunt.

Igitur vigeſima prima prærogatiua eſt, quod Chriſtus ſuis manibus ſolum Petrum baptizauerit. Scribit enim Euodius, Petri ſucceſſor in Epiſcopatu Antiocheno, in epiſtola quæ inſcribitur φῶς, à Chriſto ex mulieribus ſolam Virginem matrem ſuam: ex viris baptizatum ſolum Petrum; à Petro Andream, Iacobum, & Ioannem: ab ijs ceteros. Id quod referunt Euthymius, & Nicephorus. *Euthym. in c. 3. Io. & Niceph. li. 2 hiſt. c. 3.*

Vigeſima ſecunda eſt, quod ſolus Petrus à Chriſto Epiſcopus ordinatus fuerit, ceteri autem à Petro Epiſcopalem conſecrationem acceperint. Id quod probat Ioannes de Turrecremata multis rationibus. *Io. Turrec. lib. 2. ſum. de eccl. c. 32.*

Vigeſima tertia eſt, quod Petrus primum Hæreſiarcham, & Principem, ac Patrem omnium Hæreticorum, qui poſtea fuerunt, Simonem videlicet Magum, primus detexit, & poſtea damnauit, & planè extinxit. Decuit enim omnino, vt princeps, & pater Eccleſiæ principem & patrem omnium Hæreticorum ſuperaret. Simonem autem patrem fuiſſe omnium Hæreticorum ſcribit Irenæus, atque alij plurimi ex patribus. *Act. 8. Iren. lib. 1. cap. 20. & initio lib. 3.*

Vigeſima quarta eſt, quod Romæ potiſſimum Petrus ſedem ſuam diuino iuſſu collocauerit. Signum enim apertum principatus Petri eſſe videtur, quod cum Apoſtoli ab eo in totum Orbem mitterentur, Petrus ad ipſum Orbis terrarum caput, & Vrbium Reginam miſſus ſit. Id quod etiam docet Leo ſerm. 1. de natali Sanctorum Petri & Pauli: Nam, inquit, cum duodecim Apoſtoli, accepta per Spiritum ſanctum omnium loquutione linguarum, imbuendum Euangelio mundum, diſtributis ſibi terrarum partibus, ſuſcepiſſent, Beatiſſimus Petrus Princeps Apoſtolici ordinis ad Arcem Romani deſtinatur Imperij, vt lex veritatis, quæ in omnium gentium reuelabatur ſalutem, efficacius ſe ab ipſo capite per totum mundi corpus effunderet.

Vigeſima quinta eſt, quod ſub finem vitæ Petri, Chriſtus ipſe Petro apparere, & roganti: Domine quo vadis? reſpondere dignatus ſit: Venio Romam iterum crucifigi. Id Egeſippus, & Ambroſius teſtantur: Nocte, inquit Ambroſius, muro erigi cæpit, & videns ſibi in porta Chriſtum occurrere, Vrbemq. ingredi, ait: Domine, quo vadis? Reſpondit Chriſtus: Venio Romam iterum crucifigi: Intellexit Petrus ad ſuam crucem diuinum pertinere reſponſum.

Egeſip. li. 3. de excid. Hieroſ. c. 2. Amb. in or. con. Auxēt.

Indicat etiam hoc Athanaſius, licet obſcurius, cùm in Apologia pro fuga ſua, de Petro ait: Cum audiſſet oportere ſe Romæ martyrium ſubire, non abiecit eam profectionem, ſed cum gaudio Romam venit.

Denique idem refert ſanctus Gregorius: Petro, inquit, venio Romam iterum crucifigi: qui enim in ipſo iam pridem crucifixus fuerat, in Petro iterum ſe crucifigendum dicebat. Quid autem ſignificare voluit Dominus, cum ait, in Petri crucifixione ſe iterum crucifigi, niſi Petrum ſuum eſſe Vicarium, & quod Petro fit, ſibiipſi fieri? Sic enim ante Samueli dixerat. 1. Reg. 8. Non te abiecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos.

Greg. in explic. 4. Pſal. pænit.

Tres vltimæ prærogatiuæ in medium adferuntur.

Cap. 531.

Vigeſima ſexta prærogatiua eſt, quod ſolæ illæ Eccleſiæ ſemper ſint habitæ Patriarchales, & primæ, quas Petrus fundauerat. Siquidem apud veteres tres Eccleſias tantum fuiſſe propriè Patriarchales, & primas, Romanam, Alexandrinam, & Antiochenam, patet ex Concilio Nicæno, ex Chalcedonenſi, ex Anacleto, ex Leone ad Anaſtaſium, & ex Gregorio ad Eulogium.

Conc. Nic. cano. 6. & Chalce. act. 16. ex epiſt. 3. Anaclet. epiſt. 53. Leonis ad Anathol. et ex Greg. ad Eulog. epiſ. 37. lib. 6.

Porrò Hieroſolymitana per annos ferè quingentos habita quidem eſt quarta Patriarchalis, ſed nomine, non re; ſeu honore, non poteſtate. Nam Patriarcha Alexandrinus non ſolum ſecundo loco ſedebat in Concilijs, ſed etiam verè præerat omnibus Archiepiſcopis, & Epiſcopis Aegypti & Lybiæ: & Antiochenus non ſolum ſedebat tertio loco, ſed etiam præerat omnibus Archiepiſcopis & Epiſcopis Orientis: at Hieroſolymitanus ſedebat quarto loco, ſed nulli Archiepiſcopo, vel Epiſcopo præerat, imò ſubiectus erat Archiepiſcopo Cæſarienſi, qui erat Metropolitanus Paleſthinæ, & præterea Patriarchæ Antiocheno, qui vt diximus, toti Orienti præſidebat.

Vera igitur, & ſola cauſa illius numeri Patriarchalium Sedium, eſt dignitas Petri. Solæ enim illæ Eccleſiæ habitæ ſunt Patriarchales propriè, in quibus Petrus tamquam Epiſcopus ſedit. Petrus autem Antiochiæ, & Romæ per ſeipſum ſedit, Alexandriæ autem ſedit, vel per ſe, vt Nicephorus teſtatur; vel per diſcipulum ſuum Marcum, quem eò miſit, vt nomine ſuo fundaret Eccleſiam, vt docet Diuus Gregorius: Cum, inquit, multi ſint Apoſtoli, pro ipſo tamen principatu Apoſtolorum

Niceph. lib. 14. c. 3. D. Greg. li. 6. ep. 37. ad Eulo. Alex.

Principis ſedes in auctoritate conualuit, quæ in tribus locis, vnius eſt. Ipſe enim ſublimauit ſedem, in qua etiam quieſcere & præſentem vitam finire dignatus eſt: ipſe decorauit ſedem, in qua Euangeliſtam diſcipulum miſit: ipſe firmauit ſedem, in qua ſeptem annis quamuis diſceſſurus ſedit. cum ergo vnius atque vna ſit ſedes, cui, ex auctoritate diuina tres nunc Epiſcopi præſident, quicquid ego de vobis boni audio, hoc mihi imputo. Ibidem ait: Ille mihi de Petri Cathedra loquutus eſt, qui ſuper Petri Cathedram ſedet, &c. Vbi affirmat Epiſcopum Alexandrinum ſuper Cathedram Petri ſedere, quia nimirum nomine Petri, Alexandriæ Marcus primus Epiſcopus ſedit.

Item Anacletus: Secunda, inquit, Sedes apud Alexandriam B. Petri nomine à Marco eius diſcipulo conſecrata eſt. Tertia autem Sedes apud Antiochiam eiuſdem B. Petri Apoſtoli nomine habetur honorabilis. Hæc ergo eſt ratio numeri harum ſedium. Ratio autem ordinis eſt, quia cum omnes tres ſint Sedes Petri, tamen Romanam per ſe vſque ad mortem adminiſtrauit, Alexandrinam per Marcum Euangeliſtam, Antiochenam per Euodium. *Anaclet. epiſt. 3.*

Sicut ergo maior eſt Petrus Apoſtolus Marco Euangeliſta, & Marcus Euangeliſta Euodio, qui neque Apoſtolus, neque Euangeliſta fuit; ita quoque Romana Eccleſia Alexandrinam, & Alexandrina Antiochenam auctoritate, & dignitate ſuperat.

Et quamquam non eſt negandum, quin Petrus in his ſedibus eligendis habuerit etiam rationem magnitudinis & nobilitatis Vrbium, vt D. Leo docet circa finem: tamen (vt dictum eſt) propria & immediata cauſa honoris & poteſtatis harum ſedium fuit primatus & dignitas Petri. *S. Leo epiſt. 84. ad Anaſtaſ.*

Vigeſima ſeptima eſt, Feſtum Cathedræ Petri. Nam quod publicè in Eccleſia celebratur dies feſtus in honorem inſtitutionis Epiſcopatus Petri, & nihil tale fiat pro ſedibus aliorum Apoſtolorum, argumentum eſt, ſedem Petri ſingulariter præſtare omnibus alijs, imò ipſam eſſe ſolam, & ſingularem Cathedram, ex quo totus Mundus doceri debeat, vt Optatus ait contra Parmenianum. Eſſe autem vetuſtiſſimum feſtũ Cathedræ B. Petri, facilè poteſt tùm ex Martyrologio Bedæ, tùm ex eo ſermone cognoſci, quem habuit S. Auguſtinus ad populum. *Optat. li. 2. cont. Parmenian.* *S. Aug. ſer. 15. de ſanctis.*

Vigeſima octaua prærogatiua eſt, quod in litteris formatis antiquis poſt nomen Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, nomen Apoſtolorum principis adiungebant. Scribit Atticus Epiſcopus, vt ad finem Concilij Chalcedonenſis legitur in hunc modum: Ne in faciendis epiſtolis Canonicis, quas mos Latinus formatas appellat, aliqua fraus falſitatis temerè præſumeretur, hoc à Patribus trecentis decem & octo congregatis ſaluberrimè inuentum eſt, & conſtitutum, vt formatæ Epiſtolæ hanc calculationis, ſeu ſupputationis habeant rationem, ideſt, vt aſſumantur in ſupputationem prima Græca elementa Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, hoc eſt, π, υ, α, quæ elementa octogenarium, quadringenteſimum, & primum ſignificant numerum. Petri quoque Apoſtoli prima littera, ideſt, π, quæ numerum lxxx. ſignificat. Eius quoque qui ſcripſit Epiſtolam, prima littera: cui ſcribitur, ſecunda littera: accipientis, tertia littera: ciuitatis quoque, de qua ſcribitur, quarta: & indictionis, quæcunque eſt, temporis idem, qui fuit numerus, aſſumatur, atque ita his omnibus Græcis litteris, quæ, vt diximus, numeros exprimunt, in vnũ ductis, vnam quæcunque fuerit collecta ſummam, epiſtola teneat. Hæc ille.

Cyril. ho. 8. Theophyl. Gal. 1. Dio. Eccl. hier. c. 5. p. 197. Epiphan. in ancborat. p. 373. Marcell. in Conſ. ſub fin. Chron. Aug. lib. 1. cont. Iulia. c. 2. Greg. lib. 1. epiſt. 38. Optat. li. 2.

Nomenclatura Petri Apoſtoli. *Cap.* 432.

PAtres ijs nomenclaturis Petrum honorarunt: nam appellatus fuit ſanctorum Apoſtolorum Dux. Paulo Apoſtolo maior; Diſcipulorũ vertex, principalis Apoſtolorum Pontificumq. præſul; Apoſtolorum primus; Primum vniuerſale membrum: Paulus autem, Ioannes, & Andreas, ſingularum plebium capita: Apoſtolorum caput, atque alijs huiuſmodi.

Petrus Romam pergens, Neapolim pertranſiens, Candidam mulierem, quæ illi prima occurrit, & Aſpren ab infirmitate curat, & baptizat; ipſumq. Aſpren Neapolis Epiſcopum ordinat. *Cap.* 533.

Ex Neapol. Vrbis antiq. monimentis.

PRinceps Apoſtolorum Simon Petrus Antiochenſi fundata Eccleſia Romã accedens (venit autem Romam Chriſti anno 44. Claudij Imperatoris ſecundo, cum Antiochiæ ſeptem ſediſſet annos) ad mœnia Vrbis Neapolitanæ tranſeundo peruenit, vbi longo fatigatus itinere quieſcens paululùm (quod & Saluatorem feciſſe legimus) quandam Mulierculam ſenem tranſire conſpexit: quam ad ſe vocatam percontatur, ſi ipſa Ciuis eſſet Ciuitatis ipſius, & quo nomine vocitetur? cui reſpondit ſe Ciuem eſſe, & Candidam nominari, & cum eam de ſtatu & qualitate Ciuium rogaſſet, Chriſtum mox euangelizare cæpit eidem, adaperiens (pergunt Acta) quomodo propter trãſgreſſionem primi parentis, & homines in captiuitatem Diaboli deditos, Deus de Virgine naſcens factus eſt homo, vt diſruptis vinculis ſeruitutis, erroris humani laqueos ſolueret, ſigna & prodigia Chriſti viſa per eum narrans eidem; Ne mireris, ſi audias Petrum Chriſti fidem ante alios mulieri prædicaſſe, cum in actibus Apoſtolorum ſcriptum ſit Paulum Apoſtolum vbi Philippos peruenit, mulieribus primum Chriſtum annunciare cæpiſſe, non viris. Die autem Sabbatorum, inquit beatus Lucas, egreſſi ſumus foras portam iuxta flumen, vbi videbatur eſſe oratio, & ſedentes loquebamur mulieribus, quæ conuenerant &c. Pergunt verò Acta.

Ad quod dictum Petri vetula ſilentium rumpens ait: Tenebo certa & credam indubia, ſi eius quæ tantis effers præconijs nomine inuocato, ſolutis doloribus meis (morbo enim laborabat) plenè mihi fuerit ſoſpitas reſtituta.

Tunc Petrus: Chriſti nomine inuocato, inquit, tibi qui hanc crucias vetulam impie morbe, peſtifer, effuge, euaneſce, & euacuare in nihilum, illius nomini dans honorem, cui eſt cum Patre, & viuifico flamine par virtus, æqualis honor, maieſtas eadem per omnia ſecula ſeculorum:

Cumq. Chriſticolæ ſecuti Petri veſtigia ab Antiochenis finibus reſpondiſſent, Amen: Vetula protinus ſanata eſt: & miratur tàm repente ſeſe tàm ſubito innouatam, & alteram factam ex altera: Credidit mulier, & regenerantis liquoris baptiſmi rore perfunditur ſalutari. De ſancta Candida in Romano Martyrologio pridie nonas Septembris hæc leguntur. Neapoli in Campania ſanctæ Candidæ ſenioris (alia enim eiuſdem nominis Mauritij Imperatoris tempore ibidem floruit) quæ à ſancto Petro ad eam Vrbẽ venienti

prima occurrit, atque ab eo baptizata, poſtea ſancto fine quieuit. At redeamus ad Acta: Et dicit mulier Petro. Habeo amiciſſimum quendam nomine Aſpren, atrociſſimo morbo quaſſatum, hominem benignum, pium, modeſtum, ſobrium, & religioſum (ſi in gentilitate, hoc eſt in Idola colentibus eſſe, vel dici religioſus quomodolibet poteſt) qui ſi ſanari per te poterit, fidem, quam prædicas, ſtatim recipiet, eiuſq. aſſertor idoneus, defenſor robuſtus, & propugnator exiſtet.

Tunc Petrus vetulæ dixit: Vade properè, & manu apprehenſa Aſpren, dicas ei: Petrus Ieſu Chriſti in Iudæa Crucifixi diſcipulus, mandat tibi, vt ægritudine vaneſcente ad ſanitatem priſtinam continuò reformeris: Veniens mulier ad Aſpren, vix præcepta Petri complens è veſtigio eſt ſanatus.

Vt hoc facilius credas, à S. Petro per mulierem nuper conuerſam, ægrum ſanitati reſtitutum eſſe, meminiſſe velim quod de Gregorio Thaumaturgo ſcribit Nyſſenus, dum ait, ipſum per Dæmonum Aedituum ipſis Dæmonibus imperaſſe, ex quo factum eſt, vt Aedituus conuerteretur; & ſi recens exemplum velis, habes illud in vita Xauerij, qui energumenos, & ægros per pueros ſanaſſe dicitur. *Nyſſen. in Thaumaturgo c. 8.*

Confeſtim autem (ſequuntur acta) ſurgit Aſpren, ad Simonem tandem venit, & humi proſtratus Petri pedes oſculatus eſt. Aperit os ſuum, Petrus catechizat Aſpren, & baptizat, & de Chriſti Religionis doctrina informat: Cæpit Aſpren Magiſtri ſui cooperator eſſe, & ad clamationem nominis Saluatoris ſigna, & prodigia facere, cæcos illuminare, claudos conſolidare, aliosq. infirmos & debiles confortare.

Conquiſita Neapoli Chriſto Domino (quod multi ſcilicet Chriſti fidem amplexi eſſent) Romam Petrus ire decreuit; ſed ad preces Neapolitanæ plebis, Apoſtolus, Aſpren Neapolitanam præſulem conſecrauit.

Petrus Romanam Eccleſiam inſtituit. Cap. 534.

ANno à Chriſto nato quadrageſimo quinto, Claudio Auguſto tertium, & L. Vitellio Coſſ. durante tamen adhuc anno ſecundo eiuſdem Claudij Imperij, decimoquinto Kal. Februarij à Petro Apoſtolorum Principe Romana Eccleſia inſtituitur, ac ſedes in ea Pontificia erigitur. Ea quippe dies in tantæ rei perennem memoriam anniuerſaria celebritate conſueuit antiquitus celebrari: qui quidem priſtinus vſus non in Vrbe tantum, ſed & vniuerſo Chriſtiano Orbe in annos ſingulos repetitus (licet interdum alicubi prætermiſſus, ſed reſtitutus) in hodiernum vſque ſanctiſſimè perſeuerat. In antiquis enim Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Ritualibus libris hæ preces ea die recitari ſolitæ erant: Omnipotens ſempiterne Deus, qui ineffabili ſacramento Apoſtolo tuo Petro Principatum Romæ Vrbis tribuiſti, vnde ſe Euangelica veritas per tota Mundi Regna diffunderet: præſta quæſumus, vt quod in Orbem terrarum eius prædicatione manauit, vniuerſitas Chriſtiana deuotione ſequatur. Inerat & propria ſacra Præfatiò ad eius diei ſolemnitatem accommodata, in ſacris Miſſis ſolita recitari. Antiquiora quoque Martyrologia eiuſdem rei pleniſſimam fidem adſtruunt: ac denique Sanctorum Patrum conciones, quas in eiuſdem diei celebritate in Eccleſia perorarunt, tantæ rei egregia monumenta, celeberrimum fuiſſe eiuſce diei ſacræ cultum *Dio. li. 60. Pauli Papæ IV. diplom. In ſacram. S. Gregor. Aug. ſer. 15 16. de SS. & aliis.*

apud omnes Chriſtianos, indicant. Vniuerſali enim Eccleſiæ conſuetudine antiquitus præſcriptum eſt, vt eius diei, qua quis alicui ſedi fuerat præfectus Epiſcopus, anniuerſaria ſolemnitas ageretur: eundemq. morem tàm in Orientali, quàm etiam in Occidentali Eccleſia viguiſſe, plurima de eo ſcripta exempla teſtantur. Sed qua die vniuerſalis Eccleſiæ Epiſcopus Sedi Romanæ præficitur, eadem ab vniuerſis quoque Eccleſijs meritò celebratur.

Baron. ad Martyrol. Rom. die 18 Januar.

De Cathedra lignea Petri, & aliorum Epiſcoporum. Cap. 535.

CEterùm ipſa prima Pontificia Sedes Petri, Cathedra inquam lignea, dignum planè tantæ rei, eximiumq. monumentum, quàmplurimis ſemper miraculis illuſtrata, à maioribus aſſeruata in eiuſdem Petri Baſilica Vaticana recondita hactenus cuſtoditur, & certis diebus populo viſenda exponitur. Conſueuerunt maiores, tanti memores beneficij, quod Apoſtolica prædicatione è tenebris, quibus erant offuſi, ad lucem planè diuinam euecti eſſent, etiam ipſas ſedes ligneas, quibus Apoſtoli inſediſſent, ſumma omniũ diligentia cuſtoditas veneratione proſequi: fit ſatis ad eius rei exemplum Hieroſolymorum Eccleſia, quæ licet tot, tantisq. Iudæorum cafibus exagitata; tamen ſedem ipſam, cui ipſorum primus Epiſcopus Iacobus inſedit, vſque ad Conſtantini tempora integram eſſe ſeruatam, eſt auctor Euſebius. Idipſum de ſede Marci Alexandriæ factum eſſe. Nec tamen illud de his dicere prætcrimus, quæ ad hanc rem etiam ſpectare videntur, maiores ſcilicet noſtros, egregios pietatis cultores, vt qui probè ſcirent loco Chriſti, quod ſæpe monet Ignatius, eſſe habendos Epiſcopos, ſedes illas, quibus illi in Eccleſia, cum ſacras Synaxes agerent, inſiderent, vt diuinum Thronum, velis egregie ornare conſueuiſſe, eaſdemq. tegere velamento. Id plane innuit Pontius Diaconus in Cypriani martyrio, cum ait: Sedile autem erat fortuito linteo tectum, vt ſub ictu paſſionis Epiſcopatus honore frueretur. Et Auguſtinus ad Maximinum Epiſcopum Donatiſtam: In futuro, inquit, iudicio nec abſides gradatæ, nec Cathedræ velatæ adhibebuntur ad defenſionē. Abſides ſanè gradatas cum dixit, ſedes Epiſcoporum ſublimiori attolli faſtigio ſolitas eſſe ſignificauit: & Pacianus Epiſcopi ſedem linteatam nominat in Epiſtola ſecunda ad Symphronium. Sed hæc ſatis ad inſinuandos antiquos Eccleſiæ mores.

Euſeb. li. 7. c. 14.

Aug. epiſt. 203.

S. Petri baculo, mortuus ſuſcitatur. Cap. 536.

HErigerus, Abbas Lobienſis, in rebus geſtis Epiſcoporum Leodienſium: Beatiſſimus, inquit, Petrus inter ceteros, quos in Gallias prædicationis gratia direxit, anno Domini quadrageſimo octauo Pontificatus ſui in Vrbe Roma anno quarto, miſit beatum Eucharium, & Valerium, & Maternum. Et paucis interpoſitis: Cumq. ad Elegiam Caſtellum veniſſent, vicum grandem ſcilicet Argentinæ Diœceſis, ſanctus Maternus defunctus eſt. Regreſſis ergo duobus ſocijs Romam, admonitione beati Petri ad corpus ſocij reuerſi, ipſum ſancti Petri baculo paſtorali reſuſcitatũ, quadrageſimo die defunctionis ſuæ receperunt, totidemq. annis, ſcilicet quadra-

draginta, Pontificatus poſtmodum functus eſt officio. hucuſque Herigerus; de quo ſcribit Sigebertus in hæc verba.

Herigerus Abbas Lobienſis, litterali ſcientia clarus, ſcripſit geſta Pontificum Leodienſium, ſcripſit metrico ſtylo laudabiliter vitam S. Vſmari; ſcripſit ad Agonem epiſtolam de quibuſdam quæſtionibus. hæc & alia Sigebertus: floruit is auctor, ſi Trithemio credimus, nongenteſimo nonageſimo. *Sigib. de illuſtr. Eccl. ſcrip. c. 138*

Petrus Romæ degens, in Galliam plures diſcipulos mittit ad prædicandum. Cap. 537.

BEatus Petrus Apoſtolus, dum Romæ verbum Dei inſtanter prædicat, audiens gentes Gallicas adhuc idolatriæ errore deluſas, plures ex diſcipulis, quos Saluator elegerat, plures etiam ex ſuis quos ipſe ſibi aſciuerat, ad prædicandum delegat; inter quos Beati Sauinianus, Potentianus, atque Albinus de illorum ſeptuaginta numero, qui à Domino deſignati fuerant, ex Domini, Petriq. imperio tranſalpinant. Senonenſem expetunt Galliæ Vrbem, præ cæteris tunc inſignem, tàm affluentia opum, quàm confluentia populorum: quò venientes hoſpitantur in vico, vno ferè milliario àb Vrbe remoto, vbi hoſpitem ſuum, nomine Victorinum, opibus affluentem cum omni domo ſua fidei imbuunt ſacramentis, futurum poſteà ſocium paſſionis. Alios quoque S. Sauinianus, dum verbum vitæ prædicat, ad fidem conuertit, & profeſſione Chriſtianitatis intitulat; Serotinum ſcilicet generoſitate ſplendidum, virum diſſertitudine linguæ præcipuum: quos etiam quia in Dei opere fore ſtrenuos præuidebat, officio Diaconatus exornat. Erat autem in prædicto vico antiquiſſimum ſacellum, idolis dedicatum, quod ſanctus Præſul cum ſocijs, ab omnibus emundat ſpurcitijs; & Eccleſiam in honorem conſecrat Saluatoris. Dehinc Vrbem adit, muroſq. colluſtrat, vbi dum in eminentibus ſaxis ſignum Crucis imprimit, mirum dictu, imprimenti cedit ſaxorum duritia, ità vt hodieq. ipſius impreſſionis veſtigium ſaxis appareat exaratum. Verbi diuini ſemina ſpargit in populo, & intra breue tempus innumerabilis credentium fit concurſus. Cum autem videret ex ſparſo prædicationis ſemine, plurimam fidelium meſſem exurgere, Eccleſiam conſtruit, & in honorem beatorum Apoſtolorum dedicat, quæ vſque in hodiernum diem dicitur S. Petri viui Eccleſia, eo quod ipſo fuerit viuente conſtructa. Sanè prouidens B. Pontifex, quia Ciuitates finitimas adhuc error idolatriæ teneret implicitas, reuelatione præmonitus ſocios conuocat, & præcipit, vt loca vicina peragrent, & gentes inſtruant, vt per eos in errorum tenebris ſplendeſcat notitia veritatis. *Chronolog. Monac. Altiſiod. ætat. 6.*

Romana Cathedra fundata, Petrus ceſſit Eccleſiæ Antiochenæ. Cap. 538.

SAnctus itaque Petrus, vbi Romanam Sedem inſtituit, Antiochenæ mox ceſſit; cui alium dedit Epiſcopum, Euodium ſcilicet diſcipulum ſuum, cuius ordinationem electionemq. in tertium Claudij annum, Chriſti vero quadrageſimum quintum Euſebius, vt in eius Chronico videre eſt, refert: *Ignat. ep. 12 Euſeb. hiſt. lib. 3. c. 16.*

ex his itaque, quæ ex Euſebio citata ſunt, ni fallor, apparet, ſanctum Petrum non prius ſe ab Antiochena Eccleſia abdicaſſe, quàm Romanam inſtituit. Quod autem aliqui dicant eum, Antiochia diſceſſurus cum eſſet, ſucceſſorem ſibi Epiſcopum delegiſſe, eo ſenſu accipiendum eſſe docet Baronius, quaſi illum tunc nouum Antiochenis Epiſcopum delegiſſet, cum ſpontè eo Epiſcopatu ceſſiſſet; non enim credibile videtur, Petrum ſe ab ea Eccleſia, cum nullam haberet cauſam, abdicaſſe, niſi cum Romæ Sedem ſibi fixiſſet.

Chryſ. hom. de S. Ignat. & Metaphr. die 29. Iul.

Baron. an. 45.

De Epiſtola prima Petri Romæ ſcripta. *Cap. 539.*

PEtrus interim (Romana Eccleſia iam inſtituta, & Euodio Antiochenis in ſuum locum ſuffecto) memor qua erat in omnes charitate, pater omnium, ac Paſtor Eccleſiarum, quas in Ponto, Galatia, Cappodocia, Aſia ſcilicet minori, & Bithynia fundauerat, primam ad eas in Chriſti fide magis, magiſq. confirmandas, in hæc verba ſcribit epiſtolam.

Petrus Apoſtolus Ieſu Chriſti, electis aduenis diſperſionis Ponti, Galatiæ, Cappodociæ, Aſiæ, & Bithyniæ &c.

Didimus Alex. in c. 1 ep. 1. S. Pet. Apoſtoli.

Epiſtolam hanc primam, quam ad Hebræos ſcripſit, eſſe antiquiſſimam Patres tradiderunt, & in ijs Didimus: Poſitus, inquit, Petrus circumciſionis Apoſtolus; omnium Iudæorum habens ſtudium, ſcribit eis qui in totius Orbis diſperſione morabantur, tamquam aduenis Ciuitatum externarum, cum vtiquè nequaquam plures eorum in Iudæa conſiſterent.

Hæc Didimus, cui in eadē prorſus ſententia adhæret magnus Athanaſius: præterea qui in Petri epiſtolas commentarios compoſuerunt, idem fermè quod ij, ſentire videntur.

Lorin. in Comment. 1. Pet. ep.

Bonifacius Epiſcopus, & Martyr petijt ab Eadburga, vel Eadeburga Abbatiſſa, Regis Cantiorum affine, deſcribi ſibi litteris aureis epiſtolas Petri.

Aug. 10. de Ciu. c. 29.

Pluris Petri ſcripta Bonifacius fecit, quàm qui de Schola Platonis, vt refert Auguſtinus, cenſebat initium Euangelij Ioannis, aureis item ſcribi litteris oportere, ac per omnes Eccleſias in locis eminentiſſimis proponi. Maior ſanè habenda ratio ſcriptorum ſacrorum Petri, quàm quorum habita tanta eſt, vinculorum, gladij quo abſcidit auriculam Malcho, oſſium, ſepulchriquè. Notatu dignum, quod Stephanus Papa III. poſt litteras ad opem à Francis contra Longobardos impetrandam, ſuo nomine miſſas, alias, nomine Petri miſit Apoſtoli.

Baron. an. 755.

Baron. an. 724. n. 9. 2. Cor. 1.

De eadem Petri Epiſtola hæc habet Baronius: Quas ipſe Bonifacius ſoleret legationes precum per epiſtolas mittere ad diuerſos, ſecundū quod Apoſtolus Paulus ait: Adiuuantibus & vobis in oratione pro nobis, & ex multorum perſonis, eius, quæ in nobis eſt donationis, per multos gratiæ agantur pro nobis: docent plures eiuſmodi argumenti litteræ ad diuerſos, diuerſis temporibus datæ, & inter alias, quæ ad Eadburgam, ſiue Eadeburgam Abbatiſſam. Fuit iſta Regi Cantiorum affinis, vt quæ dicentur, ſuo loco docebunt, cuius quoque iuuabatur in extrema paupertate muneribus, & libros ſacros ad erudiendos populos accipere conſueuit, vt ipſius Bonifacij ad eam litteræ datæ declarant. Harum tres hic ſubijciamus perbreues (accepimus

pimus eas à Frontone Duceo Societatis Ieſu profeſſore, viro Eccleſiaſticarũ antiquitatum ſtudioſiſſimo: qui exſcripſit, vt ait, ex ſcripto Codice Eccleſiæ Virdunenſis, quo continentur Concilia Generalia, & Prouincialia, cuius & nos alia reperimus exemplaria) nondum (quod ſciamus) alicubi cuſas: atque primum omnium illam, qua petit ab ipſa deſcribi aureis litteris epiſtolas Petri Apoſtoli, vt à quo accepiſſet ad gentes Apoſtolatum, eius quoquè litteras prædicandas in gentibus auri nitore fulgidas, præ tanti Apoſtoli amore, ac reuerentia ſecum haberet, quod immensè amantium eſt, ita effici erga eum, quem cupit. Quanti enim fecerit culmen Apoſtolicum Petrum, iam audiſti, cum primam omnium, quam ibi inter gentes erexit Eccleſiam, voluit Petri nomine, atque memoria inſigniri: Petrus illi in ore ſemper, ſicut in mente, & in opere iugiter erat. Sed iam ab eo tunc ſcriptam perbreuem epiſtolam audiamus: ſic enim ſe habet:

Reuerendiſſimæ, ac dilectiſſimæ ſorori Eabdurgæ Abbatiſſæ, Bonifacius exiguus ſeruus ſeruorum Dei in Chriſto, optabilem charitatis ſalutem. *Eod. Cod. Ep. 31.*

Deum Omnipotentem retributorem, & remuneratorem omnium bonorum operum deprecor, vt tibi in cæleſtibus manſionibus, & in æternis tabernaculis omnium beneficiorum ſuorum, quæ mihi præſtitiſti, æternalem mercedem, & in ſuperna Curia Angelorum beatorum reſtituat. Quia ſæpè ſiue ſolamine librorum, ſiue veſtimentorum adiuuamine pietas tua triſtitiam meam conſolata eſt, ſic & adhuc precor, vt augeas, quod cœpiſti, ideſt, vt mihi cum auro conſcribas epiſtolas Domini mei S. Petri Apoſtoli, ad honorem, & reuerentiam ſanctarum ſcripturarum ante oculos carnalium in prædicando; & quia dicta eius, qui me in hoc iter direxit, maximè ſemper in præſentia cupiam habere. Ad ſcribendum hoc ergo Eobam presbyterum deſtino: fac ergo ſoror cariſſima de hac petitione noſtra, ſicut benignitas tua de cunctis precibus meis ſolebas, vt & hic opera tua ad gloriam cæleſtis patris aureis litteris fulgeant. Valere in Chriſto, & ſanctis virtutibus ad meliora conſcendenda proficere te opto.

Hanc primam Petri Epiſtolam, antequam Marcus ab eodem Petro Alexandriam mitteretur, eſſe conſcriptam, ex eo facile colligi poteſt, quod in fine mentionem habeat de ipſo Marco illis verbis:

Salutat vos, & Marcus filius meus (quod vnicè eum diligeret, filium appellat) quem hoc ipſo anno tertio Claudij, Alexandriam amandatum, Alexandrinam collegiſſe Eccleſiam, Euſebius non obſcurè demonſtrat in Chronico. Opportuna enim illa videbatur oblata occaſio aduentus Philonis Iudæi Alexandrini in Vrbem, qui ſub Caio primùm pro Iudæis Alexandrinis legatione functurus, vnà cum ſocijs Romam ſe contulit; ac iterum ſub Claudio Romam venit, quando, & gentilem ſuum Petrum Euangelium prædicantem Romæ cognouit, & familiariſſime cum ipſo verſatus eſt, vt Hieronymus his verbis declarat: Aiunt hunc ſub Caio Caligula Romæ periclitatum, quo legatus gentis ſuæ miſſus fuerat: cum ſecunda vice veniſſet ad Claudium, eadem Vrbe locutum eſſe cum Petro Apoſtolo, eiuſdemq. habuiſſe amicitias, & ob hanc cauſam etiam Marci, diſcipuli Petri, apud Alexandriam ſectatores ornaſſe laudibus ſuis. Hęc Hieronimus de Philonis cum Petro Romæ conſuetudine, ac amicitiæ vſu. Qua quidem ex re coniectura *Hieron. de ſcrip. Eccl. in Philone.*

duci-

ducimur, redeuntem Philonem Alexandriam, Marcum ſibi à Petro commendatum ſecum perduxiſſe.

Petrus igitur, ſtabilita iam Sede Romana, cum illi vniuerſi gregis cura à Domino commiſſa fuiſſet, ad ceteras Occidentalis etiam Orbis partes admouens oculos, vt apud omnes prædicatio Euangelica illuceſceret, diſcipulos, quos habebat, in diuerſas prouincias amandauit. Velut enim à Sole radij, & è fonte riui, à Sede Petri longe, lateq. fides Chriſtiana diffuſa, vbiquè eſt fœliciter propagata, vt iam ſupra abunde ſatis enarrauimus.

Marci Euangelium approbat. Cap. 540.

PEtrus vero Romæ cum eſſet, maximosq. colligeret animarum, fructus Euangelium à Marco conſcriptum ſua auctoritate confirmat. Audiamus Euſebium iſta narrantem.

Euſeb. hiſt. lib. 2. c. 14. Sic ergo cum diuinus ſermo (Petri ſcilicet) iam ad Romanos perueniſſet, veſana Simonis potentia extincta eſt, & homo ipſe actutum vna penitus profligatus. Ac tanta pietatis lux eorum mentibus, qui Petrum audiebant, affulſit, vt non eius ſermoni omnino auſcultando, non doctrinæ diuinæ prædicationis, minime ſcriptis proditæ, attendendo contenti acquieſcerent. Sed à Marco Comite (cuius Euangelium eſſe fertur) multis varijsq. vocibus contenderent, vt monumentum illius doctrinæ, quam ſermone, & verbo illis tradidiſſet, etiam ſcriptis mandatum apud eos relinqueret. Nec prius hominem ab ſe dimittunt, quàm ipſorum poſtulatis obſecutus, opus abſolniſſet. Hanc igitur Euangelij ſcribendi, ſecundum Marcum, cauſam fuiſſe memorant. Cum ergo Petrus Apoſtolus, diuina Spiritus ſancti reuelatione ſuggerente, intelligeret illud opus editum eſſe: ferunt eum propenſo & alacri illorum hominũ ſtudio magnopere fuiſſe delectatum, hancq. ſcripturam auctoritate ſua ratam feciſſe, quod in Eccleſijs paſſim perlegeretur: Clemens in ſexto libro ὑποτυπώσεων, cui etiã teſtis accedit Papias, Hieroſolymitanus Epiſcopus, eandẽ tradit hiſtoriã. hæc Euſebius: Intexamus, & *his* Clementis Alexandrini in epiſtolas Petri, verba, de Marci Euangelio Romæ conſcripto: Marcus, inquit, Petri ſectator, prædicante Petro Euangeliũ palàm Romæ coram quibuſdam Cæſarianis equitibus, & multa Chriſti teſtimonia proferente, petitus ab eis, vt poſſent, quæ dicebantur, memoriæ cõmendare, ſcripſit ex his quæ à Petro dicta ſunt, Euangelium, quod ſecundum Marcũ vocatur. Hæc Clemens Alexandrinus. à quibus non differunt verba ſancti Hieronymi in vita Marci.

Eundem Marcum Alexandriam mittit. Cap. 541.

EOdem Chriſti anno quadrageſimo quinto Marcus Euangeliſta (inquit Euſebius) interpres Petri, Aegypto & Alexandriæ Chriſtum annunciat. *Euſeb. hiſt. lib. 2. c. 15.* iſta in Chronico.

Ruſ. c. 16. Aiunt præterea, inquit, hunc Marcum primum in Aegyptum traieciſſe, & Euangelium, quod ipſe conſcripſerat, illic prædicaſſe, primumq. Eccleſiarum Alexandriæ inſtitutarum auctorem extitiſſe: atque tanta hominum, & mulierum fidem Chriſti amplexantium ex prima aggreſſione & conatu, pergraue

graue in primis, ſanctum, & ſeuerum eius viuendi exemplum, ibi cogebatur multitudo, vt Philo ipſe eorum ſtudia, exercitationes, mores, frequentes congreſſus, communem inter ipſos victus rationem, omnem deniquè viuendi inſtitutionem, ſuis ſcriptis perſequi operæpretium exiſtimaret. Hæc, & alia Euſebius.

Romanæ Eccleſiæ fundatione Idolatria decreſcit.
Cap. 542.

CONſiderAtione quidem dignum exiſtimamus, quod ipſo anno, quo Romanam Eccleſiam, à Petro erectam fuiſſe monſtrauimus, multa à Claudio Imperatore, non niſi impellente numine, facta eſſe noſcuntur aduerſus Gentilium ſuperſtitionem: nimirum abrogata fuiſſe complura ſacrificia, atque feſta in venerationem Deorum ſolita celebrari. Teſtatur id Dio his verbis: Poſt hæc Claudius, tertiū Conſul, multa ſacrificia, multaſq. ferias abrogauit: nam maior anni pars in his abſumebatur, non ſine magno Reipublicæ detrimento. Igitur eas, & reliqua omnia, quæ poterat, contraxit.] hucuſque Dio. Hæc licet ille alia ex cauſa, quam animo concepiſſet, feciſſe credatur: nihilominus Deo impellente illud videtur opus aggreſſus, quod Petrus conſumaturus in Vrbem aduenerat. Videas itaque, non niſi nutu diuino quodammodo accidiſſe præſagium, vt cum primum Chriſtiana fides à Petro Romæ plantata coaleſcere cæpit, idolatria decreſcere, atque minui inciperet: accidiſſeq. vt ſicut olim apud Philiſtæos, cum in templo Dagon Arca fœderis eſt collocata, idolum ſuam imbecillitatem cadendo monſtrauit; ita etiam Eccleſia Romæ fundata, mox ſuorum rituum ſuperſtitioſa impietas iacturam pati ibi cæperit.

Baron. an. 45.
Dio. l. 60.

Caij Imp. omnes abolitæ imagines. Cap. 543.

RVrſus eodem anno illud idem Auctor accidiſſe teſtatur: quod cum antea, mandato Imperatoris, omnia Caij ſimulacra ſublata fuiſſent; ſancito tunc edicto; quæcunque numiſmata viderentur eiuſdem Caij effigie conſignata, conflari ſunt iuſſa, quorum materiam Meſſallina Auguſta in ſtatuam Mneſtei hiſtrionis transfundi præcepit. Diuinum planè, atque æqua lance penſatum iudicium: nimirum, vt, qui ſuam ſtatuam titulo Iouis ære conflatam in templum Dei inferre paraſſet, ipſe in cunctis imaginibus infame diſpendium pateretur. Quantumlibet enim Iudæi ob necem Chriſto illatam grauiora pati commeruiſſent; tamen quoniam in Dei Hebræorum contumeliam Caius ea parabat, digna ſententia præſumptum eius facinus punitum fuit.

Claudius timens Idolatriæ deſtructionem, proſpicit gentilitiæ ſuperſtitioni. Cap. 544.

CVm in Dies magis magiſq. propagaretur Chriſtiana Religio, ipſaq. Gentilium ſuperſtitio ea de cauſa nonnihil inciperet poſthaberi, Claudius Imperator. ex S. C. aruſpicum diſciplinam reſtituendam curauit. Id enim

Baron. an. 49.
Tacit. l. 11

enim Tacitus his verbis tradit: Retulit deinde ad Senatum ſuper Collegio Aruſpicum, ne vetuſtiſſima Italiæ diſciplina per diſſidiam exoleſceret.] & paulò poſt: & quia externæ ſuperſtitiones valeſcant; & læta quidem in præſens omnia, ſed benignitati Deum gratiam referendam: ne ritus ſacrorum inter ambigua culti, per proſpera obliterarentur: factum ex eo Senatuſconſultum, viderent Pontifices, quæ retinenda firmandaq. aruſpicum &c.] hæc Tacitus: quem per externas ſuperſtitiones, Chriſtianam quoque Religionem in Vrbe, iam ante quinque annos diſſeminari cæptam, ſignificare voluiſſe, nullus iure poterit dubitare. Ceterùm non ſua tantum reſtituere ac roborare, ſed & noſtra labefactare, ac penitus infringere conatus eſt, dum vnà cum Iudæis Chriſtianos, qui in Vrbe erant, loco expulit, vt inferius dicemus.

De laudibus fidei, ac pietatis veterum Romanorum, poſt Petri prædicationem. Cap. 545.

Petr. in Epiſt. ad Rom. PRimus igitur Chriſtianæ fidei, Romæ prædicator, & doctor fuit Petrus. Quamuis autem multa eſſent in Romanis, quæ viderentur obſtare debuiſſe, ne illi Chriſti fidem facile acciperent, & tamen omnia Romani maxima facilitate, & incredibili animi robore ſuperarunt, quod admirari viſus eſt Chryſoſtomus his verbis:

Chryſoſt. in Epiſt. ad Rom. Romani, inquit, Orbis terræ Principatum adepti, faſtu multo ſurgebant, in diuitijs, & delicijs vitam agentes. Euangelium Chriſti tunc prædicabant quidam piſcatores Iudæi: quam gentem tùm omnes, tùm maxime Romani oderant, & abominabantur. Et illi quidem Prædicatores Crucifixum quendam hominem, tanquàm Deum adorare docebant videlicet, duramq. inſuper vitam agendam recipientibus diſciplinam ſuam præſcribebāt.

Erant porrò illi prædicatores, & pauperes, & ignobiles, & illiterati, atque indiſerti, & omnibus inuiſi, exoſiquè.

Ad extremum credentibus in Chriſtum, præter ignominioſæ ſectæ profeſſionem, & aſperæ vitæ commutationem, timenda erat, immo pro certo habenda, & honorum, & diuitiarum, & ipſius vitæ priuatio, nihil tamen iſtorum pectus Romanum infringere, nec à Chriſti fide ſuſcipienda, & profitenda abſterrere potuit.

Paulus Apoſtolus fidem illam Romanorum indicabat fuiſſe eximiam, & admirabilem, ideoq. celebratam vbique terrarum, cum ad Romanos ſcribens dicebat: Gratias ago Deo meo per IESVM Chriſtum pro omnibus vobis, quia fides veſtra annuntiatur in vniuerſo mundo.

Romani enim primo fidem acceperunt magna facilitate, magnoq. animi ardore, quam magna fiducia, & libertate profitebantur, peregregijs virtutum opetibus exornatam, & cum vix ante tredecim annos Romani eſſent à Petro ad Chriſtum conuerſi, quando Paulus ad eos ſcripſit, mirum planè, Romanorum fidei formam, omnes terrarum Orbis regiones, tàm breui tempore peruadere potuiſſe.

In epiſt. ad Rom. Putauit Origenes illud à Paulo dictum fuiſſe per hyperbolem. Sed Chryſoſtomus, Theodoretus, Oecumenius, Theophylactus, & dictus vulgo Hieronymus, ſine hyperbolica locutione dictum interpretantur. Quomodo autem

autem tàm breui tempore fides Romanorum vniuerſo Mundo innoteſcere potuerit, ità declarat Theodoretus: Non hoc Romanis dixit Paulus, eis blandiens, ſed vere dicens, neque enim fieri poterat, vt quæ Romæ eueniebant, ea illos, qui in toto erant terrarum Orbe, laterent. In illa enim Vrbe, olim Romanorum Imperatores Regiam ſuam habebant: illinc emittebantur, & qui gentibus præeſſent, & qui in Ciuitatibus vectigalia exigerent. In illam quoque Vrbem concurrebant omnes, qui regalia profitebantur beneficia: & per hos omnes vbique ſignificabatur, quod Ciuitas Romanorum CHRISTI doctrinam acceperat: id autem ijs, qui audiebant, maximam vtilitatem afferebat, quam ob rem diuinus Paulus Dominum laudabat.

Romana Eccleſia à Petro optime instituta. Cap. 546.

At qualis eo tempore eſſet ſtatus Romanæ Eccleſiæ, ab eodem Paulo audiamus; hæc enim, ait: Primum quidem gratias ago Deo meo per Ieſum Chriſtum pro omnibus vobis, quia fides veſtra annunciatur in vniuerſo Mundo.] ac rurſum: Certus ſum autem, fratres mei, & ego ipſe de vobis, quoniam & ipſi pleni eſtis dilectione, repleti omni ſcientia, ita vt poſſitis alterutrum monere.] ac demum: Veſtra obedientia in omnem locum diuulgata eſt: Gaudeo igitur in vobis.] *Rom. 1.*

S. Hieronymus hæc magna conſideratione à Paulo eſſe dicta cognouit: Vnde ait: Vultis ſcire, ò Paula, & Euſtochium, quomodo Apoſtolus vnamquamque prouinciam ſuis proprietatibus denotarit? Vſque hodie eadem vel virtutū veſtigia permanent, vel errorum: Romanæ plebis laudatur fides. Vbi aliquando tanto ſtudio, & frequentia ad Eccleſias, & Martyrum ſepulchra concurritur? Vbi ſic ad ſimilitudinem cæleſtis tonitrui, Amen reboat, & vacua Idolorum templa quatiuntur? Non quod aliam habeant Romani fidem, niſi hanc, quam omnes Chriſti Eccleſiæ: ſed quod deuotio in eis maior ſit, & ſimplicitas ad credendum.] hæc Hieronymus. Idem qui ſupra Theodoretus ſcribens ad S. Leonem Romanum Pontificem hæc habet de Romana Vrbe, & fide illius: Accidit his, quod hoc quoque, quod rerum potitur, peperit Imperium, & propria ſua appellatione eos quibus imperat, impertijt: præcipue autem, & ſigniter eam exornat fides, & fide dignus teſtis diuinus Apoſtolus, qui clamat: Fides veſtra annunciatur in vniuerſo mundo. Si autem diuinæ prædicationis ſtatim ſuſceptis feminibus, mirabiles hos fructus, & tàm vberes tulit; quænam ad eam, quæ nunc in ea verſatur, pietatem laudibus celebrandam ſuffecerit oratio?] Hæc ipſe. *Hieron. in præf. lib. 2. in epiſt. ad Galat.*

Accidit hanc ob cauſam, quod ſicut omnes qui Romano ſubeſſent Imperio, Romanorum appellatione nobilitati eſſent, ſecundum quod lege ſancitum eſt, vt omnes, qui ſub ore Romano ſunt, Romani Ciues appellarentur: ita pariter omnes, quotquot Catholica fide pollerent, Romani itidem dicerentur: eo quod fides Catholica, Romana pariter diceretur. Quod licet ſuperius occaſione Catholici nominis ſit perſpicuè demonſtratum; tamen eadem hic repetere (quod rei exigat argumentum) haud otioſum putamus; & in primis teſtimonium Theodoſij Iunioris Imperatoris ſic ſcribentis ad

Aca-

Acacium Epiſcopum Beroenſem: Vos probatos Romanæ Religionis ſacerdotes eſſe manifeſto argumento declarate. Sed & ipſos hæreticos conſueuiſſe Catholicos communi loquendi vſu itidem nominare Romanos, plura ſunt exempla; vt apud Victorem Vticenſem, cum Iocundus Arianus Epiſcopus ad Regis filium: Si gladio, inquit, peremeris, incipient Romani martyrem prædicare. Et apud Gregorium Turonenſem itidem de Ariano Principe: Cogitauit intra ſe dicens: Quia ingenium eſt Romanorum (Romanos enim vocant homines noſtræ Religionis) vt ita accidat, & non ſit virtus Dei. Itemq. inferius de Ariano ſic dicente: Si conſenſeris dictis meis, exercemus hodie cachinnum de hoc Romanorum presbytero] hoc eſt, de Catholico ſacerdote: ac rurſum de ijſdem Arianis, qui erant in Gallijs: Quid putatis (dicebat vnus ex illis) quod nunc iſti Romani dicant?

Data eſt hujus loquendi vſus ea occaſio, quòd cum Romana Eccleſia Petri peculiaris eſſet; qui (quod monſtratum eſt ſæpius) ſicut caput totius Eccleſiæ à Chriſto Domino inſtitutus, non tantum eorum qui Romæ, vel in Italia eſſent, ſed omnium in Orbe terrarum Chriſtianorum paſtor diceretur, & eſſet; ita ipſa meritò mater omnium diceretur Eccleſiarum. Sed quod inſuper, ſupra petram, eundem & Petrum, à Chriſto fundatæ Eccleſiæ datum ab eodem eſſet priuilegium, vt portæ Inferi, neque hæreſes (vt Epiphanius, & alij ſunt interpretati) non præualerent aduerſus eam; eadem ex cauſa, qui eſſent fide ſincera, ac probati in omnibus Orthodoxi, ijdem Romani ab omnibus dicerentur. Nam ait Irenæus: Ad hanc enim Eccleſiam propter potentiorem principalitatem, neceſſe eſt omnem conuenire Eccleſiam, hoc eſt, eos qui ſunt vndique fideles: in qua ſemper ab his qui ſunt vndique, conſeruata eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis, traditio. Sicq. quod dicit Paulus de Romanis: fides veſtra annunciatur in vniuerſo Mundo prophetice dictum eſſe, Cyprianus in primis exiſtimauit; qui ad Cornelium Papam ſcribens, hæc ait: Dum apud vos vnus animus, & vna vox eſt, Eccleſia omnis Romana confeſſa eſt. Claruit, fratres chariſſimi, fides, quam de vobis beatus Apoſtolus prædicauit: hanc laudem virtutis, & roboris firmitatem iam tunc in ſpiritu præuidebat, & præconio futurorum merita veſtra conteſtans, dum parentes laudat, filios prouocabat. hæc ipſe. Sed obſeruatione illud quoque (ſecundum Ioannem Chryſoſtomum) dignum eſt, quod ait Apoſtolus: Fides veſtra annunciatur in vniuerſo mundo. quod ſcilicet, ſicut Eccleſia Romana, Petro prædicante, crediderat, ita credere deberent ceteræ nationes. ait enim ipſe: Non dixit, manifeſtatur, ſed, annunciatur. Et paulò poſt: Hoc ſolum ait, annunciatur: ac rectè quidem, annunciatur: planum faciens, quod dictis nihil quicquam addendum, vel demendum eſſet. Angeli ſeu Nuncij hoc eſt opus, quæ dicuntur, ea ſola deferre: ob quod & Sacerdos Angelus vocatur, quod non ſua ipſius, ſed ea tantum nunciat, quæ ab eo acceperit, à quo delegatur. Quamquam Petrus inibi etiam prædicauit: ſed illius facta, ſua eſſe ducit: vſque adeo (quod antea diximus) inuidentia omni ſupra modum vacabat. hæc ipſe, exactè conſiderans, quòd quantumlibet idem Apoſtolus magnis præconijs celebret Eccleſiam Theſſalonicenſium, ad ipſam ſcribens, nihilominus ne quicquam tale de illa loquutus fuerit.

Sed cum tàm ex nuper dictis, quàm etiam ex ſuperius enarratis de ad-

uentu Petri Romam anno ſecundo Claudij Imp. conſtet Romanam Eccleſiã iam primitus erectam atque inſtitutam fuiſſe: quænàm ſubeſſe potuit cauſa, vt ad Romanos Paulus ſcribens, nullam prorſus de Petro habuerit mentionem? At multæ quidem, ſed ea potiſſima creditur; Petrum ſcilicet edicto Claudij cum Iudæis ſemel Roma pulſum, ad externas Orbis oras prædicationem Euangelij conuertiſſe, & in his hactenus laboraſſe: quippe eum vniuerſi gregis curam à Domino ſibi demandatam ſuſcepiſſet, & quod ipſe coram Apoſtolis de ſe teſtatur, dicens: Elegit Deus per os meum audire Gẽtes verbum Euangelij, & credere, non erat eius officij, in vno loco conſiſtere, ſed quantum homini licuiſſet vniuerſum peragrare Orbem, & nondum credentes ad fidem perducere, credentes verò, in fide penitus ſtabilire. Si enim Paulum, qui ad prædicandum itidem Gentibus Euãgelium à Deo electus erat, licet neutiquam ei vniuerſi gregis cura credita eſſet, tamen ex his quæ Lucas ſcribit, vidimus tot prouincias circumluſtraſſe, ac ita (vt de ſe ipſe teſtatur) Hieroſolymis in Illyricum vſque longè lateq. Euangeliũ prædicaſſe, vt cum locum vlterius non haberet, Hiſpanias cogitaret: quid de Petro dicendum eſt, cuius præcipuè muneris erat in his præ ceteris inſudare? Cum præſertim non ſicut in Orientalis Orbis partes, ſciamus ceteros Apoſtolos miſſos eſſe in Occidentem, vno excepto Barnaba, qui ad breue tempus Ligures docuit: vel Iacobo (ſi tamen conſenſerimus ijs, qui tradunt eum citò rediturum Hiſpaniam penetraſſe) ceterorum autem neminem eſſe miſſum, liquido appareat. Petri igitur muneris erat, vt qui iam complures Orientis prouincias prædicando Euangelium peragraſſet, iam (quod reliquum eſſe videbatur) luſtraret Orbem Occidentalem, & vſque ad Britannos (quod tradunt Metaphraſtes, & alij) Chriſti fidem annuncians penetraret. *Metaph. die*

Certè quidem Gregorius ſcribens ad Epiſcopos Numidiæ, eos ab Apoſtolo Petro accepiſſe ordinatio[illegible] initia teſtatur: hoc eſt, quod & antè Tertullianus dicebat: Habes Romam, vnde nobis quoque auctoritas præſto eſt. & Cyprianus, Romanam Eccleſiam matricem appellat, quod non tantũ Carthaginenſis Eccleſia ab ea fidem accepiſſet, ſed quæ ſub ipſa continentur, Mauritania atque Numidia. Et quis mirabitur hæc, cum idem Paulus ea ipſa epiſtola teſtetur, impletum eſſe quod prædictum in Pſalmo fuerat: In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines Orbis terræ verba eorum? Meritò igitur manifeſtum fuiſſe, ait Innocentius ad Decentium ſcribens, Eccleſias in omni Italia, Gallia, Hiſpania, Africa, Sicilia, ac Inſulis interiacentibus poſitas, à nullo alio quàm à Petro, vel eius diſcipulis & ſucceſſoribus inſtitutas eſſe. Non eſt ergo, quod iure quis poſſit de abſentia Petri calumniam facere, vel de ſilentio Pauli mouere quæſtionem; cum ſcribens ad Corinthios, Galatas, Epheſios, Theſſalonicenſes, & alios, nequicquam de ipſorum Epiſcopis expreſſe meminerit. Potuit & illud perfacilè accidiſſe (etiam ſi dixerimus his temporibus Petrum Romæ egiſſe) vt familiares alias ad ipſum, Paulus eidem Tabellario dederit litteras; adeo vt non opus eſſet per alios ſalutari, cui ipſe, ſuis priuatis litteris monens, ſalutem plurimam impartitus eſſet. Hæc enim humanitatis officia inter Apoſtolos interceſſiſſe, quis tàm ab humanitate alienus negare præſumpſerit?

29. Iunij. Greg. lib. 2. ep. 75. Tert. lib. de præſcrip. c. 36. Cypr. ep. 45 Pſal. 10. Innoc. ep. 1.

Petrus Vrbe pellitur. Cap. 547.

Oroſ. lib. 6. c 7. *Sueton. in Claud. c. 25* *Act. 18.*

ANno eiuſdem Claudij nono expulſos, inquit Oroſius, per Claudium Vrbe Iudæos, Ioſephus refert: Sed me magis Suetonius mouet, qui ait hoc modo: Claudius Iudæos, impulſore Chriſto, aſſidue tumultuantes Roma expulit. Quod verum contra Chriſtum tumultuantes Iudæos coerceri & comprimi iuſſerit, an etiam Chriſtianos ſimul, velut cognatæ Religionis homines, voluerit expelli, nequaquam diſcernitur. Hæc Oroſius. Ceterum eo edicto comprehenſos eſſe etiam Iudæos ad Chriſti fidem conuerſos, ex his quæ tradit Lucas monemur: agens enim ille de Pauli aduentu Corinthum, reperiſſe illic dicit Aquilam, & Priſcillam Iudæos, ſed fide Chriſtianos: Ait namquè: Et inueniens, Paulus ſcilicet, quendam Iudæum, nomine Aquilam, Ponticum genere, qui nuper venerat ab Italia, & Priſcillam vxorem eius (eo quod præcepiſſet Claudius diſcedere omnes Iudæos Roma) hæc ibi: fuiſſe autem eos Chriſtianos ex eodem capite apparet. His addimus, hoc maximè tempore, Chriſtianos à Gentibus Iudæorum nomine vocari ſolitos.

Ergo huius edicti occaſione S. Petrus Vrbe, vt creditur, pulſus, iterum reuertitur Antiochiam.

Metaphraſtes de hoc eius itinere ſcribens iſta more ſuo ſine vlla auctoritate tradit:

Metaph. 29 Iun.

Cum autem non diu manſiſſet apud Romanos, & ſancto Baptiſmo multos regeneraſſet, & Eccleſiam conſtituiſſet, & Linum Epiſcopum ordinaſſet, venit Terracinam, in qua cum Epaphroditum ordinaſſet Epiſcopum, venit Sirmium Ciuitatem Hiſpaniæ: Quo in loco cum Epanetum conſtituiſſet Epiſcopum, deuenit Carthaginem Ciuitatem Africæ; in qua cum Creſcentem ordinaſſet Epiſcopum, venit in Aegyptum. Et cum Thebis, quæ ſeptem habent portas, Ruffum: Alexandriæ autem Marcum Euangeliſtam, eorum qui ſe in diſciplinam tradiderant, Epiſcopatui præfeciſſet, rurſus venit Hieroſolymam, ex reuelatione, propter Deiparæ Mariæ migrationem. Deinde reuerſus in Aegyptum, per Africam rurſus Romam redijt. hæc & alia Metaph.

Hieroſolymis primum Concilium celebrat. Cap. 548.

CVm Antiocheni exorta dubitatione de Gentibus ad Chriſtum conuerſis, quaſi etiam Moyſi lege tenerentur, Paulum vnà cum Barnaba Hieroſolymam ad Petrum, ceterosq. Apoſtolos, vt eam controuerſiam dirimerent, miſiſſent, mox illi, conuocato Concilio, ea de re agere cæperunt. Audiamus itaq. Lucam totam eam hiſtoriam narrantem.

Act. 15. *Epiph hæreſ 28.*

Quidam deſcēdentes de Iudæa docebant Antiochijs videlicet fratres, quia niſi circumcidamini ſecundum morem Moyſi, non poteſtis ſaluari. (horum primarium Ducem Cherintum hæreſiarcham fuiſſe docet S. Epiphanius) facta ergo ſeditione non minima Paulo & Barnabæ aduerſus illos, ſtatuerunt, vt aſcenderent Paulus & Barnabas, & quidam alij ex alijs ad Apoſtolos, & presbyteros in Hieruſalem ſuper hac quæſtione. Illi ergo deducti ab Eccleſia, pertranſibant Phenicem, & Samariam, narrantes conuerſionem

nem Gentium, & faciebant gaudium magnum omnibus fratribus. Cum autem veniſſent Hieroſolymam, ſuſcepti ſunt ab Eccleſia, & ab Apoſtolis, & ſenioribus, annunciantes, quanta Deus feciſſet cum illis.

Petrus Iudaeorum Apoſtolus dictus. Cap. 549.

IN eodem Concilio, vt ſanctus Paulus tradit ad Galatas ſcribens, Petro populus Iudæorum, ſibi autem Gentium committitur, ait enim: Cum vidiſſent quod creditum eſt mihi Euangelium præputij, ſicut Petro circumciſionis (qui enim operatus eſt Petro in Apoſtolatu circumciſionis, operatus eſt & mihi inter gentes) & cum cognouiſſent gratiam quæ data eſt mihi, Iacobus, & Cephas, & Ioannes, qui videbantur columnæ eſſe, dexteras dederunt mihi & Barnabæ ſocietatis, vt nos in Gentes, ipſi autem in circumciſionem, tantùm vt pauperum memores eſſemus: quod etiam ſolicitus fui hoc ipſum facere. hæc ſanctus Paulus. Cuius verba non ita accipias velim, quaſi totius Chriſtiani gregis cura olim, quod vidimus, Petro à Chriſto tradita, huius Concilij decreto reſtricta ſit (id enim vel opinari hæreticum eſſet) ſed ei in Iudæorum conuerſione ſpeciatim operam ponendam eſſe illis ipſis monemur. Ea ſiquidem diuiſio, cuius hic Paulus meminit: Non fuit aliqua abrogatio iuris conceſſi, vel prouinciarum limitatio, nec populorum diuiſio, ſed procuratio quædam diſtincta, & diſcretum patrocinium, quo facilius nimirum in vniuerſo Orbe Euangelium prædicaretur. Quamquam enim poterant Apoſtoli omnes, & ſimul, & etiam ſeparatim à reliquis, in toto terrarum Orbe Chriſti fidem diſſeminare, nihilominus vt celerius, commodiusq. id fieret, de duplici prouinciarum diſtributione inter ſe facienda cogitare cæperunt. Quarum altera fuit inter duodecim, de qua ſupra dictum eſt. *ad Gal. 2.*

Altera verò diuiſio eiuſmodi fuit, vt Petrus Iudæorum ſalutem præcipuè procuraret, nec tamen à Gentium conuerſione arceretur: Paulus Gentium, ea tamen conditione, vt occaſione ſibi data Hebræis Euangelium prædicare, illosq. Chriſti fidem edocere poſſet: quod & frequentèr ab ipſo actum apud Lucam, & ipſummet legimus.

Quod autem Petrus Gentilibus Euangelium prædicauerit, quamquam Iudæorum Apoſtolus erat, multis probari poteſt, ipſe enim ante alios Cornelio, totiq. domui eius legem Euangelicam promulgauit, de qua re ſic ipſemet loquitur: Vos ſcitis, quoniam ab antiquis diebus Deus elegit per os meum gentes audire verbum Euangelij, & credere. item Matth. vlt. Chriſtus omnibus Apoſtolis dixit: Euntes ergo docete omnes gentes: & Marci vlt. Prædicate Euangelium omni creaturæ. *Act. 10.* *Act. 15.*

Innocentius hoc nomine primus, vt ſupra dictum eſt, tradit in omnem Italiam, Gallias, Hiſpanias, Africam, Siciliam, Inſulasq. interiacentes, nullum inſtituiſſe Eccleſias, niſi eos, quos venerabilis Apoſtolus Petrus, aut eius ſucceſſores conſtituiſſent ſacerdotes.

Denique Petrus non Hieroſolymis, quæ Iudææ Romana Vrbs erat, ſed Antiochiæ in Syria primùm; tùm Romæ, quæ Gentium Ciuitates erant, Epiſcopatus ſui ſedem fixit. Sed quid in his immoror? Hæc enim Catholicis omnibus notiſſima ſunt. Sanctus Hieronymus de his ſcribens: Occulta, *Hier. in ep. ad Gal. c. 2*

inquit, hic oritur quæſtio. Quid igitur? Petrus, ſi inueniſſet ex Gentibus aliquos, non eos adducebat ad fidem? Aut Paulus, ſi ex circumciſione aliquos reperiſſet, non eos ad Chriſti baptiſmum prouocabat? quæ ita ſoluitur, vt dicamus, principale ſingulis in Iudæos & Gentes fuiſſe mandatum, vt qui defendebant legem, haberent quem ſequerentur; qui legi gratiam præferebant, non deeſſet eis doctor præuius: in commune verò hoc eos habuiſſe propoſitum, vt Chriſto ex cunctis gentibus Eccleſiam congregarent. hæc Hieronymus.

Ergo Petro committitur Hebræorum cura, vt omnium nobiliſſima, Chriſtus quandoquidem Iudæis per ſeipſum: Gentibus per diſcipulos prædicauit: Non ſum miſſus, inquit, niſi ad oues quæ perierunt domus Iſrael, & S. Paulus Chriſtum Ieſum, qui omnes homines ſaluos facere venerat, miniſtrum fuiſſe circumciſionis dicit: Iudæorum enim (Paulo teſte) erat adoptio filiorum, gloria, teſtamentum, & legiſlatio, & obſequium, & promiſſa; Gentes autem ſuper miſericordia honorare Deum: itaq. ſicut Chriſtus ita dictus eſt circumciſionis miniſter, vt tamen omnium paſtor eſſet, omniumq. Saluator; eodem modo & Petrus ita circumciſionis miniſter appellari meruit, vt & totius Eccleſiæ Catholicæ paſtor eſſet ac Rector.

Matt. 15. *Rom. c. 15.* *Rom. 9.*

Si plura de his cupis, vide apud Cæſarem Cardinalem Baronium, & Robertum Cardinalem Bellarminium.

Bar. in An. to. 1. anno Christi 51. Card. Bell. de ſum. Põ. li. 1. c. 16.

Petrus à Paulo reprehenſus. *Cap. 550.*

Laudat S. Cyprianus miram Petri humilitatem, vt qui à Paulo reprehenſus non dixerit ſe primatum tenere, ſibiq. potius obtemperandum; ſed tacuerit, nullum pro ſe verbum faciens.

ad Gal. 2.

Pauli verba totam eam rem deſcribentis hæc ſunt: Cum autem (abſoluto ſcilicet Hieroſolymitano Concilio) veniſſet Cephas Antiochiam: in faciem ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat, prius enim quàm venirent quidam à Iacobo, cum Gentibus edebat: cum autem veniſſent, ſubtrahebat & ſegregabat ſe timens eos, qui ex circumciſione erant, & ſimulationi eius conſenſerunt ceteri Iudæi, ita vt & Barnabas duceretur ab eis in illam ſimulationem. Sed cum vidiſſem, quod non rectè ambularent ad veritatem Euangelij, dixi Cephæ coram omnibus: Si tu, cum Iudæus ſis, gentiliter viuis, & non Iudaicè, quomodo gentes cogis iudaizare? hucuſque S. Paulus.

Cypr. ep. 71 ad Quintū.

Cypriani verò verba Petri humilitatem commendantis, hæc ſunt: Nam nec Petrum, quem primum Dominus elegit, & ſuper quem ædificauit Eccleſiam ſuam, cum ſecum Paulus de circumciſione poſtmodum diſceptaret, vindicauit ſibi aliquid inſolenter, aut arroganter aſſumpſit, vt diceret ſe primatum tenere, & obtemperari à nouellis & poſteris ſibi potius oportere. Nec deſpexit Paulum, quod Eccleſiæ prius perſecutor fuiſſet, ſed conſilium veritatis admiſit, & rationi legitimæ, quam Paulus vendicabat, facilè conſenſit, documentum ſcilicet nobis & concordiæ & patientiæ tribuens, vt non pertinaciter noſtra amemus, ſed quæ aliquando à fratribus, & collegis noſtris vtiliter, & ſalubriter ſuggeruntur, ſi ſint vera & legitima, ipſa potius noſtra ducamus. Hæc & alia ſanctus Cyprianus Martyr.

S. Au-

S. Auguſtinus ad Hieronymum : Ipſe Petrus quod à Paulo fiebat vtiliter libertate charitatis, ſancta ac benigna pietate humilitatis accepit, atque ita, Rarius, inquit, & ſanctius exemplum poſteris præbuit, quo non dedignarentur, ſicubi forte recti tramitem reliquiſſent, etiam à poſterioribus corrigi: quàm Paulus, quo confidenter auderent etiam minores maioribus pro defendenda Euangelica veritate, ſalua fraterna charitate reſiſtere. *Aug. ep.19. ad Hier.*

S. Gregorius hom. 18. in Ezechielem : Se, ait, minori fratri ad conſenſum dedit, atque in eadem re factus eſt ſequens minoris ſui, vt in hoc etiam præiret, quatenus qui primus erat in Apoſtolatus culmine, eſſet primus etiam in humilitate. & infra. Ecce à minore ſuo reprehenditur, & reprehendi non dedignatur.

Ceterùm Petri factum, ob quod eum Paulus reprehendit, id fuit, vt omni culpa careret.

Scimus primùm non deeſſe, qui dicant non Petrum Apoſtolum, ſed quendam alium à Paulo reprehenſum, vt videre eſt apud Euſebium, hiſt. lib. 1. cap. 12. Scimus etiam S. Hieronymum, aliosq. permultos in ea eſſe ſententia, vt crediderint non ex animo, ſed ſimulatè Petrum reprehenſum. Scimus demum B. Auguſtinum ideo reprehenſum dicere, quia in eiuſmodi Petri facto aliquod peccatum extitit. *Baron. 1. Annal. Xp̄i an. 51.*

Horum omnium ſententias perpendens Cæſar Cardinalis Baronius, quem nos ſequimur, dicit; Nec ea, de quibus hic loquimur eſſe ſimulatè peracta, nec in illis ipſis Petrum vel minimum deliquiſſe: certum namq. eſt Apoſtolos absq. leuiſſima culpa pro loci & temporis ratione legalibus vti potuiſſe: vt & Paulus ipſe ſæpè feciſſe conſpicitur: ita vt hac ex parte nullum peccatum Petro adſcribi poſſit, ſi cum Iudæis Iudaicè nonnunquam vixiſſet: affirmante de ſemet Paulo: Factus ſum Iudæis tamquam Iudæus, vt Iudæos lucrifacerem; & ijs qui ſub lege ſunt, quaſi ſub lege eſſem, vt eos qui ſub lege erant, lucrifacerem. Aequius quandoquidem hæc à Petro, quàm à Paulo vſurpari potuiſſe, cum ille Iudæorum, hic gentium partes ſuſcepiſſent, nemo non videt; Ea quippe ratione maior Petro, quàm Paulo cum Iudæis conſuetudinis vſus intercedebat; ſi itaquè nihil deliquit Paulus legalibus frequenter vſus; multo minus deliquiſſe Petrum dicere opus erit, vt qui ſemel illis ſe immiſcuit: non ea igitur ex cauſa à Paulo redargui nec potuit, nec debuit. *1. Cor. 9.*

Si diceret quiſpiam: quonam pacto dixit S. Paulus, ſe Petrum reprehendiſſe, quia reprehenſibilis erat? Illud primum reſponderem, quod Petrus fecit, adeò opportunè feciſſe, vt opportunius fieri non potuiſſet. Audiamus rei geſtæ hiſtoriam. Veniens Petrus Antiochiam, abſque aliqua cuiuſpiam offenſione (celebrato iam de legalibus abrogandis Hieroſolymitano Concilio) Chriſtiana libertate cibum cum Gentibus capiebat: ſuperuenientibus interim Antiochiam quibuſdam Iudæis ad eum à Iacobo miſſis, cogitare mox cæpit vix ſe aut Gentium, aut Iudæorum offenſionem euadere poſſe; nam ſi cum gentibus edere pergeret, ſine dubio Iudæos fideles offenderet (ij enim infirmi adhuc in fide cum eſſent, nondum ſibi ipſi perſuadere poterant licere Iudæis cibis gentium vti) ſin vero ſubtraheret ſe à Gentibus ad Chriſtũ conuerſis (de his enim loquimur) ſeparatimq. cum Iudæis manducaret, in Gentilium offenſionem incurreret, vt qui vel eum leuitatis arguerent, vel

eius exemplo permoti, ipſi etiam Iudaicè viuerè inciperent:

Tutius itaquè iudicauit (nouerat enim ſe Iudæorum Apoſtolum potiſſimum eſſe) ſemet ad modicum tempus à Gentilibus Chriſtianis ſubtrahere, & Iudæis fidelibus inhærere, Iudaicè ſe viuere ſimulans, quem mox ceteri, qui erant Antiochiæ Iudæi, in quibus & Barnabas erat, & ſequi cæperunt, & Gentes ad hoc ipſum eodem exemplo quodammodo impellebantur. Mutauit itaq. Petrus vitæ inſtitutum, Iudæorum, de quibus ſcriptum eſt, occaſione: timens eos, inquit Paulus, qui erant ex Circumciſione: eos dicit pro eis: vt in eadem epiſtola: Timeo vos, pro vobis: ergo timebat Petrus, ne ſi ab illis Hieroſolyma nuper Antiochiam aduenientibus, viſus eſſet, non Iudæorum, ſed Gentium more viuere, ex ea re ipſos offenſionem habituros.

ad Gal. 4. Chryſoſ. in ep. ad Gal. in c. 2.

In eo præterea Concilio Hieroſolymis celebrato (quod neque omittendum videtur) illud vel maxime decretum fuit, ne Gentiles, qui Chriſto nomen darent, circumciſionis lege, ceteriſq. legalibus tenerentur; Iudæis autem non fuit vetitum, ne legalibus vterentur, vt nondum mortiferis; Synagoga enim cum honore, vt ſancti Patres docent, ſepelienda erat.

Deinde Petrus ideo reprehenſibilis fuit (vt S. Paulus dicit) quod occaſione operis iure, riteq. ex diſpẽſatione patrati, res, quæ in eo merito reprehendenda foret, oborta eſſet: ea autem eiuſmodi fuit, vt eius exemplo Gentes ad Iudaicos ritus impellerentur: ipſe igitur ex ea, quam diximus occaſione, etſi ab omni culpa liber erat, Paulo reprehenſibilis viſus eſt: ſicut & ipſemet Paulus alijs reprehenſione dignus videri eadem de cauſa potuiſſet, ſi cum Timotheum Gentilem hominem circumcidit, vel Nazareorum more caput in Cenchreis totondit, vel Hieroſolymis ſe cum Iudæis purificauit; Gentes ad Chriſtum conuerſæ, qui ea vidiſſent, ad illud ipſum faciendum in Iudaicos ritus declinantes ſuo exemplo moti fuiſſent; de quibus idem prorſus quod ipſe Paulus de his qui Petrum ſequebantur, dixit; iure dici potuiſſet eos non rectè ad nouitatem Euangelij ambulare: ſed & in ipſum Paulum quoque dici, quod ipſe in Petrum, & multo æquius, quod cum Gentium patrocinium ſuſcepiſſet, Iudaicos ritus ſeruans ſuo exemplo gentes cogeret iudaizare; & quod in Petro reprehendiſſet, inconſtanter admitteret; cum alioqui ea omnia Paulus abſque vlla leuioris criminis culpa perageret. Sed de his hactenus: nimium enim vel inuiti, ab hiſtorici inſtituto diſceſſimus.

Barnabam Mediolanum mittit, Mediolanenſem Eccleſiam inſtituit. Cap. 551.

Metaphraſtes S. Petrum Mediolanum contendiſſe ſcribit; ſed cum id nullius auctoritate, ac teſtificatione dicat, cumq. nulla eiuſdem rei traditio habeatur, eius hiſtoriæ fides ſit penes Auctorem. Miſiſſe verò Barnabam ad eam Eccleſiam inſtituendam, docet Iacobus Gualla, quem cum ex antiquis monumentis accepiſſe ea putem, eius verba hic ponam: Poſtea vero iubente Petro Longobardiam veniens (de Barnaba loquitur) Mediolanum, & vniuerſam Ciſalpinam Galliam, vnà cum eiuſdem diſcipulis euangelica doctrina, miraculorum claritate, ac ſanctitatis operibus, ad fidem Chriſti populos conuertit: vnde Longobardi multum deuotionis illi debent: huc uſque ille. Cuius rei hiſtoriam confirmari poſſe crediderim, ex his, quæ habet

Gualla lib. 5. c. 3.

bet Innocentius epiſtola prima, vbi dicit, omnes Italiæ Eccleſias à ſolo Petro, ſeu eius ſucceſſoribus erectas eſſe: hæc itaq. cum Petri tempore fundata ſit, vt ex Barnabæ rebus geſtis apparet, non erroris arguerem, qui, vt vera referret, quæ ex Gualla de Mediolanenſis Eccleſiæ erectione recitauimus.

De rebus geſtis à Paulo Apoſtolo. *Cap. 552.*

POſt Petri Apoſtoli progreſſus reuertamur ad Apoſtolum Paulum, & enarremus res aliquas ab eo magnifice geſtas, donec vtriuſque curſum abſoluerimus, mirabilia enim Deus per manus eorum operatus eſt. Sed celeberrimam eius conuerſionem, & prodigijs plenam iam ſupra commemorauimus; nunc antequam cetera eius facinora glorioſa proſequamur, aliqua, quæ ad cognitionem vitæ eius pertinent, quæ prius dicenda fuerant, recenſeamus. Scire enim Paulum regula ſalutis eſt, & norma virtutis.

De anno natiuitatis, nataliquè ſolo, patria, nomine conditione doctrina, arte, & moribus Pauli Apoſtoli. *Cap. 553.*

NAtus eſt Diuus Paulus Anno Domini iam nati, vel ſecundo, vel tertio. Cum enim, ad Chriſtum ſeſe conuerterit, anno ipſius Chriſti Domini, XXXV. inchoato, ſuæ verò ætatis 33. vel omnino expleto, vel penè, ſatis apparet, eius ortum vel in extremam partem Conſulatus C. Cornelij Lentuli, & L. Calphurnij Piſonis, vel in primam C. Cæſaris, & L. Aemilij Pauli incurriſſe. Erant autem illi Coſſ. anno Domini II. hi III. vt quemadmodum Chriſti pueritiam puer Ioannes Baptiſta Paulum antecederet: ſic eandem proximo interuallo puer Paulus ſequeretur; itidemq. in cetera ætate. *Serar. opuſ. de Paulo.*

Gentem ſuam, propriamq. gentis Tribum Paulus ipſe non vno tantum loco diſertis verbis indicauit. ad Corinthios hæc de ſe ſcribens: In quo quis audet (in inſipientia dico) audeo & ego. Iſraelitæ ſunt, & ego. Semen Abrahæ ſunt, & ego. Hebræi ſunt, & ego. Si quis alius videtur confidere in carne, ego magis; circumciſus octauo die, ex genere Iſrael de tribu Beniamin, Hebræus ex Hebræis, ſecundum legem Phariſæus. Et alibi vocat ſe Iudæum natura, & non ex Gentibus peccatorem, ſignificans ſe non eſſe proſelytum, nec ex proſelytis natum, ſed à prima generis origine Hebræum eſſe. *Perer. in ep. ad Rom.* *2. Cor. 11.* *Philip. 3.* *Gal. 2.*

De natali ſolo, & patria B. Pauli: Communis eſt Patrum, atque omnium ferè ſententia, beatum Paulum eſſe natum Tharſi, & Hieroſolymæ ſecundum legem eruditum; quod videtur indubitabile, cum id Paulus ipſe conceptis verbis dixerit apud Lucam, in hunc modum: Ego, Paulus, ſum vir Iudæus, natus Tharſo Ciliciæ, nutritus autem in iſta Ciuitate ſecus pedes Gamalielis. *Act. 22.*

Adiuuat præterea ſententiam hanc beati Martyris Ignatij auctoritas, qui ſcribens ad Tharſenſes vocat eos Pauli Ciues, & diſcipulos.

Hanc Tharſi Vrbem, cùm alia plura, tùm duo potiſſimum, ornabant. Primum fides, qua contra Pompeium, Caſſium, & Brutum, Cæſarianas partes peracriter defenderat, adeo vt ſe Iuliopolim vocaret; quapropter fuit ſummis *Dio lib. 47.* *Dio Chriſ. in Tharſ. poſt.*

ab Octauio Auguſto beneficijs affecta, & inter cetera, iure municipali; quo fiebat, vt cum varia eorum, qui Romanã Ciuitatem accepiſſent, genera inuenirentur; Tharſenſes, non quocunque modo, ſed eo qui ceteris penè omnibus antecellit, Ciues Romani eſſent. Alterum quia ita, in ea philoſophiæ, ceterarumq. liberaliſſimarum diſciplinarum ſtudium viguit, vt, Strabone teſte; ipſas etiam Athenas, Alexandriam, & ſi quæ vſquam egregia ſapientiæ ac eloquentiæ officina fuit, ſuperaret.

Sigon. lib. 1 de iur. ciu. Rom. c. 1. et 1. de iur. prou. c 11. Strab. li. 14 Geogr.

Act. 16. 21 22. 23.

Hinc igitur extitit D. Paulus, verè (vti ſæpè commemorat) Ciuis & municeps Romanus, & ita quidem extitit, vt infinitis eam partibus amplius ornarit, quàm qui ex ea tot, & tanti prodierunt.

Die, ab ortu, octauo circumciſus, Saulis nomen, quod ex eadem tribu, primus Iſraelitarum Rex geſſerat, accepit. Saulus tamen à Græcis vocatus eſt, quod aſperiora Hebræorum nomina paululum, vt in alijs pluribus conſtat, lenire ſoliti ſint. At Paulus, vnde, & cur nominatus, ſunt opiniones. Prima, eum in circumciſione tamquam Hebræum, Hebræo nomine Saul: tamquam Romanum Romano, Paulum vocatum. Altera, in conuerſione, vel dum proſtratus Chriſto ſe dedidit, vel dum ſacro fonte initiatus eſt, nomen mutaſſe, & ex Saulo, Paulum factum; idq. non ratione corporis, ſed animi, quem paruum iam, & dimiſſum gereret.

Phil. 3.

Aug. in ser. 15. de verb. Dom.

De conditione autem Pauli, vtrum nobilis genere fuerit, an ignobilis, non vna omnium ſententia eſt. B. Auguſtinus facit eum nobilem; id argumentatur ex verbis illis B. Pauli ad Philippenſes: Gloriamur, inquit Paulus, in Chriſto Ieſu, non in carne fiduciam habentes; quamquam & ego habeam confidentiam in carne. Si quis alius videtur confidere in carne, ego magis &c. Quæ verba exponens Auguſtinus, ſic ait: Ne arbitrarentur aliqui, ideo Paulum contemnere, quæ ad gloriam ſecundum carnem pertinebant, quod ea ipſe non haberet; neque enim magnum eſt, ſi homo nobilis & abiectus contemnat nobilitatem, & exhibeat humilitatem: ob id Paulus continuò ſubiecit illud: Quamquam ego in carne confidentiam habeam, circumciſus octauo die, ex genere Iſrael, de tribu Beniamin, Hebræus ex Hebræis, ſecundum legem Phariſæus. Erant autem viri primarij, & quaſi ex nobilitate Iudaica ſegregati, nec contemptibili plebi commixti, qui dicebantur Phariſæi: nam & ipſa vox apud Hebræos, ſegregationem ſignificat, quemadmodum apud Latinos egregius dicitur, quaſi à grege ſeparatus. Hæc fermè Auguſtinus. Cuius opinioni fidem adiungere videntur, quæ de Paulo ſiue Saulo, ſcripta ſunt in actis Apoſtolicis. Neque enim ſi homo fuiſſet humilis, & obſcurus, & abiectæ ſortis, tàm ferox & minax, tàmq. infeſtus ſæuusq. in Vrbe Hieroſolymitana Chriſtianorum inſectator eſſe, neque tantum eis negotij faceſſere potuiſſet; nec princeps ſacerdotum, homini plebeio & obſcuro poteſtatem dediſſet, quoſcumque Damaſci reperijſſet, Chriſtianos capiendi, vinctoſq. mittendi Hieroſolymam.

Act. 9.

2. Tim. homil. 4. 1. Cor. hom. 3. c. 1.

At enim contra ſenſiſſe videtur B. Chryſoſtomus: is enim ſuper epiſtolam poſteriorem ad Timotheum, vocat Paulum inopem & Coriarium: & alibi, loquens de Paulo, & alijs Apoſtolis, ait fuiſſe eos & illiteratos, & inopes, & abiectos, atque obſcuros. Conſtat certè Paulum fuiſſe opificem artis ſcenofactoriæ, eamq. artem etiam ante conuerſionem ipſius ad Chriſtum exercuiſſe: id enim proditum eſt in actis Apoſtolicis capite decimo octauo.

Vera porrò nobilitas, eiuſmodi mœchanicarum artium profeſſionem, & exercitationem reſpuit. Quod ad Paulum, ceterosquè Apoſtolos in primis pertinet, in capite 1. prioris epiſtolæ ad Corinthios ſcripſit Paulus: Videte, inquit, vocationem veſtram, quia non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, ſed quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus, vt confundat ſapientes, & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia, & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non ſunt, vt ea quæ ſunt, deſtrueret, vt non glorietur omnis caro in conſpectu eius. Hæc Pauli verba præcipuè de Apoſtolis interpretantur Patres.

Equidem puto, cum Paulus opifex fuerit humilis, & abiectæ artis, non fuiſſe habitum eum nobilem, ex inſtituto, moreq. Romanorum, apud quos profeſſio, & opificium mœchanicarum artium, veram nobilitatis rationem excludebat. Non itidem tamen ſe res habebat apud Iudæos; hi quippè nobilitatem potiſſimum ęſtimabant è claritate Tribus,& antiqua nobilitate familiæ, quemadmodum B. Ioſeph Deiparæ Virginis ſponſus, artis erat fabrilis, ſed quia erat de tribu Iuda, & familia Dauid, haud dubiè nobiliſſimus erat. Iam verò tribus Beniamin, ex qua fuit Paulus, triſariam nobilitata eſt. Primum enim, Regiæ dignitatis & poteſtatis gloriam ante alias Tribus habuit; eius namq Tribus fuit Saul, primus omnium Hebræi populi Rex. Tùm eximiæ fortitudinis bellicæ laude,ea Tribus celebrata eſt, vt indicat extremus liber Iudicum. Ac demum in ſeceſſione aliarum Tribuum à Regno Iuda,Tribus Beniamin haudquaquam ſeceſſit, ſed Tribui Iuda perpetuò cohæſit. Præter verò Tribum & familiam,etiam tria hæc perſonam quampiam egregiè nobilitabant apud Iudæos, ſacerdotium, & doctrina legis, vnde nomen & honos Scribarum, & Religio ſectæ, qualis erat Phariſæorum.

Ceterùm quiſpiam fortaſſe mirari poſſet, quomodo Paulus opifex fuit artis Scenofactoriæ,cum fuerit Ciuis Romanus. Halycarnaſſeus, Romanæ hiſtoriæ ſcriptor probatiſſimus, è numero Ciuium Romanorum eiuſmodi opifices eximit. Sed reſpondendum eſt, fuiſſe id quidem inſtitutum à Romulo initio Vrbis, quam fundauerat, ne ius Romani Ciuis alijs opificibus,quàm agricolis, & militibus impartiretur: ſed mox id abrogatum fuit à Numa Pompilio, poſteaq. ius Romanæ Ciuitatis etiam cum plebe, & quibuslibet opificibus ſemper communicatum eſt, quos & ferendi ſuffragij, & honoris petendi ius habuiſſe, pluribus conſtat exemplis. Etenim Publius Rupilius ex operis Publicanorum conſulatum adeptus eſt, imperiumq geſſit in Sicilia, atq. triumphauit. Terentius etiam Varro,qui cladem Cannenſem Conſul accepit, patrem habuit lanium, cum ipſe inſtitor mercis fuiſſet. Marcus item Scaurus Conſul, & Cenſor, patrem habuit, qui Carbonariam fecerat.

Halycarn. lib. 2. c. 6.

Sigon. lib. 2 de ant. iu. Rom. c. 12.

Quod de corporis paruitate dictum eſt, teſtatur Chryſoſtomus, & Nicephorus, quorum hic ita eam deſcribit:

Paulus corpore paruo erat, & contracto, & quaſi incuruo, atque paululum inflexo; facie candida, annoſq. plures præſeferente: capite modico: oculis multa inerat gratia: ſupercilia deorſum vergebant: Naſus pulchre inflexus, ideoq. longior; barba denſior, & ſatis prolixa: eaq. non minus quàm capitis coma canis reperſa erat. Dixit etiam ante Nicephorum Lucianus, fuiſſe illum recaluaſtrum, & ſimo naſo. Et ipſemet, quod ei ad-

Chryſ. ora. in Pet. & Paul.

Niceph. lib. 2. c. 37.

Lucian. in Philop.

uerſarij

uerſarij quidam probro dabant; libenter profitetur, corporis ſui præſentiam infirmam, & abiectam fuiſſe.

Sed à corpore ad animum gradus iam faciendus. Sua in patria non primas tantum diuinæ legis præceptiones, cùm à parentibus domi, tùm à Synagogæ, quæ Tarſi erat, magiſtris perdidicit: ſed cum tàm celebre inibi gymnaſium, vt ante dixi, eſſet, Gentilium etiam litteras, & poëtas, vt ex nonnullis eius factis, dictiſq. liquet, attigit. Quantos vero in ijs progreſſus fecerit, difficile eſt iudicare. Videtur enim interdum, ſe nec ab oratione ſplendida, & elaborata, neque à ſubtili & exquiſito philoſophandi genere inſtructum, fateri. Et ſunt, qui plures in eo ſolæciſmos notent, eumq. dicant, reconditiores animi ſenſus, Græca lingua explicare minus
1. Cor. 1. & 2. potuiſſe: cuius etiam rei ſuſpicionem illa Corinthiorum altercatio facit, qua eloquentem illum Apollo ei idcirco anteponebant, ſermoniſq. imperi-
2. Cor. 11. tiam obiectabant. Lycaones autem Paulum, quod dicendo plurimum valeret, Mercurium appellabant. Corinthij, eius epiſtolas fortes, & graues
l. 4. de doctrina Chriſti 7. agnoſcebant. Auguſtinus vero ſummam ei eloquentiæ laudem tribuit. Diuus Hieronymus aliam priorem ſententiam penitus damnare videtur, dum Paulum Euangelij tubam vocat, Leonis noſtri rugitum, Gentium to-
Hier. in c. 3 Epheſ. & ep. 151 q. 10. nitru, eloquentiæ Chriſtianæ flumen. Et alibi. Quotieſcunque Paulum lego, videor mihi non verba, ſed audire tonitrua &c. Videntur quidem verba ſimplicia, & quaſi innocentis hominis, & ruſticani, & qui nec facere, nec declinare nouerit inſidias: ſed quocunque reſpexeris, fulmina ſunt.

Act. 5. Luc. 2. Ad Gamalielis è ſublimiore loco docentis pedes eruditus, & educatus fuit. Erat porrò Gamaliel Phariſæus, legis doctor, vniuerſæ Plebi honorabilis, Simeonis illius iuſti, qui Chriſtum Dominum vlnis acceptum, cygnea voce conſalutauit, aut filius, aut diſcipulus.

Huius tanti Doctoris Sectam Phariſaicam ſecutus eſt Paulus, & præter alios complures condiſcipulos, habuit D. Stephanum, S. Barnabam, cui etiam familiarior erat: ipſos Gamalielis filios, maximè tamen primogenitum Sedemium, Simeonem illum iuniorem, quem Rabini magnum, Sanctum, Doctorumq. illis ætatis facile principem dicunt; forte etiam ſuos illos cognatos, de quibus ante. Quantus vero præ his omnibus eſſet, dum ſe ip-
Gal. 1. ſum deflet, ita indicat: Proficiebam in Iudaiſmo ſupra multos coætaneos meos in genere meo: abundantius æmulator exiſtens paternarum mearum traditionum.

Non tamen litteras tantum, diuinarumq. rerum cognitionem Paulus ſibi comparauit; tabernacula etiam ex conſutis pellibus, & cilicijs conficiendi manuariam artem adiunxit. Vnde à D. Chryſ. pellium ſutor; ab Origene, tabernaculorum faber vocatur, vt quemadmodum à piſcium piſcatu ad homines piſcandos alij: ſic iſte à terrenorum tentoriorum ſutura, ad æterna conſuenda vocaretur, inquit idem Origenes. Cur vero, & quando artem hanc didicerit, ſic habe. Qui apud Iudæos è Leuitica tribu non erant, aut vero, vt apud ceteras gentes, neque generis nobilitate, neque cenſu tanti erant, vt ſuis ſe redditibus alere poſſent, ij, etiamſi legis ſtudia conſectarentur, artificio alicui operam dabant. Ita enim peruetuſtos Hebræorum Doctores Semahaiam, Abthalionem, & Iuniorem Gamalielem præcepiſſe legimus. Cum igitur Paulus, neque Leuitici generis, neque ſplendido, &

amplo,

amplo, vti ſupra oſtenſum, loco eſſet, puer adhuc in patria,& etiam cùm Hieroſolymis poſtea, cum litteris opificium tabernaculorum coniunxit.

Vita eius, prout quidem legis, & temporis illius ſtatus erat, optima, & honeſtiſſima fuit: Ego, ait, ſecundum iuſtitiam, quæ in lege eſt, conuerſatus ſine querela. Huiuſq. ſuæ integritatis ipſos etiam, qui in aliorum vitijs oculatiſſimi, quiquè ipſius hoſtes infenſiſſimi erant, Iudæos teſtes citat: nec non ipſam, cuius inſtituta ſecutus erat, diſciplinam. *Phil.p.3.*

Melius quiddam, adeoq. ipſe Diuus Auguſtinus, Paulo tribuere videtur, dum aperte, ipſum, inſtar Zachariæ, & Eliſabeth, quorum laus in Euangelio, in omnibus legis iuſtificationibus ambulaſſe ait, & ſubiungit: Sic proſtratus horruit iuſtitiam ſuam, in qua erat certe ſine querela, laudabilis, magnus, quaſi glorioſus apud Iudæos. Et alibi. Quia ſub propoſito placendi Deo, agebatur ignarus ad culpam, ſtatim poſt admonitionem cucurrit deuotus ad gratiam. *Luc.1. Ser.5.de S. Petro & Paulo.*

Vides etiam incredibilem Dei erga Paulum, & Chriſtianos, quos omni ſuppliciorum diritate cruciandos ſuſceperat, miſericordiam, & bonitatem, dum illum tàm cæco ardore incenſum, tanta iam auctoritate armatum, à concepto ſcelere vocat, ab iſtorum ceruicibus depellit.

Agebat vero Paulus tùm annum tertium, & triceſimum: id ita patet. Sexaginta, & octo annos vixit, horumq. xxxv. in Chriſti Domini obſequio poſuit, vti clariſſime D. Chryſoſtomus teſtatur, qui eum ferè ſequitur Mich. Glycas Siculus. Superſunt igitur tres & triginta, quibus in Iudaiſmo permanſit. *Chryſ.ora. in Pet. & Paul. Glyc. An. Bizant.p.3.*

Sed cum hac ætate eſſet Paulus, vxorem non duxerat. In qua quidem re audiendi non ſunt, ait Hieronymus, qui Paulum vxorem habuiſſe confingunt, quoniam ipſemet Paulus, ſe vxoris vinculo aſtrictum nunquam fuiſſe profitetur: Volo, ait, omnes eſſe ſicut me ipſum. & infra: Dico autem innuptis, & viduis. Bonum eſt illis, ſi ſic permaneant, ſicut & ego. *Hier. epiſt. 22.ad Euſtoch.& 52. 1.Cor.7.*

Sed hæc ſatis de Paulo prælibaſſe ſufficiat.

Iudaicæ religionis auctoritas apud Reges externos. Cap. 554.

QVod autem ad Pauli conuerſionem, & rei geſtæ hiſtoriam pertinet, de qua ſupra dictum eſt, illud annotare prætermiſſimus ibi, quod non erat prætermittendum (id, quod à Baronio obſeruatum eſt) qualis, & quanta etiam apud hoſtes fuerit Iudaicæ religionis obſeruantia. Cum enim inimicitiæ, odia, atque bella conflata eſſent inter Aretam Regem Damaſci, atque Herodem; fueritq. (vt Ioſephus eſt auctor) diutius conflictatum, nec inter eos pax compoſita eſſet: nihilominus tantum ſibi iuris vendicabat apud exteros, immo & apud hoſtes ſummus Pontifex in his, quæ ad Religionem ſpectare viderentur, vt non tantum, quæ ad decimarum pertineret collectionem, ſed quæ ſummi eſſe Imperij viderentur, ſibi ſumens, daret litteras ad Synagogas Damaſci, vt qui reperti eſſent Iudæi Chriſto credentes, vincti Hieroſolymam ducerentur. Vtinam tanta ſaltem, etſi non ampliori (vt par eſſet) apud Chriſtianos principes Chriſtiana Religio, ſummumq. omnium Regale Chriſti ſacerdotium hodie auctoritate polleret, quanta *Ioſeph.ant. lib.18.c.7.*

apud

apud Reges externos, ac denique hoſtes, cultus Iudaicus habebatur. Infælicia enim noſtra tempora hæc commemorare compellunt.

Paulus poſt conuerſionem venit Hieroſolymam, vt honoris gratia videret Petrum, quem omnibus ſciebat eſſe præfectum.
Cap. 555.

Gal. 1. PAulus Apoſtolus poſt ſuam conuerſionem Hieroſolymam conceſſit. Cur vero Damaſco fugiens, Hieroſolymam contenderit, vbi maius ſanè periculum ſibi imminere, intelligere potuiſſet, quippe qui fuiſſe paternæ legis deſertor videretur, & transfuga: nulla ſanè alia cauſa ſe ad hoc fuiſſe impulſum, quàm ea ſcilicet, vt ipſum Petrum Principem omnium Apoſtolorum inuiſeret, ipſemet teſtatur; ſic enim ait: Deinde poſt annos tres veni Hieroſolymam videre Petrum, & manſi apud eum diebus quindecim. Non (inquit S. Hieronymus) vt oculos genas, vultumq. eius aſpiceret; vtrum macilentus, an pinguis, adunco naſo eſſet, an recto; & vtrum frontem veſtiret coma, an (vt Clemens in Periodis eius refert) caluitium haberet in capite. Nec puto Apoſtolicæ fuiſſent grauitatis, vt poſt tantam triennij præparationem aliquid humanum in Petro voluerit aſpicere. Sed oculis aſpexit, quibus & modo in epiſtolis ſuis videtur: his oculis Paulus vidit Cepham, quibus nunc à prudentibus quibuſque Paulus ipſe conſpicitur. Quod ſi cui non videtur, cum ſuperiori ſenſu iungat hæc omnia: quod nihil Apoſtoli ſibi contulerint. Nam & quod iuſſus ſit ire Hieroſolymam: ad hoc iſſe, vt videret Apoſtolum, non diſcendi ſtudio, qui & ipſe eundem prædicationis haberet auctorem, ſed honoris priori Apoſtolo deferendi. hucuſque S. Hieronymus. *Hieron. in ep. ad Gal.*

D. Ambr. ibid. Dignum etiam (inquit Ambroſ.) fuit, vt cuperet videre Petrũ: quia primus erat Apoſtolus, cui delegauerat Saluator curam Eccleſiarum. Aſcendit, velut ad maiorem, & ſeniorem. Vides quàm maiorem beneuolentiam habuit erga Petrum? huius enim cauſa peregrinationem ſuſceperat, & apud eundẽ commoratus eſt. Hæc & dico frequenter, & memoria retineri volo, vt ſi quæ audieritis, quæ ab eo aduerſus Petrum dicta videbantur, ne quis ſuſpectum habeat Paulum Apoſtolum: veluti cum dicit: Reſtiti Petro. Neque hæc verba putet eſſe ſimultatis aut contentionis: nam honorat virum, & diligit plus omnibus, nec ob vllum aliorum Apoſtolorum narrat ſe aſcendiſſe Hieroſolymam, ſed propter hunc ſolum. hæc ipſe. Porrò non id actum tantum (vt dictum eſt) beneuolentiæ cauſa, qua erga ceteros quoque Apoſtolos ęquè affectus erat; ſed honoris, cum ſciret Petrum à Chriſto omnibus eſſe pręfectum. Etenim cum Paulus humana doctrina non indigeret, vt qui ab vniuerſorum Deo illam accepiſſet: tamen Apoſtolorum Principi honorem, quem par eſt, tribuit. Per tot tantaq. certamina (ait Oecumen.) abijt, vt videret Petrum tamquam maiorem, aut etiam maneret cauſa honoris, quem Petro deferebat. *Theodoret. ibid. Oecumen. ibid.*

De mirabili raptu Pauli Apoſtoli ad tertium cælum, & alio raptu in Paradiſum; & de reuelatione ei facta de Gentium conuerſione, ad quas ab Apoſtolis deſtinatus fuit Apoſtolus.

Cap. 556.

TOta Apoſtoli Pauli vita, poſt agnitum Chriſtum, mirabilis extitit, & magnifica: & mirabilia per totum penè orbem operatus eſt, vt nomen Dei admirabiliſſimum fieret in vniuerſa terra. Sed illud contigit huic Apoſtolo ſupra modum admirabile, quod homo mortalis, carnis ſarcinam circũferens, & corporis pondere preſſus, & habitans in inferioribus terræ, vbi puluis eſt, & cænum, ad tertium tamen cælum virtute diuina raptus conſcenderit, vbi videtur diuinitas in maieſtate ſua, vbi aſtat Deus amictus lumine ſicut veſtimento, vbi habitant cæleſtes Hierarchiæ, vbi magna Dei domus celſis parietibus eleuata conſpicitur, vbi eſt habitaculum æternæ, & iucundiſſimæ lucis, vbi fulgent iuſti ſicut ſol, & aſtra matutina laudant Deum, vbi eſt inenarrabilis decor, & ſuper pulcherrima pulchritudo, quæ ſpectantium oculos lætificat, vbi eſt regio viuorum, & terra viuentium, locus præfulgens, immobilis, impaſſibilis, & diuinis ornamentis decoratus, altitudine, & amplitudine tàm excelſus, vt diceres eſſe infinitum, ſi corpori infinitas competere poſſet.

Acceſſit igitur Paulus ad inacceſſibilem lucem, vbi vidit diuina, & audiuit arcana, vt cum deberet gentes ad cælum ducere, ſciret, & doceret ad quam ſpem perueniat Chriſtiana fides, certoſq. faceret mortales de dignitate æternæ, & beatæ illius vitæ, & quod non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.

Raptum autẽ ſuum hoc modo enarrat Corinthijs ipſemet, qui raptus fuit: Veniam autem ad viſiones, & reuelationes Domini: Scio hominem in Chriſto ante annos quatuordecim, (ſiue in corpore, neſcio, ſiue extra corpus, neſcio, Deus ſcit) raptum huiuſmodi vſque ad tertium cælum. Deinde vero commemorat ſecundum raptum: 2. Cor. 12.

Et ſcio huiuſmodi hominem, (ſiue in corpore, ſiue extra corpus, neſcio) quoniam raptus eſt in Paradiſum: Et audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui.

Conſideret vniuſquiſque, ſi poteſt, Empyrei cæli, ad quod Paulus raptus eſt, altitudinem, & inenarrabile lumen, & cæleſtis Paradiſi amœniſſimam, & delectabiliſſimam regionem: ingens, & ſublime tabernaculum Angelorum, atque hominum: & quæ ibi Deus cum quanta magnificentia ad Angelos, homineſq. oblectandos creauit, & animo voluat, vt poteſt, inuiſibilia illa bona, quæ vidit, & inenarrabilia arcana, quæ audiuit, & præ magnitudine, & dignitate de illis loqui non poterit. & gratias agat Deo, qui conſedere nos facit in cæleſtibus in Chriſto Ieſu, & ciues conſtituit in regno Dei. Per ipſum enim habemus fiduciam, & acceſſum in vno ſpiritu ad dexteram maieſtatis in excelſis, & aditum ad immarceſcibilem hæreditatem, & diuitias gloriæ, cuius anni non deficiunt.

Raptus eſt autem, ne videretur ipſis Apoſtolis minor, qui vnà cum Chriſto conuerſati fuerant. Creditur autem in illo raptu vidiſſe Gentium conuerſio-

uerſionem, fuiſſeq. illi oſtenſam, quoniam ad gentes Apoſtolus ab Apoſtolis eſſet mittendus. Quod poſtea, cum iterum vnà cum Barnaba, & Tito Hieroſolymam venit, eſt fæliciter adimpletum. Vnde meritò ſe illuc aſcendiſſe, ſecundum acceptam reuelationem teſtatur, & contuliſſe cum Apoſtolis Euangelium, quod Gentibus prædicabat. Itaque eodem anno, quo prædicandi Euangelij munus Paulus ſuſcepit, tàm inſignes reuelationes accepit.

Paulus cum Barnaba à Spiritu ſancto ad prædicandum Euangelium ſegregatur: Elimam Magum peſſimum, aduerſantem Euangelio, cæcitate percutit: & Proconſulem Sergium ad fidem conuertit. In Piſidia apud Iudæos habet prædicationem. Diſſeminat per vniuerſam regionem Dei verbum, & multos ex gentibus conuertens, à Iudæis incredulis perſecutionem patitur; at ipſe excuſſo puluere pedum receſſit inde. *Cap.* 557.

Act. 13. ERant in Eccleſia, quæ erat Antiochiæ, Prophetæ, & Doctores, in quibus Barnabas, & Simon, qui vocabatur Niger, & Lucius Cyrenenſis, & Manahen, qui erat Herodis Tetrarchæ Collactaneus, & Saulus.

Miniſtrantibus autem illis Domino, & ieiunantibus, dixit illis Spiritus ſanctus: Segregate mihi Saulum, & Barnabam in opus, ad quod aſſumpſi eos.

Tunc ieiunantes, & orantes, imponenteſq. eis manus, dimiſerunt illos.

Et ipſi quidem miſſi à Spiritu ſancto abierunt Seleuciam; & inde nauigauerunt Cyprum.

Et cum veniſſent Salaminam, prædicabant verbum Dei in Synagogis Iudæorum: habebant autem & Ioannem in miniſterio.

Et cum perambulaſſent vniuerſam Inſulam vſque Paphum, inuenerunt quemdam virum magum, Pſeudoprophetam Iudæorum, cui nomen erat Bariehù.

Qui erat cum Proconſule Sergio Paulo viro prudente: Hic accerſitis Barnaba, & Saulo, deſiderabat audire verbum Dei.

Reſiſtebat autem illis Elimas magus (ſic enim interpretatur nomen eius) quærens auertere Proconſulem à fide.

Saulus autem, qui & Paulus, repletus Spiritu ſancto, intuens in eum, dixit: O plene omni dolo, & omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis iuſtitiæ, non deſinis ſubuertere vias Domini rectas?

Et nunc ecce manus Domini ſuper te, & eris cæcus, non videns Solem vſque ad tempus, & confeſtim cecidit in eum caligo, & tenebræ: & circumiens quærebat, qui ei manum daret.

Tunc Proconſul, cum vidiſſet factum, credidit admirans ſuper doctrina Domini.

Et cum à Papho nauigaſſent Paulus, & qui cum eo erant, venerunt Pergen Pamphyliæ. Ioannes autem diſcedens ab eis, reuerſus eſt Hieroſolymã.

Illi vero pertranſeuntes Pergen, venerunt Antiochiam Piſidiæ; & ingreſſi Synagogam die ſabbatorum, ſederunt.

Poſt

Poſt lectionem autem legis, & Prophetarum, miſerunt Principes Synagogæ ad eos, dicentes: Viri fratres, ſi quis eſt in vobis ſermo exhortationis ad plebem, dicite.

Surgens autem Paulus, & manu ſilentium indicens, ait: Viri Iſraelitæ, & qui timetis Deum, audite.

Deus plebis Iſrael elegit Patres noſtros, & plebem exaltauit, cum eſſent incolæ in terra Aegypti, & in brachio excelſo eduxit eos ex ea. *Exo 1.*

Et per quadraginta annorum tempus mores eorum ſuſtinuit in deſerto. *Exo.13 21 22. & 16.*

Et deſtruens gentes ſeptem in terra Chanaan, ſorte diſtribuit eis terram eorum. *Ioſ. 14.*

Quaſi per quadringentos, & quinquaginta annos: & poſt hæc dedit Iudices, vſque ad Samuel Prophetam. *Iud.3.*

Et exinde poſtulauerunt regem, & dedit illis Deus Saul filium Cis, virum de Tribu Beniamin, annis quadraginta. *1.Reg.8.5. & 9 16 & 10.1.*

Et amoto illo, ſuſcitauit illis Dauid Regem: cui teſtimonium perhibens, dixit: Inueni Dauid filium Ieſſe, virum ſecundum cor meum, qui faciat omnes voluntates meas. *1.Reg. 16. 13.*

Huius Deus ex ſemine ſecundum promiſſionem eduxit Iſrael, Saluatorem Ieſum. *Pſal 88.21 Iſa. 11. 1.*

Prædicante Ioanne ante faciem aduentus eius baptiſmum pœnitentiæ omni populo Iſrael. *Mat. 3. 1. Mar. 1. 2. Luc. 3. 3.*

Cum impleret autem Ioannes curſum ſuum dicebat: Quem arbitramini eſſe me, non ſum ego; ſed ecce venit poſt me, cuius non ſum dignus calceamenta pedum ſoluere. *Io.1.20. Mat.1.*

Viri fratres, filij generis Abraham, & qui in vobis timent Deum, vobis verbum ſalutis huius miſſum eſt. *Mat. 3.11.*

Qui enim habitabant Ieruſalem, & Principes eius hunc ignorantes, & voces Prophetarum, quæ per omne ſabbatum leguntur, iudicantes impleuerunt.

Et nullam cauſam mortis inuenientes in eo, petierunt à Pilato, vt interficerent eum. *Mat.27.20 22.*

Cumq. conſummaſſent omnia, quæ de eo ſcripta erant, deponentes eum de ligno, poſuerunt eum in monumento. *Mar.15.13 Luc.23.21. 23.*

Deus vero ſuſcitauit eum à mortuis tertia die: qui viſus eſt per dies multos his. *Io. 19 16.*

Qui ſimul aſcenderunt cum eo de Galilæa in Ieruſalem: Qui vſque nunc ſunt teſtes eius ad plebem. *Mat. 28. Mar. 16.*

Et nos vobis annunciamus, eam, quæ ad patres noſtros repromiſſio facta eſt. *Luc. 24. Io. 20.*

Quoniam hanc Deus adimpleuit filijs noſtris, reſuſcitans Ieſum: ſicut, & in Pſalmo ſecundo ſcriptum eſt: Filius meus es tu, Ego hodie genui te. *Pſal. 2.*

Quod autem ſuſcitauit eum à mortuis, amplius iam non reuerſurum in corruptionem, ita dixit: quia dabo vobis Sancta Dauid fidelia. *Iſa.55.*

Ideoquè, & alias dicit: Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem. *Pſal.15.10*

Dauid enim in ſua generatione cum adminiſtraſſet, voluntati Dei dormiuit: & appoſitus eſt ad patres ſuos, & vidit corruptionem. *2. Reg. 2. 10.*

Quem vero Deus ſuſcitauit à mortuis, non vidit corruptionem.

Notum

Notum igitur ſit vobis, viri fratres, quia per hunc vobis remiſſio peccatorum annunciatur, & ab omnibus, quibus non potuiſtis in lege Moyſi iuſtificari, in hoc omnis, qui credit, iuſtificatur.

Videte ergo, ne ſuperueniat vobis, quod dictum eſt in Prophetis:

Haba.1.5. Videte contemptores, & admiramini, & diſperdimini, quia opus operor ego in diebus veſtris, opus quod non credetis, ſi quis enarrauerit vobis.

Exeuntibus autem illis rogabant, vt ſequenti ſabbato loquerentur ſibi verba hæc.

Cumq. dimiſſa eſſet Synagoga, ſecuti ſunt multi Iudæorum, & colentiũ aduenarum, Paulum, & Barnabam, qui loquentes ſuadebant eis, vt permanerent in gratia Dei.

Sequenti vero Sabbato, plene vniuerſa Ciuitas conuenit audire verbum Dei.

Videntes autem turbas Iudæi, repleti ſunt zelo; & contradicebant his, quæ à Paulo dicebantur, blaſphemantes.

Tunc conſtanter Paulus, & Barnabas dixerunt: Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad Gentes.

Iſa.49.6. Sic enim præcepit nobis Dominus: Poſui te in lucem Gentium, vt ſis in ſalutem vſque ad extremum terræ.

Audientes autem Gentes gauiſæ ſunt, & glorificabant Verbum Domini, & crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam.

Diſſeminabatur autem Verbum Domini per vniuerſam regionem.

Iudæi autem concitauerunt mulieres religioſas, & honeſtas, & primos Ciuitatis, & excitauerunt perſecutionem in Paulum, & Barnabam, & eiecerunt eos de finibus ſuis.

Marc.6. At illi excuſſo puluere pedum in eos, venerunt Iconium.

Mat.10 14 Diſcipuli quoque replebantur gaudio, & Spiritu ſancto.

Luc.9.5. Quantum autem pertinet ad Elimam Magum, tantum abfuit, vt cæcitate *Dionyſ. de diu.no.c.8.* percuſſus aliquando reſipuerit, vt magis, atque magis in Euangelicam doctrinam inſaniens (quod teſtatur Dionyſius) librum ediderit aduerſus Pauli prædicationem, & Chriſti fidem.

Paulus, & Barnabas Iconij faciunt ſigna, & prodigia multa, multosq. ad Chriſti fidem conuertunt. Liſtris claudum, qui nunquam ambulauerat, Paulus iubet ſurgere ſuper pedes ſuos. Populus admirans ſigni magnitudinem, credebat Barnabam eſſe Iouem, & Paulum Mercurium, & illi ſacrificare volebant. Iudæi perſequentes, turbis excitatis, Paulum lapidant, & ſemimortuum relinquunt, qui ad alias ciuitates euangelizandas pergit. Cap. 558.

Act.14. FActum eſt autem Iconij, vt Barnabas & Paulus ſimul introirent in Synagogam Iudæorum, & loquerentur, ita vt crederet Iudæorum, & Græcorum copioſa multitudo.

Qui vero increduli fuerunt Iudæi, ſuſcitauerunt, & ad iracundiam concitauerunt

uauerunt animas Gentium aduerſus fratres.

Multo igitur tempore demorati ſunt, fiducialiter agentes in Domino, teſtimonium perhibente verbo gratiæ ſuæ, dante ſigna, & prodigia fieri per manus eorum.

Diuiſa eſt autem multitudo Ciuitatis: & quidam quidem erant cum Iudæis, quidam vero cum Apoſtolis.

Cum autem factus eſſet impetus Gentilium, & Iudæorum cum Principibus ſuis, vt contumelijs afficerent, & lapidarent eos.

Intelligentes confugerunt ad Ciuitates Lycaoniæ, Lyſtram, & Derben, & vniuerſam in circuitu regionem, & ibi euangelizantes erant.

Et quidam vir Lyſtris, infirmus pedibus, ſedebat claudus ex vtero matris ſuæ, qui numquam ambulauerat.

Hic audiuit Paulum loquentem. Qui intuitus eum, & videns quia fidem haberet, vt ſaluus fieret.

Dixit magna voce: Surge ſuper pedes tuos rectus. Et exiliuit, & ambulabat.

Turbæ autem, cum vidiſſent, quod fecerat Paulus, leuauerunt vocem ſuam Lycaonice, dicentes: Dij ſimiles facti hominibus, deſcenderunt ad nos.

Et vocabant Barnabam Iouem, Paulum vero Mercurium: quoniam ipſe erat Dux verbi.

Sacerdos quoque Iouis, qui erat ante Ciuitatem Tauros, & Coronas ante ianuas afferens cum populis volebat ſacrificare.

Quod vbi audierunt Apoſtoli, Barnabas, & Paulus, conſciſſis tunicis ſuis exilierunt in turbas clamantes,

Et dicentes: Viri, quid hæc facitis? & nos mortales ſumus, ſimiles vobis homines annunciantes vobis ab his vanis conuerti ad Deum viuum, qui fecit cœlum, & terram, & mare, & omnia quæ in eis ſunt: *Pſal.* 145. *Apo.* 14.

Qui in præteritis generationibus dimiſit omnes gentes ingredi vias ſuas.

Et quidem nõ ſine teſtimonio ſemetipſum reliquit benefaciens de Cœlo, dans pluuias, & tempora fructifera, implens cibo, & lætitia corda noſtra.

Et hæc dicentes, vix ſedauerunt turbas, ne ſibi immolarent.

Superuenerunt autem quidam ab Antiochia, & Iconio Iudæi; & perſuaſis turbis, lapidantesq. Paulum, traxerunt extra Ciuitatem, exiſtimantes eum mortuum eſſe.

Circumdantibus autem eum diſcipulis, ſurgens intrauit Ciuitatem, & poſtera die profectus eſt cum Barnaba in Derben.

Cumque euangelizaſſent Ciuitati illi, & docuiſſent multos, reuerſi ſunt Lyſtram, & Iconium, & Antiochiam.

Confirmantes animas diſcipulorum, exhortantesq. vt permanerent in fide: & quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei.

Et cum conſtituiſſent illis per ſingulas Eccleſias presbyteros, & oraſſent cum ieiunationibus, commendauerunt eos Domino, in quem crediderunt.

Tranſeunteſq. Piſidiam, venerunt in Pamphyliam,

Et loquentes verbum Domini in Perge, deſcenderunt in Ataliam:

Et inde nauigauerunt Antiochiam, vnde erant traditi gratiæ Dei in opus, quod compleuerunt. *Sap.* 13. 1

Cum autem veniſſent, & congregaſſent Eccleſiam, retulerunt quanta fe-ciſset Deus cum illis, & quia aperuiſſet Gentibus oſtium fidei.

Morati ſunt autem tempus non modicum cum diſcipulis.

Cæterùm inter præclara Pauli geſta apud Iconium, extitit conuerſio admiranda Theclæ clariſſimæ Virginis, per quam Deus mira operatus eſt: Nos hic tamen aliqua, & ex dictis Patrum, & ex purgatis actis excepta enarrabimus.

Thecla, Virgo nobiliſſima, à Patribus laudata, magnarum virtutum exempla imitanda reliquit, quæ & leonem, & alias immanes beſtias ad manſuetudinem traxit, ignemq. illæſa ſuperauit. Cap. 559.

Ex Gregor. Niſſen. in Cant ho. 4. — *Ex Epiph. hæreſ. 78.* — *Aug. cont. Fauſt. l. 30 c 4.*

ICONIJ autem, inter ceteros, conſtat Theclam nobiliſſimam Virginem, ad fidem Chriſti eſſe conuerſam. De ea, hæc Gregorius Niſsen. Talem myrrham olim Paulus infundebat, ex ore ſuo mixtam cum puro pudicitiæ lilio in ſanctæ Virginis aures: ea vero erat Thecla, quæ præclare animo ſuo defluentibus de lilio guttis, hominem externum morte opprimit, omni cogitatione cupiditateq. extincta. Thecla incidit in Paulum Sanctum, & à nuptijs exoluitur, cum curatorem, ſiue ſponſum haberet formoſiſſimum, primarium vrbis, valde diuitem, generoſiſſimum ac illuſtriſſimum. In vita contemnit terrena Sancta illa, vt cœleſtium potens fiat: & oppignorata thalamo in amorem perpetuæ virginitatis Pauli eloquio ſuccenſa eſt.

Chryſoſt. in act. Apoſt. hom 25. — *S. Amb. de Virg lib. 2.*

Hæc, vt cuſtodem carceris, quo Paulus Iconij tenebatur incluſus, ſibi conciliaret, gemmis, & muliebri mundo diſtractis, pecuniam inde acceptam illi donauit, vt ad Pauli colloquium ſibi pararet aditum. Hæc, vt Paulum videret, aurum ſuum dedit, ſed aliqui, vt Chriſtum videant, nec obolum dare volunt. Quoniã autem magnæ virtutis ſpecimẽ propter fidei ſuſceptæ magnitudinem, omnium oculis oſtendit: propterea S. Ambroſius de ea loquens, his verbis alloquitur Virgines: Thecla doceat immolari, quæ copulam fugiens nuptiarum, & ſponſi furore damnata, naturam etiam beſtiarum virginitatis veneratione mutauit: namq. parata ad feras, cum aſpectus quoque declinaret virorum, ac vitalia ipſa ſæuo afferret leoni, fecit, vt qui impudicos detulerant oculos, pudicos referrent. Cernere erat lingentem pedes beſtiam, cubitare humi, muto teſtificante ſono, quod ſacrum virginis corpus violare non poſſet: ergo adorabat prædam ſuam beſtia, & propriæ oblita naturæ, naturam induerat, quam homines omiſerant. hæc ibi. Et ad Simplicianum ſcribens, hæc in eandem ſententiam: Inter leones virgo exultauit, & prodeuntes beſtias expectauit intrepida. Repetit & eadem de leonibus in epiſtola ad Vercellenſem Eccleſiam, ſic dicens: Quo munere venerabilis Thecla etiam leonibus fuit, vt ad pedes prædæ ſuæ ſtratæ impaſtæ beſtiæ ſacrum deferrent ieiunium, nec procaci oculo virginem, nec vngue violarent aſpero. Hæc Ambroſius.

Cypr. orat. pro mar. & in die paſſion.

Quod præterea & ignes Thecla ſubijſſe, ac illæſa remanſiſſe, in eadem quoque ſcribatur hiſtoria, Cypriani ea ad Deum obteſtatione ſic habet teſtatum: Aſſiſte nobis, ſicut Paulo in vinculis, & ſicut Theclæ in ignibus.

Et

Et alibi: Libera me de medio huius ſeculi, ſicut liberaſti Theclam de medio amphytheatro. Gregorius Nazianzenus eadem ſic dixit: Non te fugit, Theclam ignium, & beſtiarum impetum euitaſſe? Rurſum alibi, his verſibus.

Greg. Naz. ad virgin. exhort.

Id. in præcep. ad vir.

Quis Theclam necis eripuit, flammæq. periclo
Quis validos vngues vinxit, rabiemq. ferarum
Virginitas. O res omni mirabilis æuo.
Virginitas fuluos potuit ſopire leones,
Dente nec impuro generoſos virginis artus
Auſi ſunt premere, & rigido diſcerpere morſu.

Hæc eadem Maximus Taurinenſis, in hæc verba: Theclam flammarum globos euaſiſſe cognoſcis. Addam & illa, quæ pertinere ad eandem rem videntur, pia ſcilicet Sanctorum martyrum Terentij, & ſociorum in hunc modum concepta verba: Qui Danielem de ore leonis eripuiſti, & de manu Pharaonis Moyſen ſeruaſti, & Sanctam Theclam ab igne, & theatro, & feris, & beſtijs taurinis defendiſti, &c. Non tantum leonibus fuiſſe obiectam, ſed & tauris alligatam, vt illis in diuerſa actis, ſic diſcerperetur, eadem eius acta teſtantur.

Maximus ſerm. de S. Agn. Metaphor. die 10. April.

Vita Sanctæ Theclæ Virginis & Martyris compendium. *Cap. 560.*

IN Iconio natale Sanctæ Theclæ Virginis apud Seleuciam quieſcentis, quæ de eadem Ciuitate Iconio à Beato Paulo Apoſtolo inſtructa eſt. Quam mater eius cernens Chriſtianam, & nuptum repudiare, malentem Chriſto ſponſo adhærere, quàm corruptioni carnis ſubiacere, pergens ad Iudicem, accuſauit Virginem filiam ſuam eſſe Chriſtianam, dicens, viuam eam, vt ceteræ mulieres terrerentur, debere ardere. Quam ſibi cum iuſſiſſet Iudex adduci, & propoſitum caſtitatis eius didiciſſet, rogum fecit parari, vt illam incenderet. Rapta igitur ab Apparitoribus, vt in focum iactaretur, ſponte pyram aſcendit, & ſigno Crucis facto, virili animo inter medias flammas ſtetit, ſubitoq. facta inundatione pluuiarum, ignis extinctus eſt, & Beata Virgo illæſa virtute ſuperna erigitur.

Ado. epiſc. Treuer. in Martyrolo. 9. kal. Octobris.

Iterum cum ieiunijs, vigilijs, & orationibus vacaret, à quodam viro potente comprehenſa, perducta eſt ad Præſidem, quod ſe Chriſtianam diceret. Quam idem Proconſul interrogans, ſi verum eſſet, in quo accuſabatur? Reſpondit, omninò Chriſtianam ſe eſſe. Quam continuo Præſes ad beſtias damnauit. Interim tamen quo ſubrigeretur, commendatur cuidam nobili feminæ, quæ propinqua Cæſaris erat, nomine Triphena. Sequenti die productæ ſunt beſtiæ de Caueis. Siſtitur Beata Thecla in arenis medijs, ſtupente populo, quod eam beſtiæ minimè tangerent.

Reducitur Beata Thecla ad domum Triphenæ, vt in craſtinum iterum feris obijceretur. Quam miniſtri cum de domo repeterent, Triphena doloris plena ſequitur eam vſque ad ſpectaculum, vbi clamor vulgi & tumul-

tus erat immenſus, Beatam Theclam ſpectantium. Nudata verò Beata Virgine, dimittuntur ei leones pariter & vrſi. Sed nulla ferarum eam lædere præſumpſit. Deinde in foſſam aqua plenam, vbi ſerpentes adunati, & collecti fuerant, à furentibus populis cum vrgeretur, ſigno Crucis munita inſiliuit: ſed nec ab eis vllo pacto læſa.

Iterum atrociores beſtiæ parantur: ſed vllo modo tangere eam non ſunt permiſſæ. Verùm nec adhuc ſibi crudelitas modum ponit. Alligatur duobus tauris ferociſſimis, ferro candente ſtimulatis, vt eam diſcerperent. Qui funibus diruptis, vagabundi huc illucq; diſcurrunt, ac martyrem nullum malum paſſam relinquunt.

Accerſitam denique Proconſul eam requirit, quæ, aut vnde eſſet, quia nulla beſtiarum eam lædere potuiſſet? Beata Thecla reſpondit: Dei viui tantum ſum ancilla. Territus autem Proconſul, quod tantæ virtutis eſſet, induta ea veſtibus, edixit ſententiam, Theclam, inquit, pietatis, ac Dei cultricem relaxo. Dimiſſa verò, reuerſa eſt in domum Triphenæ, vbi requieuit paucis diebus; docens Triphenam, & domum eius in fidem Domini Ieſu Chriſti. Inde egreſſa venit Seleuciam, ibiq; exemplo & conuerſatione vitæ, atque etiam doctrina plurimos erudiens, poſt multa certamina, duplicis coronæ Virginitatis, & Martyrij, requieuit in pace. Hæc de Thecla. Plura autem de ea videri poſſunt in vita eius, quæ inter vetuſtiſſimos codices inuenta, nuper edita eſt.

Paulus varijs Ciuitatibus bonum nuncium ſalutis prædicat; Lidiam Purpurariam cum domo eius ad fidem pertrabit. Puellam habentem ſpiritum pythonem liberat. Truditur in carcerem, fit terremotus, aperiuntur oſtia, & vincula captiuorum ſoluuntur. Cuſtos carceris obſtupefactus, cum domo ſua credit Paulo, & baptizatur. Cap. 561.

Act. 16. CVm autem pertranſirent Ciuitates, tradebant eis cuſtodire dogmata, quæ erant decreta ab Apoſtolis, & ſenioribus, qui erant Ieroſolymis.

Et Eccleſiæ quidem confirmabantur fide, & abundabant numero quotidie.

Tranſeuntes autem Phrygiam, & Galatiæ regionem, vetati ſunt à Spiritu ſancto loqui verbum Dei in Aſia.

Cum veniſſent autem in Myſiam, tentabant ire in Bithyniam, & non permiſit eos ſpiritus Ieſu.

Cum autem pertranſiſſent Myſiam, deſcenderunt Troadem.

Et viſio per noctem Paulo oſtenſa eſt: Vir Macedo quidam erat ſtans, & deprecans eum, & dicens: Tranſiens in Macedoniam, adiuua nos.

Vt autem viſum vidit, ſtatim quæſiuimus proficiſci in Macedoniam, certi facti, quod vocaſſet nos Deus euangelizare eis.

Nauigantes autem à Troade, recto curſu venimus Samothraciam, & ſequenti die Neapolim.

Et inde Philippos, quæ eſt prima partis Macedoniæ Ciuitas, colonia: eramus autem in hac Vrbe diebus aliquot, conferentes.

Die

Die autem Sabbatorum egreſſi ſumus foras portã iuxta flumen, vbi videbatur oratio eſſe: & ſedentes loquebamur mulieribus, quæ conuenerant.

Et quædam mulier nomine, Lydia, purpuraria Ciuitatis Thyatirenorum, colens Deum, audiuit. Cuius Dominus aperuit cor intendere his, quæ dicebantur à Paulo.

Cum autem baptizata eſſet, & domus eius, deprecata eſt dicens: Si iudicaſtis me fidelem Domino eſſe, introite in domum meam, & manete. Et coegit nos.

Factum eſt autem euntibus nobis ad orationem, puellam quandam habentem ſpiritum pythonem obuiare nobis, quæ quæſtum magnum præſtabat Dominis ſuis diuinando.

Hæc ſubſecuta Paulum, & nos, clamabat dicens: Iſti homines, ſerui Dei excelſi ſunt, qui annunciant vobis viam ſalutis.

Hoc autem faciebat multis diebus. Dolens autem Paulus, & conuerſus ſpiritui dixit: Præcipio tibi in nomine Ieſu Chriſti exire ab ea: & exijt eadem hora. Videntes autem Domini eius, quia exiuit ſpes quæſtus eorum, apprehendentes Paulum, & Silam perduxerunt in forum ad Principes.

Et offerentes eos magiſtratibus, dixerunt: Hi homines conturbant Ciuitatem noſtram, cum ſint Iudæi.

Et annunciant morem, quem non licet nobis ſuſcipere, neque facere, cum ſimus Romani.

Et cucurrit plebs aduerſus eos; & Magiſtratus, ſciſſis tunicis eorum, iuſſerunt eos virgis cædi. 2. Cor. 11. 25.

Et cum multas plagas eis impoſuiſſent, miſerunt eos in carcerem, præcipientes Cuſtodi, vt diligenter cuſtodiret eos. 1. Theſ. 2. 2

Qui cum tale præceptum accepiſſet, miſit eos in interiorem carcerem, & pedes eorum ſtrinxit ligno. Phil 1. 13.

Media autem nocte Paulus, & Silas orantes, laudabant Deum: & audiebant eos, qui in cuſtodia erant.

Subito vero terræmotus factus eſt magnus, ita vt mouerentur fundamenta carceris. Et ſtatim aperta ſunt omnia oſtia: & vniuerſorum vincula ſoluta ſunt.

Expergefactus autem Cuſtos carceris, & videns ianuas apertas carceris, euaginato gladio volebat ſe interficere, æſtimans fugiſſe vinctos.

Clamauit autem Paulus voce magna, dicens: Nihil tibi mali feceris: vniuerſi enim hic ſumus.

Petitoq. lumine, introgreſſus eſt: & tremefactus procidit Paulo, & Silæ ad pedes.

Et producens eos foras, ait: Domini, quid me oportet facere, vt ſaluus fiam?

Et illi dixerunt: Crede in Dominum Ieſum; & ſaluus eris tu, & domus tua.

Et locuti ſunt ei verbum Domini cum omnibus, qui erant in domo eius.

Et tollens eos in illa hora noctis, lauit plagas eorum: & baptizatus eſt ipſe, & omnis domus eius continuo.

Cumque perduxiſſet eos in domum ſuam, appoſuit eis menſam, & lætatus eſt cum omni domo ſua credens Deo.

Et cum dies factus eſſet, miſerunt Magiſtratus lictores, dicentes: Dimitte homines illos.

Nunciauit autem Cuſtos carceris verba hæc Paulo: Quia miſerunt Magiſtratus, vt dimittamini: nunc igitur exeuntes, ite in pace.

Paulus autem dixit eis: Cæſos nos publice, indemnatos, homines Romanos, miſerunt in carcerem, & nunc occulte nos eijciunt? Non ita, ſed: veniant, & ipſi nos eijciant.

Nunciauerunt autem Magiſtratibus lictores verba hæc: Timueruntq. audito, quod Romani eſſent.

Et venientes deprecati ſunt eos, & educentes rogabant, vt egrederentur de Vrbe.

Exeuntes autem de carcere, introierunt ad Lydiam: & viſis fratribus conſolati ſunt eos, & profecti ſunt.

Paulus prædicat verbum Dei Theſſalonicæ: Conuertitur ad Chriſti fidem multitudo magna, & mulieres nobiles non paucæ: fit perſecutio contra Paulum, qui Athenas profectus, prædicat verbum in Areopago, & conuertitur Dionyſius, & alij. Cap. 562.

Act. 17. CVm autem Paulus, & ſocij eius perambulaſſent Amphipolim, & Apolloniam, venerunt Theſſalonicam, vbi erat Synagoga Iudæorum.

Secundum conſuetudinem autem Paulus introiuit ad eos, & per Sabbata tria diſſerebat eis de Scripturis.

Adaperiens, & inſinuans, quia Chriſtum oportuit pati, & reſurgere à mortuis: quia hic eſt Ieſus Chriſtus, quem ego annuncio vobis.

Et quidam ex eis crediderunt, & adiuncti ſunt Paulo, & Silæ, & de colentibus, Gentilibuſq. multitudo magna, & mulieres nobiles non paucæ.

Zelantes autem Iudæi, aſſumenteſq. de vulgo viros quoſdam malos, & turba facta, concitauerunt Ciuitatem, & aſſiſtentes domui Iaſonis, quærebant eos producere in populum.

Et cum non inueniſſent eos, trahebant Iaſonem, & quoſdam fratres ad Principes Ciuitatis, clamantes: Quoniam hi, qui Vrbem concitant, & huc venerunt.

Quos ſuſcepit Iaſon, & hi omnes contra decreta Cæſaris faciunt, Regem alium dicentes eſſe Ieſum.

Concitauerunt autem plebem, & Principes Ciuitatis audientes hæc.

Et accepta ſatisfactione à Iaſone, & à ceteris, dimiſerunt eos.

Fratres vero confeſtim per noctem dimiſerunt Paulum, & Silam in Beroeam. Qui cum veniſſent, in Synagogam Iudæorum introierunt.

Hi autem erant nobiliores eorum, qui ſunt Theſſalonicæ, qui ſuſceperunt verbum cum omni auiditate, quotidie ſcrutantes Scripturas, ſi hæc ita ſe haberent.

Et multi quidem crediderunt ex eis, & mulierum Gentilium honeſtarum, & viri non pauci.

Cum autem cognouiſſent in Theſſalonica Iudæi, quia & Beroeæ prædicatum eſt à Paulo verbum Dei, venerunt & illuc, commouentes, & turbantes multitudinem.

Statimq.

Statimq. tunc Paulum dimiſerunt fratres, vt iret vſq. ad mare. Silas autem, & Timotheus remanſerunt ibi.

Qui autem deducebant Paulum, perduxerunt eum vſque Athenas, & accepto mandato ab eo ad Silam, & Timotheum, vt quàm celeriter venirent ad illum, profecti ſunt.

Paulus autem cum Athenis eos expectaret, incitabatur ſpiritus eius in ipſo, videns idololatriæ deditam Ciuitatem.

Diſputabat igitur in Synagoga cum Iudæis, & colentibus, & in foro, per omnes dies ad eos, qui aderant.

Quidam autē Epicurei, & Stoici philoſophi diſſerebant cum eo, & quidā dicebant: Quid vult ſeminiuerbius hic, dicere? Alij vero: Nouorū Dæmoniorum videtur annunciator eſſe: quia Ieſum, & reſurrectionē annunciabat eis.

Et apprehenſum eum ad Areopagum duxerunt dicentes: Poſſumus ſcire, quæ eſt hæc noua, quæ à te dicitur, doctrina?

Noua enim quædam infers auribus noſtris: Volumus ergo ſcire quidnam velint hæc eſſe.

(Athenienſes autem omnes, & aduenæ hoſpites, ad nihil aliud vacabant niſi, aut dicere, aut audire aliquid noui)

Stans autem Paulus in medio Areopagi, ait: Viri Athenienſes per omnia quaſi ſuperſtitioſiores vos video.

Præteriens enim, & videns ſimulachra veſtra, inueni, & aram, in qua ſcriptum erat: IGNOTO DEO. Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuncio vobis.

Deus, qui fecit mundum, & omnia, quæ in eo ſunt, hic Cæli, & terræ cum ſit Dominus, non in manufactis templis habitat. *Gen. 1. 1. Act. 7.*

Non manibus humanis colitur, indigens aliquo, cum ipſe det omnibus vitam, & inſpirationem, & omnia:

Fecitq. ex vno omne genus hominum inhabitare ſuper vniuerſam faciem Terræ, definiens ſtatuta tempora, & terminos habitationis eorum.

Quærere Deum ſi forte attrectent eum, aut inueniant, quamuis non longe ſit ab vnoquoque noſtrum.

In ipſo enim viuimus, & mouemur, & ſumus: Sicut & quidam veſtrorum Poetarum dixerunt: Ipſius enim & genus ſumus.

Genus ergo cum ſimus Dei, non debemus æſtimare auro, aut argento, aut lapidi, ſculpturæ artis, & cogitationis hominis, Diuinum eſſe ſimile.

Et tempora quidem huius ignorantiæ deſpiciens Deus, nunc annunciat hominibus, vt omnes vbiq. pœnitentiam agant.

Eo quod ſtatuit diem, in quo iudicaturus eſt Orbem in æquitate, in viro, in quo ſtatuit, fidem præbens omnibus, ſuſcitans eum à mortuis.

Cum audiſſent autem reſurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant; quidam vero dixerunt: Audiemus te de hoc iterum.

Sic Paulus exiuit de medio eorum.

Quidam vero viri adhærentes ei, crediderunt: in quibus & Dionyſius Areopagita, & mulier nomine Damaris, & alij cum eis.

Areopagus autem, in quem ductus fuit Paulus, erat locus iuxta mare, Promontorium Martis dictum, à quo nomen deductum, vt Areopagus diceretur: vbi primū capitis iudicium actum fuiſſe dicebant: Nam, vt Gentilium referūt *Plin. lib. 7. nat. hiſt. Steph. de Vrbibus.*

ſabulæ, cum Mars homicidij crimine reus factus eſſet à Neptuno, iudicātibus duodecim Dijs; eo loco fit ſententijs abſolutus: accuſatus enim fuerat, quoniam Neptuni filium, qui vim Alcippæ filiæ ſuæ intulerat, occidiſſet. Veriſimilior eſt eorum ratio, ita nominatum Ariopagum, quod in eo tractarentur cauſæ homicidarum, qui martiali, ac hoſtili animo quempiam trucidaſſent.

Demoſt. in Orat. cont. Ariſtocr.

Oecumen. in Act. c. 17

De Ara autem, in qua ſcriptum erat IGNOTO DEO hæc ſcribit Oecumenius: Duas vero cauſas referunt, cur apud Athenienſes inſcriptum fuerit Aræ, Ignoto Deo. Siquidem aliqui dicunt, quod Athenienſes Philippidem miſerunt ad Lacedæmonios, de deferendo auxilio, cum Perſæ exercitum ducerent in Græciam, quorum nuncijs iuxta Parthenium montem, Panis ſpectrum obuiam factum, Athenienſes accuſabat, quod ſe neglecto, alios Deos colerent: affirmabatq. ſe eſſe Pana (quem Deum vocant) & auxilium promiſit. Cum itaque victoria potiti eſſent, templum illi erexerunt, aramq. ædificarunt, & tamquam obſeruantes, ne vel idem ſane, vel aliud ſimile ipſis accideret, ſi quempiam ignotum ſibi Deum prætermitterent, aram illam erexerunt inſcribentes, Ignoto Deo: Dicentes: ſi quis adhuc alius à nobis ignoretur, in eius honorem hæc Ara à nobis erecta eſt, quo nobis propitius ſit: Alij vero aiunt, peſtem quondam Athenis graſſatam fuiſſe, adeoquè illos exuſſiſſe, vt neque ſyndones tenuiſſimas poſſent tolerare. Cum igitur colerent eos, qui apud ipſos Dij habebantur, nihil adiumenti ſenſerunt. Intelligentes itaque quendam fortaſſis eſſe Deum, quem ipſi abſquè honore reliquiſſent, qui peſtem immiſiſſet, nouam inſtruxerunt aram, ac inſcripſerunt, Ignoto Deo. Cumq. ipſi ſacrificaſſent, ſtatim curati ſunt. Hunc ergo Chriſtum Ieſum eſſe Deum omnium, dicit Paulus: quem ſe illis annunciare dicebat. Tota autem Aræ inſcriptio hæc eſt: Dijs Aſiæ, & Europæ, ac Lybiæ, Deo Ignoto, ac Peregrino.] hæc ille. Sed ante ipſum Chryſoſtomus de eadem ara: Athenienſes, ait, per multa tempora acceperunt Deos etiam extraneos, vtpote Pana, & alios, timentes forſitan ne alius quiſpiam eſſet, quem ignorarent, ipſis quidem nondum cognitus, qui tamen alibi colatur; etiam illi aram erexerunt, & quoniam non erat manifeſtus Deus, inſcriptum erat: Ignoto Deo. Præterea Athenienſes, quoniam ab initio Deos omnes non acceperunt, verum per tempora illorum ſacra vrbem ingreſſa ſunt, ſicuti quæ ex Hebræis allata referuntur, ſicuti Pan ex Arcadia, ſicuti parua quælibet, ac magna myſteria, conijcentes ex hoc fieri poſſe, vt eſſet & alius Deus, qui ab ipſis neſciretur, vt etiam illi ſe ipſos deuouerent, aram inſtituerunt, quam inſcriberent, Ignoto Deo: propemodum id ſignificantes, & ſi quis ignotus ſit Deus. De Deo autem Ignoto, aliam affert Baronius cauſam, & eam quidem ſcitu dignam, quam videat lector apud ipſum primo Annal.

Chryſoſt. in Actus c. 17

Chryſ hom. c. 1. ſup ep. ad Tit.

Baron. an. 52.

Lucratus eſt autem Paulus Athenis Dionyſium prædictum, Areopagitam, virum magnum, qui poſtea fuit Epiſcopus Athenienſis, & Galliæ Apoſtolus: hic ille ipſe, qui annos natus vigitiquinque, Helyopoli, cum eſſet in Aegypto vna cum Apollophane philoſopho, vidit admirandum illud ſolis deliquium, quod tempore paſſionis Chriſti contigit, de quo ſupra, cum ageremus de Domini paſſione actum eſt: & plura inferius de Dionyſ.

Hoc igitur loco Areopagi omnium celebrrimo perorauit Paulus, vbi perdifficilem ſanè prouinciam ſuſcepit: qui enim fieri poterat, vt ipſi toto Orbe

laudatiſſimi, à quibus & Romani publica celebriq. legatione leges acceperaut, leges, in re maxima, nimirum cultu diuino, à barbaro homine, Iudæo ſcilicet, acciperent, & qui prædicaretur ab eo Iudæus homo crucifixus, idem Deus eſſe crederetur? cum præſertim capitis ſupplicium immineret, ſi quis vel Deos negaret, vel inconſulto Areopago peregriuam religionem induceret? nam de Anaxagora Clazomenio ſcriptum eſt; quod exiſtimantibus Athenienſibus Solem eſſe Deum: ille cum ſaxum ignitum dixiſſet: paucorum ſententia morte damnatus eſt: idemq. aduerſus Diagoram Melitum talentum decreuerunt, ſi quis occideret eum, quoniam eorum myſteria deridere ferebatur. Protagoras autem, niſi cito fugiſſet, comprehenſus occiſus fuiſſet, eo quod de Dijs Athenieuſium, an eſſent, reuocaſſet in dubium. Nam eius argumenti librum cum ſcripſiſſet, iu principio poſuit: De Dijs neque vt ſint, neque vt nou ſint, habeo dicere. Quamobrem cum opportuna fuga ſibi conſuluiſſet, libri eius ſunt in concione combuſti. Inſuper feminam quandam ſacerdotes interfecerunt, quoniam eam quidam accuſauit Peregrinos Deos colere: & de Socrate conſtat accuſatum fuiſſe à Melito eodem crimine dicente: Iura Violat Socrates; quos ex maiorum inſtituto ſuſcepit ciuitas Deos eſſe negans, alia noua Dæmonia inducit; quam ob cauſam morte multatus eſt, ducentis octuaginta, & vua ſenteutijs. At Paulus admirabili quadam circumſpectione diuino afflatus ſpiritu cauſam agit: nam quod ſciebat à multis argui, qui nouorum Dæmoniorum videretur annunciator, eò quod Ieſum Chriſtum prædicaret; vt ea culpa careret, nec noui numinis videretur inueutor, ſed potius antiqui illorum cultus aſſertor, ac Prædicator, ex ipſorum theologia ad inſinuandum verum Dei cultum admirabili quadam prudentia ſibi aditum patefecit: & licet nequaquam illorum templa eſſet ingreſſus, ex his tamen quæ foris ſtare ſimulachra conſpexerat, dicendi ſumpſit exordium. *Ioſeph l. 2. cont. Apionem.*

Nam, vt auctor eſt Thucydides, Athenis in foro ſtabant duodecim aræ Deorum; has contemplatus haud dubium Paulus, in eam intendit, cuius inſcriptio erat: Ignoto Deo, vt dictum eſt.

Baptizati à Paulo recipiunt Spiritum ſanctum, & loquuntur linguis, & prophætant. Dæmon exorcizantes Iudæos vulnerat: quidã, ex credentibus curioſa ſectatis, comburũt precioſos libros: artifices argentarij, viuentes ex quæſtu ædium Dianæ argentearum, videntes, quod ceßabat quæſtus, creſcente in Chriſtum fide, totam Epheſi Ciuitatem commouent contra Paulum, & alios. Cap. 563.

FActum eſt autem, cum Apollo eſſet Corinthi, vt Paulus peragratis ſuperioribus partibus veniret Epheſum, & inueuiret quoſdã diſcipulos: Dixitq. ad eos: Si ſpiritum Sanctum accepiſtis credeutes? At illi dixerunt ad eum: Sed neque ſi Spiritus ſanctus eſt, audiuimus. *Act. 19.*

Ille vero ait: In quo ergo baptizati eſtis? qui dixerũt: Iu Ioaunis baptiſmate. *Matt. 3.*

Dixit autem Paulus: Ioannes baptizauit baptiſmo pœnitentiæ populum, *Mar. 1.*
dicens: In eum, qui venturus eſſet poſt ipſum, vt crederent, hoc eſt, in Ieſum. *Luc. 3.16.*

His *Ioan. 1.*

Act. 1. & 11. His auditis, baptizati ſunt in nomine Domini Ieſu.

Et cum impoſuiſſet illis manus Paulus, venit Spiritus ſanctus ſuper eos, & loquebnatur linguis, & prophetabant.

Erant autem omnes viri fere duodecim.

Introgreſſus autem Synagogam, cum fiducia loquebatur per tres menſes, diſputans, & ſuadens de regno Dei.

Cum autem quidam indurarentur, & non crederent, maledicentes viam Domini coram multitudine, diſcedens ab eis, ſegregauit diſcipulos, quotidie diſputans in ſchola Tyranni cuiuſdam.

Hoc autem factum eſt per biennium, ita vt omnes, qui habitabant in Aſia, audirent verbum Domini, Iudæi, atque Gentiles.

Virtuteſq. non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli:

Ita vt etiam ſuper languidos deferrentur à corpore eius Sudaria, & Semicinctia, & recedebant ab eis languores, & ſpiritus nequam egrediebantur.

Tentauerunt autem quidam, & de circumeuntibus Iudæis exorciſtis, inuocare ſuper eos, qui habebant ſpiritus malos, nomen Domini Ieſu dicentes; Adiuro vos per Ieſum, quem Paulus prædicat.

Erant autem quidam Iudæi, Scenæ Principis Sacerdotum ſeptem filij, qui hoc faciebant.

Reſpondens autem ſpiritus nequam dixit eis: Ieſum noui, & Paulum ſcio: vos autem qui eſtis?

Et inſiliens in eos homo, in quo erat dæmonium peſſimum, & dominatus amborum, inualuit contra eos, ita vt nudi, & vulnerati effugerent de domo illa.

Hoc autem notum factum eſt omnibus Iudæis, atque Gentilibus, qui habitabant Epheſi: & cecidit timor ſuper omnes illos, & magnificabatur nomen Domini Ieſu.

Multiq. credentium veniebant confitentes actus ſuos.

Multi autem ex eis, qui fuerant curioſa ſectati, contulerunt libros, & combuſſerunt coram omnibus: & computatis pretijs illorum, inuenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium.

Ita fortiter creſcebat verbum Dei, & confirmabatur.

His autem expletis, propoſuit Paulus in ſpiritu tranſita Macedonia, & Achaia ire Ieroſolymam dicens: quoniam poſtquam fuero ibi, oportet me & Romam videre.

Mittens autem in Macedoniam duos ex miniſtrantibus ſibi, Timothæum, & Eraſtum, ipſe remanſit ad tempus in Aſia.

Facta eſt autem illo tempore turbatio non minima de via Domini.

Demetrius enim quidam nomine, argentarius, faciens ædes argenteas Dianæ, præſtabat artificibus non modicum quæſtum:

Quos conuocans, & eos, qui huiuſmodi erant opifices, dixit: Viri, ſcitis, quia de hoc artificio eſt nobis acquiſitio:

Et videtis, & auditis, quia non ſolum Epheſi, ſed pene totius Aſiæ, Paulus hic ſuadens auertit multam turbam dicens: Quoniam non ſunt Dij, qui manibus fiunt.

Non ſolum autem hæc periclitabitur nobis pars in redargutionem venire,

re,

re, ſed & magnæ Dianæ Templum in nihilum reputabitur, ſed & deſtrui incipiet Maieſtas eius, quam tota Aſia, & Orbis colit.

His auditis, repleti ſunt ira, & exclamauerunt dicentes: Magna Diana Epheſiorum.

Et impleta eſt Ciuitas confuſione, & impetũ fecerunt vno animo in theatrum, rapto Gaio, & Ariſtarcho Macedonibus, comitibus Pauli.

Paulo autem volente intrare in populum, non permiſerunt diſcipuli.

Quidam autem, & de Aſiæ Principibus, qui erant amici eius, miſerunt ad eum rogantes, ne ſe daret in theatrum.

Alij autem aliud clamabant: Erat enim Eccleſia confuſa; & plures neſciebant qua ex cauſa conueniſſent.

De turba autem detraxerunt Alexandrum, propellentibus eum Iudæis. Alexander autem manu ſilentio poſtulato, volebat reddere rationem populo.

Quem, vt cognouerunt Iudæum eſſe, vox facta vna eſt omnium, quaſi per horas duas clamantium: Magna Diana Epheſiorum.

Et cum ſedaſſet Scriba turbas, dixit: Viri Epheſij, quis eſt enim hominum, qui neſciat Epheſiorum Ciuitatem cultricem eſſe magnæ Dianæ, Iouiſq. prolis?

Cum ergo his contradici non poſſit, oportet vos ſedatos eſſe, & nihil temerè agere.

Adduxiſtis enim homines iſtos, neque ſacrilegos, neque blaſphemantes Deam veſtram.

Quod ſi Demetrius, & qui cum eo ſunt artifices, habent aduerſus aliquem cauſam, Conuentus forenſes aguntur, & Proconſules ſunt, accuſent inuicem.

Si quid autem alterius rei quæritis: in legitima Eccleſia poterit abſolui.

Nam & periclitamur argui ſeditionis hodiernæ: cum nullus obnoxius ſit (de quo poſſimus reddere rationem) concurſus iſtius.

Et cum hæc dixiſſet, dimiſit Eccleſiam.

De vſu, & virtute exorciſmorum contra Dæmones.
Cap. 364.

ANtiquus eſt vſus exorciſmorum, de quo Lucas capite ſupradicto. Plurimum verò conferre fidem obſeſſi, vt exorciſmi vim ſibi inſitam operentur, Cyprianus in primis his verbis teſtatur: Adiurati per Deum verum à nobis, ſtatim cadunt & fatentur, & de obſeſſis corporibus exire coguntur. Videas illos noſtra voce, & operatione Maieſtatis occultæ flagris cædi, igne torreri, incremento pœnæ propugnantis oſtendi, eiulare, gemere, deprecari: Unde veniunt, & quando diſcedunt, ipſis, qui ſe colunt audientibus, confiteri, & vel exiliunt ſtatim, vel euaneſcunt gradatim, prout fides patientis adiuuat, aut gratia curantis aſpirat. Hæc Cyprianus. Eadem ferè Minutius Fœlix, ſic dicens: Ipſe Saturnus, & Serapis, & Iupiter, & quicquid Dæmonum colitis, victi dolore (quot ſunt) eloquuntur; nec vtique in turpitudinem ſui, nonnullis præſertim veſtrum aſſiſtentibus, mentiuntur. Ipſis teſtibus eſſe eos Dæmones de ſe verum confitentibus, credite: adiurati enim per Deum verum, & ſolum, inuiti miſeris corporibus inhorreſcunt, &

Cyprian. de idolor. vanitat.

Minut. in Octau.

vel

vel exiliunt ſtatim, vel euaneſcunt gradatim, prout fides patientis adiuuat, aut gratia curantis aſpirat. Habes apud Prudentium exorciſmi formam quandam his verſibus expreſſam

Pruden. in apoth. cont. Iudaeos.

Torquetur Apollo
Nomine percuſſus Chriſti, nec fulmina verbi
Ferre poteſt, agitant miſerum tot verbera linguae,
Quod laudata Dei reſonant miracula Chriſti.
Intonat Antiſtes Domini, fuge callide ſerpens,
Exue te membris, & ſpiras ſolue latentes,
Mancipium Chriſti fur corruptiſſime vexas;
Deſine, Chriſtus adeſt humani corporis vltor.
Non licet vt ſpolium rapias, cui Chriſtus inhaeſit
Pulſus abi ventoſe liquor, Chriſtus iubet, exi.
Has inter voces medias Cyllenius ardens
Eiulat, & notos ſuſpirat Iuppiter ignes.

Nauigatio Pauli in Italiam. Praedicit Paulus nautis nauem eſſe perituram ſaluis nauigantibus: quae ventis agitata, tandem vi maris ſoluta eſt. Sed qui in naui erant numero ducenti ſeptuaginta ſex, ſalui omnes, vt praedixit Paulus, peruenerunt ad litus, & euaſerunt. Cap. 565.

Act. 27. VT autem indicatum eſt nauigare eum in Italiam, & tradi Paulum cum reliquis cuſtodijs Centurioni nomine Iulio Cohortis Auguſtae, aſcendentes nauem Adrumentinam incipientes nauigare circa Aſiae loca, ſuſtulimus perſeuerante nobiſcum Ariſtarcho Macedone Teſſalonicenſi. Sequenti autem die venimus Sidonem. Humane autem tractans Iulius Paulum, permiſit ad amicos ire, & curam ſui agere. Et inde cum ſuſtuliſſemus, ſubnauigauimus Cyprum, propterea, quod eſſent venti contrarij; & pelagus Ciliciae, & Pamphyliae nauigantes venimus Lyſtram, quae eſt Lyciae, & ibi inueniens Centurio nauem Alexandrinam nauigantem in Italiam, tranſpoſuit nos in eam. Et cum multis diebus tarde nauigaremus, & vix deueniſſemus contra Gnydum; prohibente nos vento, adnauigauimus, venimus in locum quendam, qui vocatur Bouiportus. Cui iuxta erat ciuitas Thalaſſa. Multo autem tempore peracto; & cum iam non eſſet tuta nauigatio, eo quod ieiunium iam praeteriſſet: conſolabatur eos Paulus dicens eis: Viri video, quoniam cum iniuria, & damno non ſolum oneris, & nauis, ſed etiam animarum noſtrarum incipit eſſe nauigatio. Centurio autem Gubernatori, & nauclero magis credebat, quàm his, quae à Paulo dicebantur, & cum aptus portus non eſſet ad hyemandum, plurimi ſtatuerũt cõſilium nauigare inde, ſi quo modo poſſent deuenientes Phenicem, hyemare: portum Cretae reſpicientem ad Africum, & ad Chorum. Aſpirante autem Auſtro, aeſtimantes propoſitum ſe tenere, cũ ſuſtuliſſent de Aſſon, legebãt Cretam. Non poſt multum autẽ miſit ſe contra ipſam ventus Typhonicus, qui vocatur Euroaquilo. Cumq. arrepta eſſet nauis, & non poſſet conari in ventum, data naue flatibus, ferebamur. In Inſulam autẽ quandam decurrentes, quae vocatur Cauda,

potuimus

potuimus vix obtinere ſcapham. Qua ſublata, adiutorijs vtebantur, accingentes nauem: timentes ne in Syrtim inciderent. Summiſſo vaſe,ſic ferebantur. Valida autem nobis tempeſtate iactatis: ſequenti die iactum fecerunt, & tertia die ſuis manibus armamenta nauis proiecerunt. Neque autem Sole, neque Syderibus apparētibus per plures dies, & tēpeſtate non exigua imminente,iam ablata erat ſpes omnis ſalutis noſtræ.Et cū multa ieiunatio fuiſſet: tunc ſtans Paulus in medio eorum dixit: Oportebat quidem ò viri audire me,non tollere à Creta, lucriq. facere iniuriam hanc, & iacturam. Et nunc ſuadeo vobis bono animo eſſe. Amiſſio enim nullius animæ erit ex nobis, præterquam nauis. Aſtitit enim mihi hac nocte Angelus Dei,cuius ſum ego, & cui deſeruio dicens: Nè timeas Paule: Cæſari te oportet aſſiſtere. Et ecce donauit tibi Deus omnes, qui nauigant tecum. Propter quod bono animo eſtote viri. Credo enim Deo; quod ſic erit, quemadmodum dictum eſt mihi. In Inſulam autem quandam oportet nos deuenire. Sed poſteaquam quartadecima nox ſuperuenit, nauigantibus nobis in Hadria, circa mediam noctem ſuſpicabātur Nautæ apparere ſibi aliquam Regionem. Qui & ſummittentes Bolidem, inuenerunt paſſus viginti,& puſillum inde ſeparati inuenerunt paſſus quindecim. Timentes autem nè in aſpera loca incideremus, de puppi mittentes anchoras quatuor, optabant diem fieri. Nautis vero quærentibus fugere de naui, cum miſiſſent ſcapham in mare, ſub obtentu quaſi inciperent à prora anchoras extendere: dixit Paulus Centurioni, & militibus: Niſi hi in naui manſerint, vos ſalui fieri non poteſtis. Tunc abſciderunt milites funes ſcaphæ: & paſſi ſunt eam exſcindere. Et cum lux inciperet fieri, rogabat Paulus omnes ſumere cibum, dicens: Quartadecima die hodie expectantes ieiuni permanetis, nihil accipientes. Propter quod rogo vos accipere cibum pro ſalute veſtra: quia nullius veſtrum capillus de capite peribit.Et cum hæc dixiſſet,ſumens panem,gratias egit Deo in conſpectu omnium; & cum fregiſſet, cępit manducare. Animæquiores autem facti omnes, & ipſi ſumpſerunt cibum. Eramus vero vniuerſæ animæ in naui ducentæ ſeptuaginta ſex. Et ſatiati cibo alleuiabant nauem: iactantes triticum in mare. Cum autem dies factus eſſet, terram non agnoſcebant: ſinum vero quendam conſiderabant habentem littus, in quem cogitabant, ſi poſſent, eijcere nauem, & cum anchoras ſuſtuliſſent, committebant ſe mari, ſimul laxantes iuncturas gubernaculorum. Et leuato artemone, ſecundum auræ flatum tendebant ad litus. Et cum incidiſſemus in locum Dithalaſſum, impegerunt nauem: & prora quidem fixa manebat immobilis; puppis vero ſoluebatur à vi maris. Militum autem conſilium fuit, vt cuſtodias occiderent, ne quis cum enataſſet, effugeret. Centurio autem volens ſeruare Paulum prohibuit fieri. Iuſſitq. eos qui poſſent natare, emittere ſe primos, & euadere, & ad terram exire, & ceteros alios in tabulis ferebant,quoſdam ſuper ea quæ de naui erant. Et ſic factum eſt, vt omnes animæ euaderent ad terram.

Paulus

Paulus in Inſula Melita à naufragio cum ſocijs ereptus, per humana excipitur accenſo igne: vipera manum eius inuadit, quæ, ſtupeſcentibus incolis, nihil ei nocuit. Ibi patrem hoſpitis à febribus liberat: deinde omnes Inſulæ ægrotos curat. Inde venit Romam, vbi prædicans, biennio permanſit. Cap. 566.

Act. 28. ET cum euaſiſſemus; tunc cognouimus, quod Melita Inſula vocabatur: Barbari vero præſtabant non modicam humanitatem nobis. Accenſa enim pyra reficiebant nos omnes propter imbrem, qui imminebat, & frigus. Cum congregaſſet autem Paulus ſarmentorum aliquantam multitudinem, & impoſuiſſet ſuper ignem, vipera à calore cum proceſſiſſet, inuaſit manũ eius. Vt vero viderũt Barbari pendentem beſtiam de manu eius, ad inuicem dicebant: Vtiq. homicida eſt homo hic: qui cũ euaſit de mari, vltio non ſinit eum viuere. Et ille quidẽ excutiens beſtiam in ignẽ, nihil mali paſſus eſt. At illi exiſtimabant eum in tumorẽ conuertendum: & ſubito caſuiũ, & mori. Diu autem illis expectantibus, & videntibus nihil mali in eo fieri, conuertentes ſe, dicebant eum eſſe Deum. In locis autem illis erant prædia Principis Inſulæ, nomine Publij: qui nos ſuſcipiens, triduo benigne exhibuit. Contigit autem patrem Publij febribus, & diſſenteria vexatum iacere. Ad quem Paulus intrauit. Et cum oraſſet, & impoſuiſſet ei manus, ſaluauit eum. Quo facto, omnes qui in Inſula habebant infirmitates accedebant, & curabantur. Qui etiam multis honoribus nos honorauerunt, & nauigantibus impoſuerunt quæ neceſſaria erant. Poſt menſes autem tres nauigauimus in naui Alexandrina, quæ in Inſula hyemauerat, cui erat inſigne Caſtorum. Et cum veniſſemus Syracuſam: manſimus ibi triduo. Inde circumlegentes, deuenimus Rhegium, & poſt vnum diem flante Auſtro, ſecunda die venimus Puteolos. Vbi inuentis fratribus rogati ſumus manere apud eos dies ſeptem: & ſic venimus Romam. Et inde cum audiſſent fratres, occurrerunt nobis vſquè ad Appij forum, ac tres tabernas. Quos cum vidiſſet Paulus, gratias agens Deo, accepit fiduciam. Cum autem veniſſemus Romam, permiſſum eſt Paulo manere ſibimet cum cuſtodiente ſe milite. Poſt tertium autem diem conuocauit primos Iudæorum. Cumq. veniſſent, dicebat eis: Ego viri fratres, nihil aduerſus plebem faciens, aut morem paternum, vinctus ab Hieroſolymis traditus ſum in manus Romanorum, qui cum interrogationem de me habuiſſent, voluerunt me dimittere, eò quod eſſet nulla cauſa mortis in me. Contradicentibus autem Iudæis, coactus ſum appellare Cæſarem: non quaſi gentem meam habens aliquid accuſare. Propter hanc igitur cauſam rogaui vos videre, & alloqui. Propter ſpem enim Iſrael cathena hac circundatus ſum. At illi dixerunt ad eum: Nos neque litteras accepimus de te à Iudæa; neque adueniens aliquis fratrum nunciauit, aut locutus eſt de te malum. Rogamus autem à te audire, quæ ſentis. Nam de ſecta hac notum eſt nobis, quia vbique ei contradicitur. Cum conſtituiſſent autem illi diem, venerunt ad eum in hoſpitium plurimi, quibus exponebat teſtificans regnum Dei. Suadenſq. eis de Ieſu ex lege Moyſi, & Prophetis, à mane vſque ad veſperam. Et quidam crede-

credebant his quæ dicebantur : quidam vero non credebant . Cumq. inuicem non eſſent conſentientes , diſcedebant, dicente Paulo vnum verbum : Quia bene Spiritus ſanctus locutus eſt per Iſaiam prophetam ad patres veſtros dicens : Vade ad populum iſtum , & dic : Aure audietis , & non intelligetis : & videntes videbitis , & non perſpicietis . Incraſſatum eſt enim cor populi huius , & auribus grauiter audierunt : & oculos ſuos compreſſerunt, ne forte videant oculis, & auribus audiant , & corde intelligant, & conuertantur, & ſanem eos . Notum ergo ſit vobis, quoniam gentibus miſſum eſt hoc ſalutare Dei ; & ipſi audient . Et cum hæc dixiſſet, exierunt ab eo Iudæi , multam habentes inter ſe quæſtionem . Manſit autem biennio toto in ſuo conductu : & ſuſcipiebat omnes , qui ingrediebantur ad eum : prædicans Regnum Dei , & docens quæ ſunt de Domino Ieſu Chriſto cum omni fiducia ſine prohibitione .

Iſa. 7.

Diuinæ hiſtoriæ, quæ in Actis Apoſtolorum habetur, dignitas & fructus: ex commentarijs Ioan. Lorini. Cap. 557.

HVcuſque Lucas Acta Apoſtolorum perduxit . Hunc librum Chryſoſtomus appellat theſaurum , non vilem minus ac pretioſum , quàm Euangeliorum , cum egregijs documentis morum , & vitæ exemplis abundet, comprehendat Chriſti promiſſorum complementum, præſertim de Spirituſancto , & de mirificis operibus , tùm numero , tùm qualitate , ipſa etiam eius opera ſuperantibus , illuſtrius manifeſtet myſteria , quæ pertinent ad diuinitatem Spiritus ſancti , atque ad Chriſti reſurrectionem : quæ poſtrema duo, primarius libri ſunt ſcopus, opinione eiuſdem Chryſoſtomi : Hierarchiæ,& Conciliorum ex eo forma colligatur: Conciliorum inde vſus, & ſacramentorum frequentia petatur ; fortitudinis , ac patientiæ in toleranda morte pro Chriſto , & tribulationibus ferendis inſignia ibi exempla tradantur : Eccleſiæ perſecutorum multiplices modi , technæq. detegantur : poſtremo , cum , vt ſcripſit Hieronymus , non nuda hæc hiſtoria , vel Eccleſiæ duntaxat naſcētis in ea texatur infantia , ſed medici ſcriptoris verba omnia , languentis animæ ſint medicina , cuius quotieſcunque liber legitur in Eccleſijs , toties eius medicina non ceſſat .

Chryſoſt. in comēt. ſup. Act. Apoſt. *Lib. cont. Gent.* *Hom. 1. in Act.* *Ep. 103 & in epiſt. ad Philo. ſub finem.*

Quocirca mirum videri non debet,ſi celebris Idolorum Antiſtes Domna, præter Ioſephum comitem , vt eſt in Eccleſiaſticis hiſtorijs , iſtius lectione libri errores ſic abiecerit , vt fidem complexa , exempla , quæ legerat , Chriſtianè quoque viuendo , & pro Chriſtiana religione conſtantiſſimè moriendo , ad viuum in ſe ipſa expreſſerit . Hieronymus Lætæ præcepta dans pro filia Paula , iubet vt Apoſtolorum Acta, & epiſtolas tota cordis imbibat voluntate . Atque ſanè, vt hoc repetamus ex Chryſoſtomo,reliquæ ſcripturæ lectio frequentanda , ſed huius in primis, & Euangeliorum , quæ cum doctrinæ vtilitate , hiſtoriæ ſuauitatem coniunctam habent : Et ſi pia quæuis hiſtoria cum fructu,& voluptate vſurpatur, ac nefas eſt Maiorum ignorare memoriam , quis non videt quàm ſit turpe , & reprehenſione dignum , Apoſtolorum , qui ſunt Patres , fundatores Eccleſiæ , ac primi conditores generis Chriſtiani , res geſtas contemnere , neſcire , non intelligere ?

Sur. 26. Decemb. *Hom. 9. in ep. ad Coloſ. & Conc. 3. de Lazaro.* *Aug. Confeſſ. lib. 8. c. 6.*

Con-

In act. S. Silueſt. to. 1. Concil.

Conſtantinus inter alia, quibus Petri ſepulchrum exornauit, quatuor candelabra ingentis magnitudinis, & pretij confecit, in quibus Apoſtolicorum Actuum hiſtoriæ inſculptæ apparebant.

Eccleſiæ poſt Chriſti in cælum Aſcenſum incunabula, primoſq. progreſſus in ea factos per Apoſtolos, præſertim Paulum, ad quartum vſque Neronis annum, vel etiam ineuntem quintum, hæc hiſtoria continet; de qua Hieronymus ad hunc modum: Aliud quoque edidit volumen egregium, quod titulo Πράξεις ἀποςόλων prænotatur, cuius hiſtoria vſque ad biennium Romæ commorantis Pauli peruenit, id eſt, vſque ad quartum Neronis annum, ex quo intelligimus in eadem Vrbe librum eſſe compoſitum. Sic iſte.

Hieron. de ſcripto. Ec. in Luc.

Tametſi de loco, vbi volumen ſcriptum eſt, ſecus alijs videatur, exiſtimantibus Lucam in ipſa peregrinatione cum Paulo, de quo multò plura, quàm de alijs prodidit, quotidie, ceu commentarios eorum, quæ ſubinde contingerent, aut ſicut diaria, vt Iulius quondam Cæſar fecit, exſcripſiſſe. Quod vt demus, opus tamen Romæ, quo Paulum Lucas conſecutus eſt, abſolutum eſſe probabiliter ſentire poſſumus.

Multa ſunt tamen non de alijs Apoſtolis ſolum, vt de prouinciarum ſortitione inter ipſos facta, & de Petro prætermiſſa, vt de Sede Antiochena, & Romana, verumetiam de Paulo. Nihil hic enim, ad Paulum quod attinet, de eius poſt conuerſionem in Arabiam profectione, ac reditu Damaſcum; & poſt triennium de aduentu in Ieruſalem, quæ Paulus ipſe Galatis ſcribens commemorat: nihil de perſecutionibus Theſſalonicenſibus, aut hæ vno dumtaxat verbo attinguntur: nihil de tot flagellis, & virgis; deq. tàm multis naufragijs, ac incommodis alijs, quæ glorioſè recenſentur in epiſtola ad Corinthios ſecunda: nihil de pugna ad beſtias: nihil de Thecla.

In ep. ad Gal. c. 2. in 1. epiſt. ad Theſ. c. 2. & 3. Act. 17.

Præterea omiſit etiam illa, quæ ex Pauli epiſtolis colliguntur, ipſi Paulo accidiſſe tempore primorum vinculorum; quibus adde, ad eundem aduentum Epaphroditi, quem Philippenſes, quorum erat Epiſcopus, miſerunt cum pecunia: præterea Oneſiphori ex Iconio, qui refrigerauit ibidem Paulum, non erubeſcens catenam eius: de his, inquam, Lucas non meminit; quia vel tamdiù Romæ non manſit, vel vinculis Pauli miniſtrans; vel multiplici negotio vacans, quod eiuſmodi tempore penè vni, ac ſoli ipſi gerendum erat, otium plura ſcribendi non habebat: nec Romanis, quibus nota erant, quæ Romæ fiebant, & in quorum gratiam ceteram hiſtoriam ſcribebat, aliud præterea ſcribendum ducebat.

Corint. 2. c. 11. 23. 24. 1. Cor. 15. Philip. 4. 2. Tim. 1. 2. Tim. 4.

Eorum tamen omiſſio valet potius ad conciliandam Auctori noſtro fidem, qui quæ Paulum attingebant, & quibus comes ipſe eis interfuerat, diligenter, ac diſtinctè: cetera ſtrictim, & leuiter perſequi voluit, vt Irenæus ſubnotat; nec aliter accipiendus Hieronymus, dum indiuiduum Pauli peregrinationis comitem facit, profectò non antequam Troade illum conuenit. Et vero hęc de tàm multis pauca, inquit Chryſoſtomus, ſufficiunt ad eum finem, quem ſibi Lucas pręſcripſit: eratq. illis Eccleſię initijs maior Apoſtolicas virtutes in cordibus auditorum inſculpendi cura, laborq. quam multa ſcribendi, aut otium, aut voluntas.

lib. 3. c. 14. de ſcripto. Eccleſ. Act. 16.

Ex quo illud etiam commodum in Eccleſiam redundauit, vt cum adeò parci, breueſq. primi illi in ſcribendo Patres fuerint, pręter Sacroſanctam Scri-

Scripturam, Traditionum item venerandam neceſſariò auctoritatem agnoſceret, nobiſq. proponeret.

Quid egerit Paulus, poſtquam ad Vrbem Romam peruenit. Cap. 568.

QVod verò ad annum Domini, quo Paulus Romam aduenit, cum ex præterlapſis annis ſingulis recenſitis certa habita ratione, hoc ipſo anno quinquageſimonono à Chriſti natali, ipſum Romam conceſſiſſe exploratum habeatur: his etiam conſentire Euſebium, & Sanctum Hieronymum, facile demonſtrabimus. Cum enim tàm Euſebius, quàm Hieronymus ipſum ſecutus, numerent ab anno poſt paſſionem Chriſti, vſque ad tempus, quo Paulus à Feſto Iudææ Præſule vinctus nauigare iubetur, annos vigintiquinque, numerando illos ab anno trigeſimoquarto, qui ſecundum Euſebium primus ponitur à paſſione Domini, neceſſe eſt affirmare, anno Domini quinquageſimooctauo Paulum in Iudæa à Feſto dimiſſum, & ſic anno ſequenti, qui eſt quinquageſimusnonus, hoc nimirum anno, Romam ingreſſum eſſe, prout etiam ab Euſebio in Chronico ponitur. *Bar. an. 59* *Euſeb. in Chro. Hier. de ſcript. Eccl. in Paulo.*

Vbinàm Romæ fuerit eiuſmodi, cuius Lucas meminit, Pauli hoſpitium; in antiquis monumentis Diaconiæ S. Mariæ in via Lata reperitur ſcriptum, illic primum hoſpitio exceptum fuiſſe Paulum.

Sed quid coram Nerone, quem appellauerat, Paulus egerit; ex ſui ipſius epiſtolis, quas tunc ſcripſit, poſſumus aliqua ex parte ſaltem intelligere. Iam cum Hieroſolymis in maximo vitæ diſcrimine verſaretur, apparuerat illi Dominus, atque dixerat: Conſtans eſto: ſicut enim teſtificatus es de me in Hieruſalem, ſic te oportet & Romæ teſtificari. Adeò difficile, aſperum, ac planè pauendum fuit exiſtimatum iudicium coram ſæuiſſimo Principe, nihil ratione, ſed pro libidine animi omnia faciente, vt Paulum in eo diſcrimine poſitum omnes diſcipuli, atque amici, quantumlibet erga ipſum ſtudioſi, tunc temporis tamen timore correpti, penitus dereliquerint. Tradit enim id Paulus, cum ad Timotheum hoc eodem anno ſcribens ait: In prima mea defenſione nemo mihi adfuit, ſed omnes me dereliquerunt: non illis imputetur. Verùm in tanta Pauli concuſſione, non ſolum qui aderant, ab eo receſſerunt; ſed & qui longe poſiti, pariter ab eo tunc temporis deſecerunt. Affirmat enim hoc ipſe ad eumdem ſic ſcribens: Scis, inquit, hoc, quòd auerſi ſunt à me omnes, qui in Aſia ſunt: ex quibus eſt Phigellus, & Hermogenes. Par eſt credere, Iudæos Hieroſolymis miſiſſe viros inſigniores, qui apud Neronem gratia poſſent, & mille artibus cauſam proſequentes, Neronem concitarent in Paulum, vt aliàs in alios ſæpè facere conſueuerant. Erat enim inter cæteros Aliturus quidam Iudæus, mimorum actor, cuius opera Ioſephus reos, quos defendebat, curauit abſolui. Eiuſmodi genus hominum apud talem Principem in pretio erat. Aderat & Poppæa Sabina, noua Neronis concubina, quam Iudæi adeò ſibi conciliauerant, vt eius ope, & gratia, qui miſſi fuerant legati pro templo aduerſus Agrippam Regem, à Nerone reſcriptum acceperint. *Act. 23.* *2. Tim. 4.* *2. Tim. 1.* *Ioſeph in vita ſua.*

At Paulum ſic ab omnibus derelictum, atque in maximo omnium periculo conſtitutum, Chriſtus Dominus non dereliquit (ſed vt aliàs conſueuerat) *Ioſeph ant. lib. 20. c. 7.*

ei adfuit, & ab imminenti diſcrimine liberauit. Profitetur enim hoc ipſum Paulus, eadem, quam ad Timotheum ſcripſit, epiſtola, dicens: Dominus autem mihi adſtitit, & confortauit me, vt per me prædicatio impleatur, & audiant omnes gentes. Et liberatus ſum de ore leonis (ſic enim Neronem appellat, ob immanem, ac prorſus feralem Principis ſæuitiam.) Liberauit me Dominus ab omni opere malo, & ſaluum faciet in regnum ſuum cæleſte.] At non ſic eſt liberatus, vt omnino liber abire ſit iuſſus, ſed quòd in ſuo condučto, catena tamen vinctus, cum cuſtodiente ſe milite libere agere permiſſus ſit; vbi eo modo ad biennium manſit. Porrò non tantum coram Nerone, ſed & in Senatu, & apud Collegium Pontificum (quòd ad religionem cauſa ſpectare videretur) Pauli cauſam actam eſſe, ex his, quæ

Philip. 1. idem ipſe, dum item Romæ eſſet, ſcripſit ad Philippenſes, certo poſſe affirmari videtur: ſiquidem in omni Vrbis Prætorio eam cognitam fuiſſe teſtatur, cum ait: Scire autem vos volo, fratres, quia, quæ circa me ſunt, magis ad profectum venerunt Euangelij: ita vt vincula mea manifeſta fierent in Chriſto, in omni Prætorio, & in cæteris omnibus: vt plures è fratribus in Domino, confidentes in vinculis meis, abundantius auderent ſine timore verbum Dei loqui. Quidam quidem & propter inuidiam, & contentionem (putantur hi fuiſſe Iudæi ſibi aduerſantes) quidam autem & propter bonam voluntatem Chriſtum prædicant. Quidam ex charitate, ſcientes quoniam in defenſionem Euangelij poſitus ſum. Quidam autem ex contentione Chriſtum annunciant, non ſincere, exiſtimantes preſſuram ſe ſuſcitare vinculis meis. Quid enim? Dum omnimodo, ſiue per occaſionem, ſiue per veritatem Chriſtus annuncietur, in hoc gaudeo, ſed & gaudebo. Hæc autem poſt primam, quam dicit defenſionem ſuam, accidiſſe videntur.

Eodem verò tempore, cum in Orientem, vbi Euangelium prædicauerat, hæc de Paulo Romæ in vinculis agente perlata eſſent; Philippenſes inter alios legationem ad eum miſerunt vnà cum ſubuentione pecuniarum, per Epaphroditum ſuum, ipſorum Epiſcopum.

Philip. 4. Teſtatur id quidem Paulus ad ipſos ſcribens, his verbis: Habeo autem omnia, & abundo: repletus ſum, acceptis ab Epaphrodito, quæ miſiſtis, odorem ſuauitatis, hoſtiam acceptam, placentem Deo.] Venit quoque Iconio Lycaonicæ ciuitate Oneſiphorus, qui & ipſe Paulum ſolicite perquiſiuit, eo potiſsimum tempore, quo à ſuis fuerat derelictus: de quo idem ipſe ad Ti-

2. Tim. 1. motheum, ſcribens, hæc ait: Det miſericordiam Dominus Oneſiphori domui: quia ſæpè me refrigerauit, & catenam meam non erubuit: ſed cum Romam veniſſet, ſolicitè me quæſiuit, & inuenit. Det illi Dominus inuenire miſericordiam à Domino in die illa. Et quanta Epheſi miniſtrauit, tu melius noſti.

Chryſo. in Act. ho. 54 De rebus inſuper Romæ geſtis à Paulo, hæc Chryſoſtomus: Dicitur ſollicitaſſe Neronis pocillatorem & concubinam. Quanta putatis contra illum tunc dicta eſſe? Sed non iuſtè. Nam ſi quidem ob laſciuiam ſalutaſſet, vel ob mala opera, merito: ſi autem ob vitam rectam; quare? Sanè quidem nonnullos ex Neronis familia ad Chriſtum eſſe conuerſos, ex his, quæ idem

Philip. 4. Paulus poſtea ſcripſit ad Philippenſes, cognoſcere certò poſſumus, dum ait: Salutant vos omnes Sancti, maximè autem, qui de Cæſaris domo ſunt. Inter alios autem vnum fuiſſe Torpetem, qui poſtea martyrio coronatus eſt, Romanum

manū Martyrologium atteſtatur.Porrò concubina illa Neronis,cuius Chryſoſtomus meminit, creditur fuiſſe Poppæa Sabina, quæ præ cæteris ab eo in delicijs habebatur: de ea enim hæc ſcripſit Tacitus : Erat in ciuitate Sabina Poppæa T. Ollio patre genita; ſed nomen aui materni ſumpſerat,illuſtri memoria Poppæi Sabini, conſulari & triumphali decore præfulgentis. Nam Ollium, honoribus nondum functum, amicitia Seiani peruertit. Huic mulieri cuncta alia fuere, præter honeſtum animum. Quippe mater eius,ætatis ſuæ fœminas pulchritudine ſupergreſſa,gloriam pariter, & formam dederat: opes claritudini generis ſufficiebant: ſermo comis, nec abſurdum ingenium, modeſtiam præ ſe ferre, & laſciuia vti: rari in publicum egreſſus, idq. velata parte oris, ne ſatiaret aſpectum, vel quia ſic decebat. Hæc Tacitus. Sic igitur Romæ poſitus Paulus,quod ante (vt ipſe ad Romanos ſcribens teſtatus erat) diù, multumq. exoptauerat Romam venire, ac Euangelium prædicare, factus iam voti compos, licet in vinculis poſitus, licet hoſpitij conducti ſpatio circumſcriptus, licet adhuc militari cuſtodia tentus, Chriſti Euangelium magna animi fiducia, & alacritate prædicauit, atque (quod pollicitus erat) in abundantia benedictionis annunciauit.

Mart. Roman. die 17 Maij. *Tac. lib. 13* *Rom. 1. 15.*

Romæ ſuis manibus,vt victum ſibi pararet,operabatur. Eius rei Auctorem habemus Chryſoſtomum; cuius hæc ſunt verba: Quid verò,quod integrum biennium,in ſua ſe arte,ac mercenario labore continuit?Etiam domum mercede conducebat. Quamquam,qui longè poterat fortiora,multo magis hoc potuiſſet:ſed non aſpiciebat ad gloriam. Sæuam belluam,horrendum Dæmonem, peſtem Orbis terræ,venenatam viperam. Domi etiam aſsiduè habitaſſe, vt ſcilicet qui ad eum confluebant Chriſti fidem edoceret,idē Chryſoſtomus ibid. tradit: in hoſpitio enim quod ſibi conduxerat, vt Auctor eſt Hieronymus, Chriſtū Iudæis & Gentilibus prædicabat. Idem verò Hieronymus alibi loquens de eo hoſpitio,quod ſibi per litteras parari Malemoni iuſſerat: Sciebat,inquit Apoſtolus,ad ſe plurimos concurſuros,& neceſſe erat primùm vt domus in celebri loco eſſet Vrbis,ad quam facilè conueniretur:Deinde vt ab omni importunitate vacua,vt ampla,quæ plurimos caperet audientium: ne proxima ſpectaculorum locis, ne turpi vicinia deteſtabilis: poſtremo vt in plano potius eſſet ſita, quàm in cænaculo, quam ob cauſam eum exiſtimo etiam Romæ in conducto manſiſſe biennium. Nec parua, vt reor,erat manſio, ad quam Iudæorum turbæ quotidiæ confluebant.

Chryſ. ho. 55. in c. 14 1. ad Cor. *Hieron. ep. 89. ad Auguſtinum.*

Teſtimonium prædicationis Pauli Apoſtoli, quam habuit Romæ. Cap. 569.

De Pauli Romæ prædicatione eſt inſiguis memoria, licet apud Scriptorē impium. Quidā enim Triephon,Romæ agens,cum Critiam Chriſtianæ fidei deriſorē,Catechumenū facere cuperet,hęc inter alia de ſe refert:Quando autem me Galilæus ille conuenit recaluaſter, naſo aquilino, qui in tertium vſque cælum per aërem ingreſſus eſt,quæ optima & pulcherrima ſunt, inde didicit: per aquam nos renouauit, in beatorum veſtigia inſiſtere fecit, & ex impiorum regionibus nos reduxit.Hæc ille:Quibus equidem non alium quempiam, quàm Paulum Apoſtolum deſcribi,omnes facile intelligere poſſunt: nominat eum Galilæum, quòd ſic Apoſtoli, imò & cæteri Chriſtiani

Lucian. in Philop.

dicerentur; vel ex antiqua eius origine. Cum igitur Triphon (vt vidimus) ſe Pauli diſcipulum profiteretur, eam ipſam artem in inſtituendo Gentili homine ad fidem capeſſendam, quam ipſe didiciſſet à Paulo, tùm adhibuiſſe videtur: quippe qui Deorum falſitate primitùs demonſtrata, ſubinde de rerum principijs, ac Dei operibus, non ex diuina Scriptura, cui ille non crederet, ſed ex auctoribus Ethnicis petijt teſtimonium, non ſecus ac Paulus feciſſet Athenis. Demum ea, quam à magiſtro de vno trinoq. Deo didicerat, fide illum imbuit, in hunc modum: Cum enim ille rogaret, dicens: Quemnàm igitur tibi iurabo? Ad eum Triephon: Deum altè regnantem, magnum, æthereum, atque æternum, Filium patris, Spiritum ex patre procedentem, vnum ex tribus, & ex vno tria: hæc tu Iouem puta, hunc tu exiſtima Deum. Hæc ille ibi. Quantum tamen licuit tantam rem tanta breuitate deſcribere, vel quantum externus homo, & Chriſtianis infenſiſsimus Lucianus, eadem potuit fideliter retuliſſe.

Paulus Oneſimum, Philemonis ſeruum, ad Chriſti fidem trahit. Cap. 570.

Ad Philem. PAulus Romæ in vinculis Oneſimum Philemonis ſeruum generaſſe, tradit ipſemet Paulus ad Philemonem ſcribens, his verbis: Obſecro te de filio meo, quem genui in vinculis Oneſimo, qui tibi aliquando inutilis fuit; nunc autem & tibi & mihi vtilis eſt, quem remiſi tibi. Tu autem illum, vt mea viſcera ſuſcipe, quem ego volueram mecum detinere, vt pro te mihi miniſtraret in vinculis Euangelij: Sine tuo conſilio nihil volui facere, vt non quaſi ex neceſsitate bonum tuum eſſet, ſed voluntarium. Forſitan autem ideo diſceſsit ad horam à te, vt æternum illum reciperes. Iam non vt ſeruum, ſed pro ſeruo, fratrem chariſsimum, maximè mihi: quanto autem magis tibi & in carne & in Domino. Si ergo habes me ſocium, ſuſcipe illum ſicut me: ſi autem aliquid nocuit tibi, aut debet, hoc mihi imputa. Ego Paulus ſcripſi manu mea. S. Hieronymus: Apoſtolus obſecrat, & ſenex & vinctus Ieſu Chriſti. Totum autem, pro quo rogat, illud eſt: Oneſimus ſeruus Philemonis, fugā furto cumulans, quædam rei domeſticæ compilarat: hic pergens ad Italiam, ne in proximo facilius poſſet apprehendi, pecuniam Domini, per luxuriam prodegerat. Hoc ne quis putet temerè, & vt libet, à nobis fictum, in ſequentibus diſcat. nunquam enim Paulus diceret: ſi quid nocuit tibi, aut debet, hoc mihi imputa. Ego Paulus ſcripſi manu mea. Ego reddam. Nec ſponſor fieret rei ablatæ, niſi eſſet, id quod ablatum fuerat, diſsipatum. Hic igitur, cum ob confeſsionem Chriſti Paulus Romæ eſſet in carcere, credidit in Chriſtum, & ab eo baptizatus, digna pœnitentia, maculas prioris vitæ abſterſit, in tantum vt is Apoſtolus conuerſionis eius teſtis fieret. Et non multò poſt: Paulo verò in eo vtilis (Oneſimus) quia illo in carcere, in vinculisq. detento poſſet ei in Euangelio miniſtrare. Simul autem admirandum de magnanimitate Apoſtoli, & in Chriſtum mente feruentis. Tenetur in carcere, vinculis ſtringitur, ſquallore corporis, charorum ſeparatione, pœnalibus tenebris coarctatur, & non ſenſit iniuriam, non dolore cruciatur: nihil nouit aliud, niſi de Chriſti Euangelio cogitare. Sciebat ſeruum, ſciebat fugitiuum, ſciebat aliquando raptorem ad Chriſti fidem eſſe conuerſum. Grandis laboris eſt talem

lem hominem in eo perſeuerare, quod cœpit. Idcirco filium ſuum, & filium vinculorum, & miniſtrum Euangelij in vinculis conſtituti inculcat ac replicat. Hæc, & alia Hieronymus. In eandem ſententiam Chryſoſt. ibi & in argum. epiſt. Theod. Anſelmus ibid. & cæteri Patres, ſubſcripſiſſe videntur.

Dum autem Paulus Romæ in vinculis degeret, præter ſupradictam ad Philemonem epiſtolam, etiam & alias ſcripſiſſe conijciunt, videlicet, epiſtolam ad Coloſſenſes, ſecundo ſcilicet anno ſuæ captiuitatis, præterea epiſtolam ad Hebræos.

Paulum autem poſtea ſolutum Romanis vinculis, in Hiſpanias, ad quas proficiſci deſiderabat, profectũ eſſe multi Sancti Patres teſtatur, & conſtans fama eſt. Nam ab hoc tempore, quo Roma diſceſſit, vſque ad conſummatum eius martyrium, octo interfuerunt anni, quibus non ſolum Hiſpanias, ſed totum potuit Orbem Romanum peragrare. Ad eas autem alienigenarum portatus eſt nauibus; vt à Mari rubro, imò ab Oceano, vſque ad Oceanum curreret. Cum autem nunc Iudæam, nunc Corinthum, nunc Epheſum, nunc Romam, nunc Hiſpanias peteret, vt in peccati morte iacentibus, æternæ vitæ gratiam nunciaret, quid ſe aliud, quàm eſſe Aquilam demonſtrauit? *Hieron. in Iſa. c. 11.* *Greg. Mor. li. 31. c. 22.*

Porrò res geſtæ à Paulo in Hiſpanijs, ſicut & alia eius acta, poſtquam ſolutis vinculis Roma egreſſus eſt, remanſerunt inopia ſcriptorum prorſus obſcuræ: ex ijs tamen, quæ fecerat ante, intelligi poteſt, quid egerit poſtea. Operatus ſcilicet eſt magna, paſſus eſt grauia, vincula, tormenta, pugnas, carceres, inſidias, calumnias, ac quotidianas mortes: ſicut ſe habent priora, ita & reliqua. Vnam cæli partem ſi videris, quocunque ieris, videbis talem; ita ſe habent Pauli acta. Cælum erat ille, Solem habens iuſtitiæ.

De Pauli itinere in Hiſpanias, & quid ibi geſſerit.
Cap. 571.

DE Pauli Apoſtoli itinere in Hiſpaniam, hæc habemus à Romano Martyrologio: Narbonæ in Gallia Natalis Sancti Pauli Epiſcopi, Apoſtolorum diſcipuli, quem tradunt fuiſſe Sergium Paulum Proconſulem, qui à Beato Apoſtolo Paulo baptizatus, & cum in Hiſpaniam pergeret, apud Narbonam relictus, ibidem Epiſcopali dignitate donatus eſt: vbi prædicationis officio non ſegniter expleto, clarus miraculis migrauit in cælum. *Rom. Martyr. die 23. Septem.*

Addit Ado Viennenſis Epiſcopus, eodem itinere Paulum reliquiſſe Throphimum diſcipulum Arelate, Viennæ verò Creſcentem. Verùm de Creſcente Paulus ipſe ad Timotheum ſcribens, anno primo ſui carceris petijſſe Galatiam (ſiue, vt alij legunt, Gallias) tradit: ſed potuit vel ad ipſum redijſſe, vel in via occurriſſe, atque eo modo quod ſcribit Ado, eius Eccleſiæ Epiſcopus, Viennæ relictus eſſe. Quamuis autem res geſtæ Pauli in Hiſpania, ſicut & alia eius acta, poſtquam ſolutus vinculis Roma egreſſus eſt, remanſerint inopia ſcriptorum prorſus obſcuræ; tamen in Græcorum Menologio mentio habetur de Xantippe & Polyxena à Paulo ad fidem conuerſis in Hiſpania: his verbis:

Eodem die Natalis Sanctarum Mulierum Xantippæ, & Polyxenæ; quæ ſub imperio Claudij Cæſaris ex Hiſpania genus ducentes, Xantippe quidem

Paulum Apoſtolum, apud Hiſpanos Chriſti Euangelium prædicantem audiuit, quippè qui viro illius Probo, fidei & ſalutis auctor fuerat; Polyxena verò primum audiuit Apoſtolum Petrum, poſtea Apoſtolum Philippum, poſtremo Andream Apoſtolum, qui eam baptizauit in Græcia tunc exiſtentem à viro quodam raptam, ſed Dei ope adiuuante, minimè corruptam: reuerſa verò in Hiſpanias cum Virgine quadam, nomine Rebecca, genere Iudæa, inuenit Xantippam ſororem, virtutum ſplendore fulgentem: itaq. multos docentes Chriſti fidem, in pace quieuerunt. His conſentiunt, quæ tradit Sophronius Patriarcha Hieroſolymit.

Paulus in Hiſpania ab Illuſtri viro hoſpitio ſuſcipitur: conuertit Xantippam, hoſpitis vxorem, & virum, & familiam. *Cap. 572.*

Io. Vaſ. in Hiſp. Chro. SOphronius Patriarcha Hieroſolymitanus ſcribit, Italias, Gallias, & Hiſpanias tranſitu beatiſſimi Pauli illuſtratas: Qui (vt refert) Cum in domo Probi, Illuſtris cuiuſdam viri, hoſpitio ſuſceptus in Hiſpania fuiſſet, & Xantippe vxor eiuſdem Probi modeſtiam hoſpitis ſedulius in eum intenta admiraretur, diuina voluntate factum eſt, vt dum ſic intenta vultui peregrini inhæreret, appareret ante frontem Pauli quaſi litteris aureis ſcriptum: Paulus Apoſtolus, prædicator Chriſti. Quæ cum prænuncia fama multa de Apoſtolo audiſſet, & diù deſideraſſet vultum ſe poſſe videre Apoſtoli, gaudio pariter reſoluta & ſtupore, cum lachrymis corruit ad pedes Apoſtoli. Educta autem myſteria Chriſti, cum viro & familia, Chriſto regenerata eſt, Regno æternæ beatitudinis adinuento. Sed & traditur Philotheus, eius Regionis Princeps, Paulo adhæſiſſe, factus Chriſti confeſſor. O quàm fælices, qui cum æterno, Regnum permutant terrenum!

De Iacobo Minore Apoſtolo, fratre Domini, cognomento Iuſto. *Cap. 573.*

APoſtolis igitur huc, & illuc per orbem abeuntibus, & gentes conuertentibus, Iacobus, qui dicebatur frater Domini, manebat Hieroſolymis, curam eorum gerens, qui Chriſto crediderant, & quærens tardos ad credendum, perducere ad fidem, interim genus vitæ agens admirabile, & ſingulare, omni genere iuſtitiæ honeſtatum, & ſicut Sol in meridie fulgentiſſimum, nulli patens reprehenſioni, ſed per omnia etiam apud hoſtes laude dignum. Sed cum Iudæi increduli, quos & Paulus quoque ex tenebris eruere, & ad Chriſti lumen perducere conatus fuerat, (ad ipſos enim Chriſtus miſſus in primis fuerat) Paulum Chriſtum annunciantem perſecuti fuiſſent, & ipſe ex manibus eorum diuinitus elapſus fuiſſet, & ad Cæſarem prouocaſſet: vt perderent Iacobum cogitare cœperunt, ne ante oculos virum tàm præſtantis virtutis, & tàm magnæ auctoritatis haberent. Quomodo autem hoc geſtum ſit, enarrare neceſſe eſt.

Iacobus

Iacobus Minor, Domini frater vocatus, virtute maximus, admirabili vita ſuper cæteros mortales præſtans, primus Hieroſolymorum Epiſcopus conſtitutus eſt. In Templo coram omnibus in celeberrimo die, confeſſionem Chriſti emittit glorioſiſſimam, quam proprio ſanguine fuſo adhuc fecit glorioſiorem.

Cap. 574.

IAcobus, qui appellatur frater Domini, cognomento Iuſtus, vt nonnulli exiſtimant, Ioſeph ex alia vxore, vt autem mihi videtur, Mariæ ſororis matris Domini, cuius Ioannes in libro ſuo meminit, filius, poſt paſſionem Domini ſtatim ab Apoſtolis Hieroſolymorum Epiſcopus ordinatus eſt. *S. Hier. de ſcriptoribus Eccleſiaſticis.*

Hic eſt de quo & Paulus Apoſtolus ſcribit ad Galatas: Alium autem Apoſtolorum vidi neminem, niſi Iacobum, fratrem Domini. *Galat. c. 1.*

Triginta itaque annos Hieroſolymis rexit Eccleſiam, ideſt vſque ad ſeptimum Neronis annum: & iuxta Templum, vbi & præcipitatus fuerat, ſepultus eſt. Titulum vſque ad obſidionem Titi, & vltimam Adriani, notiſſimum habuit. Quidam è noſtris in monte Oliueti eum putauerunt conditum, ſed falſa eorum opinio eſt. Hæc S. Hieronymus.

Hic Iacobus, quem veteres propter ſingularem virtutem, qua præter ceteros præſtabat, Iuſti cognomine donauerunt, extitit primus, qui Sedem Epiſcopalem Eccleſiæ, quæ eſt Hieroſolymis, obtineret.

Clemens de eo ſcribens, ſic refert: Petrum, Iacobum, & Ioannem, poſt Saluatoris ad cælum aſcenſum, cum eſſent à Domino ſummum dignitatis gradum adepti, nō de gloria & honore contendiſſe inter ſe, ſed vno conſenſu Iacobum Iuſtum, Hieroſolymorum Epiſcopum deſignaſſe. Huic Iacobo Iuſto, Ioanni, & Petro, Dominus poſt Aſcenſionem ſuam, ſingularem quandam impertijt cognitionem, quam illi reliquis Apoſtolis tradiderunt: reliqui autem Apoſtoli Septuaginta diſcipulis, ex quibus vnus erat Barnabas. *Apud Euſ. hiſt. lib. 2. c. 1.*

Euſebius autem rurſus de eo: Iudæi ergo, cum Paulus prouocaſſet ad Cæſarem, & ad Vrbem Romam à Feſto miſſus eſſet, ſpe penitus, qua conſilium in eius necem comparaſſent, excidentes, in Iacobum fratrem Domini (cui a Apoſtolis Sedes Epiſcopalis Hieroſolymitana delata fuit) omnem ſuam maleuolentiam conuerterunt: contra quem ea ſcelera, quæ ſequuntur, conſpatrata fuere. Primùm illum in medium adducunt, & vt fidem Chriſti coram omni populo deneget vehementer ſollicitant. Verùm cum præter omnium opinionem, liberiore ore, voceq. quam expectarent, præſente vniuerſa multitudine filium Dei, Seruatorem ac Dominum noſtrum Ieſum ingenuè & fidenter confeſſus fuiſſet, hominis teſtimonium (nam propter ſummum ſapientiæ & pietatis ſtudium, quod in vita aſſiduè excoluerat, ab omnibus Iuſtiſſimus putabatur) amplius tolerare non poterant. Eum igitur tùm neci dant, cum ad illud facinus impunè obeundum, interregni opportunitatem arripuiſſent. Quippè Feſto per id temporis mortuo, ſumma rerum in Iudæa adminiſtratio, principe & gubernatore penitus erat deſtituta. Cæterùm quamquam Iacobi necis ratio & modus ex verbis Clementis ſupracitatis, ſatis conſtare poterit, qui quidem eum à Templi pinna præcipitatum, *Euſeb. lib. 2. c. 22.*

 fullo-

Egiſippus lib. 5. hiſt.

fulloniſq. vecte percuſſum, mortem oppetijſſe narrat. Egeſippus tamen, Apoſtolorum ætati proximè ſuccedens, ea quæ ad illum ſpectant, hiſtoriæ ſuæ libro, accuratiſſimè tradit ad hunc modum: Iacobus frater Domini, qui Seruatoris temporibus ad noſtram vſque ætatem Iuſtus (Iacobi enim nomine multi donati erant) ab omnibus appellatus fuerat, Eccleſiæ adminiſtrationem vnà cum cæteris Apoſtolis ſuſcepit. Hic ab vtero matris ſuæ Sanctus fuit: vinum & ſiceram non bibit: animalium carnibus ſe abſtinuit; nouacula caput eius nunquam raſum fuit, neque corpus oleo perunctum, aut balneis lotum. Huic vni licebat in Sancta Sanctorum ingredi; veſtibus enim vtebatur non laneis, ſed lineis dumtaxat. In Templum ſolus intrare ſolitus eſt: atque ibi genibus humi poſitis, pro populi peccatis veniam poſtulare: cuius genua, quod tàm aſſiduè ad Deum auguſtè, ſanctèq. adorandum, tùm ad veniam precibus compoſcendam, procumbebat, cameli inſtar, tuberculis contractis, obduruerunt. Qui propter ſingularem Iuſtitiæ præſtantiam, Iuſti & Obliæ (quod Latinè, populi præſidium dici poteſt, & Iuſtitia) nomen, ſicuti prophetæ de eo memorant, inuenit. Quibuſdam igitur ex ſeptem ſectarum fautoribus in populo ſparſarum, & à me in hiſtoria antedeclaratarum, ab eo ſciſcitantibus quodnàm eſſet oſtium Ieſu? Reſpondit, Ieſum eſſe Seruatorem: ex quorum numero nonnulli crediderunt, quod Ieſus eſſet Chriſtus. Sectæ autem ſupraſcriptæ, neque carnis reſurrectionem fore, neque illum venturum, qui cuiq. ſit pro his, quæ rectè aut ſecus geſſerit in vita, mercedem redditurus, omnino crediderunt. Verùm quotquot crediderunt, Iacobi prædicatione, & hortatu crediderunt: ergo cum pleriq. etiam ex principibus viris fidem eſſent amplexati, nonnulli ex Scribis, Phariſæis, & reliquis Iudæis tumultuari, atque adeo vociferari cœperunt, quod vniuerſus ferè populus Ieſum exiſtimabat verum eſſe Chriſtum. Qui etiam ad Iacobum profecti, ſic compellari: Te obnoxie oramus, vt quoniam populus fide in Ieſum, perinde ac ſi verè eſſet Chriſtus, collata, in grauem errorem delapſus eſt, eum ab hac opinione auoces: atque vt omnes etiam, qui hodie ad feſtum diem Paſchatis celebrandum conuenerunt, de Ieſu rectè vereq. erudias, te etiam atque etiam obteſtamur. Tibi enim omnes fidem adhibemus: nec nos ſolum, ſed tota etiam multitudo perhibet teſtimonium, quod iuſtus ſis, quodq. perſonam non reſpicias. Perſuadeas igitur Populo de Ieſu, ne erret. Etenim & vniuerſus populus, & nos omnes tibi credimus: idcirco ſtatue te ipſum ſupra Pinnam Templi, vt de ſuperiore loco cunctis conſpicuus ſis, atque adeo tua verba à tota multitudine facilè, & ſine impedimento audiantur. Propter feſtum namq. Paſchatis non ſolum omnes Iudæorum tribus, ſed multi etiam ex Gentibus conuenerunt. Proinde Scribæ, & Phariſæi, quos ſupra poſuimus, Iacobo ſupra pinnam Templi collocato, cœperunt exclamare ac dicere: O Iuſte, cui omnes meritò debemus fidem adiungere: quoniam populus Ieſum crucifixum imitando aberrauit, tu idcirco nobis commonſtra, quod ſit oſtium Ieſu Crucifixi. Qui clara voce ſic reſpondit: Quid me interrogatis de Ieſu filio hominis? ipſe ſedet in Cælo à dextris magnæ virtutis, & potentiæ Dei, & in nubibus Cæli venturus eſt. Atque cum multi plenè eſſent perſuaſi, & ob Iacobi teſtimonium, Deum laudibus in cælum ferrent, dicerentq. Oſanna filio Dauid: Scribæ, & Phariſæi de integro cœperunt primum inter ſe ita alloqui: Malè certè, & inſe-

liciter

liciter cecidit, vt iſtud teſtimonium veſtra opera Ieſu tribueretur. At conſcenſis gradibus, illum deijciamus præcipitem, vt homines inde perterrefacti, nullam fidem eius doctrinæ adhibeant. Deinde clamare ac dicere: O,ò, Iuſtus etiam errauit. In quo eloquia ſacra apud Iſaiam ſcripta planè expleta fuere: Tollamus è medio Iuſtum, quoniam nobis moleſtiæ eſt, & incommodo; Quocirca fructus operum ſuorum comedent. Tandem ergo aſcendentes, Iuſtum præcipitem dederunt, dixeruntq. ipſi inter ſe: Iacobum Iuſtum obruere oportere lapidibus. Et quoniam deiectus in præceps, non ſtatim mortem obijt, ſed vultu ſurſum ſublato, genibusq. flexis dixit: Obſecro Domine Deus pater, da illis veniam: neſciunt enim quod faciunt: cœperunt ſaxa in eum conijcere: cumq. lapidibus illum obterere pergerent, vnus de Sacerdotibus ex filijs Rechab, filij Rechabim, qui ſuut Hieremiæ teſtimonio commendati, voce emiſſa contentius dixit: Quid agitis? Iuſtus pro vobis Deum precatur. Attamen vnus ab illis, qui fullo erat, arrepto vecte, quo veſtes ſolebaut premere, in caput Iuſti impegit. Ita vitam, beato & fœlici martyrij cruciatu affectus, afflictuſq. amiſit; inq. loco quodam propè Templum, vbi columella eius nomine inſcripta adhuc manet, corpus tumulo mandatum eſt. Iſte Iacobus, tùm Iudæis, tùm Græcis, verus, & incorruptus teſtis fuit, Ieſum verè fuiſſe Chriſtum. Non multo poſt Veſpaſianus Iudæam obſedit, Iudæoſq. redegit in ſeruitutem.

Iacobus igitur, vir in primis admirabilis, & omnium ſermonibus propter illuſtre Iuſtitiæ decus magnopere celebratus fuit: vſque adeo, vt qui inter Iudæos habereutur prudentes, hanc eſſe cauſam putarent, cur tàm citò poſt eius martyrium, obſidione Hieruſalem vndiq. cingeretur: quam profectò obſidionem nulla alia de re illis obtigiſſe creditur, quàm quod tàm audax facinus, & ſcelus inexpiabile contra illum conſciuiſſent. *Ioſeph. antiq. lib. 20. c. 8.*

Sed qualis, & quantus fuerit Apoſtolus ipſe Iacobus, non plene percipi poteſt ex ijs, quæ operatus eſt, quamquam excelſa ſupra modum, & glorioſa fuerint: ſed clarius innoteſcit vita à ſapiente hoc viro inſtituta, ex ijs, quæ ipſe ſapientiſsime dixit, & docuit, cuius verba aureis litteris digna, ſcripta ſunt in Epiſtola eius, quam nobis velut theſaurum precioſiſsimum reliquit. Quam non pigeat lectoré euoluere, & perſpectam habere, vt iuſtiſsimi, & ſanctiſsimi viri, virtutis magnitudinem eodem tépore compertam habeat.

Sed redeamus ad Vrbem Romam.

Exſtincto Claudio, exſtinctum Edictum aduerſus Iudæos, ne in Vrbe agerent. Cap. 573.

OBijt Claudius Imp. annum ætatis agens (vt Suetonius tradit) ſexageſimum quartum, in Imperio autem decimum tertium, menſes octo, & dies viginti, vt numerat Dio. *Baron. an. 56. ex Senec. de obit. Claud. Dio. li. 60.*

Sic igitur defuncto, Agrippinæ dolo, veneno illi propinato: Nero eiuſdem Agrippinæ filius, annum attingens ætatis decimum octauum in Imperium ſucceſſit, tenuitq. annis tredecim, menſibus ſeptem, diebus viginti octo. Exſtinctum vero vnà cum Claudio fuit edictum illud aduerſus Iudæos, ne in Vrbe agerent, promulgatum: quamobrem & Chriſtianis etiam, qui ex Iudæis crediderant, in Vrbem redeundi, qua pulſi fuerant, facultas

data

data eſt. Viſus eſt Nero, ipſo Imperij exordio, erga Iudæos propenſior: nam & ipſorum Regem Agrippam mox donauit quatuor Ciuitatibus, nimirum Perea, & Iuliade in Regione Abilinæ, Tharichæa, & Tiberiade in Galilæa poſitis: reliquam vero Iudæam Felici, qui à Claudio eam adminiſtrandam acceperat, curandam tradidit; idq. in gratiam Pallantis eius germani, qui ex eo quod conciliaſſet nuptias Agrippinæ cum Claudio, quarum occaſione Nero ſubijſſet Imperium, apud Agrippinam, & Neronem plurimum poſſe videbatur.

Ioſeph. ant. lib. 20. c. 5. & de bel. Iud. lib. 2. c. 12.

Sub iiſdem Coſs. refert Tacitus, dolo Agrippinæ ſublatum eſſe veneno Iulium Silanum, Aſiæ Proconſulem: atque Narciſſum libertum, qui apud Claudium primum ferè locum tenuerat, eſſe necatum. Porrò hæc omnia facta ſunt (vt idem auctor ait) ignaro Nerone, qui ſic moribus compoſitus erat, vſus Seneca præceptore, vt cuiuſuis nocentiſſimi hominis legibus condemnati ſupplicium exhorreſceret: quod ad ipſum ſcribens teſtatur Seneca his verbis: Animaduerſurus in latrones duos Burrus, Præfectus tuus, vir egregius, & tibi Principi notus, exigebat à te, ſcriberes in quos, & ex qua cauſa animaduerti velles: hoc ſæpe dilatum, vt aliquando fieret, inſtabat. Inuitus inuito cum chartam protuliſſet, traderetq. exclamaſti: Vellem neſcire litteras. O dignam vocem, quam audirent omnes gentes, quæ Romanum Imperium colunt!] Hæc idcirco de Nerone, qui ipſo biennio ſui Imperij in omnes fuit beneficentiſſimus; vt non mireris, ſi reſciſſo in Iudæos Claudij edicto, eiſdem in Vrbem redeundi dederit libertatem.

Tac. lib 13 Dio. lib. 60 in fine. Senec. de Clem. li. 2.

Cum itaquè, morte Claudij, Iudæis adeundi Romam poteſtas facta eſſet, ex tunc Paulus, tertium iam annum Epheſi agens, veniendi Romam conſilium inijt: ſed prius Macedoniæ, & Achaiæ Eccleſias viſitare, ac Hieroſolymam reuerti, demùm Romam inde ſe conferre decreuit, vt iam ex Luca ſupra enarratum eſt.

Act. 19.

Tempore autem huius Imperatoris ingentia mala in Vrbe patrata ſunt. Præſertim incidit in hæc tempora incendium illud famoſiſſimum, quod penè totam Vrbem combuſſit, ipſo Nerone incendium procurante; qua culpa vt ſe eximeret, reiecit eam in Chriſtianos, quos vſque ad martyrium perſecutus eſt.

Chriſtiani de Vrbis incendio à Nerone falsò accuſati, primitias Romani ſanguinis Deo obtulerunt. Cap. 576.

Martyr. Roma. die 24 Iun.

ROmæ commemoratio Sanctorum plurimorum Martyrum, qui ſub Nerone Imperatore de Vrbis incendio per calumniam accecuſati, diuerſo mortis genere ab eodem iuſſi ſunt ſæuiſſime interfici; quorum alij ferarum tergis contecti laniatibus canum expoſiti ſunt: alij crucibus affixi, alijq. incendio traditi, vt vbi defeciſſet dies, in vſum nocturni luminis deſeruirent. Erant hi omnes Apoſtolorum diſcipuli, & primitiæ martyrum, quas Romana Eccleſia, fertilis ager martyrum, ante Apoſtolorum necem tranſmiſit ad Dominum. Hæc habemus ex Romano Martyrologio. Antiochæni etiam, vt auctor eſt Ioſephus de bello Iudaico lib. 7. cap. 21. in Chriſtianos perſecutionem excitarunt, quòd dicerent, eos Vrbem Antiochenam incendere tentaſſe; anno Chriſti 71.

Horum

Horum prӕterea Martyrum hiſtoriam ipſi etiam Chriſtiani nominis hoſtes (Gentiles dico Scriptores) contexuere, è quibus Cornelius Tacitus, hiſtoriӕ veritate compulſus, falſas Neronis in noſtros calumnias, in ipſummet tandem Neronem retorquet: idipſum & ceteri prӕſtiterunt. Itemq. Sabinus Flauius, apud Tacitum, qui eidem Neroni idipſum palàm exprobrare non timuit.

Suet. c. 38.

Tacitus autem totam rem ita narrare exorditur. Sequitur Clades, forte, an dolo Principis, incertum: nam vtrumquè Auctores prodidere: ſed omnibus, quӕ huic Vrbi per violentiam ignium acciderunt, grauior, atque atrocior. Initium in ea parte Circi ortum, quӕ Palatino, Cӕlioq. montibus contigua eſt. Vbi per tabernas, quibus id mercimonium inerat, quo flamma alitur, ſimul cӕptus ignis, & ſtatim validus, ac vento citus longitudinem Circi corripuit. Neque enim domus munimentis ſeptӕ, vel templa muris cincta, aut quid aliud morӕ interiacebat. Impetu peruagatum incendium plana primum, deinde in edita aſſurgens, rurſus inferiora populando, anteijt remedia velocitate mali, & obnoxia Vrbe arctis itineribus, hucq. & illuc flexis, atque enormibus vicis, qualis vetus Roma fuit. Ad hoc lamenta pauentium feminarum, feſſa ӕtate, aut rudis pueritiӕ ӕtas, quiſque ſibi; quiquè alijs conſulebant, dum trahunt inualidos, aut opperiuntur, pars morans, pars feſtinans, cuncta impediebant; & ſӕpe dum in proxima euaſerant, illis quoque igne correptis, etiam quӕ longinqua crediderant, in eodem caſu reperiebantur. Poſtremo quid vitarent, quid peterent ambigui, complere vias, ſterni per agros: quidam amiſſis omnibus fortunis diurni quoque victus, alij charitate ſuorum, quos eripere nequiuerant, quamuis patente effugio, interiere. Nec quiſquam defendere audebat, crebris multorum minis reſtinguere prohibentium, & quia alij palàm faces iaciebant, atque eſſe ſibi auctorem vociferabantur, ſiue vt raptus licentius exercerent, ſeu iuſſu.

Corn. Tac. li. Ann. 15

Eo tempore Nero Antij agens, non ante in Vrbem regreſſus eſt, quàm domui eius, qua Palatium, & Mę:cenatis hortos continuauerat, ignis propinquaret. Neque tamen ſiſti potuit, quin & Palatium, & domus, & cuncta circum haurirentur. Sed ſolatium populo exturbato, & profugo, Campum Martis, àc monumenta Agrippӕ, hortos quin etiam ſuos patefecit, & ſubitaria ӕdificia extruxit, quӕ multitudinem inopem acciperent, ſubuectaq. vtenſilia ab O:tia, & propinquis municipijs: pretiumq. frumenti minutum vſque ad ternos nummos. Quӕ quamquam popularia, in irritum cadebant; quia perſuaſerat rumor, ipſo tempore flagrantis Vrbis, inijſſe eum domeſticam ſcenam, & ceciniſſe Troianum excidium, prӕſentia mala vetuſtis cladibus aſſimulantem. Sexto demum die apud imas Exquilias finis incendio factus, proruptis per immenſum ӕdificijs, vt continuӕ violentiӕ campus, & velut vacuum cӕlum occurreret. Nec dum poſito metu redibat. Leuis rurſum graſſatus ignis, patulis magis Vrbis locis, eoque ſtrages hominum minor; delubra Deùm, & porticus amӕnitati dicatӕ latius procidere. Pluſq. infamiӕ id incendium habuit, quia prӕdijs Tigillini Aemilianis proruperat. Videbaturq. Nero condendӕ Vrbis nouӕ, & cognomento ſuo appellandӕ gloriam quӕrère. Quippè in Regiones quatuordecim Roma diuiditur: quarum quatuor integrӕ manebant, tres ſolo tenus deiectӕ: ſeptem

reliquis

reliqnis pauca tectorum veſtigia ſupererant, lacera, & ſeminſta. Domorum, Inſularum, Templorum, quæ amiſſa ſunt, numerum inire haud promptum fuerit: ſed vetuſtiſſima religione, qnod Sernius Tullius Lunæ, & Magna Ara fanumq. quæ præſenti Herculi Arcas Euander ſacrauerat, ædeſq. Statoris Ionis vota Romulo, Numæq. Regia, & Delnbrum Veſtæ, cum penatibus populis Romani, exnſta. Iam opes tot victorijs quæſitæ, & Græcarum artium decora, exin monimenta ingeniorum antiqua, & incorrupta, qnāuis in tanta reſnrgentis Vrbis pulchritudine, multa ſeniores meminerant, quæ reparari neqnibant. Fuere qui annotarent decimo qnarto Kal. Sextilis principium incendij huius ortum, qno & Senones captam Vrbem inflammauerant.] hucuſque ille, qui poſt de Neronis ædificijs recenſita, hæc ſubiecit.

Mox petita à Dijs piacnla, aditiq. Sibyllæ libri, ex quibus ſupplicatum Vulcano, Cereri, Proſerpinæq. ac propitiata Iuno per Matronas; primum in Capitolio, deinde apnd proximnm mare: inde hauſta aqua templum, & ſimulachrum Deæ proſperſum eſt, & lectiſternia, & peruigilia celebranerunt feminæ, quibus mariti erant. Sed non ope humana, non largitionibus Principis, aut Deûm placamentis decedebat infamia, qnin iuſſum incendium crederetur. Ergo abdendo rumori Nero ſubdidit reos, & exqniſitiſsimis pœnis affecit, quos per flagitia inuiſos, vulgns Chriſtianos appellabat. Auctor nominis eius Chriſtus, qui Tiberio imperante, per Procuratorem Pontium Pilatum ſupplicio affectns erat. Igitur primo correpti, qui fatebantur, deinde indicio eorum multitudo ingens, haud perinde in crimine incendij, quàm odio humani generis conuicti ſnnt. Et pereuntibus addita ludibria, vt ferarum tergis contecti, laniatn canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi, atque vbi defeciſſet dies, in vſum nocturni luminis vrerentur. Hortos ſuos ei ſpectacnlo Nero obtnlerat, & Circenſe lndicrum edebat, habitu Aurigæ permixtus plebi, vel circulo inſiſtens. Vnde quamquam aduerſus ſontes, & nouiſſima exempla meritos, miſeratio oriebatur, tamquam non vtilitate publica, ſed in ſæuitiam vnius abſumerentur.] Hæc Tacitus: qui rei Chriſtianæ hoſtis infenſiſſimus, Chriſti fideles ob flagitia innifos fuiſſe narrat, eorumq. aliquos crimen confeſſos, atque ab his alios delatos falsò affirmat: Chriſtiani homines eadem plane animi fortitudine, qua veritatem, morti quamquam deſtinati, fatebantur; eadem prorſus, ne mendacinm dicerent, conſtanter perſtare conſueuerant; quinimo ex eo etiam idem Tacitus mendax eſſe reprehenditur, quod omnium Scriptorum teſtimonio, eius incendij Nero Auctor habeatur; quod ſi ita eſt, falsò quidem ille Chriſtianos ſontes appellauit. Et certe ipſemet Flauij Tribuni militnm, Neroni palàm id incendium exprobrantis verba refert: Odiſſe cæpi, poſtquam parricida matris, & vxoris, Auriga, hiſtrio, & incendiarius extitiſti. Hæc idem Tacitus: Sed odio, quo flagrabat in Chriſtianos, quo vacare debent omnes, qni res geſtas ſcribendas ſuſcipiunt, parùm liberalis hiſtorici, ſed hominis, qni permoueretur affectibus, ſpecimen edidit, quippe cum tàm ſua ipſius ſententia, quàm totius populi opinione, Nero auctor haberetur incendij, nihilominus ſontes Chriſtianos appellat. Suetonius eam rem narrans, Neronem incendij auctorem dicit; ſuntq. eius verba: Sed nec populo (de Nerone loquitur) aut mœnibus pepercit,

Suet. in Nerone c. 38.

percit, dicente quodam in communi ſermone: Me moriente, terra miſceatur igni. Sed ex ſe addidit: Me viuente: quod plane fecit.

Cur autem id fecerit, hanc idem Suetonius affert cauſam: Nam, inquit, quaſi offenſus deformitate veterum ædificiorum, & anguſtijs, flexuriſq. Vicorum, incendit Vrbem, tàm palam, vt pleriquè Conſulares cubicularios eius, cum ſtupa, tædaq. in prædijs ſuis deprehenſos, non attigerint; & quædam horrea circa domum Auream, quorum ſpatium maxime deſiderabat, vt bellicis machinis labefactata, atque inflammata ſint, quod ſaxeo muro conſtructa erant. Hæc Suetonius. Eadem fermè Dio, & alij, quorum nullus habetur auctor, qui audeat, Chriſtianos vel leuiter, in crimen adducere. Per ſex dies, ſubdit Suetonius, ſeptemq. noctes ea clade ſæuitum eſt: ad monumentorum, buſtorumq. diuerſoria plebe compulſa. Et paulò poſt: Hoc incendium è Turri Mæcenatica proſpectans (Nero) lætuſq. flammæ, vt aiebat pulchritudine ἅλωσιν Ilij in illo ſuo ſcenico habitu decantauit. *Dio.in Nerone.*

Quod vero Tacitus ſex dies incendium perduraſſe teſtatur, totidemquè Suetonius affirmet, ac ſeptem noctes, hæc de vehementiori incendio eos intellexiſſe certum eſt. Etenim (vt idem addit Tacitus) leuius rurſus graſſatus eſt ignis: quamobrem, nec. ante nouem dies fuiſſe extinctum, vetus inſcriptio docet, cuius hæc ſunt verba.

Deſcripta habetur ab Ald.3lib.2 Ortograph. pag. 512.

Ex.voto. ſuſcepto.Q. Diu erat.Neglectum.Nec. Redditum. Incendiorum. Arcendorum. Cauſa. Quando. Vrbs. Per. Nouem. Dies. Arſit. Neronianis. Temporibus. & Hac lege. Dedicata. eſt. Ne. Cui. Liceat. Intra. Hos. Terminos. Aedificium. Extruere. Manere. Negotiari. Arborem. Ponere. Aliudue. Quid. Serere. Et. Vt. Prætor. Cui. Hæc. Regio. Sorti. Obuenerit. Litaturum. Se. Sciat. Aliuſue. Quis. Magiſtratus. Volcanalib.X.K.Septemb. Omnibus. Annis. Vitulo. Robio. Et. Verre.

Quod autem ad Chriſtianos Romæ agentes ſpectat, hæc perſecutio prima dicenda eſt, licet (vt ex Tacito vidimus) repreſſa cum eſſet, iterum, vt ait, erumpebat Chriſtiana Religio. Neroni quidem omnes tribuunt primam; de quo hæc Tertullianus: Conſulite commentàrios: illic reperietis, primum Neronem in hanc ſectam, tùm maxime Romæ orientem, Cæſariano gladio ferociſſe: Sed tali dedicatore damnationis noſtræ etiam gloriamur: qui enim ſcit illum, intelligere poteſt, non niſi grande aliquod bonum à Nerone damnatum: Et in Scorpiaco: Vitas Cæſarum legimus: orientem fidem Romæ primus Nero cruentauit. *Tertull. in Apol. c. 5.* *Tertull. in Scorp.c.14.*

Euſebius de Neronis ſæuitia ſcribens: Verum (poſt multa adiecit) ad omnia eius ſcelera hoc vnum deeſſe videbatur, quo tamquam titulo inſigniri de- *Sueton. in Neron.c.16*

Euſeb. hiſt. l. 2. c. 24. debuerat, quod ſcilicet primus ex Romanis Imperatoribus, Religioſi cultus, qui ſacro numini tribuitur, hoſtis infeſtus declararetur, Nero demum in noſtros deſæuit vt non Romæ ſolum, ſed in prouincijs etiam, vt Sulpitius ſcribit, Chriſtianos, datis ea de re palam edictis, excruciari iuſſerit; ſed in tàm immani belluæ furore, ſemen fidei cæleſte, quod tàm impenſe curabatur, vt conuelleretur, vbiq. gentium, Deo ipſo adiuuante, vberrimam tulit ſegetem. Pretioſa, inquit S. Leo, in conſpectu Domini mors ſanctorum eius, nec vllo crudelitatis genere deſtrui poteſt, ſacramento crucis Chriſti fundata Religio: non minuitur perſecutionibus Eccleſia, *ſed* augetur, & ſemper dominicus ager ſegete ditiore veſtitur, dum grana, quæ ſingula cadunt, multiplicata naſcuntur, &c.

Sulp. hiſt. l. 2.

Leo. ſerm. 1 SS. Pet. & Paul.

Petrus, & Paulus, vt ſuccurerent puſillo gregi Romæ congregato, quem ferus Nero vaſtabat, Romam reuertuntur, Spiritu ſancto ducti, ibiq. rurſus res Chriſti prædicant: ſed & Hieruſalem excidium prædicunt. Cap. 576.

Metaphraſt. Iun. 29, & alij. IGitur Chriſti Domini Noſtri anno ſexageſimooctauo Petrus, & Paulus diuino conſilio, vt afflictæ nimis gladio Neronis Eccleſiæ Romanæ ſuccurrerent, è diuerſis Orbis partibus Romam ſe contulerunt, atque collabentem penè Eccleſiam ſtatuerunt. Neronis enim gladio in Romanos, occaſione coniurationis, conuerſo, à ſanguine Chriſtianorum aliquantum temperatum fuiſſe videtur. Hac igitur bene vſi opportunitate Petrus, & Paulus Romæ, vt licebat, rurſum Euangelium prædicare cœperunt. Horum prædicationis nobile fragmentum recitat Lactantius, de prænunciata his diebus ab eiſdem Apoſtolis futura clade Hieroſolymitana, cuius bellum hoc ipſo anno eſt auſpicatum. Cum enim, vt accidit, de Iudæorum defectione frequens ſermo eſſet inter Romanos, inde ſuppeditatum eſt argumentum de his agere, quæ his verbis Lactantius memoriæ commendauit: Futura aperuit illis omnia, quæ Petrus, & Paulus Romæ prædicauerunt, & ea prædicatio in memoria ſcripta permanſit, in qua cùm multa alia mira, tùm etiam hoc futurum dixerunt, vt poſt breue tempus immitteret Deus Regem, qui expugnaret Iudæos, & Ciuitates eorum ſolo æquaret; ipſos autem fame, ſitiq. confectos obſideret. Tùm fore, vt corporibus ſuorum veſcerentur, & conſumerent ſe inuicem, poſtremo, vt capti venirent in manus hoſtium, & in conſpectu ſuo acerbiſſime coniuges ſuas vexari cernerent, violari, & proſtitui virgines, diripi pueros, allidi paruulos, omnia denique ferro, igneq. vaſtari, captiuos in perpetuum terris ſuis exterminari, eò quod exultauerant ſuper amantiſſimum, & probatiſſimum filium Dei. Hucuſq. Lactantius.

Lact. lib. 4. c. 21.

Rurſus etiam de Pauli Romæ prædicatione, & de ſtudio Neronis erga Magiam. Cap. 577.

DVm Petrus his temporibus Romæ ageret, ſimul etiam, qui chariſſimus Neroni eſſet, Simon Magus Romæ itidem morabatur, qui diuinos iam ex magia ſibi honores comparaſſet. Incredibili quidem Magiæ ſtudio

dio tenebatur Imperator, vt non modo eiuſmodi Circulatores ſponte artes ſuas offerentes, ac vili pretio venditantes penes ſe habere curaret, ſed è remotis plane regionibus accerſiuerit, quos nouiſſet eius artis inſigniter eruditos. Vnde meritò de eo Plinius teſtatur, ea ætate omnis magiæ generis Neronem fuiſſe Principem, vera falſaq. ſimul comperta habuiſſe: ſed addit hæc inſuper: Idem Nero primum imperare Dijs concupiuit, magia ſcilicet, nec quicquam generoſius coluit. Nemo vnquam vlli artium validius fauit; ad hæc non opes ei defuere, non vires, non diſcendi ingenium, aliaque non patiente mundo. Et poſt alia: Magus ad eum Tyridates venerat, Armeniacum de ſe triumphum afferens; (erat enim hic Rex, quem Corbulo Romani dux exercitus ſuperauit) & ideo prouincijs grauis. Nauigare noluerat, quoniam expuere in maria, alijsq. mortalium neceſſitatibus violare naturam eam, fas non putant: magos ſecum adduxerat: magicis etiam ſcenis eum initiauerat. Non tamen cum regnum ei daret, hanc ab eo accipere artem valuit. Hæc, & alia de eo Plinius: Magnis vtique pollicitationibus Tyridatem à Nerone ſolicitatum, vt in Vrbem veniret, magnificentiſſimeq. ab eo exceptum ſcribit Suetonius. *Plin. l. 30. cap. 2.* *Suet. in Neron. c. 13.*

De Simone Mago, volatum Neroni pollicente. *Cap. 578.*

SImon Magus igitur cum ea occaſione ſeſe in Neronis amicitiam inſinuaſſet, atque de ſe mirifica prædicaſſet, nempe ſe virtutem Dei magnam, quæ Angelis dominaretur, & alia humanum captum tranſcendentia, eſſe iactaret, vt de his aliquod exemplum proderet, atque exhiberet experimentum, per aera volatum illi pollicitus eſt. His ergo fidem adhibuiſſe Neronem non tantum noſtrorum ſuppetunt teſtimonia, ſed etiam externorum: ſi quidem Dio cognomento Chryſoſtomus, in ea oratione, quam habet de pulchritudine, hæc de Nerone: Hoc vero maxime ſuperabat Nero, & nemo illi vlla de re, quam diceret, contradicebat, neque impoſſibile aiebat, quod iuſſerat. Ita vt cum quemdam volare iuſſiſſet, ille, & promiſerit, multoq. tempore nutriebatur intus apud eum in aula tanquam volaturus. hæc Dio. Porrò exhibitum fuiſſe in theatro eiuſmodi ſub Nerone ſpectaculum, vt in eo Icarius exhiberetur volatus, auctor eſt Suetonius, qui ait: Icarus primo ſtatim conatu iuxta cubiculum eius decidit, ipſumq. cruore reſperſit. *Dio. Chryſ. orat. 21.* *Suet. in Neron. orat. 12*

Petrus Romam reuerſus, conuertitur ad fratres ſuos, quos corporali præſentia reliquerat, & epiſtolis confirmat. *Cap. 579.*

CVm Petrus Romæ moraretur, vniuerſaliſquè eſſet Eccleſiæ Paſtor, non ſatis ſibi viſum eſt Eccleſiæ Romanæ proſpicere, ſed vniuerſi gregis curam gerere, vbicunquè eſſet, præſertim autem ouium Iſrael, quæ ei præcipue in Concilio Hieroſolymitano commiſſæ fuerant; ad quos, vt confirmaret, & in fide contineret, præſentia ſua conſolari non valens, ſcripſit epiſtolam, cæleſtibus plenam documentis, ſicut alteram priorem ad diſper-

diſperſos:quæ ſi ſolæ habeantur,& legendo eas in cordis tabulis reponantur, ſatis eſſe poſſunt ad animum Chriſtiani viri inſtruendum, vt in ſe habeat quicquid ad benè, beatèq. viuendum conducere poteſt.

Dignæ autem ſunt, vt ſicut lucidiſſimum exemplar ſemper prę oculis habeantur, propter admirabiles ſententias, quas continent, propter grauitatem, & pondus rerum, quibus refertę ſunt, & propter cęleſtem doctrinam, qua ſunt contectæ: & quia Petrus in eis feruidi ſpiritus ſui magnam fecit manifeſtationem ęſtuans, & anhelans, & acribus animi concupiſcentijs exardeſcens, vt omnes homines bonum ſupremum, diuinum, omni felicitate plenum, mundo incognitum, ſibiq. reuelatum agnoſcerent, agnoſcendo poſſiderent, & beati fierent, emergendo ex luto fęcis, ex vmbra mortis, & poteſtate tenebrarum. Quibus perſpectis, ſtatim apparebit, qualis eſſet tàm ſummi Apoſtoli animus, & quanta ſapientia conſpicuus. Verba enim ſunt earum, quę in animo ſunt, paſſionum notę; & Sancti in epiſtolis ſuis ſunt liberales ſpiritus ſui effuſores: & ſimul notum fiet, quales eſſe debeant, qui Chriſti fidem receperunt; & quale gaudium habere deberent de tàm ingenti pretioſo theſauro in Eccleſię agro inuento. Quod à multis inęſtimabili eorum iactura, & lachrimabili pernicie miſerabiliter contemnitur.

De mortuo, quem præſtigijs ſuis conatus eſt ſuſcitare Simon Magus; ſed non valens, illum verè ſuſcitauit S. Petrus. Ex Hegeſippo Iuniore lib. 3. excid. Hieroſolym. c. 2. *Cap. 580.*

ERant igitur, vt dictum eſt, tunc temporis Romę Petrus, & Paulus Doctores Chriſtianorum, ſublimes operibus, clari magiſterio, qui virtute ſuorum operum Neronem aduerſum fecerant, captum Magi Simonis deliramentis, qui ſibi animum eius conciliauerat. Cui adiumentum victorię, ſubiectiones gentium, vitæ longęuitatem, ſalutis cuſtodiam feralibus artibus pollicebatur, ad quę ille credebat, qui vim rerum neſciret examinare. Denique ſummum apud eum tenebat amicitię locum: quandoquidem etiam prępulem ſuę ſalutis, vitæ cuſtodem arbitrabatur. Sed vbi Petrus eius vanitates, & flagitia detexit, & ſpecies illum rerum mentiri, non ſolidum aliquid, aut verum efficere demonſtrauit: ludibrio habitus, & digno eſt conſumptus mœrore. Et quamuis in alijs terrarum partibus, Petri eſſet expertus potentiam, tamen pręueniens Romam, auſus eſt iactare, quòd mortuos reſuſcitaret. Defunctus erat id temporis Romę adoleſcens nobilis, propinquus Cęſaris, cum vniuerſorum dolore. Admonuere pleriq. experiendum, vtrum poſſet reſuſcitari. Celeberrimus in his operibus habebatur Petrus: ſed apud Gentiles nulla facti huiuſmodi deferebatur fides. Dolor exegit remedium, perrectum eſt ad Petrum. Fuere, qui etiam Simonem accerſendum putarent: vterq. affuerunt. Ait Petrus Simoni, qui de ſua ſe iactaret potentia, priores ſeſe partes dare, vt ſi poſſet, mortuum reſuſcitaret. Si ille non reſuſcitaret, ſe non defuturum, vt Chriſtus opem ferret defuncto, quo poſſet reſurgere. Simon, qui putaret apud Vrbem gentilium plurimùm ſuas valitu-

valituras artes, conditionem propoſuit, vt ſi ipſe reſuſcitaſſet mortuum, Petrus occideretur, qui magnam potentiam (ſic enim appellabatur) laceſſendo, iniurias irrogauiſſet; ſin verò præualuiſſet Petrus in Simonem, pari genere vindicaretur. Acquieuit Petrus: adorſus eſt Simon, acceſſit ad lectulum defuncti, incantare, atque immurmurare dira carmina, vt cœpit, viſus eſt caput agitare, qui mortuus erat. Clamor ingens gentilium, quòd iam viueret, quòd loqueretur cum Simone. Ira, & indignatio in Petrum, quòd auſus eſſet conferre ſeſe tantæ poteſtati. Sanctus Apoſtolus popoſcit ſilentium, & dixit: Si viuit defunctus, loquatur; ſi reſuſcitatus eſt, ſurgat, ambulet, fabuletur, Phantaſma illud eſſe, non veritatem, quòd videatur caput mouiſſe. Denique ſeparetur, inquit, Simon à lectulo, & tunc ue id quidem oſtentui futurum. Abducitur Simon à lectulo, manet ſine ſpecie motus alicuius, qui mortuus erat. Aſſiſtit Petrus longius, & intra ſe paulisper orationi intentus cum magna voce, ait: Adoleſcens, ſurge, ſanet te Dominus Ieſus. Et ſtatim ſurrexit adoleſcens, & locutus eſt, & ambulauit, & cibum ſumpſit, & dedit eum Petrus matri ſuæ. Qui cum rogaretur, vt ab eo non diſcederet, ait: Non derelinquetur ab eo, qui eum fecit reſurgere, cuius nos ſerui ſumus. Secura eſto mater de filio, non verearis, habet cuſtodem ſuum. Ex cum populus in Simonem inſurgeret, vt lapidaretur, ait Petrus: Satis eſt ad pœnam eius, quòd cognoſcit ſuas artes nihil valere. Viuat, & Chriſti regnum creſcere videat, vel inuitus. Torquebatur Magus Apoſtoli gloria. Collegit ſeſe, atque omnem excitans carminum ſuorum potentiam, congregat populum, offenſumq. ſe dicit à Galilæis, relicturum ſe Vrbem, quam tueri ſoleret. Diem ſtatuit, pollicetur volatum, quo ſupernis ſedibus inueheretur; cui, quando vellet, Cœlum pateret. Deſcendit ſtatuto die in locum conſtitutum, ac ſe erigens, volare cœpit. Mirari populus, & venerari: pleriq. dicentes Dei eſſe potentiam, non hominis, qui cum corpore volitaret, nihil tale feciſſe Chriſtum. Tunc Petrus in medio ſtans, ait: Ieſu Domine, oſtende ei vanas artes ſuas eſſe, ne hac ſpecie populus iſte, qui crediturus eſt, decipiatur. Decidat Domine, ſic tamen, vt nihil ſe potuiſſe viuens recognoſcat. Et ſtatim in voce Petri, implicatis remigijs alarum, quas ſumpſerat, corruit, nec exanimatus eſt, ſed fracto, debilitatoq. crure, Ariciam conceſſit, atqui ibi mortuus eſt. Quo comperto, deceptum ſe Nero, & deſtitutum videns, dolens tanti caſum amici, ſublatumq. ſibi virum vtilem, & neceſſarium Reipublicæ, indignatus, quærere cœpit cauſas, quibus Petrum occideret. Et iam tempus aderat, quo Sancti vocarentur Apoſtoli, Petrus, & Paulus. Denique dato, vt comprehenderentur præcepto, rogabatur Petrus, vt ſeſe aliò conferret. Reſiſtebat ille dicens, nequaquam ſe facturum, vt tanquam metu mortis territus cederet: bonum eſſe pro Chriſto pati, qui pro omnibus ſe morti obtuliſſet: non mortem illam, ſed immortalitatem futuram, tanquam indignum, vt ipſe fugeret paſſionem ſui corporis, qui multos doctrina ſua compulerit ſe hoſtias pro Chriſto offerre: deberi ſibi ſecundum Domini vocem, vt & ipſe in paſſione ſua Chriſto gloriam, atque honorem daret. Hæc, & alia Petrus obtexere: ſed plebs lachrymis querens, ne ſe relinqueret, & fluctuantem inter procellas Genti-

lium deſtitueret: victus fletibus Petrus, ceſsit: promiſit ſe Vrbem egreſſurum. Proxima nocte ſalutatis Fratribus, & celebrata oratione, proficiſci ſolus cœpit. Vbi ventum eſt ad portam, videt ſibi Chriſtum occurrere, & adorans eum, dixit: Domine, quò vadis? Dicit ei Chriſtus: Iterum venio crucifigi. Intellexit Petrus de ſua dictum paſsione, quòd in ea Chriſtus paſſurus videretur, qui patitur in ſingulis: non vtiquè corporis dolore, ſed quadam miſericordiæ compaſsione, aut gloriæ celebritate. Et conuerſus in Vrbem redit, captuſq. à perſecutoribus, cruci adiudicatus, popoſcit, vt inuerſis veſtigijs cruci affigeretur, quòd indignus eſſet, qui ſimili modo crucifigeretur, vt paſſus eſt Dei filius. Quo impetrato, vel quia ita debebatur, vt Chriſtus prædixerat, vel quia perſecutor non inuitus indulget pœnarum incrementa, & ipſe Paulus, alter cruce, alter gladio necati ſunt. Hæc Hegeſippus: quæ confirmantur ex Actis SS. Nerei, & Archillei.

De horribili Simonis Magi caſu, enarratio ex Patribus. *Cap. 581.*

Clem. Cõſt. lib. 6. c. 9. SImonis Magi caſum Clemens Romanus, qui ceteris habetur antiquior, ex perſona Petri, hoc modo narrat: Cui cum Græci, & Latini quoque Hiſtorici conſentiant; quòd videri poſſet apochryphum, iam propè authenticum redditur. Ait autem: Romam Simon cum veniſſet, Eccleſiam vehementer perturbauit, multos euertens, atque in ſuam adducens ſententiam; gentes verò commouebat Magicis artibus. Itaquè quadam die in Theatrum in meridie proceſsit; iuſsitquè ſuis operis, vt me in theatrum arriperent, pollicitus ſe in aerem volaturum. Cumquè omnes hac de re erecti eſſent, ego ſeorſum orabam. Itaquè ſublatus à Dæmonibus, volabat ſublimis, dicens in Cœlum ſe aſcendere, vnde illis bona ſuppeditaturus eſſet, populo illi, veluti Deo, acclamante optima. Attollens ego manus in Cœlum, tota mente ſupplicabam Deo, vt per Ieſum Chriſtum Dominum frangeret ſceleſtum illum, & Dæmonum vim labefactaret, in fraudem & perniciem hominum illa vtentium; illumquè perfractum non occideret, ſed comminueret. Tuncquè Simonem intuitus: Si Dei, inquam, homo ego ſum, Apoſtolus verò Ieſu Chriſtis verus, doctorquè pietatis, non erroris, cuiuſmodi tu Simon, impero improbis virtutibus apoſtatis pietatis, quibus vehitur Simon Magus, vt remittant ſuas vires, & ab alto hic decidat in riſum eorum, qui ab ipſo decepti ſunt. Cumq. hæc dicerem, deſertus à virtutibus Simon, cum magno fragore corruit, vehementerq. concuſſus fregit coxendicem, & pedum talos: clamorq. plebis ortus eſt, quo ferebatur vnum Deum eſſe, quem iuſtè Petrus nunciaret, tantùm veritate fretus; multiq. ab eo defecerunt. Hæc ille.

Arnob. aduerſ. Gent. lib. 2. Arnobius, qui claruit temporibus Diocletiani, aduerſus Gentiles ſcribens, haud putandus ea attuliſſe, quæ aliqua ſaltem ex parte de leui mendacio argui potuiſſent, vnde & quærentibus occaſionem quamcunque res noſtras deridendi, anſam tribuiſſet, hæc de his ſcribit: Viderant enim (Romani ſcilicet) curſum Simonis Magi, & quadrigas igneas Petri ore difflatas,

ſtatas, & nominato Chriſto euanuiſſe. Viderant, inquam, fidentem Dijs falſis, ab ijſdem metuentibus proditum, pondere præcipitatum ſuo, & cruribus iacuiſſe perfractis; poſt deinde perlatum Brundam, cruciatibus & pudore defeſſum ex altiſsimi culminis ſe rurſum præcipitaſſe faſtigio. Quæ omnia vos geſta, neque ſcitis, neque ſcire voluiſtis, neque vmquam vobis neceſſaria iudicaſtis.] Hæc, inquam, cum Arnobius ſcribat aduerſus omnes Gentes, nec vt de re aliqua in angulo facta teſtetur, ſed Romæ in Orbis vniuerſi Theatro tàm liberè, ac ingenuè fateatur; ſanè quidem rem haud dubiam, quæuè in controuerſiam deduci, vel à fidei hoſtibus poſſet impugnari, ſe memoraſſe ſignificat.

Cyrillus Hieroſolymorum Epiſcopus, qui Conſtantij temporibus vixit, hæc in eandem ſententiam ſcripſit: Dilatato autem Simonis errore, par amicorum bonorum illam calamitatem correxit, Petrus, & Paulus, cum eſſent præſides Eccleſiæ; & oſtentantem ſeſe iuſtum Simonem ſtatim exſtinxit. Cum enim prædicaret Simon in Cælos ſe aſcenſurum, & vehiculo dæmonum in aerem eſſet ſublatus: flexis genibus ſerui Dei, & concordiam oſtendentes, de qua dixit Ieſus: Quod ſi duo ex vobis conſenſerint, de quacunque re, quam petierint, fiet ipſis: concordiæ hoc telum per orationem emittentes in Magum, deiecerunt illum in terram. Nec mirum eſt: Petrus enim erat, qui claues Regni Cælorum portabat. Non eſt mirandum: Paulus enim erat, qui in tertium Cælum raptus fuerat, & in Paradiſum, & audierat arcana verba, quæ non licet homini loqui. Ex aere in terram depreſſerunt eum, qui ſe appellabat Deum, deinceps ad inferos detrudendum. Hucuſque Cyrillus. *Cyrill. Catecheſ. 6.*

Epiphanius item: Naturæ, inquit, debitum in Romanorum Vrbe Simon perſoluiſſe reperitur, quando in media Romanorum Vrbe miſer ille collapſus, mortuus eſt. *Epiph. hær. 21.*

Ad hæc ſanè Euſebius quoque propemodum alluſiſſe videtur, dum ait: Cum diuinus ſermo iam ad Romanos perueniſſet, veſana Simonis potentia exſtincta eſt, & homo ipſe actutum penitus profligatus. *Euſeb. hiſt. lib. 2. c. 14.*

Neque verò ab his aliud ſignificare Philaſtrius voluit, cum hæc dixit de eodem Simone: Cum fugeret beatum Petrum Apoſtolum de Hieroſolymitana Ciuitate, Romamq. veniret, ibiq. pugnaret cum Beato Apoſtolo apud Neronem Regem; deuictus vndiq. oratione Beati Apoſtoli, atque percuſſus ab Angelo, ſic meruit interire, vt eius Magiæ euidens mendacium cunctis hominibus pateſieret. *Philaſt. de hæreſ. c. 3.*

Sanè etiam Sanctus Auguſtinus ſcribens ad Caſulanum, ea occaſione Romæ eſſe inſtitutum ieiunium Sabbati, multorum relatione teſtatur, ſic dicens: Eſt quidem, & hæc opinio plurimorum, quamuis eam perhibeant falſam plerique Romani, quod Apoſtolus Petrus, cum Simone Mago die Dominico certaturus, propter ipſum magnæ tentationis periculum, pridie cum eiuſdem Vrbis Eccleſia ieiunauerit, & conſecuto tàm proſpero glorioſoquè ſucceſſu, eumdem morem retinuerit, eumquè imitatæ ſint nonnullæ Occidentis Eccleſiæ. Hæc Auguſtinus: qui tamen opera Petri Simonem exſtinctum, atque necatum certò confirmat, cum ait: In qua Vrbe Beatus Apoſtolus Petrus cum vera omnipotentis Dei vir- *Aug. ep. 26* *Auguſt. de hæreſ. 1.*

Fff 2 tute

Contra Ful gent. Don. cap. 23. tute extinxit. Rurſus apud eundem: Petrum, Ananiam & Saphiram eius vxorem mendaces occidit; & Simonem Magum tamdiù perſecutus eſt, donec morte perimeret. Hæc ipſe.

Seuer. hiſt. lib. 2. Sulpitius Seuerus, hæc eadem teſtatus, ait: Tàm illuſtris illa aduerſus Simonem Petri, & Pauli congreſsio fuit. Qui cum Magicès artibus, vt ſe Deum probaret, duobus ſuffultus dæmonijs euolaſſet, orationibus Apoſtolorum fugatis dæmonibus, delapſus in terram, populo inſpectante, diſruptus eſt.

Proſper de promiſs. dimid. temp. c. 13. Ad hæc, haud dubium, Proſper Aquitanus alludit, dum ait: Contra Neronem duo Petrus, & Paulus Apoſtoli: at contrario Simon Magus, qui & ſe perdidit, & Neronem decepit.

Theod. hæret. fabul. lib. 1. c. 1. Affirmat eadem Theodoretus, in hunc planè modum: Rurſum Romam veniens diuinus Petrus, fraudis eum pennis nudauit. Qui cum eum tandem in miraculorum certamen prouocaſſet, omnibus Romanis videntibus, eum ex magna altitudine deturbauit, cum oraſſet: & qui miraculum viderant, eos cepit ad ſalutem.

Iſid. Peluſ. lib. 1. ep. 13 Sed Iſidorus Peluſiota, Idipſum diſertis verbis, cum ait: Quamobrem ſi tè Simonis exemplum non terret, qui cum baptizatus fuiſſet, ac miniſtris Chriſti comitem ſe præbuiſſet, rurſum ad eas res, quæ ex materia conſtant, reuerſus eſt, ob idquè etiam ex alto miſer in mortem ſermone multorum celebratiſsimam præceps ruit; vt ex vna ipſius ruina perſpicuum omnibus fiat, quibus ſupplicijs digni ſint, qui cæleſte curriculum mentiuntur Simonis veſtigijs animiq. inſtituto hærentes. Hæc Iſidorus ad Lampetium ſcribens.

Max. Taurin. ſer. 5. in nat. Apoſt. Maximus Taurinenſis, dum cauſam necis Apoſtolorum declarat, hæc ait: Sed videamus cauſam, quare iſta perpeſsi ſunt, ſcilicet, quòd inter cetera mirabilia etiam Magum illum Simonem orationibus ſuis de aeris vacuo præcipiti ruina proſtrauerant. Cum enim idem Simon ſe Chriſtum diceret, & tanquam filium ad Patrem aſſereret volando ſe poſſe conſcendere, atque elatus ſubito Magicis artibus volare cœpiſſet, tunc Petrus fixis genibus, precatus eſt Dominum, & precatione ſancta vicit Magicam leuitatem: prior enim aſcendit ad Dominum oratio, quàm volatus; & ante peruenit iuſta petitio, quàm iniqua præſumptio: ante Petrus in terris poſitus obtinuit, quod petebat, quàm Simon perueniret in cæleſtibus, quò tendebat. Tunc igitur Petrus velut vinctum illum de ſublimi aëre depoſuit, & quodam præcipitio in ſaxa illidens, eius crura confregit: & hoc in opprobrium facti illius, vt qui paulò antè volare tentauerat, ſubito ambulare non poſſet; & qui pennas aſſumpſerat, plantas amitteret. Sed nè forte hoc mirum videatur, quod Magus iſte præſente Apoſtolo per aërem aliquamdiù volitauerit, hoc patientia Petri fecit: permiſit enim illum ſublimius aſcendere, vt altius caderet; voluit eum in excelſum leuari in conſpectu omnium, vt ruentem illum de excelſo oculi omnium peruiderent. Hæc igitur iniquitatis eſt elatio, vt in altum ſe ferat, in ſublime ſe erigat: ſed ſancta oratio omnem humiliat ſuperbiam, & vniuerſam deijcit vanitatem. hucuſq. Maximus, Homilia 5. de Sanctis Petro, & Paulo. Arnobius autem hæc de

Arnob. cōtra gentes lib. 2. caſu Simonis: Viderant Romani currum Simonis Magi, & quadrigas igneas

Petri

Petri ore difflatas, & nominato Chriſto euanuiſſe: viderunt ſidentem Dijs falſis, & ab eiſdem metuentibus proditum: pondere præcipitatum ſuo, & cruribus iacuiſſe præfractis.

Nefanda præſtigia Simonis Magi, quibus dementabat homines. Cap. 582.

ABominabilis, & ruina plenus finis fuit Simonis, Magorum omnium ſceleſtiſſimi, qui præſtigijs ſic oculos ſpectantium, mentemq. omnium perſtringebat, vt in ſui admirationem omnes penè conuerteret. Quænam autem hæc fuerint, quæ cum non eſſent, tamen ab hominibus videri videbantur, legendus Anaſtaſius Nicænus, qui hæc ſcribit: Statuas faciebat ambulare, & in igne volutatus non exurebatur; in aere volabat, & ex lapidibus panes faciebat: Serpẽs fiebat, & in aliquas alias beſtias transformabatur; duas habebat facies, in aurum conuertebatur, fores clauſas aperiebat, vincula ferrea ſoluebat; in conuiuijs exhibebat ſpectra formarum omnis generis; Vaſa, quæ erant in ædibus, faciebat videri tanquam quæ ſua ſponte mouerentur ad miniſterium, ijs qui portabant, non viſis, efficiebatq. vt multæ vmbræ eum præcederent, quas dicebat eſſe animas mortuorum. Multos autem tentantes eum dicere præſtigiatorem, cum eos eſſet allocutus, & inde conuiuij prætextu bouem ſacrificaſſet, & eos conuiuio excepiſſet, varijs morbis, & dæmonibus eos ſubiecit. A Cæſare aliquando quæſitus, & territus aufugit, ſua forma alij impoſita. hucuſq. Anaſtaſius de Simonis impoſturis, quibus hæc per imaginem oſtendebat, & viſum. *Anaſt. Nic. q. 23.*

De impietate artis Magicæ, quæ patrocinio vtitur ſpirituum malignorum. Enarratio ex Sancto Auguſtino. Cap. 583.

POrrò aduerſus magicas artes, de quibus quoſdam nimis infelices, & nimis impios etiam gloriari libet in nomine dæmonum, ipſam publicam lucem teſtem citabo. Cur enim tàm grauiter iſta plectuntur ſeueritate legum, ſi opera ſunt numinum colendorum? An fortè iſtas leges Chriſtiani inſtituerunt, quibus artes magicæ puniuntur, ſecundum quem alium ſenſum, niſi quod hæc maleficia generi humano pernicioſa eſſe non dubium eſt? Ait poeta clariſſimus: *S. Aug. de Ciuit. Dei lib. 8. c. 19.*

Teſtor chara Deos, & te germana, tuumq.
Dulce caput, magicas inuitam accingier artes. *Aene. 4.*

Illud etiam, quod alio loco de his artibus dicit:

Atque ſatas alio vidi traducere meſſes: *Virg. Egl. 8.*

Id quod hac peſtifera ſceleſtataq. doctrina, fructus alieni in alias terras transferri perhibentur, nonne in duodecim tabulis, ideſt, Romanorum antiquiſſimis legibus Cicero commemorat eſſe conſcriptum, & ei qui hoc fecerit, ſupplicium conſtitutum? Poſtremo ipſe Apuleius nunquid apud Iudices Chriſtianos de magicis artibus accuſatus eſt? quas vtique ſibi obiectas, ſi diuinas, & pias eſſe nouerat. & diuinarũ poteſtatum operibus congruas, non *Apul. de mag. art. accuſatus.*

ſolum eas confiteri debuit, ſed etiam profiteri, leges culpans potius, quibus hæc prohiberentur, & damnanda peterentur, quæ haberi miranda & veneranda oporteret. Ita enim vel ſententiam ſuam perſuaderet Iudicibus, vel ſi illi ſecundum iniquas leges ſaperent, eumq. talia prædicantem, atque laudantem mortè mulctarent, digna animæ illius dæmones dona rependerent: pro quorum diuinis operibus prædicandis, humanam vitam ſibi adimi non timeret. Sicut Martyres noſtri, cum eis pro crimine obijceretur Chriſtiana Religio, qua nouerant ſe fieri ſaluos & glorioſiſſimos in æternum, non eam negando, temporales pœnas euadere delegerunt, ſed potius confitendo, profitendo, prædicando, & pro hac omnia fideliter, fortiterq. tolerando, & cum pia ſecuritate moriendo, leges, quibus prohibebantur, erubeſcere compulerunt; mutariq. fecerunt. Huius autem Philoſophi Platonici copioſiſſima & diſertiſſima exſtat oratio, qua crimen artium magicarum a ſe alienum eſſe defendit, ſeq. aliter non vult innocentem videri, niſi ea negando, quæ non poſſunt ab innocente committi. At omnia miracula Magorum, quos rectè ſentit eſſe damnandos, doctrinis fiunt & operibus dæmonum, quos viderit, cur cenſeat honorandos, neceſſarios eos aſſerens perferendis ad Deos noſtris precibus: quorum debemus opera deuitare, ſi ad Deum verum preces noſtras volumus peruenire? Deinde quæro quales preces hominum Dijs bonis per dæmones allegari putat, magicas, an licitas? Sí magicas, nolunt tales; ſi licitas, nolunt per tales. Si autem peccator pœnitens preces fundit, maximè ſi aliquid magicum admiſit: ita ne tandem illis intercedentibus accipit veniam, quibus impellentibus, aut fauentibus ſe cecidiſſe plangit in culpam? An & ipſi dæmones, vt poſſint pœnitentibus mereri indulgentiam, priores agunt, quod eos deceperint, pœnitentiam, vt & ipſi poſtea accipiant indulgentiam? Hoc nemo vnquam de dæmonibus dixit, quia ſi ita eſſet, nequaquam ſibi auderent diuinos honores expetere, qui pœnitendo deſiderant ad gratiam veniæ peruenire. Ibi enim eſt deteſtanda ſuperbia, hic humilitas miſeranda. Hæc Auguſtinus.

Ars iſta eſt omni deteſtatione digna & abominanda, quoniam Dæmones per eam homines decipiunt, vt eos à Deo, & à veritate auertant, & ſub eorum poteſtatem conſtituant. Referamus in hoc argumento, occaſione Simonis ſceleſtiſſimi Magi, aliqua exempla.

Nobilis & curioſus Iuuenis, artem exitialem Magiæ ediſcere cupiens, per apocam proprio ſanguine conſcriptam ſeſe Dæmoni deuouet, vt artem illam ediſcat, & didicit, & ea in ſui perniciem vſus eſt. Quapropter à terribili equi ſeſſore cælitus territus, & ad pœnitentiam actus, vix multis orationibus, & lachrymis, & ieiunijs obtinere potuit, vt apocam reciperet.

Cap. 583.

Ex hiſtor. generali S. Dominici, & ord. eius ſcripta per F. Ferdinãdum einſdẽ Ord. patrẽ p. 1. lib. 2. c. 72.

EGidius quidam, natione Luſitanus, natus eſt ex parente nobili, qui erat Conſiliarius Regis Don Sancij & Gubernator Colimbriæ. Huius viri vitæ progreſſus extitit per omnia ſingularis; dum enim adhuc adoleſcens eſſet, diligentia ſua factus Clericus, tres obtinuit Canonicatus; ſed non vt Clericus,

ricus, qui in ſortem Domini ſe dedit, viuebat, ſuſcepit enim vitæ genus ab omni honeſtate & virtute alienũ, ita vt omnium oculos præ turpitudine offenderet. Quicquid autẽ ex prouentibus eius cõparabat, totũ in illis rebus conſumebat, quæ diuitibus, otioſiſq. adoleſcentibus amabiles eſſe ſolent, quando proprijs affectibus & immoderatis paſſionibus trahuntur. Interim tamen Logicæ, Philoſophiæ, & Medicinæ operam dedit, in qua tanta attentione, & animi curioſitate ſe habebat, quantam habere poteſt anima inquieta, ſicut anima eius erat. Huiuſmodi autem curioſitas diſcendi fuit ſibi multorum malorum occaſio. Quapropter à Luſitania diſcedens, ad famoſiſſimam Pariſiorum Academiam proficiſci decreuit. Dæmon hanc occaſionem accepit, vt Iuuenem hunc funditus perderet, perſuaſitq. ei, vt Necromantiæ artem addiſceret. Quæ eo tempore (ſicut ferebatur) Toleti in obſcura quadam, & ſecreta ſpelunca docebatur. Cumq. animo ſuo magna euolueret, arbitrareturq. hac via poſſe ſe conſequi multa, quæ animo ſuo arriderent; Dæmon, qui huiuſmodi fantaſias ſuggerebat, apparuit ei in via in ſimilitudinem viatoris, & poſt multos ſermones tanta ei familiaritate coniunctus eſt, vt Iuuenis nõ timuerit ei enarrare animi ſui cogitationes, ſeq. proficiſci Pariſios, vt egregius Medicus euaderet. Quæ cum audiuiſſet Dæmon, aliam ſcientiam (inquit) tibi proficuam atque perutilem indicabo: quam ſi didiceris, futurum eſt; vt animos omnium ad te diligendum conuertas, atque etiam opes, atque facultates aliorum acquiras, & indulgere voluptatibus poſſis, quotquot Mundus habet. Cum enim Iuuenis ſis atque nobilis, nunc tempus eſt, vt vitæ genus ſuſcipias periucundum, ex quo gloriam & honorem in mundo recipias, id quod Medicinæ operam dãdo, & curis ægrotorum incumbens conſequi non poteris. Idq. eò libentius facere debes, quo ſi ſcientiam, de qua tibi loquor, didiceris, non ſolum habebis, quod à me tibi dictum eſt, ſed arcana Medicinæ admiranda intelliges. Hæc autem eſt Necromantia, quæ præterquàm, quod maiorem fructum affert, facilius etiam addiſcitur. Iuuenis ea, quæ à ſimulato comite dicebantur, multa animi ſui voluptate audiuit, tamquam ille, qui, cum minus cogitaret, viſus eſt ſibi ipſi vltrò offerri, quod tantopere deſiderabat. Igitur ambo iter arripuerunt, vt ad eum locum peruenirent, vbi illa ars docebatur. Cumq. Toletò appropinquarent, obuiam habuerũt miniſtros quoſdam, hominum ſpecie ex Inferno profectos, qui expectabant eos: à quibus benignè & læto vultu excepti ſunt, multis amicitiæ ſignificationibus. Deinde ſecreta ſolicitudine Iuuenem ad antrum quoddam perduxerunt, vbi facultas hæc Diabolica docebatur. In quam cum ingreſsi fuiſſent, audiuit iuuenis, quas conditiones obſeruare deberet, quicumque admitteretur ad magna illa arcana perdiſcenda. Prima autem erat, vt relicta diuina lege ſubijceretur penitus imperio & dominio docentis Dæmonis, qui ſcientiæ illius ordinarius erat Magiſter: Secunda autem erat, vt fidem denegaret, & baptiſma: Tertia, vt Chirographum ſcriberet atramento ſanguinis ſui, in quo Dæmoni ſe inſeruiturum polliceretur. Iuuenis, qui nihil cogitabat, niſi quod volebat, & duce ſenſu res agebat, factus fuerat ſuorum affectuum, & voluptatum infælix mancipium, propter infanda vitia ſua à Deo derelictus, & datus in reprobum ſenſum conſenſit omnibus, quæ dicebantur. Scripſit proprio ſanguine Chirographum, ſeq. in poteſtatem Dæmonis dedit. Sed Deus, qui ex terra fæ-

culenta nouit extrahere theſauros, in perditiſsimo Iuuene oſtendit miſericordias ſuas, non corripiens eum, & vltionem exercens in media peccatorum colluuie, ſicut contra aliquos ex ſocijs eius fecerat, quos dum delinquerent, morti tradidit, ſed mores eius ſuſtinuit, vſque ad præfinitum tempus. Exactis illis annis iterum cogitauit Pariſios proficiſci, vt ibi doctoratus lauream ſuſciperet in facultate Medicinæ, quod poſtea relicta Diabolicâ ſchola executus eſt. Contigit autem, vt Medicinæ & Necromantiæ arte functus, breui temporis ſpatio famoſus euaderet, viuebatq. interim ſecundum cordis ſui concupiſcentias. Cumq. hoc modo in hac miſeria perſeueraret, Deus de cœlo proſpexit, & ſicut moris eius eſt, miſericordia motus, ex inextricabilibus laqueis eum eruere voluit. Res autem hoc modo geſta eſt. Quadam die cum ſolus domi ſuæ in Bibliotheca ſua permaneret, apparuit ei fortiſsimus eques & ferox, aſpectuq. terribilis, qui ſuper equum ferum ſedens, lanceam, quam in manu geſtabat, contra eum conuertit, vt eum percuteret, terribiliq. voce inſurrexit in eum dicens: Muta ſceleſte, Muta ſceleſte mores. Hoc viſo ſpectro, Ægidius obriguit, & perterrefactus eſt; ſed vt qui erat infixus in vitiorum profundo & ebrius in iniquitatibus ſuis, proprijſq. inuolutus peccatis, paulò poſt ab animo eius timor ille diſceſsit, non conſiderans, quid terribilis illa admonitio portenderet; quouſque tribus diebus præteritis, eodem loco & modo apparuit ei tremendus ille eques, qui ſibi prius apparuerat, magis indignans, quàm prius; qui furore plenus eadem verba profatus eſt: Sceleſte, muta ſceleſte ſtatum tuum, muta vitam tuam. Cui Aegidius territus: Erraui (inquit) tibi Domine non obtemperans, cum me prius admonuiſſes, nunc faciam quod iubes. Tunc eques illa Lancea pectus eius percuſsit, non vt feriret & occideret, ſed vt ſanaret & vitam daret; illius enim ictus virtus peruenit ad cor eius, tantaq. virtute eum commutauit, vt amplius non eſſet, qui fuerat. Deindeq. eques amplius non apparuit. Iuuenis nullam moram traxit, vt reſponderet ſupernæ vocationi, & quamquam tunc quartana febre laboraret, Luſitaniam verſus profectus eſt, vt in aliqua Religione ſe conſtitueret, vbi peccatorum ſuorum pœnitentiam agere poſſet. Cum autem vlteriorem Heſperiam perambulaſſet, Veſpere peruenit Palentiam. Forte fortuna audiuit in hac Ciuitate fabricari Monaſterium Fratribus noui Ordinis Prædicatorum. Quapropter, propter famam ſanctitatis, quæ de illis patribus vbiq. percrebuerat, prius quàm vlterius progrederetur, patres illos viſitare decreuit; quos occupatos & fractos laboribus ædificationis inuenit. Videnſq. illos portare lateres, & calcem, ligna, & ferramenta pro fabrica conſtruenda, ac ſi mercede conducti eſſent, Ordinem illum adamauit, perſuaſus præcipuè tantæ humilitatis exemplo. Sequenti die allocutus eſt Monaſterij Priorem, cui etiam peccata ſua confeſſus eſt, petijtq. ab eis, vt Religionis habitum ſibi impertirent; qui magna promptitudine ab illis Patribus ſibi conceſſus eſt, remiſitq. famulos ſuos in Luſitaniam, ſcribens ad patrem ſuum epiſtolam, certioremq. eum faciens deliberationis ſuæ. Permanſit in eo Monaſterio totum annum Nouitiatus ſui, fuitq. mirificus profectus, qui miſerante Deo, ab illo in morum diſciplina factus eſt, nam Religionis auſteritas maximè tunc temporis in eo loco florebat.

Omnes enim laborabant manibus diù noctuq. alij in audiendis confeſ-

ſionibus,

ſionibus, alij in verbo Dei diſſeminando, omneſq. orationibus, alijſq. ſpi-ritualibus exercitijs operam dabant. Non comedebant præterquam panem, atque herbarum ferculum, abſque aliquo condimento: nihilominus tamen Iuuenis tantam corporis ſanitatem obtinuit, & corde ita erat alacer, ac ſi omnibus mundi voluptatibus, atque delicijs potitus fuiſſet. A principio au-tem, cum in vita delicata enutritus fuiſſet, & omnium rerum opulentia, ma-gnas difficultates & tentationes ſuſtinuit, quas ipſe Confeſſario ſuo reue-lauit, & conſolationem ſuſcepit, ſemper Dominum rogans, vt ei vires præ-beret, vt prouinciam ſuſceptam ad finem adducere poſſet. Erat ipſe natura ſua hilaris, & ſociabilis; multumq. diligebat ioca & nugas, quæ ſicut ſem-per cordibus magnam ſpiritus ariditatem impertiunt, ita, vt plurimum ani-mis ſunt ruinarum cauſa, quorum alimentum in vita ſpirituali eſt deuotio in Deum, receſſus à Mundo, ſilentium, ſolitudo, cum oratione meditatio, ſine quibus ſpiritus deuotionem maiorem non habebunt, quàm habeat aridum lignum. Adiuuabat ille fragilitatem ſuam, iterum promittens ſe facturum, quod prius ſpoponderat, accendenſq. animum ad certamen, vt prauam na-turam virtuti ſubderet. Quapropter fauore diuino tantam concupiſcentia-rum, à quibus impugnabatur, moderationem obtinuit, pacemq. cordis & ſpiritus quietem adeptus eſt, vt nihil magis eum delectaret, quam ſilentium, ſolitudo, clauſura, & quicquid deniq. prius naturæ eius aduerſabatur; ad tantamq. perfectionem peruenit, vt Frater Vmbertus, Generalis totius Ordi-nis Miniſter, qui multo tempore cum illo cohabitauerat, aſſereret ex ore Aegidij verbum inordinatum exire ſe nunquam audiuiſſe: ſemper enim col-loquebatur, vt afflictam alicuius animam conſolaretur, aut, vt magnalia Dei enarraret, aut profunda humilitate taceret, & quamquam eſſet excel-lentiſsimus Medicus, non tamen ægritudinibus ſuis remedia ſibi compone-bat, ſed in omnibus obtemperabat illi, qui ſui curam gerebat, quamquam animaduerteret aliquando parum eſſe ſibi vtilia, quæ iniungebantur.

Quò circa magis, magiſq. de die in diem proficiendo, progrediebatur, & in ſanctis exercitijs perſeuerabat: addebat orationi orationem, humili-tati humilitatem, ſilentium ſilentio, & pœnitentiam pœnitentiæ, nulli rei parcens, quæ rigida, & auſtera eſſet. Ferream cathenam circa carnes ge-rebat, quæ vſque hodie in Monaſterio, vbi ſepultus eſt, in teſtimoniũ virtu-tis eius conſeruatur. Ceterùm extremo dolore conficiebatur propter Chi-rographum illud, in quo ſeipſum Diabolo deuouerat in illa ſpelunca, in qua exitialem artem didicerat. Quapropter ſe fletibus macerabat, & medita-batur, qua ratione ex Diaboli manibus apocam ſuam ſuo ſanguine ſcriptam eripere poſſet: millies orabat, & ſuſpirijs anhelantibus petebat à Deo, vt concederet ſibi petitionem cordis ſuis. Contulit ſe ad orandam Virginem beatam, terribilem Diabolo, afflictorumq. conſolatricem: prouoluebat ſe-ſe ad pedes eius, pronunciabat lamenta pœnitentiæ, & flens ante ipſam, rogabat enixe, vt intercederet apud omnipotentem filium, cui parent om-nia, cui genuflectuntur infernorum genua, & nutu perterreſacit tartara, pro apoca recuperanda, ne forſan mortis tempore apocam illam ſuperbus Dæ-mon contra ipſum produceret.

Quadam die in loco quodam Monaſterij ſui, vbi erat capella quædam, ab ea parte, in qua campanarum funes pendebant, deuotiſſime orabat, cum

cum nequitiæ princeps mugiens, & vlulans, & formidabili ſonitu aerem verberans, viſibiliter apparet illi, & nefandis verbis, & ignominia plenis eum compellans, vocat ipſum proditorem, mendacem, apoſtatam, & perfidum, & fœdifragum, & ſecreta documenta, quibus eum inſtruxerat, & gloriæ opinionem, quam per illa apud homines acquiſiuerat, improperat, & voluptuoſam vitam, & delitijs plenam, quam illi procurauerat, obijcit: conqueriturq. ſe ad reſtituendum, quod ſuum eſt, cogi. Deinde minas intentat ingentes, & maledicens eum euanuit, & ſtatim apoca illa per aerem volitare viſa eſt, decidereque in terram. Quam cum arripuiſſet, coram Deo, & B. Virgine prouolutus, partim propter memoriam commiſſi ſceleris dolens, partim propter ereptam ex manibus dæmonis apocam alacer, & præ gaudio plorans, gratias ingentes optimo Deo, & ſanctiſſimæ Virgini agit de recepto benificio, quoniam eripuiſſent eum de inimicis eius, & de manu omnium qui oderant eum.

Vt hinc appareat, quàm deteſtabile ſit per maleficas artes quærere ab inimico dæmone, omnium malorum auctore, prouenire ſibi bona, & recedere à Deo ſuo, à quo ſolo omne datum optimum, & omne donum perfectum cum magna plenitudine in mortales deſcendit.

Iudæus Magus, callens artem Magicam, diuerſa ſpectacula, admiratione digna, oculis aſpicientium proponit. Cap. 585.

Guat. Cõp. malef. SEdechias quidam, Religione Iudæus, profeſſione Medicus, ſicut alter Simon Magus, ſtupenda quædam coram principibus viris fecit: videbatur enim hominibus ipſum deuorare currum onuſtum fœno, cum equis, & Auriga: inſuper amputare capita, manus, & pedes, quæ pelui coram impoſita ſanguine ſtillantia, cunctis ſpectanda præbebat, & ea ſtatim hominibus illæſis ſuo quoque loco reſtituebat. Media bruma hortum amæniſſimum in Cæſaris palatio arboribus, herbis, floribus, cantu auium, ſubito natis, & auditis producebat.

Io. Trith in Chron. Spãhin. ann. 1262.

Deodorus, Magus peritiſſimus, diris carminibus mira operabatur. Videbatur conuertere homines in bruta, & diſtincta ſpacijs locorum longiſſimis ſimul adunabat, & per aerem vehebatur, vt in ipſo quandam numinis potentiam eſſe crederent. Cap. 586.

Tho. Phaz. Dec. rer. ſicul. l. 5. c. 4. Idem cap. 7 l. 3. Dec. 1. MIra referuntur de quodam Diodoro, quem vulgus Lialorum vocat. Hic magica arte imbutus miranda præſtigiorum machinatione Cattanæ floruiſſe dicitur. Is potenti carminum ſuorum vi, homines in bruta animalia conuertere, omniumq. ferè rerum formas in nouas metamorphoſes commutare. Longiſſimiſq. à ſe ſpacijs diſiunctos, repentè ad ſe trahere videbatur. Cattanenſes præterea adeò crebris laceſſebat iniurijs, & contumelijs dehoneſtabat, vt vaniſſimæ credulitatis circumuenti ad illum adorandum concitarentur. Hic cum capitis reus tradendus eſſet ſupplicio, carmi-

carminum arte præſtantiſſima, è Cattana Bizantium, cuius imperium eo tempore Sicilia agnoſcebat, & rurſus è Bizantio Cattanam è Lictorum manibus dilapſus, paruo temporum interſtitio per aerem vehi ſe iuſſit; quibus veneficijs adeo populo factus eſt admirabilis, vt in ipſo quandam numinis potentiam eſſe rati, errore ſacrilego, cultum ſacris debitum ei exhiberent. Tandem à Leone Cattanenſi Epiſcopo Diuina virtute ex improuiſo captus, in media Vrbe coram omni populo in fornacem igneam iniectus, ignis incẽdio conſumptus eſt. Sic Diuinæ iuſtitia præualuit, vt qui ſe iudicibus forte minus iuſto zelo mortis eripuerat, è Sancti viri manibus elabi non potuerit.

Cæſarius Magus magijs ſuis deludit multos: eripitur à iudicibus Eccleſiaſticis per Principem ſecularem, qui Deo vlciſcente, paulò poſt interijt. Cap. 587.

NOſtris tẽporibus Cæſarium Malteſiũ Pariſijs captum fuiſſe, ſed è carceribus aſtu elapſũ ferebant: idq; ei Bazius Inquiſitor inter cętera in iudicio obijciebat: ſed cum vrgeretur, & damnationem metueret, à Gubernatore, qui tunc erat, iudicibus Eccleſiaſticis ſuperſedere iuſſis, ereptus, in Aulam irrepſit, & ibi multa de nouo cæpit edere. Carthas luſorias in alterius eas tenentis manu, ipſe diſtans ſic mutabat, vt bis, terq. alia in eis figura appareret. In altera menſæ parte poſita vaſa ad ſe alliciebat, moto vitri tantum fruſtulo. Cogitationes nonnunquam diuinabat alienas, vt cum ſparſa ſaccari minutorum granorum in menſam magna multitudine, quòd quis ſibi granum mente delegiſſet, indicabat, etiam ſi quis in deligenda re propoſita dubitaſſet, addebat hæſitationem, & reſolutionem. Iactabat, quod alter eſſet electurus, id ſe diù prænouiſſe, & alia multa. Propter quæ tertio in ius ab Illuſtriſſ. Archiepiſcopo Mechlinienſi anno 1600. vocatus, cum ſiſtere ſe pollicitus eſſet, aufugit ad Aſylum omnium Antichriſti præcurſorem. Princeps ille, qui præſtigiatorem iudicio, auctoritate, non iure eripuerat, vix biennium ſuperuixit, & florente ætate interijt, nec quidquam illi, poſtquam malæ cauſæ defenſionem ſuſceperat, poſtea fæliciter in gubernatione ceſsit. Ex quo patet, quod nunquam Deus impunitos Principes ſinit, hoſtium ſuorum defenſores, cum nominatim vetuerit, ne præſtigiatricem quis viuere patiatur. *Exod. 22. v. 18.*

Boemus Magus, nunc ſua, nunc aliena facie, & ſtatura, nunc in purpura, & ſerico, nunc in lana, & panno ſordido apparebat; videbatur nauigare per mare; conuiuas eludebat, & faciebat aliquem apparere cum ceruinis cornibus; fictos porcos venales proponit, & demum huiuſmodi magiam affingit. Cap. 588.

DVbrauius narrat, quod Ziton Boemus Magus, artem ſuam oſtentans, nunc ſua, nunc aliena facie, ſtaturaq. apparebat: item in purpura, & ſerico, ac confeſtim in lana, & panno ſordido Regi ſe offerebat; ambulan- *Lib. 23.*

bulantiq. in terra, ipſe tanquam in aqua nauigabat. Aliquoties equis rhedarijs vectum gallis gallinaceis ad epiredium ſuum alligatis ſubſequebatur. Conuiuas præterea Regis variè illudebat, interdum manus illorum ne illas ad patinas porrigere valerent, in pedes boum, interdum in vngulas equorum transformabat; & quandoq. fronti eorum ceruina cornua latiſſima adijciebat, quoties videlicet è feneſtris ad ſubitum ſpectaculum proſpicerent, ne rurſus caput, & ora ad menſam referre poſſent. Triginta ſues bene ſaginatos ex manipulis fœni effingit, illoſq. paſtum proximè Michaelis cuiuſdam piſtoris locupletis extrudit, proponitq. venales, quo piſtor voluit pretio, hoc tantum emptorem monens, ne gregem nouum ad flumen lotum compellat: qua ille monitione neglecta, cernit in flumine manipulos fluitare, ſuibus ſubmerſis: ergo diù venditore quæſito, atque in Taberna tandem vinaria reperto, in qua porrectis pedibus in ſcamno recubabat, dum ſtomachabundus altero pede correptum excitare vult, eum a corpore protinus cum fæmore euellit: clarè Zitone quæritante, & obtorto collo, emptorem ad iudicem trahente; piſtor in manifeſto deprehenſus facinore, vt ſibi videbatur, damnum damno addidit.

lib. 25. 26. 28. Sed de Magia hactenus reuertamur ad Petrum, & Paulum.

Petrus, & Paulus iubente Nerone in carcerem deducti ſunt. Conuertunt carceris cuſtodes, & baptizant eos, erumpente ibidem cælitus fonte. Prædicant ibi Euagelium, curant infirmos, & quadraginta ſeptem alios viros conuertunt. Cap. 589.

Apud Sur. to. 4. die 2. Iulij. Die 14. Martij. B. Petrus autē, & Paulus occaſione lapſus Simonis à Nerone in carcerē fuere detruſi. Carcerem autem, quo ſanctiſſimi Apoſtoli detenti ſunt, Mamertinum dictum eſſe, Martyrologia fidem faciunt. Erat autem carcer iſte ad radices Capitolij ſupra locum, quem hodie, Forum dicunt, ſubterraneos habens deſcenſus, Vinculis ſanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, aliorumq. Sanctorum martyrum nobilitatus.

Ceterùm in eodem carcere Proceſſus, & Martinianus milites, Apoſtolorum cuſtodes, à Petro ad fidem conuerſi, ab eodem ſacro baptiſmate ibidem initiati ſunt, erumpente diuina virtute ex petra fonte, vt eorumdem res geſtæ declarant. Admiratione enim digna res eſt, eundem illic fontem in hanc vſque diem perſeuerare.

Apud Sur. t. 4. 2. Iul. In eo igitur carcere cum ad tàm longum temporis ſpatium detinerentur Apoſtoli, & à Chriſtianis Romæ agentibus, atque alijs inuiſerentur, Euangelium prædicare, maleq. ſe habentes curare, atque alia plura operari miracula non deſierunt: nec enim tantum dictos duos milites in carcere poſiti Apoſtoli genuerunt per Euangelium, ſed & alios quadraginta ſeptem: in quos ſimul omnes gladius Neronis ſæuijt, illuſtriq. ſic ſunt coronati martyrio: quorum memoria annua celebritate recolitur, illorum duorum ſecunda Iulij, horum decima quarta Martij, qui natalis illis dies idemquè ſempiternus illuxit in cælo. Hæc autem quomodo ſe habuerint, ipſorum Acta declarant.

Martyr. Rom. & alia. Apud Sur. t. 4. 2. Iul.

Iam

Iàm quod ad Paulum ſpectat, vt à Nerone conijceretur in carcerem, hanc etiam Chryſoſtomus affert cauſam, cum ait: Neronem prorſus ex fama nouiſtis: vir enim impudicitiæ ſceleribus omnibus inſignis fuit: primusq. ac ſolus in tanto Imperij culmine nouos quoſdam laſciuiæ, flagitij, ac turpitudinis modos excogitauit, exquiſiuit, inuenit. Hic itaquè Paulo beatiſſimo (vno enim eodemq. tempore vitam iſtam agebant) huiuſmodi, ac prorſus ſimilia crimina obijciens his quæ vos modo ſanctis obijcitis: Pellicem enim eius, quam ille deperibat, atquè in delicijs habebat, cum induxiſſet fidei, ac religionis ſacramenta ſuſcipere, perſuaſerat vnà inceſtum illum, impurumq. congreſſum declinare: Hec, inquam, ille crimina obiectans, corruptoremq. nequam, flagitioſum, ac nebulonem, & his ſimilia, quæ vos modò perſtrepitis, Paulum vocitans, primum coniecit in vincula: cum verò, vt puellæ eiuſcemodi monita, atquè conſilia dare deſineret, perſuadere non poſſet, necauit eundem. Hæc Chryſoſtomus. At nihil obſtat, vt alia cauſa Paulus, alia vero Petrus ab eodem Nerone conijcerentur in carcerem; nempe iſte propter conſternatum Simonem; ille quod Neronis pellicem ad Chriſtianam Religionem conuertiſſet, & ex impudiciſſima caſtam, atque pudicam reddidiſſet. Alia etiam affertur cauſa, nimirum, quod Proculum, Neronis pincernam, conuertiſſet ad fidem Chriſti ſuſcipiendam.

Chryſoſt. aduerſus Vituper. Vit. mon. l. 1. eademquè Metaphraſt. die 29. Iunij.

Erat igitur Petrus in carcere, & iam inſtabat tempus à Domino prædictum, quo quiſpiam eum iam ſenem factum debebat cingere, & ducere, quo nolebat; fidem prædicauerat, gentes conuocarat, & curſum conſumauerat. Curſus autem eius fuit huiuſmodi.

Petri per Orbem curſus. ex Card. Bellarmino. *Cap. 590.*

POſt paſſionẽ Domini, manſit B. Petrus quinque ferè annis in Iudæa, inde profectus in Syriã. Antiochię fixit ſedem, & manſit annos ferè ſeptẽ Epiſcopus eius Vrbis. Eodẽ tẽpore peragrauit vicinas prouincias, Pontũ, Aſiam, Gallatiã, Cappadociã, & Bithiniã: inde profectus anno ſeptimo Epiſcopatus Anthiochenſis, qui erat vndecimus à paſſione Domini, redijt in Hieruſalem, ibiq. comprehenſus ab Herode, in vincula coniectus eſt in diebus Azimorũ: ſed paulò poſt ab Angelo liberatus, eodẽ anno, qui erat ſecundus Claudij, Romam venit, ibique ſedem fixit, ac tenuit annis viginti quinque. Nec tamen toto eo tempore, quo fuit Epiſcopus Romanus, manſit Romæ, ſed poſtquam ſeptem annis Romæ prædicauerat, redijt in Hieruſalem, expulſus à Claudio ex Vrbe vnà cum ceteris Iudæis. Scribit enim Lucas, Claudium expuliſſe ex Vrbe omnes Iudæos. Idem ſcribit Suetonius in Claudio. Idem Ioſephus, vt Oroſius citat, & ipſe Paulus Oroſius, qui addunt hoc factum eſſe anno Claudij nono, ideſt 18. à paſſione Domini. Itaq. cum audiſſent ij, qui erant Anthiochiæ, Petrum veniſſe in Hieruſalem, miſerunt ad eum Paulum, & Barnabam, & tunc factum eſt Concilium Hieroſolymitanum. Mortuo autem Claudio, redijt Petrus Romam, & ibidem vitam finiuit.

Act. 18.
l. 7. hiſt.

De

De damnatione mortis Petri, & Pauli, à Nerone Roma facta; & de Apparitione Domini Petro recedenti.
Cap. 591.

ANno Domini ſexageſimo nono, redeunte ex Achaia Nerone, eius iuſſu, Petrus, & Paulus Principes Apoſtolorũ, vna eademq. die, quamquam diuerſo mortis genere martyrium ſubiere. Ante vero eorum obitum, nonnulla ex probatis Auctoribus collecta præceſſerunt. Ex Achaia Romam rediens Nero ea pompa triumphi, quam Suetonius ſcribit, Apoſtolos, quos Simonis Magi cauſa vinxiſſe diximus, noua ſuperaddita accuſatione, vltimo ſupplicio condemnauit. Quænàm autem ea fuerit ex Ambroſio, & alijs facile intelligitur. Datum enim illis crimini tradunt, quod feminas ad meliorem frugem, & præcipue caſtitatem ſeruandam conuertiſſent. Multum enim in his verſati ſunt Apoſtoli, vt quas ad Chriſtianam fidem capeſſendam inducerent, eaſdem imprimis caſtè, & pudicè viuere ſuaderent: nàm Tacitus, Suetonius, Dio, & ceteri, qui Neronis hiſtorias conſcripſere, teſtantur, in nobiliſſimas quaſq. feminas eius libidinem abſq. aliquo pudoris freno impudentiſſimè eſſe graſſatam. Sed cum (vt de Petro primùm agamus) expectaretur executio feralis ſententiæ, indigniſſime ferentes Chriſtiani, ſic à ſe Paſtorem omnium abripi Petrum, vt fuga ſibi, ſuiſq. conſuleret, inſtantiſsimis precibus, & obteſtationibus admonentes, vix tandem, vt id faceret, ſuaſerunt, imo potius compulerunt. Non deerat ad hæc præſtanda carceris Cuſtodum officium, Proceſſi, & Martiniani, quos idem Petrus initiarat ſacro baptiſmate. Quomodo autem egreſſus, ac iterum Domino admonente ſit reuocatus ad carcerem, Ambroſium hæc accuratè ſcribentem audiamus. In Auxentium enim dum agit, hæc ait: Idem Petrus poſtea, victo Simone, cum præcepta Dei Populo ſeminaret, doceretq. caſtimoniam, excitauit animum Gentilium, quibus eum quærentibus, Chriſtianæ animæ deprecatæ ſunt, vt pauliſper cederet. Et quamuis eſſet cupidus paſſionis, tamen contemplatione populi precantis inflexus eſt: rogabatur enim, vt ad inſtituendum, & confirmandum populum ſe reſeruaret. Quid multa? nocte muro egredi cæpit, & videns ſibi in Porta Chriſtum occurrere, Vrbemq. ingredi, ait: Domine, quo venis? Reſpondit Chriſtus: Venio iterum crucifigi. Intellexit Petrus ad ſuam crucem diuinum pertinere reſponſum: Chriſtus enim non poterat iterum crucifici, qui carnem, paſsione ſuſcepta mortis, exuerat: quod enim mortuus eſt, mortuus eſt ſemel; quod autem viuit, Deo viuit. Intellexit ergo Petrus, quod iterum Chriſtus crucifigendus eſſet in ſeruulo. Itaq. ſponte remeauit, interrogantibus Chriſtianis reſponſum reddidit, ſtatimq. correptus, per Crucem ſuam honorificauit Dominum Ieſum. Hucuſquè Ambroſius.

Sueton. in Nerõ. c. 25.

Ambroſ. in Auent. de baſil. non trad.

Ambroſ. in Auent. de baſil. non trad. fere in med. edit. Rom.

De flagellatione Petri, & Pauli, & columnis, vbi alligati ſunt.
Cap. 592.

POrrò antequàm ſupplicio Petrus, & Paulus afficerentur, ambo more Romano virgis cæſi fuiſſe traduntur. De Petro, quod vilis haberetur

perſona

perſona, nulla poteſt eſſe dubitatio, cum more maiorum, qui vltimo ſupplicio damnati eſſent, antea virgis cæderentur. De Paulo autem, quod Ciuis eſſet Romanus, & lege Valeria primû, ac deinde lege Porciâ haberetur immunis, addubitari poſſet. Verùm conſtat tàm ex lege duodecim Tabularum, quàm etiam lege ſacra, cum aliquod ab his immane fuiſſet perpetratum delictum, tunc iiſdem Centuriatis comitiis condemnatos, affectos verberibus primum, capite truncandos. Cum igitur apud omnes grauiſſimum omnium ſcelus haberetur impietas. Paulum eius criminis iudicio poſtulatum, & condemnatum, antequàm vltimo ſupplicio ſubiiceretur, virgis cæſum fuiſſe, nullus iure poterit dubitare: cum præſertim adhuc Romæ in Eccleſia S. Mariæ trans Pontem extent, & in honore habeantur columnæ illæ, quibus ambo Apoſtoli alligati, & virgis cæſi feruntur.

Ducitur Paulus ad locum martyrij, occurrit Plautilla mater Flauiæ Domitillæ, commodat velum, in itinere tres milites conuertuntur. Cap. 593.

GLorioſi Principes terræ, Petrus, & Paulus ducebantur iuſſu Neronis ad martyrium. Cum autem Paulus à Petro, muta prius ſalutatione impartita, more Chriſtiano in oſculo ſancto in hunc modum diuiſus eſſet; ad præſcriptum ſupplicij locum rectà perducitur. Inter eundum quę acciderint, in Actis emendatioribus Paſſionis eius, magna ex parte habentur expreſſa. Cum ad locum pergeret paſſionis, comitantibus populorum turbis innumeris, veniſſetq. ad Portam Vrbis, habuiſſe obuiam nobiliſſimam matronam, nomine Plautillam (licet alij alio nomine eam dictam eſſe velint) quam, illam fuiſſe matrem Flauiæ Domitillæ, cuius habetur mentio in Romano Martyrolgio, ac in Actis Sanctorum Nerei, & Archillei, eamq. à ſancto Petro baptizatam, ac demum eodem anno poſt Apoſtolos vita functam, eadem Acta tradunt. Eam cum flentem intuitus eſſet Apoſtolus, ab ea velum petijt, quo feriendus gladio ex more obduceret oculos. Conſueuiſse Iudæos etiam faſcia velare oculos eorum, qui capite truncandi eſſent, Ioſephus demonſtrat, dum ait: Is autem eum reuinctis poſt terga manibus, oculiſq. faſcia obſtrictis, in conſpectu Romanorum veluti capite cæſurus produxit. *Ioſeph. de bel. Iud. li. 7. cap. 14.* Cum igitur ad illud opus, velum Paulus ab illa petijſſet, libenter illa parens, liberaliter tradidit, illud ipſum, vt erat pollicitus, poſtea receptura. Locus ille, vbi hæc facta ſunt, dicitur eſſe propè Portam Oſtienſem, huius rei gratia veteri memoria conſecratus. Cum autem ſic Paulus duceretur, tres milites ex his, qui ex apparitura erant, ad Chriſti fidem conuertit, quos in confeſſione Chriſtianæ Religionis conſtantes, eiuſdem Imperatoris gladius Martyres fecit die ſecunda Iulij, quæ Anniuerſaria celebritate recolitur. Horum nomina fuiſſe, Longinus, Aceſtus, & Megiſtus, nuper citata Acta teſtantur.

De

De Pauli decollatione ; & de lacte , quod è gutture eius manauit , & de conuerſione triginta quinque virorum. *Cap.* 594.

VBi tandem ad locum ſupplicio deſtinatum Paulus perductus eſt , fuſis ad Deum precibus , alacri animo , quod id diutius exoptaſſet , iugu-
Martyrolg. Rom. lum præbuit . Locus ille dictus, ad Aquas Saluias, tertio ab *Vrbe lapide* diſtans, alio nomine , Gutta iugiter manans, eſt appellatus , vbi *Chriſtiano-*
Ado Vſua. & alij ea die. eodem die 9. Iul. rum carnificina eſt aliquando habita . Nam & Zenonem , ac decem millia militum , illic fidei Chriſtianæ cauſa fuiſſe obtruncatos , tùm loci illius vetera monimenta , tùm Romanum Martyrologium atteſtantur . Illic igitur , cum ictu Carnificis Populus capite truncaretur , non ſanguinis fluenta è ſectis venis , ſed lactis tantum (res planè miranda) largiter fluxit . Res quidem adeò inſignis , non tantum ex dictis Actis, ſed & alijs compluribus habetur teſtibus confirmata . Nam & Ambroſius de re tam celebri, & clara, nec dubitatione aliqua obſcurata, his verbis meminit : De Pauli verò ceruice,cum eam perſequutor gladio percuſſiſſet, dicitur fluxiſſe lactis magis vn-
Ambroſius ſerm. 68. da , quàm ſanguinis , & mirum in modum Sanctum Apoſtolum baptiſmi gratia in ipſa cæde extitiſſe ſplendidum potius, quàm cruentum . Quæ quidem res in Sancto Paulo ſtupenda non eſt . Quid enim mirum , ſi abundat
1. Cor. 3. lacte,nutritor Eccleſiæ ? ſicut ipſe ad Corinthios ait : Lac vobis potum *dedi*, non eſcam . Hæc eſt plane promiſſionis illa terra, quam Deus Patribus noſtris promiſit , dicendo : Dabo vobis terram fluentem lac , & mel . Non enim de hac terra locutus eſt, quæ dimanantibus aquis cænum inuoluit , lutumq. permiſcet ; ſed de illa tùm Pauli , tùm ſimilium Pauli , quæ iugiter purum , ſuaueq. diſtillat. Quæ enim Pauli Epiſtola non melle dulcior , & lacte candidior ? Quæ epiſtolæ,tamquam vbera Eccleſiarum, populos enutriunt ad ſalutem. De ceruice ergò Apoſtoli pro ſanguine Lac manauit .
Io.Chryſoſ. orat.in pri. apoſt. to.5. nouel. edit. Hucuſque Ambroſius . Sed & Ioannes Chryſoſtomus eiuſdem *veritatis grauiſſimus* aſſertor, ſic ait : Beatus autem Paulus , cui caput enſe *præciſum* eſt , vir cuius laudes verbis exprimi nequeunt . At cuiuſmodi enſis illius guttur, Dominicum , inquam , inſtrumentum Cælo ſuſpiciendum, & terræ tremendum peruaſit ? Qualis locus tuum , Paule , ſanguinem excepit , qui lacteus apparuit in eius veſte, qui te percuſſit ? qui quidem ſanguis barbaricum illius animum reddens melle dulciorem , vt ipſe vnà cum ſocijs ad fidem traduceretur, ita affecit . Hæc de lacte . Subdit de alijs, tunc eo miraculo ad fidem Chriſti conuerſis : ac demum , quem ætatis ſuæ annum martyrij tempore ageret, his docet: Sit mihi inſtar coronæ gladius ille, qui triginta , & quinque viros ſumma ad ſeruiendum Deo alacritate Domino mancipauit . Sic quidem ex vulgata editione , alij tamen ex Græco aliter interpretantur. Perfectò itaque octo,& ſexaginta annorum vitæ curſu, quem pro pietate inſtitutum tenuerat , quieuit . Hæc ipſe . Sunt etiam de his alia complura , ſed recentiorum teſtimonia .

De eruptione trium fontium, vbi Pauli collum exciſum eſt, & de ſudario reddito Plautillæ. Cap. 595.

DE tribus fontibus, qui in morte Pauli mirabiliter eruperunt, fideli maiorum traditione teſtatum redditur, tres ibidem emanaſſe fonticulos dulcis aquæ, qui tunc primùm erupiſſe dicuntur, cum Pauli caput exciſum, tribus ſe ſaltibus vi quadam ſpiritus diuinitus agitauit; quorũ prior dulcior, lactis ſaporem aliqua ex parte reddat, ceteri quamuis haud longè à primo diſtent, paulò diuerſum guſtui ſaporem afferant. Cuius rei ea ratio ſolet afferri, quod ipſo primo fluxu lac venæ dederunt, ac inde ſanguinem: qui quidem locus planè celeberrimus, trium Fontium dictus, frequenti Chriſtianorum viſitatur concurſu. Sudarium verò Plautilla recepit, cum miniſterio expleto Apoſtolus eidem per viſum apparuit. Illudq. eſſe putatur, quod Conſtantina Auguſta magna inſtantia apud S. Gregorium Romanum Pontificem agens, ad ſe mitti poſtulauit, qui haud ſibi conceſſum eſſe, quod vnà cum corpore eodem clauderetur ſepulchro, quod aperire nefas eſſet, literis ad eam redditis, excuſauit. Corpus verò Apoſtoli, à Lucina clariſſima femina Senatoria ſublatum, in ſuo prædio via Oſtienſi honeſtiſſimo tumulo locatum fuit. At de Pauli martyrio hactenus. *Gregor. in regiſt. li. 3. epiſt. 30.*

De effigie, & ſtatura Pauli Apoſtoli. Cap. 596.

DE effigie Pauli, atque ſtatura, hic repetendum eſt: quod Triphon Critiam Cathecumenum inſtituentem, apud Lucianum loquitur: Ergo, inquit, docebo te, quid ſit vniuerſum; & quid fuerit ante omnia, & quæ item conſtitutio, quodue corpus vniuerſi. Quando enim me Galilæus ille conuenit recaluaſter, naſo aquilino, qui tertium vſque ad cælum per aerem ingreſſus eſt, quæq. optima, & pulcherrima ſunt, inde didicit, per aquas nos renouauit. Hucuſq. ille; quem quidem his coloribus, atque notis non alium, quàm Paulum deſcripſiſſe, omnes credimus facilè intelligere; nam aliquem alium Apoſtolorum, vel aliorum Chriſtianorum, tertium cælum conſcendiſſe, nouimus neminem. Staturam verò eius, vt qualis fuerit, deſcribamus, haud procerã fuiſſe, ſed potius breuiorem, tàm ea, quæ ipſe de ſe, quàm quæ Chryſoſtomus ſcribit, facilè oſtendunt. Ad Corinthios enim ſecundo ſcribens, quæ de ſe aliqui dicerent, refert his verbis: Epiſtolæ, inquiunt, graues ſunt, & fortes, præſentia autem corporis infirma. Quamobrem haud grandiori eum fuiſſe ſtatura, interpretes æquè conſentiunt: his enim alludit Ioannes Chryſoſtomus dicens: Qui tricubitalis eſt, & cælum attingit. His omnibus ea conſentiunt, quæ demum à Nicephoro, his verbis narrantur: Paulus autem corpore erat paruo, & contracto, atque incuruo, & paululum inflexo, facie candida, annosq. plures præ ſe ferente, & capite modico; oculis multa inerat gratia, ſupercilia deorſum verſus vergebant, naſus pulchrè inflexus, idemq. longior, barba denſior, & ſatis promiſſa, eaq. non minus quàm capitis coma canis reſperſa erat. Hæc ipſæ: quæ haud aliunde putamus, quàm ab antiquioribus imaginibus eſſe accepta. A Chriſtianis enim, qui ex Gentilibus credidiſſent, Petri, & Pauli imagines olim fuiſſe viuentibus illis, effigiatas

Lucian. in Philop.

2. Cor. 10.

Io. Chryſo. de princip. Apoſt. to. 5

Niceph. li. 2. c. 37.

Euſeb. hiſt. lib. 7. c. 14.

tas coloribus, eaſdemq. ad poſteros per manus traditas, Euſebius teſtatur; ſic dicens: Nos Petri, & Pauli, & Chriſti etiam ipſius imagines in picturis colorum varietate expreſſas, conſeruataſq. aſpeximus; idq. propterea (ſicut veriſimile eſt) quod maiores noſtri ad Gentilis conſuetudinis ſimilitudinem quàmproximè accedentes, eos qui tanquam Saluatores illis fuiſſent, ideſt, qui illis aliquid ſalutis, & ſubſidij attuliſſent, apud ſe honore in hunc modum afficere conſueuerant. Hæc Euſebius.

De martyrio Petri qui capite deorſum verſo, in cruce ſuſpendi voluit. Cap. 597.

Hieron. de ſcript. Eccleſ. c. 1.

IGitur Petrus paſſus eſt crucis ſupplicium in ſummitate Montis Ianiculi, ſepultuſq. in ima Vaticani parte, in qua Neronis horti eſſent, & Circus cum obeliſco. Ceterùm quantum pertinet, ad ſupplicium crucis, omnium ſanctorum Patrum ſententia liquet, ipſum capite deorſum verſo, & in ſublime pedibus eleuatis, cruci confixum fuiſſe; idq. factum ex animi ſui ſententia, cum aſſereret ſe indignum (vt ait Hieronymus) qui ſic crucifigeretur, vt Dominus ſuus. Sed ea, quæ ab antiquis Patribus memoriæ ſunt commendata, velut quædam paſſionis eius trophæa nobiliſſima, recenſentur.

Orig. in Geneſ. apud Euſeb. lib. 3. c. 1.

Aug. ſerm. de Sanct. 28.

Chryſo. ho. in Principes Apoſtolorum.

Et in primis, quæ Origenes, ceteris antiquior ſcribit, in hæc verba: Petrus ad extremum Romæ cum verſaretur, capite deorſum ſtatuto (ſic enim perpeti cupiebat) cruci affixus eſt. Auguſtinus de his agens, hęc ait: Currunt itaq. vterq. ad palmam martyrij, & vterq. perueniunt ad coronam. Et paulò poſt: Petrus pro Chriſto capite deorſum verſo in ligno ſuſpenditur. Paulus pro Chriſto gladio trucidatur. Ille proprijs greſſibus proficiſcebatur ad Chriſtum, oculiſq. ad ſuperiora reſpiciens, beatum ſpiritum deducebat ad cęlum. At Chryſoſtomus: Gaudeas Petre, qui ligno Crucis fruitus es, & ad Magiſtri ſimilitudinem, recta quidem figura, ſicut Dominus noſter crucifigi noluiſti, ſed magis inuerſo capite, veluti è terra ad Cælum iter parans: O clauos illos beatos, qui membra illa ſanctiſſima pertranſierunt.

Prudentius Periſteph. hymn. 12.

Sed & Prudentius hæc quoque, his verſibus.

Prima Petrum rapuit ſententia; legibus Neronis
Pendere iuſſum præminente ligno:
Ille tamen veritus celſæ decus æmulando mortis
Ambire tanti gloriam Magiſtri:
Exigit vt pedibus merſum caput imprimens ſupinis;
Quò ſpectat imum ſtipitem cerebro.
Figitur ergo manus ſubter, ſola verſus in cacumen,
Hoc mente maior, quo minor figura.

Maxim. in natal. Apo. ſerm. 1.

Theod. ora. de charit.

Maximus præterea: Hic eſt, inquit, Petrus, qui dum ad crucem tanquàm Chriſti diſcipulus duceretur, verſo ſe poſcens corpore crucifigi, paſſionem non timuit, ſed æqualitatem crucis Dominicæ declinauit, vt oſtenderet vniuerſis admirandæ ſe humilitatis virtutem, nouiq. myſterij diſciplinam, & inter tormenta ſeruaſſe. Theodoretus aliam quoque affert cauſam, ſic dicens: Cum ad mortem crucis à Nerone damnatus eſſet, rogauit carnifices, ne ſimiliter atque Dominus trabi affigeretur, ſed contrario modo, veritus (quod eſt veriſimile) ne eadem paſſio eundem ſibi ab inſipientibus honorem conciliaret:

ret :

ret: ideò rogauit, vt manus inferius, ſuperius autem pedes affigerentur. Hæc ille. Sunt de his aliorum ſanctorum Patrum teſtimonia, atque etiam præconia; ſed hæc ſatis pro inſtituti ratione.

De ſepultura Petri, qui more Regum ſepultus eſt. *Cap.* 598.

CVm in cruce ſic affixus martyrium cõſummaſſet, & à Marcello presbytero eius corpus curatum, aromatibusq. conditum magnificentiſſimè more regio, nedum Iudæo, traditur ſepulturæ. Alia enim ab his diuerſa erat Romanorum conſuetudo. Nam de his Neronis temporibus cum agitur de Poppæa Auguſta defuncta hæc Tacitus: Corpus eius non igni obolitum, vt Romanis mos, ſed Regum externorum conſuetudine, differtum odoribus conditur. Sepultum fuiſſe Petrum in Vaticano non tantum citata à nobis ſuperius teſtimonia, ſed etiam Prudentius monſtrat, his verſibus.

Acta Lini.

Tac. lib. 16

Aut Vaticano tumulum ſub monte frequentat.
Quo cinis ille latet genitoris amabilis obſes.

Prud. aduerſ. Simmach. li. 1.

Sed quod ad loci faciem ſpectat, fuiſſe illam partem Vaticani oliuis feracem, & fonte irriguam, idem ipſe Prudentius docet, his verſibus.

Dextra Petrum regio tectis tenet aureis repertum
Canens oliua, murmurans fluento:
Namq. ſupercilio ſaxi liquor ortus excitauit
Fontem perennem chriſmatis feracem.

Prudent. Periſteph. hymn. 12.

De ſepulchris Petri, & Pauli, & antiqua veneratione eorum. *Cap.* 599.

IGitur per glorioſiſsimum martyrium tàm Petrus, quàm Paulus, vita functi ſunt; locaq. ipſa, vbi eorum ſacra corpora ſepulta fuerunt, non quidem obſcura, ſed quod mirandum eſt, inter perſecutores abſque iactura, vel contumelia aliqua, clariſsima remanſerunt; eademq. velut nobiliſsima trophæa victoriæ, à Chriſtianis ſummo honore ſunt habita. Eſt de his teſtis locupletiſsimus Caius antiquus Theologus, quem tẽporibus Zepherini Papæ vixiſſe Euſebius tradit; qui & hæc ipſum dicentem inducit: Ego, inquit, Apoſtolorum trophæa perſpicuè poſſum oſtendere. Nam ſi lubet in Vaticanum proficiſci, aut in via, quæ Oſtienſis dicitur, te conferre, trophæa eorum, qui iſtam Eccleſiam ſuo ſermone, & virtute ſtabilierunt, inuenies. Hæc ipſe.

Caius Theologus apud Euſeb. li. 2. cap. 24.

Conſueuiſſe Chriſtianos etiam perſecutionis tẽpore, non tantum qui Romæ erant, ſed ex remotioribus, tàm Orientalis, quàm Occidentalis Orbis partibus Romam venire, vt veneranda Apoſtolorum ſepulchra inuiſerent, ac venerarentur, Acta complurium Sanctorum Martyrum declararunt. Nam ex Perſide veniſſe conſtat Martham, Marium, & Audifacem temporibus Claudij Iunioris, ſub quo etiam martyrio ſunt coronati, vt ipſorum acta demonſtrant. Id quidem & Maurus, qui etiam martyrium ſubijt, feciſſe reperitur, & alij. Verùm locum Petri fuiſſe miraculis quoque celebrem, verba illa Nutricis Hermetis ſignificant, quibus ait: Tu ſi ad limina Petri duxiſſes eum, & Chriſto credidiſſes, hodie filium tuum haberes incolumem.

Surius to. 1 14. Feb.

Rom. Martyr. 19 Ianuar.

Mart. Roman. 22. Nouemb.

Sur. in actis S. Alexan. Papa die 3

Ggg 2 Porrò

Porrò tentaſſe Orientales Chriſtianos ſubripere ſacra corpora Apoſtolorum, & in Orientem transferre, ac vti ſuos gentiles ſibi vendicare, Gregorius Papa ad Conſtantiam Auguſtam ſcribens, teſtatur his verbis: Eo tempore, quo paſsi ſunt, ex Oriente venerunt, qui eorum corpora, ſicut Ciuium ſuorum repeterent: quæ ducta vſquè ad ſecundum Vrbis milliarium in loco, qui dicitur ad Catacumbas, collocata ſunt. Sed dum ea inde leuare omnis multitudo eorum conueniens niteretur, ita eos vis tonitrui, atque fulguris nimio metu terruit, atque diſperſit, vt talia denuò nullatenus attentare præſumerent. Tunc autem exeuntes Romani, eorum corpora, qui hoc ex pietate Domini meruerunt, leuauerunt, & in locis, quibus nunc ſunt condita, poſuerunt. Hæc Gregorius.

Greg. li. 3. epiſt. 30.

Ad Sancti Petri ſepulchrum miræ fiunt operationes. Cap. 600.

Greg. Turonen. de glor. mart. lib. 1. c. 28.

SEpultus eſt Petrus (de eo enim agit Gregorius Turonenſis, ex quo hæc ſumuntur) in templo, quod vocitabatur antiquitus Vaticanum, quatuor ordines columnarum valde admirabilium numero nonaginta ſex habens. Habet etiam quatuor in altari, quæ ſunt ſimul centum, præter illas, quæ Ciborium ſepulchri ſuſtentant. Hoc enim ſepulchrum ſub altari collocatum, valde ratum habetur. Sed qui orare deſiderat reſeratis cancellis, quibus locus ille ambitur, accedit ſuper ſepulchrum, & ſic feneſtella paruula patefacta, immiſſo introrſum capite, quæ neceſsitas promit, efflagitat. Nec moratur effectus, ſi petitionis tantum iuſta proferatur oratio. Quod ſi beata deſiderat auferre pignora, palliolum aliquod, momentana penſatum, iacit intrinſecus, deinde vigilans, ac ieiunans deuotiſsimè deprecatur, vt deuotioni ſuæ virtus Apoſtolica ſuffragetur. Mirum dictu, ſi fides hominis præualuerit, à tumulo palliolum eleuatum, ita imbuitur diuina virtute, vt multo amplius, quàm prius penſauerat, ponderaret: & tunc ſcit, qui leuauerit, cum eius gratia ſumpſiſſe quod petijt.

Claues ſepulchri S. Petri veneratione habitæ etiam apud Reges, & ſi quid ponitur apud ſepulchrum eius, & leuatur, in veneratione habetur. Cap. 601.

MVlti (habet idem auctor eodem loco) & claues aureas ad reſerandos cancellos beati ſepulchri faciunt, qui ferentes pro benedictione priores accipiunt, quibus infirmitates tribulantium medentur. Omnia enim integra fides præſtat.

Auctor vero appendicis ex Gregorio Turonen. cap. 110. hæc de ea ipſa re ſcribit: Creatus Papa Gregorius claues venerandi ſepulchri cum vinculis S. Petri Apoſtoli memorato Principi Carolo ſcilicet Martello deſtinauit.

Anaſtaſius in Gregorio III. Eius tempore ait, conceſſa eſt prouincia Romanæ dictioni ſubiecta a nefandis, Longobardis ſimul, & Regi eorũ Luitprando, venienſq. Romã, in campo Neronis tendit tẽtoria, deprędataq. Cãpania, multos nobiles de Romanis more Longobardorum totondit, ac veſtiuit: pro quo vir Dei Gregorius Papa, vndiq. dolore conſtrictus, ſacras claues ex confeſſione

ſeſsione beati Petri Apoſtoli accipiens, direxit nauali itinere ad partes Franciæ Carolo ſagaciſſimo viro, qui tunc Regnum regebat Francorum. hæc & alia Anaſtaſius.

Ceterùm ea, quæ alio capitulo S. Gregorius Papa ad eandem Conſtantiam Auguſtam ſcribens, ait: Cognoſcat autem, tranquilliſſima Domina, quia Romanis conſuetudo non eſt, quando Sanctorum reliquias dant, vt quidquam tangere præſumant de corpore, ſed tantummodo in Pixide brandeum mittitur, atquè ad ſanctiſſima corpora Sanctorum ponitur. Quod leuatum, in Eccleſia, quæ dedicanda eſt, debita cum reuerentia reconditur, & tantæ per hoc ibidem virtutes fiunt, ac ſi illuc ſpecialiter eorum corpora deferantur. Vnde contigit, vt beatæ recordationis Leonis Papæ temporibus, ſicut à maioribus traditur, dum quidam Græci de talibus reliquijs dubitarent, prædictus Pontifex hoc ipſum brandeum allatis forbicibus inciderit, & ex ea ipſa inciſione ſanguis effluxerit. *Greg. Ep. 30. l. 3.*

De alijs ad idem corpus admirandis operationibus. Cap. 602.

De miraculis ad eius ſacras Reliquias editis, nemo ſufficienter ſcribere poſſet.

In actis S. Alexandri Papæ, Nutrix filij Noruetis eidem tùm Gentili, poſtea Chriſtiano, & martyri, qui filium mortuum lamentabatur, iſta dixiſſe narratur: Tu ſi ad limina Petri duxiſſes eum, & Chriſto crediſiſſes, hodie filium tuum haberes incolumen.

Sanctus Gregorius Papa de eiſdem miraculis ad eandem ſcribens: Corpora, inquit, ſanctorum Petri, & Pauli Apoſtolorum tantis in Eccleſijs ſuis coruſcant miraculis, atquè terroribus, vt neque ad orandum ſine magno timore poſſit accedi. Deniquè dum beatæ recordationis deceſſor meus (Pelagium dicit) quia argentum, quod ſupra ſacratiſſimum corpus beati Petri Apoſtoli erat, longè tamen ab eodem corpore ferè quindecim pedum ſpatio mutare voluit, ſignum ei non parui terroris apparuit. Sed & ego aliquid ſimiliter ad ſacratiſsimum corpus S. Pauli Apoſtoli meliorare volui, & quia neceſſe erat, vt iuxta ſepulchrum huiuſmodi effodi altius debuiſſet, præpoſitus loci ipſius oſſa aliqua, non quidem eidem ſepulchro coniuncta reperit, quæ ipſe leuare præſumpſit, atque in alium locum tranſponere, apparentibus quibuſdam triſtibus ſignis, ſubita morte defunctus eſt. *Greg. vbi ſupra.*

Locum ſepulturæ S. Petri, qua Romana Vrbs felix dici meruit, Reges ipſi venerantur. Cap. 603.

Galem. 5. de S. Pet. Hadr. P. ad Carol. Frãcorum. Regem, eſt Ep. eius 3. quã reperies to. 2. Epiſtol. decret.

Verè de ſanctiſſimo Petro Apoſtolo, illud Pſalmi dicere poſſumus: Nimis honorati ſunt amici tui Deus! cum videamus, & Imperatores ipſos ad eius limina maximo conſenſu pietatis accedere, ſepulchrum exoſculari, preces ibidem fundere. Audiamus; quæſo, ſanctum Ioannem Chryſoſtomum iſta annuentem.

Et locus quidem, quo corpus hoc (Chriſti ſcilicet) è cruce depoſitum, breuis erat, & valde anguſtus: anguſtior tamen, & venerabilior mille Re- *Chryſ. hom. quod Xps. ſit Deus.*

gum Palatij: Immò etiam Regibus ipſis, & erit requies eius honor. Non in ipſo tantum,ſed & in Diſcipulis ſuis hoc contigit. Nam qui ducebantur & circunducebantur, qui contempti erant, & vincti, qui innumera patiebantur, dum viuebant: vbi defuncti ſunt,Regibus ipſis erant magis venerabiles,etiam Romæ,quę Vrbium eſt regaliſſima reliquis omnibus ad ſepulchra piſcatoris, & pellionis currunt, & Reges, & Præſides, & Milites, & in Conſtantinopoli Reges noſtri magnam gratiam putant, non propè Apoſtolos, ſed ſi, vel extra eorum veſtibula,corpora ſua ſepeliantur, fiantq. piſcatorum Oſtiarij Reges. Hæc, & huiuſmodi plura alibi.

De differentia ſepulchrorum Petri, & Pauli, & Regum terræ: & quare ſint glorioſa eorum ſepulchra. Cap. 604.

Chryſ. hom 26. 2. Cor. 12.

QVod quiſpiam, qui Rex ſit, & exercitus habeat, bella proſperè fæliciterq. conficiat, & vincat: nihil mirum, ſupraq. vulgi opinionem, neque nouum. At poſt crucem & ſepulturam tanta paſſim terra, mariq. geſſiſſe, id demùm maximè ſtupendum, ac diuinam & arcanam declarat potentiam. Alexander poſt mortem ſuam diſſipatum regnum,ac funditus euerſum non reduxit: qui enim potuiſſet mortuus? Chriſtus verò, tunc potiſſimum,cũ mortuus eſſet. Et quid de ipſo Chriſto loquor,cũ ſuis quoq. diſcipulis, vt poſt mortem celebres eſſent & clari, largitus ſit? *Vbi eſt, dic* quæſo, Alexandri ſepulchrum? mihi oſtendito, ac diem, quo mortuus, dicito. Seruorum autem Chriſti ſplendida ſunt ſepulchra, quæ Vrbem maximè regiam occupauerunt: & dies perſpicui ſunt, diem Feſtum terrarum Orbi facientes. Ad hæc, ſepulchrum illius, vel familiares, ac domeſtici ignorant: huius autem etiam Barbari ſciunt. Quin ſepulchra ſeruorum crucifixi, regijs aulis ſunt ſplendidiora, non ædificiorum amplitudine, ac ſplendore (hac etenim parte excellunt) ſed quod multò amplius eſt, conuenientium ſtudio. Nam & ipſe ille purpura indutus, peregrè proficiſcitur *ſepulchra* illa complexurus, & faſtu poſito conſiſtit, Sanctos rogans, vt ſibi apud Deum patrocinentur,& tabernaculorum artificem,ac piſcatorem, patronos etiam mortuos precatur ipſe diadema geſtans. Studebis ne igitur, dic, quæſo, horum Dominum dicere mortuum,cuius ſamuli etiam mortui, huius mundi Regum ſunt patroni? Atque id cernat quis non Romæ tantùm fieri,ſed etiam Conſtantinopoli. Nam & hic Conſtantinum illum magnum, magno ſe honore affecturũ exiſtimauit filius,ſi in veſtibulis collocaret piſcatoris. Et quod in regijs ianitores ſunt regibus,id in ſepulchro Chriſti reges ſunt piſcatoribus: & illi quidem veluti ipſius loci Domini intus habitant: hi verò tanquàm accolæ, ac vicini præclarè ſecum agi putant,ſi ianua ipſis aſſignetur veſtibularis, per hæc infidelibus plenum facientes, maiorem in reſurrectione futuram piſcatorum excellentiam. Si enim hic ad eum modum excellant in ſepulchris, multò magis in reſurrectione, atque immutata eſt ſtatus, ac dignitatis ratio. Reges quidem ſeruorum, ac domeſticorum ſubeunt officium,ſubditi autem regum induunt dignitatem,immò verò etiam clariorem. Et quod iſtud citra adulationem dicatur, ipſa declarat veritas. Nam ab illis etiam iſti clariores euaſerunt. Multò enim,quàm alia illa regum

gum ſepulchra, iſta ſunt veneranda magis. Siquidem illic, multa ſimilitudo, hic celebritas multa.

Quòd ſi velis, cum regijs aulis hæc ſepulchra comparare, rurſum & hic ipſa excellunt. Illic enim, qui alios magno cum faſtu ſubmoueant multi: hic multi qui vocant, & attrahunt, diuites, pauperes, viros, mulieres, ſeruos, liberos. Illic metus multus; hic ineffabilis voluptas. Sed ſuaue ſpectaculum, regem aureis amictum veſtibus, coronaq. ornatum conſpicere, tùm adſtantes Imperatores, duces, Centuriones, Tribunos, Præfectos. Sed hæc ſunt adeò veneranda magis ac ſtupenda, vt illa cum his collata, fabulam, ac res ludicras exiſtimes. Nam ſimulatq. limina conſcendes, protinus locus ipſe mentem in cælum tranſmittit ad ſupernum Regem, ad Angelorum exercitum, ad thronum excelſum, ad gloriam illam inacceſsibilem: atque hic in terreſtri dominio Principis poteſtati ſubiacet, vt ſubditorum quoſdam ſoluat, alios autem vinciat: At ſanctorum oſſa non hanc habent poteſtatem miſerabilem & abiectam, ſed illam multò maiorem. Dæmones enim ſiſtunt, ac torquent, & à vinculis illis acerbiſſimis vinctos liberant. Quid hoc tribunali terribilius, cum nullus videatur, nullus immineat dæmonis lateribus: clamores, dilacerationes, flagella, tormenta, dæmone non ferente admirandam illam virtutem? Et qui corpora geſtarunt, incorporeas ſuperant poteſtates. Puluis, oſſa, denique cineres inuiſibiles illas affligunt naturas. Propterea ſanè vt regias aulas conſpiciat, nemo vnquam peregrè proficiſci ſuſtineat; atqui huius ſpectaculi gratia, Reges multi ſæpius peregrinati ſunt, futuri enim Iudicis veſtigia, & ſigna nobis exhibent ſanctorum martyria, cum dæmones flagellentur, homines affligantur, & liberentur. Vidiſti Sanctorum virtutem, etiam mortuorum? Vidiſti peccatorum imbecillitatem, etiam viuentium? Quare vt huiuſmodi obtineas, vitia fugito, & omni ſtudio virtutem ſectare. Si enim talia ſunt præſentia, cogita qualia erunt futura: atque huic amori aſſiduè deditus, amplectere vitam æternam. Hæc Chryſoſtomus.

De veneratione piorum Regum, & Imperatorum erga ſepulchra Petri, & Pauli. Cap. 605.

AT reddita Eccleſiæ pace, Chriſtiani Imperatores ſacra hæc ſepulchra Petri, & Pauli inuiſere, venerari, & debito Religionis obſequio colere, ſtudioſius quæſierunt, ac propenſius curauerunt. De his enim, hæc Auguſtinus. Nunc, inquit, ad memoriam Piſcatoris flectuntur genua Imperatoris: ibi radiant gemmæ Diadematis, vbi fulgent, & coruſcant beneficia Piſcatoris. *Aug. de Sanct. ſerm. 26.*

Et alibi ſcribens ad Medaurenſes: Videtis, & Imperij nobiliſsimi eminentiſſimum culmen ad ſepulchrum Piſcatoris Petri, ſubmiſſo diademate ſupplicare. Et Chryſoſtomus: Seruorum Chriſti ſplendida ſunt ſepulchra, quæ Vrbem maximè regiam occupauerunt, & dies perſpicui ſunt, diem Feſtum terrarum Orbi facientes, non ædificiorum amplitudine, & ſplendore (hac enim parte excellunt) ſed quod amplius eſt, conuenientium ſtudio. Nam & *Auguſt. Ep. 42.* *Chryſoſt. in 2. Cor. 2. hom. 26.*

ipſe ille purpura indutus peregrè proficiſcitur, ſepulchra illa complexurus, & ſa lu depoſito, contingit Sanctos, rogans vt ſibi apud Deum patrocinentur; & tabernaculorum opificem, & Piſcatorem; Patronos etiam mortuos deprecatur ille diadema geſtans. Hucuſquè Chryſoſtomus. Hæc quàm ſint vera, ipſæ Gallæ Placidiæ Auguſtæ litteræ ad Pulcheriam Auguſtã teſtantur, dum ſui in Vrbem aduentus ad limina Apoſtolorum cauſam reddit, ſic dicens: Vt Romam frequentibus concurſionibus adæquè concederemus inſpicere, cauſa eſt nobis amplectendæ Religionis, vt terminis Sanctorum noſtram exhiberemus præſentiam: quos certum eſt pro ſua virture in cæleſtibus conſtitutos, neque inferiora deſpicere. Nos itaq. ſacrilegium eſſe credimus, ſi ſolemnium ordinem denegemus. Hæc ipſa.

Io. Chryſoſtomi encomium in Petri, & Pauli ſepulturam: necnon Venantij Fortunati, & B.Gregorij. *Cap. 606.*

Chryſoſt. in ep. ad Rom. hom. 42. Chryſoſtomus cum agit de eorumdem ſepulchris, hæc de Pauli theca. Quis mihi nunc dabit circumfundi corpori Pauli, affigi ſepulchro, videre puluerem corporis illius, quæ adhuc in Chriſto deerant, implentis: ſtigmata illius geſtantis, prædicationem Euangelij vbiq. ſeminantis; puluerem, inquam, oris illius, per quod Chriſtus locutus eſt? Et paulò poſt: Vellem videre ſepulchrum, quo recondita ſunt arma Iuſtitiæ, arma Lucis, membra nunc viuentia, tunc verò, cum in hac vita eſſent, mortua. *Chryſoſt. in 2 ad Tim. hom. 4.* Et alibi: Nullus ex Romanis Regibus tanto in honore fuit, quanto hic eſt. Ceterùm Imperator foris alicubi iacet abiectus: hic autem velut viuens & regiam tenet: *Chryſoſt. in hom. in Pſ. 48.* Idem de Petri ſepulchro: Quot Reges Vrbes euerterunt: portus extruxerunt, & nominibus ſuis inſcriptis deceſſerunt; nec tamen eis quicquam profuit, ſed ſilentio, & obliuioni mandati ſunt? Piſcator autem Petrus, qui nihil fecit eorum, quoniam virtutem eſt proſecutus, & Ciuitatem maximè regiam occupauit, etiam poſt mortem reſplendet Sole clarius. *Chriſoſt. ad Rom. hom. 35.* Horum ſepulchris Vrbem eſſe munitam, alibi idem tradit, cum ait: Hoc corpus plebem hanc munit, quod quauis turri, innumeriſq. mœnibus, ac vallis eſt tutius, & cum ipſo corpus etiam Beati Petri.

Venant. fortun. l. 3. Carmini. Eadem, & Chriſtianus nobilis poeta, Venantius Fortunatus verſibus cecinit: qui velut ſepulchrorum ipſorum, hic epitaphium ſunto.

Cælorum portæ, lati duo limina Mundi,
  Ore tonat Paulus, fulgurat arce Petrus.
Inter Apoſtolicas radianti luce coronas
  Doctior hic monitu, celſior ille gradu.
Per hunc corda hominum reſerantur: aſtra per illum,
  Quos docet ipſe ſtylo; ſuſcipit ille polo.
Pandit iter cæli hic dogmate: clauibus alter;
  Eſt via cui Paulus: Ianua fida Petrus.
Hic petra firma manens: ille architectus habetur:
  Surgit in his templum, quo placet ara Deo.

A facie

A facie hoſtili duo propognacula præſunt,
Quos fidei turres Vrbs caput Orbis habet.
Hi radiant oculi pretioſo in corpore Chriſti.
Lumine qui proprio cetera membra regunt.

Quàm autem hæc de protectione Vrbis ſint vera; cum innumera ſint exempla ſuis locis inferius, recitanda, vnum modo ſatis habeatur Gregorij Romani Pontificis teſtimonium ex his, quæ experimento didicit; ſic enim ad Ruſticianam Patriciam, rogans vt Romam veniret: Si gladios Italiæ, & bella formidatis; ſollicitè debetis aſpicere, quanta Beati Petri Apoſtolorum Principis in hac Vrbe protectio eſt; in qua ſine magnitudine populi, & ſine adiutorio militum tot annos inter gladios illæſi Deo auctore ſeruamur. Hæc Gregorius. Greg. li. 7. epiſt. 23.

De dignitate, quam Petrus, & Paulus Romæ contulerunt. Patrum Encomia. Cap 607.

ROmana Eccleſia, Apoſtolorum Principum ſanguine perfuſa, inſigni lumine decorata fuit: Vnde Tertullianus: Felix, inquit, Eccleſia, cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine profuderunt: vbi Petrus paſſioni Dominicæ adæquatur, vbi Paulus Ioannis exitu coronatur: Vbi Ioannes Apoſtolus, poſtquam in oleum igneum demerſus nihil paſſus eſt, in Inſulam relegatur. Et alibi: Orientem fidem primus Nero cruentauit: Tunc Petrus ab altero cingitur, cum cruci affigitur. Tunc Paulus Ciuitatis Romanæ conſequitur natiuitatem, cum illic martyrij renaſcitur generoſitate. Rurſum de eadem Romana Eccleſia hæc Theodoretus: Habet autem communium quoque Patrum, & veritatis Doctorum, Petri, & Pauli ſepulchra, quæ fidelium animas illuminant. Horum autem Beatiſſimorum par, & planè diuinum, exortum quidem eſt in Oriente, & radios in omnem partem emiſit: in Occidente autem prompto, & alacri animo vitæ ſuſcepit occaſum; & nunc illinc Orbem terræ ſuis radijs illuſtrat: ij veſtram ſedem effecere magis illuſtrem: ea eſt veſtrorum bonorum Colophon. hæc ille. Tertul. de præſcrip. Idem in Scorpiaco. Theodoret. in ep. ad S. Leo Pont.

At non omittimus, quæ itidem de illuſtrata Vrbe Apoſtolorũ ſepulchris, Ioannes Chryſoſtomus ſcribit; noſq. ea velut Corollarium, licet omnibus penè vulgata, hic ad poſtremum addimus. Ego, inquit, Romam propterea diligo: tametſi, & aliundè queam illam laudare, nempè à magnificentia, ab antiquitate, à pulchritudine, à multitudine, à potentia, à diuitijs, & à rebus in bello fortiter geſtis: ſed relictis omnibus iſtis, ob id illam beatam prædico, quod erga illos Paulus, dum viueret, adeo fuit beneuolus, adeo illos amauit, coram diſſeruit, & poſtremo vitam apud eos finiuit. Vnde & Ciuitas iſta hinc facta eſt inſignis, pluſquam à reliquis omnibus; & quemadmodum corpus magnum, ac validum, duos habet oculos illuſtres, ſanctorum videlicet illorum corpora. Non ita cælum ſplendeſcit, quando radios ſuos Sol ex ſeſe dimittit, quemadmodum Romanorum Vrbs duas illas lampades, vbiq. terrarum effundens. Hinc rapietur Paulus, hinc Petrus: Conſiderate, & horrete, quale ſpectaculum viſura ſit Roma, Paulum videlicet repente ex theca illa cum Petro reſurgentem, in occurſum Domini ſurſum ferri. Qualem roſam Chriſto mittet Roma? Qualibus coronis duabus Chryſoſt. in ep. ad Rom. hom. 32

bus ornatur Vrbs iſta? qualibus cathenis aureis cincta eſt? quales habet fontes? propterea celebro hanc Vrbem, non propter copiam auri, non propter columnas, neque propter aliam phantaſiam, ſed propter columnas illas Eccleſiæ. hucuſquè ipſe.

De vinculis Sancti Petri, quibus Roma vinctus fuit. Cap. 608.

Act. Alex. Papa apud Sur. die 3. May.

AD hæc inſuper addimus, quod non tantùm ſepulchra Apoſtolorum magno ſunt honore habita, ſed & ipſa paſſionis inſtrumenta: ſiquidem vincula, quibus Petrus in carcere Romæ vinctus fuit, perquiſita, atque inuenta Balbina Virgo, filia Quirini Tribuni, eſt ſummopere venerata. Quæ cuſtodita, & ad poſteros per manus tranſmiſſa, indita eis diuina virtute miraculis coruſcarunt: qua de re à Patribus mirificis præconijs ſunt prædicata: ex illis enim tenuia ramenta Chriſtianiſſimi Principes ad collum Religionis cauſa geſtare conſueuerunt. Ac demum tantum abſuit, vt Principibus Apoſtolorum glorioſo martyrio vita functis, credentium fides tepuerit, vt magis, magiſq. fuerit propagata: eorum enim exemplo incenſa ſunt corda credentium, magnoq. fænore numerus martyrum eſt Romæ auctus, vt S. Leo his explicat verbis: Non minuitur perſecutionibus Eccleſia, ſed augetur, & ſemper Dominicus ager ſegete ditiori veſtitur, dùm grana, quæ ſingula cadunt, multiplicata naſcuntur; Vnde duo iſta præclara diuini germina ſeminis, in quantam, ſobolem germinarint, beatorum millia Martyrum proteſtantur, qui Apoſtolicorum æmuli triumphorum, Vrbem noſtram purpuratis, & longè, latèq. rutilantibus populis ambierunt, & quaſi ex multarum honore gemmarum, conſerto vno diademate coronarunt.

Leo ſerm. 1. in nat. Apoſt.

De vinculis autem S. Petri, quibus Romæ vinctus fuit, habentur præconia S. Auguſtini, quæ recitauimus ſupra, cum actum eſt de cathenis, quibus Hieroſolymis vinctus eſt, vbi videri poſſunt. Harum quidem cathenarū virtutes fuerunt glorioſæ, quia ſcilicet Beatiſſimi Petri carnes tetigerunt. Non ſolùm autem ex corpore ipſorum Sanctorum operante Deo, exierunt virtutes, ſed ex illis rebus, quæ corpus illud beatum tetigerunt, quod non ſolùm ſuperioribus ſeculis viſum eſt, ſed etiam temporibus noſtris conſpicuum fuit.

Nobilis monaca Luſitana Anulum cathenæ, qua ſe ſanctiſſima mulier præcinxerat, corpori ſuo pluribus, & incurabilibus morbis affecto admouens, ſenſit virtutem exire ex eo, qua illuco, & mirabiliter omnes morbos ſuſtulit. Cap. 609.

DEus, qui mirabilis eſt in ſanctis ſuis, multa operatur in terris admiranda, quę nulla ratione, aut naturali virtute fieri poſſunt, vt oſtendat eos, qui ipſum diligunt, ſiue viuant, ſiue mortui ſint, omnia poſſe in Deo ſuo. Ita vt nonnunquàm etiam per aliqua exteriora, quæ ad ipſum

ſum ſanctum pertinebant, mira Deus operatus ſit omni tempore. Vt ſi tantùm ea aliqui admouiſſent ad corpus ſuum morbo affectum, exiret virtus de illis, & ſanarentur.

Refert Aloiſyus granatenſis in Cathechiſmo in Simbolum fidei, fuiſſe Romæ mulierem quandam, cui ſe valdè Deus communicauerat: Huic inter alias moleſtias, quibus ſuum corpus afficiebat, erat cathenam ferream circum corpus carnem contingentem ferre: ea mortua, eius Confeſſarius illa cathena, quàmplurima faciebat; ſeruauit quippè, qui illius feminæ ſanctitatem cognoſcebat. *Aloyſius. Granaten. I Cathech. I Symb. fid. part. 2.*

Cum autem Reuendiſſ. P. F. Franciſcus Forerius, completo Tridentino Concilio, huic patri propinquitate eſſet coniunctus, ab eo huius cathenæ anulum, tanquàm precioſam rem accepit.

Idem autem Pater, cum in hoc regnum veniſſet, noſtræq. Prouinciæ cum eſſet Prouincialis, Lauaras peruenit, vbi nobile Virginum eiuſdem Ordinis Cœnobium erat: quod ingreſſus, vt domum viſitaret, intellexit nobilem ibi eſſe Monacham, at ita morbo affectam, vt illius loci phyſici, & alij, qui de Portu illùc ſe tranſtulerant, illi nullum adeſſe remedium exiſtimarent: & illius veſtes, vt in illa domo fieri ſolet, pro Dei amore datæ erant.

Ipſa verò iam ex altera parte mortua erat, & ſuper hepar duritiem habebat lateris magnitudine: in labris ſquammæ fuluæ inerant, tantum erat corpore debilis, vt cum ei lectum ſternere volebant, opus erat eam linteis tollere, quod aliter commoueri minimè poterat. Reuerendiſsimus P. Prouincialis ad eam, vt ſalutaret, ſe contulit, eamq. ad hortatus eſt, vt æquo animo ferret, quidquid Dei voluntate illi accideret: eiquè illum annlum cathenæ tribuit, quem ſecum habebat, inquiens, cuiuſdam ſanctæ mulieris fuiſſe. Inde ſe ad cœnobium ſuorum Fratrum recepit, quod non longè abeſt; ægrota verò ad aurem admouit illud ferrum, eius partis, quæ paralitica, & iam demortua erat, qua quidem aure nihil audiebat, & ſtatim audiuit, & ei dixit, quæ ſibi ægrotæ ſeruiebat: Soror, ego audio. Illa reſpondit: Admoue etiam ad duritiem, quæ ſuper hepar habes, quod fecit, & ſtatim Dei virtute, & eius ſeruæ meritis illa durities mollis effecta eſt, & perfectè ſe ſanam eſſe cognouit.

Hoc per totum cœnobium percrebuit: ad eam concurrunt Virgines illæ omnes, alienis veſtibus, quod illius pauperibus datæ erant, induunt, & omnes cum ægrota, quæ iam ſuis pedibus ambulabat, ad chorum conueniunt, multis lachrymis, & ſingultibus, vt pro hoc miraculo Deo gratias agerent.

Huius rei fama ad aures Prouincialis peruenit, qui vbi ad cænobium peruenerat, iam comedere cœperat, & illi narratum eſt, quidquid acciderat. Pranſus ad illud cœnobium ſe contulit, ægrota ſuis pedibus ad ſermonis locum iuit penitus ſana, & ſic ſemper ſe habuit.

Hoc ego ab ipo Patre prouinciali audiui, & ab illius comite, indè à Patre Priore Cœnobij Aueri, qui & earundem virginum Vicarius eſt, cum quo ſæpè de hoc miraculo ſermonem habui: & vt huius rei veritas mihi magis cōperta eſſet, ad illius Cœnobij Abbatiſsam ſcripſi, vt huius miraculi hiſtoriam fusè mihi perſcriberet, quod quidem fecit, & primarium ma-

trum

trum illius loci teſtatam Chirographis ad me miſit, & apud me reconditam ſeruo.

In cuius ſcripturæ fine addunt ſe maximas gratias Deo agere, quod ſibi hoc miraculum videre ſuis temporibus permiſerit. Hoc miram eam habet opportunitatem (vt dixi) vt intelligatur, quantopere Deus ſuos fideles ſeruos diligat, & honoret, qui tantam vim tribuit rebus, quæ illorum corpora contigerunt, cum tanto poſt tempore, tantoq. locorum interuallo voluerit, vt illud parum ferri, longè omnes medicinas ſuperaret, & naturæ leges, cum ſtatim, & valetudinem tribuerit, quam omnis vis naturæ, & medicinæ negauit.

De vſu Imaginum ad memoriam beneficij retinendam: Et qualis eſſet Petri Apoſtoli effigies: & verba eius ad vxorem.
Cap. 610.

Euſeb. hiſt. l. 7. c. 14. DE corporis Petri effigie, atque ſtatura, hæc ſcripta inueniuntur; Dictum eſt ab Euſebio, eos, qui ex gente ab Apoſtolis prædicatam Chriſti fidem accepiſſent, accepti tàm immenſi beneficij memores illorum imagines, quocumque modo expreſſas curaſſe, taleſq. ipſum à maioribus conſeruatas aſpexiſſe. *Auguſt. de conſen. Euangel. l. 1. c. 10.* Affirmat & Auguſtinus, effigiare conſueuiſſe Chriſti imaginem, hinc inde Petrum, & Paulum pictos habentem.

Ex his igitur, haud difficile fuit, vt quales eſſent ipſorum vultus, *Niceph. l. 4 cap. 37.* quibuſdam lineamentis, maiori ſaltem ex parte, hiſce imaginibus haberentur expreſsi: quæ etiam ſcriptorum monumentis fuerunt ab alijs memoriæ commendata. Nam & Nicephorus, his ſcilicet verbis, Petri imaginem reddit, ſic dicens: Petrus quidem haud craſſa corporis ſtatura fuit; ſed quæ aliquanto eſſet erectior, facie ſubpallida, & alba admodum: capilli & capitis, & barbæ criſpi, & denſi, ſed non admodum prominentes fuere; oculi quaſi ſanguine reſperſi, nigri, ſupercilia propè euulſa, naſus autem longior ille quidem, non tamen in acumen deſinens, ſed preſſus, ſimulq. magis. Videbantur autem oculi ſanguinei, quòd aſſiduè ploraſſe feratur.

At non Petrus tantum, ſed & vxor Petri perſtans in fidei Chriſtianæ profeſsione, & ipſa quidem, digna tanto viro vxor, adepta eſt palmam martyrij. Quando autem id acciderit, non ſatis conſtat; licet compertum habeatur, ante Petrum eam illud obijſſe certamen; cum de vtroque ſcribat hæc *Clemens Alexandr. Stromat. l. 7.* Clemens Alexandrinus: Aiunt certè beatum Petrum, cum vidiſſet vxorem ſuam duci ad mortem, lætatum quidem eſſe propter vocationem, & quod domum reuerteretur: valdè autem exhortando, & conſolando proprio nomine eam compellantem dixiſſe: Heus tu: Memento Domini: Tale erat Beatorum matrimonium. Hæc Clemens.

Principes viri ad limina Apoſtolorũ, deuotionis, & reuerentiæ cauſa ſe conferre ſtuduerunt. Carolus Magnus inter alios magna animi humilitate ea viſitauit. Et Ceadualla Occidentalium Saxonum Rex, & Offa Cantuariorum Rex, & nobiles, & ignobiles ex Anglia. Cap. 611.

ACcedere Romã ad ſancti Petri limina cõſueuerunt Valentinianus Imp. Galla Placidia mater, Eudoxia Vxor Auguſti: Carolum Magnum Imp. huc itidem veniſſe certum eſt: quod & pluribus Anaſtaſius in vita Hadriani Papæ I. oſtendit, cum ait:

Ex Epiſtolis Valentiniani ad Eudoxiam uxorem, & Galla Placidia ad eãdem. Itemque Eudoxia filia Theodoſij, & Valẽtiniani cõiugis ad eamdem, & Galla Placidia ad Pulcheriã Auguſtam extant t. 1. Conciliorũ ãte Conc. Calcedon.

Dum per ſex menſium ſpatium Papiam demoraretur in obſidione ipſius Ciuitatis, magnum deſiderium habens ad limina Apoſtolorum properandi, conſiderans, quod, & ſacratiſsimum Paſcha appropinquaſſet, tùm tollens ſecum diuerſos Epiſcopos, Abbates etiam, & Iudices, & Duces, & Graphiones, cum plurimis exercitibus hùc Romam per partes Tuſciæ properauit ita feſtinans, & adueniens, vt ipſo ſabbato ſancto ſe liminibus præſentaſſet Apoſtolicis. Et poſt pauca.

Qua hora eaſdem ſanctiſſimas Cruces, ac ſigna ſibi obuiam aduenifſe conſpexit, deſcendens de equo in quo ſedebat, ita cum ſuis Iudicibus ad B. Petrum pedeſtris properare ſtuduit: Et infra: Omnes gradus ſigillatim eiuſdem ſanctiſsimæ Beati Petri Eccleſiæ deoſculatus eſt. Hæc, & alia Anaſtaſius.

Auctor eſt præter cæteros Marcellinus præsbyter in vita Magni Suiberti apud Surium t. 2.

De Ceadualla Occidentalium Saxonum Rege, qui Romam Chriſti anno ſexcenteſimo octogeſimo nono ante Carolum magnum ad limina Apoſtolorum peregrinatus eſt, ſcribit Beda in hæc verba:

Beda li. 5. cap. 7.

Anno autem Regni Aldfridi tertio, Ceadualla Rex Occidentalium Saxonum, cum genti ſuæ duobus annis ſtrenuiſſime præeſſet, relicto Imperio propter Dominum, Regnumq. perpetuum, venit Romam, hoc ſibi gloriæ ſingularis deſiderans adipiſci, vt ad limina Beatorum Apoſtolorum fonte baptiſmatis ablueretur, in quo ſolo didicerat generi humano patere vitæ cæleſtis introitum; ſimul etiam ſperans, quod mox baptizatus, carne ſolutus ad æterna gaudia iam mundus tranſiret; quod vtrumquè, vt mente diſpoſuerat, Domino adiuuante, cõpletum eſt. Etenim illò perueniens, Pontificatum agente Sergio baptizatus eſt, die ſancto Sabbati Paſchalis, Anno ab incarnatione Domini ſexcenteſimo octogeſimo nono, & in Albis adhuc poſitus languore correptus, duodecimo Kal. Maiarum die ſolutus eſt à carne, & Beatorum eſt conſortio ſociatus in cælis. hæc, & alia Beda.

Addit Ceaduallæ Marcellinus præsbyter Offam Cãtuariorum Regem, cũ ait: Eodem tempore tanta erat deuotio hominum Angligenarum, poſtquàm tota Inſula fidei ſacramentis erat imbuta, vt non ſolum nobiles, ignobiles, Clerici, Laici, verùm etiam Reges, & filij Regum de gente Anglorum, ſpretis Regnis, & delicijs mundi eligerent ex maxima deuotione ad tempus peregrinari pro Chriſto in terris. Quidam ad docendum inductos, vt Columbanus Sanctus Abbas, qui cum duodecim Clericis &c. Quidam ad viſitandum loca Sanctorum, vtpotè Ceadualla prapotens Rex Angliæ, & Offa

Marcellin⁹ in vit. Suiberti.

fa

ſa Rex Cantuariorum, qui anno ab Incarnatione Domini ſexcenteſimo octuageſimo nono, Romam proficiſcentes, relictis Regnis temporalibus, vt cæleſtis Regni introitum, & æterna gaudia adipiſci poſſent, à S. Sergio monachi attonſi ſunt, &c.

Bed. de ſex ætat. De Anglis item Romam ad Beati Petri limina venientibus ſcribit Beda de ſex ætatibus ad finem libri. Is enim, vbi egit de famoſa illa Tyberis inundatione, quæ (vt ex Anaſtaſio colligitur) Gregorij II. anno quarto contigit, ideſt Chriſti anno ſeptingenteſimo decimo ſeptimo, hæc mox adiecit: His temporibus, nempe Gregorij II. multi Anglorum gentis, nobiles, & ignobiles, viri, & fœminæ, Duces, & priuati, diuini amoris inſtinctu de Britannia Romam venire conſueuerunt, inter quos Reuerendiſſimus Abbas meus Coelfridus, annos natus ſeptuaginta quatuor, cum eſſet presbyter annis quadraginta ſeptem, Abbas autem triginta quinque, vbi Lingonas peruenit, ibi defunctus, atque in Eccleſia Beatorum geminorum Martyrum ſepultus eſt, qui inter alia dona, quæ deferre diſpoſuerat, miſit Eccleſiæ S. Petri, Pandecten à B. Hieronymo in Latinum ex Hebræo, vel Græco fonte translatum.

Complura, & penè innumera de his ſcribi potuiſſent, ſed ne ſermonis longitudine lectorem tædio afficiam, hæc ſatis eſſe poterunt.

Chryſoſt. in ep. ad Rom. hom. 32. Concludam itaq. caput verbis S. Ioannis Chryſoſtomi, quibus ille, deſiderium, quo ad limina Apoſtolorum accedendi tenebatur, aperit, & Vrbem Romam ex Apoſtolorum corporibus decorem ſuſcepiſſe oſtendit: Ego, inquit, & Romam propterea diligo, tametſi aliunde queam illam laudare, nempe à magnitudine, ab antiquitate, à pulchritudine, à multitudine, ab imperio, à diuitijs, & à rebus in bello fortiter geſtis; ſed dimittens omnia, ob id illam beatam prædico, quod erga illam Paulus, dum viueret, adeò fuit beneuolus, adeò illos amauit, & coram diſſeruit, & poſtremo vitam apud eos finiuit: cuius ſanctum corpus ipſi poſſident, & propterea ciuitas illa hinc facta eſt inſignis magis, quàm ab alijs rebus omnibus, & tanquam corpus magnum, ac validum duos habet oculos illuſtres, ſanctorum videlicet horum corpora.

Non ita Cælum ſplendeſcit, quando radios Sol demittit, quemadmodum Romanorum Vrbs duas illas lampades, vbiq. terrarum effundens. Hinc rapietur Paulus, illinc Petrus. Conſiderate, & horrete, quale ſpectaculum viſura ſit Roma, Paulum videlicet repente ex theca illa cum Petro reſurgentem, in occurſum Domini ſurſum ferri. Quales Roſas Chriſto mittet Roma? qualibus coronis duabus ornatur Vrbs iſta? qualibus cathenis aureis cincta eſt? quales habet fontes? propterea admiror hanc Vrbem, non propter copiam auri, non propter columnas, neque propter aliam rem, ſed propter columnas iſtas Eccleſiæ. Quis mihi nunc dabit circumuolui corpori Pauli: affigi ſepulchro, videre puluerem corporis illius, quæ adhuc in Chriſto deerant, adimplentis, ſtigmata illius geſtantis? Et in 2. ad Tim. 4. Vellem, inquit, videre ſepulchrum, quo recondita ſunt arma iuſtitiæ, arma lucis, membra nunc viuentia, tunc vero, cum in hac vita eſſent, mortua. *Chryſoſt. in 2. ad Tim. hom. 4.*

De felicitate autem, quam ex Apoſtolis conſequuta eſt Roma, ita canit, Eccleſia.

O fe-

O felix Roma, quæ tantorum Principum.
Es purpurata pretioſo ſanguine:
Non laude tua, ſed ipſorum meritis
Excellis omnem mundi pulchritudinem

Petrus Romam cuſtodit. *Cap. 612.*

CVſtodem eſſe Petrum Vrbis, multa ſunt quæ oſtendunt. S. Gregorius Papa, cuius teſtimonio contenti erimus, ſcribens ad Ruſticianam Patritiam rogat eam, Romam vt veniat: Si gladios (ait) Italiæ, & bella formidatis, ſollicite debetis aſpicere, quanta beati Petri Apoſtolorum Principis in hac Vrbe protectio eſt, in qua ſine magnitudine populi, adiutorijs militum, tot annos inter gladios illæſi, Deo auctore, ſeruamur. hæc Gregorius. *Greg. li. 7. ep. 33.*

Addam hic exemplum, ex Procopio deſumptum de Vrbis muro ſub Petri cuſtodia: Inter hanc portam (ſcilicet Flaminiam) inquit, & alteram ad dexteram huic proximam portulam, porta alia eſt, quæ Pinciana vocatur: Huic proxime muri pars quædam, lapidum laxata iampridem compagine, ſeiuncta ſpectatur, non ſolum à ſolo, ſed à medio ad ſummum faſtigium ſciſſa, nec ſane collapſa, nec aliàs reſoluta, ſed vtrinquè ſic inclinata, vt cetero muro extrinſecus prominentior eſſe appareat, partim retractior. Hanc muri partem cum demoliri tunc primum Beliſarius niteretur, & iterato ædificare cæpiſſet, obſtitere Romani, Petrum Apoſtolum pro indubitato ſe comperiſſe, aſſeuerantes, eius loci tuendi pollicitum curam ſe ſuſcepturum. Quod vtique Romanis ex voto ſucceſſit: quandoquidem, nec eo die, quo per Gothos ſunt mœnia oppugnata, nec per omne id tempus, quo Vrbem obſederunt Barbari, hoſtilis vis vlla ad hunc locum peruenit, nec plane vnquam eodem tumultuatum. Et ſanè me admiratio ſubit, nec Romanis, nec hoſtibus ipſis in ea tàm diutina Vrbis obſidione, in memoriam veniſſe muri hanc partem. Quæ res cum miraculi poſtea loco ſit habita, nec ſarcire quidem in poſterum quiſquam, nec de integro reſtituere auſus eſt, ſed ad hunc diem ea è regione ſeiunctus permanet murus. Hæc Procopius. Extat in hunc vſque diem is paries ab alio diſiunctus, & quaſi iàmiàm ad terram ruiturus deorſum flexus, vt qui neſciat, illàc pertranſire formidet. Extant etiam prope eundem locum ſanctorum Apoſtolorum imagines, veteris eiuſdem loci ſacri cultus teſtimonia. *Procop. de bello Goth. lib. 1.*

Petrus Apoſtolus, memor promiſſi ſui facti in epiſtola ſecunda: Dabo operam, & frequenter habere vos poſt obitum meum, &c. apparet Epiſcopo, & flagellis & exhortatione admonet, ne Chriſti gregem deſerat: quod cum feciſſet, Regem idolatram cum gente ſua ad Chriſtum perducit. *Cap. 613.*

DIgnatus eſt Deus nonnunquam & ſpecialibus quibuſdam miraculis euidentius reddere, ſe (inquam) ipſum fuiſſe, qui ſecundum Prophetas *Ric. Ariſt. t. 2. mo. 1.*

ſuos,

ſuos, & veterem idolatriam extirparet,& nouam Religionem Chriſtianam atque Catholicam in ijſdem Gentibus noſtris plantaret. Teſtimonia huius rei illuſtria à Deo data ſunt in Anglia noſtra,inter initia conuerſionis eius. Nam (vt narrat Beda)poſt mortem Edelberthi,primi noſtri Chriſtiani Regis, anno ab Incarnatione Dominica 613. (qui erat annus vigeſimus primus, ex quo Auguſtinus Epiſcopus cum ſocijs Monachis ad prædicandum genti Anglorum miſſus eſt per Papam Gregorium Magnum) cum filius eius Eadbaldus Regni gubernacula ſuſcepiſſet, magno tenellis ibi Eccleſiæ incrementis detrimento fuit: Siquidem non ſolum Chriſti fidem recipere noluerat,ſed & fornicatione pollutus eſt tali, qualem nec inter gentes auditam Apoſtolus teſtatur, ità vt vxorem patris haberet. Quo vtroque ſcelere occaſionem dedit, ad priorem vomitum reuertendi ijs, qui ſub imperio ſui parentis,vel fauore vel timore regio, fidei, & caſtimoniæ iura ſuſceperant. Nec ſuperne flagella diſtrictionis perfido Regi caſtigando, vel corrigendo defuere: nam crebra mentis veſania,& ſpiritus immundi inuaſione premebatur. Auxit autem procellam huiuſmodi perturbationis etiam mors Sabarethi Regis (itidem Chriſtiani) Orientalium Saxonum. Qui vbi Regna perennia petens, tres filios ſuos, qui pagani perdurauerant, Regni temporalis hæredes reliquit, cœperunt illi mox idololatriæ, quam viuente eo aliquantulum intermiſiſſe videbantur, palàm ſeruire, ſubiectiſq. populis, idola colendi liberam dare licentiam. Deniq. hi tres expulerunt Mellitum Epiſcopum Londini,ac de ſuo Regno cum ſuis abire iuſſerunt. Sed non multo tempore Reges, qui præconem ſeueritatis expulerant, dæmoniacis cultibus impunè ſeruiebant. Nam egreſsi contra gentem Geuiſſorum in prælium, omnes pariter cum ſua militia corruerunt. Qualem & Iuliani apoſtatæ in bello Perſico propter eandem cauſam vltionem, vrgent contra Paganos S. Gregorius Nazianzenus, & S. Chryſoſtomus, cum alijs multis Chriſti Domini famulis, ac defenſoribus. Verùm aliud ibi multo adhuc mirabilius diuinum teſtimonium refert Beda: Nam expulſus Mellitus, venit Cantium, tractaturus cum Laurentio (Cantuarienſi) & Iuſto (Rhofenſi) Coepiſcopis, quid in his eſſet agendum. Decretumq. eſt communi conſilio,quia ſatius eſſet, vt omnes in patriam redeuntes (erant autem Romani) libera ibi mente Domino deſeruirent, quàm inter rebelles fidei Barbaros, ſine fructu reſiderent. Diſceſſere itaq. primò Mellitus, ac Iuſtus, atque ad partes Galliæ ſeceſſere, ibi rerum finem expectare diſponentes. Cum verò Laurentius eos ſecuturus,ac Britanniam eſſet relicturus, iuſsit ipſa ſibi nocte in Eccleſia Beatorum Apoſtolorum Petri,& Pauli,Cantuariæ, ſtratum parari: in quo cum poſt multas preces, ac lachrymas ad Deum pro ſtatu Eccleſiæ fuſas,ad quieſcendum membra poſuiſſet, atque obdormiſſet, apparuit ei beatiſsimus Apoſtolorum Princeps: & multò illum tempore ſecretæ noctis flagellis acrioribus afficiens, ſciſcitabatur Apoſtolica diſtrictione, quare gregem, quem ſibi ipſe crediderat, relinqueret? vel cui paſtorum oues Chriſti in medio luporum poſitas fugiens ipſe dimitteret? An mei, inquit. oblitus es exempli, qui pro paruulis Chriſti, quos mihi in indicium ſuæ dilectionis commendauerat, vincula, verbera,carceres,afflictiones,ipſam poſtremo mortem, mortem autem Crucis, ab infidelibus, & inimicis Chriſti ipſe cum Chriſto coronandus pertuli? His Beati Petri flagellis ſimul & exhortationibus animatus famulus

Bed. hiſt. Angl.l. 2. c. 5.

1. Cor. 5.

Nazianz. Inuect.2. in Iul. Chryſoſt de S.Babyl.

Bed.ibid.c. 6.

mulus Chriſti Laurentius, mox mane facto venit ad Regem Eadbaldum, & retecto veſtimento, quantis eſſet verberibus laceratus, ei oſtendit. Qui multum miratus, & inquirens, quis tanto viro tales auſus eſſet plagas infligere? vt audiuit, quia cauſa ſuæ ſalutis Epiſcopus ab Apoſtolo Chriſti tanta eſſet tormenta plagasq. perpeſſus, extimuit multùm, atque anathematizato omni Idololatriæ cultu, & abdicato connubio non legitimo, ſuſcepit fidem Chriſti, & baptizatus, Eccleſiæ rebus, quantum valuit, in omnibus conſulere, ac fauere curauit. Miſit etiam in Galliam, & reuocauit Mellitum & Iuſtum, eosq. ad ſuas Eccleſias liberè inſtituendas redire præcepit. Qui poſt annum, ex quo abierant, reuerſi ſunt. Et Iuſtus quidem ad Ciuitatem Rhofi, cui præfuerat, rediјt: Mellitum verò Londonienſes Epiſcopum recipere noluerunt, Idololatris Pontificibus magis ſeruire gaudentes. Non enim tanta erat ei (id eſt, Eadbaldo) quanta patri, ipſius regni poteſtas, vt etiam nolentibus, ac contradicentibus paganis, Antiſtitem ſuæ poſſet Eccleſiæ reddere. Veruntamen ipſe cum ſua gente, ex quo ad Dominum conuerſus eſt, diuinis ſe ſtuduit mancipare præceptis. Denique & in Monaſterio Beatiſſimi Apoſtolorum Principis, Eccleſiam ſanctæ Dei Genitricis fecit, quam conſecrauit Archiepiſcopus Mellitus. Ex quibus miraculis apertiſſimum eſt, quod dixi contra blaſphemias Hæreticorum, in Anglia noſtra (ſicut & in ceteris Gentibus) non tàm homines Eccleſiæ noſtræ deſtruxiſſe idololatriam, eiusq. loco plantaſſe Religionem noſtram Catholicam, quàm Deum ipſum.

Quamdiù enim merita B. Petri Apoſtoli Deo cui omnia viuunt, non moriuntur: nequaquam fidei ſuæ, vel ſolicitudinis hæredes deficient, nec deerũt prorſus qui regulam, quam circa Dominum feruentiſſimæ charitatis oſtendit, pro quantitate virium, proq. capacitate diuinitus collati doni ſequantur. Ipſe namq. quidquid ab indignis miniſtris negligenter agitur, ſupplet; ipſe locum, quem olim delibatione proprij corporis Domino conſecrauit, quiſcumque, vel qualiſcumque Vicarius extet, ſuæ tantum claritatis lumine hodieq. indeficienter illuſtrat. Cui & ſi deſunt merita ſucceſſoris, adſunt tamen beneficia deceſſoris, ac primi Sedis eiuſmodi ſeſſoris. *Hadr. Papa I. l. ad Carolũ Regem, ep. 12*

Ingens perſecutio, contra Chriſto credentes, poſt mortem Apoſtolorum exorta. Cap. 614.

POſt necem Apoſtolorum, tantum abfuit, vt necatis Apoſtolis, excitata ſemel à Nerone in Chriſtianos perſecutio exſtincta fuerit, vt potius vehementioribus flammis exarſerit, & impetu grauiori reuixerit. Nam in eos imprimis, qui ſibi familiarius adhæſiſſent, rabies Imperatoris incenditur, ſimulq. gladius perſecutionis exeritur: id quidem acta teſtantur. Erant enim ex his complures ex ipſius Neronis familia, quorum meminit Paulus Romæ ſcribens ad Philippenſes, his verbis: Salutant vos omnes Sancti, maximè autem qui de domo Cæſaris ſunt. Ex his vnum fuiſſe Torpetem, Euellium alterum, Romanum Martyrologium docet: ceterorum nomina vnà cum Actis ipſorum in obſcuro manſerunt. Paſſi & tunc feruntur duo Milites cuſtodes carceris, Proceſſus, & Martinianus: itemq. Herodion, & Olympas, ſed ante Petri martyrium; quorum quidem meminit Metaphraſtes. *Baron. an. 69.* *Pilip. 4.* *Mar. Rom. die 17. Maij, & 11.*

Metaphr. die 29. Iunij. *Mar. Rom. die 15. April.* ſtes. Paſſæ item ſub Nerone feruntur Religioſiſſimæ feminæ, Baſiliſſa, & Anaſtaſia, Apoſtolorum diſcipulæ, & aliæ complures. At non longè ab Vrbe in Thuſcia eodem tempore paſſi ſunt Ptolomæus Epiſcopus à S. Petro ad prædicandum Euangelium illùc miſſus, nec non Romanus Epiſcopus Nepeſinus, ac triginta Chriſtiani ad fidem per Ptolemæum conuerſi: quòd verò Acta habeant, ſub Claudio ſubijſſe martyrium, de Nerone Claudio intelligendum eſt, ſecundum ea, quæ ſuperius in Claudio dicta ſunt.

At non Romæ tantum, & locis iuxta Vrbem poſitis, ſed & in alijs Ciuitatibus, atque Prouincijs ſub eodem Nerone paſſi martyres reperiuntur: *Oroſ. lib. 7. cap. 7.* nam tradit Oroſius per omnes Prouincias pari perſecutione Chriſtianos vexari à Nerone mandatum eſſe; horum verò magna ex parte nomina exciderunt, exuſtis Eccleſiaſticis monumentis à Diocletiano Imperatore, vt ſuo loco dicemus: adeò vt vix paucorum habeatur mentio in Romano Martyrologio. Sed omiſſis ceteris (non enim noſtri eſt inſtituti omnium Eccleſiarum Martyres omnes proſequi) quæ pertinent ad ea, quæ Romæ ſunt geſta, tantummodo nunc proſequamur. Commendantur in hac perſecutione ſtudia inter alias duarum ſanctiſſimarum mulierum, Lucinæ, atque Perpetuæ; *Mar. Rom. die 30. Iunij.* quarum prior hoc elogio celebratur in Romano Martyrologio. Hæc de facultatibus ſuis Sanctorum neceſsitatibus communicans, Chriſtianos in carcere detentos viſitabat; & Martyrum ſepulturæ inſeruiebat: iuxta quos & ipſa in crypta à ſe conſtructa ſepulta eſt. De Perpetua verò hæc: *Mar. Rom. die 4. Auguſti.* Baptizata à B. Petro Apoſtolo, Nazarium filium, & Africanum virum ad Chriſti fidem perduxit, & multa Sanctorum Martyrum corpora ſepeliuit, ac tandem bonorum operum meritis cumulata migrauit ad Dominum.

Ceterùm ſæuiſsimam fuiſſe non Romæ tantum, ſed toto Orbe Romano Neronis perſecutionem, vetus illa inſcriptio in Hiſpania reperta facilè perſuadet. Eiuſmodi enim tunc fuit titulo, quòd Chriſtianos omnes occidendos mandaſſet, atque latrones, ſculpto lapidi commendatus:

Habet Ald. poſt Schol. in Cõment. Caſ. in deſcrip. prou. Hiſpan. ex ruinis pagi Marameſar.

NERONI CL. CAES. AVG.
PONTIF. MAX. OB PRO-
VIN. LATRONIB. ET HIS
QVI NOVAM GEN. HVM.
SVPERSTITIONEM INCVLCAR.
PVRGATAM.

Potes ex ijs quoque, lector, probè conijcere, fuiſſe Hiſpaniarum Eccleſiam, his temporibus florentiſsimam, dum tanquàm ingens quoddam ab impijs æſtimatum eſt collatum à Nerone beneficium, quod Chriſtianis eam Prouinciam expurgaſſet, ob idq. memorabile facinus eo velut eximio gloriæ titulo honoraſſent. At licet, & hac inſcriptione nulla expreſſa ſit mentio nominis Chriſtiani, quòd ipſi Ethnici & nomen ipſum exhorrerent; tamen non niſi de Chriſtianis ea poſſe intelligi, neceſſarium illud eſt argumentum, quòd nulla Neronis tempore, nec ante diù, vel poſtea, alia noua in Orbem inuecta eſt Religio, quàm Chriſtiana: nec certè Nero omnium ſuperſtitioſiſsimus, aliam quamlibet ſuperſtitionem Gentilitiam potuit perſecutus

cutus

cutus eſſe, qui etiam magicis ritibus addictiſsimus erat. Sed & illud verbum illorum obſerua: ſuperſtitionem inculcar. quod Chriſtianorum proprium fuit, Religionem omni ſtudio, totis viribus, verbis, factisq. cunctis denique neruis ſuſcipiendam omnibus Gentibus ingerere. Conſidera & ex his, vehementiſsimam Neronis perſecutionem fuiſſe; vt creditum fuerit, Chriſtianam Religionem ab eo penitùs extirpatam.

Nero in Chriſtianos adhuc magis ſæuire intendens, à cæleſti numine corripitur, & propter eius infanda ſcelera ab omnibus derelinquitur, & ſeipſum necat, quo alios occidere ſe parat. Cap. 515.

QVieuiſſe autem Neronem à Chriſtianorum perſecutione, à Petro, & Paulo in viſu perterritum Acta teſtantur. Nec mirum. Si enim (quod Dio ſcribit) poſt illatam matri, quamuis omnium ſceleſtiſsimæ, necem, ſic terroribus eſt exagitatus, vt non valeret loco conſiſtere, quanto magis hæc ipſum paſſum eſſe putandum eſt, cum præcipuos Dei amicos, eoſdemq. ſanctiſsimos, morte mulctatos, è medio ſuſtuliſſet? His igitur, & alijs, quæ ex diuerſis Orbis partibus ab ipſo in Chriſtianos ceteros pararentur, ſæuiſsimus homo perterritus, reliquum, quod in ſtomacho coquebat iræ, in Chriſtianos haud euomere potuit, cum ſibi rebusq. ſuis ſollicitus conſulere cogeretur. His acceſsit (quod etiam nolentem, inuitumq. à perſecutione Chriſtianorum abſtraxit) Romani exercitus iam in Gallia facta defectio: nam hoc anno, cum adhùc moraretur in Achaia, audita eſt Caij Iulij Vindicis, qui Proprætorem agebat in Gallijs, cum exercitu facta rebellio: quando prætermiſſa (vt ait Lucianus) Iſthmi foſsione, ſe, vt de bello decerneret, recepit in Vrbem: licet Suetonius ipſum de motu illo Galliarum ex Achaia redeuntem, cum Neapoli in Campania eſſet, certiorem factum eſſe teſtetur, eo die, quo matrem occiderat, ipſis Feſtis Quinquatrijs, menſe Martio: Sed hæc licèt magni ponderis eſſe viderentur, nec contemnenda: tamen non tanti ab eo exiſtimata ſunt, quæ elatum eius animum conſternare penitùs valuiſſent: verùm (quod poſt illatam necem Apoſtolis accidit) Hiſpaniarum quoque defectione nunciata, animo penitus collapſus eſt: quod Suetonius declarat his verbis: Poſtquam etiam deinde Galbam, & Hiſpanias deſciuiſſe cognouit, collapſus, animoq. male fracto, diu, & ſine voce, & prope intermortuus iacuit.

Dio in Neron.

Lucian. de Iſth. foſſ.

Sueton. in Ner. c. 40.

Suet. ibid. c. 40.

At adueniente Chriſti anno ſeptuageſimo Conſules creati ſunt C. Silius Italicus, & Galerius Trachalus Turpilianus: meminit huius Conſulatus Plinius Iunior, ſed dicẽs de Silio Italico: Nouiſsimus à Nerone factus eſt Conſul: ita poſtremus ex omnibus, quos Nero Conſules fecerat, deceſsit. Illud etiã notabile, quòd vltimus ex Neronianis Conſularibus obijt, quo Conſule Nero perijt: quod me recordantem fragilitatis humanæ miſeratio ſubijt. Quid enim tàm circumciſum, tàm breue, quàm hominis vita longiſsima? An non videtur tibi Nero modò fuiſſe, cum interim ex ijs, qui ſub illo geſſerunt Conſulatum, nemo iam ſupereſt? Hæc Plinius ad Caninium Rufum ſcribens philoſophatur. At nec tacendum, quod de ijſdem Conſulibus Suetonius ſcribit, his verbis: Conſules ante tempus priuauit honore, atque

Plin. lib. 3. c. 7.

Suet. in Neron. 43.

Hhh 2 in

in vtriuſque locum ſolus iniјt Conſulatum ; quaſi fatale eſſet , non poſſe Gallias debellari , niſi à Conſule , ac ſuſceptis faſcibus .] Extat quoque Epigramma Martialis de Conſulatu Silij Italici: ſed ſub Domitiano iam tertium puto ſuffectum .

Mar. Epig. lib. 8.

Inter hęc autem cũ C.Iulius Vindex.qui defectionem in Gallijs excitarat, à militibus Rufi , qui Germaniam obtinebant , occideretur, idemq. Rufus Imperator deſignatus eſſet : Cumque his omnibus infauſtis , illud etiam adderetur , quòd Rubrius Gallus, quem contra rebellantes mittebat , defecerit : nec , quod ipſe Nero conceperat , vniuerſum Senatum interficere poſſet ; quodq. à Prætorianis etiam militibus deſertus eſſet : deſperatione melioris ſtatus omnino deficiens, vili indutus veſte, fugam arripiens , vna cum tribus , vel quatuor libertis in prædium vnius ex his , Phaontis nomine , inter viam Salariam , & Nomentanam , quarto ab Vrbe lapide poſitum venit ; vbi in ſpelunca deliteſcens , cum equites ſe quærentes aduentare cognouit , ſibi ipſe, licet pauidus, intulit manus : quem ægrè morientem vnus ex libertis Epaphroditus confecit, quarto Idus Iunij (ea die qua olim Octauiam coniugem interfecerat) agens ſuæ ætatis annum trigeſimum ſecundum ; cum imperaſſet annos tredecim , menſes ſeptem, & dies vigintiocto, numerando à die ſequenti obitus Claudij Imperatoris . De his fuſius agunt Suetonius , Dio, & alij complures, ſimulq. de funere eius,ac ſepultura .

Suet. ibid. & c. 44. & 45 & ſeq. Dio in Nerone.

Enarratis ijs, quæ, tanquàm meliora ex geſtis Petri , & Pauli excerpta commemorauimus , operæpretium eſt , vt ceterorum Apoſtolorum facta, commemoratione digna,recenſeamus . Sed valde dolendum eſt, magnorum virorum res per Orbem vniuerſum , & per vltimos terræ terminos ſupra humanam exiſtimationem, & ſuper naturam actas , aut penitus interijſſe, aut ſcriptas penitus non fuiſſe ; aut ſi quæ ſcriptæ ſunt , reperiri apud Auctores , quorum fides ita vacillat , vt etiam nec fides adhiberi poſſit multis , quæ verè ſcripta ſunt : veritatis enim facies inter mendacia reſidens, mendaciorum limo fædatur , & reſpuitur . Nulli autem dubium eſſe debet inter illas fictas hiſtorias, multas reperiri , quæ veræ hiſtoriæ ſunt . Mendaces enim , vt mendacia ſua honeſtent, ſemper illa cum veris immiſcent : Sed nobis ea tantùm recenſenda erunt , quæ apud probatos Auctores reperiemus .

At poſt Petri, & Pauli exitum glorioſum, congruum videtur , vt de Andrea,Petri fratre,aliqua enarremus,ſi non, quæ in vita geſſit, quorum pauca ſciri potuerunt , ſaltem,quæ poſt mortem eius geſta ſunt . Enarrabimus autem , quæ de Andreæ martyrio , in epiſtola Presbyterorum Achaiæ habentur expreſſa : in Eccleſia enim publica lectione recitantur . Sunt autem hæc .

Sancti Andreæ Apoſtoli, fratris Petri, Crucis feruidiſſimi amatoris, ad crucem alloquium, & patiendi pro Chriſto æſtuans deſiderium, & martyrium gloria plenum .

Cap. 616.

Breu. Rom. in Feſto S. Andreæ.

Andreas Apoſtolus, Bethſaidæ natus , qui eſt Galilææ vicus , frater Petri , natu maior , diſcipulus Ioannis Baptiſtæ , cum eum de Chriſto

dicentem audiſſet: Ecce Agnus Dei, ſecutus Ieſum, fratrem quoque ſuum ad eundem perduxit. Cum poſteà vnà cum fratre piſcaretur in littore Galilææ, ambo à prætereunte Chriſto Domino ante alios Apoſtolos vocati, illis verbis: Venite poſt me, faciam vos fieri piſcatores hominum: nullam interponentes moram, & relictis retibus ſecuti ſunt eum. Poſt cuius paſſionem, & reſurrectionem, Andreas, cum in Scythiam Europæ, quæ ei Prouincia ad Chriſti fidem diſſeminandam obtigerat, veniſſet; deinde Epirum ac Thraciam peragraſſet, doctrina & miraculis innumerabiles homines ad Chriſtum conuertit. Poſt Patras Achaiæ profectus, & in ea Vrbe plurimis ad veritatem Euangelicam perductis, Aegeam Proconſulem, prædicationi Euangelicæ reſiſtentem, liberrimè increpauit, quod qui Iudex hominum haberi vellet, Chriſtum Deum omnium Iudicem à Dæmonibus eluſus non agnoſceret.

Tùm Aegeas iratus, Define, inquit, Chriſtum iactare, cui ſimilia verba nihil profuerunt, quo minùs à Iudæis crucifigeretur. Andream verò de Chriſto nihilominus liberè prædicantem, quod pro ſalute humani generis ſe crucifigendum obtuliſſet, impia oratione interpellat, ac demum hortatur, vt ſibi conſulens, Dijs velit immolare. Cui Andreas: Ego omnipotenti Deo, qui vnus & verus eſt, immolo quotidie, non taurorum carnes, nec hircorum ſanguinem, ſed immaculatum agnum in altari: cuius carnem poſtea quàm omnis populus credentium manducauerit, agnus, qui ſacrificatus eſt, integer perſeuerat, & viuus. Quamobrem ira accenſus Aegeas, iubeat eum in carcerem detrudi: vnde populus Andream facilè liberaſſet; niſi ipſe ſedaſſet multitudinem, vehementius rogans, ne ſe ad optatiſſimam martyrij coronam properantem impedirent.

Igitur paulò poſt in Tribunal productum, cum Aegeas Crucis extollentem myſteria, ſibiq. ſuam impietatem exprobrantem, diutius ferre non poſſet, in Crucem tolli, & Chriſti mortem imitari iuſſit. Adductus Andreas ad locum martyrij, cum Crucem vidiſſet, longè exclamare cœpit: O bona Crux, quæ decorem ex membris Domini ſuſcepiſti, diù deſiderata, ſolicitè amata, ſine intermiſſione quæſita, & aliquando cupienti animo præparata; accipe me ab hominibus, & redde me Magiſtro meo: vt per te me recipiat, qui per te me redemit. Itaq. Cruci affixus eſt: in qua biduum viuus pendens, & Chriſti fidem prædicare nunquam intermittens, ad eum migrauit, cuius mortis ſimilitudinem cōcupierat. Quæ omnia Presbyteri, & Diaconi Achaiæ, qui eius paſſionem ſcripſerunt, ſe ita, vt commemorata ſunt, audiſſe & vidiſſe teſtantur. Eius oſſa primum, Conſtantio Imperatore, Conſtantinopolim, deinde Malphim tranſlata ſunt. Caput, Pio ſecundo Pontifice, Romam allatum in Baſilica ſancti Petri collocatum eſt.

Multa autem de ſancto Andrea leguntur facta poſt eius obitum opera, eaq. mirabilia, quorum ea dumtaxat nos referemus, quæ à ſanctis Viris ſcripta nouimus, nempe à SS. Gregorio Papa, & Gregorio Turonenſe.

Achaiæ, in Ciuitate Patras ad ſepulchrum S. Andreæ, & manna in modum farinæ, & oleum odoratum proferebatur, multaque aliæ virtutes admirabiles patrabantur. Cap. 617.

Greg. Tur. de gloria Martyrum cap. 31.

ANdreas Apoſtolus (inquit Turonenſis) magnum miraculum in die Feſtiuitatis ſuæ profert, hoc eſt, manna in modum farinæ, vel oleum cum odore nectaris, quod de tumulo eius exundat: per id etiam, quæ ſit fertilitas anni ſequentis, oſtenditur; ſi exiguum profluxerit, exiguum terra profert fructum: ſi verò fuerit copioſum magnum arua prouentum fructuum habere ſignat; nam ferunt in aliquibus annis in tantum è tumulo oleum exundare, vt vſque medium Baſilicæ profluat riuus ille. Hæc autem aguntur apud Prouinciam Achaiam in Ciuitate Patras, in qua Beatus Apoſtolus ſiue martyr pro redemptoris nomine crucifixus, præſentem vitam glorioſa morte finiuit: tamen cum oleum defluxerit, tantum odorem naribus præſtat, vt putes ibi multorum aromatum ſparſam eſſe congeriem; quod non ſine miraculo ac beneficio habetur in populis. Nam ex hoc, ſeu inunctiones factæ, ſeu potiones datæ plerumq. languentibus commodum præſtant; poſt cuius glorioſam aſſumptionem multæ virtutes ad hoc ſepulchrum, vel per loca diuerſa, in quæ eius Reliquiæ collocatæ ſunt, feruntur oſtenſæ: de quibus pauca memorari non putaui abſurdum, quia ædificatio eſt Eccleſiæ, gloria Martyrum, virtuſq. Sanctorum.

Reliquias S. Andreæ, aliquis ex ardenti Baſilica per medias flammas eripit. Cap. 618.

Ex eodem Greg. Tur. loco quo ſupra.

TEmpore quo interfecto Clodomiro Rege Francorum, ſe exercitus reparans Burgundiam deuaſtabat, in quadam Baſilica Reliquiæ dicti Apoſtoli, cum Saturnini martyris tenebantur; accenſaq. Baſilica, cum iam tignorum moles dirueret, pauperes, ac ſenes, quos barbaries reliquerat, flebant dicentes, Væ nobis, qui tantorum pignorum hodie caremus auxilio, nec nobis vltra ſpes præſentis vitæ manebit, ſi hæc deperierint. His ita flentibus, nutu Dei adueniens Turonicus homo, condolens his lamentis, & diſcens virtutem Martyrum non minus fide, quàm parma protectus, per medias ingreditur flammas, apprehenſaſq. ab altari Sancto Reliquias nihil ab igne læſus, extulit foras, ſed continuo, ita conſtrictus eſt, vt greſſum in ante agere non valeret. Tunc indignum ſe iudicans, qui ea ferret, vnam puellam paruulam impollutamq. elegit à præda, cui capſulam collo impoſuit, & ſic in patriam proſperè acceſsit. Tunc collocatis in Altari Nouicenſis Eccleſiæ, vbi nulla adhuc pignora Sanctorum habebantur, annis ſingulis deuotiſsime eorum ſolemnia celebrata. Cuius filius cum hæc poſt patris obitum non impleret, à febre quartana per annum integrum laborans vouit, vt nouam Baſilicam in eorum honore conſtrueret. Quo facto, amota febre ſanatus eſt. Sed nec hoc ſine diuiuitatis prouidentia actum reor, quod eadem die, qua beatæ Reliquiæ in aliam ſunt translatæ Baſilicã, errantes homines à via, qui B. Vincentij Reliquias deferebant, ad vicum ipſum delati ſunt. Tunc rogante preſ-

bytero

byterō diuiſerunt, & particulam pignorum, quam in ſancto Altari, vnde alias abſtulerat, collocarunt.

Calculo laborans, morti vicinus, Apoſtolo Andreæ ſeſe commendans, lapidem magnum ex veſica, miraculo magno emiſit.
Cap. 619.

MVnzolus autem, cum Theodeberti Regis tempore ad Iuſtinianum Imperatorem pergens, Conſtantinopolitani itineris viam nauali euectu ſulcaret, ad vrbem Patras, in qua idem habetur Apoſtolus, eſt appulſus, & dum ibi cum ſatellitibus moraretur, infirmata veſica calculoſus efficitur. Dehinc diuerſis doloribus arctatus, febre conſumitur, ablataq. delectatione comedendi, atque bibendi, aduentum mortis ſolùm præſtolatur. Igitur dum ita ſe feſſum, & ſine ſpe vitæ videt, decernit teſtamentum ſuum, petit, ſcribit, munitumq. ſubſcriptionibus, ac ſigillis, inquiri præcepit, ſi forſan aliquis reperiretur in Ciuitate, qui penitùs, in arte Medicina poſsit morituro ſuccurrere. Sed cum hoc Epiſcopo, qui tunc præerat ſuggeritur, ait: Quouſque vos, dilectiſsimi, caſſo fatigatis labore, & inter homines requiritis Medicinam, cum habeatur hic cæleſtis Medicus, qui ſæpe infirmorum valitudines ſine herbarū adminiculo, virtutis propriæ depellat effectu? Et quis, inquiunt, eſt ille? Andreas, ait, Apoſtolus Chriſti. Hæc nunciantes infirmo, rogat ſe portari ad beati ſepulchrum: Cumque pauimento proſtratus, quæ neceſsitas exigebat, fideliter precaretur, voce tenui vaſculum poſtulat exhiberi, illatūmq. dum vrinam nititur eijcere, lapidem magnū emiſit, viq. tàm validus fuit, vt cadens ſonum in ea, quæ parata fuerat, conca proferret. Tunc ablata febri cum omni dolore, naui reſtituitur incolumis. *Ex eodem Greg. Tur. c. 31. eiuſdem loci.*

Comes quidam agrum Eccleſiæ S. Andreæ peruadit: rogatur ab Epiſcopo, vt reſtituat ablatum agrum. Eo recuſante, arripitur ingenti febre: mittit nuncios ad Epiſcopum, vt pro eo oret, & ipſe agrum reſtituet: orat, ſanatur, agrum non reſtituit: Epiſcopus mæſtus dat ſe orationi, vt Deus eum ad reſtituendum compellat. Iterumq. Comes recidens diuino iudicio in morbum agit in extremis; cumq. iterum Epiſcopum rogaſſet, vt prius, non auditur, ſed ingreſſus in Eccleſiam, ſpiritum exhalauit.
Cap. 620.

ECcleſia quoque Agathenſis, quæ ſancti Andreæ Apoſtoli Reliquijs plaudit, plerumq. glorioſis illuſtratur miraculis: peruerſores rerum ſuarum ſepius arguit. Denique Gomacharius Comes agrum Eccleſiæ ipſius peruadit. Tunc Leo Epiſcopus huius Eccleſiæ valde mœſtus cucurrit ad eum, dicens: Relinque fili res pauperum, quas ordinationi noſtræ Dominus commendauit, ne tibi ſit noxium, & à lachrymis egentium, qui de fructibus eius ali conſueuerant, eneceris. Ille verò, qui erat hæreticus, paruipendens ea, quæ ab Epiſcopo dicebantur rem in ſua dominatione retinuit. Interim procedente die arripitur à febre. Cumque non modo ardore corporeo, verùm *Ex eodem Greg. Tur. cap. 79.*

etiam animæ vexaretur incommodo, miſit ad Epiſcopum nuncios, dicens: Dignetur pro me Sacerdos orationes fundere ad Dominum, & ego dimittam agrum eius. Quo orante, hic à valetudine, qua grauabatur, conualuit, factuſq. ſanus ait ſuis: Quid putatis, quod iſti nunc Romani (hoc eſt Catholici) dicunt? Aiunt enim me ob hoc fuiſſe febre grauatum, quia tulerim agrum eorum, quod mihi iuxta conſuetudinem humani corporis accidit. Veruntamen non habebunt eum me viuente: & dicto citius miſit, qui eum iterum auferret.

Quod cum Epiſcopus comperiſſet, venit ad eum dicens: Num pœnitet? ne facias quæſo, ne vltioni diuinæ ſubiaceas. Qui ait ad Epiſcopum: Sile, ſile decrepite. Nam infrænatum te loris circuire Vrbem ſuper aſinum faciam, vt ſis ridiculo omnibus, qui te aſpexerint. At ille ſilens ad nota recurrit præſidia: proſternitur in oratione, celebrat vigilias, ac noctem totam in lachrymis & pſalterio ducit. Mane autem facto, accedit ad lichnos, qui de camera ad Eccleſiam dependebant; extendenſq. virgam, quam tenebat in manu, effregit cunctos, dicens; Non hic accendetur lumen, donec vlciſcatur Deus de inimicis, & reſtituat res domus ſuæ. Hæc eo dicente, protinùs hæreticus ille in rediuiuam febrem corruit: cùmque in extremis ageret, miſit ad Epiſcopum dicens: Ora pro me Sacerdos ad Dominum, vt viuam, & reſtituam agrum, ac ſimilem eius conferam dominationem. Quibus Pontifex reſpondit: Iam oraui ad Dominum, & exaudiuit me. Miſit alios, ac tertios ad eum nuncios; ſed Sacerdos in vno reſponſo perſiſtens, non mouebatur ad hæc, vt pro eo orationem daret ad Dominum. Hæc ille hæreticus cernens, iuſsit ſe in plauſtro componi, atque ad eundem euehi, ac per ſe deprecatur Epiſcopum dicens, quia dupla ſatisfactione reſtituo agrum, quem inique peruaſi, tantum vt oret pro me Sanctitas tua: illo quoque recuſante, compulit eum vi, vt abiret ad Eccleſiam: quo diſcedente, cum Eccleſiam eſt ingreſſus, & hic ſpiritum exhalauit, recepitq. confeſtim Eccleſia rem ſuam.

In Monaſterio S. Andreæ ipſe Apoſtolus videbatur Abbas, Monachos inſtruens, & corripiens. Cumq. quidam Monachus de pretio recepto furatus fuiſſet, dæmoni eſt traditus: interrogatus: ſi pretium forſan ſurripuiſſet? negauit: cumq. per octo vices negaret, octies à ſpiritu vexatus eſt; ſed reſipiſcens, & furtum manifeſtans liberatur. Cap. 621.

Ex S. Greg. Papa lib. 9 Epiſtolarũ, ep. 38.

DE eleemoſyna, inquit, quam beati Apoſtoli Andreæ Monaſterio feciſtis, quid neceſſe eſt me aliquid dicere, cum ſcriptum ſit: Abſconde eleemoſynam in ſinu pauperis, & hæc pro te exorabit, &c. De quo ſancti Andreæ Cœnobio, quod ipſemet Romæ extruxerat, mira quædam, quæ acciderunt, his verbis enarrat.

Indico autem, quod ob tanta miracula, tanta cura, tanta cuſtodia Monachorum in eodem Monaſterio eiuſdem Apoſtoli eſt, ac ſi ſpecialiter Abbas Monaſterij ipſe ſit, nam, vt pauca de multis loquar, quæ Abbate & Præpoſito Monaſterij narrantibus cognoui, edicam. Quadam die duo exinde fratres tranſmiſsi ſunt, qui aliquid emere pro Monaſterij vtilitate debuiſſent.

Vnus

Vnus iunior, qui prudentior videbatur, alter ſenior, qui cuſtos iunioris eſſet. Perrexerunt vtique & de pretio, quod receperant, ipſe qui cuſtos miſſus fuerat, neſciente altero, de eodem pretio furtum fecit. Qui mox, vt ad Monaſterium ſunt reuerſi, atque ante Oratorij limen venerunt, arreptus à dæmonijs, is qui furtum fecerat, cecidit, & vexari cœpit. Dimiſſus autem à dæmonijs, concurrentibus Monachis requiſitus eſt, num forſitan de eo, quod acceperat, furtum feciſſet? negauit: iterum vexatus eſt, ac dimiſſus: atque iterum requiſitus negauit, atque iterum vexatus eſt. Octo itaq. vicibus negauit, octo vicibus eſt vexatus. Poſt octauam vero negationem, necnon vexationem, confeſſus eſt quantos nummos furto abſtulerat, & agens pœnitentiam proſtratus, ſe peccaſſe teſtatus eſt. Vlterius vero dæmonium ad eum non acceſsit.

Quidam Monachus dira patiens, ante altare S. Andreæ proijcitur: & in ſe reuerſus, dixit: ſenem (Andræam ſcilicet) apparuiſſe ei, & canem nigrum contra ipſum, vt dilaniaretur, incitaſſe: quoniam ſcilicet de Monaſterio cogitauerat fugere.
Cap. 622.

ALio quoque tempore, dum in die natalitio eiuſdem Apoſtoli, iam meridianis horis fratres quieſcerent, ſubito quidam frater opertis oculis cæcatus cœpit tremere, & voces ingentes emittere, quibus vocibus teſtabatur ferrè ſe non poſſe quod patiebatur. Cõcurrentes fratres viderunt cæcum apertis oculis trementem, & acclamantem, & à præſentibus alienum, nihilq. quod foris agi poterat, ſentientem: eumq. in manibus leuauerunt, atque ante Altare ſancti Andreæ Apoſtoli proiecerunt, ipſiq. pro eo in oratione proſtrati ſunt, qui ſtatim ad ſe reuerſus. Quid paſſus fuerat confeſſus eſt, quia ſenex quidam ei apparuit, & canem nigrum ad eum dilaniandum dimiſit, dicens: Quare fugere voluiſti de Monaſterio iſto? Cumq. euadere de canis morſibus nullo modo potuiſſem, venerunt quidam Monachi, & eundem ſenem pro me rogauerunt, qui ſtatim iuſsit canem abſcedere, & ipſe ad me reuerſus ſum: qui etiam confeſſus eſt, quia eo die quo iſta pertulit, conſilium habueram de eodem Monaſterio fugere. *Ex eod. ib.*

Duo monachi ex monaſterio fugerunt, & latitantes in Criptis, D. Andreæ ope inuenti ſunt. Cap. 623.

ALij quoque duo fratres de eodem monaſterio fugerunt, atque aliqua prius colloquendo fratribus ſigna dederunt, quod per viam Appiam deſcendentes Hieroſoymam tenderent. Qui exeuntes, diuerterunt ab itinere, & vt à ſequẽtibus inueniri minime potuiſſent, retruſas criptas iuxta Flaminiã portam inuenientes, in eis ſeſe occultauerunt. Cum vero veſpertinis horis requiſiti, minime in congregatione inuenti eſſent, aſcenſis caballis, eos quidam fratres ſecuti ſunt per Metroni portam exeuntes, vt eos in Latinam, vel Appiam viam ſequerentur. Subito autem eis conſilium ortum eſt, vt *Io. Diac. de vita S. Greg. li. 1. c. 20.*

eos

eos in via Salaria requirerent. Extra ciuitatem igitur pergentes, deflexerunt iter in Salariam; eos vero minime inuenientes, per portam Flaminiam decreuerunt reuerti. Cumq. reuerterentur, mox, vt equi eorum ante Cryptas illas venerunt, in quibus ſe abſconderant, fixerunt gradus: pulſati, & compulſi paſſum mouere nequiuerunt. Conſiderauerunt monachi rem talem ſine myſterio eſſe non poſſe. Attenderunt ad Cryptas, viderunt earum aditus miſſa maceria demuratos: ſed caballis eorum nuſquam euntibus deſcenderunt: depoſuerunt lapides, qui in ore Cryptarum depoſiti fuerant: ingreſſi ſunt, eoſq. in eiſdem tenebroſis latibulis, terræ conſternatos inuenerunt. Qui ad monaſterium reducti, ex eodem miraculo ita ſunt meliorati, vt eis multum profuerit ad parum temporis de monaſterio fugiſſe. Hæc dixi, vt excellentiæ veſtræ innoteſceret, cuius Oratorio eleemoſynam feciſtis.

S. Andreas adoleſcentem monachum ad mortem ægrotantem tangens, eum à morte eripit, ſed breui eſſe moriturum indicat: quod factum eſt. Cap. 624.

ALius quoque frater in eodem S. Andreæ monaſterio Ioannes dictus eſt, magnæ indolis adoleſcens, qui ætatem ſuam intellectus, & humilitatis dulcedine, & grauitate rerum, docente Gregorio tranſcendebat. Huic ægrotanti, atque ad extremum perducto per nocturnam viſionem ſub habitu ſenis beatus Apoſtolus Andreas apparuit, & hunc virga tetigit, eiq. dixit, Surge, ſurge, ex hac enim moleſtia modo minime morieris: ſed paratus, eſto quia longum tempus hic facturus non eris. Qui dum iam eſſet à medicis deſperatus, repente ſanatus eſt, atque conualuit. Rem, quam viderat, narrauit, ſeque per biennium in Dei ſeruitio (ſicut prædixi) vltra ætatis ſuæ annos exhibuit. Reuolutis autem duobus annis, cum quidam frater fuiſſet mortuus, atque in cæmeterio eiuſdem monaſterij à Gregorio fratribuſq. ſepultus, cunctis inde diſcedentibus, idem Ioannes, ſicut poſtmodũ pallidus, & tremens Gregorio, & fratribus indicauit, ſolus inuentus ab eodem fratre, qui ſepultus fuerat, de eodem ſepulchro vocatus eſt, quod mox etiam ſubſequens factum oſtendit: Nam poſt dies decem, correptus febribus moriendo vocantem ſubſecutus eſt.

Io. Diac. de vita S. Greg. l. 1. c. 20.

Pictorum Regi in amittendi Regni diſcrimine poſito aſtat Andreas Apoſtolus; victoriam promittit. Hoſtes, viſa Andreæ lucida cruce ſuper Pictorum caſtra, cum ad pugnam ventum eſt, fugiunt, & vincuntur paucis ſuperſtitibus. Cap. 625.

SOluto Hungo Pictorum Regi intempeſta nocte in ſoporem, extemplo aſtans Apoſtolus Andreas, iuſſit alacriori eſſet animo, nec hoſtium multudine terreretur, plurimamq. ſpem in diuina locaret ope: fore, vt glorioſam de Anglis poſtera die aſſequeretur victoriam. Mirum ſcribunt tunc accidiſſe ſupra Pictorum caſtra: lucidam cælo apparuiſſe crucem, illius inſtar, qua Apoſtolus Andreas pro Chriſti nomine ſupplicio olim erat affe-

Hect. Boet. hiſt. Scot. lib. 10.

affectus: hancq. Apoſtolum ipſi Hungo oſtendiſſe: addidiſſeq. id oſtentum ante partam victoriam haud cælo defuturum. Experrectus Rex, milites iàm tùm lucentem crucem intempeſta nocte admirantes, edocet: quam ſortem D. Andreas ſibi ſuoq. exercitui fuiſſet pollicitus: per quietem hortatus prima luce alacres hoſtes pugna adorirentur, numine ſibi propitio, & aduerſo hoſtibus: eoq. eorum multitudinem minime timendam. Sequuta Regis verba grata omnium vociferatio, quam hoſtes audientes, lucidam ſimul conſpicati Crucem, quippiam mali portento tali ſibi præſagientes, ingenti pauore ſunt perculſi. Picti, Scotiq. tanta vi in Anglos ſunt inuecti, vt illi, cum impetum non poſſent ſuſtinere, primùm Northumbri, mox tota acies impulſa, terga dederit, & vix quingenti viri euaſerunt. Et hæc ſatis de S. Andrea.

Bartholomæus Apoſtolus, vir diuinus, ad varias longinquas Orbis regiones migrans, & fidei ſplendorem effundens, multas gentes illuminat, & ad Chriſtum perducit: Regem Armeniæ, & coniugem eius conuertit. Odio Sacerdotum idolatrarum comprehenſus, & duriſſime cruciatus, martyrij palmam obtinet.

Cap. 626.

DE Sancto Bartholomæo aliqua narrant Sancti Patres, & Romanum Breuiarium, ipſaq. Martyrologia, & Græcorum Menologia, Ioſephus Græcus auctor apud Metaph. Nicephorus, & alij. De eodem mentio fit in Euangelio. S. Dionyſius Areopagita eum diuinum virum appellat, *Math. 10.*
cum dicit: Sic itaque diuinus Bartholomæus ait: & plurimam Theologiam eſſe, & minimam, Euangeliumq. & latum, & magnum, rurſuſq. *Mar. 3. Luc. 6.*
conciſum, mihi quidem illud mirifice intellexiſſe videtur. &c. *Diony. de miſt. Theol. cap. 1.*

Bartholomæus Apoſtolus Galilæus, cum Indiam Citeriorem, quæ ei in orbis terrarum ſortitione Chriſti anno 44. ad prædicandum Ieſu Chriſti Euangelium obuenerat, progreſſus eſſet, aduentum Domini Ieſu iuxta Sancti Matthæi Euangelium illis gentibus prædicauit: ſed cum in ea prouincia plurimos ad Ieſum Chriſtum, conuertiſſet, multos labores, calamitateſquè perpeſſus eſſet, venit in Maiorem Armeniam: reliquiſſe autem Indis, quos ad Chriſti fidem traxerat, S. Matthæi Euangelium, docet Euſebius his verbis: Pantænus ille, quem ad Indos perrexiſſe diximus, vbi (vt refert) Euangelium Matthæi, quod ante eius aduentum ibi fuerat receptum, in manibus quorundam, qui in illis locis Chriſtum profitebantur, reperit; quibus Bartholomæum vnum ex Apoſtolis prædicaſſe, illiſq. Matthæi Euangelium litteris hæbraicis ſcriptum reliquiſſe, & illud ipſum ad noſtratum tempus reſeruatum conſtat. hæc Euſebius. Quibus ſimilia ſunt, quæ habet S. Hieronymus de Pantæno, qui in Indias penetrauit, ſcribens: In Indiam quoq. dicens rogatus ab illius gentis legatis, à Demetrio Alexandriæ Epiſcopo mittitur, vbi reperit Bartholomæum, de duodecim Apoſtolis vnum, aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti iuxta Euangelium prædicaſſe, quod hæbraicis litteris ſcriptum reuertens Alexandriam, ſecum retulit. Lycaonas, eius prouinciæ popu-

Euſeb. l. 5. cap. 10.

S. Hierony. de ſcripto Eccl. in Pantæno cap. 3

popu-

populos, vt auctor eſt S. Ioannes Chryſoſtomus, ad pietatem inſtituit: Albanis, Sophronio teſte, vt Chriſtiani fierent ſuaſit: Polemonem prætereà Armeniæ Regem, vt fertur, & coniugem eius ad Chriſtianam fidem perduxit: quæ res in eum magnam inuidiam concitauit illius gentis ſacerdotum; Nam vſque adeo Polemonis Regis fratrem in Apoſtolum incenderunt, vt is viuo Bartholomæo pellem crudeliter detrahi iuſſerit, ac caput abſcindi, quo in martyrio animam Deo reddidit.

S. Io. chriſ. hom. de 12. Apoſtol.

Eius corpus Albani, quæ eſt vicina vrbs Maioris Armeniæ, *vbi paſſus* fuerat, ſepultum eſt: quod poſtea ad Lyparam Inſulam delatum, *inde* Beneuentum translatum eſt, poſtremo Romam ab Othone ſecundo Imperatore, Gregorio V. Pontifice maximo, portatum, in Tyberis Inſula, in Eccleſia eius nomine, Deo dicata, collocatum fuit. Agitur autem Romæ dies feſtus octauo Kal. Septembris, & per octo conſequentes dies illa baſilica magna populi frequentia celebratur.] Hæc Romanum Breuiarium.

De eodem ſancto Apoſtolo hæc extant in Romano Martyrologio octauo kal. Septembris.

S. Bartholomæi Apoſtoli, qui in India Chriſti Euangelium prædicauit: inde in Maiorem Armeniam profectus, cum ibi plurimos ad fidem conuertiſſet, viuus à Barbaris decoriatus eſt, atq. Aſtiagis Regis iuſſu, capitis decollatione martyrium compleuit. Eius ſacrum corpus primo ad Lyparam Inſulam, deinde Beneuentum, poſtremo Romam ad Inſulam Tyberinam translatum, ibi pia fidelium veneratione honoratur.

S. Thomas Apoſtolus, poſt multa, quæ apud exteras, & vltimas regiones glorioſè operatus eſt, glorioſo fine Chriſtum confeſſus eſt. Cap. 627.

In Roman. Martyrolo.

Apoſtolus ſanctus Thomas longè poſt acceptũ Spiritum ſanctum, à Chriſti Aſcenſione anno circiter decimo, in multas Prouincias profectus eſt, ad prædicandum Euangelium: Parthis, Medis, Perſis, Brachmanis, *Hyrcanis*, Bactris, alijſq. Gentibus Chriſtianæ fidei, & vitæ præcepta tradidit. Miſit, vt ſcribit Euſebius, diuino quodam impulſu commotus, Thadæum fratrẽ, qui erat in numerum ſeptuaginta Diſcipulorum Chriſti adſcriptus, prædicatorem, & Euangeliſtam doctrinæ Chriſti ad Edeſſam vſque, ac per ipſum Seruatoris noſtri promiſſa, exitum ſuum ſunt plenè conſecuta. Miſiſſe autem eum, Chriſto iam in cælum aſcenſo, idem docet: quo autem anno illum eò direxerit, incompertum habetur. Thomas demum ad Indos ſe conferens, eos in Chiſtiana Religione erudiuit: qui ad extremum, vitæ doctrinæq. ſanctitate, & miraculorum magnitudine, cum ceteris omnibus ſui admirationem, & Ieſu Chiſti amorem commouiſſet, illius gentis Regem, Idolorum cultorem magis ad iram accendit: cuius ſententia condemnatus, teliſq. ac lancea confoſſus, Calaminæ Apoſtolatus honorem martyrij corona decorauit. Corpus Apoſtoli cum honore Apoſtolico, cum laudibus & Hymnis tranſtulerunt ad Eccleſiam, condentes aromatibus pretioſis, & fiebant ſigna magna & prodigia in loco, in quo poſitum erat. Nam & Dæmoniaci liberabantur, & omnes ægritudines liberabantur.

Euſeb. li. 1. c. 12. & 13.

In Romano Martyrologio hæc de eo ſcripta ſunt: Calaminæ natalis B. Thomæ Apoſtoli, qui Parthis, Medis, Perſis, Hyrcanis, & Brachmanis Euangelium prædicauit, ac demùm in Indiam perueniens, cum eos populos in Chriſtiana Religione inſtituiſſet, Regis iuſſu lanceis transfixus, occubuit. *Die 21. Decemb.*

In Menologio Græcorum, pridiè nonas Octobris, ita de eo ſcriptum eſt: Natalis ſancti glorioſi Apoſtoli Thomæ. Hic cum Medis, Parthis, Perſis, & Indis Dei verbum prædicaſſet, in cuſtodiam inijcitur à Rege Smidæo, propterea quod eius opera crediderant, & baptizati fuerant Vazanes filius, & vxor, nominæ Tertia, & Migdonia, & Narce: qua propter quinque militibus traditur, qui ad montem quemdam ductum vulnerauerunt.

De eius corporis translatione, ita apud Romanum Martyrologium quinto nonas Iulij ſcriptum eſt: Edeſſæ in Meſopotamia, Translatio ſancti Thomæ Apoſtoli ex India: cuius Reliquiæ Orthonam poſtea translatæ ſunt.] Eiuſdem translationis, qua ſcilicet Beati Apoſtoli corpus Edeſſam exportatum fuit, Beda, & Vſuardus, & Ado in ſuis Martyrologijs eadem die meminerunt. De magnificentiſſimo Edeſſæ Templo in Meſopotamia, ſancti Thomæ Apoſtoli nomine ædificato, Rufinus, Socrates, Sozomenus Auctores ſunt. *Die 3. Iul.*

Qui apud Indos reperti ſunt Chriſtiani, in regione Narſingenſium, firma, certaq. traditione affirmant, Thomam Apoſtolum in illis Regionibus Euangelium prædicaſſe, Eccleſias erexiſſe, ac cetera, quæ ad Chriſtianorum inſtitutionem pertinent, conſummaſſe. Oroſius Silnenſis Epiſcopus, vir eruditiſſimus, multis, & quidem perquàm optimè probat, & oſtendit. De eadem Apoſtoli in India prædicatione ſcribunt Petrus Maffeus: Horatius Torſellinus, & Thomas Bozius, & Beatus ipſe Franciſcus Xauerius, qui apud Indos Euangelium prædicauit. De Chriſtianis Thomæis appellatis, qui in oppido, cui Chranganor nomen eſt, morantur, ſcribit idem B. Xauerius. De aduentu eiuſdem Apoſtoli in Sinas hæc, Epiſtola Societati Romam ex Amboino miſſa 6. Idus Maijas MDXCVI: Complures Mercatores è Malaca in Sinas commeant quotannis, horum multis ego mandaui, vt diligenter cognoſcant, qui tandem ſint illius gentis mores, qui ritus; quæ leges & inſtituta, vt his tandem veſtigijs eius conditionem inueſtigem, exploratumq. habeam, Iudæine ſint an Chriſtiani. Neque enim deſunt, qui ſanctum Thomam Apoſtolum in Sinas penetraſſe confirment: magnumq. eorum numerum ad Chriſti fidem adduxiſſe. ſubdit: *Oroſ. lib. 3. hiſt.* *B. Xauer. lib. 1. ep. 1. 13. 14. lib. 2. ep. 3.* *B. Xauer. l. 2. ep. 11.* *Xauer. epi. 3. lib. 2.*

Nam priuſquàm Indiam Luſitani in ſuam redegiſſent ditionem, Græca Eccleſia eò mittebat Epiſcopos; qui Chriſtianos S. Thomæ, eiuſq. diſcipulos propagatos tuerentur. Cum primum igitur Luſitani India potiri cęperunt, vnus ex Græcis Epiſcopis, quos dixi, affirmaſſe fertur, ſeſe cognouiſſe de alijs Epiſcopis, quos in India inuenerit, S. Thomam Sinarum fines ingreſſum, eorum oppida peragraſſe, Euangelioque diuulgato indigenas plurimos Chriſto peperiſſe. Cumq primum aliquid certi habuero, aut ab alijs compertum, aut mea opera exploratum, vos faciam certiores.] Hæc ille ex aliorum opinione, atque ſententia, quam neque amplectitur, neque refellit. Illud non me fugit, quod eius rei nullus ex antiquis ſcriptoribus meminit. De eadem re meminit Stapletonius de tribus Thomis in Apoſtolo.

De locis pluribus ſimul, in quibus B. Thomas Apoſtolus Sanctum Chriſti Euangelium diuulgauit hæc extant in libro de ſcriptoribus Eccleſiaſticis apud Sanctum Hieronymum: Thomas Apoſtolus, quemadmodum traditum eſt nobis, Parthis, & Medis, & Perſis, & Germanis, & Hircanis, & Bactris, & Magis prædicauit Euangelium Domini. Dormiuit in Ciuitate Calamina, quæ eſt Indiæ.

Hieron. de ſcrip. Eccl. in Tho.

Crucis à S. Thoma Apoſtolo ſculpta, grande prodigium.

Cap. 628.

Oroſ. Epiſ. Silu. hiſtor. lib. 3.

HOc autem, quod admirabile eſt, Oſorius Silueuſis Epiſcopus de S. Thoma ſinceriſſima fide obteſtatur res Indicas fideliſsime pertractans: In eadem, inquit, ciuitate, quam diximus appellari Malipurem, & nunc poſtquàm à Luſitanis frequentari cæpit, B. Thomæ Ciuitas appellatur, erat in colle ſacellum ædificatum, eò quod affirmarent incolæ in eo loco Thomam fuiſſe à religionis hoſtibus interfectum. Erat autem hoc ſolemniter inſtitutum, vt in eo Sacello, octo diebus ante diem natalem Chriſti, res diuina fieret, & omnes Chriſtiani eò conuenirent. Fuerat quoque ante quatuordecim annos in illo Colle inuẽta Crux, in lapide inciſa, in cuius faſtigio, columbæ imago inſidebat; baſis vero erat in ſpecie quadam baſis, & brachia in liliorum formam deſinebant. Arcus eam ex eodem lapide factus vndique muniebat. In arcu erant inciſæ litteræ, quas nemo legere poterat. Totum hoc opus integrum, quod erat ſatis magnum, fuit ſuper altare eiuſdem ſacelli multorum operis ſtatutum. In cruce eminebant notæ ſanguinis inſignes. Accidit autem die, quo Chriſtiani conueniebant, vt in eo fano ſalutationem ab Angelo factam ſanctiſſimæ Virgini, octo dies antequàm Chriſti natalis adueniret, celebrarent, cum Sacerdos, qui rem diuinam faciebat, Euangelium incoharet, vt Crux in nigrum colorem verteretur, & liquor ex illa incredibili copia dimanaret; deinde color cæruleus pro nigro ſubiret. In locis autem, vbi notæ ſanguinis extabant, roſei coloris ſplendor eluxit; ſequentibus deinde annis, eodem die, idem ſemper eueniebat. Nec enim alio die, quod magnam admirationem commouebat, id in illa cruce cernebatur. Fuit tamen aliquo tempore eius rei, quæ admirabilis omnibus videbatur, intermiſſio. Anno autem M. D. LXI. cum Chriſtiani in eundem locum cum eadem pompa, & celebritate conuenirent, eo die, quo Crux, dum ſacrificium fieret, ſtillare ſolebat, & Sacerdos Euangelium inchoaret, (idem etiam admirandum videbatur, quod nunquam prius, quàm Euangelium legi cœpiſſet, ea crucis mutatio fieret) crux repente nigris maculis, ſplendidis tamen, inficeretur, donec tandem alijs, atque alijs ſubeuntibus, tota nigreſceret: ita vero ſplendebat, atque ſi fuiſſet oleo delibuta. Dum inſtar roris guttæ fluere cæperunt, quæ paulatim grandiores effectæ totam crucem humore largiſſimo compleuerunt. Pergit Sacerdos cum multis lachrymis, & crebro ſingultu ſacrificium, deinde aſcendit in altare, & linteis, quibus in rebus ſacris de more procurandis vti ſolebat, crucem exterſit. Lintea maculis ſanguineis tincta reperta ſunt. Ciuitatis Præfectus, & reliqua multitudo, quæ conuenerat, manus in cælum tendere, Chriſti nomen implorare, flagitiorum veniam poſtulare, & ad ſtudium religionis ardeu-

ardentius excitari. Crux autem, poſtquam multo liquore fluxit, clarius ſplendere cœpit, & color ſanguineus euidentius eluxit. Hoc ſignum commouit & Præfectum Vrbis, & primarium ſacerdotem, vt diligenter inquirerent, & quis eſſet, qui litteras illas interpretari poſſet? Aiunt Incolæ Narſingæ Regno eſſe Barchmanam, inter omnes Brachmanas litteris, & eruditione præſtantem, qui varias linguas tenebat. Hominem continuò accerſunt, & interrogant, an illas litteras noſſet? Reſpondit, litteras eſſe priſcas, quibus antiqui ſapientes vtebantur; negligentia vero hominũ factum eſſe, vt earũ cognitio interiret: quin etiam linguam, qua erant deſcriptę, à paucus admodum teneri. Admonent illi Brachmanam, vt in altare aſcendat. Reſtitit ille, & nefarium facinus eſſe dixit, altare in quo res diuina fieret, humanis pedibus conculcari: inuitus tamen ſubijt, & litteras perlegit, quarum, & vim eam eſſe dixit, vt vna nota decem, & quindecim, & viginti litterarum officio fungeretur. Sententia vero litterarum in ſumma hæc erat: Thomam diuinum virum fuiſſe à Dei filio, cuius erat diſcipulus, in eas oras Segami Regis tempore miſſum, vt Dei ſummi notitia gentes illas erudiret. Ibiq. templum extruxiſſe, & res admirabiles effeciſſe; atq. tandem cum genibus flexis ad crucem illam affixus, orationem ad Deum funderet, à quodam Brachmano fuiſſe haſta transfixum: crucem vero eiuſdem viri ſanctiſsimi cruore tinctam, ad memoriam virtutis illius ſempiternam relictam fuiſſe. Hæc erat ſententia, quæ litteris continebatur. Fecit autem maiorem fidem alius eiuſdem ſectæ vir, aliunde accerſitus, grandis admodum natu, & ſapientiæ opinione præſtans, qui litteras in eandem ſententiam interpretatus eſt. Huius autem Crucis exemplum in eodem ligno, ex quo Templum ædificatum perhibent, inſculptum cum litteris publicis multorum virorum teſtimonio conſignatis, retineo: cuius fides tantis tunc argumentis explorata fuit, vt nemo poſſit de tàm claris, atq. teſtatis viri diuini monumentis ambigere. Hucuſq. Oſorius: quæ licet prolixiora, tamen haud incongrua videri poſſunt ad Apoſtolicas traditiones, tùm de Eccleſiarum erectione, tùm etiam de cruce in Eccleſia ſtatuenda tanti Apoſtoli exemplo demonſtrandas pariterq. firmandas. Perſeuerauit in Eccleſia idem priſtinus vſus, vt cum nouæ erigerentur Eccleſiæ, Cruces in titulum ponerentur, eædemq. & ſacris imaginibus ornarentur.

Ioannes Apoſtolus in Aſiam profectus, doctrina, & miraculis innumeras conuertit gentes; fundat Eccleſias, alijſq. Orientis regionibus Chriſtum annunciat: à Proconſule Aſiæ captus mittitur Romam; examinatur, mittitur in feruentis olei dolium, & exiens illæſus, in Inſulam relegatur. Cap. 629.

Hieron. de ſcript. Ecc. c.9.
Chryſo. ex varijs in Matth. locis in cõm. S. Pauli homil. 22. to. 2.
Hier. lib. 1. cont. Iouinianum.

IOannes Apoſtolus fuit is, quem Ieſus amauit plurimùm, filius Zebedæi, & frater Iacobi Apoſtoli, quem Herodes poſt paſſionem Domini decollauerat. Innocentia, vt auctor eſt S. Ioannes Chryſoſtomus, ſimplicior fuit ceteris Apoſtolis, virgoq. perpetuus: cui rei ſancti Patres teſtimonio ſunt, Hieronymus, Auguſtinus, Chryſoſtomus, Epiphanius, alijq. Referam verba Hieronymi: Ioannes vnus ex diſcipulis, qui minimus fuiſſe traditur

ditur inter Apoſtolos, & quem fides Chriſti Virginem repererat, virgo permanſit: & ideo plus amatur à Domino, & recumbit ſuper pectus Ieſu: & quod Petrus, qui vxorem habuerat, interrogare non audet, illum rogat, vt interroget; & poſt reſurrectionem, cum nunciaſſet Maria Magdalena, quod Dominus reſurrexiſſet, vterq. cucurrit ad ſepulchrum, ſed ille præuenit: cumq. eſſent in naui, & piſcarentur in Lacu Geneſareth, Ieſus ſtabat in littore, nec ſciebant Apoſtoli, quem viderent: ſolus Virgo virginem agnoſcit, & dixit Petro, Dominus eſt: & vt breui ſermone multa comprehendam, doceamq. cuius priuilegij ſit Ioanes, immo in Ioanne virginitas, à Domino Virgine, Mater Virgo, Virgini diſcipulo commendatur.

Is itaq. adoleſcens cum eſſet, in Apoſtolum electus eſt. Ait autem Beatus Hieronymus: Sed cur Ioannes virgo non eſt electus Eccleſiæ caput? Aetati delatum eſt, quia Petrus ſenior erat: ne adhuc adoleſcens, ac penè puer, progreſſæ ætatis hominibus præferretur &c. vt autem ſciamus Ioannem tunc fuiſſe puerum, manifeſtiſſimè docent Eccleſiæ tabulæ, quod ad Traiani vixerit imperium, ideſt, poſt paſſionem Domini ſexageſimo octauo anno dormierit. hæc ipſe.

Aug. tract. 124. in Io. Quæ non diſplicent Auguſtino, dum de eodem agens ſic ſcribit: Sunt qui ſenſerunt, & hi quidem non contemptibiles ſacri eloquij tractatores, à Chriſto Ioannem Apoſtolum propterea plus amatum, quod neque vxorem duxit, & ab ineunte ætate caſtiſſimus vixerit. Hoc quidem in ſcripturis Canonicis non euidenter apparet: verumtamen, id quoque adiuuat congruentiam huiuſce ſententiæ, quod illa vita per eum ſignificata eſt, vbi non erant nuptiæ.] hæc ipſe, qui alibi nullas eum expertum eſſe nuptias teſtatur ſatis aperte. *lib. de bono coniugal. c. 21.*

Matth. 4. Marc. 1. Luc 5. Ioannem communem cum Petro, & Andrea Bethſaidam patriam habuiſſe, & piſcatoriam cum patre, & fratre exercuiſſe, patet ex Matthæo, Marco, & Luca.

Ant. Gal. l. n. in ſuis m. ſ. de Sanct. Io. 1. p. 2. Multa, magnaq. feciſſe Ioannem nullus dubitat: horum autem pauca admodum ad noſtram notitiam venerunt.

Act. 4. & 5 Ergo is beatus Piſcator, cum vincula, carcerem, & virgas cum ceteris Apoſtolis Hieroſolymis paſſus eſſet, tandem in Aſiam Minorem, quæ prouincia, vt antiquiſſimi Patres tradunt, ei ad prædicandum Euangelium obtigerat, profectus, ſanctiſſima Dei Matre ſecum adducta, doctrina, & miraculis innumerabiles homines ad Chriſtum cōuertit, & Eccleſias fundauit:

Apoc. 1. de quibus Eccleſijs mentionem facit in ſua Apocalyſi illis verbis: Ioannes ſeptem Eccleſijs, quæ ſunt in Aſia. Quæ autem Eccleſiæ ſint, infra docet, Scribe, inquit, in libro: & mitte ſeptem Eccleſijs, quæ ſunt in Aſia, Epheſo, & Smyrnæ, & Pergamo, & Thiatyræ, & Sardis, & Philadelphiæ, & Laodicæ.

Chryſoſ. ho. 1. in Io. n. Quanto vero labore inſudauerit ſanctiſſimus Euangeliſta, vt gentem ſibi commiſſam ad Chriſti fidem traheret, indicat S. Ioannes Chryſoſtomus, dū ait: Corpore quidem Ioannes habitauit Aſiam, vbi antiquitus omnes Philoſophorum ſectæ philoſophatæ ſunt: idcirco is locus dæmonibus obnoxius eſt, & admodum formidabilis. In medio autem inimicorum claruit, illorumq. fugata caligine, arcem euertit quàm munitiſſimam.

Quod autem non ſemper in Aſia manſerit, ſed alias quoque Orientis Regiones

giones Chriſtum annunciando peragrauerit, doctiſſimi viri opinantur; ad Parthos enim veniſſe, titulus ſuæ ipſius primæ Epiſtolæ, quæ olim ad Parthos ſcripta legebatur, ſatis apertè indicat.

Quod Ioannes in Aſia Euangelium prædicauerit, tradunt Origenes, Euſebius, Gregorius Nazianzenus, Chryſoſtomus, Hieronymus, alijq.

Quod verò Ioannes ſanctiſſimam Virginem, ſecum in Aſiam duxerit, ex Concilij Epheſini teſtimonio, doctiſſimi item viri probant.

Illis igitur Regionibus docente Ioanne, optimæ fidei magna quotidie fiebat acceſſio, iamq. horrendæ caligines errorum, pulchritudini lucis locum dare incipiebant. Interim autem Dæmoni maligno non dabatur requies. Vidēs enim, & oculis certè inuidis intuitus pietatē adeò ſuccreſcere, cognita huius rei cauſa, omnem aduerſus Ioannem mouet lapidem. Quid ergo ſumit conſilij? Domitianum Veſpaſiani filium ingreſſus, qui poſt Titum obtinuit Imperium, per deteſtabiles miniſtros, cum illo aduerſus pietatem decernit, Ioannemq. qui robur vniuerſorum erat, tollere conatur: ſtatimq. ipſum ab Aſia in Europam ducit, & in exilium abducit.

Greg. lib. 3 in Gen. Euſeb. lib. 3. c. 1. Gregor. ad Arian. Chryſoſt. in 12. Apoſt. Hieron. de ſcrip. Eccl. Epheſin. 10. 2. c. 26.

Qui autem fuerint, quorum opera vſus Dæmon, Beatum Apoſtolum, tam acriter inſecutus ſit, ex antiquis non eſt qui indicet. Cæſar tamen Cardinalis Baronius de ea re hæc prodidit: Domitiano Auguſto decimum quintum, & Nerua Cocceio ſecundum Coſſ. Ioannes Euangeliſta, qui Aſianas Eccleſias curabat, atque Epheſi morabatur (ſiue inuidia Apollonij, quem ſuiſſe in Chriſtianos infenſiſſimum, omnes puto facilè intelligere: vt qui vbicunque eſſet locorum, neminem ſuis aduerſantem ſtudijs, magis quàm Chriſtianos haberet; ſiue fortaſſe Euphratis Philoſophi deſertoris, apud Domitianum agentis, his officijs aſſueti: aut opera Ebionis hæreſiarchæ eiuſdem Ioannis hoſtis acerbiſsimi, qui Romā venerat: vel aliter quoquomodo acciderit) ipſe inquam Ioannes ad Domitianum Imperatorem reus impietatis à Proconſule Aſiæ Romam vinctus mittitur.

Baron. Xſi anno 92.

Sed redeamus ad Metaphraſtem: ipſe itaq. his, quæ de Ioannis exilio dicere cœperat, hæc mox adiecit: Vbi enim in conſpectum Imperatoris (Ioannes) veniſſet, & quis, & vnde ortus eſſet, quamq. profiteretur Religionem, & quemnàm diceret eſſe venturum, interrogatus eſſet: Ioannem quidem, & vocatum eſſe; & à Iudæorum genere prodijſſe, ac ſodalitij Chriſtianorum eſſe reſpondet: ſe autem annuntiare hunc eſſe venturum, cuius thronus veluti luna præparatus, ac perfectus eſſet in ſeculum.

Vbi autem dixiſſet Imperator: Et quibus modis hæc confirmare poteris? Neque enim hæc ſufficientia ſunt ad faciendam fidem eorum, de quibus non eſt in promptu demonſtratio: Morbi protinus, reſpondit ille, in nomine eius, & Dæmonum legiones pelluntur: reuiuiſcunt eo iubente mortui, & iterum conuertantur inter viuentes.

Quibus, ò Rex (aiunt Ioannem dixiſſe) ne dubites, ab his, quæ apparent, coniecturam faciens eorum, quæ manifeſta non ſunt.

Porrò, quæ de Saturno, & Ioue, ceteriſq. Dijs veſtris feruntur, niſi ſufficientes eſſent, qui ante nos demonſtraſſent, vtiq. & ego facilè oſtenderem, nihil eſſe in illis diuini, ſed digna potius ingenti vituperio, riſuq. ac dementia. Verùm enimuero deceptionis ſalſugine abiecta, ſatiare potius fonte potabili, ac dulciſſimo. Hunc ſtupore ſimul, & ira correptum aiunt,

hinc quidem ob portenta ab ipſo perачta: illinc verò ob id,quod Deos ſuos calumniaretur. Itaq. ad ſermonis ſplendorem non acceſsit,ob tenebrarum, quæ in eius corde erant, craſsitiem. Quod autem hunc non occiderit, dictus ad Petrum ſermo prohibuit,puta: Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? ſed perpetuo exilio condemnauit in vnam Sporadum Inſularum relegans (Pathmos huic nomen erat.) Hæc ipſe.

Ioan.21.

In PſeudoProcori libro (ſi apochryphis vti placet) legimus ſanctum Euangeliſtam ludibrij cauſa detonſum eſſe:cui quidem rei ſuffragari videntur tabulæ reliquiarum Lateranenſis Baſilicæ, in quibus ita ſcriptum eſt: Forfices, quibus Beatus Ioannes Euangeliſta attonſus fuit.

PſeudoProcor. lib. c. 10.

De poculo verò, in quó venenum ei, vt dicunt, per impios datum fuit, ita: Vas, quo idem Sanctus venenum bibit,& illi nihil nocuit: ſed & catena, qua vinctus de Vrbe Epheſo Romam adductus eſt, ibidem legitur.

Tabul Lateran.

Quod de veneno ſcriptum eſt,Auguſtini teſtimonio quidam confirmare nituntur, quippe qui cum Domino loquens: Pro tua, inquit, dulcedine guſtanda, veneni poculum intrepidus Ioannes potauit.

Ea certè verba clara ſunt; ſed in Soliloquijs Auguſtini duobus libris diſtinctis non leguntur, niſi velimus librum Soliloquiorum animæ ad Deum, qui tomo nono operum eiuſdem continetur, ab ipſo Auguſtino editum eſſe, quod Louanienſis cenſura non admittit.

Ergo veniamus ad ea, quæ certa ſunt, de quibus ita Hieronymus ex Tertulliani libro de præſcriptionibus aduerſus hæreticos: Refert autem *Tertullianus*, quod Romæ (ſcilicet, ante portam Latinam) miſſus in feruentis olei dolium, purior & vegetior exiuerit, quàm intrauerit.

Hieron.ad uerſus Iouinianum, lib.1.

Et alibi: Si legamus, inquit, Eccleſiaſticas hiſtorias, in quibus fertur, quod & ipſe propter martyrium ſit miſſus in feruentis olei dolium, & inde ad ſuſcipiendam coronam, Chriſti Athleta proceſſerit; ſtatimq. relegatus in Pathmos Inſulam ſit: videbimus martyrio animum non defuiſſe,& bibiſſe Ioannem calicem paſsionis, quem & tres pueri in camino ignis biberunt; licet perſecutor non ſuderit ſanguinem.

Hier. in c. 20. Matth.

Ceterùm de exilio ſuo Ioannes, hæc habet in Apocalypſi. *Ego Ioannes* frater veſter, & particeps in tribulatione, & regno & patientia in Chriſto Ieſu, fui in Inſula, quæ appellatur Pathmos, propter verbum Dei, & teſtimonium Ieſu. Fuiſſe autem eò relegatum ad effodienda metalla, ſunt qui ſcribant.

Apoc. 1.

Primaſius, & Victorinus Pictauien. in cōment. ſuper Apocalypſi

De tempore quo hæc paſſus eſt, ita ſcribit S. Hieronymus, quem ceteri ſequuntur: Quartodecimo igitur anno,ſecundam poſt Neronem perſecutionem mouente Domitiano, in Pathmon Inſulam relegatus.

De ſcript. Eccl.in Ioanne.

Demum in Eccleſia ſancta, annua ſolemnitate recolitur is dies,quo Beatus Ioannes feruentis olei ſupplicium ſuſtinuit. Hinc in Romano Martyrologio pridie nonas Maij, ſic legimus: Romæ ſancti Ioannis ante Portam Latinam, qui ab Epheſo iuſſu Domitiani vinctus Romam perductus, & iudicante Senatu, ante eandem Portam in olei feruentis dolium miſſus, purior & vegetior inde exijt, quàm intrauit.

Mar. Rom. 6.Maij.

Beda eandem hiſtoriam pluribus deſcribit, additq. in fine: Ad commendandam ergo ipſius memoriam dignam, & pro fide Apoſtolica conſtantiam, Chriſtiani Eccleſiam, venerationem eius geſtantem,in ſupradicto loco ante Portam

Beda in Martyrol.

Portam Latinam, præclaro, & miro opere, conſtruxerunt, vbi feſtiuum concurſum pridie nonas Maij, vſque hodie faciunt. Eadem legere eſt apud Vſuardum, & Adonem. Extat hodie memorata Eccleſia ad Portam Latinam, quam magna fidelium multitudo Religionis cauſa, die, quam ante diximus, viſitare ſolet:

Ibidemq. inſtar glorioſi Trophæi, adhuc perſtant hæc carmina in ſilice ſculpta:

Martyrij palmam tulit hic athleta IOANNES,
Principij Verbum cernere qui meruit.
Verberat hic fuſte Proconſul, forcipe tondet,
Quem feruens oleum lædere non valuit.
Conditur hic oleum, dolium, cruor, atque capilli:
Quæ conſecrantur inclita ROMA tibi.

Decebat equidem, vt is locus, in quo tantus Apoſtolus, tàm immane ſupplicium pro Chriſto ſuſtinuerat, ſacro aliquo ædificio, in eius rei memoriam ſempiternam exornaretur.

Ioannes pulchrum, & robuſtum adoleſcentem conuertit, & relicto eo ſub cura Epiſcopi, fit latro, & homines iugulat: Ioannes quærens eum per ſyluas, ac inueniens, errantem ouem reducit. Cap. 630.

MOrtuo Domitiano, ſucceſsit Nerua Cocceius, cuius edicto de reſti- *Dio in Nerua.*
tuendis exulibus, de quo meminit Dio, Ioannes Epheſum liber reuertitur, vbi inter alia, ab eo geſta, hoc narrat Euſebius.

Sumamus igitur in manus hiſtoriam, & legamus, quæ ita ſe habet: Au- *Euſeb. hiſt.*
dite fabulam: quid dixi fabulam? imò veram & certam hiſtoriam, de Ioan- *lib. 3. c. 17*
ne Apoſtolo memoratam, quæ & nobis conſtanter tradita eſt, & memoria
firmè cuſtodita. (Hanc verò, quam mox ſubijciam hiſtoriam, ne de ea dubi- *Ant. Galo.*
tes, non Euſebius modo, ſed magnus Ioannes Chryſoſtomus amplectitur: *in ſuis m.ſ.*
Metaphraſtus eandem deſcribit in encomio ſancti Ioannis Euangeliſtæ. *de S. Ioan.*
Eandem alij quoque Auctores, & quidem graues, in ſuos libros retulerunt) *Chryſoſ. ad*
hiſtoria autem eiuſmodi eſt, quam habet Euſebius loco citato: Vbi verò *Theod. La-*
Tyranno mortuo, nempe Domitiano, ex Inſula Pathmo erat Epheſum re- *pſum.*
uerſus, quorundam rogatu ad finitimas gentes proficiſcitur, hic Epiſcopos *Caſſia. Col.*
conſtituturus; illic integras Eccleſias ritè diſpenſaturus: alibi certos homi- *24. c. 21.*
nes ſibi Spiritus ſancti inſtinctu demonſtratos, in clerum delecturus. At cum *Antioch.*
ad Vrbem quamdam non longe inde diſtantem, cuius etiam nomen nonnul- *Monach.*
li memorant, ſe contuliſſet; & alia quoque officia, quæ ad animos fratrum *ſerm. 122.*
inter ſe diſsidentium conciliandos pertinebant, obijſſet: ad extremum adoleſcentulum corporis viribus valentem, vultu, & oris conformatione venuſtum, animi impetu flagrantem, fortè conſpicatus, ſtatim in eum, qui ibi Epiſcopus erat conſtitutus, oculos conuertit, eumq. ſic affatus eſt: Hunc adoleſcentulum omni ſtudio, cura, & cogitatione coram Eccleſia, & Chriſto teſte, tibi tuæq. fidei commendo. Quem cum Epiſcopus in ſuam tutelam accepiſſet, & omnia ſe facturum fuiſſet pollicitus, Ioannes eadem ite-

rum, atque iterum illi ediſſerit, eiuſq. fidem conteſtatur. Epheſum deinde redit.

Epiſcopus ille adoleſcentulum ſibi concreditum in domum ſuam recipiens, educauit pro ſuo, in officio continuit, fouitq. humaniter; ad extremum baptiſmi Sacramento illuminauit. Poſtea verò, vbi *ſigillo* Domini (ideſt Sacramento Confirmationis) tanquàm perfecta tutaq. eius *animæ* cuſtodia obſignaſſet, non nihil de cura, & obſeruatione in eo inſtituendo ſuſcepta remiſit.

Quem quidem non ſolum liberior viuendi poteſtas, quam fuerat paulò ante tempus adeptus, verùm etiam quidam adoleſcentes, eius æquales, otio languidi, inertia diſſoluti, & omni malorum genere aſſuefacti corruperunt: Et primum exquiſitis conuiuiorum opiparorum delicijs illum alliciunt, inuitumq. noctu deinde educentes, ad furti ſocietatem coeundam attrahunt: tùm maiora moliri flagitia hortantur. Iſte pedetentim aſſueſcit; & propter generoſam animi magnitudinem, tanquàm equus effrænatus, & nimium ſibi, ſuiſq. viribus præfidens, extra rectam viam impetu fertur; frenumq. acriter præmordens, procliuius in profundum vitiorum gurgitem ſe præcipitat.

Atque, cum omnino iam in deſperationem ſalutis in Deo ſitæ veniret, deinde non de exiguis noxis cogitauit, ſed magnis quibuſdam ac nefarijs facinoribus admiſsis, vbi ſemel omni improbitate, & nequitia perditus euaſerat, nullam non ſceleris labem, ex æquo cum alijs contrahere ſecum ſtatuit. Illis igitur in familiaritatem adſcitis, & magna latronum turba collecta, animo prompto, paratoq. ſe ducem manu violentiſsimum, ſanguinis effuſione crudeliſsimum, ſeueritate denique acerbiſsimum præbuit.

Interea temporis, vbi neceſſaria ad eam rem incidebat occaſio, Ioannes accerſitur. Ille vbi alias res, quarum gratia venerat, recta ratione diſpoſuiſſet: Age, inquit, Epiſcope, depoſitum nobis redde, quod ego, & Chriſtus, Eccleſia teſte, quam gubernas, tibi commiſsimus. Hic primo attonitus obſtupuit, arbitratus pecuniam, quam nunquàm acceperat, à ſe per fraudem, & dolum malum repeti: & tamen, neque facilè credere poterat ea ab ſe repoſci per calumniam, quæ neutiquam habuiſſet; neque Ioanni depoſitum repetenti omninò diffidere. Verùm ſimulatq. Ioannes dixerat: Adoleſcentulum repeto, & animam fratris: Senex demiſſo vultu ingemiſcens, & item lachrymans: Ille, inquit, mortuus eſt. Quomodo, & quo genere mortis? Deo, inquit, mortuus eſt: nam nequam, & perditus, & vno verbo, latro euaſit; & iam pro Eccleſia, in qua verſabatur, montem cum nefaria hominum ſui ſimilium turba occupat. Apoſtolus ergo veſte dilacerata, ingenti cum gemitu caput feriens: Bonum, inquit, cuſtodem animæ fratris tui te reliqui. Equus iam iam mihi adſit, & dux aliquis itineris. Inde ab Eccleſia, ita vt erat, feſtinatione ſe proripuit. Profectus autem ad locum; à primis latronum excubitoribus præhenditur: qui neque fugam parans, neque euitare ſtudens, ſed vociferans admodum dixit: Huc huius rei cauſa acceſſi; me ad Principem veſtrum deducite: qui quidem ad tempus, vt erat armatus, expectabat.

Verùm vt Ioannem aduentantem agnouerat, præ pudore fugam capeſſit. Hic verò ætatis ſuæ oblitus, illum pro viribus propere inſequitur; atque clamans:

clamans: Quid,inquit, fili, me tuum ipſius patrem inermem, & ætate confectum fugis? Miſerere laboris mei,fili,ne formides: adhuc tibi ſalutis ſpes reliqua eſt: Ego Chriſto pro te reddam rationem; & ſi ſit opus,pro te libens mortem oppetam, ſicut Dominus pro omnibus nobis: pro tua anima meam dabo: Conſiſte, crede; Chriſtus me miſit ad te. Ille vbi hæc audierat: primum oculis humi defixis, conſtitit; deinde arma abiecit: tùm horrore perfuſus, grauiter, & acerbè lamentatus eſt: Senem ad ſe aduentantem complectitur, fletu & mærore, quoad poterat,pro culpa ſatisfacit: & dextera ſola oſculata, lachrymarum vnda ſecundo baptizatur. Apoſtolus rata, & conſtanti affeueratione, ei ſe à Saluatore veniam,& remiſſionē peccatorum precibus ſuis impetraturum pollicetur: atque ad genua accidens, ipſam manum dexteram, tanquàm aqua pœnitentiæ ablutam, purgatamq. oſculatus, illum ad Eccleſiam reducit. Crebris item precibus Deum pro illo inuocat, continuis ieiunijs vnà cum eo ſe macerat, varijs diuinæ ſapientiæ ſententijs eius animum, quaſi quibuſdam blanditijs mitigat, tranquillatq. neque prius, vt fertur, inde diſceſſit, quàm illum Eccleſiæ miniſterio præfeciſſet. Cuius conuerſione magnum veræ pœnitentiæ exemplum, præclarum ſecundæ regenerationis ſpecimen, illuſtre denique trophæum à peccatis reſurrectionis, per exteriora pœnitentiæ ſigna, hominibus propoſuit ad imitandum. Iſta à Clemente hoc modo præſcripta,tùm ad rei geſtæ cognitionem, tùm ad vtilitatem legentium accomodata, iſtum locum obtineant. Hæc Euſebius.

Ioannes Apoſtolus videt in Aſia Dionyſium Areopagitam. Nerua Imperante redijt Epheſum, vbi Euangelium promulgat: Eo ſcribente, fiunt tonitrua, & terrores complures, ſicut cum accepit Moyſes legem. Cap. 631.

VEniſſe autem ad Ioannem, Dionyſium,qui eo tempore in Oriente agebat, vbi ſcilicet accepit ipſum in Aſiam redijſſe, conijcitur ex ipſius Dionyſij ad Ioannem epiſtola 10. Sed & de cauſa, qua motus Ioannes in Aſiam reuerſus fuerit, hæc ſcribit Baronius: Oportuit igitur, vt olim Petrum aduerſus Simonem Magum, ſic Ioannem magna virtute in Magum obniti, ne qui credidiſſent, eius malis artibus in præceps adducerentur; & eo magis, cum præſertim recens eſſet exemplum, quo Apollonius magnam de ſe apud Epheſios exiſtimationem cõcitauerat.

Beatus Ioannes,nouiſſimus omnium(vt ſcribit ſanctus Hieronymus) ſcripſit Euangelium, rogatus ab Aſiæ Epiſcopis aduerſus Cherinthum, aliosq. Hæreticos, & maximè tunc Ebionitarum dogma conſurgens, qui aſſerunt Chriſtum ante Mariam non fuiſſe: vnde & compulſus eſt diuinam eius natiuitatem edicere. Sed & aliam quoque cauſam huius Scripturæ ferunt: quod cum legiſſet Matthæi, Marci, & Lucæ volumina, probauerit quidem textum hiſtoriæ, & vera eos dixiſſe firmauerit, ſed vnius tantum anni, in quo & paſſus eſt, poſt carcerem Ioannis, hiſtoriam texuiſſe. Prætermiſſo itaq. anno, cuius acta à tribus expoſita fuerant, ſuperioris temporis,antequàm Ioannes clauderetur in carcerem, geſta narrauit, ſicut manifeſtum

Hieron. de ſcrip. Eccl. c.9.

eſſe poterit his, qui diligenter quatuor Euangeliorum volumina legerint.

Hier. praef. in Matt. Et alibi: Vltimus (ex his ſcilicet, qui Euangelium ediderunt) fuit Ioannes Apoſtolus, & Euangeliſta, quem Ieſus amauit plurimum: qui ſupra pectus Domini recumbens, puriſſima doctrinarum fluenta potauit, & qui ſolus de Cruce meruit audire: Ecce mater tua. Is cum eſſet in Aſia,& iam tunc Hæreticorum ſemina pullularent,Cherinthi,Ebionis & ceterorum,qui negabant Chriſtum in carne veniſſe, quos & ipſe in Epiſtola ſua Antichriſtos vocat, & Apoſtolus Paulus frequenter percutit, coactus eſt ab omnibus penè tunc Aſiæ Epiſcopis, & multarum Eccleſiarum legationibus,de diuinitate Saluatoris altius ſcribere, & ad ipſum, vt ita dicam, Dei verbum,non tàm audaci, quàm felici temeritate prorumpere. Vnde & Eccleſiaſtica narrat hiſtoria, cum à fratribus cogeretur, vt ſcriberet: ita facturum ſe reſpondiſſe, ſi indicto ieiunio, in commune omnes Deum deprecarentur: quo expleto, reuelatione ſaturatus, illud proœmium è Cælo veniens eructauit: In principio erat Verbum: & Verbum erat apud Deum: & Deus erat Verbum.

Euſeb. hiſt. lib. 3. c. 18. Euſebius, Hieronymo prior: Iam verò, inquit, vbi Marcus,& Lucas ſua Euangelia in publicum protuliſſent, Ioannem, cui ſemper in more poſitum erat, prædicatione verbi, abſque ſcriptis vti, tandem cauſa eiuſmodi ſe ad ſcribendum applicuiſſe ferunt. Cum tria Euangelia iam dudum per ſcripta, cùm in aliorum iam omnium, tùm in ipſius etiam manus perueniſſent, fama eſt eum ea magnopere approbauiſſe, & conſtanti, ratoq. teſtimonio omnia in illis verè fuiſſe ſcripta confirmaſſe: & ſolam illam explicationem nunc litteris mandandam reſtare cenſuiſſe, quæ res primo tempore à Chriſto in ipſo ſuæ prædicationis principio geſtas complecteretur. Et paucis interpoſitis: His igitur de cauſis, Ioannem tradunt, quorumdam amicorum rogatu, tùm ipſum tempus à ſuperioribus Euangeliſtis ſilentio præteritum, tùm res in eodem à Seruatore geſtas (illæ quidem erant, quæ fuiſſent ante Ioannem Baptiſtam in vincula coniectum factitatæ) in Euangelio ſuo poſteritati tradidiſſe.

Reliqui tres Euangeliſtæ ea commemorant, quæ poſt Ioannem Baptiſtam in ergaſtulum contruſum, à Seruatore edita dicuntur.

Euſeb. li. 6. c. 11. Et alibi ex Clemente; Ioannem, inquit, vtpotè Sacroſancti ſpiritus impulſu commotum, poſtquam intellexit ea, quæ ad corpus, & humanitatem Chriſti ſpectabant in illis Euangelijs explicata, quorumdam familiarium, ac neceſſariorum rogatu, Euangelium ſpirituale poſt reliquos Euangeliſtas conſcripſiſſe.

Euſeb. l. 5. cap. 8. Et ex Irenæo, lib. 3. Ioannes Diſcipulus Domini, qui ſupra pectus eius recubuerat, dum Epheſi in Aſia verſabatur,Euangelium in lucem extulit. Editum autem eſſe ſanctum Ioannis Euangelium per beatum Caium (eum dico, cuius meminit Paulus ad Romanos ſcribens.)

Rom. 16. Athan. in Synop. Epheſi, vbi Beatus Euangeliſta eam in Vrbem Nerua imperante redijt poſt exilium, teſtatur præter ceteros S. Athanaſius,loco citato: Epiphanius, alijq. Verba Epiphanij, hæc ſunt: Cogit Spiritus ſanctus Ioannem recuſantem Euangelium annuntiare, ob metum, & humilitatem, in ſenecta ipſius, poſt nonaginta annos vitæ eius,poſt reuerſionem ipſius à Pathmo.

Epiph. hæreſ. 51. Bar. an. 99 Hipp. apud Cedrenū in Nerua. Refert ad hos Cæſar Cardinalis, Hippolitum Epiſcopum Portuenſem,& Martyrem, idipſum ſentientem.

Huc

Huc demum ſpectare videntur, quæ tradit Dionyſius in Epiſtola, quam ad ipſum Ioannem ſcripſit, quippè ait: Ex Pathmi cuſtodia dimittendus es liber, & in Aſiaticam terram reuerſurus, illicq. perages boni Dei imitationes, easq. poſteris trades.] Quibus poſtremis verbis, eius Euangelium indicaſſe videtur, quod Ioannes poſteris tradidit. *Dionyſ. ep. 10.*

Narrat Metaph. mirum quid contigiſſe, cum Ioannes primum ad Euangelium ſcribendum acceſſit, illudq. (cum doctiſſimo Baronio probetur, qui & coniecturas addit) in hunc locum referetur à nobis: Cum ſolutus Ioannes lege exilij Epheſum eſſet reuerſurus; Inſulani precibus agunt ne recedat: quod cum perſuadere non poſſent, ſecundæ faciunt petitionis initium; ne ſcilicet totum ſeipſum auferret, ſed ſeipſum loquentem aſſiduo ſuis ſcriptis relinqueret; vt Chriſti Euangelium, & ea, quæ ipſe viderat de Chriſto, ſcriberet. Annuit ille; & antequam opus aggrederetur, tùm ſibi, tùm alijs indixit ieiunium: & Prochorum ſe ſequi iubet, ac cum eo montis aſcendit verticem, & more Samuelis rectus erigitur; ſicut Moyſes manibus eleuatis, effiguratur, & mentem à ſenſibus abſtrahit: tuncq. horrenda tonitrua, terrores, & fulgura his ſimilia, quæ antea Moyſi legem recipienti contigerant, facta ſunt. Ad extremum tonitrua in vocem exprimuntur, atque reſonat: In Principio erat Verbum. Scripſit autem Ioannes & tres Epiſtolas, quæ inter Canonicas recenſentur. *Metaph. apud Lipo. tom. 1. Doroth. in Synopſ. Bar. an. 99*

Ioannes ductus ſpiritu in balneum, Ebionis ibi commorantis impietatem deteſtatur. Cap. 632.

Sanctus Ioannes prædicans in Aſia, mirabile opus feciſſe narratur ad veritatis delineationem. Cum enim vitam degeret admirandam, & dignitatem veritatis ipſius decentem, & penitùs non lauaretur, coactus eſt à Spiritu ſancto progedi, vſque ad balneum, dixitq. Accipite mihi, quæ pertinent ad balneum, & cum comites ipſum ſequentes mirarentur, venit ad ipſum balneum, & vbi perueniſſet ad eum, qui lauantium veſtes ſuſcipere ſolet, interrogauit: Quis eſt intus in balneo? At olearius ſeruandis veſtibus inſeruiens (in Gymnaſijs enim hoc officium eſt aliquorum, quotidiani alimenti acquirendi gratia) ad Ioannem dixit: Ebion intus eſt. Ioannes verò ſtatim intelligens Spiritus ſancti ductum, ob quam cauſam impuliſſet ipſum, vſque ad balneum venire (velut dixi) memoriæ videlicet gratia, vt relinqueret nobis veritatis argumentum, qui ſint ſerui Chriſti, & Apoſtoli, ac filij eiuſdem veritatis, qui verò vaſa Diaboli, & portæ inferi non valentes contra Petram, & ædificatam ſuper ipſam, ſanctam Dei Eccleſiam ſtatim, vbi ſe turbaſſet, & leuiter fleuiſſet, vt omnes audirent in teſtimonium, ac declarationem impollutæ veritatis doctrinæ: Feſtinate, inquit, fratres, egrediamur hinc, ne cadat balneum, & pereamus cum Ebione, qui intus eſt in balneo propter ipſius impietatem. Et nemo miretur de eo, quod audijt Ioannem cum Ebione congreſſum eſſe: multo enim tempore beatus Ioannes in vita permanſit, & vſque ad Traiani Regnum durauit. *Epiph. hæreſ. 30.*

Ioannes manibus perdicem demulcens, cuidam venatori, de hoc ſcandalum ſumenti, eius rei reddit rationem. Cap. 633.

Caſſia.coll. 24.c.21.

FErtur Beatiſſimus Euangeliſta Ioannes, cum perdicem manibus molliter demulceret, quendam ad ſe habitu venatorio venientem ſubito conſpexiſſe. Qui miratus, quod vir tantæ opinionis, ac famæ ad tàm parua, & humilia ſe oblectamenta ſubmitteret: Tunè es, inquit, ille Ioannes, cuius fama inſignis, ac celeberrima me quoque ſummo deſiderio tuæ agnitionis illexit? Cur ergo oblectamentis tàm vilibus occuparis? Cui Beatus Ioannes: Quid eſt, inquit, quod manu tua geſtas? At ille: Arcus: & cur ait, non eum tenſum ſemper vtique circumfers? cui ille reſpondit: Non oportet, ne iugi curuamine rigoris fortitudo laxata molleſcat, atque depereat, & cum oportuerit, vt fortiora in aliquam feram ſpicula dirigantur, rigore iam per nimietatem continuæ tenſionis amiſſo, violentior ictus non poſsit emitti. Nec noſtri, inquit, Beatus Ioannes animi te offendat, ò Iuuenis, tàm parua hæc, breuiſq. laxatio, quæ niſi remiſſione quadam rigorem intentionis ſuæ interdum releuet, ac relaxet, irremiſſo vigore lenteſcens, virtuti ſpiritus, cum neceſsitas poſcet, obſecundare non poterit.

Ioannes in fine vitæ, vltimum relinquit diſcipulis ſuis documentum, vt ſe mutuo amore diligant. Cap. 634.

S.Hier. cōmēt. in ep. ad Galat. lib.3.c.6. Aug.tract. 124.in Io. tom.9.

BEatus Ioannes Euangeliſta, cum Epheſi moraretur, vſque ad vltimam ſenectutem, & vix inter diſcipulorum manus ad Eccleſiam deferretur; nec poſſet in plura vocem verba contexere, nihil aliud per ſingulas ſolebat proferre collectas, niſi hoc: Filioli, diligite alterutrum. Tandem Diſcipuli, & fratres tædio affecti, quod eadem ſemper audirent, dixerunt: Magiſter, quare ſemper hoc loqueris? qui reſpondit dignam Ioanne ſententiam: Quia præceptum Domini eſt, & ſi ſolum fiat, ſufficit.

Hieron. de ſcrip. Eccl. c.9.

Ergo Beatus Ioannes, vt ſcribit S. Hieronymus, confectus ſenio, ſexageſimo octauo poſt paſsionem Domini anno mortuus (hoc eſt, Chriſti anno centeſimo primo, Traiani ſecundo, Clementis Papæ anno nono) iuxta eandem Vrbem ſepultus eſt. Et infra ex Polycrate Epheſiorum Epiſcopo, qui Seueri Principis temporibus floruit: Sed & Ioannes, inquit, qui ſuper pectus Domini recubuit, & Pontifex fuit, auream laminam in fronte portans, martyr, & doctor in Epheſo dormiuit.] Eadem ex eodem Polycrate legere eſt apud Euſebium varijs in locis.

Hier. eod. lib. c.45.

Euſ. lib.3. hiſt. c.25. lib.5.c.23.

De ætatis anno, quo Ioannes obierit, variè ſentiunt Scriptores: Baronius eam quæſtionem diligentiſſime examinans, aliorum ſententijs reiectis, ipſum ætatis anno tertio, & nonageſimo obijſſe tradit, cui quidem ſuffragari videtur Beatus Epiphanius, dum ait, Ioannem Euangelium edidiſſe poſt annum vitæ nonageſimum, vbi Epheſum reuertit: quod triennio ante obitum contigit: quieuit enim Ioannes anno Imperij Traiani ſecundo: de qua re videndi ſunt S. Hieronymus loco citato, & in c.9. Danielis: & Euſebius in Cronicho, itemq. Epiphanius hæreſi ſexageſima ſexta.

Epiph.hær. 51.

Quod ſcribit B. Auguſtinus iuſiſſiſſe ſanctum Euangeliſtam ſibi fieri ſepulchrum : Metaphraſtes , Petrus Damiani , & Nicephorus, idem narrant : Ioannes Euiratus , grauiſſimus auctor , in Prato ſpirituali , de quibuſdam Monachis ſcribit , qui incolumes iuſſerunt ſibi fieri ſepulchrum, eoq. effoſſo,in illud ingreſſi , confeſtim dormierunt . Et de morte duorum Anachoretarum ſcribens. hæc prodidit :

Metaph. in Ioan. Petrus Damiani ſer. 2. de S. Io. Niceph.lib. 2. cap. 42.

Duo Anachoretæ effodiunt ſibi ſepulchrum , altero defuncto , alter ſepulturam ingreſſus,collocans ſe ſupra defunctum continuò reddidit ſpiritum . 635.

DVo Anachoretæ erant ſupra Roſum in monte , qui dicitur Phterigius propè Piapen fluuium, & iuxta Monaſterium Abbatis Theodoſij in Scopulo . Erat autem ex his alter ſenex, alter Iunior, ſeniſq. diſcipulus . Cum vero defunctus eſſet ſenex,facta oratione diſcipulus ſepeliuit eum in monte. Poſt dies vero paucos deſcendens de monte Anachoretæ diſcipulus , venit iuxta loca habitabilia , inuenitq. hominem quendam exercentem terram , & ait illi : Fac charitatem frater ,accipe foſſorium , & ſarculum , & veni mecum.Ruſticus vero continuo ſecutus eſt eum. Cumq. veniſſet in montem oſtendit Anachoreta ſeculari ſepulchrum Senis ſui,& dixit: Fode hic:cũ autem effodiſſet ſepulchrum, Anachoreta ſtetit ad orationem : finita vero oratione oſculatus eſt ſęcularem dicens : Ora pro me frater. Deſcendens collocauit ſemetipſum ſupra ſenem ſuum , & continuò reddidit ſpiritum . Secularis vero,rurſus operto ſepulchro,Deo gratias egit.] Hæc autem idcircò hoc in loco commemorata ſunt , vt oſtendatur , quæ de Ioanne Apoſtolo narrantur, inueriſimilia non eſſe.

In Prato Spiritual.c. 90 de mor. duor.Anachoret.ac c. 93.

Apud ſepulchrum eius miracula plurima fiunt , & puluis ipſe medelam confert infirmis. Cap. 636.

FIeri autem ad locum,vbi ſepultus quieſcit,miracula, multi ſunt, qui affirmant: Ioannes Chryſoſtomus idipſum indicat dicens : Ioannes diuina tractans myſteria,etiam poſt mortem,tanquam viuus Epheſum curat.] Mira alij narrant de puluere ſepulchri eiuſdem beatiſſimi Euangeliſtæ : in ijſq. Metaph. qui hæc prodidit.

Chryſoſ.hom. in 11. Apoſtol.

In hoc ſacro loco minutus quidam puluis manat , ac exoritur, cuius accedenti medelam ab omni morbo ſuppeditans . Cum igitur in nocturnis laudibus feſti ipſius,ab his , qui in eo miniſtrant , tradatur cœtibus ad hoc congregatis, non facile exhauritur . Sed quo amplius hauriunt , tanto magis manat , velut perpetuus quidam theſaurus , qui ſimul , & participantes reddit ditiores , ac ſe ipſo abundantior ſemper efficitur . Sed de puluere ſepulchri eius audiamus Auguſtinum , qui dum eorum opinionem refellit , qui Beatum Euangeliſtam intra ſepulchrum viuere adhuc dicebant, ita ſcribit .

Sed cui placet , adhuc reſiſtat , & dicat , & aſſerat, Apoſtolum Ioannem viuere ; atq. in illo ſepulchro eius , quod eſt apud Epheſum , dormire eum potius , quàm mortuum iacere contendat . Aſſumat in argumentum , quod

Aug.tract. 124. in Io.

illic

illic terra ſenſim ſcatere, & quaſi ebullire perhibetur: atque hoc eius anhelitu fieri, ſiue conſtanter, ſiue pertinaciter aſſeueret. Et infra: Sepultum fuiſſe (Ioannem) dormientem, & donec Chriſtus veniat ſic manere, ſuamq. vitam ſcaturigine pulueris indicare: qui puluis creditur, vt ab imo ad ſuperficiem tumuli aſcendat, flatu queſcentis impelli: Huic opinioni ſuperuacaneum exiſtimo reluctari. Viderint enim, qui hunc locum ſciunt, vtrùm hoc ibi faciat, vel patiatur terra, quod dicitur: quia & re vera non à leuibus hominibus id audiuimus.] ac demum: Si autem (quod magis creditur) ideò S. Ioannes ait: non dixiſſe Dominum, non moritur, ne illis verbis, quæ dixit, hoc voluiſſe intelligi putaretur; corpuſq. eius in ſepulchro eius exanime ſicut aliorum mortuorum iacet: reſtat, vt, ſi verè ibi ſit, quod ſparſit fama de terra, quæ ſubindè ablata ſuccreſcit; aut ideò fiat, vt eo modo commendetur pretioſa eius mors, quoniam non eam commendat martyrium (non enim eum pro fide Chriſti perſecutor occidit) aut propter aliquod aliud, quod nos latet.] Hæc de his Sanctus Doctor.

Philippus Apoſtolus penè totam Scithiam ad Chriſti fidem prædicando perduxit, deinde pro eadem fide glorioſè moritur. Cap. 637.

De rebus à Philippo Apoſtolo geſtis nihil eſt quod ſcribendum ſit, niſi quis in Apochripha incidere velit. In Breuiario Romano hæc habentur de eo.

Ex Breuia. Rom. in eo feſto 1. die Maij. Philippus, Bethſaidæ natus, vnus ex duodecim Apoſtolis, qui primùm à Chriſto Domino vocati ſunt: a quo cum accepiſſet Nathanael, veniſſe Meſſiam in lege promiſſum, ad Dominum deductus eſt. Quàm vero Chriſtus eum familiariter adhiberet, illud facile declarat, quod Gentiles Saluatorem videre cupientes, ad Philippum acceſſerunt: & Dominus cum in ſolitudine hominum multitudinem paſcere vellet, ſic Philippum affatus eſt: Vnde ememus panes, vt manducent hi? Is, accepto Spiritu ſancto, cum ei Scythia ad prædicandum Euangelium obtigiſſet, omnem fere illam gentem ad Chriſtianam fidem conuertit. Poſtremò cum Hierapolim Phrygiæ veniſſet, pro Chriſti nomine cruci affixus, lapidibusq. obrutus eſt, Kal. Maij. Eius corpus ibidem à Chriſtianis ſepultum, poſtea Romam delatum, in Baſilica duodecim Apoſtolorum, vnà cum corpore B. Iacobi Apoſtoli conditum eſt.

Admirabilis, & diuinitus facta conuerſio Publicani Matthæi, qui poſtea Chriſti diſcipulus factus, quæ proprijs oculis vidit, & auribus audiuit, & manus eius contrectauerunt, conſcripſit, & mundo tanquàm ineſtimabilis valoris theſaurum tradidit. Cap. 638.

Lorin. in Acta Apoſt. Chryſ. hom. 31. Matt. Nvlla illuſtrior vocatio, quàm Matthæi, in qua cum Dei miſericordia, quæ quodammodò magis apparuit in alijs humilioribus Apoſtolis, potentia valdè eluxit, ſicut, & in conuerſione Pauli, vt Chryſoſtomus

mus aduertit, quòd ſummum, ac primum inter Publicanos, vt Metaph. ait, locum teneret, qui cum alijs, etiam Gentilibus infenſiſſimi erant, teſte Marco Tullio.

Metaph. apud Sur. ad Q. Fratrem lib. 1. epiſt. 1. & 5. ver. Matth. 9.

Hieronymus vero efficaciam vocationis aduerſus Porphirium, & Iulianum Apoſtatam, propter fulgorem, & maieſtatem diuinitatis occultæ, quæ etiam in humana facie Chriſti relucebat, qua ex primo ad ſe videntes trahere poterat aſpectu, præclara comparatione demonſtrat magnetis, & ſuccini, quorum hęc vis eſt, vt anulos, & ſtipulas, & feſtucas ſibi copulent.

Conuiuium amplum celebrauit, ad edendum lætitiæ de ſua conuerſione ſignum, & grati animi erga Chriſtum indicium, & vt domeſticis Vale diceret, vt Eliſæus fecerat ab Elia vocatus (ille ab aratro, hic à fœnore, quod τόκον Græci vocant, quod plus gignat, quàm aratum, & proſeminatum fit) atque vt occaſionem Chriſto præberet plures alios doctrina imbuendi, vt inquit Euthymius, & Chryſologus, confirmantes exemplo Zachæi; & vt rationes exercitij ſui redderet.

3. Reg. 19.

Euthym. in Matth. 9. Luc. 19.

Inter omnes planè ſanctos, qui cæleſti gloriæ de triumphato mundo victoriæ titulos intulerunt, B. Matthæus mihi videtur inſignis. atq. conſpicuus, & quendam inter eos dignitatis obtinere primatum: atq. vt clarius dicam, nemo poſt Chriſtum eſt, cui magis debeat ſancta vniuerſalis Eccleſia. Nam quod mundus viuit, hæc eſt cauſa, quia lux nobis Euangelica coruſcauit. Conſtat autem, quia primus omnium Matthæus, hebraico ſtylo Euangelium ſcripſit, ſicq. his, qui erant ex circũciſione, fidelibus, Chriſtiani fidei quoddam quaſi ſpeculum procurauit. Quia igitur ad ſanctum Euangelium deſcribendum primus iſte prorupit, ſcribendi ceteris Euangeliſtis viam præceſſor aperuit, & tanquam dux vexillum ſequentibus prætulit, ſuoq. eos exemplo, vt ſcriberent, incitauit.

B. Pet. Damian. de S. Matth.

Illi ergo debemus Euangelium, quē Euangelicæ narrationis conſtat intuliſſe principium: & quem aliorum nouimus primum, non ambigimus inter eos cuiuſdam priuilegij tenere primatum. Vnuſquiſque nimirum trium Euangeliſtarum, beati Matthæi librum, antequàm ſuum inciperet, nouit, & (ſicut ſibi diuinitus inſpiratum eſt) non ſuperfluam cooperationem ſui laboris adiunxit. Eorum quippe fuerat, præparare fideliter animos ad ſcribendum: Dei autem erat in id, quod vellet, dirigere ſtylum.

Matthæus Apoſtolus conſcripto Euangelio patrio ſermone, ad prædicandum inuentam apud Chriſtum veritatem, in regiones, quæ ſibi obtigerant, ſe confert. Venit in Aethyopiam, prædicat Euangelium, conuertit gentes plurimas; magnis miraculis rem teſtans. Regem ipſum, & Reginam, & Iphigeniam nobilem virginem lucratam Chriſto, docet regulas caſtitatis, & pro veritate, & virtute moritur. Cap. 639.

Matthæus Apoſtolus, Chriſto in Cælos aſcenſo, prius omnium ſanctum Euangelium Hebraicè, vt cuncti Patres teſtantur, conſcripſit: Matthæus, ait S. Ioannes Chryſoſtomus, accedentibus his, qui ex Iudæis Chriſto crediderant, & rogantibus, vt quæ verbis docuiſſet, hæc eis in litteris ſeruan-

Chryſoſt. in hom. 1. in Matth.

ſeruanda dimitteret, Hebræo dicitur Euangelium ſcripſiſſe ſermone. Et Euſebius, Chryſoſtomo prior: Matthæus, inquit, cum iam antea Hebræis Verbum Dei prædicaſſet, ſimul ac in animo habuit ad alias gentes proficiſci, Euangelium ſuum patrio ſermone conſcripſit: & quod illis, à quibus deceſſit, deeſſe, dum præſens apud eos erat, videbatur, illud ſedulitate, & labore ſcribendi omnibus ſuis quaſi numeris expleuit. Sanctum Matthæi Euangelium ſecum detulere ſanctiſsimi Apoſtoli Bartholomæus, & Barnabas, vt illud recèns ad fidem conuerſis gentibus relinquerent: A Iacobo autem Apoſtolo illud ipſum explanatum eſſe, auctor eſt S. Athanaſius, cum ait: Euangelium ſecundum Matthæum, ab ipſo, Hebraica dialecto conſcriptum eſt, & editum Hieroſolymis; & interpretante Iacobo fratre Domini ſecundum carnem, expoſitum eſt.

Euſeb. l. 3. hiſtor. cap. 18. Iren. & alij.

Euſeb. li. 5. c. 10.

Atanaſius in Synopſi.

Euſeb. in Cronich.

Scripto itaq. Euangelio, quod Chriſti anno quadrageſimo ſecundo, Euſebio teſte, ediderat, non longè poſt, anno ſcilicet quadrageſimo quarto, & Claudij Imperatoris ſecundo, in Aethyopiam, quæ in partitione Prouinciarum ei obtigerat, veniens, Chriſtum prædicauit, ac prædicationem multis miraculis confirmauit: Denique ſanctiſsimus Apoſtolus, vt Martyrologia tradunt, martyrium pro Chriſti gloria ſuſtinuit. Beda autem hæc addit: Miſſusq. eſt ſpiculator ab Hirtaco Rege, qui eum gladio feriebat, efficiens Martyrem Chriſti. Non prætermittendum, quod de eius abſtinentia ſcribit Clemens Alexandrinus, his verbis: Matthæus Apoſtolus itaq. ſeminibus, baccis, & oleribus, abſque carnibus vtebatur. Sed non deſunt, qui dicant, eum Macedonibus, & Parthis ſanctum Euangelium annunciaſſe. Apud Aethyopes, ad quos profectum eſſe ante diximus, illorum Regem & vxorem eius, cum Iphigenia virgine, alijsq. permultis ad Chriſti fidem conuertit. De Iphigenia in Eccleſiaſticis tabulis, his verbis mentio habetur; In Aethyopia ſanctæ Iphigeniæ virginis, quæ à B. Matthæo Apoſtolo baptizata, & Deo dicata, ſancto fine quieuit. De feris gentibus à Matthæo ad Chriſtum conuerſis, ita legitur in Breuiario veteri Toletano: Qui ſolus axem feruidum aggreſſus, truces populos ardentiori ſpiritu flammauit igne cælitus] & paulò poſt: Caſtis edoctam regulis Plebem lucratur arduam, Regalibusq. atrijs vitæ fundit Oracula. In Breuiario Iſidoriano de eius martyrio hæc extant.

Martyrol. 21. Sept.

Clem. Alexandr. in Pad. lib. 2. c. 1.

Beda 11. Kal. Octob. & Metaphraſt.

Qui poſt multa miracula,
Et ſanctæ vitæ præmia,
Hoc ſacri prædicaminis
Cæſus dictus occubuit.

Nam Hirtacus Rex illi iratus, quod eius barbaricæ libidinis optatis nuptijs, cum Iphigenia virgine, Deo dicata, obſtitiſſet, ad ſacrumſanctum Altare ſacris Miſſæ peractis orantem interfici iuſsit vndecimo Kal. Octobris, ibiq. ſanctiſsimum eius corpus eſt humatum.] His ſuffragari videtur, quod ex libello Græcè ſcripto de duodecim Apoſtolis, quem S. Hippolito adſcribunt, refert Cæſar Cardinalis, nempè Matthęum ſactum victimam virginitatis.] Et in Romano Breuiario eadem eius martyrij cauſa narratur.

Ex m. ſ. antiq. Eccl. Salern.

Ceterùm in Aethyopia ſanctum Matthæum coronatum eſſe Martyrologia docent, & præſertim Romanum, apud quod ita legimus: In Aethiopia prædicans, martyrium paſſus eſt. De ciuitate autem, in qua martyrium per-

Romanum Beda Vſuardi, & Adonis.

pertulit, ſiue ſepultus eſt,eſt inter ſcriptores diſſenſio: nos autem ſequimur Venantium Fortunatum, qui ante mille annos vixit,de ea re ita ſcribentem: *Fortunatus de vita aeterna gaudijs.*

Indè triumphantem fert India Bartholomæum.

Matthæum eximium, Naddauer, alta virum.

Et de partu Virginis, vbi de Andrea, Ioanne, & Matthæo loquitur:

Quos Patra, quos Epheſus, Naddauer Arce tenet.

Sed non præteribo, quod de eodem ſcribit Metaph. ex priſcis (opinor) monimentis: Presbyteros, ait, & Diaconos (apud Aethyopes) conſtituit, ſingulis diebus concionem habens ad populum, partim ad veritatem retinendam illos adhortans, partim myſteria tradens: eos vero, qui languoribus, & morbis, vel Dæmonum malitia oppreſſi, de vita periclitabantur, verbo, & manus attactu ab omnibus moleſtijs ſtatim liberabat.]Hæc & alia Metaph. apud Lipomanum. *Lipoman tom. 5.*

Quidam febricitans, in ardentiſſima ſiti aquam ab vxore poſtulans,nec recipiens,iterum indignabundus eam inuocato Diabolo petit, & bibens, Diabolum quaſi deglutiſſet, vexatur ab eo: & male tortus,bibens aquam in qua Deus Sancti Matthæi immerſus fuerat, liberatur. Cap. 640.

EST apud S. Clementem Romanum, Matthæi nomine Apoſtolica conſtitutio de aqua benedictione ſanctificanda: cuius occaſione referemus hic miraculum Salerni editum. *Clem. Cõſt. l. 8. c. 29.*

Apud Principem Giſulphum habitabat Rothilda ſoror eius, quæ fuerat Arnulphi Beneuentanorum Principis Vxor, & tunc temporis vidua apud fratrem erat. Familiaris eius quidam, cui Stephano nomen erat, cum valetudinarius eſſet, nocte quadam vehementiſſima ſiti corripitur, vxorem ſuam excitat, aquam adferri iubet, cumq. vxor varijs id rationibus differret in longum, vir deniquè ſatis impatiens, Diabolum magnis vocibus inuocauit, & indignabundus adhuc gelidam efflagitauit. Obſequitur tandem vxor, inuocationibus illis perterrita; adducit aquæ cyathum prægrandem; arripuit illum Stephanus, & cum ebiberet auidiſſimè, factum eſt, vt Dæmonem ſimul cum aqua ſorberet; à quo confeſtim cæpit torqueri miſerè: Id cum vxor animaduertiſſet, illicò tremens ad Rothildam dominam accurrit, & viri infortunium enarrat; ea refert idipſum Giſulpho Principi; nec mora, totam rem aulici omnes reſciuere: qui cubiculum ingreſſi, vbi Stephanus à Dæmone vexabatur, illum arctiſſimis vinculis ligant, & ad Beati Petri Apoſtoli ſacellum, quod in Regia Principis erat, adducunt; ibiq. totam noctem agunt, nec vnquam à vexatione ceſſauit iniquus ſpiritus; quamobrem cum remedium aliud aulici non haberent, Stephani ipſius piè miſerebantur. *M. Anton. Marſil. Celāna T vit. S. Matth.*

Porrò ſequenti die ad Præſulem, & Vrbis Pontificem res tota defertur, qui feſtinanter ad locum properat; ac Stephanum ita vexatum reſpiciens; monuit omnes, vt ad Deum pias ex animo preces effunderent, vt miſerum illum à perfidi hoſtis inſidijs, atque cruciatibus, pro ſua bonitate, ac miſericordia liberaret. Orant ſinguli Deum enixè pro Stephani ſanitate. Sed adhuc ille miſerabilis angebatur.

Interea monachus Athanaſius, qui forte fortuna tunc Salerni reperiebatur, cum hæc reſciuiſſet, ad Rothildam ſe confert, indicat habere ſe, Epiſcopi Pæſtani munere, dentem Apoſtoli beatiſſimi Matthæi, cuius ipſe, aduerſus malos ſpiritus, virtutem ſæpius agnouerat; proinde ſperare ſe ſi manu Præſulis, in luſtralem aquam immitteretur, eamq. mox Dæmoniacus biberet, futurum vt ſtatim glorioſi Apoſtoli meritis, à Stephano malus ille Dæmon recederet. Probat Rothilda conſilium; Rogat itaque Præſulem, vt dentem ſacrum accipiat, aquam benedictam attingat, Stephano bibendam offerat. Nihil eorum ſpernit Religioſus Antiſtes, aquam luſtralem ſigno Crucis munit; iterum, & tertio dentem infundit in ipſam. Imperat deinde Stephano, vt bibat, eumq. ad id compellunt inuitum. Cæpit tunc acrius diuexari; quod immundus ille ſpiritus à parte ſuperiori tentabat egreſſum, cui tamen ſacer ille potus obſtabat: quare cum omnino ſibi exeundum intelligeret, ab inferiori parte abiuit; Stephanum liberum ab omni vexatione reliquit, maxima cum omnium admiratione. Planè cum dentem à Rothilda mox repeteret Athanaſius, tametſi diu, multumq. illum ſummis precibus efflagitauit, non potuit tamen à vidua recuperare, quocircà lubens reliquit, quod ſeſe vidit omnimodo relicturum, hicquè dens poſtea fuit cruci argenteæ inſertus.

Genebr. in Chron. an. 182.

De Matthæo, vel ipſi Chriſtianæ fidei hoſtes, fatentur, quod Mariam ſeruandæ Virginitatis votum Deo primam vouiſſe prædicauerit: de meritis credentium docuerit: Quadrageſimæ ieiunium commendauerit: Virginem Deo conſecratam, neſas eſſe nubere affirmauerit: Ducentas amplius Virgines conſecrauerit in cælibatu, & velamen eis ſacrum impoſuerit: quod denique Miſſam populo Aethiopico dederit.

Acta Barnabæ.

At vero D. Opt. Max. prouidentia factum fuit, vt ſanctum Matthæi Euangelium per annos fere 426. ſepultum, eodem Apoſtolo reuelante, in lucem prodierit, non magis ad ſacri Euangeliſtæ gloriam, quàm ad Chriſtianæ fidei ſtabilitatem. Conſtat enim Diuum Barnabam in humanis agentem, & fide propria, & Beati Matthæi meritis, ægros omnes ab vrgenti morbo liberos reddidiſſe, quos ſacro illo volumine tetigiſſet. Refert Curopalates Euangelij librum in fornace ardente ad horas aliquot illæſum permanſiſſe: Quod conſpicati Barbari, miraculi magnitudine perculſi, ſine vlla controuerſia, ad Baptiſmum confugere.

Io. Curop. in Baſil. Zonar. Annal. to. 3. in Baſil. Macedo.

Simon Cananæus, & Thadæus Apoſtoli diſſeminato in aſſignatis regionibus diuino Euangelio, propter opera excelſa, quæ egerunt, & propter mortem quam paſſi ſunt, æternas coronas commeruerunt. Cap. 641.

Martyrol. Rom. Bed. Ado. Vſuar du. die 28. Octob.

De Simone autem, & Thadæo Apoſtolis pauca admodum ſciuntur. In Martyrologio Romano hæc habentur. [Natalis Beatorum Apoſtolorum Simonis Chananæi, & Thadæi, qui & Iudas dicitur: quorum Simon in Aegypto, Thadæus in Meſopotamia Euangelium prædicauit: deinde in Perſidem ſimul ingreſſi, cum innumeram gentis illius multitudinem Chriſto ſubdidiſſent, martyrium conſummarunt.]

Venantius Fortunatus, de eorum in Perſidē aduentu, ac obitu hæc cecinit: *Venant. de Gaud. & ſpe vita æterna.*
Hinc Simonem, & Iudam, lumen quos Perſa gemellum.
Læta relaxato mittit ad aſtra ſinu.

Nicephorus, & alij, alios quoque commemorant locos, in quibus perhibent Simonem, & Iudam Euangelium prædicaſſe; ſed de ijs apud Antiquiores nihil habetur. *Niceph. l. 2. c. 40. Iſidorus de vita, & morte San. Bor. c. 79. & 81. 82. & alij.*

In Breuiario Toletano veteri, is hymnus de eiſdem Sanctis Apoſtolis legitur.

Itote populi, pſallite præpetes,
Iudas cum ſocio Simone, cælibes
In feſta vadant cœtibus inclitis:
Iam cunctis tribuunt gaudia ſeruulis.
Vox ecce reſonat principis Etheri.
Vouentes illico reddite ſeruuli
Vota, quæ Domino promittitis incliti,
Vt veſtrum accipiant munus Apoſtoli.
Dignum eſt nunc precibus promere canticum:
Dignumq. ſuperum ſtringere principem,
Det ſuis vt populis nunc piè gratiam:
Det poſt Aethereàm conſequi patriam.
Ac nexu ſcelerum iam ſibi tradito,
Adeſſe valeant principi cælico,
Ac tempto crimine tramite præuio,
Afflati maneant rite Paraclito.
Sic Iudas populos inſtruat, & Simon,
Sub Chriſto placido currere tramite,
Seruare monita legibus indita,
Suprema vt valeant conſequi præmiā.
Sit trino Domino gloria vnico, &c.

Hactenus Breuiarium Toletanum.

Iſidorianum verò eorum Martyrij in orationibus meminit, his verbis: Deus, qui Sanctis Apoſtolis tuis Simoni, & Iudæ durum martyrij gradum ſcandere, & velle tribuis, & poſſe concedis, &c.

Et infra in capitulis: Hi ſunt, Domine veridici patroni, qui ſuſcipientes ſecuri ſententiam, currunt lætantes ad palmam: feſtinant hilares ad coronā, per quorum intercesſionem tu Domine Deus omnipotens, quemadmodum martyres, & Apoſtolos tuos Simonem, & Iudam Diaboli verſutia liberos præſtitiſti, ita nos indignos famulos tuos eorum facias miſericordiam adipiſci.

Infra idem legitur. De locis vero vbi prædicarunt, nihil in eo exſtat ſcriptum.

Quo autem mortis genere affecti ſint, antiquorum nemo docet: Martyrologia non tradunt: ex recentioribus Græcis, Nicephorus loco ante citato opinatur, Simonem Cruci affixum martyrium conſummaſſe:

Græci Auctores In Menologio, hæc habent.

Die decima Maij: Sancti Apoſtoli Simonis Zelotæ; Hic Simon, Euangelij prædicationem in omnem Mauritaniam, & Aphrorum regionem ſparſit: *Menol. die 10. Maij.*

ſit: Britanniam profectus, cum multos Euangelij verbo illuſtraſſet, ab infidelibus crucifixus, illic ſepultus eſt, qui mores habuit zelo, quem nomine præſeferebat, congruentes.

De ſancto Iuda ſic, Die decimanona Iunij.

Luc. 6. *Act. 1.* *Matth. 10.* *Mar. 3.* Sancti Iudæ Apoſtoli: Hic in Euangelio Lucæ, & in Actibus Apoſtolorum Iudas nominatur: apud Matthæum verò, & Marcum Thadæus, & Lebbæus appellatur, frater ſecundum carnem Domini noſtri Ieſu Chriſti; & germanus Iacobi fratris Domini: Hic (addit mox Menologium) *epiſtolam* ſcripſit Spiritu ſancto plenam, qui & prædicatione ſua infideles *homines* conuertit, & apud Meſopotamiam Euangelium Gentibus diſſeminans, verbo Chriſti pietatem regionibus illis prędicauit, &c. & paulò poſt: In Arſipoli ab infidelibus ſuſpenſus, & ſagittis vulneratus, ſpiritum Deo ipſi commendauit.

In vit. S. Bernar. lib. 5. c. 2. De Reliquijs S. Thadæi mentionem facit Gofridus Clareuallenſis Monachus, in vita S. Bernardi, ſub finem, cum ait: Sepultus eſt autem (S. Bernardus) vndecimo Kal. eiuſdem menſis, nempè Septembris; ſed & pectori eius ipſo in tumulo capſula ſuperpoſita eſt, in qua Beati Thadæi Apoſtoli Reliquiæ continentur; quas eodem anno ab Hieroſolymis ſibi miſſas, ſuo iuſſerat corpori ſuperponi: eo vtiq. fidei, ac deuotionis intuitu, vt eidem Apoſtolo in die communis reſurrectionis adhæreat. Hæc Gofridus. Sanctorum Simonis, & Iudæ corpora, Romæ in Baſilica S. Petri aſſeruari, traditur.

S. Matthias Apoſtolorum poſtremus prædicat, & ipſe per loca ad qua miſſus eſt, Euangelium Chriſti, & martyrio vitam boneſtat. Cap. 642.

Act. DE Matthia etiam Apoſtolo pauca ſunt, quæ ſciuntur.

De eius in Apoſtolum electione, in lib. Act. Apoſt. dictum eſt. Romanum Martyrologium de eo, hæc habet: In Iudæa natalis S. Matthiæ Apoſtoli, qui poſt Aſcenſionem Domini ab Apoſtolis in locũ Iudæ proditoris ſortè electus, pro Euangelij prædicatione martyrium paſſus eſt. Hæc Martyrologium. Menologium de ipſo ſic, die nona Auguſti. Certamen S. Apoſtoli Matthiæ, qui vnus ex ſeptuaginta, connumeratus eſt cum duodecim Apoſtolis pro Iuda Iſchariothe: prædicauit autem Euangelium in Aethyopia, vbi multis pro Chriſti fide ſuperatis tormentis, ſpiritum Deo reddidit. Iſta Menolog. In qua autem Prouincia Euangelium prædicauerit, antiquioribus ſuboſcurum fuiſſe videtur: Nam Origenes, Euſebius, Gregorius Nazianzenus, Chryſoſtomus, Rufinus, Theodoretus, & Socrates, cum de alijs Apoſtolis agunt, loca nimirum, in quibus Dei verbum diſſeminarunt, recenſentes, Matthiam prætereunt. Verùm qui poſt ipſos ſcripſerunt (quamquam vnde hauſerint ignoratur) locos ſpeciatim referunt, in quibus eum prędicaſſe perhibent: Sophronius, & Nicephorus, & Menologium in Aethyopia cum prædicaſſe tradunt. Auctor lib. de Patribus veteris, & noui Teſtamenti, qui Iſidori nomine fertur, de eiuſdem prædicatione, ita ſcribit: Cui datur Euangelium prædicationis in Iudæa.

Rom. Mar. in Feſto ei⁹ *Sophr. apud Hieron. de ſcript. Eccl.* *Niceph. lib. 2. c. 40.* *Iſidor. de Sanctis veteris & noui Teſtamẽti c 80.*

Euſeb. li. 1. hiſt. c. 12. Euſebius de eo, hæc litteris conſignauit: Matthiam porrò, qui erat pro Iuda proditore in numerum Apoſtolorum adſcriptus, & illum, qui pari ſuffragio

fragio ad Apoſtolatum petendũ dignus putabatur, vnum ex ſeptuaginta diſcipulis appellatum, conſtans fama eſt. Et alibi: Primum igitur, Matthias, qui (vt ſupra monſtrauimus) vnus ex Domini diſcipulorum grege fuit, ad Apoſtolatum gerendum pro Iuda ſorte delectus eſt. Hæc Euſebius. *Euſeb. l. 3. cap. 1.*

S. Matthiæ corpus Romæ in Baſilica S. Mariæ Maioris aſſeruatur.

In veteri eius Eccleſiæ manu exarato Codice hæc leguntur:

Quam Baſilicam idem Pontifex (nempè Liberius) in honorem Dei, & Beatæ Mariæ Virginis conſecrauit: in qua quidem ſibi præſepe Domini, cunabula videlicet, fœnum cum pannis noſtri Redemptoris, in eiuſdem præſepis Altari, miro ordine reuerenter cum multis alijs Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Virginum Reliquijs, quorũ nomina ſuperuacaneum eſt nominare, collocauit. Et poſt pauca: Ante quod quidẽ Altare (maius) ſub lapide porphiretico S. Matthiæ corpus requieſcit: cuius quidem beneficia, plenis effectibus in ipſa Eccleſia exuberãt quotidie. Hactenus manuſcriptus Codex. *Manu ſcri pt. S. Marię maior.*

Quo tempore, quouè matyrij genere obierit: quo demum anno eius ſacratiſſimum corpus Romam delatum ſit, cum antiquorum nemo tradat, in obſcuro eſt. Et de S. Matthia hæc dicta ſufficiant.

Clemens Alexandrinus Stromatum lib. 4. in fine: Sanctorum Apoſtolorum res geſtas ſe vidiſſe, indicare videtur dicens: Apoſtoli autem fuere pleni in omnibus: Inuenies itaq. ſi volueris, ex eorum rebus geſtis, & ſcriptis, eorum cognitionem, vitam, prædicationem, iuſtitiam, caſtitatem, prophetiam.] Hæc ille: ſed ea Apoſtolorum Acta exciderunt: niſi illa intelligeret Auctor, quæ ſanctiſſimus Lucas ſcriptis prodidit. At hæc ipſum non puto intellexiſſe. &c.

De Sancta Maria Magdalena. *Cap. 643.*

Reliquum eſt, vt poſt Apoſtolos B. Maria Magdalena, quæ extitit Apoſtolorum Apoſtola, & toti Eccleſiæ lucidiſſimum exemplum penitentiæ fulſit, huius libri curſum præfiniat. Aliæ hiſtoriæ, & præclara exempla, quæ ſucceſſiuis temporibus contigerunt (ſunt autem plurima, & memoratu digna) ſi Deo placitum fuerit, ſequentibus libris, quos elaboramus, commemorabuntur.

Hiſtoria B. Mariæ Magdalenæ plene habetur apud Euangeliſtas, qui famoſam eius conuerſionem, & alia de ea referunt. Sedulius autem vetuſtus Poeta actionem illam memorabilem acceſſus ipſius ad Chriſtum his carminibus eleganter deſcripſit. *Matth. 26. Mar. 14. Luc. 7. Ioan. 12.*

Poſt Dominus Phariſæa petens conuiuia cenæ, *Ex Sedulio.*
Orantis dapibus ſeſe impertiuit amici.
Tunc mulier, quam fama nocens, & plurima vitæ
Mordebant delicta ſuæ, clementia ſupplex
Corruit amplectens veſtigia, quæque profuſis
Irrigat incumbens lachrymis, & crine ſoluto
Nec tergere ſacras, nec ceſſat lambere plantas,
Vnguento fragrante fouens, ſententia donec
Læta Dei, quem ferre manum non pœnitet vnquam,
Si nos pœniteat veterem quæſiſſe ruinam:

 Vade,

Vade, fides, mulier, tua te ſaluauit ab omni,
Dixiſſet, quodcunquè malum geſsiſſe videris:
Vtere pace mea. Magna eſt medicina fateri
Quod nocet abſcondi. Quoniam ſua vulnera nutrit
Qui tegit, & plagam trepidat nudare medenti.
En polluta diù, modicum purgata receſſit
Per gemitum, proprijq. lauans ſe gurgite fletus,
Munda ſuis lachrymis redit, & deterſa capillis.

Prædictio Chriſti, quod Magdalenæ actio ipſius in conuerſione, vbicunquè Euangelium prædicatum fuerit in toto mundo, prædicanda eſſet, magno ſtupore, & in ſuperioribus ſeculis adimpleta fuit, & hodie non ceſſat adimpleri.

Cap. 644.

HOc autem in conuerſione iſta inter cetera geſtum eſt, in perſona huius mulieris admiratione dignum, vt Chriſtus ipſe Dominus ore proprio propheticum euentum ipſius Magdalenæ prædixerit. Futurum enim dixit, vt
Matth. 26. actio illa Magdalenæ circa Chriſtum facta, prædicaretur vbicunquè Euanlium prædicaretur, hoc eſt, in Orbe vniuerſo: Euangelium enim vt omni creaturæ prædicaretur iuſſerat. Quod quidem aliquid ingerit auribus ſtupore dignum. Nam factum iam videmus poſt mille, & ſexcentos annos, per tot curricula ſeculorũ, quod fiendum eſſe Chriſtus prænunciauit; vbicũquè enim
Io. Chryſoſ. ſup. Matth. c. 26. hom. 81. prædicationis fulgor refuſus eſt, ibi Magdalenæ geſta prædicata ſunt, & hodie prædicantur. Et certè nec inſignis quædam, & nobilis fuit perſona: nec multitudine teſtium res celebrata eſt, nec in theatro, ſed in domo, & in domo Leproſi confecta, vbi diſcipuli ſolummodò aderant. Quid igitur tàm abiectæ peccatricis factum ita exclamauit, vt per totum ſic Orbem, & ab omnibus audiretur? Virtus profectò eius, qui hæc prædixerat.

Nec enim cogitari poteſt, qua ratione prædicatio huiuſmodi verificari potuiſſet, niſi is, qui dixit, fuiſſet Deus, qui in æternitate conſtitutus ſciret, quæ futura ſunt, & omnipotentia ſua operari poſſet, vt fierent ea, quæ humanis viribus fieri non poſſunt. Et quidem Regum, atque Imperatorum res geſtæ, quorum nonnulla remanent monumenta, omninò tacentur: & de pleriſquè eorum, qui Vrbes condiderunt, mœnia erexerunt, bella geſſerunt, trophæa ſtatuerunt, multaſq. gentes ſubiugarunt, quamuis, & ſtatuas ſibi fecerint, & leges ſanxerint, nulla tamen fit mentio: multiquè ipſorum, nec nomine quidem extant. Quod autem peccatrix mulier, in priuata domo, coram priuatis teſtibus oleum ſuper pedes illos effuderit, id per vniuerſum Orbem, tanto tempore tranſacto, decantatur: Et Indi, Scithæ, Thraces, Sauromatæ, quiquè Mauritaniam, quiquè Orchadas Inſulas incolunt, quod in domicilio pauperis, ab impudica fuerat factum muliere, magna prædicant voce; & per præterita ſecula ſemper prædicatum eſt, & per futura prædicabitur.

Quod quidem maximum, & perpetuum miraculum eſt factum, & millies replicatum ab eo, qui facit mirabilia magna ſolus, & qui nunc coram

oculis noſtris facit illud; & nos hodie lætamur datum eſſe nobis, vt calamo noſtro huius excelſæ mulieris laudabile facinus ſcribendo, libri huius noſtri terminum huiuſmodi prædicatione, quaſi aureo ſigillo conſignemus. Vt hinc Chriſti gloria, & ſplendor magis eluceſcat, qui æterno hoc miraculo apud homines teſtatum eſſe voluerit, quanti faciat, & quantopere cor eius exhilaret peccatricis animæ vera, & libera, & pulchra pœnitudo. Et quàm ei gratum ſit, cum homo peccator, relicto abominabili peccato, dolens, & confidens prouoluitur ad pedes eius, & præ dolore lachrymis rigat, & præ animi firma deliberatione fugiendi à facie peccati, capillis extergit, & propter abundantiam feruidi amoris oſculatur, & nimia tactus deuotione, pretioſo perfundit vnguento.

Voluit autem, quod in omnibus vicis, oppidis, ciuitatibus, regionibus, & regnis, donec durabunt dies, vſquè ad fines ſeculorum, hæc B. mulieris prædicaretur actio, tùm vt eius conuerſio omnium ore laudaretur, tùm vt homines intelligerent, quanta eſſet erga peccatores optimi Domini benignitas, & manſuetudo, patientia, & dignatio, qui peccatores etiam flagitioſe peccantes, cum pœnitentiam peccatorum proferunt, tàm amanter recipit, & tàm benignè peccata dimittit, vt nullus peccator, aliud in pectore Chriſti reſidere cogitare poſſit, quàm miſericordias magnas, & miſerationes perpetuas, & inexhauſtum gratiarum pelagus.

Migratio B. Magdalenæ in Gallias Dei prouidentia facta, & ſeceſſus eius in ſolitudinem. Cap. 645.

Fertur, in Diſcipulorum diſperſione, Mariam Magdalenam cum Lazaro, & Martha, & Marcella pediſſequa, in quos Iudæi maiori odio exardeſcebant, non tàm Hieroſolymis pulſos fuiſſe, ſed vnà cum Maximino diſcipulo, naui abſquè remigio, & velo impoſitos in certum periculum vaſtiſſimo mari fuiſſe creditos, quos diuina prouidentia Maſſiliam traduut appuliſſe, comitemq. ferunt eiuſdem diſcriminis fuiſſe Ioſephum ab Arimathæa, nobilem Decurionem, quem tradunt ex Gallia in Britanniam nauigaſſe, ilicq. poſt prædicatum Euangelium, diem clauſiſſe extremum.

Act. Magd. & Soc. ex M. S. hiſtor. Angl. quæ habetur in Vat. Biblioth.

Magdalenā verò, pœnitentiæ gratia, in regionibus illis in ſolitudinem ſeceſſiſſe, vt aſſueta pedibus Domini, & orationis optimæ parti, contemplandæ cæleſtis beatitudinis ſeſe daret.

Oſtenditur autem hodie ſpelunca illa, quam inhabitauit. Ad quam cum aliquando Franciſcus Petrarca nobiliſſimus poeta deuotionis gratia perueniſſet, ibi ornatiſſima carmina in memoriam ſuæ peregrinationis ſcripta reliquit, quæ ab exemplari in Oratorio illic appenſo, penè oblitterato, deſcripſit in eodem loco Ludouicus Viualdus Ordinis Prædicatorum, vt ipſe fatetur in aureo opere ſuo de veritate contritionis. Sunt autem huiuſmodi.

Dulcis amica Dei, lachrymis inflectere noſtris:
Atque meas intende preces, noſtræq. ſaluti
Conſule, namq. potes: neque enim tibi tangere fruſtrà
Permiſſum, gemituq. pedes perfundere ſacros,
Et nitidis ſiccare comis, ferre oſcula plantis,
Inq. caput Domini ſpecioſos ſpargere odores

Nec tibi congreſſus primos, à morte reſurgens,
Et voces audire ſuas, & membra videre,
Immortale decus, lumenq. habitura per æuum,
Nequicquam dedit ætherei Rex Chriſtus Olympi.
Viderat ille cruci hęrentem, nec dira pauentem
Iudaicæ tormenta manus, turbæq furentis
Iurgia, & inſultus, æquantes verbera linguis:
Sed męſtam, intrepidamq. ſimul digitiſq. cruentos
Tractantem clauos, implentem vulnera fletu:
Pectora tundentem violentis candida pugnis:
Vellentem flauos manibus ſine more capillos:
Viderat hæc, inquam, dum pectora fida ſuorum
Diffugerent pellente metu: memor ergo reuiſit
Te primam ante alios, tibi ſe prius obtulit vni:
Te quoque digreſſus terris, & ad aſtra reuerſus,
Bis tria luſtra cibi nunquam mortalis egentem
Rupe ſub hac aluit; tàm longo tempore ſolis
Diuinis contenta epulis, & rore ſalubri.
Hæc domus arcta tibi ſtillantibus humida ſaxis,
Horrifico tenebroſa ſitu, tecta aurea Regum,
Delitias omnes, ac ditia vicerat arua.
Hic incluſa libens longis veſtita capillis,
Veſte carens alios ter denos paſſa Decembres
Diceris, hic non fracta gelu, nec victa pauore:
Namq. famem, frigus, durum quoque ſaxa cubile,
Dulcia fecit amor, ſpeſq. alto pectore fixa,
Hic hominum non viſa oculis, ſtipata cateruis
Angelicis, ſeptemq. die ſubuecta per horas,
Cæleſtes audire choros, alterna canentes
Carmina corporeo de carcere digna fuiſti.

Ad mulierem hanc magnam, quicunque peccatores confugerunt, & eius opem in fugiendis peccatis implorarunt, aut aduerſitatibus propellendis, quæ à Deo ſeparant, perceperunt auxilia eius: promptè enim, & benignè omnibus peccatoribus ſuccurrere nouit.

Carolus, Rex Siciliæ, in captiuitate poſitus, admonitus, vt ad B. Magdalenam confugeret, apparente ei Sancta Muliere, præſens eius auxilium experitur. Cap. 646.

Syluest. Prier. in Aurea Roſ. in expoſit. Euāg. fer. v. infra. oct. Paſch.

Carolus, Rex Siciliæ Secundus, & Comes Prouinciæ circa annum Domini milleſimum ducenteſimum ſeptuageſimum nonum, bello nauali cum Rege Aragonum congreſſus, victus, & captiuatus eſt, & apud Barcinonem moriturus, diro carceri mancipatur. Cumq. omni humana ſpe deſtitutus, indubitatam mortem expectaret in breui, à Magiſtro Guilielmo de Tonnais Ordinis Prædicatorum, confeſſore ſuo, monitus eſt, vt Magdalenam, quæ in terris ſibi ſubiectis prædicauerat, pœnituerat, & obierat, in auxilium aduocaret: qui ſtatim firma ſpe de meritis eius concepta, ieiu-

nio,

tio, confeſsione, & lachrymis ei ſe commendauit. Ecce autem in ipſa vigilia feſtiuitatis B. Mariæ Magdalenæ nocte aſtitit Matrona pulcherrima, Carolum voce ſonora, & proprio nomine vocans, preces eius exauditas commemorans, & vt ſe velocius ſequeretur indicans: cumq. pro captiua familia ſua ille precaretur: ſequere, inquit, me, & ſequentur tui omnes, ſic autem factum eſt. Poſt paululum vero cum aliquantiſper proceſſiſſent, illa firmato gradu, & ſe inuocatam Magdalenam eſſe commemorans: Scis ait, vbi ſis modo? At ille, intra muros, ait, adhuc ſumus Barcinonis, ſi non fallor: Falleris, inquit, ſed iam es intra terminos tui principatus, & prope Narbonam ad milliare vnum. (Sunt autem inter Barcinonem, & Narbonam plus tres magnæ dietæ, & triginta amplius milliaria) Tunc ille perfuſus lachrymis, quid, inquit, ò Domina, gratum rependere pro tanto beneficio poſſum? Dicam, inquit: Cum inſtante bello quodam, corpus meum de meo ſepulchro ſublatum, & loco eius aliud ſuppoſitum fuiſſet, vt fallerentur inimici, ſi meum corpus aſportare voluiſſent, ita factum eſt. Vnde in eodem loco adhuc iacent reliquiæ meæ, alijs loco earum ſublatis: illuc perge, & eas talibus ſignis inuenies; nam eo in loco vitis eſt, quam ſequens de ore meo prodiſſe videbis, & ibi eſt caput meum nudum, excepta ea carne, quam Saluator mundi in horto tetigit, cum eius volui tenere veſtigia: Capilli omnes interierunt, exceptis his, quibus pedes Domini tetigeram: iuxta caput eſt ampulla plena terra madefacta ſanguine Chriſti, quam ſub cruce collegi, & ſemper, quam diu vixi, in memoriam Domini mei ſeruaui. Cum hæc inuenies, honore digno eleuabis, & locum meæ mortis, & meæ pœnitentiæ fratribus meis, ideſt, Prædicatoribus trades. Ego enim prædicatrix, & Apoſtola fui conuentui loci in quo deceſſi: redditus pro centum fratribus aſſignabis, vt ſemper ibi vigeat ſtudium generale. His dictis diſparuit. Atque ita factum eſt, vt glorioſa ſancta imperauerat. Ille vero facto iam die, Narbonam cernens, in eo loco, in quo Magdalena diſparuit, crucem figi iuſſit, quæ vſquè in præſens Crux de Leuca dicitur. Profectus vero ad regnum, monaſteria duodecim vel plura ordinis eiuſdem Prædicatorum fabricauit, atq. dotauit: in quibus de Magdalena vſquè in hodiernum diem memoria agitur quotidie.

B. Maria Magdalena, Romæ ſupra Monaſterium ſibi dedicatum aſtans, ab impijs militibus graſſatoribus illud mirabiliter tuetur. Cap. 547.

Contigit autem hoc ſeculo noſtro, ſicut retulit Angelo Salutio, venerando Congregationis noſtræ Presbytero Emilius Maſſarius de Aſpra in Sabinis, magnæ probitatis ſacerdos: Quod eo tempore, quo Borbonius Dux Hiſpanici exercitus Vrbem cum armis & militibus temerario auſu, inſcio, & inuito Carolo Quinto, ingreſſus eſt (cuius quidem temeritatis vlciſcente Petro, & Paulo pœnas dedit, nam in ingreſſu ipſo, Bombardæ ictu percuſſus infeliciter occubuit) contigit inquam, vt dum milites, vndique Vrbem vaſtant, quorundam militum turma ad expugnandum monaſterium, quod mulieres, quas Conuerſas nuncupant, inhabitare ſolent, B. Magdalenæ tutelæ dicatum, militari licentia cucurrerit. Dum autem Conuerſæ moniales *Sur. in ci-ment. verò in Orb. geſtarum.*

in ſummo diſcrimine conſtitutæ cum ploratu, & clamoribusad beatæ mulieris patrocinium ſeſe conuertiſſent, & ſuſpiria, & orationes in cælum iaculatæ eſſent, vnde ſperabant auxilium: ecce ſupra monaſterium Magdalena, aſpectu terribilis, & diuino fulgore coruſcans aſtitit, euaginatoq. gladio perditis militibus, iam monaſterium obſidentibus minitatur, terroremq. mortis incutit, niſi à patrando ſcelere abſtineant. Quapropter perterrefacti milites, & nimio metu conſternati, animum mutant. Et non ſolum monaſterium non violant, ſicut conſtituerant, ſed omnes vnanimes monaſterij defenſionem ſuſcipiunt, expugnantes, & repellentes quotcunque monaſterio vim inferre conabantur. E ſic B. Magdalenæ patrocinio ſacra illa domus hoc modo ab inſtanti periculo erepta eſt.

Laus, & gratiarum actio Deo noſtro, qui eſt benedictus in ſecula.

FINIS.

[library stamp]

INDEX

INDEX.

A

ABagari Regis Edeſſæ epiſtola ad Ieſum Chriſtum. pag. 189

Abagarum Regem ad fidem conuertit S. Thadæus Apoſtolus. 488

Abſtractio mentis diuina meditantis, quã crebro accideret S. Thomæ Aquinati. 531

Actuum Apoſtolorum hiſtoriæ dignitas, & fructus. 799. & ſeq.

Adam terrenus, quid præſtiterit hominibus generatione ſua. 336

Adam, vbi mortuus eſt, ibidem Chriſtus crucifixus. 214

Adoleſcens in Apoſtolum electus S. Io. Euangeliſta. 864

Adoleſcentem conuertit S. Io. Apoſt. 867. & eundem corruptum, & latrocinijs operam dantem recuperat. 868

in Adoleſcente quàm decora caſtitas virginalis. 572. & ſeq.

Adoleſcentibus quam pernicioſa ſocietas malorum. 572. & ſeqq.

Aduẽtus ſummi Regis cæleſtis in Orbem terrarum. 108

Aduentus Chriſti in mundum cur dilatus ſit, & manifeſtatus nouiſſimis temporibus. 729 & ſeqq.

Aduentum Chriſti Domini cur Deus longe ante mundo innoteſcere voluerit. 74. & ſeqq

Ægrotos multos ſanat S. Paulus Apoſtolus in Melita inſula 685

Æneas paraliticus illicò ſanatur à S. Petro. 455

Æthyopia Romanum Pontificẽ vt Chriſti vicarium adorat. 258

in Æthiopiam proficiſcitur S. Matthæus. 736

Affinium, & conſanguineorum fidelium precibus miſeretur Deus aliorum de eorum familia infidelium. 414. & 418

Agrippa Rex ab Alexandrinis Magno ludibrio excipitur. 477 Idem Iudaicæ Religionis obſeruantiſſimus vexat fideles; occidit Iacobum fratrem Ioannis gladio. 489.

Aleator blaſphemans B. Virginem Mariam, punitur horribiliter in ore. 137

Alexãdrina Eccleſia ſemper habita eſt Patriarchalis, quia fuit à Petro fundata. 756

Alexandriam mittitur S. Marcus. 764

Alexij Imperatoris conſtitutio contra eos, qui Eccleſiaſtica in profanos vſus auferunt, & vſurpant. 599

Eiuſdem confeſſio, & accuſatio contra ſe ipſum, quod præfatum ſcelus admiſerit. ibid.

Ananias, & vxor eius pœnas dant dicti mendacij. 395

Anaſtaſius Imperator, Romanorum Pontificum ſceleſtiſſimus perſecutor, igne cælitus miſſo, viuus exuritur. 578

Anna prophetiſſa Redemptorem omnium veniſſe nunciauit. 177

S. Andreas Apoſtolus ſequitur Chriſtum. 853

S. Andreas Apoſtolus, poſt paſſionem Domini mittitur in Græciam, & alias Prouincias. 735

Ad fidem Chriſti doctrina, & miraculis innumerabiles homines conuertit. 855

In carcerem truditur. ibid.

Morte crucis condemnatur. ibid.

Martyrio coronatur. 853 & ſeq.

Miraculis coruſcat, nam eius ſepul-

 chrum

chrum profert manna in modum farinæ, vel oleum odoratum. 854
Eius Reliquias, quidam eripit per medias flammas illæſas. 854
Laborantem calculo, morti vicinum liberat. 855
Monachum è Monaſterio fugere cogitantem redire facit ad cor. 857
Monachum grauiſſime ægrotantem à morte eripit. 858
Apparet in ſomnis Regi cuidam, & pollicetur ei de hoſtibus victoriam, qua mirabiliter potitus eſt. 859
Angelus defendit S. Marcellum fortiter pro pietate certantem. 567
Angelus lucidiſſimus pulchram, & nobilem virginem Chriſtianam, ad lupanar ductam defendit, & ſeruat inuiolatam. 558. & ſeq.
Angelus in ſomnis admonet Dominum domus ruituræ. 574
Idem beneficium quibuſdam venatoribus ſub ſpecu ruitura latentibus præſtiterunt Angeli. 575
Angelus Domini liberat à carcere Monachos à Iuliano Apoſtata detentos. 538
Angelus fulgurans, qui reſuſcitato Domino ſuper lapidē monumenti in candidis veſtibus aſtitit. 331
Angelus pauperis ſpecie ſtipem à B. Philippo Nerio accipit. 473
Angeli Cæſij Epiſcopi Tudertini pietas, & inſignis beneficentia erga Congregationem Oratorij Romæ. 679
Angeli diffinitio. 555. & 558. officium. Cur Deus illum fecerit. 555
Angeli miniſterio pulcherrimam Paradiſi viſionem habet ęgrotus, ſicq. qui prius amaro animo moriebatur, libenter ſuſcipit mortem. 575
Angeli, quomodo ad nos diuina, & inuiſibilia Dei, deferunt circumuelata. 551
Quomodo diuinitatis ſimilitudinem participant, & pulchri fiunt, & ordinatè illuſtrationes ſuas hominibus participant. 552. & ſeq.
Cur Angeli nominentur. 554
Angelicarum Hierarchiarum per miſtica ſigna inſpectio. 551
Angelorum aduentus ad Reſurrectionem D. N. Ieſu Chriſti. 331
Angelorum auxilio Romani victoriam cōſequuntur ex Sarracenis centum millibus, ſe metu in Euphratem præcipitantibus. 569
Angelorum dominium in creatura corporea. Eorundem ſcientia. 555
Angelorum exercitus, ſigno S. Crucis præeunte, fugāt hoſtes Alphonſi Congorum Regis. 257
Angelorum pars in ſuperbiam elata cecidit à gloria ſua. 555
Angelorum ſtupenda, & admirabilis tutela erga ſenem quendam naufragum. 560. & ſeqq.
Angelo duce, Chriſtianorum exercitus ex magnis anguſtijs incolumis ad propria reſtituitur. 570
ab Angelis adiuta meretrix, ad Deum conuerſa, ſacramentum Baptiſmi ſuſcipit. 570
de Angelis enarrationes ex Patribus. 550. & ſeqq.
Angelis refertam domum Dei videbat omni ferè tempore S. Io. Chryſoſtomus, cum ſacrificium incruentum offerebat in Templo. 566
Angliæ Rex abdicat connubium non legitimum, & ſuſcipit fidem Chriſti. 849
Animæ immortalitas. 694
Animas decipere, & perdere tentat *Diabolus* multis artibus. 718. & ſeq.
Animæ defunctorum quorumdam apparent viſibili ſpecie cuidam, docentq. &c. 660. & ſeq.
Animi paſſiones in adoleſcente quàm potentes ſint. 822. & ſeq.
Antiochena Eccleſia ſemper habita eſt Patriarchalis, quia fuit à Petro fundata. 756
Antiochenæ Eccleſiæ ceſſit S. Petrus, Romana Cathedra fundata. 761
Antiphonam: Sub tuum præſidium, recitabat ſæpius quidam quotidie. 114. & ſeq.
S. Antonius Magnus veritatem fidei Chriſtianæ tuetur, & probat contra Gentiles Philoſophos. 719. & ſeqq.
Apoſtolus Iudæorū, dictus S. Petrus. 771

Apoſtoli, qui Symbolum fidei confecerunt. 609

Apoſtoli Petrus, & Paulus qua de cauſa morte damnati fuerint à Nerone. 820. & 830

Apoſtoli proficiſcuntur ad prædicandum Euangelium gentibus. 709

Apoſtoli ad partes Orbis terrarum proficiſcuntur ad prædicandum Euangeliũ. 733. & ſeqq. vſque ad 737

Apoſtolorum Actuum hiſtoriæ dignitas, & fructus. 799. & ſeq.

Apoſtolorum conſtantia, & fortitudo in propaganda fide Chriſti. 394. & 396

Apoſtolorum noua retia, & inſtrumenta piſcandi rationales piſces. 732

Aqua multorum fontium, & fluuiorum conuerſa in vinum, repetito per annos miraculo, eadem hora, qua Chriſtus in nuptijs aquam itidem conuertit in vinum. 188

Aqua Probaticæ Piſcinę cum moueretur, ſanabat ab omnibus infirmitatibus 96

Aquæ fontis Siloe, erumpentis ad radices montis Sion, virtutes. 210

Aquam benedictam bibens, in qua immerſus fuerat dens S. Matthæi, liberatur à vexatione Diaboli. 877

Arbor excelſa proficiſcente Ieſu in Ægyptum, ſe ſe vſque ad terram inflectit. 163

Arboris perpetuitas, ex qua à Iudeis euntibus in occurſum Chriſto, rami exciſi ſunt. 211

Armeniæ Rex à S. Bartholomæo perducitur ad fidem Chriſti. 860

in Armeniam maiorem, & citeriorem Indiam proficiſcitur S. Bartholomæus 736

in Armenia Martyrium ſubit S. Bartholomæus. 860

Arnobius, inſignis philoſophus, à cultu falſorum Deorum ad fidem Chriſti cōuertitur. 20

Ars manuaria S. Pauli Apoſtoli. 778

Artem manuariam, qualem, cur, & quando didicerit S. Paulus Apoſtolus. 778

Arundo, & ſpongia, per quam acetum Domino propinatum eſt. 269

Aſcenſio D. N. Ieſu Chriſti ad cælos, 341. & ſeq.

Aſcenſio Chriſti ad cælos. 693

Aſcenſionis Dominicæ die Feſto, virgo quædam humilis, cupiens videre Dominum, obtinuit ex hac vita migrare. 347

Aſcenſionis Dominicæ in loco miles deuotus petit mori, & exauditur à Domino. 348

in Aſiam migrat Ioannes Apoſtolus. 734

in Aſiam minorē proficiſcitur S. Io. Euangeliſta. 864

in Aſiam ſuperiorem, & alia loca proficiſcitur S. Philippus. 736

Aſpren à Petro Apoſtolo curatur, baptizatur, Neapolis Epiſcopus ordinatur. 759 Idem multa ſigna & prodigia operatur. ibid.

Athenis in Areopago prædicat S. Paulus. 791

Athenienſes circa cultum Deorum retinendum acres, & valde ſoliciti. 793

Athenienſes Romanis leges dederunt circa diuinum cultum. ibid.

Athenienſium olim deliria in exhibendo cultu Dijs nefandis. 24

Auarus, & blaſphemus in B. Virginem, horribiliter punitur. 138

Auctoris intentio in recitandis ijs, quæ his libris continentur. 366

S. Auguſtini ardor charitatis, pro conuerſione nobilis, & eruditi adoleſcentis. 386

Auguſtus Romanorum Imperator Chriſti typum expreſſit. 88

Aulæ Regum terræ, honore, & dignitate longe inferiores ſunt, ſepulchris Apoſtolorum Petri, & Pauli. 838. & ſeq.

Aurelij Caſſiodori litteræ ad Ioannem Romanum Pontificem. 639. Eiuſdem edictum de ſubleuata inopia, quo Regis munificentia mirificè commendatur. 642

Aurum immenſum Templi Hieroſolymitani in poteſtatem Romanorum, qua ratione peruenerit, & cuius rei hoc eſſet typus. 70. & ſeqq.

B

Babylonij, ope Danielis fraudes agnoſcunt Sacerdotum Idoli Bel. 14

Bacchanalia Gentilium. 17.& 30
Bacchus, qui & Dionyſius dicebatur, & nefanda Bacchanalia à Gētilibus olim celebrata. 17.18.& 19
Baculo S. Petri mortuus ſuſcitatur. 760
Baiazethes Turcarum Imperator Pontifici Romano lanceam, qua Domini noſtri Ieſu Chriſti latus percuſsū eſt, mittit pro pretioſo munere. 287
in Balneum ſpiritu ducitur S. Io. Apoſt. 871
Baptizauit Petrum Chriſtus ſuis manibus. 755
Baptizati à Paulo recipiunt Spiritum ſanctum. 794
Baptiſmi Chriſti locus quàm celebris. 187
Baptiſmi ſacramentum vbi miniſtrabat S. Petrus Romæ. 747
Baptiſmum ſacrum, & fidem Chriſti ſuſcipiunt multi edocti caſu cuiuſdam eiuſdem fidei illuſoris. 717.& ſeq.
Baptiſmum iterari ſuadens, à Dæmone horribiliter in aquis ſuffocatur. 55
Barnabas Mediolanum mittitur. 774
A Spiritu ſancto ſegregatur cum Paulo ad prædicandum Euangelium. 782
Cum Paulo Iconij facit ſigna, & multos ad fidem conuertit. 785
Diuinos honores recuſat. ibid.
S. Bartholomæus proficiſcitur in Armeniam maiorem, & citeriorem Indiam. 736
Bartholomæus Apoſtolus multas gentes ad Chriſti fidem conuertit. 859
Item Armeniæ Regem, & coniugem eius. 860
in Armenia martyrium ſubit. ibid.
ad Beatitudinem æternā trahit Deus per fidem veram homines in mundo errantes, & tenebris preſſos. 688
Beatitudinem ſibi impetrat oratione Poſthumius Abbas. 532
Bel Idolum Babyloniorum deſtructum à Daniele. 13.& 14
Bellum præclariſſimum Chriſtianorum contra hoſtes fidei: inſignis victoria; & res à Chriſtianis militibus fortiter geſtæ. 271. & ſeqq. & 275. & ſeqq. & 280. & ſeqq.
Bellum gerens contra Sarracenos Hiſpaniarum Rex, Crucis virtutes experitur. 254. vide Paganos.
Bellum gerentibus fidelibus opem fert S. Iacobus Maior. 494.& 495
Beniamin Tribus trifariam nobilitata. 777
Benignitas Neronis initio ſui Imperij. 810
Beſtiæ atroces mites redduntur coram Thecla Chriſti virgine. 786.& ſeq.
Bethſaida patria S. Ioannis Euangeliſtæ. 864
Blaſphemans Deum, & B. Virginem viuus ad æternos cruciatus defertur. 59
Blaſphemię deteſtabiles in cauſa ſunt, cur Deus in terras famem, terræmotus, & peſtilentias immittit. 638
Blaſphemus in B. Virginem punitur horribiliter in ore. 137. Item alius. 138
Blaſphemo in Deum, & B. Virginem lingua præciſa, ope eiuſdem B. Virginis reſtituitur, vt poſſit confiteri peccata ſua. 126
Blaſphemi, & imprecatores quidam, permiſſu Dei à Dæmonibus varijs pœnis afficiuntur. 46
Bona Eccleſiaſtica in profanos, & malos vſus auferre, & vſurpare quàm deteſtabile ſcelus ſit. 599
Bonorum conſuetudo quàm vtilis ſit, docet conſuetudo Triphenæ nobilis feminæ. 788
Bonorum Saluator, malorum punitor Chriſtus. 223
Brachium incurabiliter obtortum, Mariæ Virginis ſanctiſſimæ ope mirabiliter ſanatur. 122.& ſeqq.

C

CAeſaris Baronij Cardinalis matri modicus panis, & vinum indigentibus erogatum, numquam deficit. 474
Caij Imperatoris imagines omnes abolitæ. 765
Calamitatibus, & malis à Diabolo machinatis, qui ſint ſubiecti. 505
Calculo laborans, morti vicinus, ope S. Andreæ Apoſtoli liberatur. 855
Caluiniſta hæreticus videt Diabolum ſub ſpecie atri canis, & paulò poſt infæliciter

citer moritur. 728
Caluiniſta hæreticus poſt oſtenſum ſibi à Deo ſignum contra eius hæreſim, tandem Catholicæ Eccleſiæ reconciliatur. 728
Caluiniſta inimicus ſigni Crucis deijcitur è turri, & enecatur à Dæmonibus. 44. & 45
Calumniam paſſus iniquam è carcere mirabiliter liberatur. 538
Candidam Neapolitanam mulierculam docet fidem Chriſti S. Petrus Apoſtolus, eandemq. ab infirmitate curat, & baptizat. 758
Captiuorum vincula diſrumpit ſignum Crucis. 253
Captiuum Diaconum liberat Sanctulus presbyter, ſe ipſum in captiuitatem tradens. 198
è Carcere ab Angelo educuntur Apoſtoli, vt doceant populum fidem ſanctam. 396
Carcerir in quo ſeruatur, & orant S. Paulus Apoſtolus, & Silas, oſtia omnia vltro aperiuntur. 789
Carceris cuſtos baptizatur. ibid.
Carceris oſtia mirabiliter aperiuntur Apoſtolis. 681
Carceris oſtia vltro aperiuntur S. Paulo, & ſocijs. 789
Carne humana vſæ ſunt pro cibo quædam mulieres tempore ingentis famis. 644
Carnium ab eſu Monachi tranſgreſſores coercentur, lacu precibus B. Odonis à Deo impetrato. 540
S. Carolus Borromeus, paſſionis, & mortis D. N. Ieſu Chriſti ſtudioſiſſimus. 319. & ſeqq.
S. Carolus exercitationem cōmunis orationis inſtituit, & hoc modo orantibus Summus Pontifex indulgentias elargitur. 548
S. Caroli Borromæi charitas, & praxis admirabilis ad alendos pauperes tempore famis, & peſtis. 672
S. Caroli Borromæi ſumma Religio 267. Mirifica patientia. 268
Caſuum figurationes, quibus vtuntur iuris Ciuilis, & Canonum Doctores, perutiles ſunt ad docendum. 7
Caſtiſſimi, & innocentiſſimi hominis mors vindicatur. 206
Caſtitatis perdendæ occaſioni ſe temere exponēs caſtus iuuenis, ab Angelo verberatur. 572. & ſeq.
Caſtitati mulieris cuiuſdam inſidias parans iuuenis à ferociſſimo cane trucidatur. 204
Cathedra lignea Petri, & aliorum Epiſcoporum. 760
Catena vinctus S. Paulus, biennio Romæ liberè agere permiſſus eſt. 802
Catenarum S. Petri præconia. 499
Catenæ annulo, qua ſe ſanctiſſima quædam mulier cinxerat, plures, & incurabiles morbi ſanantur. 842. & ſeq.
Catholici cur appellati credentes. 487
Cephas quid ſignificat. 749
Charitas admirabilis erga pauperes Fabiolæ nobilis Romanæ. 464
Charitas Chriſti fidelium initio naſcentis Eccleſiæ. 394
Charitas, & Fides admirabilis Sanctuli Presbyteri ſe in captiuitatem tradentis, vt Diaconum quendam à captiuitate liberaret. 198
Charitas S. Io. Apoſt. in adoleſcentem Chriſto acquirendum, & recuperandum. 868
Charitas S. Pauli Apoſtoli in Oneſimum Philemonis ſeruum. 804
Chriſti Domini aduentum cur longe ante innoteſcere mundo voluerit Deus. 74. & ſeqq.
Chriſti Domini noſtri aduentus Sibyllarum oraculis prænunciatus. 77. & ſeqq.
Chriſti typum expreſſerunt Cyrus Perſarum Rex, & Auguſtus Romanorum Imperator. 88
Chriſti aduentum inſtantem, indicauit Templum Hieroſolymitanum ſecundum magnificentius primo. 92
Chriſti aduentu inſtante, quæ prodigia apud Iudæos acciderint. 90
Chriſti aduentu inſtante, pax vniuerſalis in Orbe terrarum. 87
Chriſti aduentu inſtante, ſimulacra falſorum Deorum ictu fulminis deſtruuntur Romæ. 82 & Oraculum Apollinis obmuteſcit. 83
Chriſti aduentus in mundum cur dilatus

fit

ſit, & manifeſtatus nouiſſimis temporibus. 729.& ſeqq.
Chriſti Domini noſtri aduentus in Orbem terrarum. 108
Chriſti Natiuitatis tempus cum tempore natiuitatis Abraham mirabili paralello conuenit. 66
Chriſti Domini noſtri natiuitas ineffabiliter ſupra naturæ ordinem in mundo facta. 139.& ſeqq.
Tempus eiuſdem natiuitatis. 146
Miraculum in ſpelunca,in qua Chriſtus natus eſt,in ipſo puerperio B.Virginis. 148
Chriſtus. Vide Natiuitas D. N. Ieſu, puer, imago. Ieſus Chriſtus.
Chriſti pueri reditus Nazareth ex Aegypto. 169
Chriſtus Dominus quare orauerit. 519
Chriſti baptiſmi locus quàm celebris. 187
Chriſtus ſuis manibus baptizauit Petrum. 755. & eundem ſolum ordinauit Epiſcopum ibid.
in Chriſti facie relucebat fulgor & maieſtas diuinitatis occultæ, qua ex primo ad ſe videntes trahere poterat aſpectu. 875
Chriſti miraculorum fama motus Rex Abagarus, Epiſtolam ad eundem Ieſum miſit. 189. Reſcriptum Ieſu ad Abagarum. ibid.
Chriſti Domini imago miraculoſa,ab ipſo miſſa ad Abagarum Regem. 190
Chriſto ſtatuam erexit mulier à ſanguinis fluxu liberata. 190
Chriſtus vbi fleuit Hieruſalem, in eodem loco Romani eam euerſuri caſtra poſuerunt. 211
Chriſti D. N. dicta, quæ non ſunt in Euangelio ſcripta. 218
Chriſti Domini noſtri paſſio,& mors meditanda. 317.& ſeqq.
Chriſti Domini genuum, vel pedum veſtigia lapidibus impreſſa. 212
Chriſti Domini noſtri columnæ virtutes, in qua ipſe flagellatus fuit. 213
Chriſti corona ſpinea. 230
Chriſti Domini noſtri corona ſpinea. 213
Chriſti veſtis inconſutilis, quæ, & qualis eſſet. 229
Chriſti paſſionis, & ſepulchri inſtrumenta,& loca vbi hæc facta ſunt,toto Orbi, quàm conſpicua ſint, atque proficua. 225
Chriſtus mortuus eſt in eodem loco, vbi Adam. 214
Chriſtus. Vide, Crux, Claui, Lancea. Imago Ieſu. Imagines duę. Euchariſtia.
Chriſti Domini deſcenſus ad inferiora loca. 325. Eiuſdem Triumphus apud inferos. 326
Chriſti Domini noſtri ſepulchrum, cuius formæ, & menſuræ ſit. 217
Chriſti Domini Noſtri Reſurrectio, & mirabilia, quæ contigerunt in ea. 327. & ſeqq. Splendor, & dignitas eius diei. 331. Claritas ipſius Reſurrectionis. 332
Chriſtus Dominus, ad quam ſublimitatem erexerit homines,cum reſurgendo regenerauit eos in vitam æternam. 336
Carni noſtræ quid præſtiterit. 339
Chriſtus reſurgens primo omnium ex Apoſtolis Petro ſe videndum præbuit. 752
Chriſti Domini Noſtri verba ad S.Thomam Aquinatim. 530. & ſeq.
Chriſti Domini Noſtri Reſurrectionis, nobile teſtimonium reddit S. Stephanus. 397
Chriſti ad Cælos aſcenſio. 693
Chriſti Domini Noſtri aſcenſio ad cælos quam magnifica & glorioſa. 341. & ſeqq Item quid præſtet hominibus. ibid.
Chriſti Domini Noſtri conſilium,& voluntas fuit perducere homines ad cælorum gloriam, quo ipſe aſcenderat, cum miſit in terras Spiritum ſanctum. 367
Chriſtus Dominus bonorum Saluator, malorum punitor. 223
de Chriſto D. N. teſtimonium Ioſephi Hebræi hiſtorici. 218. Epiſtola Pilati, ad Tiberium. 219. & ſeq.
Chriſti mortis rei Iudæi, & Pilatus diuina vltione puniuntur. 221
Chriſti fidem amplecti, & aſſentiri illis, quæ per eam reuelantur, rationibus ex Theologia naturali deductis, tenentur omnes homines. 690
Chriſtiana fides, quàm longe lateq; per Apo-

Apoſtolos, ſed præcipue per Petrum ſit propagata. 698. & ſeqq.
Chriſtus quid ſignificare voluerit, cum Petro dixit: Romam venio iterum cruciſigi. 756
Chriſti Domini corpus, aſſeruatum in Pixide argentea, furto ſublata, miraculoſe ſe prodit. 357
Chriſto ad nouam Baſilicam conſtituendam quingenti, & quadraginta Iudæi ad fidem conuerſi, euerſis Synagogis, pecunias, & ſaxa comportant. 437
Cicero quid ſenſerit de Dijs Gentium. 34 & 35.
Circenſia feſta ſuperſtitioſa Gentilium quando Romæ fuerint abrogata. 185
Cyrus Perſarum Rex Chriſti typum expreſſit. 88
Clauum Chriſti, qui freno inſitus eſt, Mediolani ſumma cum veneratione aſſeruatum, S. Carolus Borromeus longiſſimâ via religioſiſſimè per ciuitatem portat. 267
Claui quibus affixus fuit Cruci Ieſus Chriſtus Dominus noſter. 263. & ſeq. & 270.
Clauorum quibus Chriſtus crucifixus eſt numerus. 265
Clauorum Chriſti multiplicitas vnde. 266
Clemens Octauus Pont. Romanus quotidiano pauperes cibo paſcit, & eis miniſtrat. 671
S Cleophas, vnus ex 72. diſcipulis Chriſti, erat ciuis caſtelli Emmaus, ad quod ibat cum Socio, quando eis Chriſtus poſt Reſurrectionem apparuit. 315
Cælum tertium ad quod raptus eſt S. Paulus Apoſtolus. 781
Cæmeterijs vtebantur primitus Chriſtiani ad diuina officia, & ſacra omnia peragenda. 747
Cæna cruenta Herodis, qui caput Ioannis præcidi iuſſit. 192
Collectas ferre conſuerant fideles, in primitiua Eccleſia, ad pauperes ſuſtentandos. 623. & ſeqq.
Columba è templo egredi viſa eſt, cum D. N. Ieſus Chriſtus emiſit ſpiritum. 217
Columnæ virtutes, in qua flagellatus eſt D.N. Ieſus Chriſtus. 213
Columnæ, quibus cum flagellarentur, alligati ſunt Petrus, & Paulus. 830
Compoſtella in Epiſcopalem dignitatem erigitur. 492
Conceptio filij Dei. 693
Concilium primum Hieroſolymis celebratum à S. Petro. 770
in Concilio primus loquitur Petrus. 754
Confeſſionē ſacramentalem ſpernens peccatrix quædam nobilis horribili morte interimitur, & corpus etiam Dæmoni traditur ab eius Patre. 57. & 58
Confeſſioni ſacramentali, & ſanitati animæ prius danda opera ijs, qui corporalem cupiunt ſanitatem. 413
Confeſſioue ſacra flagitia expianda ſunt militi Chriſtiano, antequam pugnam aggrediatur. 276. & 281
Confiteri vt poſſit peccata ſua, cuidam blaſphemo, ope B. Virginis, lingua præciſa reſtituitur. 126
Confitetur peccata ſua fingens ſe Chriſtianum Turca quidam, & ſumit ſacram Euchariſtiam; deinde intus illuminatus fidem Chriſti amplectitur, & ſequēti die diſcedit è vita. 159
Conſuetudo bonorum quàm vtilis ſit, docet conuerſio ad fidem Triphenæ nobilis feminæ. 788
Conſuetudo in malis quàm ſit pernicioſa. 717
Conuerſio mirabilis S. Pauli. 453
Conuerſio gentium reuelata S. Paulo. 781
Conuerſio inſignis cuiuſdam peccatoris, qui dextera Dei ita mutatus eſt, vt dein de meruerit etiam clarus eſſe miraculis. 454
Conuerſio Sergij Proconſulis ad fidem. 782
Conuerſio ad fidem Catholicam cuiuſdam Regis, viſo miraculo. 716
Conuerſioni nobilis & eruditi adoleſcentis dant operam ſumma cum cura S. Auguſtinus & S. Paulinus. 386. & ſeq.
in Conuerſione Iudæorum varij, & mirabiles euentus. 424. & 428. vſque ad 438
Conuerſio admirabilis ad Religionem Ordinis Prædicatorum iuuenis perditiſſimi.

tiſſimi. 824. & ſeq.
Conuertitur ad fidem cuſtos carceris, in quo ſeruatur S. Paulus Apoſtolus. 789
Conuertuntur ad fidem multi exemplo permoti cuiuſdam contemptoris ſacri baptiſmatis, qui cito diuino iudicio damnatus eſt. 717. & ſeqq.
Choræis, & tripudijs homines Diabolus decipit, illaqueatque. 197. & 204
Chriſtiani nominis dignitas, & ſublimitas. 485
Chriſtiani primitus non ſolum hoc nomine appellati ſunt, ſed etiam Fratres, Sancti, Fideles, & Credentes. 486. Item Catholici. 487
Chriſtiani vexantur ab Agrippa Rege, Iudaicæ Religionis obſeruantiſſimo. 489
Chriſtianorum Romanorum poſt prædicationem S. Petri pietas, fides, & fortitudo. 766
Chriſtianis, & Iudæis ab Vrbe pulſis, redeundi facultas datur. 809. & ſeq.
Chriſtiani, Romæ falſo accuſati de Vrbis incendio, ſæuiſſime cruciantur ſub Nerone. 810. & ſeqq.
Chriſtianæ fidei extenſio, & propagatio ad omnes fines terræ. 715. & ſeqq.
Chriſtiani omnium nationum, quæ ſunt in Orbe terrarum, quàm rectè, & ſanctè confugiant, & ſe conferant ad Vrbem, ſeq commendent protectioni, & interceſſioni Principis Apoſtolorum. 587
Chriſtianorum exercitus obſidens Ciuitatem Hierusalem, eandé religiosè circumit nudis pedibus. 272
Idem exercitus, tum in recuperanda ſancta Ciuitate, tum in obtinenda poſt victoria inſigni contra Regem Babyloniæ, diuinam opem mirabiliter experitur. 272. & 273
Cornelius Centurio Italus, inter gentes Chriſti fidem primus amplectitur. 457
Corona ſpinea Ieſu Chriſti D. N. 213 & 230
Coronam Chriſti ſpineam recogitans miles Chriſtianus, coronam militarem noluit capiti ſuo imponere. 231
Coronam Chriſti ſpineam recogitás Godefridus, noluit in ciuitate Hieroſolymitana geſtare regiam. 231
Coronæ Chriſti ſpina, feria ſexta Paraſceues ſanguineis guttulis rubeſcit. 232. eadé die floret. ibid. Ab ea floſculi pullulant, & ſudor quidá apparet. 233
Corpus Chriſti in terris eſt, vt mortalibus diuinam vitam largiatur. 349
Corporis externi actus in oratione, quid orationi conferant. 513
Corporis compoſitio in oratione non eſt preſcripta; ſed ſtantes, ſedentes, genuflexi, & iacentes in lecto orant ſerui Dei. 514
Credendorum maiorem notitiam tenentur habere qui erudiũt alios, quàm ceteri. 697
Credibilia teſtimonia, & fides ſana, quæ ſint. 697
Cronacéſi in arce infeſtatio dæmoniaca. 43
Crucifixus olim Chriſtus apud Hieroſolymam, Romæ iterum in perſona Petri ſui Vicarij crucifigitur. 756
Crucis mortem prædixit Chriſtus Petro Apoſtolo. 752
Crucifixi Domini noſtri effigiem irridés, terretur à lumine ab imagine emiſſo, & cum plurimis Chriſtum confitetur. 255
Cruces comparuerũt Hieroſolymis prodigijs magnis Iuliano Imperante, & crucem perſequente. 244
Item alio tempore itidem cruces apparuerunt in Syndonibus, *Iudæis in Synagoga*. 246
Crucis Chriſti gloria. 234 & ſeq.
Crucis Chriſti inimici Iudæi abſtulerunt ab vno Pſalmo vocem vnam. 258
Crucis Chriſti materia. 241
Menſura. 244
Crucis Chriſti titulus, cur, quando, & in qua parte ipſius crucis affixus fuerit. 259. & 260
Quot linguis inſcriptus fuerit 260. & ſeq.
Vbi, & quando inuentus. 263
Crucis Chriſti particulam aſpiciens, & non credens, & contemnens, mutus efficitur, deinde facti pœnitens, ad aſpectum Crucis, loquelam mirabiliter recipit. 237

Cru-

Crucis Domini Noſtri Ieſu Chriſti pars à quibus, & quando inuenta. 274
Crucis portionem diripientes, & aſportantes, diuinitus perterriti, ad priſtinum locum remittunt. 252
S. Crucis Prouincia, quæ, & cur ſic appellata. 256
Crucis ſigno Patres Societatis Ieſu apud Indos mira operantur. 239
Crucis ſigno ſe non communiens Iuuenis quidam, peccatis obnoxius, incidit in manus Diaboli; ſed ſocius Cruce protectus euaſit manus eius. 256
Crucis ſigno præeunte, exercitus Luſitanorum celeberrimas contra Paganos, Mahometanos victorias reportant. 258
Crucis ſigno munita mulier non læditur à Dæmone. 37
Crucis ſigno præeunte Anglorum exercitus fugat hoſtes Alfonſi Congorum Regis. 257
Crucis ſigno, certa verba proferens de Euangelio, S. Vincentius ægros ſibi oblatos ſanabat. 380
Crucis ſigno Diaboli falſa ſpectra, & illuſiones diſſipantur. 719
Crucis ſignum diuinitus oblatum ſequentes Luſitani in Aethyopiam primum appulerunt. 257
Crucis ſignum apud Braſeliam ſuper arborem poſitum, admiranda operatur, totam prouinciam Chriſto ſubijcit. 256
Crucis ſignum in cælo mirabiliter apparet ſuper Reges, & Principes ad pacem Archiepiſcopo prædicante conuerſos. 252
Crucis ſignum irridens, & ſpernens hæreticus à dæmonibus deijcitur è turri, & enecatur 44. & 45
Crucis ſignum paruulus adorans, & oſculans à parentibus hæreticis obiurgatur, & cæditur, nec deſiſtit; moriens eis deuotionem crucis prædicat, illi tandem poſt mortem pueri, viſo magno crucis prodigio, conuertuntur. 249
Crucis ſignum aliquando non fugat Diabolum, Deo ſic permittente. 537
Crucis ſignum virtute ſua frangit vectes portarum, vincula captiuorum diſrũpit, & educit vinctos in fortitudine. 253
Crucis à S. Thoma ſculptæ grande prodigium. 862. & ſeq.
Crucis virtutem, & opem experitur Hiſpanorum Rex in bello contra Sarracenos. 254
Crux admirabilis apud Hiſpanos miniſterio Angelorum ſuper altare defertur. 250
Crucem Chriſti à Soldano Chriſtiano occulto ſuper ſepulturam matris eius Chriſtianæ poſitam Sarraceni exturbare conantur, & pars eorum perit, pars baptizatur. 251
Crux (Rubea à Rege Franciç) quãdo ſit / (Alba à Rege Angliæ) ſuſcepta. / (Viridis à Comite Flãd.) 252
Crux ſalutis omnium cauſa extitit. 253
in Cruce ſuſpendi voluit S. Petrus capite deorſum verſo humilitatis cauſa. 834

D

DÆmon decipit famoſam meretricem, quæ moritur miſerabiliter. 38
Dæmon exorcizatus à Martino Luthero, eum in ſummas anguſtias redigit. 48
Dæmon inſidens humeris Martini Lutheri conſpicitur ab Imperatore. ibid.
Dæmon terret horribili ſpectro mulierem eum inuocantem. 37
Dæmon vulnerat Iudæos exorcizantes per Ieſum. 794
à Dæmone obſeſſa mulier inter hæreticos, latentes ſacratiſſimæ Hoſtiæ particulas, in ſinu detentas reuelat. 355
Dæmones exorciſmis adiurantur. 795
Dæmones interficiunt quoſdam hæreticos, alioſq aliter lædunt. 44.45 & 46
Dæmones plurimi ad exequias Martini Lutheri confluxerunt. 47
Dæmoni innumera Templa ædificata apud Indos. 52
Dęmones vexant Monachum proprietarium. 857
Dæmonis poteſtas & dominium ablatum à Chriſto Domino. 37
Dęmonibus poteſtatem cur Deus præbeat, vt ſint in hoc ſeculo aliquando peccan-

peccantium tortores. 56
Dæmonum falſa ſimulacra, abominanda ſacrificia, & fraudulenta reſponſa apud Indos in Iapone. 49
Dæmonum fraudes innumeræ ad obcæcandos homines, & inducendas in orbem terrarum quamplurimas nefandas, & monſtruoſas ſuperſtitiones. 11. & ſeqq. vſque ad pag. 37
Dæmon, vide etiam in verbo Diabolus.
Dæmoniaca infeſtatio multiplex in Arce Cronaceuſi. 43
Damnationem æternam incurrit quidam Princeps paganus, qui baptiſmi gratiã paulò ante recuſauerat. 717. & ſeq.
Daniel in Babylone deſtruit idolum Bel, interficit draconem, & à Deo liberatur à leonibus. 13. & 14
Dauid ſepulchrum. 474
Debitorum remiſſio, & ſeruorum reſtitutio facta ab Auguſto. 86
Deucalionis & Pyrrhæ fabuloſa apud gentiles olim, reprehendit Arnobius. 20. & 21.
Deus eſt. 691
Deus cur diſtulit manifeſtare in nouiſſimis temporibus, ſalutis & redemptionis humanæ beneficium. 729. & ſeqq.
Deus, regnorum arbiter, omnia regna ad Chriſtum regem refert. 66
Deus quare permittat contra iuſtos præualere peccatores in hoc mundo. 439
Deus non vocis, ſed cordis auditor eſt. 517
Deus ad orandum nos prouocat, vt cor noſtrum capacius efficiatur ad accipienda quæ petimus. 513
Deus direxit Euangeliſtarum ſtylum. 875
Dei conſilium, vt longè ante filij eius aduentum, tantæ rei ſacramentum mundo innoteſceret. 74
Dei altiſſimum conſilium fuit, vt omnes homines in mundo errantes, & tenebris preſſos, ad cœleſtem gloriam per fidem traheret. 688
Dei vltio in mulierem fucis & peccatis operam dantem, & nolentem confiteri Sacerdoti. 57. & 58
Item in contemptorem Diei Feſti, quo ſanctiſſimi Corporis Chriſti memoria recolitur. 58. & 59
Item in blaſphemum Dei, & B. Virginis. 59
Dei omnipotentia, Sapientia, & Bonitas. 692
Dei miſericordia, & pietas in perditiſſimum peccatorem, memorabili exemplo oſtenditur. 824. & ſeq.
Dei à peccatore receſſus, & eiuſdem ad ipſum peccatorem pœnitentem acceſſus. 373
Deo de beneficijs gratias non agere, quàm grauis omiſſio ſit. 505
Deum & Beatam Virginem blaſphemans à Dæmonibus viuus ad æternos cruciatus defertur. 59
Deum verum ignorabat totus ferè mundus ante aduentum Chriſti Domini. 11. & 12
Deorum gentilium falſitatem, & veritatem fidei Chriſtianæ probat S. Antonius magnus contra Philoſophos. 719
Deorum matrem eſſe, quàm falſo putauerint Gentiles. 20
Quod genus hominum illi conſecraretur. 32
Deorum cultum firmiſſimè retentum & conſeruatum diu ab Atheniẽſibus. 793
Deorum patrem eſſe, quem falſo putauerint Gentiles. 23
Deorum falſorum gentilitatis nefanda ſacra & religiones monſtruoſæ. 11. & ſeqq. vſque ad pag. 37
Deorum falſorum ſimulacra Romæ, ictu fulminis, inſtante Chriſti aduentu deſtruuntur. 82. & oraculum Apollinis obmuteſcit. 83
Diabolus decipit, & illaqueat homines choreis, & tripudijs. 197. & 204
Diabolus S. Iacobi Apoſtoli imperio cõſtrictus, certorum malorum ſe auctorem fuiſſe fatetur. 537
Diabolus viſibili ſpecie apparens cuidam peregrino, eum ſeducere tentans, non recedit ab eo, etiam ſignum crucis contra inimicum adhibenti. 537
Diabolus apparet adoleſcentulæ ſimplici, & deuotæ, mentitus ſpeciem S. Franciſci. 40
Diabolus varijs ſpectris perterreſacere conatur deuotum S. Petri, ſed fruſtra. 41

Diabolus non habet poteſtatem nocendi cuidam mulieri munitę ſigno ſanctæ Crucis. 38
Diabolus horribiliter necat mulierem nobilem peccatricem, ſpernentem ſacramentum pœnitentiæ. 57. & 58
Diabolus quos in calamitates, & varia mala impellit, quoſque non valeat lædere. 505
Diabolus transfigurat ſe in Angelum lucis, deludit Principem Friſonum, ne fidei ſanctæ veritatem agnoſcat. 718.
Eiuſdem Diaboli falſa ſpectra Diaconus ſigno crucis diſſipat. 719
Diabolus perducit Simonem Magum ad Romanam Vrbem decipiendam, ad quam conuertendam profecturus erat Petrus. 739. & ſeq.
Diaboli fraudes ad decipiendos Indos, & recipiendos diuinos honores ab illis gentibus. 52. & ſeqq.
Diaboli nequitia Richardus Rex Angliæ captiuatur. 536
Diaboli rabies, & infeſtatio ne turpis eius caſus pingeretur. 42
Diaboli ſolicitudo ad decipiēdas, & perdendas animas memorabili exemplo oſtenditur. 823
Diaboli in manus incidit iuuenis quidam, peccatis obnoxius, & ſocius eius ſe ſigno crucis communiens euaſit manus eiuſdem Diaboli. 256
à Diaboli vexatione liberatur bibens aquam, in qua immerſus eſt dens S. Mathæi Apoſtoli. 877
Diabolo quidam ſe leuiſſime deuouentes, ab ipſis Dæmonibus permiſſu Dei varijs pœnis afficiuntur. 46
Diabolus. Vide etiam in verbo Dæmon.
Diaconia S. Mariæ in via Lata Romæ. 801
Dianæ Epheſiorum cultores concitantur contra Paulum, & Socios. 794. & ſequenti.
Dionyſius Areopagita fidem Chriſti amplectitur prædicante, & diſputante Sancto Paulo Apoſtolo. 682. & 793
Dionyſium Areopagitam vidit Ioannes Euangeliſta in Aſia. 869
Dionyſius dictus eſt Bacchus apud Gentiles olim. 17
Diſcipulorum Chriſti ſtudium ad prouidendum egentibus. 623
Diues auarus, & vſurarius punitur horribiliter. 138
Diuitem immiſericordem caſtigat Deus, & eius horrea diſſipat. 654
Diuites, qui parietes veſtiunt, equos ornant, &c. pauperes autem nudos deſpiciunt, quam reprehendi. 458. & 462
Diuitibus illuſtre exemplum reliquit Paula Romana, pauperum inopiam ſuis opibus ſubleuando. 654
Item Eliſabeth Regis Pannonum filia. 656
Item S. Ludouicus. 657
à Diuitibus vltro requirendi ſunt pauperes, nec ſcrutandi, quales ſint. 460
Diuitiarum contemptus in Chriſti fidelibus initio naſcentis Eccleſiæ. 394
Diuinitatis ſimilitudinem quomodo participant Angeli, & pulchri fiunt, & illuſtrationes ſuas ordinatè hominibus participant. 551. & ſeq.
Diuinarum perſonarum productio. 692
Diuinos honores Seianus affectans morte multatur, & filij inaudito dedecore, & morte afficiuntur. 209
Dolores ſeptem, & ſeptem gaudia S. Ioſeph. 174
Dominico die Miſſa audienda. 358
Domus ornanda eſt non aulæis, & tapetibus, ſed eleemoſynis. 459. & 460
Dorcas, diſcipula ſancti Petri, ab eodem ad vitam mirabiliter reuocatur. 455
Draconem quem Babylonij adorabant, interficit Daniel. 14
Draconem fictū olim Romani, vt Deum colebant. 16

E

Eadbaldus Angliæ Rex abdicat connubium non legitimum, & ſuſcipit fidem Chriſti. 849

Ebionis impietatem deteſtatur S. Ioannes Apoſtolus. 871
Eccleſiæ Catholicæ mirabilis, & indiuidua vnitas. 737.& ſeq.
Eccleſia Catholica, & fides Chriſti, quoniam à Deo eſt, diſſolui non poteſt, ſed inter hoſtes eam oppugnantes, durat æterna. 705.& ſeq.
Eccleſiæ gubernaculum penes S. Petrum Apoſtolum. 475
Eccleſiæ naſcentis initio, credentium vnanimitas, & diuitiarum contemptus. 394
Eccleſiæ naſcentis initio, ad fidem firmandam, miraculis opus fuit, hodie irreprehenſibilis vita Prædicatorum Chriſti, ſignorum omnium vim obtinet. 715
Eccleſiæ primitiuæ tempore optimi mores fidelium. 376
Eccleſia Romana à Petro optime inſtituta. 767
Eccleſia Romana Patriarchalis, & prima à Petro fundatur. 756.& 758
Eccleſiarum omnium mater Romana Eccleſia. 768.& ſeq.
Eccleſiæ Romanæ fundatione Idolatria decreſcit. 765
Eccleſiæ bona occupans diuinam vltionem experitur. 855.& ſeq.
Eccleſiæ tres Patriarchales, & primæ à S. Petro fundatæ. 756
Eccleſiaſtica bona auferre, & vſurpare in malos, & profanos vſus, quam impium ſit, & deteſtabile ſcelus. 599
Eccleſiaſtica ornamenta diſtrahit, & vaſa ſacra confringit, vt egenorum ſuppleat neceſſitati Sanctus Odilon 665
Eccleſiaſticus vir, quibuſuis prematur occupationibus, deuotionem tamen, orationes, & meditationes deſerere non debet, ne ipſe à Deo deſeratur 509
Eccleſijs damna à ſe data confitetur, & ſatisfacit, prout poteſt, Guillelmus Rex Angliæ morti proximus. 601. & ſequentibus.
Eclypſis prodigioſa Solis in morte Domini Noſtri Ieſu Chriſti. 215
S. Eleazarius Chriſti iniurias, pœnaſq. cogitando, moleſtias, & aduerſa omnia æquanimiter perferebat. 325
de Eleemoſyna. 623. & ſeqq. fere per totum vſque ad 638
Eleemoſyna eſt planta fructifera, quæ ad cælum vſque pertingens, æternos producit fructus. 461
Item eſt penna ad cælum eleuans pœnitentem; mercatura ſpiritualis; ars omnium quæſtuoſiſſima. 462
Eleemoſyna ex vaſis ſacris confractis tempore neceſſitatis. 665
Item ex ſuppellectili Apoſtolica. ibid.
Eleemoſyna, quæ precibus extorquetur, non eſt perfecta. 466
Eleemoſynæ dandæ admirabile exemplum præbuit Fabiola nobilis Romana. 464
Item Paula Romana. 654
Item Eliſabeth, Regis Pannonum filia. 656
Item S. Ludouicus. 657
Eleemoſynæ nomen glorioſum eſt in populo Chriſtiano. 457
Eleemoſynam noctu deferens à magno periculo liberatur. 473
Eleemoſynam quomodo facere poſſint pauperes, & ingentem mercedem recipere. 461
Eleemoſynam non præſtans, cum poſſit, ſimilis eſt latroni, qui ſpoliat. 460
Eleemoſynam Angelus pauperis ſpecie à B. Philippo accipit. 473
Eleemoſynam largitur B. Virgo Maria cuidam deprecanti ipſam ante eius imaginem. 116.& ſeq.
Eleemoſynam quæ deformant, & ſterilem reddunt. 464
Eleemoſynas dandi pauperibus fuit ſtudioſiſſimus Nicolaus Papa Primus. 664
Eiuſdem prudens admonitio in paſcendis pauperibus. ibid.
Eleemoſynas pauperibus ad Vrbem ex toto Orbe aduentantibus ſubminiſtrat Romana Eccleſia, ex antiqua, & adhuc vigente, & in æternum retinenda conſuetudine. 667. & ſeqq. vſque ad 672

Eleemoſynas partas de diurno opere ſuo,& nocturna lucubratione dat quidam laicus deuotus. 679
Eleemoſynas largiendi ſtudium, & praxis admirabilis S. Caroli Borromæi tempore famis, & peſtis. 672
Eleemoſynas qui negligunt dare, licet cetera mandata ſeruent, valde reprehenſibiles ſunt: eorum autem magna eſt ſtultitia, qui differunt eaſdem eleemoſynas legare poſt mortem. 458
Eleemoſynas ob diſtributas, medicus quidam, de futura vita ambigens, cælitus illuminatur. 470
Eleemoſynis in præſtandis, quæ pietas, prudentia, & diſcretio adhibenda ſint. 466. & ſeqq.
Eleemoſynis domus ornanda, non aulæis & tapetibus. 459.& ſeq.
Eleemoſynaria inſignis, ſed infidelis puella, poſt lapſum in fornicationem, infirmatur, & conuertitur ad fidem Chriſti. 570
Eleemoſynariæ mulieri, nunquam deficit modicus panis, & vinum indigentibus erogatum. 474
Eleemoſynarij quàm copioſam mercedem recepturi ſint. 465.& ſeq.
Eleemoſynario cuidam presbytero pecunia mirabiliter multiplicatur. 664
Eleemoſynarius quidam iuuenis, improuiſam paulò ante mortem, contritionem obtinet, luxurioſam præteritam vitam deteſtatur, confitetur peccata, & moritur in pace. 472
Elimas Magus, aduerſans Euangelio cæcitate percutitur. 782
S. Eliſabeth, Chriſtum crucifixum contemplans, pompam Regiam deponit, & humile viuendi genus amplectitur. 324
Eliſabeth Regis Pannonum filiæ in pauperes miſericordia. 656
Eloquium admirabile S. Paulini, cum pari pietate coniunctum in enarrandis ſtupendis quibuſdam miraculis. 560.& ſeqq.
Emmaus Opidum, imò Ciuitas inſignis Paleſtinæ. 315
Epheſi habitauit B. Virgo Maria. 734
Epheſij Dianæ cultores concitantur contra Paulum Apoſtolum, & Socios. 794
Epiphaniæ die Auguſtus clauſit Iani portas, parta pace vniuerſali in Orbe terrarum. 87
Epiſcopus ordinatus fuit S. Petrus ſolus à Chriſto, ceteri à Petro. 755
Epiſcopus, & Prælatus ſublimis, quibus moribus præditus eſſe debeat. 506. & ſeqq.
Orationis ſtudium eidem neceſſarium. ibid. & 509
Epiſcopus à Rege carceratur iniquè, & nefas Diuina vindicta punitur. 659
Epiſcopus ſententiam fert contra Manichæam mulierem, quæ ſtatim percutitur à Deo in lingua, & obmuteſcit. 727
Epiſcopus Cantuarienſis flagellis, & exhortatione admonetur à ſancto Petro, ne deſerat gregem ſibi commiſſum. 848
Epiſcopo quanta miſericordia, pietas, prudentia, & diſcretio adhibenda, in Eccleſiaſtici patrimonij diſpenſatione. 366. & ſeqq.
Epiſcopum irridens hæreticus, diuinitus punitur. 856
Epiſcoporum Cathedra lignea. 760
ab Epiſcopis, & Sacerdotibus faciendæ eleemoſynæ præclarum exemplum reliquit S. Odilon. 665
Item Stephanus Papa Sextus. ibid.
de Epiſtola S. Petri prima Romę ſcripta. 762. & ſeq.
Epiſtolarum Petri Apoſtoli excellentia, & cęleſtis doctrina. 816
Epiſtolæ Canonicæ, quas mos Latinus formatas appellat, quam calculationis habeant rationem. 757
in Eremum ſecedit S. Maria Magdalena. 883
Euangeliſtę non omnia, quę Chriſtus geſſit, ſed aliqua pręcipua conſcripſerunt. 162
Euangelium prędicandum omnibus gentibus Chriſtus prædixit, & ſicut dixit, factum eſt. 707
Euangelium, primus omnium promul-

gat Sanctus Petrus. 753
Euangeliſtæ tres, videlicet, Marcus, Lucas, & Ioannes ante quàm ſuum inciperent, nouerunt Euangelium Matthei. 875
Euangelium cur ſcripſerit S. Ioannes, quando, vbi, & quæ ante ſcribendum miranda acciderint. 869 & ſeqq.
Euangelium Marci approbat S. Petrus. 764
Euangelij prædicandi cauſa proficiſcuntur Apoſtoli ad diuerſas Orbis partes. 733. vſque ad 737
Euangelio aduerſans cæcitate percutitur. 782
Euangeliſtarum ſtylum direxit Deus. 875
Euchariſtiæ Sacramentum, cur Dominus Noſter Ieſus Chriſtus inſtituerit. 349
Euchariſtiæ ſub diuino Sacramento, in quo eſt corpus Domini gloria, & gratia plenum, quæ myſteria & arcana continenantur. 359. & ſeqq.
Idem Sacramentum quid in nobis operetur. ibid.
Vſus ſumendi hoc cæleſte Sacramentum, & qua ratione, & quo tempore ſit frequentandum. 364
Euchariſtiæ Sacramentum illæſum cuſtoditur, ſuper Altare cadente fulmine. 354
Euchariſtiæ Sacramenti veritatem, vt non crederet quidam, deceptus eſt à Dæmone, ſed miraculo ſubſequente, Diaboli mendacium detegitur. 355
Euchariſtię Sacramenti deuotus quidam, in magna annonæ penuria, ſola comeſtione ſpecierum panis benedicti ſuſtentabatur. 354
Euchariſtiæ Sacramenti veritatem in obſeſſa muliere confeſſus eſt diabolus. 355
Euchariſtiæ ſacræ aſſeruandæ locum curioſius ſcrutans Turca quidam, viſo miraculo, ad fidem ſanctam conuertitur. 159
Euchariſtiam ſumit Turca quidam fingens ſe Chriſtianum, deinde intus illuminatus baptizatur, & ſequenti die moritur. 159
Euchariſtia accepta neſciens puella Turca intus illuminatur, & ſuſcepit ſanctum Baptiſma. 160
Eunuchus Candacis Reginæ baptizatur. 451
Idem martyrio coronatur. 452
Eiuſdem ſepultura. ibid.
Excellentiæ S. Petri Apoſtoli. 749 & ſeqq.
Exempla, & res præclarè geſtæ à viris Sanctis, mirum in modum excitant ad virtutes. 3. & ſeqq.
Exercitus Hieruſalem expugnaturi ſumma religio. 272
Exercitus Chriſtianorum ex magnis anguſtijs, Angelo duce, incolumis ad propria reſtituitur. 570
Exercitus validiſſimi ſola oratione fugantur. 540. & ſeq.
Exercitus fidelium proſternit exercitum ſchiſmaticorum duplo maiorem, vindicante S. Petro Apoſtolo fideles ſuos. 604
Exercitus Imperatoris Romano Pontifici infenſi ſubita peſtilentia diuino iudicio percutitur. 617
Exercitus Frederici Imperatoris magna fame laborat. 650
Exercitus. Vide, Pugna.
Exorciſmorum vſus, & virtus contra Dæmones. 795
Exorcizantes per Ieſum Iudæos Dæmon vulnerat. 794

F.

Fabiolę nobilis Romanæ admirabilis charitas erga pauperes. 464
Fabularum impiarum auctores qui. 18
Fames inaudita in toto Regno Danorum. 657
Fames magna ab Agabo Chriſti propheta prædicta. 623
Famis afflictio, & calamitas quàm magna. 634
Famis tempore, quàm laudabilis miſericordia, & liberalitas erga egenos. ibid. & ſeq.
Famis ingentis tempore, S. Benedicti Monaſterium diuinam opem experitur. 645

Famis & peſtis tempore vigilantia,& praxis admirabilis S. Caroli Borromæi ad alendos pauperes. 672
Eodem tempore quid fecerit S.Gregorius Magnus. 673
Famis reprimendæ cauſa Pōtifex Romanus ſupra centum mille aureos dari iubet. 670
Item alius magnam pecuniarum ſummam. 671
Famis tempore, patri paruulum filium occidere, & manducare cogitanti, ſuccurrit Deus. 471
Famis tempore quidam nobilis in ſuis domibus alit amplius, quàm quatuor millia pauperum promiſcui ſexus. 658
Famis tempore pluſquam quatuor millia pauperum paſcit,quidam Ciuis Florentinus. 679
Famis tempore abſconditum à vidua frumentum reuelat S. Seuerinus. 662
Famem ex Vrbe pellit ſingulari prouidentia Paulus V. Pont. Rom. 671
Famem futuram præuidens S. Remigius, in quadam valle plures metas congregari fecit; ſed perfidus populus, qui eas incendit,memorabili ſupplicio punitus eſt. 637
Fame ingenti vexatur Italia. 644. Roma. 646
Fame laborat Federici Imperatoris exercitus. 650
in Famelicos reficiendos beneficentia Cardinalis Varmienſis. 676.& ſeq.
Federicus. Vide Fredericus.
Feſtis diebus Miſſa audienda. 358
Ficulneæ areſactæ à Chriſto myſterium. 212
Ficus, in qua ferunt Iudam ſe ſuſpendiſſe. ibid.
Fides Chriſtiana quàm longe lateq. per Apoſtolos,ſed præcipue per Petrum fit propagata. 698.& ſeq.
Fides Catholica per omnia tempora, omnia loca peruadit: Hæretica autem fides aliqua tantum loca, & certo tempore decipiendo occupat. 703
Fides ſana, quæ ſit, & teſtimonia credibilia. 697
Fides Chriſti inter medios hoſtes eam oppugnantes, durat æterna. 705.& ſeq.
Fides miraculis fundata, hodie nouis miraculis non indiget. 715
Fides perfecta difficile inuenitur. 702
Fides intellectum à præſumptione liberat. 698
Fides veterum Romanorum poſt Petri prædicationem ſummis laudibus efferenda. 766
Fidei diffinitio. 697
Fidei Chriſtianæ veritatem tuetur, S. Antonius contra Philoſophos Gentiles. 719.& ſeqq.
Item S. Spiridion confundit Philoſophum, & conuertit ad fidem. 723.& ſeqq.
Item Alexander Epiſcopus. 725
Fidei iugū recipit ſuperba Roma,& pauperis Petri pede conculcatur. 738
Fidei ſanctæ propagandæ ardor,conſtantia, & fortitudo in Apoſtolis, & Diſcipulis Chriſti. 394.& 396
Fidei Chriſtianæ magna propagatio in nouo Orbe proximè elapſis temporibus adinuento. 704
Fidei propagandæ ſtudium temporibus auctoris. 703.& 704
Fidei Chriſtianæ illuſor cito experitur diuinum iudicium ſuper ſe ipſum 717.& ſeq.
Fidem Chriſti ſuſcipiunt multi edocti infelici caſu cuiuſdam,qui eandem fidem contempſerat. 717.& ſeqq.
Fidem Chriſtianam veram eſſe, probat quidam Clericus contrectatione ferri candentis. 716
Fidem piæ mulieris æmulans puella, ope B. Virginis Mariæ à maximo morbo liberatur. 131
Fidem Chriſtianam amplecti, & aſſentire illis, quæ per eam reuelantur, rationibus ex Theologia naturali deductis, tenentur omnes homines. 690
Fidem Catholicam impugnās Manichæa mulier percutitur à Deo in lingua, & obmuteſcit. 727
per Fidem creatura rationalis trahitur ad ſupranaturalem perfectionem. 695
Item trahitur à Deo ad participatio-

nem ipſius ſummi boni. ibid.
per Fidem ſcientia ſalutis conuenienter erat tradenda. 696
per Fidem trahit ad cæleſtem gloriam homines Deus. 688
Fidem Chriſti amplectuntur multæ gentes prædicatione S. Bartholomæi Apoſtoli. 859
Fidem Chriſti captiua mulier Chriſtiana Iberos docet. 534
Fidem Chriſti amplectitur, & baptizatur cuſtos carceris S Pauli. 789
Filiæ, & Seueri fidelium precibus, & S. Stephani meritis ſenex infidelis fidem Chriſti amplectitur. 414
Filij Federici Secundi Imperatoris, qui vexauerat Romanum Pontificem, poſt obitum patris eorum ſuffocati, male perduntur omnes, & extinguuntur. 620
Filij iniurijs afficientes matrem, diuinitus caſtigantur. 417
Fluuij Sabbatici in Paleſtina peculiare miraculum. 211
Fons olei largiſſimus Romæ fluxit per totum diem temporibus Cæſaris Augusti. 65. & 86
Fons à Chriſto, pedibus in eo ablutis, virtutem medendi morbis eſt conſecutus. 316
Fons apud quem baptizatus eſt Eunuchus Candacis Reginæ. 452
Fontis Siloe aquæ virtutes. 210
Fontium trium locus Romæ. 833
S. Franciſci ope liberatur à fraude dæmonis adoleſcentula quædam deuota, & ſimplex. 40
Franciſci Xauerij, Societatis Ieſu, viri ſanctitate clari, teſtimonium de dominio Dæmonum apud Iaponem. 49
Item de abominanda ibidem Sacerdotum libidine. 50
Fredericus Imperator Alexandrum Pontificem perſequens, Romam vexans, & Petri Eccleſiam incendere nitens, ſuperno iudicio, & miſerabili exitio mulctatus eſt. 612
Fredericus Secundus Imperator, poſt vexatum Romanum Pontificem, ſuffocatur à proprio filio; filij quoq. & eius genus totum male perditur, & extinguitur. 620
Frumenti venditi clàm, fraudatis militibus, pretium fit præda Gothorum. 649
Fugientes è Monaſterio Monachi, ope S Andreæ pœnitentiam agunt, & permanent in vocatione ſancta. 857
Fulmine cadente ſuper Altare, ſanguis Domini ibidem illæſus mirabiliter cuſtoditur. 354
Fulmine percuſſa Iuliani Imperat. ſtatua ſuppoſita in loco ſtatuæ Chriſti. 191
Furis ad domum tranſmittit quidam Ciuis Florentinus panem & triticum tempore famis. 679

G

in Galliam multos diſcipulos mittit S. Petrus ad prædicandum. 761
Gaudia ſeptem, & ſeptem graues dolores S. Ioſeph. 174
Gelaſij Romani Pontificis heroica virtus in extirpandis lupercalibus. 179
Gemmas & aurum dat virgo Thecla, vt ad Pauli colloquium ſibi aditum pateret. 786
Gentiles confundit S. Antonius Magnus 719. & S. Spiridion conuertit ad fidem Philoſophum. 723
Gentilium primus Cornelius Centurio Italus fidem Chriſti amplectitur. 457
Gentilitiæ ſuperſtitioni proſpicit Claudius, tiuens Idololatriæ deſtructionem. 765
Gentium conuerſio reuelata S. Paulo. 781
Gentium mores quàm corrupti eſſent, cum primum eis ab Apoſtolis prædicatum eſt Euangelium. 710
Godefridus Dux, S. Sepulchri D.N. Ieſu Chriſti aduocatus. 271
Godefridus recogitans Coronam Chriſti ſpineam, noluit captis Hieroſolymis in eadem Ciuitate geſtare regiam. 232
Gothis Roma traditur. 646
Gratiæ Deo agendæ ſunt de beneficijs acceptis. 505

Græci in Feſto Spiritus ſancti Imperium amiſerunt, qui doctrinæ Eccleſiæ Catholicæ de Spiritu ſancto credere recuſarunt. 391
in Græciam, & alias Prouincias mittitur S. Andreas Apoſtolus. 735
S. Gregorij Magni pietas, & liberalitas in pauperes tempore famis, & peſtis. 673
S.Gregorij temporibus qua in veneratione haberentur Sanctorum Reliquiæ. 837
Gregorij XIII. Pont. Rom.effuſa,& vniuerſalis charitas erga indigentes. 669
Gregorius XIV. Rom. Pontifex ſupra centum mille aureos dari iuſſit ad famem reprimendam. 670
Guillelmus Rex Angliæ,morti proximus ſecretè, & publicè confitetur damna à ſe illata Eccleſijs, & ſatisfacit, prout poteſt. 601.& ſeqq.

H

HEbręorum Sacerdotis ſtola,quo Dei conſilio peruenerit in poteſtatem Romanorum. 96
Hæreſiarcha primus, fuit Simon Magus. 755
Hæretici quàmplures à Dæmonibus, vel interfecti, vel aliter læſi, aut percuſſi. 44
Hæretici plures conuertuntur ad fidem Catholicam viſo miraculo. 727. & ſeq.
Hæretici poſt mortem pueri fidelis, viſo magno crucis prodigio, conuertuntur. 249
Hæretici aliqua tantum loca, & certo tempore decipiendo occupant: Catholica autem fides per omnia tempora, omnia loca peruadit. 703
Hæreticus poſt petitum à Deo, & ſibi oſtenſum ſignum veræ Religionis,tandem Catholicæ Eccleſiæ reconciliatut. 728
Hæreticus bonorum Eccleſiaſticorum occupator, Epiſcopi inſeſſor, & ingratus, à Deo punitur. 855.& ſeq.
Hæreticum violantem diem Feſtum, quo ſanctiſſimi Corporis Chriſti memoria recolitur Diabolus ſub ſerpentis figura deuorat. 58.& 59
Henricus Rex Germaniæ indebitè Romanum, & vniuerſalem Paſtorem vexans, primo excommunicatur, deinde à filio è Regno pellitur, poſtremo infeliciter moritur. 605. & ſeqq.
Herodes, &
Herodias diuinam vindictam experiuntur. 482
Herodes deſcendit in ſepulchrum Dauid, theſaurum inde ablaturus. 474
Herodis Agrippæ miſerabilis interitus, & diuina vindicta in eundem. 576
Herodis filium ſe ſimulans, vt in Regnum ſuccederet, à Cæſare detegitur. 208
Herodis, qui caput Ioannis præcidi iuſſit, cruenta cœna. 192
Herodi à Deo immiſſæ calamitates. 166. & ſeqq. Eiuſdem iracundia, & crudelitas in Iudæos. 167. & 168. Item eiuſdem crudelitas in filium,quem occidi iuſſit. Item eiuſdem teſtamentum, deſperatio, & mors. 169
Herodum genus vniuerſum. 206
Hieroſolymæ excidium prædicunt Apoſtoli Petrus, & Paulus. 814
Hieroſolymis primum Concilium celebratur à S. Petro. 770
Hieroſolymitana Eccleſia Patriarchalis nomine, non re, per multos annos habita. 756
Hieruſalem euerſuri Romani, in eodem loco caſtra poſuerunt, in quo Chriſtus fleuit ſuper eam Ciuitatem. 211
Hieruſalem expugnaturo exercitui Chriſtianorum, ipſam Ciuitatem nudis pedibus circumeundam ſuadent Epiſcopi, & Principes. 272
Hieruſalem recuperat ab exercitus Chriſtianorum. ibid.
in Hiſpaniam translatio Reliquiarum S. Iacobi, totius Hiſpaniæ patroni. 492
Hiſpanorum Rex experitur virtutem, & opem viuificæ crucis in bello contra Sarracenos. 254
in Hiſpanias proficiſcitur S.Paulus. 805 In ea regione conuertit ad fidem Xantippam hoſpitis ſui vxorem,& domum eius

eius totam. 806
Hiſtoriæ Actuum Apoſtolorum dignitas & fructus. 799. & ſeq.
Hiſtoriarum ſacrarum lectio, quàm vtilis. 3. & ſeqq.
Hiſtoriarum prophanarum lectio, quæ mala vt plurimum pariat. 1 & 2
in Homicidam diuina vltio. 412
Honores diuinos ipſis à turba oblatos recuſant ſancti Apoſtoli Paulus, & Barnabas. 680
Hoſpes S. Petri Romæ. 745. & ſeq.
Hoſpites recepturi, Zacchæi, & Centurionis exemplum ſibi proponant. 460
in Hoſpitalium ægrotantibus, & alijs ſub leuandis pietas, & beneficentia Cardinalis Varmienſis. 678
Hoſpitium primum S. Petri Romæ. 745
Hoſpitium primum S. Pauli Romæ. 801
Hoſtiæ ſalutaris oblatione Dæmones effugantur. 45
Humilitas S. Petri, qua voluit ſuſpendi in cruce capite deorſum verſo. 834

I

S. IAcobus Maior frater Ioannis, occiditur gladio ab Agrippa Rege. 489. Idem fuit protomartyr Apoſtolorum. 491. Eiuſdem Reliquiarum in Hiſpaniam translatio. 492. Idem patronus fit totius Hiſpaniæ. ibid. Sepulchri eiuſdem mirabilis reuelatio. 493. Idem pugnat pro Ferdinando Rege. 494. Eiuſdem auxilio in alio bello multa hoſtium millia proſternitur. 495. & ſeqq. Eccleſię eiuſdem parietem Sarraceni demoliti, vlciſcente Apoſtolo, morti traduntur. 497. Oratorij eiuſdem portæ vltro aperiuntur peregrinis orantibus, & vigilias in eodem Oratorio facere cupientibus. 497
Iacobus Minor, cognomento Iuſtus, frater Domini, Hieroſolymitanus Epiſcopus. 737. Infenſos habet Iudæos. 806. & ſeqq. Filius Marię ſororis Matris Domini. 807. Triginta annos rexit Hieroſolymitanam Eccleſiam 807. Tentatur à Iudæis, vt deneget fidem Chriſti. 807. Quo mortis genere, & quomodo occiſus, ibid. & ſeqq. Eius virtutes. 808. & ſeqq.
Iapponenſium ſub Dæmonum dominio, miſerabilis ſtatus. 49. Eorundem Sacerdotum abominanda libido. 50
Idololatria decreſcit fundatione Romanę Eccleſię. 765
Idolum infandum Caij Imperatoris cogantur recipere Iudæi, qui Dominum Ieſum recipere noluerunt, 483
Idola per totum Ægyptum corruunt, S. Io. Baptiſtę oſſibus ſub cauato ſacrarij pariete conſeruatis. 200
Idola in Aegyptum ingreſſo Domino noſtro Ieſu Chriſto contremuerunt, & conciderunt. 164
Idolorum cultus deteſtabilis, hominum vitio, & dæmonum nequitia in Orbe terrarum introductus. 11. & 12
Idololatriæ deſtructionem timens Claudius proſpicit Gentilitiæ ſuperſtitioni. 765
Ieſus Chriſtus dum proficiſcitur in Ægyptum, coram eo arbor ſe ſe vſque ad terram inflectit. 163
Eodem in Ægyptum ingreſſo conciderunt Idola. 164
Idem benedixit ſolitudini, per quam tranſiuit. ibid.
Ieſu pueri ante imaginem ſe eidem offerens, & commendans pia mulier à grauiſſimo morbo liberatur. 151
Ieſu pueri imaginē è Præſepio acceptam pia virgo negat ſe reſtituturam B. Virgini, niſi prius bonam valitudinem recuperet, & votis potitur. 152
Ieſuitarum Societatis laus. 49. & 55
Ieſuitarum Societatis Patres ſigno Crucis apud Indos mira operantur. 239
S. Ignatius Epiſcopus Conſtantinopolitanus immanem perſecutionem patitur à Michaele impio Imperatore. 594
B. Ignatij in oculis, & vultu ſplendorem, & radios prælucentes ſæpe vidit B. Philippus. 384
Ignem ad detegendam Simoniacam Epiſcopi hæreſim Petrus Monachus ingreditur, & mirè à Deo liberatur, & Simoniacus à Papa deponitur. 446. & ſeq.
Illuſoris ſacrorum myſteriorum pœna. 717. & ſeqq.

Imago Ieſu Chriſti veneranda à Nicodemo picta, prodigioſum fundit ſanguinem, dum à Iudæis illuditur, & crucifigitur. 310 & ſeqq.
Eadem male habentibus miraculoſam adducit ſalutem,& incredulos Iudæos ad fidem trahit. 312. & ſeq.
Imago Chriſti Domini miraculoſa ab ipſo miſſa ad Abagarum Regem. 190
Imaginis Chriſto erectæ fimbriam pertingens quædam herba omnes morbos curabat. 191
Imaginem Crucifixi irridens terretur à lumine ab ipſa imagine emiſſo, & cum multis alijs Chriſtum confitetur. 255
Imagines duæ cedrino ligno inciſæ,Chriſti crucifixionem repræſentantes, inſignes propter antiquitatem, & miracula multa, à quibus effictæ ſint,& vbi aſſeruentur. 314
Imaginum ſacrarum cultus,quàm ſit Deo acceptus, & hominibus vtilis. 313. & 412. & ſeq.
Imagines Caij Imperatoris omnes abolitæ. 765
Immortalitas animæ. 694
Imperatores, & Reges venerantur ſepulchra Apoſtolorum Petri, & Pauli. 839
Incantationibus operam dans mulier videt horribile ſpectrum. 37
Incarnatio Verbi diuini. 692
Incendium magnum Romæ ſub Nerone. 811. & ſeqq. Quis auctor incendij. 812
Incendia & terremotus magnos immittit Deus ad coercendam Michaelis Imperatoris impietatem. 595.& ſeqq.
in Indiam Citeriorem,& Armeniam maiorem proficiſcitur S. Bartholomæus. 736
Indi, & alij populi noui Orbis temporibus auctoris adinuēti,qualiter in Chriſti fide proficiant. 704
Indis prædicat Euangelium S. Thomas Apoſtolus. 861
ad Indos, & alias nationes proficiſcitur S. Thomas Apoſtolus. 736
Infidelis, & incredulus, valde peruerſus eſt,& ſibi ipſi maximus inimicus. 691
Infideles à Deo lumen fidei recipiunt ob orationes fidelium de eorum familia. 414. & 418
Infideles quid admirentur in Chriſti fidelibus. 535.& ſeq.
Ingratus Deo de beneficio inſigni accepto Hæreticus diuinitus punitur. 855. & ſeq.
Ingratus, & blaſphemus erga B. Virg. Mariam de mūdatione à lepra, & perſeuerans in peccatis, rurſus lepra percutitur, & occiditur. 138
Infirmi vmbra Petri Apoſtoli obumbrati ſanantur. 395
Infirmi cupientes corporalem ſanitatem, dent operam prius animæ ſanitati. 413
Infirmos ſibi oblatos ſanabat S. Vincentius ſigno crucis. 380
Infirmitate corporali quandoq. Deus ad animæ ſanitatem homines perducit. 570
Inimici pacem componunt inter ſe, & crucis ſignum in cælo ſuper eos apparet. 252
Inimicorum dilectionis exemplum illuſtre S Stephani 405.& ſeqq. Item aliud exemplum cuiuſdam, qui poſt pacem præſtitam vulnus, quod acceperat, diuinitus ſanatum inuenit. 409. Item alia. 411.& ſeqq. Odiſſe autem inimicos, quàm malum. ibid.
Innocentium occiſio ſub Herode crudeliſſimo. 161. Encomium eorundem. 162
S. Ioannes Apoſtolus Virgo fuit. 864
Adoleſcens,in Apoſtolum electus. 864
Patriam habuit Bethſaidam. ibid.
Vincula,carcerem,virgas patitur Hieroſolymis. ibid.
in Aſiam minorem profectus, doctrina & miraculis innumeras conuertit gentes. ibid & ſeq.
Mariam Virginem ſanctiſſimam ſecum in Aſiam ducit. 865
Perſecutionē patitur, & ab Aſia adducitur in Europam,inde in exilium. 865
Coram Imperatore Chriſtum annunciat,& gentilitatis Deos damnat. ibid.
Romæ mittitur in feruentis olei dolium. ibid.
Relegatur in Pathmos inſulam. ibid. & ſeq.

Con-

Conuertit adoleſcentem,& committit Epiſcopo eius curam. 867. Eundem corruptum,& latrocinijs operam dantem recuperat. 868
Scribit Euangelium. 869. & ſeq.
Et quæ ante ſcribendum miranda acciderint. 871
Ebionis impietatem deteſtatur. 871
Animi aliquando remittendum rigorem, & recreationi indulgendum docet. 872
Charitatem fraternam commendat diſcipulis ſuis. 872
Mandat ſibi fieri ſepulchrum. 873
Apud ſepulchrum eius miracula fiunt plurima, & puluis ex ipſo ſepulchro manans medelam confert infirmis. 873
S.Io. Baptiſtæ prodigioſa conceptio, & natiuitas. 97. & ſeqq.
S.Ioannes Baptiſta mirificè laudatus à Ioſepho hebræo hiſtorico. 193
S. Ioannis Baptiſtæ ſpelunca quàm glorioſa ſit. 186
S. Io. Baptiſtæ corporis Reliquiæ honoratæ. Eiuſdem apparitio,& oratio ad Deum pro aliorum ſalute. 199. Inuaſo ſepulchro diſperſa oſſa quomodo recollecta. 200
S.Io.Baptiſtæ caput puella, quæ petijt, cæleſti, & horribili vindicta punita eſt. 204
S.Ioannis Baptiſtę ope Sanctulus presbyter à morte liberatur. 197
S.Io.Baptiſta inuocato adiutore in bello periculoſo Imperator victoriam conſequitur. 201. Rex Garſias liberatur ab irruentibus hoſtibus, & victor efficitur. 202
S. Io Chryſoſtomus quanti Romam fecerit, ob corpora SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli. 841
Iob miſeratione & patientia præclarus fuit. 458
S. Ioſeph ſponſi Beatiſſimæ Virginis nobilitas & ſanctitas. 170
Item dignitas eiuſdem ex legatione Angelica de imponendo nomine Ieſu. 171
S. Ioſeph ſeptem graues dolores, & ſeptẽ gaudia. 174
S.Ioſeph honoratus eſt ſumma cum pietate à Beata Tireſia,quę aſſerebat ſe,& omnes quos nouerat, eiuſdem Sancti ope omnia ſemper poſtulata obtinuiſſe. 175
S. Ioſeph imaginem piè colens nobilis Venetus, Beatiſſimi viri præſentiam in obitu ſuo promeruit. 175
S. Ioſeph duos Fratres Seraphici Ordinis naufragos poſt tres dies è fluctibus eripit, & ducit ad portum. 174
de Ioſepho ab Arimathæa,ſancto Chriſti diſcipulo enarrationes. 298. & ſeqq.
Idem Britannos ad fidem Chriſti primus conuertit. 308
Ioſephi Hebræi hiſtorici teſtimonium de Chriſto. 218
Iouis,quẽ Deum colebant Gentiles,olim ignominia, & nefandæ turpitudines. 22 & 23
Irridens, & contemnens Epiſcopum hæreticus punitur à Deo. 856
Iſaiæ precibus fons Siloe ad radices montis Sion erumpit. 210. Eiuſdem ſepulchrum apud eundem fontem. ibid.
in Italiam nauigat S. Paulus. 796
S. Iudas Apoſtolus,
vbi prædicauit Euangelium. 878. & ſeqq.
Idem frater Domini, & germanus Iacobi. 880
De eiuſdem Epiſtola. ibid.
Eiuſdem martyrij genus. ibid.
Iudas vbi in ficu ſe ſuſpenderit. 212
Iudęi in Synagoga expectantes videre ſignum ſalutis eorum, orantes vident cruces in Sindonibus apparere. 246.
Iudæi quingenti & quadraginta conuerſi ad fidem, euerſis Synagogis, ad nouam Baſilicam Chriſto conſtituendam pecunias, & ſaxa comportant. 437
Iudæi Alexandrini poſt Chriſti mortem, primitias calamitatum experiuntur à Flacco Præſide.477. Illuduntur tranſformato quodam fatuo in Regem eorum more hiſtrionico. 478. Flagellantur, & crucifiguntur. 479. Igne ferroq. torquentur; probris & alijs ſupplicijs afficiuntur. 480. Eorum mulieres, tanquam captiuæ corripiuntur, contumelias, & cruciatus patiuntur. 481.

481. Item in aliqs Iudæos diuina vltio. 485
Iudæi coguntur recipere infandum Caij Imperatoris Idolum in Templo, qui Dominum Ieſum recipere noluerunt. 483
Iudæis, & Chriſtianis ab Vrbe pulſis redeundi facultas datur. 809. & ſeq.
Iudæorum nequitia loca Scripturę ſacrę, initio naſcentis Eccleſiæ, corrupta ſunt, in quibus illuſtre de Chriſto teſtimonium ferebatur. 258
Iudæorum cum Romanis Societas. 69
Iudæorum populum multis beneficijs affecit C. Cæſar. 73
Iudæorum conuerſio admirabilis. 424
Item varij, & mirabiles euentus in conuerſione Iudæorum. à pag. 428. vſque ad 438
Iudæorum In Apoſtolos ſanctos odium & perſecutio. 680. & 682
Iudæorum Apoſtolus dictus S. Petrus. 771
Iudæos obiurgat auctor, quod fidem Chriſti temerè impugnent. 795. & 714
Iudaicæ Religionis auctoritas apud Reges externos. 779
Iudicium vniuerſale. 694
Iuliani Imperatoris ſtatua fulmine percuſſa, cum illam Iulianus in locum ſtatuæ Chriſti ſuppoſuiſſet. 191
Iuramenta illicita, & alia infanda ſcelera in cauſa ſunt, quod Deus in terras famem, terræmotus, & peſtilentias immittat. 638
Iure naturali etiam tenetur homo amplecti fidem Chriſti, & aſſentiri illis, quæ per eandem fidem reuelantur. 690
Iuuentuti quantum obeſſe poſſint paſſiones animi. 822

L

LAncea, qua Dominus Noſter Ieſus Chriſtus percuſſus eſt, quomodo, & quando inuenta. 271. & ſeqq. item 276
De eadem lancea. 280. & 286 & 287
Lancea, qua Dominus Noſter Ieſus Chriſtus percuſſus eſt, fertur in bello à Chriſtianis, & præclara victoria potiuntur. 276 & 281. & ſeqq.
Lancea & clauis Chriſti Henricus Rex, hoſtes fugat, & mira operatur. 270. Item Otho Henrici filius. 271
Lapidatur S. Paulus, & ſemimortuus relinquitur. 785
Lapides quibus Chriſti genuum, vel pedum veſtigia ſunt impreſſa. 212
Lapis quidam, quo lapidatus eſt S. Stephanus, in Italiam tranſlatus. 401
Latroni, qui ſpoliat homines, ſimilis eſt, qui non præſtat eleemoſynam, cum poſſit. 460
Laurentius Cantuarienſis Epiſcopus flagellis, & exhortatione admonetur à S. Petro, ne deſerat gregem ſibi commiſſum. 848
Lauretana Domus Beatæ Virginis ab Angelis in Dalmatiam, deinde in Picenum delata. 118. & ſeq. eiuſdem domus deſcriptio. ibid. Magnificentia, & nobilitas. 121
Lauretana ab Æde diripienda milites prędæ cupidi inſolita formidine, & nebula coercentur. 119
Lectio Hiſtoriarum ſacrarum, quàm vtilis. 3 & ſeqq.
Lectio prophanarum hiſtoriarum, quæ mala pariat, vt plurimum. 1. & 2
Liberalitas, & miſericordia in pauperes tempore famis quàm laudabilis. 634. & ſeq.
Libri curioſa tractantes comburantur à credentibus. 794
Lydia purpuraria hoſpes S. Pauli. 789
Lydia Purpuraria cum eius domo tota ad fidem conuertitur. 789
Linguarum admirabile donum, noſtro etiam ſeculo, à Deo hominibus communicatum. 378
Lingua mulieris Manichææ percutitur à Deo, & obmuteſcit. 726
Litteræ, quas formatas mos latinus appellat, quam calculationis rationem habeant. 757
Locus, vbi baptizabat S. Petrus Romæ. 747
S. Longini militis Martyrium, qui lancea latus Domini Noſtri Ieſu Chriſti aperuit. 291. & ſeqq. in eiuſdem capitis inuentione cæca mulier lumen oculorum

rum recipit. 295
Lucæ in Hetruria aſſeruatur imago Chriſti Crucifixi inſignis propter antiquitatem, & miracula. 314. à quo fuerit efficta eadem imago. ibid.
Ludi ſuperſtitioſi Meacenſium apud Indos. 51
Ludouicus, Quartus Romanus aſſertus Imperator, pertinaciter infenſus Romano Pontifici, ex equo miſerabiliter corruit, & moritur. 623
S. Ludouici Regis Francorum miſericordia in pauperes. 657
Lupercalia Gentilium nefanda ſacra quando fuerint penitus abrogata Romæ. 179. & ſeqq.
Luſitani Crucis ſignum diuinitus oblatum ſequentes in Æthyopiam primum appulerunt. 257
Lutheri humeris inſidens Dæmon conſpicitur ab Imperatore. 48
Lutherus volens Dæmonem exorcizare ab ipſo Dæmone in ſummas anguſtias redigitur. 47
Lutheri ad exequias plurimi Dæmones confluxerunt. ibid.
Luxuriæ infandæ, blaſphemiæ deteſtabiles, & illicita iuramenta in cauſa ſunt, cum Deus in terras famem, terræmotus, & peſtilentias immittit. 638
Luxuriæ deditus iuuenis, dũ mulieri cuidam inſidias parat, à ferociſſimo cane trucidatur. 204
Luxurioſa, & impudica Auguſta, necis hominis caſtiſſimi rea, comburitur. 206

M

Magi primi inter gentes Chriſtum natum adorauerunt, eiq. munera obtulerunt. 156. Quinàm fuerint, & ex qua regione profecti acceſſerint ad Ieſum. 153. & 157
Magi Simonis nefanda præſtigia. 821
Magicam artem ediſcere cupiens iuuenis, per apocam proprio ſanguine conſcriptam, ſe ſe Dæmoni deuouet. 823. & ſeqq.
Magicæ artis impietas. 821. & ſeqq. vſq. ad 828
Magiæ ſtudioſus Nero Imperator. 814
Magiſtratus, vbi Religione nituntur, cuncta fœliciter cedunt. 642
Malorum ſocietas quàm pernicioſa adoleſcentibus. 572. & ſeq.
Manna in modum farinæ & oleum de ſepulchro S. Andreæ Apoſtoli exit. 854
Manes. Vide Mortuorum manes.
Manetes, auctor hæreſis Manichæorum. 727
Manichæa mulier operante in ea Diabolo Catholicam fidem impugnat, ſed tandem admirantibus circunſtantibus coram Epiſcopo percutit Deus eius linguam, & obmuteſcit. 726. & ſeq.
Manichæam hæreſim deteſtantur, & ad fidem conuertuntur plures viſo miraculo. 727
Manuariam artem cur, & quando didicerit S. Paulus Apoſtolus. 778
Marcus Aurelius Imperator, cum exercitu ſuo, orationibus Chriſtianorum militum, ab extremo periculo, ob aquæ inopiam, liberatur. 521
Marcum filium ſuum appellat S. Petrus. 763
Marcum Alexandriam mittit S. Petrus. 764
Marci Euangelium approbat S. Petrus. ibid.
Mare eſt hic mundus, piſces homines, Piſcatores Apoſtoli. 732
S. Mariam Virginem blaſphemans viuus ad æternos cruciatus defertur. 59
Mariæ Genitricis Dei *Baſilica* Romę, quę Ara cæli, nuncupatur, qua de cauſa erecta fuerit in Capitolio. 83
Mariæ Virginis matris Dei ſublimiſſima dona, & excellentiſſima ornamenta. 100. Ortus & educatio. 101. & ſeqq. Admirabiles virtutes. 105. & ſeqq. Largiſſima fluenta gratiarum. 111. & ſeqq.
Maria Virgo ſanctiſſima, impedit mirabiliter ruinam tecti multos oppreſſuram. 113
Apparet Philippo Nereo, qui à grauiſſimo dolore ſtatim liberatur. 113. & 114
Liberat à morte bis mirabiliter recitantem ſæpius quotidie deuote Antiphonam:

nam Sub tuum præſidium, &c. 114. & ſeq.
Eleemoſynam largitur cuidã deprecanti ipſam ante eius imaginem, eundemq; liberat à pœna ſuſpendij 116 & ſeq.
Mariæ Virginis ob reuerentiam peccatrix mulier nolens fornicari die ſabbati, ab omni peccato fornicationis mirabiliter liberatur. 117
Mariæ Virginis Sanctiſſimæ domus ab angelis in Dalmatiam, deinde in Picenum delata 118. & ſeq.
Eiuſdem Domus deſcriptio. ibid. Magnificentia & nobilitas. 121
Maria Virgo ſanctiſſima opem fert Marchioni cuidam Germano, brachium incurabiliter obtortum geſtanti. 122. & ſeqq.
Maria Virgo ſanctiſſima puellam ſeptennem per viam paſſuum triginta millium ducit ad ædem Lauretanam. 125
Mariæ Virginis Sanctiſſimæ ope, blaſphemo in Deum & ipſam B. Virginem lingua præciſa reſtituitur. 126
Mariæ Virginis Sanctiſſimæ ope quidam à præcipiti caſu, & aquarum demerſione eripitur. 126
Mariæ Virginis Sanctiſſimæ auxilium implorans peccatrix adoleſcentula ab inſtanti morte mirabiliter liberatur. 127
Mariæ Virginis Sanctiſſimæ ope à grauiſſimo morbo liberatur Corcut, Turcarum Baſſa. 128
Mariæ Virginis Sanctiſſimæ ope à maximo morbo liberatur puella. 131
Mariæ Virginis Sanctiſſimæ Andreas de Chio Martyr opem implorans, plurires inuocationis fructum mirabiliter experitur. 133 & ſeqq.
Mariam Virginem Sanctiſſimam Aleator blaſphemans punitur horribiliter in ore. 137
Mariam Virginem Sanctiſſimam inuocans & eleemoſynam mittens ad eius domum mundatur à lepra, & eandem eleemoſynam recipiens, & perſeuerans in peccatis, rurſus lepra percutitur, & occiditur. 138
Maria Virgo Sanctiſſima virtutem & potentiam ſuam non ſolum miſerando ſed etiam aliquando caſtigando demonſtrat. 138
Mariæ Virginis Sanctiſſimæ admirabile verbum prophetico ſpiritu prolatum, cum affirmauit ſe beatam dicendam ab omnibus generationibus. 194
Mariæ Virginis Sanctiſſimæ domus dum fuit in Aegypto. Eiuſdem hortulus balſami, item fons in quo puerum Ieſum, & panniculos eius lauit. 165
Mariæ Virginis Purificationis dies feſtus. 178
Mariæ Virginis Sanctiſſimę hortatu S. Ioſeph ab Arimathea audacter ingreſſus ad Pilatum petit corpus Ieſu. 300
Maria Virgo Sanctiſſima apparet S. Thomæ Aquinati, & eidẽ declarat quã grata eſſet Deo illius vita & ſcientia. 530
Mariæ Virginis ope, nobilis vir falſo accuſatus è carcere mirabiliter liberatur. 558
Mariæ Virginis ope in magno & periculoſo nauali bello Turcarum exercitus frangitur & nobilis victoria obtinetur. 541
Maria Virgo Sanctiſſima, & cum Ioanne Apoſtolo Epheſum, ibiq; habitat. 734
S. Mariæ in via lata Diaconia Romæ. 80
Mariæ Virginis Sanctiſſimæ ope perditiſſimus iuuenis recuperat apocam qua ſeſe Dæmoni deuouerat. 825. & ſeq.
Mariam Virginem Sanctiſſimam ſecum in Aſiam ducit S. Io. Apoſtolus. 865
S. Mariæ Maioris Baſilica Romæ. 881
S. Maria Magdalena exemplum pœnitentiæ toti Eccleſiæ. 881
De ea quæ prædixit Chriſtus, & adimpleta ſunt, & in dies adimplentur. 882
Proficiſcitur in Gallias, & ſecedit in ſolitudinem. 883
Apparet Regi Siciliæ eam inuocanti qui præſens eiuſdem auxilium experitur. 884. & ſeq.
Moniales Romæ in Monaſterio ſibi dedicato ab impijs militibus graſſatoribus mirabiliter tuetur. 885. & ſeq.
Maria vxor Zebedæi, quæ & Salome dicitur. 288. Corporis eiuſdem inuentio & translatio. 289. apparet mulieri leproſæ, eamq; docet, quomodo mundari poſ-

ri poſſit. 290. Alias mirabiles curationes operatur. 291
S. Martini ope duo fratres ad concordiam reuocantur. 539
Martinus Lutherus, vide Lutherus.
Martyrium multis temporibus inauditū Andreæ de Chio. 133. & ſeqq.
Martyres Romæ ſæuiſſima tormenta experiuntur ſub Nerone. 810. & ſeqq.
Martyrum Memoriæ qua pietate, & fide frequentandæ. 415. & ſeqq. & 420
Mater omnium Eccleſiarum Romana Eccleſia. 768
Matris cuiuſdam pietas in interfectorem proprij filij. 411
Matrem Deorum eſſe quàm falſo putauerint Gentiles. pag. 20. & 21. Quod genus hominum illi conſecraretur. 32
Matrem iniurijs afficientes decem filij diuinitus caſtigantur. 417
Matres plures veſcuntur carnibus filiorum. 645
Matthæus Apoſtolus.
Ex Publicano mirabiliter fit Chriſti diſcipulus. 875
Chriſto conuiuium cur pararet. ibid.
Optime meritus de Sancta Eccleſia Dei. ibidem
Scripſit Euangelium primus, Hebraico ſtylo. ibid.
In Aethiopiam proficiſcitur. 737
Illiſque prædicat Euangelium. 876.
Conuertit plurimos, inter quos ſunt Rex ipſe, Regina, & Iphigenia nobilis virgo, quam docet regulas caſtitatis. ibid.
Ad ſacrum altare orans pro veritate, & virtute moritur. ibid.
Eius dente immerſo in aqua, eandem bibens à Diaboli vexatione liberatur. 877
Quæ docuerit S. Matthæus. 878
Eiuſdem Euangelium eodem Apoſtolo reuelante reperitur. ibid.
Ægri ſanantur tacti ſacro volumine eiuſdem Euangelij. ibid.
Matthias Apoſtolus in locum Iudæ proditoris ſorte electus. 880
Prædicat Euangelium in Aethyopia. ibid.
Eiuſdem corpus Romæ aſſeruatur. 881
S. Matthias proficiſcitur in Aethyopiam poſt Iudam. 737
Mediolanenſis Eccleſia inſtituitur. 774
Mediolanum mittitur S. Barnabas. 774
Melita inſula naufragantem Paulum excipit. 78
Memoriæ Martyrum quæ, & qua pietate & fide ad eas accedēdum, 415. & ſeqq. & 420
Mendax & proprietarius Monachus vexatur à Dæmonijs. 857
Meretrix die ſabbati ob reuerentiam B. Virginis nolens fornicari, ab omni peccato fornicationis mirabiliter liberatur. 117
Meretrix famoſa moritur miſerabiliter à Dæmone illecta & decepta. 38
Meretrix ope Angelorum ad Deum conuertitur, & ſacramentum Baptiſmi ſuſcipit. 570
Mexicano. in Regno magna fidei Chriſtianæ propagatio, & pietas excedētium. 705
Michaelis Imperatoris Conſtantinopolitani probra, & blaſphemiæ erga Rom. Pontificem. 580. ad eundem Nicolai Papæ Epiſtola. 581. & ſeqq.
Eiuſdem impij Imperatoris, qui multa contra B. Ignatium & Romanum Pontificem impiè & contumelioſè dixit, & fecit, tremenda mors, vlciſcente Petro. 595. & ſeqq.
Miles biennio cuſtodiuit S. Paulum catena vinctum Romæ. 802
Miles. Vide Pugna.
Milites Chriſtianos bellum mox commiſſuros præclarè hortatur Epiſcopus. 282
Miraculis fundata fides, hodie nouis miraculis non indiget. 715
Sed Prædicatorū Chriſti vita irrepræhenſibilis, & proba, miraculorum vim obtinet. ibidem
Miraculum à Deo oſtenſum ad comprobandam Catholicam fidem. 716
Miraculum diuinitus oſtenſum de damnatione æterna cuiuſdam contemptoris fidei Chriſtianæ. 717. & ſeqq.
Miracula à Deo oſtenſa contra impugnantes Chriſtianam & Catholicam fidem. 723. & ſeqq. vſque ad 728

Mira-

Miracula duo edita in piſcatione Petri. 751
Miraculum primum in teſtimonium fidei à Petro factum eſt. 753
Miraculis coruſcarunt vincula, quibus S. Petrus Romæ vinctus fuit. 842
Miſericordia, quæ precibus extorquetur, non eſt perfecta. 466
Miſericordia in pauperes, & liberalitas quã laudabilis tẽpore famis. 634. & ſeq.
Miſericordia in pauperes ex toto orbe aduenientes ad Vrbem ex antiqua, & adhuc vigente conſuetudine in Romana Eccleſia. 667. & ſeqq. vſque ad 672
Miſericordia Paulæ Romanæ erga pauperes. 654. item Eliſabeth Regis Pannonum filiæ. 656. item S. Ludouici Regis Francorum. 657
Miſericors quidam in pauperes, tempore famis, inter beatos locum obtinet 660
Miſſæ ſacrificium pro animabus defunctorum. 661
Miſſa, quæ eſt de vinculis Petri, canitur pro liberatione Regis Angliæ. 536
Miſſæ ſacrificio oblato, & orationibus munita mulier Deum defenſorem, & vindicem ſuæ pudicitiæ experitur. 205
Miſſam Dominico die audiens viator, à mortis diſcrimine liberatur, & comites contemnentes intereunt. 358
Miſſam qui audierant, in naui periclitantes liberantur, cæteri autem de eadem naui qui non audierant, ſubmerguntur. 358
Miſſam populo Aethiopico dedit S. Matthæus Apoſtolus. 878
de Monaſterio exire cogitans Monachus ope Sancti Andreæ reſipiſcit. 857
Monaſterio relicto Monaci duo in criptis latitantes D. Andreæ ope inuenti ſunt. 857
Moniales Monaſterij S. Mariæ Magdalenæ Romæ ab eadem ſancta mirabiliter ſeruãtur illæſæ à militibus impijs graſſatoribus. 885. & ſeqq.
Montes ſciſſi ſunt ex ingenti terræmotu, tempore mortis D.N. Ieſu Chriſti 217
Montes coniunguntur ſimul mirabiliter precibus B. Odonis. 340
Morbi plures, & incurabiles ſanantur annulo catenæ, qua ſe ſanctiſſima quædã mulier cinxerat. 842. & ſeqq.
Mores gentium quàm corrupti eſſent, cũ primum eis ab Apoſtolis prædicatum eſt Euangelium. 710
Mors multorum millium hominum paſſim in Italia tempore famis. 644
Mortis Domini Noſtri Ieſu Chriſti tempore, Eclipſis prodigioſa Solis. 215. Veli templi ſciſſura. 216. egreſſio columbæ e templo. 217. Terræmotus. 217
Mortem Crucis prædixit Chriſtus Petro Apoſtolo. 751
Mortis articulo inſtante quidam impetrat à Deo Eccleſiaſtica ſacramenta. 525
Mortis formidinem qua meditatione ſuperare poſſimus. 537
Morti proximus Guillelmus Rex Angliæ damna à ſe data Eccleſiæ publice confitetur, & ſatisfacit prout poteſt. 601. & ſeqq.
Mortuorum Manes ſacrilego cultu honorant Meacenſes apud Indos. 51
Mortuus ſuſcitatur S. Petri baculo. 760
Mulier Manichæa Diabolo in ea operante impugnans Catholicam fidem, poſt longam diſputationem obmuteſcit. 726. & ſeq.
Mulierculæ cuidam prædicat fidem Chriſti S. Petrus Apoſtolus, eandemque ab infirmitate curat, & baptizat. 758
Mulieres Iudæorum tanquam captiuæ corripiuntur, contumelias & cruciatus patiuntur. 481
Mulieres nobiles non paucæ ad fidem Chriſti conuertuntur prædicatione S. Pauli Apoſtoli. 790
Mulieres ſteriles complures S. Vincentij ope, ſteriles eſſe deſierunt. 380
Mundum muliebre & gemmas contemnit & diſtrahit Thecla virgo amore verbi Dei audiendi. 786
Mundus hic totus mare fuit, in quo piſcati ſunt Apoſtoli rationales piſces. 732

N

Natiuitas D. N. Ieſu Chriſti ineffabiliter ſupra naturæ ordinem facta in mundo. 139. & ſeqq.

Nati-

Natiuitatis eiuſdem tempus. 146

Natiuitatis D. N. Ieſu Chriſti die, Mortalis annos duodecim laborans morbis incurabilibus, commendans ſe puero Ieſu liberatur. 150

Natiuitatis Dominicæ memoriam pie recolentes multi laudabiliter præſepiola in Eccleſijs, & in priuatis domibus conſtruunt. 148. & ſeqq.

Nauem perituram, & ſaluandos, qui erant in ea, prædixit S. Paulus. 796

Naufragos duos Fratres Seraphici Ordinis S. Ioſeph à fluctibus eripit, & ducit ad portum. 174

in Naufragio Deus donat S. Paulo Apoſtolo ducentas ſeptuaginta ſex animas. 684

Neapolim pertranſit S. Petrus Apoſtolus Romam pergens. 758

Eandem Ciuitatem acquirit Chriſto. 759

Neapolitanam mulierculam, nomine Candidam, S. Petrus Apoſtolus docet fidem Chriſti, eandemq. ab infirmitate curat, & baptizat. 758

Neapolis Epiſcopus ordinatur Aſpren à Petro Apoſtolo. 759

Necromantiæ artem ediſcere cupiens iuuenis, per apocam proprio ſanguine conſcriptam, ſe ſe Dæmoni deuouet. 822. & ſeq.

Nero initio ſui Imperij in omnes beneficentiſſimus, & mitiſſimus fuit. 810

Neroni pollicetur volatum Simon Magus. 815

Nero in Chriſtianos adhuc ſæuire intendens, à cæleſti numine corripitur, & propter eius infanda ſcelera ab omnibus derelinquitur, & ſe ipſum necat. 851. & ſeq.

Neronis concubina Poppæa. 893

S. Nicodemus, & S. Ioſeph ab Arimathæa, Iudæorum nobiliſſimi, curatores ſepulchri Chriſti. 308. & ſeqq.

de Nicodemo ſancto Chriſti diſcipulo enarratio. 309

Nicolai Rom. Pontificis Epiſtola ad Michaelem Orientalem Imperatorem. 585. & ſeqq.

Nomenclaturæ S. Petri Apoſtoli. 758

Nominis mutatio quid honoris, & prærogatiuę oſtendat in Petro Apoſtolo. 749

Noſemberg in Arce magna infeſtatio dæmonum. 43

Noſtra caro excellentiſſimam gloriam, & claritatem conſecuta. 339

Nuptias nefandas patris recuſans pulcherrima virgo decollatur. 193. & ſeqq.

O

OCulos velare ſolebant olim Iudæi, quibus caput amputandũ erat. 832

Odium contra inimicos, quàm ſit odientis noxium, & abominabile apud Deum. 409. & 411

Olei fons largiſſimus Romæ fluxit per totum diem, temporibus Cæſaris Auguſti. 65. & 86

Olei feruentis dolium Romæ, in quo miſſus eſt S. Io. Apoſt. 865

Oleo exeunte de tumulo S. Andreæ Apoſtoli infirmi curantur. 854

Oneſimus ad Chriſti fidem trahitur opera S. Pauli Apoſtoli. 804

Orandi forma, qualitas loci, horarum interualla, diuturnitas orationis, qualia ſint. 514

Orandum qualiter ad ſanctos. 520

Oranti non eſt præſcripta corporis compoſitio, ſed ſtantes, ſedentes, genu flexo, & iacentes in lecto orant ſerui Dei. 514

Orantis non vocem, ſed cor audit Deus. 517

Orantibus quid in oratione petendum. 519

Orare nos vult Deus, vt cor noſtrum capacius efficiatur ad accipienda, quæ petimus. 513

Orantis hominis dignitas, & pulchritudo. 501

Orationis præclara deſcriptio, eiuſq. multiplices, ſed omnes excellentiſſimi effectus. 512

Oratio & meditatio, quàm ſit neceſſaria Eccleſiaſtico. 509

Oratio ſit ſobria, pura & vigilans, & exploſis inutilibus cogitationibus ſoli Deo vacans, & perſeuerans, & vox cũ corde concordans humilis, & munda. 515. & ſeqq.

Ora.

Oratio habeat comitem verecundiam & diſciplinam. 517
Oratio fidelis ad Deum in neceſſitatibus quàm præſens, neceſſarium, & efficax remedium. 663
Oratio quàm ſit pretioſa, opulenta, & admirabilium rerum operatrix. 501. & ſeqq. Quàm ſit neceſſaria Prælato ſublimi. 506
Oratio fit ab Eccleſia pro Petro conſtituto in carcere. 754
Oratio quorundam Monachorum, pro eorum Fratre dira patiente, exauditur. 857
Oratio Epiſcopi contra impium, & auarum hæreticum exauditur à Deo. 856
Orationis ſtudium primorum Chriſtianorum in periculis, & quibuſuis neceſſitatibus. 500
Orationi quid conferant actus externi. 513
Orationis virtutem, & effectum impediunt tria. 518
Orationis humilis forma, quæ cælos penetrat virtute ſua. 518. Item alia forma, vel exemplar. 521
Orationis vi, nauis quædam oneraria è terra ad mare prouoluitur. 524
Orationis vi ſanctus Thomas ſacrarum litterarum, & cæleſtium arcanorum ſcientiam conſecutus eſt. 528. Idem Sanctus quàm fuerit ſtudioſus orationis. ibid. & ſeqq.
Orationem omittens ob nimiam ſolicitudinem temporalium, ceteris orantibus ipſe ſolus diuinitus caſtigatur. 663
Oratione ſua quidam in mortis articulo impetrat à Deo Eccleſiaſtica Sacramenta. 525
Oratione, arbor quæ prius cæſa fuerat, in priſtinam formam conſolidatur. 535
Oratione B. Odo lacum à Deo impetrat. 539
Oratione ſola validiſſimus exercitus fugatur. 540
Oratione piorum exercitus Turcarum frangitur, & nobilis victoria obtinetur in magno, & periculoſo nauali bello. 541
Oratione Poſthumius Abbas beatitudinem ſibi impetrat. 532
Oratione Philippus Nerius multa, & magna operatus eſt. 542. vſque ad 547
Oratione, & aqua benedicta expellit locuſtas Stephanus Papa Sextus. 665
Oratione S. Paulus Apoſtolus tempore naufragij impetrat à Deo animas ducentas ſeptuaginta ſex, ne pereant. 684
Oratione hæreticus petit à Deo ſignum, quo veram Religionem agnoſcat, & obtinet, & tandem Catholicæ Eccleſiæ reconciliatur. 728
in Oratione, quid ſit clamare ad Chriſtum. Item in oratione quid agendum. 515
in Oratione admirabilis aſſiduitas, & ſtudium Siſinij in quodam ſepulchro per triennium. 532
Orationibus Eccleſiæ protectus S. Petrus, è manibus Herodis eripitur. 498
Orationibus Chriſtiani milites impetrant à Deo pluuiam largiſſimam. 521
Orationibus ſuis mulier quædam Chriſtiana captiua infidelibus mouet admirationem. 533. Eadem infantem ſanat. ibid. Eadem Reginam à graui dolore liberat. ibid.
Oratorij S. Iacobi portæ vltro aperiuntur peregrinis orantibus, & vigilias in eodem Oratorio facere cupientibus. 497
Orgia, ideſt ſacra & ceremoniæ circa nefandum cultum falſorum Deorum. 17. & ſeqq.

P

PAganos, & Mahometanos in bello vicerunt fideles Luſitani crucis ſigno præeunte. 258
Panes pauci multiplicantur in Monaſterio Theodoſij Cænobiarchæ. 636
Parabolis cur frequenter vſus ſit Chriſtus Dominus noſter. 8
Paradiſi pulcherrima viſio oſtenditur cuidam, qui deinde libenter inſtantem ſuſcipit mortem. 575
Parentibus hæreticis obiurgâtibus, & imperantibus non obedit puerulus fidelis, nec deſiſtit adorare ſignum crucis, illi vero poſt mortem pueri viſo magno

gno crucis prodigio conuertuntur. 249
Pater & prædicator primus, tàm Iudæorum, quàm Gentilium, S. Petrus. 755. & ſeq.
Pater, qui vexauerat Romanum Pontificem ſuffocatur à proprio filio, & eius genus totum extinguitur. 620
Patrem Deorum eſſe quem falſo putauerint Gentiles. 23
in Pathmos inſulam relegatur S. Io. Apoſtolus. 865. & ſeq.
Patriarchales Eccleſiæ, & primæ, quæ? 756
Paſſio & mors D. N. Ieſu Chriſti meditanda. 317. & ſeq.
Paſſionis D. N. Ieſu Chriſti inſtrumenta toto orbi quàm conſpicua ſint, atque proficua. 225
Paulæ Romanæ in pauperes liberalitas & miſericordia. 654
Pauli Apoſtoli natalis dies)
Natale ſolum, ſiue Patria) 775
Locus educationis)
Nomen)
Conditio)
Doctrina) 776. & ſeq.
Forma corporis)
Tribus)
Mores, 778
Manuaria ars. ibid.
Effigies, & ſtatura. 833
Paulus Apoſtolus conuertitur ad fidem; baptizatur; impletur Spiritu ſancto; vbique Chriſtum confitetur, & prædicat. 453
Claudum ſolo verbo ſanans, oblatos à turba diuinos honores recuſat. 680
Multa præclara bona operatur, & mala pro fide Chriſti patitur. 680. & ſeqq. vſque ad 687
Viſit S. Petrum Hieroſolymis. 780
Rapitur ad tertium cælum. 781
Habet à Deo reuelationem de conuerſione Gentium. 781
Aſſumitur à Spiritu ſancto cum Barnaba ad prædicandum. 782
Elymam Magum aduerſantem Euangelio cæcitate percutit. ibid.
Sergium Proconſulem ad fidem conuertit. ibid.
In Piſidia apud Iudæos habet prædicationem. 783
A Iudæis perſecutionem patitur. 784
Cum Barnaba Iconij ſigna facit, & multos ad Chriſti fidem conuertit. 785
Liſtris claudum, qui nunquam ambulauerat, erigit, & ſanat. 785
Diuinos honores recuſat. ibid.
Lapidatur, & ſemimortuus relinquitur. ibid.
Ad euangelizandum alijs ciuitatibus pergit. 785. & 788
Theclam virginem nobiliſſimam ad fidem conuertit. 786
Lydiam Purpurariam cum eius domo ad fidem conuertit. 789
Pithoniſſam à Spiritu malo liberat. ibid.
Truditur in carcerem; orat, fit terræ motus, aperiuntur oſtia, & vincula captiuorum ſoluuntur. ibid.
Baptizat cuſtodem carceris. ibid.
Prædicat verbum Dei Theſſalonicæ, & multi ad fidem conuertuntur. 790
Prædicat Athenis in Areopago. 791
Lucratur Chriſto Dionyſium Areopagitam, & alios. 792
Imponit manus ſuper baptizatos à ſe, & accipiunt Spiritum ſanctum, & loquuntur linguis. 794
Nauigat in Italiam. 796
Prædicit nauem perituram ſaluis nauigantibus. ibid.
In inſula Melita, à naufragio cum Socijs ereptus, vipera manum eius inuadente, illæſus euadit. 798
Patrem hoſpitis à febribus curat, & egrotos totius Inſulæ. ibid.
Romam peruenit, vbi prædicans permanet biennio. 798. & ſeq.
Quid ibi egerit. 801. & ſeqq.
Vbi primum hoſpitio exceptus ſit. ib.
Victum, ſuis manibus operando, ſibi parabat. 803
Oneſimũ Philemonis ſeruum ad Chriſti fidem trahit. 804
Proficiſcitur in Hiſpanias. 805
In Hiſpania conuertit ad fidem Xantippam hoſpitis ſui vxorem, & eius virum, & totam familiam. 806

Romam reuertitur cum Petro,vt ſuccurrat puſillo gregi, quem ſerus Nero vaſtabat. 814
Romæ rurſus prædicat. 814
Cum Petro in carcerem mittitur,conuertunt carceris cuſtodes, eos baptizant, erumpente cælitus fonte. Prædicant, infirmos curant, & 47. alios viros conuertunt. 828. & ſeq.
Damnatur morte à Nerone. 830
Flagellatur. ibid.
Ducitur ad locum martyrij,& conuertit in itinere tres milites. 831
Decollatur. Lac manat è gutture. 832
In loco decollationis erumpunt tres fontes. 833
Eius ſepulchrum venerantur fideles. 835. & 838. & ſeqq.
Pauli V. Pontificis Maximi ſingularis prouidentia ad pellendam ex Vrbe famem. 671
Paulina pudica, & decora mulier Romana à Sacerdotibus Idolorum decipitur. 33
S. Paulini Charitas, & ſtudium pro conuerſione nobilis, & eruditi adoleſcentis. 386. & ſeqq.
S. Paulini eloquium admirabile,cum pari pietate coniunctū in enarrandis ſtupendis quibuſdam miraculis. 560. & & ſeqq.
Pauper fame laborans petit triticum à diuite duro,lachrymas pro pecunijs offerens,& diues crudelis punitur. 653
Pauperibus neglectis diuites, qui equos ornant, parietes veſtiunt, &c. quàm reprehendendi. 458. & 462
Pauperes vltro à dinitibus requirēdi ſunt, nec ſcrutandi, quales ſint. 460
Pauperes quomodo eleemoſynam facere poſſint, & ingentem mercedem recipere. 465
Pauperes quotidiano cibo paſcit, & eis miniſtrat Clemens Octauus Pontifex Max. 671
Pauperum, & famelicorum concurrente multitudine, diuinitus modici panes multiplicantur in Monaſterio Theodoſij Cænobiarchæ. 636
Pauperum alendorum cauſa S. Ermenoldus nihil prorſus ſibi & proprio Monaſterio reſeruauit. Sed Deus, prouidentia ſingulari, eius inopiam ſuppleuit. 636
de Pauperum & egenorum inopia ſubleuanda. 623. & ſeqq. ferè per totum, vſque ad 638
Pauperum pluſquam quatuor millia paſcit tempore famis quidam Ciuis Florentinus. 679
Pauperum & Eccleſiæ bona occupans diuinam vltionem experitur. 855. & ſeq.
Pauperibus legauit omnes facultates ſuas Vrbanus Septimus Romanus Pontifex. 670
Pax vniuerſalis in Orbe terrarum inſtante Chriſti aduentu. 87
Pace vniuerſali in Orbe terrarum parta Iani portas clauſit Auguſtus. 87
Pacis ſpiritum ſuſcipiunt in Bethlehemitica Eccleſia duo Militum Duces ad ſingulare certamen deſcendere volentes. 148
Pacē componunt inter ſe Reges, & Principes prædicante Archiepiſcopo, & crucis ſignum in cælo ſuper eos apparet. 252
ad Pacem & concordiam duo fratres S. Martini ope reducuntur. 539
Peccata, & corrupti mores hominum prouocant diuinam vindictam in genus humanum,ideo ad auertendas plagas famis, & alia flagella, vnicum remedium eſt pœnitentia peccatorum, & emendatio morum. 631. & 638
Peccatis obnoxius quidam iuuenis incidit in manus Diaboli, & Socius ſe ſigno crucis communiens euaſit eiuſdem Diaboli manus. 256
Peccator eleemoſynarius contritionem, & pœnitentiam obtinet, & paulò poſt in pace moritur. 472
Peccatoris receſſus à Deo, & eiuſdem ad ipſum Deum conuerſio, quomodo fiant. 573
Peccatoris cuiuſdam inſignis conuerſio, & progreſſus in via perfectionis. 454
Peccatores cur Deus permittat in hoc mundo præualere contra iuſtos. 439
Peccatrix quædam nobilis confeſſionem Sacramentalem ſpernens,& monita ſalutis, horribilii morte interimitur, & corpus

corpus etiam Dæmoni traditur ab eius patre. 57.& 58
in Peregrinos recipiendos beneficentia Cardinalis Varmienſis. 678
Perſecutio prima Chriſtianorum. 813
Perſecutio ingens, contra Chriſto credentes, exorta poſt mortem Apoſtolorum. 849. & ſeq.
Perſecutionem ab iniquis paſſus, è carcere mirabiliter liberatur. 538
Perſecutionem patitur S. Paulus. 784
Perſonarum diuinarum productio. 692
Pes pauperis Petri conculcat ſuperbam Romam. 733
Peſtilentia ſubita diuino iudicio percutitur exercitus Imperatoris perſequentis Romanum Pontificem. 617
Peſtis & famis tempore, praxis admirabilis S. Caroli Borromæi ad alēdos pauperes. 672. eodem tempore quid effecerit S. Gregorius Magnus. 673
Petri Apoſtoli aduentus Romam. 743
Socij, cum Romam venit. 744
Primum hoſpitium Romæ. 745
Hoſpes Pudens Romanus. 745.& ſeq.
Locus, vbi baptizabat. 747
Excellentiæ, & præcellentes prærogatiuæ. 749. & ſeqq. vſque ad 751. ſunt autem xxviij.
Nomenclaturæ. 758
Sedes. 751
Cathedra lignea. 760
Vxor. 844
Mors, & cauſa mortis. 820.& 834
Vincula quibus Romæ vinctus fuit. 842. & ſeq.
Epiſtolæ, & cæleſtis doctrina. 762.& ſeq. & 816
Petrus Apoſtolus, vnico ſermone conuertit tria millia hominum. 375
In nomine Ieſu Chriſti claudum ſanat. 393
Ananiam, & vxorem increpat. 395
Vmbra infirmos ſanat. 395.& 476
Obiurgat & refellit Simonem Magum. 441
Æneam paraliticum ſanat. 455
Dorcam diſcipulam ad vitam reuocat. ibidem.
Viſione docetur omnes gentes vocandas eſſe ad Deum. 456
Prædicat, & Spiritus ſanctus cadit ſuper audientes. 456
Eccleſiam gubernat, genteſq. conuertit. 475
Eccleſiæ orationibus protectus eripitur de manibus Herodis fractis catenis carceriſq. portis vltro apertis. 498
Ad primam orbis Vrbem deſtinatur. 733
Peruenit Romam. 743
Mittit multos diſcipulos in Galliam ad prædicandum. 761
Romana Cathedra fundata cedit Eccleſiæ Antiochenæ. 761
Approbat Euangelium Marci. 764
Eundem Marcum Alexandriam mittit. ibid.
Vrbe pellitur. 770
Primum Concilium celebrat Hieroſolymis. 770
A Paulo reprehenditur. 772
Barnabam Medionalum mittit: Mediolanenſem Eccleſiam inſtituit. 774
Viſitur à Paulo Hieroſolymis. 780
Eſt Vicarius Chriſti. 750. & 752. & 753. & 756
Vniuerſalis Paſtor eſt, ipſiq.& eius Succeſſores mittunt Paſtores in diuerſas Regiones ad paſcendas mundi oues. 898. & ſeq.
Iudæorum Apoſtolus dictus eſt. 771
Romam reuertitur cum Paulo, vt ſuccurrat puſillo gregi. quem ferus Nero vaſtabat. 814
Scribit ad Vrbe Roma Epiſtolas, cæleſtibus documentis plenas. 815
Suſcitat mortuum, quem Simon Magus ſuſcitare non valet. 816.& ſeq.
Hortatur populum, ne lapidet Simonem. 817
Diſcedens ab Vrbe obuiam habet Chriſtum, cui dicit: Domine, quo vadis, &c. 818 & 830
Imperat Dæmonibus Simonē in ſublime vehentibus, & Simon horribiliter cadit. 818. & ſeqq.
Cum Paulo in carcerem mittitur. Conuertunt carceris cuſtodes, eos baptizant erumpente cælitus fonte. Prædicant. Infirmos curant, & 47. alios viros conuertunt. 828.& ſeq.

Qua

Quas Orbis partes toto Apoſtolatus, & vitæ tempore inuiſerit. 829
Damnatur morte à Nerone. 830
Flagellatur. ibid.
Martyrio coronatur, volens verſo deorſum capite, in cruce ſuſpendi. 834
Sepelitur honorifice. 835
Eius ſepulchrum venerantur fideles,& ad eundem miræ fiunt operationes. 835. & ſeqq.
Eius effigies & ſtatura corporis. 844
Romam cuſtodit. 847
Apparet Epiſcopo, & flagellis & exhortatione admonet,ne Chriſti gregem deſerat. 848
Eius,& Diſcipulorum Ieſu Chriſti cõſtantia,fortitudo, & fiducia, in Chriſti fide prædicanda, & propaganda. 394.& 396
Petri Apoſtoli deuotus ſpectra Diaboli audit, videt, & vincit. 41
SS. Petrus, & Paulus Apoſtoli exponunt quemdam locum Scripturæ difficilem S.Thomæ Aquinatis. 529
Petrus Monachus ignis experimentum ingreditur ad detegendam ſimoniacam hæreſim Epiſcopi. 446
Phariſæi qui eſſent. 774
S. Philippus Apoſtolus proficiſcitur in Aſiam ſuperiorem, & alia loca. 736
Scythiam ferè totam ad Chriſti fidem prædicando perducit. 874
Hierapoli Phrigiæ pro Chriſti nomine cruci affixus, lapidibuſq. obrutus eſt. 874
Philippus Diaconus prædicatione, & ſignis trahit ad Chriſtum Samaritanos, 441
Philippus Diaconus, ab Angelo admonitus, Eunuchum Candacis Reginæ docet Chriſti fidem, & baptizat. 451
B. Philippus Nerius precibus ſuis Franciſcum Mariam Tauruſium acquirit, tradit Deo, & docet eum orandi artem. 545
Orans pro morientis incolumitate, rapitur in altum, & ſalutem ægroto impetrat. 546
Orans, quibuſdam dulcem orationis ſpiritum impetrat. ibid.
Oratione, Dæmonem canis nigerrimi ſpecie, à moribundo fugat. 547. Diabolus in eundem infeſtus ne oret. ibid.
Eidem apparet Maria Virgo ſanctiſſima, & ille ſtatim à grauiſſimo dolore liberatur. 113
Idem dum grauiſſimo dolore torquetur, apparitione B. Virginis diuinitus liberatur. 113
Idem paſſionis, & mortis Dominicæ feruidus,& deuotus contẽplator. 322
Eiuſdem in ſacro faciendo ardor, pietas,& raptus. 350
Idem diuino miraculo duas coſtulas in ſiniſtro latere elatas habebat, ampliato cordis ſinu. 385
Idem B. ſtudioſiſſimus fuit in occultandis gratijs ſibi à Deo collatis. 386
Idem noctu eleemoſynam deferens, à magno periculo liberatur. 473
Eiuſdem ſtudium, & amor erga orationem. 542. & ſeqq.
Eiuſdem ſcientia circa ipſam orationem. ibid.
Idem quam multa & magna per orationem operatus ſit. ibid.
Idem Dæmonem orationi inſidiantem, oratione confundit. 545
Idem ad largiendas eleemoſynas inflammatur, dum ſtipem dat Angelo pauperis ſpecie. 473
Veſte propria ſe ſpoliat, vt nudum cooperiat; Item priuat ſe panibus, vt alios ſuſtentet. ibid.
Philoſophi qui ſapientiam profitebantur inter gẽtes, in quantam intellectus obſcuritatem & morum turpitudinem inciderint. 60
Philoſophos Gentiles confundit ſanctus Antonius Magnus. 719.& ſeqq.
Item S.Spiridion. 723.& ſeqq.
Philoſophus Gentilis fidem Chriſti impugnans iuſſu Alexandri Epiſcopi obmuteſcit coram Imperatore. 725
Pythoniſſa liberatur à Dæmonio, ope S. Pauli Apoſtoli. 681
Pythoniſſa à ſpiritu malo liberatur. 789
Pij Quinti Pontificis Romani ſingularis prouidentia in procuranda frumentorum copia, ad populum ſublcuandum. 668

cendum. 67. & 68. & ſeqq.
Roma felix dici meruit, eo quod habeat in ſe SS. Petri & Pauli ſepulchra. 837. & 841
Roma validiſſima fame vexatur, & Gothis traditur. 646
Roma prima orbis vrbs, imperio, armis, & diuitijs elata, pede pauperis Petri conculcatur, & iugum Fidei recipit. 733. & 743. & ſeqq.
Roma pellitur S. Petrus. 770
Roma expulſis Chriſtianis & Iudæis, redeundi facultas datur. 809. & ſeq.
Romæ cur tot prodigia & portenta acciderint, antequam ibi Chriſtus præcipuè regnare cœpiſſet, & Sedem ſuam in eadem vrbe poſuiſſet. 81. & ſeqq.
Romæ ingentia prodigia viſa, vel nunciata ante aduentum Chriſti Domini. 62. & 63
Item calamitates ſub ijſdem temporibus in Vrbe. 63
Romæ in Capitolio ſimulacra falſorum Deorum ictu fulminis deſtruuntur, inſtante Chriſti aduentu. 82
Et oraculum Apollinis obmuteſcit. 83
Romæ baſilica Dei Genitricis Mariæ, quæ Ara cæli, nuncupatur, qua de cauſa erecta fuerit in Capitolio. 83
Romæ potiſſimum diuino iuſſu Petrus Sedem ſuam collocauit. 755
Romę quid egerit S. Paulus biennio. 801. & ſeqq.
Romę primus prędicator ſanctus Petrus. 766
Romę Trium Fontium locus. 833
Romæ mittitur in feruentis olei dolium S. Ioan. Apoſt. 865
Romę incendium magnum ſub Nerone. 811. & ſeqq.
Quis auctor eius incendij. 811
Romę Chriſtiani falſò accuſati de Vrbis incendio ſęuiſſimè cruciantur ſub Nerone. 810. & ſeqq.
Romam peruenit S. Paulus, vbi prędicans permanet biennio. 798. & ſeq.
Romam pergens S. Petrus, Neapolim pertranſit. 758
Romam venio iterum crucifigi, quid ſignificare voluerit Chriſtus verbis his Petro dictis. 756
Romam perducitur à Diabolo Simon Magus, vt eam Vrbem deciperet, ad quam conuertendam profecturus erat S. Petrus Apoſtolus. 739. & ſeq.
Romam quanti fecerit S. Ioan. Chryſoſtomus, ob corpora SS. Apoſtolorum Petri & Pauli. 841
Romam verſus nauigat S. Paulus Apoſtolus, & naufragium patitur. 684
Romam vexans Fridericus Imperator, ſuperno iudicio, & miſerabili exitio mulctatus eſt. 612
Romam cuſtodit ſanctus Petrus. 841. & 847
Romana Eccleſia Patriarchalis, & prima à Petro fundata. 756. & 759
Romana cathedra fundata S. Petrus ceſſit Eccleſiæ Antiochenæ. 761
Romana Eccleſia à Petro optimè inſtituta. 767. & ſeqq.
Eadem mater omnium Eccleſiarum. 768. & ſeq.
Romanam Eccleſiam S. Petrus Apoſtolus inſtituit. 758
Romanę Eccleſię laudabilis conſuetudo, ſubleuandi inopiam ègentium, in quacumque mundi parte. 628
Romanę Eccleſię antiqua, & adhuc vigens conſuetudo ſubueniendi pauperibus ex toto orbe aduentantibus. 667. & ſeqq. vſque ad 672.
Romanæ Reipublicæ infeliciſſimus ſtatus ante aduentum Chriſti Domini. 61. 62. & 63
Romanæ Eccleſiæ fundatione idololatria decreſcit. 765
Romani Imperij fines ſuperauit Chriſtianę Fidei extenſio. 713
Romani ab Athenienſibus leges de cultu diuino acceperunt. 793
Romani Templum Hieroſolymis expoliant, cupiditate inexplebili auri, & diuitiarum. 64
Romani qua ratione potiti ſint immenſo auro Templi Hieroſolymitani, & cuius rei hoc eſſet typus. 70. & ſeqq.
Romani euerſuri Hieruſalem, in eodem loco caſtra poſuerunt, in quo Chriſtus fleuit ſuper eam ciuitatem. 211
Romani Pontificis Nicolai manſuetudo, pru-

prudentia, zelus,fortitudo, & doctrina in refellendis probris, & blaſphemijs Michaelis Imperatoris,eiuſdemque moribus damnandis. 581. & ſeqq.
Romani Pontificis perſecutores, & inimici varijs, & terribilibus afficiuntur pœnis. 605. & ſeqq. vſque ad 623
Romanorum olim vana religio exhibens diuinum cultum ſerpenti. 15. & 16
Item Draconi ficto. 16
Romanorum olim ſtulta religio in nefando cultu multiplicium Deorum. 29
Romanorum cum Iudæis ſocietas. 69
Romanorum Chriſtianorum veterum pietas & fides. 766
Romanum Pontificem Aethiopia vt Chriſti Vicarium adorat. 258

S

SAbbati die peccatrix quædam non vult fornicari ob reuerentiam B.Virginis Mariæ. 117
Sacerdotes idolorum honeſtam & decoram Paulinam decipiunt. 33
Sacerdotis Canopi fraus, qua oſtendit Deum ſuum aliorum Deorum victorem. 28
Sacerdotis Saturni nefandum ſcelus detegitur apud Alexandriam. 27
Sacerdotibus quanta miſericordia, pietas, prudentia, & diſcretio adhibenda, in Eccleſiaſtici patrimonij diſpenſatione. 366. & ſeqq.
Sacerdotum idolorum libido abominanda apud Iaponem. 50
Sacra infanda, & ceremoniæ circa cultum falſorum Deorum. 17. & ſeqq.
Sacrificium. vide, Miſſa.
Sacrificium Miſſę celebrans S.Ioan.Chryſoſtomus ſępe ſępius ſacrificij locum Angelis refertum videbat. 566
Samaritanos ad Chriſtum trahit Philippus Diaconus prædicatione & ſignis. 441
Sancti apparent corporali ſpecie, & opem ferunt agminibus Chriſtianorum contra hoſtes Fidei. 279. & 284
Sanctorum geſta legere quàm vtile. 3. & ſeqq.
Sanctorum Reliquiæ, quanta in veneratione haberentur Romæ temporibus S.Gregorij Papæ. 837
ad Sanctos Dei qualiter orandum. 520
Sanguinis à fluxu quæ mulier liberata fuit à Chriſto,eidē ſtatuam erexit. 190
Sanguis manans è Cruce à S. Thoma ſculptæ. 862. & ſeq.
Sanitatem corporalem qui cupiunt recuperare, dent operam ſanitati animæ prius. 413
Saraceni Crucem Chriſti exturbare nitentes,partim percunt, partim baptizantur. 251
Saraceni naturalem corporis fætorem minuunt lauando ſe, & pueros ſuos in fonte Siloe. 210
Saturni ſacerdos apud Alexandriam nefandus detegitur. 27
Saulus Eccleſiam perſequitur. 441.
Scientia ſalutis conuenienter erat tradenda per Fidem. 696
Scholaſticorum apud Indos infidelium vana religio. 54. & 55
Scripturæ ſacræ, Euangelij præſertim, liber in fornacæ ardente illæſus ad horas aliquot permanet. 878
Scripturæ ſacræ locum quendam difficilem SS. Petrus & Paulus Apoſtoli exponunt S.Thomę de Aquino. 529
Sectę omnes humana arte inuentæ periērunt, aut perituræ ſunt, quia à Deo non ſunt. 705. & ſeq.
Sedem ſuam Romę diuino iuſſu S.Petrus potiſſimum collocauit. 755
Sedes Petri numquam ruitura. 751
Sepeliendi Reges mos antiquus. 835
Sepeliendis defunctorum reliquijs quàm diligentem curam adhibuerint priſci fideles. 403
Sepulchra glorioſa SS. Petri & Pauli cum Regijs ſepulchris, & aulis comparata. 838. & ſeq.
Sepulchri D. N. Ieſu Chriſti forma, & menſura. 217
Sepulchri ſancti Petri claues in veneratione habitę,etiam apud Reges. 836
Sepulchri S. Iacobi mirabilis reuelatio. 493

Se-

Sepulchrorum Petri, & Pauli Apoſtolorum antiqua veneratio. 835.& 838
Sepulchrum ſibi fieri mandat S.Io.Apoſt. 873
ad Sepulchrum ſancti Ioannis Apoſtoli miracula fiunt plurima. 873
Sepulchrum effodiunt ſibi duo Anachoretæ, & altero defuncto, alter collocans ſe ſupra defunctum, reddit ſpiritum. 873
Sepulchrum inhabitat per triennium Siſinnius aſſiduus in oratione. 532
Sepultura, & nobile funus S. Stephani. 402
Sepultus S. Petrus Apoſtolus more Regum. 835
Serapidis tẽpli apud Alexandriam ſubuerſio, & quæ in eo vigeret ſuperſtitio. 25.26.& 28
Sergius Proconſul ad fidem conuertitur. 782
Serpentem ex Epidauro allatum Romani, vt Deum, colebant olim. 15.& 16
Seruorum reſtitutio, & debitorum remiſſio facta ab Auguſto. 86
Sibyllarum priſcarum reuelationes de aduentu Chriſti Domini Saluatoris mundi. 77.& ſeqq.
Silas cum Paulo apprehenſus virgis cæditur. 789
Symbolum fidei quàm admirabile. 707. & ſeq.
Idem ab Apoſtolis confictum. ibid.
De vſu ipſius Symboli. ibid.
Simeon ſenex, Dei ſuſceptor. 175. & ſeqq.
Simon Apoſtolus prædicat Euangelium in Ægypto, & cum Thadæo in Meſopotamia. 878
Idem quo mortis genere martyrium conſumauerit. 879.& ſeq.
De Reliquijs eiuſdem. 880
S. Simon Chananæus proficiſcitur in Meſopotamiam, Perſidem, Ægyptum, Africam, & alia loca. 737
Simon Magus fuit primus hæreſiarcha. 755
Simon deluſor Gentium pecunia vult emere Spiritum ſanctum. 441
Idem volatum Neroni pollicetur. 815
Simonem Magum Samaritanum, Diabolus ad Romanam Vrbem perducit decipiendam, ad quam conuertendam profecturus erat Petrus. 739.& ſeq.
Eius nefanda præſtigia. 821
Eiuſdem ſtatua. 741.& ſeq.
Simoniacè electus in Presbyterum Dominicus Loricatus, pœnitentiæ cauſa, arduum vitæ genus inter Monachos eligit, & toto vitæ tempore, ſacroſancti Altaris miniſterium vſurpare non præſumit. 451
Simoniacus gratiam Spiritus ſancti mercatus, in Concilio Epiſcoporum, miraculo grandi, Spiritum ſanctum nominare non poteſt. 445
Simoniæ crimen Simon Magus primus in Eccleſiam inuexit. 442
Simoniæ crimen, Romani Pontifices, & Patres, ab ipſa Eccleſia exterminare ſemper conati ſunt. 442
Idem crimen quàm deteſtabile. 443
Eiuſdem vindicta tranſit ad poſteros. ibid.
Simoniæ arguitur Epiſcopus, & accuſatur in Concilio Lateranenſi, & miraculo maximo confunditur, & deponitur à Papa. 446. & ſeqq.
Simplex S. Spiridion Epiſcopus inuiſibili virtute ſuperat, & conuertit ad fidem Philoſophum Gentilem. 723.& ſeqq.
Sindon, qua Chriſtus ſe ad ſepulturæ myſterium inuolui dignatus eſt, quo in honore habeatur ad hæc vſque tempora. 225. & ſeqq.
Siroli prope Anconam aſſeruatur imago Chriſti crucifixi, inſignis propter antiquitatem & miracula. 314
A quo fuerit efficta eadem imago. ibid,
Sixti Quinti Romani Pontificis prouidentia, etiam pro Succeſſoribus, ad copiam frumentorum comparandam. 669
Societas malorum quàm pernicioſa adoleſcentibus. 572 & ſeqq.
Societatis Ieſu Patres à Deo vtriuſque Orbis Apoſtoli conſtituti. 55
Socij S. Petri, cum Romam venit. 744
Solicitudo & prouidentia pro ſubleuãda inopia pauperum, laudabilis eſt. 628. & ſeqq. & 637

Solis prodigioſum deliquium in morte D. N. Ieſu Chriſti. 215
Solis Orbem circulus ambiens viſus ad ſpeciem cæleſtis arcus, temporibus Cęſaris Auguſti. 65. & 87
Item tres circuli Solem ambientes tẽpore Hirci, & Panſæ Coſſ. 84
In Solitudinem ſecedit S. Maria Magdalena. 883
Solitudini, per quam tranſiuit proficiſcens in Ægyptum, D. N. Ieſus Chriſtus benedixit. 164
S. Spiridonis precibus concedit Deus pluuiam. 653
Spiritus ſanctus ſuper omnes qui audiebant, S. Petro prædicante. 456
Spiritus ſancti ſummi Dei deſcenſus in homines per ſignum reſonantis auræ, & cæleſtis & coruſcantis ignis apparitionem. 367. & ſeqq.
Eiuſdem diuini ſpiritus participes effecti homines, quam dignitatem adepti, & quæ mira ſint operati. ibid. & 376
Spiritus ſancti gratiæ fulgor in Hildebrando Archidiacono. 381
Spiritus ſancti operationes mirabiles in Chriſti fidelibus initio naſcentis Eccleſiæ. 393 & ſeqq.
Spiritus ſancti miræ operationes in B. Ignatio, & B. Philippo. 384
Spiritus ſancti ardoris, & operationis demonſtratio in S. Paulino, & S. Auguſtino pro conuerſione nobilis, & eruditi adoleſcentis. 386. & ſeqq.
Spiritu ſancto agente, S. Vincentius mira loquitur, mira operatur. 378
Spiritu ſancto repleta mulier quædam deuota, cum ſancti Spiritus vim ferre nō poſſet, expirauit. 378
Spiritu ſancto repleta Monica D. Auguſtini mater, eleuatur à terra: item D. Thomas, & alij. 377
de Spiritu ſancto doctrinam traditam ab Eccleſia Catholica Græci recipere recuſantes, in Feſto Spiritus ſancti imperium amiſerunt. 391
Spiritum ſanctum in columbæ ſimilitudinem, ſuper S. Gregorij caput, Petrus Diaconus frequentiſſime perſpexiſſe fertur. 381
Eundem ſuper ipſum celebrantem alius vidit. 383
Spongia, per quam acetum Domino Noſtro Ieſu Chriſto propinatum eſt. 269
Eam S. Ludouicus Rex Venetis oppignoratam redimit. 270
Sponſum nobiliſſimum recuſat S. Thecla ob amorem virginitatis. 786. & ſeq.
Statura & effigies Sancti Petri Apoſtoli. 844
Statura & effigies S. Pauli. 833
Stellæ obortæ prodigium, quæ Magos duxit ad præſepium Domini. 152
S. Stephanus magna operatur; & nobile teſtimonium reddit Reſurrectionis Ieſu Chriſti. 397. & ſeqq.
Eiuſdem necis occaſio. 400
Idem vbi fuerit lapidatus. 401
Eiuſdem oratio, quæ Saulum Eccleſiæ lucrata eſt. ibid.
Eiuſdem ſepultura, & nobile furtum. 402
Eiuſdem gloriarum, & virtutum enarratio ex D. Auguſtino. 405
Ex S. Maximo. 407
Miracula apud eiuſdem Reliquias. 414
Idem S. poſt mortem ſigna magna operatur. 415. & ſeqq.
Steriles mulieres multæ S. Vincentij ope, ſteriles eſſe deſierunt. 380
Stola ſummi Sacerdotis Hebręorum, quo Dei conſilio peruenerit in poteſtatem Romanorum. 96
Superbia Angelorum qui ceciderunt à gloria. 555
Superbus & loquax Philoſophus Gentilis inuiſibili virtute ſuperatur ab indocto, & ſimplici ſancto Spiridione. 723. & ſeqq.
Item alius ab Alexandro Epiſcopo. 725
Supputationis, ſeu calculationis ratio in Epiſtolis Canonicis. 757

T

Templum Hieroſolymis expoliatum à Romanis, ob eorum in explebilem cupiditatem auri, & diuitiarum. 64
Templi ſecundi Hieroſolymitani magnificen-

ficentia,& gloria ſupra Templum primum Salomonis. 92
Templa quæ olim Romæ erant, in quibus Dæmones habitabant & colebantur vt Dij. 36
Templa ædificata Dæmoni apud Indos. 52
Tēpora noſtra infelicia deplorantur. 779
Temporis diſpenſandi rationem diligenter adhibuit S. Vincentius. 378
Terræ filij 20
Terræmotus tempore Reſurrectionis D. N. Ieſu Chriſti. 331
Terræmotus in carcere S. Pauli. 789
S. Thadæus Apoſtolus ad fidem conuertit Abagarum Regem. 488
S. Thadæus proficiſcitur in Meſopotamiam, Thraciam, Idumæam, & alias Regiones. 737
Thecla virgo nobiliſſima, ope S. Pauli Apoſtoli ad fidem conuertitur. 786. & ſeq.
Compendium vitæ eiuſdem Virginis, & Martyris. ibid.
Theſaurus abſconditus in ſepulchro Dauid. 474
Theſſalonicæ prædicat verbum Dei ſanctus Paulus. 790
S. Thomas Apoſtolus proficiſcitur ad Indos, & alias Nationes. 736
Thomas Apoſtolus multa apud exteras, & vltimas Regiones operatur, & glorioſo fine Chriſtum confitetur. 760. & ſeq.
Eius martyrij locus. 862. & ſeq.
S. Thomæ Aquinati apparet Maria Virgo ſanctiſſima, & eidem declarat, quàm grata eſſet Deo illius vita & ſcientia. 530
Ad eundem Sanctum Chriſti Domini Noſtri verba. ibid. & ſeq.
Idem Sanctus etiam inter epulas, & in conſpectu virorum, in mentis abſtractione diuina meditabatur. 531
Idem quàm ſtudioſus fuerit orationis. 528. & ſeqq.
Titulus Crucis Chriſti. 259. & ſeq. & 263
Totila à Deo mittitur ad Vrbem flagellandam non ſolum ferro, ſed fame validiſſima. 646
Tribulationes præſentis vitæ & labores, qua ratione læto animo ferre poſſimus. 337
Tribus Beniamin trifariam nobilitata. 777
Tributum ſolutum pro Chriſto, & Petro. 751
Triphena nobilis femina cuſtos S. Theclæ virginis, & martyris. 787
Eadem cum tota familia ſua fidem Chriſti amplectitur, erudita à S. Thecla. 788
Turca quidam ad ſanctam fidem conuertitur viſo miraculo in loco, vbi ſacra Euchariſtia aſſeruatur. 159
Turca ſimulans ſe eſſe Chriſtianum confitetur peccata, & ſumit corpus Domini, deinde intus illuminatus fidem Chriſti amplectitur, & ſequenti die diſcedit è vita. 159
Alia puella Turca ſuſcepto corpore Chriſti illuminatur. 160

V

Varmienſis Cardinalis pietas, & excellens beneficentia in famelicos reficiendos, peregrinos recipiendos, & ægrotantes leuandos. 676. & ſequentibus.
Veli, quod in morte Chriſti Domini ſciſſum eſt, egregia textura, & myſterium. 216
Verbi Diuini Incarnatio. 692
Veſtigia genuum, vel pedum Chriſti D. N. in lapidibus impreſſa. 212. In terra. 222
Victoriam de hoſtibus pollicetur cuidam Regi S. Andreas. 859
Victum ſibi parabat S. Paulus, operando ſuis manibus. 803
S. Vincentius, Spiritu ſancto agente, mira loquitur, mira operatur. 378
Idem mulieribus ſterilibus fæcunditatem à Deo impetrat. Eiuſdem ratio tempus diſpenſandi. Eiuſdem mos & preces adhibitæ ægris ſanandis. ibid.
Vincula S. Petri, quibus Romæ vinctus fuit. 842
Vincula, carcerem, & virgas patitur Hieroſolymis S. Io. Apoſt. 864

Vincu-

Vincula captiuorum in carcere cum S. Paulo ſoluuntur. 789
Vincula captiuorum diſrumpit ſignum crucis. 253
Vindicta cæleſtis, & horribilis in puellá, quæ petijt caput S. Ioannis Baptiſtæ. 204
Vindicta diuina in Iudæos, & Pilatum reos mortis Chriſti. 221
Vindicta diuina, in Herodem Agrippam. 576
Item in Anaſtaſium Imperatorem Romanorum Pontificum perſecutorem. 578
Item in Michaelem Imperatorem. 595. & ſeqq.
Item in Henricum Regem Germaniæ. 605. & ſeqq.
Itèm in multos alios. 604. & 608. & ſeqq. vſque ad 623
Vindicta diuina in Neronem Chriſtianorum perſecutorem. 851. & ſeq.
Vindicta in Seianum, qui affectabat diuinos honores. 209
Vindicta diuina in Danos, qui Regem nefariè occiderunt. 657
Vindicta diuina in Fredericum Imperatorem, qui Romanum Pontificem, & Galliæ Regem vexauit. 650
Vindicta diuina ob Epiſcopum à Rege carceratum. 659
Vindicta diuina in quendam qui iniuſtè iudicauit. 660
Vindictam diuinam prouocant peccata, & corrupti mores hominum. 631. & 638
Vnitas indiuidua Eccleſiæ Catholicæ. 737. & ſeq
Vrbanus Septimus Rom. Pont. omnes facultates ſuas pauperibus legauit. 670
Vſuras exercens auarus punitur horribiliter. 138
Vipera inuadit manum S. Pauli, & ille permanet illæſus. 798
Viperæ morſus nihil lædit S. Paulum Apoſtolum. 685
Virginalis caſtitas in adoleſcente, quàm decora. 572 & ſeq.
Virginem nobilem Chriſtianam Angelus defendit, & ſeruat inuiolatam. 558. & ſeq.
Virginitatis amore nobiliſſimum, & valde diuitem ſponſum recuſat S. Thecla. 786. & ſeq.
Virgo Chriſtiana miræ pulchritudinis Regis Hyberniæ filia, fortiter, & inuicto animo repugnans, recuſat connubium patris, & decollatur ab eodem nefando patre. 193. & ſeqq.
Virgo fuit S. Io. Euangeliſta. 864
Virgo paruula eligitur, quæ ferat ad locum deſtinatum Reliquias S. Andreæ. 854
Virtutes admirabiles B. V. Dei Genitricis Mariæ. 105. & ſeqq.
Virtutum ſemina fert lectio rerum præclarè geſtarum. 3. & ſeqq.
Viſio S. Petri, qua ipſe docetur omnes gentes vocandas eſſe ad Deum. 456
Vita ſanctè acta, quàm grata ſit Deo. 530
Vitam poſt hanc temporalem ſecuturam aliam vitam cælitus docetur quidam hac de re ambigens. 470
Vitas & geſta Sanctorum legere, quàm vtile ſit. 3 & ſeqq.
Vitia addiſcimus vt plurimum legendis hiſtorijs profanis. 1. & 2
Ad Vrbem Romam deſtinatur S. Petrus Apoſtolus. 733
Aduentus eiuſdem in eandem Vrbem. 743
Vxor S. Petri. 844
Vxor viri amantiſſima, eius innocentiam apud Imperatorem, ferri candentis contrectatione probat, & iniuſtæ necis vindictam impetrat. 206
Vxoris paſſę homicidium à proprio viro exemplum pietatis, & diuina vltio in homicidam. 412
Vxoris fidelis precibus, & S. Stephani interceſſione, vir Senatoriæ dignitatis fidem Chriſti amplectitur. 418

X

Xantippam hoſpitis ſui vxorem, in Hiſpania, conuertit ad fidem ſanctus Paulus, cum tota eiuſdem domo. 806

Zac-

INDEX.

Z

Zacchæi & Centurionis exemplum ſibi proponant in ornanda domo, qui hoſpites recepturi ſunt. 460

Zelus S. Io. Apoſt. ergà adoleſcentem à ſe conuerſum. 868

Zelus Epiſcopi cuiuſdam, & iuſta indignatio contra hæreticum vſurpatorem bonorum Eccleſiæ, & pauperum. 855. & ſeq.

FINIS.

ERRATA.

Numerus paginam ſignat: A. principium, B. medium, C. finem, vel circa.

Pagina.	*Erratum.*	*corrigendum.*
3. A.	patrimonia	patrimonij
5. C.	mulio	multis
22. A.	Omni	omnium
B.	ſuperſtitionem	ſuperſtitionum
C.	quamquam	quamq.
53. B.	monſtro ſimilis,	monſtro ſimiles:
28. A.	Qua de re (adde) legendus eſt Cicero libro 2. de Diuinatione: de eadem hæc Tacitus, &c.	
206. C.	Cimilia	Similam
215. B.	aut cum opua	vt eum opus
219. C.	ſtrictis	ſtriatis
	a ingentibus	cingentibus
255. A.	Virginis	Virgini
256. B.	in lib. Beda	in lib. Ara cæli
262. A.	illudere puta	illudere putat
280. B.	Romanos Lupercalia	Romanos, qui Lupercalia
281. A.	qua ſi in eam	quam ſi in eam
254. B.	horum patria	thorum patria
216. B.	occidiua	occidua
222. B.	cuſtodit	cuſtodiat
228. C.	humanarum	humanum
234. B.	cum Dæmones	vt cum
C.	aderat	ardeat
235. A.	per illius omnes	per illum
236. B.	referant	res erant
243. B.	circa dubium	citra
245. A.	impendebant	impenderent
C.	depaſtus eſt	depaſtum eſt
248. A.	cum prædeceſſores	cú prædeceſſoribus
250. B.	quernea	querna
251. A.	multis modis	multis morbis
B.	fluminibus	fulminibus
261. A.	retinens	retinentes
274. C.	ſuperſedens	ſuperſedemus
279. A.	concederant	conceſſerant
C.	cohorta	coorta
282. C.	temporalia	temporali
283. B.	eo iactus	eorum iactus
295. B.	afferes	afferres
310. B.	omnea	omnibus
355. C.	dicimus	audiuimus
330. B.	ſeueritatem	ſecuritatem
355. B.	nudumq. ſanguinē	(adde) dulceſcentē
366. B.	Inutile tamen	Non inutile
378. C.	agitante Spiritu	agente Spiritu
392. C.	quinquaginta prætererunt (adde in margine) Tho. Boz. ſigno 19.	
401. A.	translatus	translato
403. B.	amictum	amictus
404. B.	accenſa face	accenſam facem
442. C.	ob huius	ob huiuſmodi
447. A.	quia per nos	quia per vos
455. B.	cauſam mali	cauſa mali
474. C.	his temporibus	prænotatis tēporib⁹
518. C.	deporatiunculæ	deploratiunculæ
520. A.	furta	futura
527. C.	qui tales	quia tales
586. B.	vobis reſeruauit	vobis reſerauit
587. B.	vos è cælo	vas è cælo
588. B.	tanquàm ſatis	tanquam ſitis
593. C.	in pœnis errantes	in peius: errantes
599. A.	omnibus Principus	omnib⁹ Principibus
571. C.	Gleba	Glebæ
572. A.	Pregraudis	prægrandibus
696. B.	docenda	tradenda
698. A.	tantus	tantum
701. A.	aſſerueris	aſſeruerit?
703. B.	reſtinxerat	reſtinxerant
712. A.	in primis edicto (adde) ne collegia, ſeu ſodalitia eſſent: quo fretum edicto Plinium, &c.	
752. C.	poſt Conſtantinum annis (adde) mixti Chriſtianis Pagani, &c.	
738. A.	præditis	præditi
766. B.	Primus igitur Chriſtianæ fidei Romæ prædicator, & Doctor fuit Petrus. (adde) vt tradunt Euſebius libro 2. hiſtoriæ, cap. 13. & 14. Et Theodoretus in Epiſtolam ad Romanos, c. 1.	
774. B.	putrificauit	purificauit
776. B.	dimiſſum	demiſſum
784. A.	plenè	penè
792. B.	exuffiſſe	exuffiſſe
831. B.	muta	mutua
832. A.	Populus	Paulus
843. A.	illa catena quamplurima	illam catenam quamplurimi
867. B.	& relicto eo	qui relictus ab eo
883. A.	quanti faciant	quanti fiat
885. B.	plus tres	pluſquam tres

Regeſtum.

✠ A B C D E F G H I K L M N O P Q
R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll
Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu
Xx Yy Zz.

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh
Iii Kkk Lll Mmm.

Omnes ſunt quaterniones, præter ✠, duernionem.

ROMAE,
Typis Bartholomæi Zannetti. M. DC. XII.

SVPERIORVM PERMISSV.